




Humbelot Sculp.

HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES,

A PIPINO CAROLI M. IMP. PATRE VSQVE AD HVGONEM CAPETVM REGEM.

Quorum plurimi nunc primùm ex variis Codicibus MSS. in lucem prodeunt: alij verò auctiores & emendatiores.

CVM EPISTOLIS REGVM, PONTIFICVM, DVCVM, Abbatum, & aliis veteribus rerum Francicarum monumentis.

OPERA AC STVDIO ANDREÆ DV CHESNE GEOGRAPHI REGII.

TOMVS II.



LVTETIÆ PARISIORVM.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY Typographi Regij, viâ Iacobæâ.
M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.







ARMANDO-IOANNI EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV.

PECCARENT in te veteres hi FRANCORVM HISTORIÆ Auctores, EMINENTISSIME CARDINALIS, si LVDOVICI Pii, Iusti, Felicis Maiestatem venerati, Celsitudinem exinde tuam supplices non adirent: quem omnes huius æui Scriptores velut à Rege secundum intuentur, colunt, prædicant. Certè priusquam rerum publicarum administrationem suſ-

ciperes, languere videbantur vbique Scientiæ, bonarum Litterarum studia passim iacebant, Artes ac Disciplinæ meliores contemnebantur. Tu vel hoc maximè immortalem Nomini tuo parasti memoriam, quòd languentes fomento multiplici recreasti, iacentibus auxiliares manus adhibuisti, contemptis pristinum decus auctoritate qua polles restituisti. Fortissimum virorum Iulium Cæsarem, qui primus Orbem prudentiæ & rei militaris viribus acquisiisse legitur, à Musis auocauit cura Terrarum. At tu, qui cum illis à pueritia alacriter conuersatus es, postquam tibi Francici Imperii curam Rex Christianissimus commisit, tam familiariter easdem in sacrarium admisisti, vt hoc studio-

Ioan. Sarisb. in Polycrat.

rum temperamento accepti Gubernaculi grauitatem ſæpiſsimè leuaueris. Mecenas Octauiani Augusti Conſiliarius, quamuis ingenio præſtans aliorum & ipſe ingeniis, maximè Poetarum, impensè faueret, dum tamen bella ciuilia viguerunt, Domino ſuo adhærere ſatis habuit: de Literis autem & Literatis ne cogitauit quidem, niſi parta pace. Tu, qui omni doctrinarum genere cæteros antecellis, non ſolùm egregios quoſque Poetas & Oratores, ſed Theologos præcipuè (quod magnifica illa tua Sorbona æternùm teſtabitur) Philoſophos, Mathematicos, alióſque omnes, qui quocumque Literarum nomine cenſentur, hoc etiam bellorum tempore tanto ſtudio complecteris, vt vniuerſæ Artes ac Scientiæ ex toto propemo-

dum Orbe ad tuam Eminentiam accessisse videantur, in eaque præsidium suum collocasse.

HISTORIA verò, potissimùm Francica, quantum præ reliquis Disciplinis tibi debeat, EMINENTISSIME CARDINALIS, vel in posterum adhuc debitura sit, illos solos nescire fatendum est, qui rerum in Administratione tua strenuè gestarum magnitudinem ignorant. Etenim quam anteà pauci tantùm, idque persunctoriè legebant, ex quo tot ardua non minùs sapienter tentasti, quàm animosè fortitérque exequutus es, illam omnes omnium ordinum homines auidè amplecti, diligenter euoluere, vtiliter discutere cœperunt. Alii præcedentium Ministrorum consilia cum clarissima ingenii tui luce compa-

rare. Alii maximorum factorum tuorum exempla quærere: sed nulla omninò, aut rarissima reperire. Stupenda scilicet, & priscis inaudita sæculis, altissimæ illius tuæ Prudentiæ opera, nouum posteritati exemplum sunt relictura. Ego interim, licèt infimus, non vltimus tamen inter eos, qui præclarissimas animi tui dotes mirantur, omnes tam excusos, quàm manu exaratos Auctores, qui de FRANCORVM HISTORIA *&* REBVS FRANCICIS *Latinè scripserunt, magno labore sumptuque pridem conquisiui. Quos per integra decem secula & ampliùs, non modò de Regum antecedentium, sed & de Regni Ducum gestis, multò plura retulisse comperi, quàm quæ vulgaribus Scriptoribus hactenùs nota fuerunt. Verùm illi*

nulla prorſus, aut pauca memoriæ mandauere, quæ florentem vndequaque Lauream adæquare poſſint, quam vel vnius decennii ſpatio REX inuictiſſimus, te Regiorum arcanorum Adminiſtro, reportauit. Quod vt palam ſit omnibus, illos ipſos Auctores, cum Epiſtolis Regum, Pontificum, Ducum, Abbatum, & aliis eiuſmodi veteribus Hiſtoriæ Francicæ monumentis, ordine temporum & rerum digeſſi, tandémque de eorum editione ſeriò cogitare cœpi. Cui meo inſtituto ſi Eminentiæ tuæ auſpicia fauerint, habebit profectò Gens inclyta Francorum Opus, quo iure optimo gloriari poſſit, vel cum æmulorum ſui tuíque nominis inuidia.

ADEVNT itaque velut in anteceſſum tuam Celſitudinem, DVX MVNI-

FICENTISSIME, duo primi horum Scriptorum Tomi, missionem abs te deposcentes: Quorum stylus quamuis vbique ferè rudis sit & incultus, vt illorum temporum consuetudo ferebat, si tamen eos vel in transitu libaueris; verendum profectò non est, vt tibi suis rugis displiceant. Historia enim, *sicut verè sensit Plinius*, quoquo modo scripta delectat. *Sed hæc eò præcipuè maiorem à te gratiam inire sperat; quòd multos officio quidem ac dignitate repræsentatura sit tibi proximos; virtute autem & gloria pares nullos. Quid loquar Arnulphos, Audoenos, Pipinos, Leodegarios? quid Fulrados, Adalardos, Hilduinos, Ludouicos commemorem? quid denique quotquot summorum Regum; quos*

hæc duo Volumina nunc exhibent, negotiis aßiduè præfuerunt? Illi nimirum te sola temporum antecesserunt auctoritate, tu illos cùm eximiis animi dotibus, tum rerum gestarum magnitudine superemines. Instar omnium erunt Sigeberti, Childerici, atque Pipini Regum Administri, quorum præstantißima quæque facinora non adæquasti modò, verumetiam longè superasti. Leodegarius quippe Augustidunensis Episcopus, acceptis rerum habenis, id permultis grauissimísque bellis vix præstitit, vt Franciæ Regnum factionibus distractum in vnius CHILDERICI *obsequium reuocaretur. Tu vnius Rupellæ expugnatione Francos omnes in tantam redegisti concordiam, vt nullis posthac dissensionum turbi-*

nibus labefactari posse videatur. Fulradi Abbatis consiliis atque laboribus, PIPINVS Italiæ partem aduersus Langobardorum infestationes defendit. Te verò auctore, te feliciter promouente, LVDOVICVS vniuersam ab imminenti illorum iugo, qui Langobardorum sedes nunc occupant, fortissimè vindicauit. Postremò cùm Dux Pipinus SIGEBERTI Regnum administrandum suscepisset, Austrasij terminos suos contra barbaros strenuè defenderunt, quorum creberrimis incursibus eatenus impugnari solebant. *Scriptor vitæ b. Pipini Ducis Tom. I. huius Hist. p. 595.*

Nos & Austrasiæ partem nobilissimam, ab Imperio Francorum iampridem auulsam, tuis curis ac vigiliis in Iustissimi Regis ditionem tandem redactam, innumerabiléque etiam hostium copias

ex eius finibus depulsas ac dissipatas videmus.

FRANCIAM omnem, GENEROSISSIME DVX, eo tempore quo Francicæ res maximè floruerunt, in tres partes diuisam fuisse constat: in Antiquam scilicet, Mediam, & Nouam. Antiquam longis bellorum ciuilium motibus penè concussam, sapientissimo tuo ductu LVDOVICVS noster in pristinum statum gloriosè reduxit. Mediam, quæ & Lotharii Regnum dicebatur, à Germaniæ Regibus quondam simulato beneficiarii iuris obsequio surreptam, vt in his veteribus Historicis legere est, Regno Francorum ex parte restituit. Fausto denique nominis huius omine spes nostræ vlteriùs adhuc in Nouam porriguntur. Adeò

Tom. II. pag. 626. 627. & 797.

verum

verum est Consilii Regii principatum tibi mercedem Virtutis incomparabilis datum, te cum Virtutis operibus etiam Fortunam attraxisse. Beati Audoeni Rothomagensis Antistitis exemplo, qui dum in Palatio DAGOBERTI *rerum summam gereret*, ipsum assiduè hortabatur, *inquit Vita illius Scriptor*, vt fines Imperij sui ab hostium incursibus strenuè defenderet, imò verò ob abundantiorem Ecclesiæ Christi pacem eosdem fines etiam proferre, ac dilatare contenderet. Rex verò Dagobertus aurem Viro Dei libenter in omnibus, quæ hortabatur, accommodando, eius consiliis, ceu diuinis oraculis, parebat. Atque eam ob rem & cunctis hostibus fuit fortior, & omnibus Fran- Tom. I. pag. 631.

corum Regibus, qui ante ipſum regnauerant, felicior. *Quare Hiſtorici iidem, antiquorum Scriptorum auctoritatem ſequuti, qui Octauiano Augusto rerum potienti certatim ſua Opera tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes, vt ait Theodo-*
Tom. I. pag. 76. *ſius Imp. in Epiſtola ad Auſonium Poetam, Scripta ſua tuæ nunc oblata Eminentiæ eò illi acceptiora fore confidunt, quòd & ad rei publicæ vtilitatem, & ad Francici tuique nominis gloriam magno cum labore collecta fuerunt. Nec dubitare iam debent, quin, ſi ea tam æquis oculis adſpexeris, quàm in illis te poſteritas adſpiciet, aliquibus ſaltem beneuolentiæ tuæ notis inſigniri mereantur. Atque vt olim Faronis Meldenſis Epiſcopi nomen, ob eximia*

eius merita in Carmine publico, quod de celebri Francorum aduersus Saxones victoria conditum reperitur, CHLOTARII *Regis nomini coniunctum est: ita te ab iis secundùm* LVDOVICVM *Regem Christianissimum nunc appellari, tuæque Celsitudinis nomen huic Operi, quod eius Maiestati consecratum est, etiam inscribi nemo inuidebit.*

Auctor Vitæ S. Faronis Tom. I. huius Histor. pag. 570.

ANDREAS DV CHESNE.

FRANCORVM REGES ET IMPERATORES CAROLINGI, QVORVM RES GESTÆ TOMO II. CONTINENTVR.

688. PIPPINVS filius ANCHISI seu ANSEGISILI Ducis, Maior Domus annis XXVII.

715.
- Carolus Martellus Dux seu Princeps Francorum, natus ex Alpaide secunda coniuge. Obiit an. DCCXLI.
- Childebrandus Dux. — Nibelungus Comes.
- Grimoaldus Maior Domus, ex Plectrude prima vxore. — Theudoaldus Maior Domus.
- Drogo Dux Campaniæ. — Arnoldus.

742.
- PIPPINVS Princeps in Neustria, postea Rex Francorũ an. DCCLII.
- Carlomannus Princeps in Austrasia, pòst Monachus. obiit an. DCCLV.
- Gripho Dux Austrasiorum.
- Bernardus Comes.
- Hieronymus ex cõcubina. — Fulradus Abbas S. Dionys.
- Remedius seu Remigius Archiepiscopus Rotbomagensis.
- Hiltrudis vxor Odilonis Ducis Baioariorum. — Tassilo Dux Baioariorum.

768.
- CAROLVS MAGNVS Rex Franc. postea Imp. Italiam, Saxoniam, Baioariam, aliásque Prouincias Frãc. Regno adiecit. Obiit an. DCCCXIV.
- Carlomãnus Rex, post trięniũ mortuus. — Pippinus natus anno DCCLXX.
- Pippinus.
- Adalardus Abbas Corbeiensis.
- VVala seu VValach Comes, pòst Abbas.
- Bernarius Monachus.

814.
- LVDOVICVS PIVS, Aquitaniæ Rex viuente patre, postea Imp. & Rex Francorum. Obiit an. DCCCXL.
- Carolus primogenitus ante patrem mortuus anno DCCCXI.
- Pippinus Rex Italiæ, Carlomannus ante baptism. dictus. — Bernardus Rex Italiæ, ex concubina.
- Drogo Episcopus Metensis, ex cõcubina.
- Hugo Abbas ex cõcubina.
- Theodoricus cle ric', ex conc.
- Pippinus, Monachus.

840.
- CAROLVS II. CALVVS dictus Rex Franciæ Occidentalis, postea Imp. an. DCCCLXXV. Ex Iudith secunda coniuge natus.
- Lotharius Imp. Rex Italiæ, Austrasiæ, Prouinciæ, & Burgundiæ superioris, natus ex Irmingarda prima vxore.
- Ludouicus Rex Germaniæ, Bauariæ, & aliarum Prouinciarum Transrhenensium.
- Pippinus, viuente patre Rex Aquitaniæ, ante eum mortuus anno DCCCXXXVIII.

877.
- LVDOVICVS II. Balbus dictus, Rex Frãc. solus patri superstes.
- Carolus Rex Aquitaniæ.
- Lotharius Abbas.
- Carlomãnus Clericus.
- Pippinus in Monasterium coniectus sub Carolo patruo.
- Carolus Moguntiæ Archiepiscopus.

879.
- LVDOVICVS III. & CARLOMANNVS, ex Ansgarde geniti.
- CAROLVS III. SIMPLEX dictus, ex Adelaide natus, cum Odone primũ, deinde illo mortuo ann. DCCCXCVIII. solus regnauit. Postremò Lotharij etiam regnum adeptus est anno DCCCCXII.
- Ludouicus II. Imp. Rex Italiæ, obiit anno DCCCLXXV. — Ermengardis vxor Bosonis Comitis, qui posteà Rex Prouinciæ consecratus est an. DCCCLXXIX. — Ludouicus Orbus dictus, Rex Prouinciæ an. DCCCLXXXIX. Imperator an. DCCCC.
- Lotharius Rex Austrasiæ, seu Lotharingiæ, obiit anno DCCCLX. — Hugo Alsatię, ex cõcubina VValdrada genitus.
- Carolus Rex Prouinciæ, & Burgundię superioris.
- Carlomannus Rex Baioariæ, Pannonię & Carentanię. — Arnulfus Rex, & Imp. — Ludouicus Rex vltimus stirpis Francicæ in Germania, obiit an. 912. — Zuendeboldus Rex Lotharingiæ, natus ex concubina. — Ratoldus, ex concubina.
- Ludouicus Rex Franciæ Orientalis, Saxoniæ, &c. — Hugo.
- Carolus Crassus Rex Alamanniæ, pòst Imp. 880. & Rex Gal. 885. — Bernardus.

Huius Caroli usurpationem in Francia regnarunt.

885. Carolus Crassus Imp. ann. II.

888. Odo ann. X.

923. Robertus Odonis frater an. I.

929. Rodulphus Dux Burgundiæ ann. XIII.

936.
- LVDOVICVS IIII. Rex Franciæ, TRANSMARINVS dictus. Lotharij regnum ab Henrico Rege Germaniæ occupatum recuperauit.
- Gisla vxor Rollonis Ducis Normanniæ.

954.
- LOTHARIVS Rex Franciæ. Lotharij quoque regnum ab Othone I. Regis Henrici filio iterum vsurpatum conquisiuit, illúdque tandem Othoni II. in beneficium, siue sub clientela Regni Franciæ tenendum, dedit.
- Carolus Dux in regno Lotharij.
- Mathildis vxor Conradi Regis Burgundiæ. — RODVLPHVS Rex Burgundiæ.

985. LVDOVICVS V. stirpis Carolingicæ Rex vltimus, obiit absque liberis anno DCCCC

987. LXXXVII.



INDEX EORVM
QVÆ IN TOMO II.
HISTORIAE FRANCICAE
CONTINENTVR.

APPENDIX AD TOMVM II.

Continens Epistolas, quæ ad Historiam secundæ Stirpis Regiæ pertinent.

DE

A




DE MAIORIBVS DOMVS REGIÆ,

B

Libellus vetusti Scriptoris.

Ex editione Cl. Viri Petri Pithœi, quæ cum MS. Codice antiquissimo collata est, & ex eo nonnulla quæ deerant restituta.



X genere PRIAMI fuit Meroueus, qui genuit Childericum. Childericus genuit Clodoueum, quem baptizauit S. Remigius. CLODOVEVS genuit Clotharium. Clotharius genuit Chilpericum. Chilpericus genuit Clotharium patrem Dagoberti excellentissimi Regis. Clotharius genuit Dagobertum famosissimum ac dulcissimum Regem. Dagobertus genuit Clodoueum. Clodoueus autem Rex genuit tres filios ex Baltide Regina sua sancta, Clotharium, Childericum, atque Theodericum. Theodericus genuit Childebertum. Childebertus genuit Dagobertum. Dagobertus genuit Theodericum. Theodericus genuit Clotharium. Clotharius Childericum. Et post transmigrationem generationis, ex filia Clotharij Regis ANSBERTVS genuit Arnoldum. Arnoldus genuit sanctissimum Arnulfum pòst Mettensem Episcopum. Arnulfus quoque
C sanctus genuit Anchisem. Anchises genuit Pippinum Maiorem Domus. Pippinus genuit Carolum Martellum. Carolus verò genuit PIPPINVM postea Regem effectum.

DENIQVE à temporibus Clodouei, qui fuit filius Dagoberti inclyti Regis, pater verò Theoderici, Regnum Francorum decidens per Maiores Domus cœpit ordinari. Quorum primus apud Austrasiam PIPPINVS reliquit filium Grimoldum, qui filium Sigeberti nomine Dagobertum Dodoni Pictauensi Episcopo detonsum sub custodia direxit. Quapropter idem Grimoldus sub custodia Parisius diu excruciatus finiuit vitam. Post Grimoldum, Herginoldus * Maior Domus efficitur. Quo defuncto Hebroinus succedit, VVlfoaldo apud Austrasiam Ducis officio fungente. Quo decedente, Martinus, & Pippinus iunior filius Ansegisili, qui & alio nomine Anchises dictus est, in Austrasia Maiores Domus fuerunt. Qui etiam moro prælio, contra Theodericum Regem atque Hebroinum acies dirigunt. Sed Martinus fugâ lapsus, dolo Hebroini apud Laudunum Clauatum interficitur. Pippinus verò in Austrasiam rediit: ad quem Hermenfridus Francus occiso Hebroino fugiens euasit.

* Erchenoldus

FVERVNT autem Maiores Domus, ex quibus generatio Regalis processit, primus quidem Ansbertus Senator, qui ex Blithid * filia secundi Clotharij genuit

* al. Baltide seu Blitilde

Arnoldum patrem sancti Arnulfi tandem Mettensis Episcopi, qui genuit Anchisem patrem Pippini. Franci denuò pro Hebroino VVarathonem Maiorem Domus efficiunt. Cuius filius Gislemarus contradicente patre suo VVarathone cum Pippino ciuilia bella habuit. Iterum Pippinus cum Theoderico & Berthario bellum iniit, vicit, cepit, atque thesauris acceptis Nordebertum quemdam de suis Maiorem Domus constituit: ipse autem in Austrasiam remeauit. Cuius filij fuerunt Drogus *, & Grimoldus. Sed Drogus Ducatum accepit in Campania. Mortuo Theoderico, Clotharius filius eius Regnum puer obtinuit. Quo defuncto, Childebertus frater eius successit. Nordeberto quoque mortuo, Grimoldus Pippini filius Maior Domus effectus est. Childebertus verò Rex mox vt migrauit ad Dominum, Regnum eius suscepit Dagobertus filius eius adhuc puer. Quo tempore Maior Domus Grimoldus Theudsindam filiam Rarbodi * Ducis in coniugem duxit, qui à Rangario Frisone in Basilica sancti Lamberti peremptus est. Pro quo pater eius Pippinus Teudoaldum filium ipsius, quem ex alia coniuge habuerat, in honore patris constituit. Ipse quoque Pippinus eodem anno, qui est Incarnationis Dominicæ DCCXIV. medio Decembri obiit, postquàm obtinuit Principatum sub nominatis Regibus annis XXVII *. A

al.* Drogo

* Rabbodi

714.

* al. xxvi.

PLECTRVDIS Pippini quondam vxor CAROLVM ex vxore alia Pippini filium captum tenuit, sed Deo auxiliante viuus euasit. Hic enim post mortem Dagoberti iunioris, qui quinque annos regnauit, multa prælia commisit contra Ratbodum Frizonum Ducem, contráque Raganfredum, qui pro Teudoaldo Grimoldi iusti & modesti filio, Maior Domus efficitur. Tunc Franci Danielem quendam Clericum post abiectionem tonsuræ in Regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Contra quem Carolus pugnam iniit, atque eum in fugam victor compulit. Deinde Coloniam veniens, & thesauros patris sui à Plectrude recipiens, Regem sibi Clotharium statuit, qui eo anno mortuus est. Tandem Chilpericus Rex & Raganfredus Eudonem Ducem in adiutorium expetunt: quorum Chilpericus cum thesauris regalibus in Aquitaniam fugit, quem postmodum Eudo cum multis muneribus Carolo reddidit. Quo non plus v. annis regnante, Franci Theodericum Dagoberti iunioris filium Regem super se statuunt. Quo tempore Carolus Maior Domus & Austrasiorum Princeps multa bella contra Ratbodum, & contra Lanfridum *, contra Eudonem, & Baioarios, contráque Sarracenos impari manu iniit, & semper, Dei gratiâ, victor extitit. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum laicis tradidit, atque anno Dominicæ Incarnationis DCCXLI. Dux defunctus est, & in Monasterio S. Dionysij humatus, Principatum obtinentibus filiis eius, Karlomanno & Pippino fratribus. Quorum alter, hoc est KARLOMANNVS, contra Hunaldum Ducem Aquitanorum, ac deinde contra Odilonem Baioariorum Ducem conflictum habuit: ad vltimum in Serapte monte Monachus effectus, postmodum in Monte Cassino religiosam duxit vitam. Porro in Franciam ad fratrem PIPPINVM Legatus Stephani Papæ rediit, vnde Italiam repetendo, apud Viennam Galliæ vrbem obiit. His temporibus Hildricus * in Regno Francorum substituitur. Do quo Pippinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam regeret. Detonso igitur Hildrico, & in Monasterio detruso, mox Franci PIPPINVM sibi Regem constituunt. Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat, Griphonem videlicet fratrem suum, Tassilonem quoque ex sorore nepotem: quorum alterum Austrasiorum, alterum Baioariorum Ducem instituit. Denique Zacharia Pontifice defuncto, Stephanus succedit, qui in Franciam ad Pippinum, vrgente necessitate, venit, eúmque ac duos filios eius KAROLVM & KARLOMANNVM pariter suæ benedictionis oleo perunxit. B C

* al. Ragāfredum.

741.

Soracte

* Childericus

A 

ANNALES FRANCICI BREVES,

Ab anno Christi DCCVII. vsque ad annum DCCXC.

In Monasterio sancti Nazarij iuxta Rhenum scripti, & à Marquardo Frehero Consiliario Palatino primùm publicati.



NNO DCCVII. PIPPINVS senior regnare cœpit. PIPINVS SENIOR.
An. DCCVIII. Drogo mortuus.
DCCIX. Durus & deficiens fructus. Et Gothofridus mortuus est.
DCCX. Pippinus perrexit in Alamaniam.
B DCCXI. Aquæ inundauerunt valde. Et mors Hildeberti.
DCCXII. Mors Heriberti Regis Langobardorum.
DCCXIII. Mors Aliflidæ & Halidulfi Regis.
DCCXIV. Pippinus defunctus est.
DCCXV. Pugna Francorum, & mors Dagoberti Regis.
DCCXVI. Pugnauit CAROLVS contra Ratboth. CAROLVS MARTELLVS.
DCCXVII. Pugnauit Carolus contra Ragenfredum in Vinciaco, in Dominica die.
DCCXVIII. Vastauit Karlus Saxonia plagâ magna.
DCCXIX. Occisio Francorum ad Suessionis ciuitatem, & mors Ratbothi.
DCCXX. Pugnauit Karlus contra Saxones.
DCCXXI. Eiecit Heudo Sarcinos de Equitania.
DCCXXII. Magna fertilitas, & bella contra Aquilonem.
DCCXXIII. Duo filij Drogonis ligati, Arnoldus, & vnus mortuus, & Karlus infirmatus.
DCCXXIV. Leuauit contra Karlo, & Karlus perrexit Andegauis.
DCCXXV. Hrothrudis mortua. Betto mortuus. Sarcini venerunt primitus.
DCCXXVI.
DCCXXVII.
C DCCXXVIII.
DCCXXIX.
DCCXXX. Lantfridus mortuus.
DCCXXXI. Karlus vastauit duas vices vltra Ligere. Et Ragenfridus mortuus. Et Beda Presbyter Anglorum obiit.
DCCXXXII. Karlus pugnauit contra Sarcinos die Sabbato ad Pectauis.
DCCXXXIII. Hildratus mortuus.
DCCXXXIV. Karlus perrexit in Frisiam, & inde vsque ad inter*.
DCCXXXV. Karlus inuasit VVasconiam.
DCCXXXVI. Hatto ligatus est.
DCCXXXVII. Karlus pugnauit contra Sarcinos in Gutia*, in Dominico die.
DCCXXXVIII. Karlus intrauit in Saxonia.
DCCXXXIX. Karlus intrauit in Prouincia vsque Massilia.
DCCXL. Sine hostilitate vlla.
DCCXLI. Karlus mortuus est. Et Theodaldus interfectus est.
DCCXLII. Franci in exercitu in Aquitania, & postea in Beuueria vsque Lech.
DCCXLIII. PIPPINVS quieuit. Et KARLOMANNVS in Saxonia cum exercitu.

CAROLVS MARTELLVS.

DCCXLIV. Franci in Beuueria, quando ille VValus fuit. Et Romanus egressus est de Alamania. A

DCCXLV. Karlomannus & Pippinus cum exercitu in Saxonia. Et Theotbaldus in Alsatiam.

DCCXLVI. Karlomannus in Alamaniam, & postea in Aquitaniam.

DCCXLVII. Karlomannus iuit Romam. Et Eberhardus defunctus est.

DCCXLVIII. Otbertus interfectus est. Et Grifo in Saxonia elapsus.

DCCXLIX. Franci in Saxonia cum magno exercitu. Et Grifo in Beuueria.

DCCL. Franci in Beuueria. Et Grifo reuersus est ad propria.

PIPPINVS REX.

DCCLI. PIPPINVS Rex eleuatus est. Res Ecclesiarum descriptas, quæ & deuisas. Baldebertus Episcopus. Benedictus. Zacharias Papa defunctus. Stephanus electus, in die percussus. Alter Stephanus electus, atque consecratus. Et Lantfridus mortuus.

DCCLII. Pippinus in Saxonia cum exercitu. Grifo Franciam ingressus, qui & interfectus.

DCCLIII. Papa in Franciam venit, commotóque exercitu Francorum, cæde facta in Langobardos, receptas res Sancti Petri, reuersus est ad sedem suam. Et Karlomannus rediit, qui & detentus est, & obiit. Dominus Bonifacius Episcopus in prædicatio in Frigiam* perrexit, vitam temporalem in martyrio finiuit.

* Frisiam.

DCCLIV. Venit Dessilo ad Martis campum. Francique absq. bello quieuerũt. B

DCCLV. Franci iterum in Langobardia cum exercitu. Et domnus Romanus transiuit. Et Heistoluus mortuus est.

DCCLVI. Papa Stephanus defunctus. Franci quieuerunt, excepto custodes directos ad Arbonam.

DCCLVII. Venit organa in Franciam.

DCCLVIII. Rex Pippinus fuit in Saxonia.

DCCLIX. Mutauit Rex Pippinus nomen suum in filium suum.

DCCLX. Rex Pippinus erat cum exercitu Francorum in Aquitania.

DCCLXI. Pippinus Rex fuit in VVasconia cum exercitu vsque ad Limodiam ciuitatem.

DCCLXII. Rex Pippinus cum Francis fuit in Aquitania. Bituricam conquisierunt. Baldebertus obiit. Haribertus Abba ordinatus est.

DCCLXIII. Franci absque bello.

DCCLXIV. Hiems grandis & durus. Habuit Rex Pippinus conuentum magnum cum Francis ad Charisago.

DCCLXV. Franci quieuerunt.

DCCLXVI. Rex Pippinus erat cum Francis in VVasconia, & conquisiuit Limodiam ciuitatem, & alias ciuitates.

DCCLXVII. Paulus Papa obiit. Heribertus Abba Roma transmissus. Pippinus Tolosa perrexit. C

DCCLXVIII. Rex Pippinus obiit VIII. Kalend. Octobris. Et VVaferius antea occisus est.

DCCLXIX.

DCCLXX. BERTA duxit filiam Desiderij Regis Langobardorum in Franciã.

CAROLVS MAGNVS.

DCCLXXI. KARLOMANNVS obiit II. Non. Decembris.

DCCLXXII. Franci in Saxonia cum KAROLO Rege eorum.

DCCLXXIII. Mai campus ad Genua*. Et Karolus Rex cum exercitu Francorum in Langobardiam.

* Genuam.

DCCLXXIV. Paueia ciuitas conquisita est. Et Desiderius Rex & Ansa vxor eius exiliati sunt in Franciam. Et Carolus Rex reuersus est in Franciam. Haribertus Abba obiit, & Amicho Abba ordinatus est.

DCCLXXV. Mai campus ad Dura. Et Carolus Rex cum exercitu Francorum in Saxoniam.

DCCLXXVI. Carolus Rex perrexit in Langobardiam, interfecto Rotgauzo*. Postea Mai campus ad VVormacia. Et Carolus Rex cum Francis in Saxonia, iam sine bello.

* Radagauso.

DCCLXXVII. Mai campus in Saxonia ad Pedebruna.

A DCCLXXVIII. Carolus Rex cum exercitu Francorum perrexit in Spaniam. Et Saxones in Franciam. CAROLVS MAGNVS.

DCCLXXIX. Mai campus ad Duta. Et Franci cum Carolo Rege eorum in Saxoniam, iam absque bello.

DCCLXXX. Franci in Saxonia. Deinde Carolus Rex ad Romam perrexit.

DCCLXXXI. Carolus Rex reuersus est de Roma, & Mai campum ad ciuitatem VVagionum * habuit. *Vangionum.

DCCLXXXII. Rex Carolus cum Francis ad Lippia absque bello. Et postea Saxones mentiti sunt, & quosdam de Francis occisis. Et iterum Rex cum exercitu Francorum super Saxones.

DCCLXXXIII. Rex Carolus cum agmine Francorum super Saxones cæde facta, terram deuastauit. HILDEGARDIS Regina obiit pridie Kalend. Maias.

DCCLXXXIV. Carolus Rex ad Lippaham transiuit vnà cum Francis Rhenum flumen, & deuastauit Saxones.

DCCLXXXV. Rex Carolus in Heresburc super hiemem residebat, & Saxones in pace conquisiuit.

DCCLXXXVI. Thuringi autem consilium fecerunt, vt Carolum Regem Francorum dolo tenerent, & occiderent. Si ergo hoc scelus atque nefandissimum crimen perpetrare non præualuissent, saltim hoc cupiebant constituere, B vt non ei obedissent, neque obtemperassent iussis eius. Quod nequam consilium Regi multa tempora latere nequaquam potuit. Ille enim, eò quòd erat prudens ac mitis valde, patientissimè hoc deportabat. Igitur transactis aliquis temporibus, transmisit iam præfatus Rex Legatum suum ad aliquem de illis Thuringis propter filiam suam, sponsam scilicet vnius Franci, quam secundùm Legem Francorum sponsatam habuisse cognoscebatur, vt tempore statuto ei reddedisset sponsam suam. Ille enim parui pendens iussa Regis, non tantùm spopondit se illam reddere, sed etiam insuper congregauit penè vniuersos Thuringos, proximósque suos, & voluerunt se defendere de Rege Francorum. Rex namque hæc audiens iratus est valde, atque indignans hoc, missis ex satellitibus suis contra eos qui sagaciter atque fiducialiter contra eos per rexerunt, prædia possessionésque eorum deuastantes. Thuringi namque timore perterriti, ad corpus beati Bonifacij Martyris confugerunt, vt per merita venerationémque ipsius Sancti Rex relaxaretur illis noxam, dolum, insidiásque, quæ præparare conati fuerant. Porro Pater Monasterij illius consolabatur eos verbis pacificis, dulcisque sermonibus, per nunciúmque suum intimauit hæc omnia Regi. Rex ergo destinauit ad eos Legatum suum, vt ad se cum pace venirent. Qui mox ad eum profecti sunt, steterúntque coram Rege. Rex nempe sciscitabatur ab eis, si verum, an falsum fuisset, quod ei intimatum C fuerat de illis, scilicet vt de morte eius cogitarent, & si constituere nisi fuissent, vt parui pendissent mandata illius? Illi enim nullo modo poterant, neque condignauerunt hoc negare. Fertur namque vnum ex illis dixisse ad Regem: *Si collegæ sociique mei mihi consentire comprobarentur, tu numquam postmodum citra Rhenum fluuium transire viuus cognoscebaris.* Rex verò, quia erat mitissimus atque sapientissimus super omnes Reges, qui fuerant ante eum in Francia, moderantissimè illud deportauit. Transactis igitur quibusdam diebus, transmisit Rex ipsos Thuringos vnà cum Missis suis aliquos in Italiam, & ad Sanctum Petrum, quosdam verò in Neustriam atque in Aquitaniam, per corpora Sanctorum, scilicet vt iurarent fidelitatem Regi liberísque eius. quod & ita actum esse comprobatur. Qui exindè reuertentes, nonnulli ex illis detenti sunt in via, & euulsi esse noscuntur oculi eorum: aliqui verò peruenerunt ad ciuitatem VVagionum *, & ibidem comprehensi sunt, & exindè exiliati, & illuc euulsi esse cognoscuntur oculi eorum. Possessiones verò vel agros eorum omnes infiscati esse noscuntur. Rex verò inlæsus atque incolumis permanens, optimè regens Regnum Francorum, atque Langobardorum, Romanorúmque, eò quòd cœlorum Rex protector eius esse comprobatur. Etiam præfatus Rex ad Romam perrexit. *Vangionum.

DCCLXXXVII. Carolus Rex Francorum de Roma reuertens, ad Paueia ciuitatem Langobardos congregauit, & exindè fraudulentissimos eorum in Fran-

CAROLVS MAGNVS. ciam exiliauit. Ipseque venit in Franciam, & ad VVormaciam resedit. Postea aurem commoto exercitu Francorum, perrexit in fines Alemannorum & Bejuueriorum, ad flumen quod appellatur Lech. Illúcque veniens Dessilo * Dux Bejuueriorum ad eum, & reddidit ei cum baculo ipsam patriam, in cuius capite similitudo hominis erat. Et effectus est vassus eius, & Theodonem filium suum dedit ei obsidem. A

* Tassilo.

DCCLXXXVIII. Dessilo autem Dux Bejuueriorum venit in Franciam ad Regem Francorum Carolum, ad villam quæ appellatur Ingolumheim*. Post hæc ergo transmisit iam præfatus Rex Legatos suos in Bejuueriam post vxorem ac liberos iam præfati Ducis. Qui studiosè atque efficaciter iussionem Regis implentes, adduxerunt hæc omnia, vnà cum thesauris, ac familia eorum copiosa valde, ad iam dictum Regem. Cúmque hæc ita agerentur, comprehensus est iam præfatus Dux à Francis, & ablatis armis eius ductus est ante Regem. Igitur cúmque simul sermocinarentur, interrogauit eum de insidiis atque dolosis consiliis, quod cum multis gentibus iam olim ei præparare conatus fuerat. Quod cùm ille negare nequaquam præualere videbatur, inuitus iussus est comam capitis sui deponere. Ille autem magnis precibus postulabat Regem, vt non ibidem in Palatio tonderetur, propter confusionem videlicet, atque opprobrium quod à Francis habere videbatur. Rex enim precibus eius adquiescens, ad Sanctum Gannarium*, qui iuxta Rheno flumine in corpore requiescere cognoscitur, eum transmisit: & ibidem Clericus effectus est, & indè exiliatus est ad Cœnobium quod appellatur Gemedium*. Duo quoque filij eius his nominibus, Theoto, & Theotbertus, vtrique tonsurati atque exiliati sunt. Nam & vxor iam præfati Ducis nomine Lintburga exiliata esse comprobatur. Hæc ergo omnia ad gloriam & honorem domino Regi, ad confusionem verò & opprobrium fiebant inimicis suis: eò quòd rerum Creator omnium fecit eum semper esse triumphatorem. B

* Ingelheim.

* leg. Nazarium.

* Gemeticum.

DCCLXXXIX. Carolus autem Rex vnà cum Francis, seu ceteris gentibus, in patriam VVilciorum hostiliter perrexit, ipsámque patriam conquisiuit, & Regem eorum nomine Dragoidus adprehendit. Et iterum ipsi iam præfato Regi illam patriam commendauit, & reuersus est cum pace in Franciam.

DCCXC. Franci quieuerunt.

Hactenus Cod. MS. Sancti Nazarij.

ANNALES ALII FRANCORVM.

Ab anno DCCVIII. vsque ad annum DCCC. C

Ex duobus peruetustis Codicibus MSS. quorum vnus fuit Cl. mem. Ioannis Tilij, alter asseruatur in Bibliotheca Viri æquè Cl. Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, Pauli filij.

PIPINVS SENIOR. ANNO DCCVIII. Quando Drogo mortuus fuit tempore vernis.

DCCIX. Quando domnus PIPINVS perrexit in Suauis contra VVilarium.

DCCX. Item Pipinus in Suauis contra VVilarium.

Cod. Pet. DCCXI. Tunc aquæ inundauerunt valde, & Childebertus * mortuus est. & exercitus Francorum in Suauis.

* Hildebertus.

DCCXII. Item exercitus Francorum in Suauis contra VVilarium. & Heribertus Rex Longobardorum mortuus est.

DCCXIII. Mors Agledulfi Regis, & depositio Suitberthi Episcopi.

DCCXIV. Domnus Pipinus mortuus est in mense Decembr. & Grimoldus* similiter defunctus est.

* Grimoaldus.

DCCXV. DAGOBERTVS Rex mortuus est. & Saxones deuastauerunt terram Hattuariorum*.

* Hazzoariorum.

A DCCXVI. Quando Ratbodus venit Coloniam in mense Mart. Tunc pugnauit KAROLVS contra eum.

DCCXVII. Quando bellum fuit Vinciago inter Karolum & Ragenfridum in die Dominico*, die XV. ante Pascha.

CAROLVS MARTELLVS.
* in dextra Dei.

DCCXVIII. Fuit autem tunc prius Karolus in Saxonia, & vastauit eam plaga magna vsque Viseram.

DCCXIX. Ratbodus mortuus est.

DCCXX. Quando bellum habuit Karolus contra Saxones.

DCCXXI. Expugnauit Eodo* Saracenos de terra sua.

* Eudo.

DCCXXII. Fuit fertilitas magna, & bella contra Aquilonem.

DCCXXIII. Duo filij Drogonis* ligati, & vnus mortuus. & Karolus infirmatur.

* Drocone

DCCXXIV. Karolus migrauit ad Andegauos, qui rebellabant aduersus eum.

DCCXXV. Quando Karolus primùm fuit in Bauuarios*. & Chrotrudis moritur. & Saraceni* venerunt.

* Bagoarios.
* Sarachin.

DCCXXVI. Martinus mortuus est.

DCCXXVII. Danihel in Atiniaco mortuus est.

DCCXXVIII. Item Karolus fuit in Saxonia, & Hidulphus* Episcopus mortuus est.

* Hadulfus

B DCCXXIX. Quando Karolus voluit pergere in Saxonia.

DCCXXX. Quando Karolus perrexit Suauis contra Lanfridum.

DCCXXXI. Quando Karolus fuit VVasconia contra Eodonem*. & Ragenfridus mortuus est.

* Eudonē.

DCCXXXII. Karolus habuit bellum contra Saracenos in mense Octobri die Sabbato.

DCCXXXIII. Quando venit com VVestri exercitum in VVestrigon*.

* Vestigon.

DCCXXXIV. Karolus perrexit in Frisiam vsque internectionem.

DCCXXXV. Quando Karolus inuasit VVasconiam.

DCCXXXVI. Audoinus Episcopus mortuus est. & Karolus dimicabat contra filios Eodonis.

DCCXXXVII. Quando Karolus bellum habuit cōtra Saracenos in Gozia*.

* Zolhia, leg. Gothia.

DCCXXXVIII. Karolus intrauit in Saxoniam.

DCCXXXIX. Karolus intrauit in Prouinciam vsque Massiliam.

DCCXL. Sine hoste fuit hic annus.

DCCXLI. Karolus mortuus est Idib. Octobr. & Theodoaldus* interfectus est.

* Teudaldus.

DCCXLII. CAROLOMANNVS perrexit in VVasconiam.

DCCXLIII. Vastauit KAROLVS* Alamanniam.

* Karolomannus.

C DCCXLIV. Pax inter Karolomannum & Odilonem*. & hostes in Saxonia.

* Hodilonum.

DCCXLV. Karolomannus & Pipinus abierunt in Saxoniam.

DCCXLVI. Karolomannus intrauit Alamanniam.

DCCXLVII. Karolomannus migrauit Romam. & ipso anno fuit natus KAROLVS Rex.

DCCXLVIII. Grippo fugit* in Saxoniam.

* fugiuit.

DCCXLIX. Quando Grippo reuersus est de exilio.

DCCL. Sine hoste fuit.

DCCLI. Lantfridus mortuus fuit. & fuit natus KAROLOMANNVS Rex.

DCCLII. Domnus PIPINVS eleuatus est ad Regem in Suessionis ciuitate.

PIPINVS REX.

DCCLIII. Pipinus Rex in Saxonia. & Childegarius* Episcopus defunctus est. & Papa Stephanus venit ab vrbe Roma in Franciam, & Karolomannus post eum, & filij eius tonsi sunt. & Grippo occisus est.

* Hildegarius.

DCCLIV. Bonefacius martyrium suscepit. & Chiltrudis* mortua est. & Karolomannus obiit. & Rex Pipinus abiit in Longobardiam: & Papa Stephanus reuersus est Romam.

* Hiltrudis

DCCLV. Venit Thasilo ad Martis campo, & mutauerunt Martis campum in mense Maio. In hoc anno domnus Remedius adeptus est sedem Ecclesiæ Rotomagensis. Et Pipinus superauit Longobardos, cum magno munere reuersus est in regnum suum.

PIPINVS REX. DCCLVI. Rex Pipinus perrexit iterum in Longobardiam. & superauit Saxones. & Haistulfus mortuus est. A

DCCLVII. In eodem anno moritur Stephanus Papa. & natiuitas Gislanæ. ipso venit organa in Franciam.

DCCLVIII. Rex Pipinus venit Saxonia.

DCCLIX. Rex Pipinus mutauit nomen suum in filio suo.

DCCLX. Quando domnus Pipinus Rex fuit in VVasconia contra VVaifarium.

DCCLXI. Iterum Pipinus fuit in VVasconia vna cum Karolomanno. captóque omni pago Aluernico, Burboni castro & Claromonte igne cremauit.

DCCLXII. Iterum domnus Pipinus cum dilectis filiis suis Karolo & Karolomanno perrexit in VVasconiam, & adquisiuit ciuitatem Bituricas.

DCCLXIII. Quando domnus Pipinus placitum habuit VVormacia. deditque Comitatus dilectis filiis suis.

DCCLXIV. Habuit domnus Pipinus Rex conuentum magnum cum Francis Carisiaco. Eodem anno gelus magnus fuit XIX. Kal. Ian. vsque XVII. Kal. April.*

* à XIX. Kal. Ian. tenuit vsque in VII. Kal. April.

DCCLXV. Venerúntque corpora Sanctorum ab vrbe Roma in Franciam, Gorgonij, Naboris, Nazarij. & habuit placitum domnus Pipinus in Attiniaco.

DCCLXVI. Quando Pipinus fuit in VVasconia. & eodem anno domnus Frotgandus* Episcopus obiit. B

* Frodtangus.

DCCLXVII. Iterum domnus Pipinus fuit in VVasconia in mense Martio, & conquisiuit Lemouicas* ciuitatem. & domna BERTA Regina erat Bituricas ciuitatem.

* Lemofecas.

DCCLXVIII. In isto anno domnus Pipinus Rex defunctus est IX.* Kal. Octobr. & filij eius KAROLVS & KAROLOMANNVS vncti fuerunt in Reges VII. Idus Octobris. & VVaifarius interfectus est.

* VIII.

CAROLVS MAGNVS. DCCLXIX. Eodem anno domnus Karolus Rex prima vice postquam cœpit regnare fuit in VVasconia vltra flumen Garonnam. & corpus S. Gorgonij positum fuit Gorzia Monasterio.

DCCLXX. Natiuitas PIPINI filij Karlomanni, & hoc anno domna Berta fuit in Italia propter filiam Desiderij Regis. & redditæ sunt ciuitates plurimæ S. Petri.

DCCLXXI. Bonæ memoriæ domnus Rex Karlomannus obiit prid. Non. Decembris.

DCCLXXII. Domnus Rex Karolus perrexit in Saxoniam, & conquisiuit Erisburgo, & peruenit ad locum qui dicitur Ermensul, & succendit ea loca.

DCCLXXIII. Domnus Rex Karolus perrexit in Italiam, & concitato bello fugiuit Desiderius Rex Longobardorum, retrusus est Papia, domnus Karolus obsedit eam, dominánsque Italia. C

DCCLXXIV. Hoc anno reddita est ciuitas Papia* Francis. & Desiderius Rex directus est in Franciam. & domnus Rex Karolus missis Comitibus per omnem Italiam lætus S. Petro reddidit ciuitates quas debuit, dispositisque omnibus alacer venit in Franciam. & eodem anno bellum habuit contra Saxones in loco qui dicitur Herisburgo.

* Papigia.

DCCLXXV. Domnus Rex Karolus perrexit in Saxoniam, & conquisiuit Sigeburgum*, & interfecta multa milia paganorum victor remeauit in Franciam.

* Sineburgo.

DCCLXXVI. Perrexit domnus Rex Karolus in Italiam, & occiso Hrotgaudo, qui illi rebello extiterat, obsidérúntque Stabilinium socerum suum Tarauiso ciuitate. Eo capto, dispositisque omnibus, prosper redit cum suis in Franciam. & audiuit quòd Saxones rebellassent contra Francos. motóque exercitu pergens obuiam illis, cùm vidissent pagani quòd non poterant Francis resistere, timore perculsi, venerúntque maiores natu ad domnum Regem Karolum postulantes pacem, & baptizata multa turba populi ædificauerunt Franci in finibus Saxanorum ciuitatem quæ vocatur Vrbs Karoli.

DCCLXXVII. Eodem anno gloriosus Rex Karolus venit in Saxoniam loco cognominato Patresbrunna. habuitque ibi magnum placitum. & ibi conuenerunt Saxones ad baptismum Catholicum. & baptizata multa milia populorum

A gentilium. & ædificauerunt ibi Ecclesiam Franci. vnde in postmodum Karolus CAROLVS
Rex merito gaudet cum Iohanne Baptista, qui & baptizauit prædicans baptis- MAGNVS.
mum in remissionem omnium peccatorum.

DCCLXXVIII. Eodem anno domnus Rex Karolus cum magno exercitu
venit in terram Galliciam. & adquisiuit ciuitatem Pampalona. deinde acce-
pit obsides in Hispania de ciuitatibus Abitauri atque Ebilarbij, quorum voca-
bulum est Osca & Barzelona*, necnon & Gerunda. Et ipsum Ebilarbium vin- * Barcello-
ctum duxit in Franciam. Interim Saxones rebellantes, mouerúntque exerci- na.
tum amne Rene properantes, incenderúntque oppida, & igne cremauerunt ci-
uitatem quæ Franci construxerunt infra flumen Lipiam.

DCCLXXIX. Hoc anno Rex inclytus Karolus commoto magno exercitu ve-
nit in Saxoniam. iterum vastantes & incendentes omnia vsque flumen Viseram,
& tunc obsides multitudine acceptis, redierúntque in Franciam.

DCCLXXX. Eodem anno iterum pulcherrimus Rex Karolus cum Franco-
rum exercitu venit in Saxoniam vsque fluuium Aluea. adquisiuit vniuersam ter-
ram illam sub forti brachio. Ipso quoque anno Saxones derelinquentes idola
Deum verum adorauerunt, & eius crediderunt opera. Eodem quoque tempo-
re ædificauerúntque Ecclesias, & venerunt ad domnum Regem multa milia gen-
tilium VVinethorum hominum. ipse autem adquisiuit vnà cum Dei auxilio.

DCCLXXXI. Sine hoste fuit hic annus. Nisi tantùm VVrmacia ciuitate vene-
B runt Franci ad placitum. & ibi fuit Taxilo* Dux de Bauuaria, magnáque mu- * Dassilo.
nera præsentauit domno Regi, & per suum Comigatum rediit ad patriam.

DCCLXXXII. Hoc anno domnus & religiosus Rex Karolus habuit magnum
placitum in Saxonia super flumen Lippia. & ibi venerunt legationes Vnorum ad
præsentiam Principis. * Idipsum annum Saxones rebellantes, & reducti ad * Ex Cod.
priore tramite, Deum abnegantes, & fidem quam promiserant. Tùnc cum ma- Pet.
gno exercitu hostes in Saxonia, & cæderunt Franci de Saxones multitudo homi-
num, & multos vinctos Saxones adduxerunt in Francia.

DCCLXXXIII. Eo verò anno domnus Rex Karolus commoto exercitu per-
rexit in Saxoniam, & concitauerunt prælium circa flumen Visera, & secus flu-
uium Assa*. & Karolus quippe victor cum suis hominibus remeauit in Fran- * Hassa.
ciam. Et in ipso anno bonæ memoriæ Berta matrona obiit. & Hildegardis Re-
gina defuncta est prid. Kal. Maij.

DCCLXXXIV. Iterum domnus Rex Karolus venit in Saxoniam terram il-
lam vastantes, & destruentes omnia. Et eodem anno verni temporis obsedit
domnus Rex Karolus Herisburgo, & Franci sederunt in gyrum per borderes.

DCCLXXXV. Tunc domnus Rex Karolus commoto exercitu de ipsis tento-
riis, venitque Dersia, & igne combussit ea loca. venit vltra flumen Visera. & eo-
dem anno destruxit Saxonorum ratibus, siue eorum firmitatibus. & tunc adqui-
C siuit Saxones cum Dei auxilio.

DCCLXXXVI. Hic annus fuit sine hoste, nisi tantùm in vernis temporis per-
rexit domnus Rex Karolus in Italiam cum suo exercitu, & venit Romam. De-
inde adquisiuit terram Beneuentanam per Dei auxilium. & illo anno fuit missum
signum de cœlo à Deo in terra, terrórque magnus.

DCCLXXXVII. Isto anno domnus Rex Karolus venit cum suo exercitu Bau-
goarios, & accepit ibi obsides, victor remeauit in Franciam.

DCCLXXXVIII. Eodem quippe anno fuit placitum Angulisamo, & idem
anno pugnauit omnipotens Deus pro domno Rege Karolo, sicut fecit pro Moy-
se & filios Israël, quando demersus fuit rubro mari. sic Deus potens præliator si-
ne bello & absque vlla altercatione tradidit regnum Bauuarium* in manu Ka- * Baucoa-
roli magni Regis. & Taxilo* Dux tonsus est, retrusúsque Genutico Monasterio. riorum.

DCCLXXXIX. Eodem anno fuit domnus Rex Karolus in VVinnetes, per- * Thasilo.
uenitque in VVlcua*. & adquisiuit ibi Draoscionem Regem, & alios quamplu- * Viulcua.
rimos. & acceptis obsides plures, atque omni terra illa obsessa siue subiugata,
victor rediit in Franciam.

DCCXC. Hic annus absque hoste fuit, nisi tantùm ad VVangionem, quod di-
uiatum vocabulum dicitur VVrmacia. ibique habuit inclytus Rex Karolus ma-
gnum conuentum vel placitum Deo propitiante vnà cum Francis.

CAROLVS MAGNVS. DCCXCI. Hoc anno domnus Rex Karolus commoto magno exercitu perrexit in Hunia, ibique habuit conflictum magnum cum Hunis, & vastauit Hunia plaga magna vsque flumen Rasa, cum præda magna Deo protegente victor reuertit in Franciam. A

DCCXCII. Hoc anno Rex Karolus cum suis fidelibus resedit in Bauuarios, & habuit magnum placitum in Rainesburgo* ciuitate. Eodem anno Saxones mentiti sunt fidem quam polliciti fuerunt, iamdudum domno Regi Karolo errauerunt, deuiauerunt, adeptique sunt tenebris sicut scriptum est, *Zelus adprehendit populum erudstum.* Et eodem anno patefactum est consilium iniquum quam consiliauerunt cum Pipino filio Karoli iniqui consiliatores. vnde reprobi apparuerunt, & receperunt suorum meritum.

* Raggenisborgo.

DCCXCIII. Gloriosus Rex Karolus iterum resedit Bauuarios, missisque exercitibus suis, vastauitque Hunia*, victórque resedit Bauuarios.

* omnia.

DCCXCIV. Hoc anno domnus Rex Karolus commoto exercitu venit in Saxoniam, & Saxones polliciti sunt emendari, fœdúsque pepigerunt domno Regi Karolo vnà cum suis sodalibus. deinde domnus Rex Karolus cum suis optimatibus in Franciam.

DCCXCV. Eodem anno domnus Rex Karolus commoto magno exercitu iterum venit in Saxoniam. omnémque terram illam vastauit*, venitque in VVithmotingad*. deinde Bardinc pago. vastauitque & subiugauit has regiones, acceptis obsides sospes & alacer remeauit in Francia. Eodem anno interfectus fuit à Saxones VVitsidus Dux in VVinedis. B

* circuiuit. *VVigmotinga.

DCCXCVI. Iterum domnus Rex Karolus commoto exercitu suo venit in Saxoniam. Tunc cum magna prouidentia & decertatione vastauit Saxonia, & præda magna obsides acceptis in Thratia*. feceruntque Franci pontem super amne VVisera, in loco cuius vocabulum est Alisni. Exinde perrexit VVigmodinga*. Deinde vastauit regiones illas, cum suis hominibus, prosperis & incolumes reduxit* ad propria.

* Thracina *VVimgodinga.
* reuerut.

DCCXCVII. Domnus Rex Karolus moto exercitu iterum venit in Saxoniam vsque VVigmodinga secus mare. & sequenti tempore verni resedit Saxones, fecitque ædificia magna super fluuium VVisera, in loco qui vocatur Haristello*.

* Haristalio

DCCXCVIII. Sedenti domno Karolo in solio regni sui anno XXX. regni eius cum magno exercitu venit iterum in Saxoniam, vniuersa terra illa succendit & deuastauit, acceptis obsides multitudine victor iterum remeauit Franciam.

DCCXCIX. In hoc anno domnus Rex Karolus collecto exercitu venit in Saxoniam in loco qui dicitur Patresbrunnas. ibi castrametatus, inde etiam mittens Karolum filium suum trans fluuium VVisseram, vt quotquot hisdem partibus de infidelibus suis inuenissent suæ seruituti subiugaret. Quod & idem gloriosus subiugaris his omnibus cum triumpho rediens perpetrauit. Ibi etiam ad domnum Regem Papa Romanus Leo nomine venit ob inuidiam à sede Apostolatus pulsúsque, armipotens Karolus & ibi venerabiliter suscepit. Et cum summa gloria ad pristinam sedem suos ad concordiam reuocatos remisit. C

DCCC.

A

ANNALES FRANCORVM AVCTIORES.

Ab anno Christi DCCVIII. ad annum vsque DCCCVIII. quo Auctor se vixisse testatur.

Ex antiquo Codice MS. Ioannis Tilij.



NNO DCCVIII. Quando Drogo mortuus est.
DCCIX. PIPPINVS pugnauit in Suauis.
DCCX. Vndè suprà.
DCCXI. VValaricus duxit exercitum Francorum in Suauis.
DCCXII. Anepus duxit exercitum Francorum in Suauis contra VVillcharium.
B DCCXIII.
DCCXIV. Depositio Grimoldi, & depositio Pippini in medio Decembrio.
DCCXV. Saxones deuastauerunt terram Hatuariorum.
DCCXVI. Ratbodus venit ad Coloniam.
DCCXVII. Bellum fuit inter CAROLVM & Ragimfridum in mense Martio. CAROLVS MARTELLVS.
DCCXVIII. Karolus primùm pugnauit in Saxonia.
DCCXIX. Quando mortuus fuit Ratbodus.
DCCXX. Karolus bellum habuit contra Saxones.
DCCXXI.
DCCXXII.
DCCXXIII.
DCCXXIV.
DCCXXV. Karolus primùm pugnâuit in Baioaria.
DCCXXVI.
DCCXXVII.
DCCXXVIII. Karolus secunda vice pugnauit in Baioaria.
DCCXXIX. Voluit Karolus pergere in Saxonia.
DCCXXX. Karolus pugnauit contra Lantfridum.
DCCXXXI. Karolus pugnauit in Vasconia contra Eodonem.
DCCXXXII. Karolus habuit bellum contra Sarcenos.
C DCCXXXIII. Karolus cum exercitu venit in VVistragon.
DCCXXXIV. Karolus cum exercitu pugnauit in VVasconia.
DCCXXXV. Karolus dimicabat contra filios Eodonum.
DCCXXXVI. Karolus iterum bellum habuit contra Sarecinos.
DCCXXXVII.
DCCXXXVIII.
DCCXXXIX.
DCCXL.
DCCXLI. Karolus Maiordomus defunctus est.

DCCXLII. CARLOMANNVS & PIPPINVS Maiordomus duxerunt exercitum contra Hunoldum Ducem Aquitanorum. & ceperunt castrum quod vocatur Luccas. Et in ipso itinere diuiserunt Regnum Francorum inter se in loco qui dicitur Vetus-Pictauis. Eodémque anno Carlomannus Alamaniam vastauit. PIPINVS.

DCCXLIII. Tunc Carlomannus & Pippinus contra Idolonem Ducem Bajoarium inierunt pugnam, & Carlomannus per se in Saxoniam ambulauit in eodem anno, & cepit castrum quod dicitur Saochseburg per placitum, & Teodericum Saxonem placitando conquesiuit.

DCCXLIV. Iterum Carlomannus & Pippinus perrexerunt in Saxoniam, & captus est Teodericus Saxo alia vice.

PIPINVS REX. DCCXLV. Tunc Carlomannus confessus est Pippino germano suo, quòd A voluisset seculum relinquere. & eodem anno nullum fecerunt exercitum. sed apparauerunt se vterque, Carlomannus ad iter suum, & Pippinus quomodo germanum suum honorificè direxisset cum muneribus.

DCCXLVI. Tunc Carlomannus Romam perrexit, ibique se totondit, & in Sarepte monte Monasterium ædificauit in honore S. Siluestri. ibique aliquod tempus moram faciens, indè ad S. Benedictum peruenit, & ibi Monachus fuit.

DCCXLVII. Grifo fugit in Saxoniam, & Pippinus per Totingiam perrexit in Saxoniam.

DCCXLVIII. Pippinus perrexit in Baioariam, Grifonem & Lantfridum indè adduxit, & Tassiloni Ducatum dedit. & Grifo in VVasconia fugit ad VVaifetum.

DCCXLIX. Zacharias Papa per Fulradum mandauit, vt Pippinus ad Regem leuaretur.

DCCL. PIPPINVS secundùm morem Francorum electus ad Regem, & vnctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacij Episcopi, eleuatus à Francis in Regno Suessionis ciuitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Monasterium missus.

DCCLI.

DCCLII. B

DCCLIII. Pippinus Rex in Saxoniam iter fecit. & Hildegarius Episcopus occisus est. & tamen Pippinus Rex victor extitit, & peruenit ad locum qui dicitur Rimiæ. & dum reuersus est de ipso itinere, nunciatum est ei quòd Grifo, qui de VVasconiam fugiuit, germanus eius occisus fuisset. Eodem anno Stephanus Papa venit in Franciam, adiutorium & solatium quærendo pro iniustitiis S. Petri. Similiter Carlomannus Monachus per iussionem Abbatis sui Franciam venit, quasi ad conturbandum petitionem Apostolicam.

DCCLIV Supradictus Apostolicus Stephanus confirmauit Pippinum vnctione sancta in Regem. & cum eo vnxit duos filios eius, Carlum & Carlomannum in Regibus. & domnus Bonefacius Episcopus in Frisia nuncians verbum Domini Martyr Christi effectus est.

DCCLV. Pippinus Rex per Apostolicam inuitationem in Italia pergens, iustitiam S. Petri quærendo. Haistolfus Rex iustitiam vetando Clusis Langobardorum per ..., obuiam Pippinus & Francis venit, & inierunt bellum. Pippinus victor extitit. Eodem anno Stephanus Papa reductus est ad sedem suam. Incluso verò Haistulfo in Papia ciuitate, iustitiam S. Petri pollicitus est facere. Vnde Rex Pippinus obsides XL. receptos, & cum sacramenta firmata reuersus est in Franciam. Carlomannus autem obiit.

DCCLVI. Dum prospexisset Pippinus Rex ab Haistulfo ea non esse vera, quæ antea promiserat ~~de iustitia~~ S. Petri, iterum iter agens in Italiam Papiam obsedit. C Haistulfum inclusit magis, magisque de iustitiis S. Petri confirmauit. & insuper Rauennam ciuitatem cum Pentapoli conquisiuit, & S. Petro tradidit. Et dum reuersus est Pippinus ~~Rex, cupiebat~~ Haistulfus mentire quæ antea pollicitus fuerat, & sacramenta ~~irrumpere~~. Quodam die venationem faciens percussus est Dei iudicio, vitam finiuit. quomodo & qualiter missus est Desiderius Rex in Regno, postea dicamus.

DCCLVII. Misit Constantinus Imperator Regi Pippino cum aliis donis organum, qui in Francia vsque peruenit. & tenuit Rex placitum ad Compendium. Ibique Dasilo venit, in vassatico se commendans sacramenta multa iurauit, & fidelitatem promisit Pippino & filios eius super S. Germanum & S. Martinum.

DCCLVIII. Pippinus in Saxonia iuit, & cepit ciuitates eorum, & polliciti sunt ei dare equos CCC. per singulos annos.

DCCLIX. Natus est Pippino filius, cui imposuit nomen suum. vixit annos II. celebrauit Natale Domini in Longrare, & Pascha in Iopilo.

DCCLX. Tunc Rex pergit in Aquitaniam vsque ad locum qui dicitur Tedoad. cùm vidisset VVaiferus dedit obsides. celebrauit Natale Domini & Pascha in Carisiaco.

DCCLXI. Rex Synodum tenuit ad Duriam, & nunciatum est ei quòd VVaiferus in omnibus mentitus esset. Illuc pergens cum exercitu & filiis eius. Carolus

A Ius eum eo multa castella cepit pot pugna, quorum ista sunt nomina. Burbonnes, Cantela, & Clarmont. & peruenit vsque Lemouecas. Celebrauit Natale Domini & Pascha in Carisiaco. PIPPINVS REX.

DCCLXII. Tertia vice in Aquitaniam pergens cepit Bituricas & Toarchis. celebrauit Natale Domini & Pascham in Gentiliaco.

DCCLXIII. Tunc Rex habuit placitum suum in Niuernis. & quartum iter faciens in Aquitaniam. ibique Dasilo sacramenta postposuit, & omnia mentitus est. Baioariam petiit, & nusquam faciem Regis videre voluit. Rex vsque ad Cadurciam venit, Aquitaniam vastando. per Lomouecas in Franciam reuersus est. & fortè hiems valida erat. Celebrauit Natale Domini & Pascha in Longlar.

DCCLXIV. Tunc Pippinus habuit placitum suum ad VVrmaciam, & nullum iter faciens celebrauit Natale Domini & Pascha in Carisiaco.

DCCLXV. Tunc Pippinus Rex habuit placitum ad Latteniacum, & nullum iter faciens celebrauit Natale Domini & Pascha ad Aquis.

DCCLXVI. Rex iterum iter faciens in Aquitaniam habuit placitum ad Aurelianis ciuitatem, & restaurauit Argentomo, ibique Francos dereliquit. Similiter & in Bituricas fecit. Celebrauit Natale Domini in Salmonceco, & Pascha in Gentiliaco.

DCCLXVII. Tunc habuit Rex in supradicta villa Synodum magnum inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate, & de Sanctorum imaginibus, & iter faciens partibus Aquitaniæ per Narbonam Tolosam cepit, & sanus reuersus est in patriam. & celebrauit Pascha in ciuitate Vienna. Et in eodem anno in mense Augusto iterum perrexit partibus Aquitaniæ. Bituricas vsque venit. ibi Synodum fecit in campo, & vsque Garonam peruenit. multas roccas & speluncas conquisiuit, & reuersus est Bituricas. ibique nunciatum est ei de obitu Pauli Papæ. Celebrauit ibi Natale Domini.

DCCLXVIII. Domnus Rex iter faciens in Aquitania Remstagnum cepit. Ad Sanctones ciuitatem vsque venit, & ibi captam matrem VVaiferi, & sororem, & neptes eius vsque Garonam perrexit in loco qui dicitur Montis. & sanus reuersus est. Celebrauit Pascha in castro qui dicitur Sels. Iterum adsumens cum domna Bertane Regina ad Sanctones peruenit. ibique eam dimisit, & filiam suam. & partibus Petrocorico perrexit. & interempto VVaifario ad Sanctones reuersus est, ibique ægrotare cœpit. Ad S. Dionysium venit, ibique diem obiens finiuit. Domnus Karolus & Carlomannus eleuati sunt in regnum. Domnus Karolus in Nouiomo ciuitate VII. Idus Octobris, & celebrauit Natale Domini ad Aquis, & Pascha in Rodomo ciuitate.

HIC INCIPIT GESTA KAROLI IMPERATORIS.

C DCCLXIX. Domnus itaque Rex KAROLVS iter agens partibus Aquitaniæ, eo quòd Hunoldus voluit rebellare totam VVasconiam & Aquitaniam cum paucis Francis. auxiliante Domino dissipata iniqua consilia supradicti Hunoldi. in ipso itinere iungens se supradictus Rex eum germano suo Carlomanno in loco qui dicitur Duasdiues. Inde Carlomannus se reuertendo Franciam iter arripiens, Karolus Rex iuit ad Ecolasiam ciuitatem. & inde sumpsit plures Francos cum omni vtensilia, & præparamenta eorum. & iuit super flumen Dordoniã, & ædificauit ibi castrum qui dicitur Fronciacus. Inde Missos suos mittens post Hunoldum & vxorem suam ad Lupenem VVasconem. Et dum ibi moram fecisset vna cum Francis, adductus est Hunoldus & vxor sua, & castro præparato, & Hunoldo recepto reuersus est in Francia. & celebrauit Natale Domini ad Duriam, & Pascha in Leodia. CAROLVS MAGNVS.

DCCLXX. Tunc domnus Rex habuit Synodum ad VVrmaciam. & Karlomannus & Berta Regina iungentes se ad Salossa. & in eodem anno perrexit domna Berta Regina per Baioariam partibus Italiæ. & domnus Karolus Rex celebrauit Natale Domini ad Mogontiam, & Pascha in Aristalio.

DCCLXXI. Domnus Rex Synodum habuit ad Valentianas. & in eodem anno Carlomannus Rex defunctus est in Salmonciaco, prid. Non. Decembr. Karolus venit ad Corbonacum. ibique veniens VVilharius Archiepiscopus, & Fol-

CAROLVS MAGNVS. radus Capellanus, VVarinus & Adhalardus Comites cum aliis Primatibus, qui fuerunt Carlomanni. vxor verò Carlomanni perrexit partibus Italiæ. domnus Rex celebrauit Natale Domini ad Attiniacum, & Pascha in Aristalio. A

DCCLXXII. Domnus Rex Synodum habuit ad VVrmatiam, & inde perrexit partibus Saxoniæ prima vice. Hadrianus Pontificatum suscepit. Presburg castrum Rex suscepit, & Ermensul vsque peruenit, & ipsum fanum destruxit. & fuit ibi magna siccitas, ita vt aquæ deficerent in supradicto loco. Largiente itaque Domino medio die cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aquæ largissimæ effusæ sunt. Rex reuersus est in Franciam, & celebrauit Natale Domini & Pascha in Haristalio.

DCCLXXIII. Tunc domnus Rex perrexit ad hiemandum ad Theodonuilla. ibique veniens Missus Hadriani Apostolici nomen Petrus per mare vsque Massilia, & inde terreno ad domnum Regem inuiando pro Iustitia S. Petri super Desiderium Regem. Et ideò maritimè venit, quia viæ clausæ fuerunt. Tunc domnus Rex sumpto consilio, vt sicut Missus domno Hadriano postulauerat, ita fieret. Rex autem Synodum tenuit ad Genua. ibique exercitum diuidens, perrexit per Montem Cinisum, & misit Bernehardum per Montem Iouem, & conuenientes ad Clusas, Desiderius verò obuiam venit. Tunc Rex castrametatus est ad eiusdem Clusas. & mittens scaram per montanis. hoc sentiens Desiderius sclusas reliquit. Rex verò sine læsione sclusas apertas Italiam introiit, & Papiam vsque peruenit. ibique Natale Domini celebrauit, & Pascha in Roma. B

DCCLXXIV. Reuertente eo eodem anno dimissa Marca contra Saxones, ipsi Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum vsque Buriaburg. ipsi confiniales castello sunt ingressi, & ipsi Saxones venerunt ad quandam Basilicam, qui dicitur Fridislar, quam S. Bonefacius consecrauit, atque per spiritum prophetiæ prædixit quòd numquam incendio cremaretur. Cœperunt autem ipsi Saxones cum nimia intentione aduersus ipsam Basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium cremare potuissent. Et dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis, qui in ipso loco aderant, duo iuuenes in albis vestibus, qui ipsam Basilicam protegerunt, & non fuit concremata. sed nutu Domini in fugam versi sunt nemine persequente.

DCCLXXV. Domnus Rex ad Papiam venit, & ipsam cepit, & Desiderium Regem, & vxorem, & filiam suam. Adalghisus filius Desiderij Regis fugâ elapsus mare introiit, & Constantinopolim perrexit. Tunc Rex Italiâ subiugatâ custodes Francorum in Papia dimisit. Franciam reuersus peruenit ad Ingelingam, mittens quatuor scaras in Saxoniam. Tres pugnam habuerunt, & victores extiterunt. Quarta verò non habuit pugnam, sed cum præda multa rerum reuersi sunt ad propria. Celebrauit Natale Domini & Pascha ad Carisiaco.

DCCLXXVI. Tunc Rex habuit Synodum ad Duriam, & inde pergens in Saxoniam, Sigeburgum cepit, & Eresburgum reædificare super fluuium VVisetam. Venit in loco qui dicitur Brunisberg, & Saxones volentes ripam fluminis defendere Franci ambas ripas obtinuerunt, & victores extiterunt, & Rex reuersus est in patriam. Tunc audiens quòd Rotgaudus Langobardus fidem suam fraudauit, & omnia sacramenta rumpens; domnus Rex illis partibus pergens, celebrauit Natale Domini in villa Sceladistat. C

DCCLXXVII. Tunc domnus Rex Italiam ingressus partibus Foreiuliensium, Hrotgaudus occisus, & domnus Rex in Tarvvisium Pascha celebrauit, & Francos ibidem dimissos reuersus est. Venit nuncius nuncians Saxones rebelles esse, & destruxerunt Eresburg. Similiter Segeburg voluerunt facere, sed non potuerunt. Auxiliante Domino Francis repugnantibus, Saxones fugam arripientes vsque ad Lippiam cum victoria reuersi sunt in Franciam. & peruenit domnus Rex ad VVrmatiam. & hæc audiens coniunxit Synodum ad eandem ciuitatem, & ibi placitum tenuit. Et consilio facto in Saxoniam ingressus vsque ad Lippiam. Saxones reddiderunt per vuadium, & spoponderunt se esse Christianos, & reædificauit Eresburg, & aliud castrum. Ibique venientes Saxones cum vxoribus baptizati sunt, & obsides dederunt. & Rex reuersus est in patriam suam. Celebrauit Natale Domini in Haristalio, & Pascha in Niomaga.

A DCCLXXVIII. Tunc domnus Rex habuit placitum ad Patresbrunna prima vice. Ibique venientes Franci & Saxones, excepto VVitigingo, qui partibus Normaniæ confugit. Ad eundem placitum venientes Saraceni de partibus Spaniæ. Hi sunt Ibinalarabi & filius Deuizefi, qui & Latinè Ioseph nominatur. Multitudo Saxonorum baptizati sunt. Celebrauit Natale Domini in Dociacum, & Pascha in Aquitania in villa Casinogilo.

DCCLXXIX. Tunc domnus Imperator agens partibus Hispaniæ per duas vias, vna per Pampaloniam, per quam ipse perrexit vsque Cæsar-Augustam. ibi obsides receptos de Ibinalarabi & de Abutauro, Pampalonia destructa, Hispanos VVascones subiugatos reuersus est in Franciam. Cùm vidissent Saxones quòd Rex & Franci tam longè fuissent, persuasione VVitigingi iterum rebellauerunt. Nunciatum est Regi ad Autisiodorum ciuitatem, & mittens scaram ad resistendos Saxones. Sed illi, rebelles ad Renum vsque Duitiam peruenerunt. Tunc præcedentes secus Renum, & multa mala facientes, reuersi sunt per Longeuchi partibus Saxoniæ. & Franci consecuti sunt eos super fluuio Adarna in loco qui dicitur Lihesi, & pugnâ factâ, Franci victores extiterunt. Celebrauit Natale Domini & Pascha in Haristalio.

DCCLXXX. Domnus Rex veniens Compendio, reuertendo partibus Austrasiæ, obtulit se Hildebrandus Spolitanus cum multa munera in præsentia Regis ad Virciniacum. & fuit Synodus ad Duriam. & inde per actus partibus Saxoniæ ad Lippeham. & Saxones voluerunt resistere in loco quæ dicitur Bothflotz, & non potuerunt. sed fugientes reliquerunt omnes ciuitates eorum. &
B Franci apertâ viâ introeuntes in VVestfaelos, conquisierunt omnes. Et venit Rex ad locum qui dicitur Mediofulli, ibi dederunt obsides. Celebrauit Natale Domini & Pascha ad VVrmatiam.

DCCLXXXI. Tunc domnus Rex ad Heresburg veniens, & indè vbi Lippiâ consurgit, ibi Synodum tenuit. Inde iter agens partibus Albiæ, in ipso itinere omnes Bargengauenses, & multi de Nortlendi baptizati sunt, & reuersus est in Francia. Tunc sumpto consilio vt iter faceret partibus Romæ cum Hildegarde, celebrauit Natale Domini in Papiam.

DCCLXXXII. Et supradictum iter peragens celebrauit Pascha in Roma, & ibi baptizatus est filius eius PIPPINVS ab Hadriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. & duo filij Regis vncti sunt in Reges à supradicto Pontifice, Pippinus & Hludouicus. PIPPINVS in Italiam. HLVDOVICVS in Aquitaniam. Et inde reuersus est, Mediolanij ciuitate peruenit. & ibi baptizata est filia eius GHISLA ab Archiepiscopo nomine Thoma; qui & ipse eam de sacro fonte suscepit. Et inde reuersus in Franciam. Tunc missi sunt duo Missi Apostolici vnà cum Missis domni Regis ad commonendum Dasilonem, vt reminisceret sacramenta. & consensit Dasilo, & sumptos obsides venit ad eum ad VVrma-
C ciam, & renouauit sacramenta, & XII. obsides dedit. Celebrauit Natale Domini & Pascha ad Carisiaco.

DCCLXXXIII. Tunc Rex iter in Saxoniam peragens; & Renum transiens ad Coloniam, Synodum tenuit vbi Lippia consurgit. Ibi Saxones conuenientes, excepto VVitikingo, & illuc conuenerunt Nortmanni, etiam & missi Cagano & Vigurro. & reuersus est in Franciam. Et iterum Saxones rebellantes. Hoc audiens Rex misit Missos suos Adalghisum cum reliquis, vt pergerent contra Sclauos. At illi audientes in via quòd Saxones rebelles fuissent; irruentes super Saxones sine iussione Regis multos ex eis occiderunt, & victores extiterunt. Hoc audiens Rex sub omni celeritate peruenit illuc; & cum victoria facta reuersus est in Francia. Celebrauit Natale Domini & Pascha ad Teodonuilla.

DCCLXXXIV. Tunc obiit HELDEGARDIS prid. Kal. Mai. & Rex iter agens partibus Saxoniæ peruenit ad Teotmala, & inde ad Patrisbrunne. Et Saxones congregantes se ad Hasam. ibi iterum pugna inita. Auxiliante Domino victor extitit, & transiit VVisieram fluuium, ad Albiam peruenit. Et in eodem anno mortua est BERTA, cùm ad VVrmaciam vsque peruenit. Sociauit ibi FASTRADANE Regina. & celebrauit Natale Domini & Pascha in Aristalio.

CAROLVS MAGNVS. DCCLXXXV. Tunc rebellati ſunt Saxones, & pars aliqua Frixionum. & domnus Rex tranſiit ad Lippiaham, & ingreſſus eſt Saxoniam. & miſit filium ſuum contra VVeſtfalos. VVeſtfali verò voluerunt ſe congregare ad Lippiam. Hoc audiens Karolus puer, bellum iniit contra eos, & victor extitit, & remeauit ad genitorem ſuum ad VVrmatiam ciuitatem. Ibique inito conſilio, vt iterum in Saxoniam perrexiſſet. quod & factum eſt. Celebrauit Natale Domini iuxta Scidinburg in pago VVizgaugi. A

DCCLXXXVI. Tunc domnus Rex ſupradictum iter peragens venit ad VViſeta, & propter nimiam aquarum magnitudinem reuerſus Hereſburg, vxorem ſuam cum filiabus ſuis ad ſe venire præcepit. Ibi tota hieme reſedit. Paſcha ibi celebrauit, & Synodum tenuit ad Patriſbrunnæ. & vias apertas per totam Saxoniam, venit ad Bardingaugi, & VVidogingus ibi ad eum venit. & reuerſus in Franciam venit ad Atiniacum. Ibi VVitikingus baptizatus eſt. Celebrauit ibi Natale Domini & Paſcha.

DCCLXXXVII. Miſit exercitum ſuum Rex partibus Britanniæ, vnà cum Miſſo ſuo Audulfo Siniſcallo. & ibi multos Brittones conquiſierunt vnà cum multis caſtellis, & firmitates eorum in locis paluſtribus. Et præualuerunt Franci, & cum victoria reuerſi ſunt, & Capitaneos eorum ad Synodum præſentauerunt domno Regi ad VVrmatiam. Tunc domnus Rex perſpiciens ſe ex omni parte Deo largiente pacem habere, ſumpſit conſilium orationis cauſa ad limina beatorum Apoſtolorum iter peragendi, & cauſas Italicas diſponendi, & cum Miſſis Imperatoris placitum habendi de conuenentiis eorum. Quod ita factum eſt. Tunc ſupradictus Rex Natale Domini celebrauit in Florentia ciuitate. B

DCCLXXXVIII. Tunc glorioſus Rex Romam vſque peruenit, & ab Hadriano Apoſtolico receptus eſt. Et Arigis Dux Beneuentanus miſit filium ſuum Romaldum cum muneribus, poſtulans vt ipſe Rex Beneuentano non introiſſet, & omnes voluntates Regis facere voluiſſet. Ille autem hoc non credens, partibus Beneuenti perrexit. Et dum Capuam veniſſet, Arigis Dux reliquit Beneuenti, & in Salernam ſe recluſit. Et timore perterritus mittens Miſſos ſuos cum alio filio ſuo nominē Grimoldo, offerens munera multa & obſides. Tunc Rex conſiderans vt terra illa non deleretur, elegit XII. obſides & Grimoldum, & reuerſus Romam celebrauit ibi Paſcha. Ibique Miſſi Daſilioni petierunt pacem. Quod Rex Apoſtolico poſtulante facere non denegauit. Sed ipſi Miſſi non fuerunt auſi vllam firmitatem ex parte Daſilone facere. Apoſtolicus hoc audiens anathema poſuit ſuper eum, ſi ipſa ſacramenta non adimpleſſet. Et Rex reuerſus eſt ad VVrmatiam, & ibi Synodum congregauit, & miſit nuncios ad Daſilonem, qui venire contempſit. Tunc Rex cœpit pergere partibus Baioatiæ, & cum exercitu venit ad Lecflee, & circumdedit Daſilonem ex omni parte. At ille videns ſe vndique conſtrictum, venit per ſemetipſum tradens ſe manibus Regis in vaſatico, renouans ſacramenta: & dedit obſides XII. & filium ſuum Teodonem. Rex reuerſus eſt in Franciam. Celebrauit Natale Domini & Paſcha in Ingelinhaim. C

DCCLXXXIX. Tunc Rex congregans Synodum ad ſupradictam villam. ibique veniens Daſilo ſicut ceteri fideles eius, & Baioarij cœperunt dicere quòd Daſilo non haberet fidem ſuam ſaluam, ſuadente vxore ſua Leutbergane. & ipſa Synodus iuxta linguam ſuam Hatiſliz iudicauerunt eum ad mortem. Sed piiſſimus Rex motus miſericordiâ interrogauit ipſum Daſilonem, quid agere voluiſſet. & ille reſpondit, quòd ſe tonſurare voluiſſet. quod & factum eſt. Eodem anno commiſſum eſt bellum inter Græcos & Longobardorum Duce Spoletano nomen Hildebrando, ſeu Duce Grimoldo, quem domnus Rex poſuit Ducem ſuper Beneuentanos. Et fuit miſſus VVinilghis cum paucis Francis omnia prouidere. auxiliante Domino victoria facta eſt cum Francis. Alia pugna facta eſt inter Auaros & Francos, qui in Italia commanere videbantur, auxiliante Domino Franci victores extiterunt. Quarta pugna fuit commiſſa ab Auaris, qui voluerunt vindictam exercere contra Baioarios. & ibidem fuerunt Miſſi Regis, & victores extiterunt. Et Rex reuerſus eſt ad Ragniſburg, inde ad Aquis. & celebrauit Natale Domini & Paſcha.

A DCCXC. Inde permotus partibus Sclauiniæ, quorum vocabulum est VVilze, Domino adiuuante vsque ad Albiam peruenit, ibique duos pontes construxit. Et inde inantea permotus ipsos Sclauos sub suo dominio conlocauit, & obsides accepit. Inde reuersus celebrauit Natale Domini & Pascha ad VVrmatiam.

CAROLVS MAGNVS.

DCCXCI. In sequenti verò anno nullum iter faciens, sed ibi dicta ciuitate iterum Natale Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCII. Inde autem itinere permoto partibus Baioariæ, peruenit ad Ragnisburg. & indè promouens venit ad Anisam. inde ad Comisberg. Auari enim cùm vidissent timore perterriti loca munita dereliquerunt, in fugam lapsi. Rex cum exercitu ipsos fines ingressus, vsque ad fluuium Raba peruenit. Inde reuersus ad Ragnisburg celebrauit Natale Domini & Pascha.

DCCXCIII. Natale Domini & Pascha ibidem celebrata, hæresis Feliciana ibi condemnata est. Eodem anno nullum iter agens. pons super nauigium fluuium factus est. & ibi Natale Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCIV. Autumni tempore de Ragnisburg iter nauigio faciens vsque ad magnum fossatum inter Alemana & Radentia peruenit. Ibi Missi Apostolici cum magnis muneribus præsentati sunt. Et Missi venientes nunciauerunt Saxones iterum esse mentiros. Inde reuersus celebrauit Natale Domini ad S. Cilianum.

DCCXCV. Pascha celebratum est in Franconiforr. Ibi congregata est Sy-
B nodus magna Episcoporum ante Missos domni Apostolici Hadriani Theofilac & Stephanum. Ibi tertiò condemnata est hæresis Feliciana. Ibi obiit Fastrada. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant, pro adorandis imaginibus fecerant, reiecta est à Pontificibus. Inde motus est exercitus magnus per duas turmas. In vna fuit domnus Rex, in alia misit filium suum per Coloniam. Saxones congregantes se in campo qui dicitur *Sinisfelt*, præparantes se quasi pugnam. Cùm verò audissent se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipauit Deus consilia eorum, quamuis fraudolenter & Christianos se & fideles domno Regi promiserunt fore. Rex ad Palatium Aquis rediit, ibique Natale Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVI. Venit Rex ad locum qui dicitur Cuffstagnum, & tenuit ibi placitum suum. Audiens quòd Saxones more solito mentiri fuissent, Saxoniam ingressus est, & vsque ad fluuium Albiam peruenit, ad locum qui dicitur Hluini. Ibi etiam venerunt Missi Thudun, qui in gente & regno Auarorum magnam potestatem habebat. Qui dixerunt, quòd ibi Thudun cum terra & populo suo se Regi tradere vellet, & Christianam fidem suscipere. Rex verò afflictis Saxonibus, acceptisque obsidibus ad Aquis rediit, ibique Natale Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVII. Hadrianus Papa obiit, & Leo in loco eius successit. Misit Lega-
C tos cum muneribus ad Regem. Claues etiam confessionis S. Petri, & vexillum Romanæ vrbis eidem direxit. Sed & Ericus Dux Foroiuliensis missis hominibus suis cum VVonomiro Sclauo in Pannonias, Hringum gentis Auarorum longis retrò temporibus quietum ciuile bellum spoliauit. Chagan siue Vigurro intestina clade addictis, & à suis occisis, thesaurum priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum domno Regi ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, domnus Rex magnam partem ad limina Apostolorum misit. reliquam partem Optimatibus suis tradidit. In eodem anno Thudun secundùm pollicitationem suam cum magna parte Auarorum ad Regem venit, se cum populo suo & patria tradidit. Ipse priùs baptizatus est, & honorificè muneribus donati redierunt. Rex collectis exercitibus Saxoniam ingressus est. Filium suum PIPPINVM Regem Italiæ in Pannonias cum exercitu misso. cuius legationes ad eum in Saxonia venerunt. Vna quæ dixit occurrisse Chagan cum ceteris Optimatibus, quem sibi Auares post interfectionem priorem constituerunt. Altera quæ dixit Pippinum cum exercitu suo in Hringo sedisse. Et domnus Rex peragrata Saxonia cum integro exercitu in Gallias se recepit, & in Aquis Palatio filium suum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri quæ remansit adducentem, lætus adspexit. atque ibidem Natale Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVIII. Barcilona ciuitas Hispaniæ, quæ iampridem à nobis desciverat,

CAROLVS MAGNVS. per Zatum Præfectum ipsius nobis est reddita. Nam ipse ad Palatium veniens domno Regi semetipsum cum ciuitate commendauit. Expeditio facta in Saxoniam, & vsque ad Oceanum. trans omnes paludes & inuia loca transitum est. & Rex de Hadulla regressus (hoc enim loco nomen vbi Oceanus Saxoniam alluit,) tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta. Trans Rhenum in Gallias reuersus est, & in Aquis Palatio Adabdellam Saracenum filium Ibinmauge Regis, qui à fratre regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante suscepit. Illuc & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomẽ Theoctistus, venit, Imperatoris epistolam portans. quem magnificè suscipiens absoluit. & Nouembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intrauit. positisque castris ad VVisetam fluuium, locum castrorum Heristelli vocari iussit. Illuc Legati gentis Auarum cum muneribus magnis venerunt. Inde Adabdellam Saracenum cum filio suo HLVDVICO in Hispania reuerti fecit, & filium suum Pippinum ad Italiam misit. Ipse ad disponendum Saxoniam totum hiemis tempus impendens, ibique Natale Domini & Pascha celebrauit. A

DCCXCIX. Venit etiam & Legatus Hadefonsi Regis Gallæciæ & Asturiæ nomen Frola, papilionem miræ pulchritudinis præsentans. Sed in ipso Paschæ tempore Nordludi trans Albim sedentes seditione commota Legatos regios, qui tunc ad iustitias faciendas apud eos conuersabantur, comprehendunt. quosdam ex eis statim trucidantes, ceteros ad redimendum reseruant. Ex quibus aliqui effugerunt, ceteri redempti sunt. Rex collecto exercitu de Heristelli ad locum qui Minda dicitur pertexit, & inito consilio indè in desertores arma corripuit, & totam inter Albim & VVisetam Saxoniam populando peragrauit. Nortliudi contra Suchonem Ducem Abodritorum, & Eburisum Legatum nostrum, commisso prælio acie victi sunt. Cæsa sunt ex eis in loco prælij IV. milia, & Rex acceptis obsidibus in Franciam reuersus est. & Aquisgrani Palatij pergens, legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michaël Patricius & Theophilus Presbyter, epistolam Irenæ Imperatricis ferentes. Nam filius eius Constantinus Imperator anno superiore à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc legatio de pace fuit. Quos cùm absoluisset Rex, absoluit etiam & cum eis Sisinnum fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi iamdudum in Italia captum. Hoc anno sidus qui dicitur Martis à superioris anni Iulio vsque ad huius anni Iulium nusquam in toto cœlo videri potuit. Hadefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ prædata Olisipona vltima Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ loricas, mulos, captiuósque Mauros domno Regi per Legatos suos hyemis tempore misit. sicque in hoc Palatio Natale Domini & Pascha celebrauit. B

DCCC. Romani Leonem Papam Letania maiore captum excæcauerunt, ac linguâ detruncauerunt. Qui in custodia missus noctu per murum euasit, & apud Legatos domni Imperatoris Spoletum est deductus. Domnus Rex in Saxonia profectus ad Patrisbrunnam consider. & inde diuiso exercitu Karolum filium suum cum medietate ad conloquium Sclauorum, & ad recipiendos qui de Nortliudis venerant, Saxones in Bardingaudi direxit. ipsa altera medietate secum retenta. In eodem loco Leonem Pontificem cum honore suscepit. ibique reditum filij sui expectans Leonem Pontificem dimisit, & Aquis Palatij reuersus. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat defecit. & Ericus Dux ab insidiis oppressus est, & Gaeroldus Comes occisus est. Eodem anno Monachus quidam de Hierusalem veniens, benedictionem & reliquias de Sepulcro Domini detulit. Azam Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca claues ciuitatis cum muneribus transmisit. Celebrauit Natale Domini in eodem Palatio. C

DCCCI. Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum misit Zachariam Presbyterum cum eo. Ipse verò Aquis Palatij degrediens littus Oceani perlustrauit. Pascha in Centulo apud S. Richarium celebrauit. Inde ad Turonis orationis causâ venit. Ibi LIVDGARDIS defuncta est. & pridie Non. Iul. aspera pruina insolito more erat, & IV. Idus Iulij similiter. quæ tamen nihil incommoditatis fructibus adtulit. Inde Aquis reuersus. & mense Augusto inchoante iter in Italiam condixit. Atque indè profectus cum exercitu Rauennam venit, & exercitum cum Pippino filio suo in Beneuentanorum terram prædatum ire iussit. Romam verò cùm venisset, occurrit ei Leo Papa ad Nomentum. prandénsque cum

A illo in illo loco, statim eum ad vrbem præcessit. Post septem dies Rex concione vocata indicauit cur Romam venisset, inchoans de discutiendis quæ Pontifici obiecta sunt criminibus. qui tamen postquàm nullus probator criminum voluisse*, ipse Pontifex coram omni populo in B. Petri Basilica Euangeliũ portans ambonem conscendit. Inuocatóque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis se criminibus purgauit. Eadem die Zacharias cum duobus Monachis de Oriente Romam venit. claues Sepulcri Domini, claues etiam ciuitatis & montis cum vexillo detulerunt. Celebrauit Natale Domini in Roma. CAROLVS MAGNVS.

DCCCII. Ipsa die sacratissimi Natalis Domini, cùm Rex ad Missam ante confessionem B. Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo adclamatum est, KAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Et post laudes ab Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricij nomine Imperator & Augustus est appellatus. Post paucos autem dies iussit eos, qui Pontificem anno superiore deposuerant, exhiberi. & habita de eis quæstione secundùm legem Romanam, vt maiestatis rei capitis damnati sunt. pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membra integritas eis concessa est. Ceterùm pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Missáque

B iterum in Beneuento expeditione cum filio suo Pippino, ipse post Pascha VII. Kal. Maij Romà profectus Spoletum venit. Ibi dum esset hora noctis secunda, terræmotus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa. quo motu tectum Basilicæ B. Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit. & in quibusdam locis vrbes, & montes ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluuium & in Gallia & in Germania tremuerunt. Imperator de Spoleto Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus Papiam pertexit. Ibi nunciatum ei Legatos Aaron Amiralmummin in Regis Persarum portũ Pisas intrasse. Quibus obuiam mittens, inter Vercellis & Eporegiam sibi fecit præsentari. Vnus erat de Persa Legatus Regis Persarum, alter de Africa Saracenus. Tunc ille misit Etchembaldum ad classem parandam, qua elifans & ea quæ deferebantur subueherentur. Ipse Rex celebrauit diem S. Iohannis Baptistæ, reuersus est in Galliam. Ipsa ciuitate capta est Barcinona in Hispania biennio obsessa. Zatun Præfectus eius & alij plures Saraceni comprehensi, & in Italia Teata ciuitas similiter capta incensa est. Zatun & Roselmus vna die ad præsentiam Imperatoris deducti exilio damnati sunt. Celebrauit Natale Domini ad Aquis.

DCCCIII. Herena Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum Leonem nomine Spatarium de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & Imperator vicissim propter ipsum absoluto illo, misit Iesse Episcopum & Helingaudum Comitem, vt pacem cum ea statuerent. Celebrauit Pascha ad Aquis. Ipsius anni

C mense Iulio venit Isaac cum elifanto, & nomen elifanti est Abulabaz. Ipso anno Grimoldus VVinighisum accepit, captúmque honorificè habuit. Imperator Aquisgrani Natale Domini celebrauit.

DCCCIV. Eodem anno VVinighisus redditus est ad Grimaldo, & missi ad domnum Imperatorem de Constantinopoli, & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat. Nam Herenam post aduentum legationis Franciæ deposuerunt quorum hæc sunt nomina. Michael Episcopus, Petrus Abba, & Calestus Candidatus. qui venerunt ad Imperatorem in Germania super Sala, in loco qui dicitur Salz. & pactum faciendo pacis in scripto susceperunt. & inde missi cum epistola Imperatore, Romam regressi Constantinopolim reuersi sunt. Imperator autem in Bauariam profectus, dispositis Pannoniarum causis Aquisgrani reuersus, celebrauit ibi Natale Domini.

DCCCV. Imperator Aquis hiemauit. æstate autem in Saxoniam deducto exercitu, omnes qui trans Albiam & VVicmodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam. Eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe sua, necnon & omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Sliesthorp in confinio regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se colloquium habere cum Imperatore. sed consilio suorum territus propiùs non accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam

CAROLVS MAGNVS. fluuium sedebat, & missa ad Godefridum legatione pro perfugis reddendis, medio Sept. Coloniam venit. inde Aquis. deinde medio Nouembrio allatum est ei Leonem Papam Natale Domini cum eo celebrare velle vbicunque hoc contingere potuisset. Quem statim misso ad S. Mauricium Karolo filio suo honorificè suscipere eum iussit. Ipse obuiam illi Remorum ciuitate profectus est. Ibique susceptum primò Carisiaco villam, vbi Natale Domini celebrauit; deinde Aquis perduxit. & donatum magnis muneribus per Bauariam ire volentem deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum est ad Imperatorem inquireret, quia accepta occasione exeundi primitus in Langobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. Indéque arrepto itinere subitò ad Imperatorem vsque peruenit; mansitque apud illum dies octo, & sicut dictum est Romam repedauit. A

DCCCVI. Non multum post Caganus Princeps Hunorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnontum. qui propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit. Erat enim Caganus Christianus, nomen Theodorus. & precibus eius annuens, muneribus donatum ire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Et misit Caganus vnum de Optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum, quem Caganus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator adsensum præbuit, & summa totius regni iuxta priscum eorum ritum Caganum habere præcepit. B Eodem anno misit exercitũ suum cum filio suo Karolo in terrã Sclauorum, qui vocabantur Cinu. Qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem illorum nomine Lechonem occidit, & inde reuersus in VVosega silua ad Imperatorem venit in loco qui dicitur *Camp*. Nam Imperator Iulio mense de Aquis profectus Theodonis, atque per Mettis transiens, VVosegam petiit. Ibique venationi operam dans, post reuersionem exercitus ad Rumerici castellum profectus. Ibique aliquantum temporis moratus ad hiemandum ad Teodonuillam Palatio suo consedit. Celebrauit Natale Domini.

DCCCVII. Statim post Natale Domini venerũt VVileri & Beatus Duces Venetiæ, necnon & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatiæ, ad præsentiã Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ. Illisque absolutis conuentum habuit Imperator cum primotibus & Optimatibus Francorum de pace custodienda & conseruanda inter filios suos, & diuisione regni facienda in tres partes: vt sciret vnusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eueniret. De hac partitione & testamentum factum, & iureiurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ. Atque hæc omnia litteris mandata sunt, & Leoni Papæ vt his sua manu subscriberet per Eiatdum *. Quibus Pontifex lectis & adsensum præbuit, & propria manu subscripsit. C

* desse vid. transmissa, vel quid simile.

Imperator dimisso vtroque filio regno sibi deputato, Pippino scilicet & Hludoico, de villæ Teodonis Palatio per Mosellam Nouiomagum nauigauit. ibique sanctum Quadragesimale ieiunium & sacratissimam Paschæ festiuitatem celebrauit. Et inde post non multos dies Aquisgrani veniens, Karolum filium suum in terram Sclauorum qui dicitur Sorabi, qui sedent super Albin fluuium, cum exercitu misit. In qua expeditione Ludoch Dux interfectus est, duóque castella ab exercitu ædificata: vnum super ripam fluminis Sale, alterum iuxta fluuium Albin. Sclauísque pacatis, Karolus cum exercitu regressus in loco qui dicitur Silu super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria & Alamania atque Burgundia sicut anno superiore in terram Behem. Vastatáque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam Insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est. Cuius aduentum Mauri non expectantes abcesserunt. vnus tamen nostrorum Hadumarus Comes ciuitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Nauari & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Niciforo Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. & Legati, qui

A dudum ante quatuor ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Taruisiani portus receptaculum nullo aduersariorum sentiente regressi sunt. Celebrauit Natale Domini ad Aquis. CAROLVS MAGNVS.

DCCCVIII. Anno superiore IV. Non. Sept. fuit eclypsis Lunæ. Tunc stabat Sol in XVI. parte Virginis, Luna autem stetit in VI. Piscium. Hoc autem anno prid. Kal. Febr. fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. & III. Idus Februarij fuit eclypsis Solis media die, stante vtroque sydere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Kal. Martij fuit eclypsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in XI. parte Piscium, & Luna in XI. parte Virginis. Nam & stella Mercurij XVI. Kal. Aprilis visa est in Sole quasi parua macula nigra. Tamen paulò superius medio centro eiusdem syderis, quæ à nobis octo dies conspicitur. Sed quando primùm intrauit vel exiit, nubibus impedientibus minimè adnotare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kal. Septemb. eclypsis Lunæ facta hora noctis tertia, Sole posito in VI. parte Virginis, & Luna in IV. Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio vsque ad anni præsentis Septembrium, ter Luna obscurata est, & Sol semel. Ratbertus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est. & Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem, qui legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuêre, Georgius Abba, & Felix. Hic B Georgius est Abba in monte Oliueti, & cui Germania patria est. Papilionem & tentoria attulit varij colore facta miræ magnitudinis & pulcritudinis. Erant enim omnia byssina, tam tentoria quàm & funes eorum diuersis tincta coloribus fuerunt.

FRAGMENTVM ANNALIVM,

Ab anno DCCLXIX, vsque ad annum DCCCVI.

Quod in veteri M. S. Codice Alexandri Petauij Chronico Nibelungi Comitis subiicitur.

ANNO DCCLXVIII. positum est corpus Sancti Gorgonij in Basilica, quæ est constructa in Gorzia Monasterio. & obiit Droegangus Abba.

An. DCCLXX. fuit BERTA Regina in Longobardia ad placitum contra Desiderium Regem, & redditæ sunt ciuitates plurimæ ad partem Sancti Petri, & Berta eduxit filiam Desiderij in Francia.

An. DCCLXXI. CARLOMANNVS Rex transiit.

C An. DCCLXXII. fuit Rex CARLVS hostiliter in Saxonia, & destruxit fanum eorum quod vocatur Hyrminsuul.

An. DCCLXXIII. fuit Rex Carlus in Italia prouincia.

An. DCCLXXIV. Capta est Ticini ciuitas à Francis, & adduxerunt Regem captiuum Desiderium secum in Francia. & conquæsiuit Rex Carlus regnum Langobardorum, & pertexit ad Romam. & regnauerunt Langobardi, vt ipsi autumant, annos CCXIIII.

An. DCCLXXV. fuit Rex Carlus hostiliter in Saxonia, & vastauit eam, fecítque ibidem stragem magnam, & conquisiuit castella quæ dicuntur Aeresburg, Sigiburg, & posuit ibidem custodias.

An. DCCLXXVI. Pertexit Rex Carlus iterum in Italia, & illa castella quæ residua erant recepit, & Hrotgarz interfectus est. Inde reuertens conquæsiuit maximam partem Saxoniæ, & conuersi sunt Saxones ad fidem Christi, & baptizata est eorum multitudo innumera.

An. DCCLXXVII. Habuit Carlus conuentum Francorum, id est Magis campum in Saxonia ad Padresburnon, & ibi paganorum Saxonum multitudo maxima baptizata est.

An. DCCLXXVIII. Fuit Rex Carlus in Spania cum exercitu, & conquisiuit ciuitatem Papalonam, & Abitourus Saracenorum Rex venit ad eum, & tradi-

CAROLVS MAGNVS. dit ciuitates quas habuit, & dedit ei obsides fratrem suum & filium. Etindè perrexit Carlus Rex vsque ad Sarisaugusta. Et ibi venit ad eum Abinlarbi alter Rex Saracenorum, quem & fecit adducere in Francia. Et interim quod Carlus Rex illis partibus fuit, Saxones gens perfida mentientes fidem, egressi de finibus suis venerunt ostiliter vsque ad Renum fluuium. succendendo omnia, & vastando, nihil penitùs relinquentes. Et indè regredientes, persecuti sunt eos Franci vsque ad fluuium Aderna. Et ibi inuicem belligerantes Saxones in fugam versi sunt, & plurimi ex ipsis ceciderunt. Franci verò victores per Dei auxilium extiterunt. A

An. DCCLXXIX. Carlus Rex iterum in Saxonia vsque ad fluuium VViseraha, & Saxones pacificari dextras & obsides dederunt. famis verò magna & mortalitas in Francia. Carlus Rex in VVarmatia sedebat.

An. DCCLXXX. Carlus Rex perrexit iterum in Saxonia cum exercitu, & peruenit vsque ad fluuium magnum Heilba. & Saxones omnes tradiderunt se illi, & omnium accepit obsides tam ingenuos quàm ctlidos. Diuisitque ipsam patriam inter Presbyteros & Episcopos, seu & Abbates, vt in ea baptizarent, & prædicarent. Et indè reuertens abiit in Italiam, & dereliquit filios suos in VVarmatia, PIPPINVM & CARLVM.

An. DCCLXXXI. Perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus est ibi filius eius, qui vocabatur ei CARLOMANNVS, quem Adrianus Papa mutato nomine vocauit PIPPINVM, & vnxit in Regem super Italiam, & fratrem eius HLVDOVICVM super Aquitaniam. Et ibi desponsata est ROTTRVD filia Regis Constantino Imperatori. B

Anno DCCLXXXII. Habuit Carlus Rex conuentum magnum exercitus sui in Saxonia ad Lippuibrunnen, & constituit super eam ex nobilissimis Saxones genere Comites. Et cùm eos iterum cognouisset à fide dilapsos, & cum VViduchindo ad rebellandum esse adunatos, rursum abiit in Saxoniam, & vastauit eam, & ingentem Saxonum turbam atroci confudit gladio.

Anno DCCLXXXIII. Obiit HILDIGARDA Regina, & BERTRADA. Et Carlus Rex perrexit in Saxoniam cum exercitu magno, & rebellantibus illis commissum est bellum, & ceciderunt ex parte Saxonum multa milia. Et sociauit sibi in coniugio FASTRADAM, atque eam Reginam constituit. Et fuit æstus tam vehementer calidus, ita vt plurimi homines de ipsa calore expirarent.

An. DCCLXXXIV. Iterum Rex perrexit in Saxoniam cum exercitu per duas vices. & Helmericus Abba, & Folradus Abba, & Albricus Episcopus obierunt. necnon & inundatio aquarum valida fuit.

An. DCCLXXXV. Rex Carlus demoratus est in Saxonia ad Heresburg de Natale Domini vsque in mense Iunio. & reædificauit ipsum castellum, & Basilicam ibidem construxit: placitúmque habuit ad Padresbrunnon cum Francis & Saxonibus. Et tunc demum perrexit fluuium VVisaraha, & peruenit vsque in Bardungaue. Cúmque Saxones se illi dedissent, Christianitatem quam pridem respuerant iterum recipiunt pace patrata. Nullóque rebellante postquàm Rex rediit domum suam, VViduchint tot malorum actor, ac perfidiæ incentor, venit cum sequacibus suis ad Attiniaco Palatio, & ibidem baptizatus est, & Carlus Rex suscepit eum ac donis magnificis honorauit. C

An. DCCLXXXVI. Rebellari conati sunt quidam Comites, nonnulli etiam Nobilium in partibus Austriæ, & coniurantes inuicem quos poterant coegerunt, vt contra Carlum Regem insurgerent. Quod factum multos exterruit. Cúmque prospicerent quòd opus nefandum implere non possent, neque opportunum tempus adesset, subitò exterriti, latebras vndique quæsiuere. Quo comperto, Carlus Rex solitâ clementiâ omnia consilio regens, iussit eos ad se venire. Procedente autem tempore in mense Augusto apud VVormariam Synodum Episcoporum ac conuentum magnificum coire fecit. Vbi decernens quòd hi, qui potissimè in hac coniuratione deuicti sunt, honore simul ac luminibus priuarentur, atque exilio damnarentur. Eos verò, qui innoxij in hac coniuratione seducti sunt, clementer absoluit. Inde proficiscens Carlus Rex perrexit in Italiam. Multa etiam referuntur signa apparuisse eodem anno. signum enim Crucis in vestimentis hominum apparuit, ac sanguinem de terra ac de cœlo profluere. Nec non & alia multa signa apparuerunt, vnde pauor ingens ac timor in populo salubriter inruit,

A ita vt se multi corrigerent. Et sex dies ante Natale Domini tonitrua & fulgura immensa apparuerunt, ita vt Ecclesias concussit in Vuidli*, & penè per totam Franciam auditum fuit, & multi homines interfecti fuerunt, etiam aues cæli ab ipso tonitruo occisi sunt. & arcus cœli in nubibus apparuit per noctem. & postea verò mortalitas magna fuit, & Lullus Archiepiscopus migrauit de hac luce. Carolus perrexit ad Romam, & indè vsque ad Beneuentum, & filio Aregiso indè in ospitatum recepit, & inde reuersus est ad Romam. CAROLVS MAGNVS.

An. DCCLXXXVII. Carolus reuersus est in Franciam, & indè multos Langobardos nobiles adduxit. Et Aragisus Dux de Beneuento mortuus est, & filius eius mortuus est. & indè Carlus Rex perrexit in partibus Bagoarij. V. Non. Octobris Dasilo Dux ad Regem venit, & ei reddidit regnum Bagoariorum, & semetipso Carlo Rege in manu tradidit, & regnum Bagoariorum.

An. DCCLXXXVIII. Habuit Rex Carlus Conuentum seu Synodum in Inghilinhaim, & ibidem Dasilo venit, & vxor sua cum filiabus duabus. Et ipse Dasilo ad sancto Goare pridie Nonas Iulias tunseratus est, & filius eius Teudo ad beatum Maximinum comam capitis sui deposuit. & ipsius vxor velamen sibi imposuit. & filias eius vnam ex illis transmisit ad Cala Monasterio, & aliam ad Lauduno Monasterio. Tunc Carlus Rex in Bagoariam perrexit, & omnes fines Bagoariorum in sua propria ditione recepit. Ipsoque tempore Benemaugius

B Rex Spanorum mortuus est.

An. DCCLXXXIX. Fuit Rex Carlus in Sclauania, & venerunt ad eum Reges Sclauaniorum Dragitus & filius eius, & alij Reges Vuitsan*, & Drago cum reliquos Reges Vuinidorum. & fuit vsque ad Pana fluuium, & subdidit has nationes in sua ditione. & reuersus est in Franciam.

An. DCCXC. Habuit Rex Carlus suum Conuentum in Vuarmatiam, & venit ibidem Legatio Hunorum, & transinisit maximam partem de exercitu suo in Bagoariam contra ipsam nefandam gentem Hunorum.

An. DCCXCI. Inde autem itinere permoto partibus Bagoariæ perrexit, ad Reganesburg peruenit, ibi exercitum suum coniunxit. Ibique consilio peracto Francorum, Saxonum, Frisonum, disposuerunt, propter nimiam malitiam & intolerabilem, quam fecerunt Auari contra sanctam Ecclesiam, vel populum Christianum, vnde iustitias per Missos impetrare non valuerunt, iter peragendi, cum Dei adiutorio partibus iamdictis Auarorum perrexerunt. Ad Auisam fluuium properantes, ibi constituerunt Letanias faciendi per triduo. *Hic immutari videtur stylus.*

Reliqua huius anni, & aliorum vsque ad annum DCCCVI. *iisdem verbis referuntur in subsequentibus Annalibus: vnde & ea desumpta fuisse manifestum est. Desinit autem præsens Fragmentum in illis verbis anni* DCCCVI. in loco qui dicitur Silli supra ripam. . . . . . *Quæ interrupta per odus ab amanuensi integrum Librum*

C *non fuisse transcriptum ostendit.*

 A

ANNALES RERVM FRANCICARVM QVÆ A PIPINO ET CAROLO MAGNO REGIBVS GESTÆ SVNT,

Ab anno post Christum natum DCCXLI. vsque ad annum DCCCXIV.

Ex vetusto Exemplari MS. Antonij Loiselij, quod nunc in Bibliotheca illustris Viri Francisci Thuani Iacobi-Augusti filij conseruatur.

Annales hi proculdubio sunt iidem ipsi, quos plebeio & rustico sermone compositos Rhegino Prumiensis Abbas ad annum DCCCXIV. *secutum se ait, atque ex parte ad Latinam regulam correxisse, vt ante alios adnotauit doctissimus P. Pithœus. Quis autem illorum Auctor fuerit, haud æquè certò potest asseri: cùm omnes MSS. Codices nullum præferant, nec Rhegino ipse, qui iis vsus est, sciuerit. Quamplures Theodulphi Aurelianensis Episcopi nomine laudauerunt, sed falsò. Ipsis enim, vt idem Pithœus animaduertit, in Exemplari, quod solum viderunt, præfixi versus ex præfatione Theodulphi ad Carolum Regem de processione Spiritus sancti, ansam eius erroris facilè præbuerunt. Nonnulli ab Heingaldo seu Helingaudo Comite primùm aulico, postea Abbate, cuius in hisdem Annalibus mentio fit ad annum* DCCCII. *scriptos fuisse, indiciis nescio quibus suspicati sunt. Quicquid sit, liquet Scriptorem, fortè etiam non vnicum, ex præcedentibus illis Annalibus, qui in anno* DCCCVIII. *desinunt, multa, & iisdem sæpe verbis desumpsisse. Istorum porrò Fragmentum ab anno* DCCXLI. *ad* DCCXCIII. *Henricus* Tom. III. Antiqu. Lectionum *Canisius ex autographo Bauaricæ Bibliothecæ primus in lucem dedit: quod tamen in quinque postremis annis à Codice Ant. Loisely, quem secutus sum, omninò differre, in aliis verò multis etiam contractius esse, comparatio vtriusque facta docuit. Extat & aliud eorumdem Fragmentum MS. ab anno* DCCLXXVIII. *ad* DCCCXIV. *in Bibliotheca Alexandri Petauij, ex cuius quoque collatione diuersas aliquot lectiones collegi, quas marginibus vna cum editionis Canisij varietate visum est adscribere.* B C



DCCXLI.

741. Cap. I. CARLVS Maior Domus defunctus est.

DCCXLII.

742. II. Pipinvs. Quando CARLOMANNVS & PIPINVS Maiores Domus duxerunt exercitum contra Hunaldum Ducem Aquitaniorum, & ceperunt castrum quod vocatur Lucas. Et in ipso tempore diuiserunt inter se Regnum Francorum in loco qui dicitur Vetus-Pictauis. Eodémque anno Carlomannus Alamanniam vastauit.

DCCXLIII.

743. III. Tunc Carlomannus & Pipinus contra Odilonem Ducem Baioariorum inierunt pugnam. Et Carlomannus per se in Saxoniam ambulabat. In eodem anno cepit & castrum quod dicitur Odiserburg* per placitum, & Theodericum Saxonem placitando conquisiuit.

Canisii edit. *Hochseburg.

DCCXLIV.

744. IV. Iterum Carlomannus & Pipinus perrexerunt in Saxoniam, & captus est Theodericus Saxo alia vice.

DCCXLV.

A DCCXLV.

Tunc Carlomannus confessus est Pipino fratri suo, quòd voluisset seculum re- PIPINVS REX.
linquere. Et in eodem anno nullum fecerunt exercitũ, sed præparauerũt se vterq. 745.
Carlomannus ad iter suum, & Pipinus quomodo germanũ suum honorificè dire- V.
xisset cum muneribus. 746.

DCCXLVI.

Tunc Carlomannus Romam perrexit, ibíque se totundit, & in Serapte monte VI.
Monasterium ædificauit in honore sancti Siluestri. Ibíque aliquod tempus moram faciens, & indè ad sanctum Benedictum in Cassinum vsque peruenit, & ibi Monachus effectus est.

DCCXLVII.

GRIFO fugit in Saxoniã, & Pipinus iter faciens per Totinguam in Saxoniam in- 747.
troiuit, vsque ad fluuium Missaha, in loco qui dicitur Schahaningi*. Et Grifo col- VII.
lectã fecit vnà cum Saxonibus supra fluuiũ Obacto*, in loco qui dicitur Orhaim. * Canis. Scahanigi. * C. Obodoro.

DCCXLVIII.

Grifo de Saxonia iter peragens, fugiendo in Baugauriam* vsque peruenit, ip- 748.
sum Ducatum sibi subiugauit. HILTRVDEM cum Tassilone conquisiuit. Suuid- VIII.
ger* ad eum venit in solatio supradicti Grifonis. Hæc audiens Pipinus, iter illuc * C. Baioariam.
arripiens cum exercitu suo, supranominatos totos sibi subiugauit, Grifonem se- * C. Lantfridus.
cum abduxit, Lantfridum similiter. Tassilonem verò in Ducatu Baioariorum conlocauit per suum beneficium. Grifonem verò partibus Niustriæ misit, & de-
B dit ei XII. Comitatus. Inde iterum Grifo fugiens VVasconiam petiit, & ad VVaffarium Ducem Aquitaniorum peruenit.

DCCXLIX.

Burgardus VVirzeburgensis Episcopus & Folradus Capellanus missi fuerunt 749. IX.
ad Zachariam Papam, interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandauit Pipino, vt melius esset illum Regem vocari qui potestatem haberet, quàm illum qui sine Regali potestate manebat, vt non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam iussit PIPINVM Regem fieri.

DCCL.

PIPINVS secundùm morem Francorum electus est ad Regem, & vnctus per 750. X.
manum sanctæ memoriæ Bonefacij Archiepiscopi, & eleuatus à Francis in Regno suo in Suessionis ciuitate. HILDERICVS verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Monasterium missus.

DCCLI. DCCLII.

DCCLIII.

Pipinus Rex in Saxoniam iter fecit, & Hildegarius Episcopus* occisus est à Sa- 753. XIII.
xonibus in castro quod dicitur Viberg. Et tamen Pipinus Rex victor extitit, & * C. Episcopus Coloniensis.
C peruenit vsque ad locum qui dicitur Rime. Et dum reuersus est de ipso itinere, nunciatum est ei quòd Grifo, qui in VVasconiam fugit, germanus eius occisus fuisset. Eodémque anno Stephanus Papa venit in Franciam, adiutorium & solatium quærendo pro iustitiis sancti Petri. Similiter & Carlomannus Monachus, & germanus supradicti Pipini Regis, per iussionem Abbatis sui in Franciam venit, quasi ad conturbandam petitionem Apostolicam.

DCCLIV.

Supradictus Apostolicus Stephanus confirmauit PIPINVM vnctione sancta 754. XIV.
in Regem, & cum eo inunxit duos filios eius, domnum CAROLVM, & CARLOMANNVM in Regibus. Et domnus Bonefacius Archiepiscopus in Frisia nuncians verbum Domini, & prædicando Martyr Christi effectus est.

DCCLV.

Pipinus Rex per Apostolicam inuitationem in Italiam iter peragens, iustitiam 755. XV.
b. Petri Apostoli quærendo. Haistolfus Langobardorũ Rex supradictam iustitiã vetando, Clusas Langobardorum petiit, obuiam Pipino Regi & Francis venit, Et inierunt bellũ, & Domino auxiliãte, beatóq; Petro Apost. intercedente, Pipinus Rex cum Frãcis victor extitit. Eodémq. anno Stephanus Papa reductus est ad sanctam Sedem per Missos domni Regis Pipini, Folradum, & reliquos, qui cum eo erant. Incluso verò Haistolfo Rege in Papia ciuitate, iustitiã S. Petri pollicitus est faciẽdi. Vnde Rex Pipinus obsides XL. receptos, & cùm sacramẽta firmata habe-

ret, reuersus est in Franciã. Carlomãnus autẽ Monachus Viennâ ciuitate remãsit A
vnà cũ Bertradane Regina infirmus, lãguebátq. dies multos, & sic obiit in pace.

756. DCCLVI.

XVI. Dum prospexisset Pipinus Rex ab Haistolfo Langobardorũ Rege ea non esse vera, quæ antea promiserat de iustitiis S. Petri, iterum iter peragens in Italiam, Papiam obsedit, Haistolfum inclusit, magis magisque de iustitiis S. Petri confirmauit, vt stabiles permanerent. quod antea semper promiserat. Et insuper Rauennam, cum Pentapoli, & omni Exarchatu conquisiuit, & S. Petro tradidit. Et dum reuersus esset Pipinus Rex, cupiebat supradictus Haistolfus nefandus Rex mentiri quæ antea pollicitus fuerat, obsides dulgere*, sacramenta irrumpere. Quodam die venationem fecit, & percussus Dei iudicio vitam finiuit. Et quomodo & qualiter missus est Desiderius Rex in Regno, postea dicemus.

* Inter lineam scriptũ relinquere. Cãnis. habet denegare.

757. DCCLVII.

XVII. Misit Constantinus Imperator Regi Pipino cum aliis donis organum, quod in Franciam vsque peruenit. Et Rex Pipinus tenuit Placitum suum in Compendio cum Francis. Ibique Tassilo venit Dux Bajoariorum, in vassatico se commendans per manus: sacramenta iurauit multa & innumerabilia, reliquiis Sanctorum Martyrum manus imponens: & fidelitatem promisit Regi Pipino & supradictis filiis eius domno Carolo & Carlomanno, sicut vassus recta mente & firma deuotione per iustitiam vassus domino suo esse deberet. Sic confirmauit supradictus Tassilo supra corpus sanctorum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, necnon & S. Germani, seu sancti Martini: vt omnibus diebus vitæ suæ sic conseruaret, sicut sacramentis constrictus promiserat. Sic & eius homines maiores natu, qui erant cum eo, firmauerunt, sicut dictum est, in locis superiùs nominatis, & in aliis multis. B

758. DCCLVIII.

XVIII. Pipinus Rex in Saxoniam ibat, & firmitates Saxonum per virtutem introiuit, in loco qui dicitur Situnna*, & multæ strages factæ sunt in populo Saxonum. Et tunc polliciti sunt contra Pipinum, omnes voluntates eius faciendum, & honores in Placito suo præsentandum*, vsque in equos trecentos per singulos annos. Et immutauit se numerus annorum in

* C. Sitma.

* C. præstandum.

759. DCCLIX.

XIX. Natus est Pipino Regi filius, cui supradictus Rex nomen suum imposuit, vt PIPINVS vocaretur, sicut & pater eius. Qui vixit annos duos, & defunctus est in tertio. Eodem annò celebrauit Natalem Domini in Longlare, & Pascha in Iopila. Et immutauit se numerus annorum in

760. DCCLX.

XX. Tunc Pipinus Rex cernens VVaffarium Ducem Aquitaniorum minimè consentire iustitias Ecclesiarum partibus quæ erant in Francia, consilium fecit cum Francis, vt iter ageret supradictas iustitias quærendo in Aquitania. Et peruenit vsque in locum, qui dicitur Theodoad. Et cùm hæc vidisset VVaffarius, misit Missos suos, Adotbertum*, & Dadinum; & dedit obsides Adalgarium, & Airerium, Regi Pipino, vt omnia redderet, & quicquid supradictus Rex quærebat in caussis Ecclesiasticis. Et celebrauit Natalem Domini in Carisiaco*, & Pascha. Et immutatus est numerus annorum in C

* C. Dotbertum.

* C Carisiago.

761. DCCLXI.

XXI. VVaffarius Dux Aquitaniorum minimè cógitans de obsidibus, vel de sacramẽtis suis, quasi in vindictam super Pipinum Regẽ exercitum misit, qui ad Cabilonum* ciuitatem venerunt. Dum & suprà nominatus Rex Synodum suam teneret in villa, quæ dicitur Dura, nunciatum est ei, quòd VVaffarius in omnibus mẽtitus est. Tunc iterum Rex Pipinus illuc cum exercitu iter peragẽns, & eius filius primogenitus nomine CAROLVS cum eo, multa castella cepit, quorum nomina sunt Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Ista per pugnam cepit. Et in Aluerno multa alia castella cepit per placitum, quæ se subdiderunt in eius dominio. Et peruenit vsque Lemouicas, vastando & destruendo supradictam Prouinciam propter neglegentias VVaffarij Ducis. Et celebrauit Natalem Domini in Carisiaco villa, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

* C. Caluallonum.

762. DCCLXII.

XXII. Tertiò in Aquitaniam Pipinus Rex iter faciens, cepit ciuitatem Bituricam, &

A castrum quod dicitur Toarcis*. Et celebrauit Natalem Domini in Gentiliaco villa, & Pascha similiter. Et unmutauit se numerus annorum in PIPINVS REX. *C.Toarac

DCCLXIII.

PIPINVS Rex habuit Placitum suum in Niuernis. Et quartum iter faciens in Aquitaniã, ibi Tassilo Dux Baioariorum postposuit sacramenta, & omnia quæ promiserat:& per malum ingeniũ se indè seduxit, omnia benefacta, quæ Pipinus Rex auunculus eius ei fecit, postposuit: per ingenia fraudulenta se subtrahẽdo, Baioariam petiit, & nusquã amplius faciem supradicti Regis videre voluit. Rex Pipinus iter peragendo per Aquitaniam, vsque ad Caducciam peruenit, Aquitaniam vastando. Et reuertendo per Lemouicas, in Franciã reuersus est. Et facta est hyems valida. Et tenuit Rex Pipinus Natalem Domini in villa, quæ dicitur Longlar, & Pascha similiter, Et immutauit se numerus annorum in. 763. XXIII.

DCCLXIV.

Tunc Rex Pipinus habuit Placitum suum ad VVormatiam, & nihil tunc aliud fecit, nisi in Franciam resedit, caussamquè pertractabat inter VVaffarium & Tassilonem. Et celebrauit Natalem Domini in Carisiaco villa, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in 764. XXIV.

DCCLXV.

Tunc Rex Pipinus Placitum suum habuit ad Attiniacum, & nullum fecit aliud iter. Et celebrauit Natalem Domini in Aquis villa, & Pascha similiter. Et B immutauit se numerus annorum in 765. XXV.

DCCLXVI.

Tunc Pipinus Rex perrexit, iter faciens in Aquitaniam; & Placitum suum habuit in Aurelianis ciuitate, & restaurauit Argentomum* castrum, quod antea VVaffarius destruxit. Supradictus Pipinus Rex castrũ numinatum reædificauit, ibique Francos dimisit, Aquitaniam continendo. Similiter & in Bituricas Francorum scaram conlocauit. Et celebrauit Natalem Domini in Salmonciagum* villam, & Pascha in Gentiliaco, Et immutauit se numerus annorum in 766. XXVI. *C.Argentonio. *C.Salmonigo.

DCCLXVII.

Tunc habuit domnus Rex Pipinus in supradicta villa Synodum magnum inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate, vel de Sanctorum imaginibus. Et postea perrexit, iter peragens partibus Aquitaniæ per Narbonam. Tolosam cepit, Albiensem similiter, necnon & Gaualdanum. Et sanus reuersus est in patriam. Et celebrauit Pascha in Vienna ciuitate. Et in eodem anno in mense Augusto iterum perrexit partibus Aquitaniæ, Bituricam vsque venit. Ibi Synodum fecit cum omnibus Francis solito more in campo. Et indè iter peragens, vsque ad Garonnam peruenit. Multas Roccas & speluncas conquisiuit: castrum Scoraliam, Torinnam, Perrociam. Et reuersus est Bituricam. Ibique nunciatum est de obitu C Pauli Papæ. Et ibi celebrauit Natalem Domini. Et immutauit se numerus annorum in 767. XXVII.

DCCLXVIII.

Dumnus Pipinus Rex iter faciens, Remistagnum cepit, ad Sanctones ciuitatem vsque peruenit: & ibi capta matre VVaffarij, & sorore eius, & nepti eius, venit vsque ad Garonnã. Inde perrexit in loco qui dicitur Montis. Ibi Herouicus veniẽs cum illa alia sorore VVaffarij Ducis. Et indè sanus reuersus, Pascha celebrauit in castro quod dicitur Sels. Iterum iter assumẽs cum domna Bertradane Regina ad Sanctones ciuitatẽ peruenit. Ibique dictam Reginam cum familia dimisit, & partib. Petrogorigo perrexit: & interempto VVaffario, cũ triumpho victoriæ ad Sanctones ciuitatẽ reuersus est. Ibiq. mora faciens aliquot dies, ægrotare cœpit. Partibus Turonorum reuertendo perrexit, orationem ad S. Martinum fecit, & ad S. Dionysiũ vsque peruenit, ibique diem obiens finiuit VII. Kal. Octobris. Domnus verò CAROLVS & CARLOMANNVS eleuati sunt in Regnũ. Et domnus Carolus VII. Idus Octob. in Nouiomo ciuitate, Carlomannus in Suessionis ciuitate similiter. Et celebrauit prædictus gloriosus domnus Carolus Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur Aquis, & Pascha in Rodomo ciuitate. Et immutauit se numerus annorum in 768. XXVIII. CAROLVS MAGNVS.

DCCLXIX.

Domnus CAROLVS gloriosus Rex iter peragens partibus Aquitaniæ; eo quòd Hunaldus voluit rebellare totam VVasconiam, etiam & Aquitaniam. Et cum paucis Francis, auxiliante Domino, dissipauit iniqua consilia supradicti Hu- 769. XXIX.

CAROLVS MAGNVS. naldi. Et in ipso itinere iungens se supradictus magnus Rex cum germano suo Carlomanno, in loco qui dicitur Duasdiues*. Inde Carlomannus se reuertendo, in Franciam iter arripuit. Domnúsque Carolus benignissimus Rex iuit ad Equolesimam ciuitatem, [* iter procedens ad Petrogoricum. Cuius partibus constituit Basilicam iuxta fluuium nomine Dronam in honore B. Petri Apostolorum Principis. In qua post non multum temporis vnum de Innocentibus collocauit datum patri suo à domno Papa Romano: cuius meritis & auxiliis dicebat se victorem bello fuisse multoties. Locus autem, quo Basilica fundata est, Brantosmis dicitur. Postea de Petrogorico & Engolesima, aliisque locis,] sumens plures Francos, cum omnibus vtensilibus, & præparamenta eorum, iuit super fluuium Dordoniã, & ædificauit ibi castrum quod dicitur Fronciacus. Et indè Missos suos mittens post Hunaldum, & vxorem eius, ad Luponem VVasconem: dum & ibi moram fecisset vnà cum Francis, adductus est supradictus Hunaldus vnà cum vxore sua. Et castro præparato, & Hunaldo recepto, reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Duria, & Pascha in Leodico* vico publico. Et immutauit se numerus annorum in A

* C. Docifchius.
* Sequentia in margine erant manu paulò recentiore scripta.
* C. Leako.

770. DCCLXX.

XXX. Tunc domnus Carolus Rex habuit Synodum suum in VVarmatiam ciuitatem. Et Carlomannus & Berta Regina iungentes se ad Salossa*. Et in eodem anno perrexit domna Berta Regina per Baioariam partibus Italiæ. Et domnus Carolus Rex celebrauit Natalem Domini in Moguntiam ciuitatem, & Pascha in Harestallio. Et immutauit se numerus annorum in B

* C Salosse

771. DCCLXXI.

XXXI. Tunc domnus Carolus Rex Synodũ habuit ad Valentianas. Et eodem anno Carlomannus Rex defunctus est in villa quæ dicitur Salmonciacus, prid. Non. Dec. Carolus verò Rex venit ad Corbonacum villam. Ibique venientes VVlcarius* Archiepiscopus, & Fulradus Capellanus, cum aliis Episcopis & Sacerdotibus, VVarinus & Adalardus Comites, cum aliis Primatibus qui fuerunt Carlomanni. Vxor verò Carlomanni cum aliquibus paucis Francis partibus Italiæ perrexit. Et præclarus ac gloriosus Carolus Rex celebrauit Natalẽ Domini in villa quæ dicitur Attiniacus, & Pascha in Heristallio villa. Et immutauit se numerus annorũ in

* C. VVilcharius.

772. DCCLXXII.

XXXII. Tunc domnus Carolus mitissimus Rex Synodum tenuit ad VVarmatiam, & indè perrexit partibus Saxoniæ. prima vice Heresburgum castrum cepit, ad Ermensul vsque peruenit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentũ, quod ibi repperit, abstulit. Et fuit siccitas magna, itavt aqua deficeret in supradicto loco, vbi Ermensul stabat. Et dum voluit ibi duos aut tres prædictus gloriosus Rex stare dies, fanum ipsum ad perdestruendum, & aquam non haberent: tunc subitò diuina largiente gratiâ, media die cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aquæ effusæ sunt largissimæ, ita vt cunctus exercitus sufficienter haberet. Tunc super VVisoram fluuium venit suprascriptus magnus Rex, & ibi cum Saxonibus placitum habuit: & recepit obsides, & reuersus est in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in Heristallio, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in C

773. DCCLXXIII.

XXXIII. Tunc domnus Carolus mitissimus Rex perrexit ad hiemandum in villa quæ dicitur Theodone-villa. Ibique veniens Missus domni Adriani Apostolici nomine Petrus per mare vsque Massiliam, & indè terreno ad domnum Carolum vsque periungens, inuitando scilicet supranominatum gloriosum Regem vnà cum Francis pro Dei seruicio, & iustitia sancti Petri, seu solatio Ecclesiæ suæ per Desiderium Regem, & Langobardos. Et ideo maritimè venit, quia viæ clausæ fuerunt Romanis à Langobardis. Tunc domnus ac præcelsus Carolus Rex consiliauit* vnà cum Francis, quid perageret. Et sumpto consilio iussit, vt sicut Missus Apostolici per verbum domni Adriani Papæ postulauit, ita fieret. Tunc Synodum suprascriptus Rex gloriosus tenuit generaliter cum Francis apud Ienuam ciuitatem, ibique exercitum diuidens perrexit ipse per Montem Cenisium, & misit Bernardum auunculum suum per Montem Iouis, cum aliis suis fidelibus. Et tunc ambo exercitus ad Clusas se coniungentes, Desiderius ipse obuiam dom-

* C. consilium iniit cum.

A no Carolo Regi venit. Tunc domnus Carolus Rex vnà cum Francis castra metatus est ad easdem Clusas, mittens scaram suam per montes. *CAROLVS MAGNVS.* Hoc sentiens Desiderius Rex Clusas reliquit. Supradictus verò domnus Carolus Rex vnà cum Francis, auxiliante Domino, & intercedente beato Petro Apostolo, sine læsione vel aliquo conturbio Clusas apertas, Italiam introiuit ipse, & omnes fideles sui, & Papiam ciuitatem vsque peruenit, & Desiderio incluso ipsam ciuitatem obsedit. Ibique domnus Carolus in castris suis Natalem Domini celebrauit, & Pascha in Roma. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXIV. 774. XXXIV.

[* Et dum propter defensionem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ eodem anno incitante summo Pontifice perrexisset, dimissâ Marcâ contra Saxones, nulla omninò fœderatione suscepta, ipsi Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum, & peruenerunt vsque ad castrum quod nominatur Burjaburg. ** Sequentia non sunt in editione Canisii.* Attamen ipsi confiniales de hac causa solliciti, cùm hoc cernerent, castellum sunt ingressi. Dum igitur ipsa Saxonum gens cœpisset sæuiens domus forinsecus incendio cremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco qui dicitur Fridislar, quam sanctæ memoriæ Bonefacius nouissimus Martyr consecrauit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quòd numquam incendio cremaretur. Cœperunt autem iidem præfati Saxones cum nimia intentione aduersus eandem certare Basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent.

B Dum hæc igitur agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis qui in ipso aderant exercitu, duo iuuenes in albis, qui ipsam Basilicam ab igne protegebant. Propterea ibidem non potuerunt neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum eidem inferre Basilicæ, sed nutu diuinæ majestatis pauore perterriti, in fugam cōuersi sunt nemine persequente. Inuentus est autem postea vnus ex eisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam Basilicam, genibus curuis, adclinis super pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset.] Reuertens verò domnus Carolus Rex à Roma, iterum ad Papiam peruenit, & ipsam ciuitatem cepit, & Desiderium Regem cum vxore & filia, & cum omni thesauro Palatij eius. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ, subdiderunt se in dominio domni gloriosi Caroli Regis & Francorum. Adalgisus* ** C. Adalgisus.* verò filius Desiderij Regis fugâ lapsus mare introiuit, & Constantinopolim perrexit. Tunc gloriosus domnus Carolus Rex ipsâ Italiâ sibi subiugatâ, & ordinatâ, custodiam Francorum in Papia ciuitate dimittens, cum vxore & reliquis Francis, Deo adiuuante, cum magno triumpho Franciam reuersus est. Et cùm peruenisset in loco qui dicitur Ingelhaim, misit quatuor scaras in Saxoniam, quarum tres pugnam cum Saxonibus inierunt, & auxiliante Domino victores extiterunt. quarta verò scara nòn habuit pugnam; sed cum præda magna illæsi iterum reuersi sunt

C ad propria. Et celebrauit præfatus gloriosus Rex Natalem Domini in villa, quæ dicitur Carisiacum, similiter & Pascha. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXV. 775. XXXV.

Tunc pius atq; præclarus domnus Carolus Rex habuit Synodū in villa, quæ dicitur Duria. Et indè iter peragens partibus Saxoniæ, Sigisburgum castrum cepit, Heresburgum reædificauit, super VVisoram fluuium venit, in loco qui dicitur Brunisberg. Et ibi præparabant Saxones bellum, volentes ripam supradicti fluminis defendere. Auxiliante Domino, & Francis decertantibus, fugientibus Saxonibus, Franci ambas ripas obtinuerunt, & multi Saxones ibi occisi sunt. Tunc domnus Carolus Rex diuidens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, & perrexit vsque Obacrum fluuium. Ibi omnes Austreleudi Saxoniam venientes cum Hassione, dederunt obsides iuxta quod placuit, & iurauerunt sacramenta, se fideles esse partibus supradicti domni Caroli Regis. Similiter indè reuertente iam dicto mitissimo domno Rege, venerunt Angrarij in pago qui dicitur Buki*, ** C. Buckhi.* vnà cum Brunone & reliquis Optimatibus eorum, & dederunt obsides ibi sicut Austrasij. Et indè reuertente præfato Rege, inuenit aliam partem de suo exercitu super fluuium VVisora, continentes ripam quam iussi fuerant. Saxones cum ipsis pugnam fecerunt in loco, qui dicitur Lidbad*, & Franci Deo volente victoriam ** C. Lidbach.* habuerunt, & plures Saxones occiderunt. Hoc audiente domno Carolo Rege, ite-

rum super Saxones cum exercitu, non minorem stragem ex ipsis fecit, & prædam A multam conquisiuit super VVestfalaos, & obsides dederunt, sicut & illi alij Saxones. Et tunc obsidibus receptis, & præda multa sumpta, & pariter strage Saxonum facta, supradictus domnus Carolus Rex ad propria reuersus est auxiliante Domino in Franciã. Tunc audiens quòd Rotgaudus Langobardus fraudauit fidem suam, & omnia sacramenta rumpens & voluit Italiam rebellare. Tunc illis in partibus cum aliquibus Francis domnus Carolus Rex iter peragens, & celebrauit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Scladistat. Et immutauit se numerus annorum in

776. DCCLXXVI.

XXXVI. Tunc domnus Carolus Rex Italiam ingressus est, partibus Forojulensium pergens. Rotgaudus occisus est, & supradictus domnus Carolus Rex apud Taruisium ciuitatem Pascha celebrauit, & captas ciuitates Forojulensem, & Taruisium, cum reliquis ciuitatibus quæ rebellatæ fuerant: & disposuit eas omnes per Francos, & iterum cum prosperitate & victoria reuersus est in Franciam. Tunc nuncius veniens dixit, Saxones rebellantes, & omnes obsides suos dulgtos, & sacramenta rupta, & Heresburgum castrum per mala ingenia, & iniqua placita, Francos exinde suadentes exiendo. Sic Heresburgo à Francis derelicto, muros & opera Saxones destruxerunt. [* Dum enim per placita eos, qui infra ipsum castrũ custodes erant, includere non potuissent, sicut fecerunt alios qui in aliũ castellum fuerant, cœperunt pugnas & machinas præparare, qualiter per virtutẽ potuissent illum capere. Et Deo volente petrarias quas præparauerunt plus illis damnum fe- B cerunt, quàm illis qui infra castrum residebant. Cùm enim vidissent quòd eis non proficeret, præparauerunt etiam clidos ad debellandum per virtutem ipsum castellum. Sed Dei virtus, sicut iustum est, superauit illorum virtutem. Et quadam die cùm bellum præparassent aduersus Christianos qui in ipso castro residebant, apparuit manifestè gloria Dei supra domum Ecclesiæ, quæ est infra ipsum castrum: videntibus multis tam aforis, quàm etiam & deintus, ex quibus multi manent vsque adhuc. Et dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flamantes & agitantes supra ipsam Ecclesiam. Et cùm hoc signum vidissent pagani qui aforis erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti cœperunt fugere ad castra. Et omnis multitudo eorum in pauore concussi, fugam arripientes, alij ab aliis se ab inuicem interficiebant. Qui enim retrò propter pauorem aliquem respiciebant, infigebant se lanceis eorum, qui ante illos fugiebant, & in humeris portabant. Et alij diuersis ictibus inter se sunt perpessi, & diuina vltione iudicati. Et quantum Dei virtus propter salutem Christianorum super eos operata est, nullus narrare potest. Attamen quantum illi plus pauore perterriti fuerunt, tantò magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudauerunt, qui dignatus est suam manifestare potentiam super seruos suos.] Et pergentes voluerunt de Sigisburgo similiter facere. Auxiliante Domino, Francis viriliter repugnantibus, nihil præualuerunt. Et indè fugam ar- C ripientes Saxones, persecuti sunt eos Franci, interficientes illos vsque ad fluuium Lippiam: & castro saluato, cum victoria reuersi sunt Franci. Et cùm peruenisset domnus Carolus Rex VVarmatiam, omnes istas caussas audiens, coniunxit Synodum ad eandem ciuitatem: & ibi Placitum publicum tenens, consilio facto cum Dei adiutorio sub celeritate & nimia festinatione, Saxonum casas seu firmitates subitò introiuit. Tunc Saxones perterriti, omnes ad locum, vbi Lippia consurgit, venientes ex omni parte, reddiderunt patriam per vvadium omnibus manibus eorum, & spoponderunt se esse Christianos, & se sub ditione domni Caroli Regis & Francorum subdiderunt. Et tunc domnus Carolus Rex vnà cum Francis reædificauit Heresburgum castrum denuò, & aliud castrum super Lippiam. Ibique venientes Saxones vnà cum vxoribus & infantibus, innumerabilis multitudo baptizati sunt, & obsides, quantos iamdictus domnus Rex ab eis quæsiuit dederunt. Et perfectis supradictis castellis, & dispositis per Francos scaris residentibus, & ipsas custodientibus, reuersus est domnus Carolus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in Haristallio, & Pascha in villa quæ dicitur Neumaga. Et immutauit se numerus annorum in

* Quæ sequuntur non sunt etiam in Canisii editione.

777. DCCLXXVII.

XXXVII. Tunc domnus Carolus Rex Synodum publicum habuit ad Paderbrunnen pri-

A ma vite, ibique conuenientes omnes Franti, & ex omni parte Saxoniæ vndi- CAROLVS
que Saxones conuenerunt: excepto quòd VVitochindis rebellis extitit cum MAGNVS.
paucis aliis, & in partibus Normanniæ confugium fecit vnà cum sociis suis. Et-
iam ad idem Placitum venerunt Sarraceni de partibus Hispaniæ, hi sunt, Ibina-
larabi, & filius Dejuzefi, qui & Latine Ioseph nominatur, similiter & gener e-
ius. Ibique multitudo Saxonum baptizati sunt, & secundùm morem illorum
omnem ingenuitatem & alodum manibus dultum* fecerunt, si ampliùs mutas- *C. dulgitu.
sent, secundùm malam consuetudinem eorum, nisi conseruassent in omnibus
Christianitatem, vel fidelitatem domni Caroli Regis, & filiorum eius, vel Fran-
corum. Et celebrauit Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur Doreiacum*, *C. Doriacum
& Pascha in Aquitania in villa Cassinogilo*. Et immutauit se numerus anno- *C. Cassinogila.
rum in

DCCLXXVIII. 778.

Tunc domnus Carolus Rex iter peragens partibus Hispaniæ per duas vias: XXXVIII
vnam per Pampilonam, per quam ipse supradictus magnus Rex perrexit vsque *Hic incipit Codex Al. Petau.*
Cæsaraugustam. Ibique venientes de partibus Burgundiæ, & Austriæ, vel Ba-
ioariæ, seu Prouinciæ, & Septimaniæ, & pars Langobardorum, coniungentes
se ad supradictam ciuitatem, ex vtraque parte exercitus ibi obsides receptos de
Ibinalarabi & de Abutauro, & de multis Sarracenis, Pampilona destructa, Hi-
B spanos & VVascones subiugatos, etiam & Nauarros, reuersus est in partibus
Franciæ. Et cùm audissent Saxones, quòd domnus Carolus Rex & Franci tam
longè fuissent partibus Hispaniæ, per suasionem supradicti VVithochindi*, & *Cod. Pet. VVidochingi.
sociorum eius, secundùm consuetudinem malam iterum rebellati sunt. Et nun-
ciatum est hoc domno Regi Carolo ad Autisiodorum ciuitatem. Tunc prædictus
domnus Rex mittens scaram Franciscam*, vt sub velocitate festinaret ad resi- *C. Francorum velociter & festinanter.
stendos supradictos Saxones. sed illi rebelles ad Rhenum vsque Dureciam* per- *P. Diuiciã, C. Diucam.
uenerunt. Tunc prædantes secus Rhenum, & multas malitias facientes, Eccle-
sias Dei incendentes, in Sanctemonialibus grassati, & quod fastidium generat
enumerandi. Tum subitò audientes de reuersione domni Caroli Regis, & de
scara eius, quam misit obuiam illis, Saxones dimisso Rheno reuersi sunt per Lon-
genehi partibus Saxoniæ. Et scaræ Francorum non occurrerunt obuiam eis, sed
vestigium eorum obseruantes, consecuti sunt eos super fluuium, cuius vocabu-
lum est Adarnia*, in loco qui dicitur Lihesi. Ibi pugna incœpta, & valde benè *C. Adarna
finita, auxiliante Domino Franci victores extiterunt, & multitudo Saxonum
ibi occisi sunt, & reliqui fugientes cum magno contumelio reuersi sunt Saxo-
niam. Et celebrauit clementissimus Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur
Haristallio, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXIX. 779.

Tunc domnus Rex Carolus iter peragens partibus Neustriæ, peruenit vsque XXXIX.
C in villa quæ dicitur Compendio. Et tunc iterum reuertendo partibus Austriæ,
obtulit se Hildebrandus Dux Spolitanus cum multis muneribus in præsentia su-
pradicti magni Regis, in villa quæ vocatur VVirciniacum*, & fuit Synodus in *C. Viraciacum.
villa nuncupante Duria. Et iter peractus est partibus Saxoniæ ad Lippaham.
Transitur Rhenus fluuius, & Saxones voluerunt resistere in loco, qui dicitur
Bohhot*. Auxiliante Domino, non præualuerunt, sed abindè fugientes reli- *C. Boaholz.
querunt omnes firmitates eorum, & Francis aperta est via. Et introeuntes in
VVestfalaos, conquisierunt eos omnes. Reliquis, qui vltra VVisoram fuerunt,
cùm se iunxisset domnus Carolus Rex ad locum qui dicitur Medofulli*, ibi de- *C. Medofuldi.
derunt obsides: & sacramenta firmantes, denuò reuersus est suprascriptus glo-
riosus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in VVarmaciam ciuita-
tem, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXX. 780.

Tunc domnus Carolus Rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad He- XL.
resburgum peruenit, & indè ad locum vbi Lippia consurgit. Ibique Synodum
tenens, indè iter peragens partibus Albiæ fluuij, & in ipso itinere omnes Bar-
dongauenses, & multi de Nordleudi* baptizati sunt in loco qui dicitur Orahim *C. Nordilendis.
vltra Obacro fluuio. Et peruenit vsque ad supradictum fluuium, vbi Oba- *C. Ora confluit.
crum* fluit in Albia. Ibique omnia disponens, tam Saxoniam quàm & Sclauos,

CAROLVS MAGNVS. reuersus est supradictus præclarus Rex in Franciam. Tunc sumpto consilio, vt iter peragerer orationis causâ partibus Romæ, vnà cum vxore sua domna Hildegarde Regina. Et celebrauit Natalem Domini in Papiam ciuitatem. Et immutauit se numerus annorum in A

781. DCCLXXXI.

XLI. Et Rex Carolus supradictum iter peragens, celebrauit Pascha in Roma. Et ibi baptizatus est domnus PIPINVS filius supradicti domni Caroli magni Regis ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et duo filij domni Caroli Regis inuncti sunt in Reges à supradicto Pontifice. Hi sunt, domnus PIPINVS, & domnus HLVDOVVICVS Reges: domnus Pipinus Rex in Italiam, & domnus Hludouuicus Rex in Aquitaniam. Et indè reuertente domno Carolo Rege, Mediolanis ciuitate peruenit. Et ibi baptizata est filia eius domna GISOLA ab Archiepiscopo nomine Thoma, qui & ipse eam à sacro fonte manibus suscepit. Et abindè reuersus est in Franciam. Et tunc missi sunt duo Missi ab Apostolico supradicto, hi sunt Formonsus & Damasus Episcopi, ad Tassilonem Ducem vnà cum Missis domni Regis Caroli his nominibus, Riculfum Diaconem, & Eberaldum* Magistrum Pincernarum, ad commonendum & contestandum, vt reminisceret priscorum sacramentorum suorum; & vt non aliter faceret, nisi sicut iureiurando iamdudum promiserat ad partem domni Pipini Regis, & domni Caroli Magni Regis Francorum. Et consensit Tassilo Dux Bajoariorum, vt sumptos obsides à domno Rege Carolo, tunc veniret ad eius præsentiam. quod & domnus præfatus Rex non renuit. Et coniungens se supradictus Dux in præsentiam piissimi Regis ad VVarmaciam ciuitatem, ibi renouans sacramenta, & dans XII. obsides electos, vt omnia conseruaret, quicquid domno Pipino Regi iureiurando promiserat in eaussa supradicti domni Caroli Regis, vel fidelium suorum. Qui & ipsi obsides recepti sunt in Carisiacum villa de manu Ingberti* Episcopi. Sed non diu præfatus Dux Tassilo promissiones quas fecerat conseruauit. Et celebrauit domnus prædictus gloriosus Rex Natalem Domini in supradictam villam Carisiacum, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in B

* C. Eberhardum.

* P. Sinberti.

782. DCCLXXXII.

XLII. Tunc domnus Carolus Rex iter peragens, Rhenum transiens ad Coloniam, Synodum tenuir vbi Lippia consurgit. Ibique omnes Saxones venientes, excepto rebellis VVindochindus*. Etiam illuc conuenerunt Nordmanni missi Sigifredi Regis, id est Haltoni*, cum sociis suis. Similiter & Auari illuc conuenerunt missi à Cagano & Vigurro*. Ibi peracto Placito, reuersus est domnus Carolus Rex in Franciam. Et cùm reuersus fuisset, statim iterum Saxones solito more rebellati sunt, suadente VVidochindo, & ignorante hoc domno Carolo Rege. misit Missos suos Adhalgisum & VVailonem* atque VVoradum, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum super Selauos paucos qui rebelles fuerant. Et supranominati Missi in via audientes quòd Saxones rebellati fuissent, coniungentes supradictam scaram, inruerunt super Saxones, & nullum mandatum exindè fecerunt domno Carolo Regi. Et commiserunt bellum cum Saxonibus, & fortiter pugnantes, & multos Saxones interementes, victores extiterunt Franci. Er ceciderunt ibi duo ex ipsis Missis, Adalgisus & Gailo, in monte qui dicitur Suntdal. Hoc audiens domnus Carolus Rex, vnà cum Francis, quos sub celeritate coniungere potuit, illuc perrexit, & peruenit vsque ad locum vbi Alara confluit in VVisora. Tunc omnes Saxones iterum conuenientes, subdiderunt se sub potestate supradicti domni Regis, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maximè terminauerunt, ad occidendum IIII. M. D. quod ita & factum est. excepto VVidochindo, qui fugâ elapsus est partibus Nortmanniæ. Hæc omnia peracta, reuersus est præfatus domnus Rex in Francia. Et celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Theodone-villa, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in C

* C. VVindikinde. P. VVidochindus.

* C. Halbdani. P. Halptani

* C. Vigerio

* P. Gailonem. C. Algonē.

783. DCCLXXXIII.

XLIII. Tunc obiit domna ac benè merita HILDEGARDIS Regina pridie Kal. Maij, quod euenit in die tunc in tempore vigilia Ascensionis Domini. Er domnus Rex Carolus iter fecit partibus Saxoniæ, eo quòd Saxones iterum rebelles fuissent,

A & cum paucis Francis ad Theotmallim* peruenit. Ibi Saxones præparauerunt CAROLVS MAGNVS.
pugnam in campo. Quo viriliter domnus Carolus Rex & Franci solito more su- *C.Theotvvaldi.
per eos irruentes, & Saxones terga vertentes, Domino auxiliante Franci victo-
res extiterunt. Et cecidit ibi maxima multitudo Saxonum, ita vt pauci fugam e-
uasissent. Et indè cum victoria venit suprascriptus gloriosus Rex ad Paderbrun-
nen, ibi coniungens exercitum suum. Et perrexit vbi iterum Saxones se coniun-
xerunt ad fluuium, cuius vocabulum est Hasa. Ibi iterum pugna inita, non mi-
nor numerus Saxonum cecidit, & auxiliante Domino Franci victores extiterunt.
Et iter peragens iamdictus domnus Rex, VVisoram fluuium transiit, ad Albiam
fluuium vsque peruenit, & inde reuersus præfatus magnus Rex in Franciam. Et
in eodem anno obiit bonæ memoriæ domna BERTA Regina IV. Idus Iulij. Et
cùm VVarmaciam peruenisset domnus Rex Carolus, sociauit sibi in matrimo-
nium domnam FASTRADANEM Reginam. Et celebrauit Natalem Domini
in villa quæ dicitur Haristallio, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus
annorum in

DCCLXXXIV. 784.

Et tunc rebellati sunt iterum Saxones solito more, & cum eis pars aliqua Fri- XLIV.
sonum. Tunc deinde domnus Carolus Rex iter peragens, Rhenum transiit ad
Lippiam, & ingressus est Saxoniam circuiendo & vastando, vsquequo peruenit
ad Huculin*. Ibi consilio inito, eo quòd nimium inundationes aquarum fuissent, *P.Huculin. C. Huculum.
vt per Thoringiam de Orientale parte introisset super Ostfalaos, & filium suum
B domnum Carolum dimisisset vnà cum scara contra VVestfalaos. quod ita factum
est. Domnus Rex Carolus perrexit per Thoringiam vsque ad fluuium Albiam,
& inde ad Stangfurd, & inde ad Scaingi*. Ibique conuentione facta, reuersus *P. Scahiningi. C.Schalingi.
est in Franciam supradictus gloriosus Rex. VVestfalai verò voluerunt se congre-
gare ad Lippiam. Quo audito, supradictus filius domni Caroli Regis obuiam eis
accessit, vnà cum scara quæ cum eo dimissa fuit in pago, qui dicitur Dragini*, *C. Oragini.
& inierunt bellum. Auxiliante Domino; domnus Carolus filius magni Regis
Caroli victor extitit, vnà cum Francis, multis Saxonibus interfectis. Volente
Deo inlæsus remeauit ad genitorem suum in VVarmaciam ciuitatem. Ibique
inito consilio cum Francis, vt iterum hiemis tempore iter faceret supradictus
domnus Rex in Saxoniam. quod ita & factum est. Et celebrauit Natalem Domi- *P.VVaizzagauui. C.VVarzaganni.
ni iuxta Skidrioburg in pago VVauzannaga*, super fluuium Ambra, in villa Lui-
di*. Et immutauit se numerus annorum in *P. Liudihi.

DCCLXXXV. 785.

Tunc domnus Rex Carolus supradictum iter peragens, vsque ad Rimee per- XLV.
uenit super fluuium VVisoram, vbi confluit VVaharna*. Et propter nimiam in- *C. Vinharna.
undationem aquarum indè reuersus est Heresburgum: vxorem suam domnam
Fastradanem Reginam vnà cum filiis & filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota
C hieme resedens, ibidem Pascha iamfatus excellentissimus Rex celebrauit. Et
dum ibi resideret, multotiens scaras misit, & per semetipsum iter peregit. Saxo-
nes, qui rebelles fuerunt, deprædauit, & castra cepit, & loca eorum munita in-
teruenit, & vias mundauit*. Dum tempus congruum venisset, Synodum publi- *C.inundauit.
cum celebrauit apud Paderbrunnen. Et indè iter peragens, vias apertas faciens,
nemine contradicente per totam Saxoniam, quocumque voluit. Et tunc in Bar-
dengauui venit. Ibique mittens post VVindochindum & Abbionem, vtrosque
ad se conduxit & firmauit, vt non se subtraxissent, nisi in Francia ad eum perue-
nissent: petentibus illis, vt credentias haberent quòd inlæsi fuissent. sicut & fa-
ctum est. Tunc domnus Carolus Rex reuersus est in Franciam, & mittens ad su-
pradictos VVindochindum & Abbionem obsides per Missum suum Amalluuio-
nem*. Qui cùm recepissent obsides illos, secum deducentes, coniunxerunt se *C. Amaluuinum.
ad Attiniacum villam ad domnum Regem Carolum. Et ibi baptizati sunt supra-
nominati VVidochindus & Abbio, vnà cum sociis eorum. Et tunc tota Saxo-
nia subiugata est. Et in eadem villa celebrauit sæpedictus gloriosus Rex Nata-
lem Domini, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXXVI. 786.

Tunc domnus Carolus Rex misit exercitum suum partibus Britanniæ vnà cum XLVI.
Misso suo Audulfo Sinescalco, & ibi multos Brittones conquisierunt, vnà cum

CAROLVS MAGNVS. castellis & firmitatibus eorum, locis palustribus, seu & in eesis. Et sicut suprà diximus, in multis munitatibus Brittonum prævaluerunt Franci, & cum victoria Domino volente reuersi sunt. Et Capitaneos eorum ad Synodum repræsentabant supradicto domno Regi Carolo in VVarmatiam. Tunc domnus Rex Carolus prospiciens se ex omni parte, Deo largiente, pacem habere, sumpsit consilium, deuotionis causa ad limina beatorum Apostolorum iter peragendi, & causas Italicas disponendi, & cum Missis Imperatoris Placitum habendi de conuenentiis eorum. quod ita factum est. Tunc suprascriptus domnus Rex Natalem Domini celebrauit in Florentia ciuitate. Et immutauit se numerus annorum in A

787. DCCLXXXVII.

XLVII. Tunc domnus Rex Carolus supradicto itinere iter peragens Romam venit, & valdè honorificè à domno Apostolico Hadriano receptus est: & aliquot dies ibi moratus est cum domno Apostolico. Et Arigis* Dux Beneuentanus misit Rumaldum filium suum cum magnis muneribus postulare de aduentu iamdicti domni Regis, vt in Beneuenro non introisset, & omnes voluntates præfati domni Regis adimplere cupiebat. Sed hoc Apostolicus minimè credebat, neque Optimates Francorum. Et consilium fecerunt eum supranominato domno Carolo Rege, vt partibus Beneuentanis causas firmando adueniisset. quod ita factum est. Et dum Capuam venisset, Areghisus* Dux reliquit Beneuentum ciuitarem, & in Salernum se reclusit: & timore perterritus non fuit ausus per semetipsum faciem domni Caroli Regis videre. Sed mittens Missos, & ambos filios suos proferens, id est Rumaldum, quem domnus Carolus Rex secum habebat, & Grimoaldum, quem supradictus Areghis secum retinebat: & offerens multa munera, & alios obsides, vt petitioni eius obtemperasset. Tunc domnus ac gloriosus Rex Carolus prospexit vnà cum sacerdotibus vel ceteris Optimatibus suis, vt non terra deleretur illa, & Episcopia vel Monasteria non desertarentur. Elegit XII. obsides, ac decimum tertium filium supradicti Ducis nomine Grimoaldum. Et accepta munera, iurauerunt omnes Beneuentani, tam supradictus Dux, quàm & Rumaldus. Et reuersus est sæpè nominatus Rex, & celebrauit Pascha cum domno Apostolico in Roma. Ibique venientes Missi Tassilonis Ducis, hij sunt, Arnus Episcopus, & Hunricus Abba, petierunt Apostolicum, vt pacem terminaret inter domnum Carolum Regem, & Tassilonem Ducem. Vnde & domnus Apostolicus multum se interponens, postulando iamdicto domno Regi. Et ipse domnus Rex respondit Apostolico, hoc se voluisse, & per multa tempora quæsisse, & minimè inuenire potuisse, & proferebat statim fieri. Et voluit supradictus domnus Rex in præsentia domni Apostolici cum ipsis Missis pacem firmare: & renuentibus supradictis Missis, dicendo quia non ausi fuissent de eorum parte vllam firmitatem facere. Apostolicus verò cùm cognouisset de instabilitate vel mendacio eorum, statim supra dictum Ducem eorum vel suis consentaneis anathema posuit: si ipsa sacramenta, quæ promiserat domno Pipino Regi, & domno Carolo item Regi, non adimplesset. Et obtestans supradictos Missos, vt contestarent Tassilonem, vt non aliter fecisset, nisi in omnibus obediens fuisset domno Regi Carolo, & filiis eius, & genti Francorum: vt ne fortè sanguinis profusio proueniret, vel læsio terræ illius. Et si per se Dux obdurato corde verbis supradicti Apostolici minimè obedire voluisset, tunc domnus Carolus Rex, & suus exercitus, cùm absoluti fuissent ab omni periculo peccati, & quicquid in ipsa terra factum eueniret in incendiis, aut in homicidiis, vel in qualecumque malitia, vt hoc super Tassilone & eius consentaneis euenisset: & domnus Rex Carolus, ac Franci, innoxij ab omni culpa exindè permansissent. Hæc verba expleta, Missi Tassilonis absoluti sunt. Et tunc in inuicem sibi domnus Apostolicus atque domnus gloriosus Carolus Rex valedicentes, benedictione assumpta, oratione peracta, Franciam iamdictus præcellentissimus Rex reuersus est. Et peruenit idem mitissimus Rex ad coniugem suam domnam Fastradanem Reginam in ciuitate VVarmatia: & ibi ad inuicem gaudentes & lætificantes, ac Dei misericordiam conlaudantes. Synodum namque congregauit suprascriptus domnus Rex ad eandem ciuitatem. Et Sacerdotibus suis, & aliis Optimatibus nunciauit, qualiter omnia in itinere suo peragebantur. Et cùm venisset ad hunc locum, quòd omnia explanasset de parte Tassilonis, sicut actum erat: tunc peri-

* P. Harichis. C. Arigles.

* P. Harichisus.

B

C

A ſpiciens idem Rex vt Miſſos mitteret, mandarétque Taſſiloni, vt omnia adimplere feſtinaret ſecundùm iuſſionem Apoſtolici, vel ſicut iuſtitia erat: eo quòd ſub iureiurando promiſſum habebat, vt in omnibus obediens & fidelis fuiſſet domno Regi Carolo, & filiis eius, vel Francis, & veniret ad eius præſentiam. quod renuit, & venire contempſit. Tunc domnus Rex Carolus vnà cum Francis videns iuſtitiam ſuam, iter cœpit peragere partibus Baioariæ cum exercitu ſuo, & per ſemetipſum venit in loco, qui Lecfel vocatur, ſuper ciuitatem Auguſtam. Et iuſſit alium exercitum fieri, id eſt Francorum, Auſtraſiorum, Thoringorum, & Saxonum, & coniungere ſuper Danubium fluuium, in loco qui dicitur Faringa. Et tertium exercitum iuſſit fieri partibus Italiæ, vt domnus Pipinus Rex veniſſet vſque ad Triantum cum exercitu ſuo, & ipſe ibi maneret, & exercitum ſuum pleniter in antè mitteret vſque ad Bauzarum*. Tunc proſpiciens ſe Taſſilo ex omni parte eſſe circumdatum, & videns quòd omnes Bajoarij plus eſſent fideles domno Regi Carolo, quàm ei, & cognouiſſent iuſtitiam iamdicti domni Regis, vt magis voluiſſent iuſtitiam conſentire, quàm contrarij eſſe: vndique contriſtatus Taſſilo venit per ſemetipſum, tradens ſe manibus domni Regis Caroli in vaſſaticum, & reddens Ducatum ſibi commiſſum à domno Pipino Rege, & cognouit ſe peccaſſe in omnibus, & malè egiſſe. Tunc denuò renouans ſacramenta, & dedit obſides electos XII. & decimum tertium filium ſuum Theodonem. Receptis obſidibus, & præſtitis ſacramentis, tunc reuerſus eſt præfatus gloriosus Rex in Franciam. Et celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur B Ingilenhaim*, & Paſcha ſimiliter. Et immutauit ſe numerus annorum in

*C. Bauzanum.

*C. Ingelhaim.

DCCLXXXVIII. 788.

XLVIII. Tunc domnus Rex Carolus congregans Synodum ad iamdictam villam Ingilenhaim, ibíque veniens Taſſilo ex iuſſione domni Regis, ſicut & cæteri eius vaſſi*. Et cœperunt fideles Baioarij dicere, quòd Taſſilo fidem ſuam ſaluam non haberet, ſed poſtea fraudolans appareret, poſtquam filium ſuum dedit cum aliis obſidibus, & ſacramenta fefellit ſuadente vxore ſua Liutbergane*. Quod & Taſſilo denegare non potuit, ſed confeſſus eſt poſtea ad Auaros tranſmiſiſſe, vaſſos ſupradicti domni Regis ad ſe adhortaſſe, & in vitam eorum conciliaſſe: & homines ſuos, quando iurabant, iubebat vt aliter in mente retinerent, & ſub dolo iurarent: & quod magis confeſſus eſt, ſe dixiſſe, etiamſi decem filios haberet, omnes voluiſſet perdere, antequàm placita ſic manerent, vel ſtabile permitteret ſicut iurauit*. Et etiam dixit, meliùs ſe moriturum eſſe, quàm ita viuere. Et de his omnibus comprobatus*, Franci, & Baioarij, Langobardi, & Saxones, vel omnes ex aliis Prouinciis, qui ad eandem Synodum congregati fuerunt, reminiſcentes priorum malorum eius, & quomodo domnum Pipinum Regem in exercitu derelinquens, & ibi quod Theodiſca linguâ Hariſlit* dicitur, viſi ſunt iudicaſſe ſe eundem Taſſilonem ad mortem. Sed dum omnes vna voce acclama- C rent, capitali eum ferire ſententiâ, iamdictus domnus Carolus piiſſimus Rex motus miſericordiâ ob amorem Dei, & quia conſanguineus eius erat, contenuit ab ipſis Dei ac ſuis fidelibus, vt non moriretur. Et interrogatus à iamfato clementiſſimo domno Rege prædictus Taſſilo, quid agere voluiſſet; ille verò poſtulauit, vt licentiam haberet ſibi tonſorandi, & in Monaſterio introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & vt ſuam ſaluaret animam. Similiter & filius eius Theodo diiudicatus eſt, & tonſoratus, & in Monaſterio miſſus. Et pauci Baioarij, qui in aduerſitate domni Caroli Regis perdurare volebant, miſſi ſunt in exilio. Eodem quoque anno commiſſum eſt bellum inter Græcos & Langobardos, id eſt Duce Spolitano nomine Hildebrando, ſeu Duce Grimaldo, quem domnus Rex Carolus poſuit Ducem ſuper Beneuentanos. Et fuit miſſus VVinechiſus* cum paucis Francis, vt præuiderent eorum omnia quæ geſſiſſent. Et auxiliante Domino, victoria eſt facta à Francis ſeu ſupranominatis Langobardis. Similiter & alia pugna commiſſa eſt inter Auaros in loco cui vocabulum eſt .... & Francos, qui Italiam commanere videntur. Opitulante autem Domino victoriam obtinuerunt Franci, & Auari cum contumelia reuerſi ſunt, fugâ lapſi ſine victoria. Tertia pugna commiſſa eſt inter Baioarios & Auaros in campo Hiboſe. Et fuerunt ibi Miſſi domni Regis Caroli Grahamannus & Audacrus, cum aliquibus Francis. Domino auxiliante, victoria fuit Francorum,

*C. vaſſalli

*C. Liutbarge.

*P. iuratũ habuit.

*C. conuictus.

*P. Hariſtalliz.

*C. VVinegiſus.

CAROLVS MAGNVS. seu Baioariorum. Et ista omnia supradictus Dux Tassilo, seu maliuola vxor eius Liutberga Deo odibilis per fraudem consiliauerunt, & peregerunt. Quarta pugna fuit commissa ab Auaris, qui voluerunt vindictam peragere contra Baioarios. Ibi similiter fuerunt Missi domni Caroli Regis, & Domino protegente victoria Christianorum aderat. Auari fugam incipientes, multa strages * ibidem facta est occidendo, & alij in Danubio fluuio vitam necando emiserunt. [* Post hæc omnia domnus Carolus Rex semeripsum ad Reganesburg peruenit, & ibi fines vel marcas Baioariorum disposuit, quomodo saluæ Domino protegente contra iamdictos Auaros esse potuissent. Indè verò reuersus, celebrauit Natalem Domini in Aquis Palatio, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in A

*C. strages. * Canisii editio sequentia non habet.

789. XLIX. DCCLXXXIX. Codex MS.

Inde iter permotum partibus Sclauaniæ, cui vocabulum est VVilze, Dōmino adiuuante. & vnà cum consilio Francorum & Saxonum perrexit Rhenum. Ad Coloniam transiens, per Saxoniam vsque ad Albiam fluuium venit, ibique duos pontes construxit. Quorum vno ex vtroque capite castellum ex ligno & terra ædificauit. Exindè promotus inantè, Domino largiente, supradictos Sclauos sub suo dominio conlocauit. Et fuerunt cum eo in eodem exercitu Frāci & Saxones. Frisiones autem nauigio per Labola fluuium cum quibusdam Francis ad eum coniunxerunt. Fuerunt etiam Sclaui cum eo, quorum vocabula sunt hæc, Suburbi, necnon & Abotriti, quorum Princeps fuit VVizzan. Ibique obsides receptos, & sacramenta quamplurima, Domino perducente, Franciam peruenit. Et celebrauit Natalem Domini in VVarmatiam, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCLXXXIX. Editio Canisij.

Tunc domnus Carolus Rex peruenit Saxoniam, & perrexit vsque ad Sclauos, qui dicuntur VVilzi, & venerunt Reges via illius cum Rege eorum Tragonito ei obuiam, pacem petentes, tradiderunt vniuersas Terras illas sub dominatione Caroli Regis Francorum, & dederunt obsides. Quibus peractis, Rex reuersus est in Franciam. B

790. L. DCCXC.

In sequenti verò anno nullum fecit iter. Sed ibi in iamdicta ciuitate iterum Natalem Domini celebrauit, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCXC.

Tunc Rex Conuentum habuit in VVormatia, & ipse annus transiit sine hoste. Et celebrauit Carolus Rex Pascha in VVormatia. C

791. LI. DCCXCI.

Inde autem itinere permoto partibus Baioariæ, perrexit ad Reganesburg. Ibi exercitum suum coniunxit. Ibique consilio peracto Francorum, Saxonum, Frisonum, disposuerunt propter nimiā malitiam & intolerabilem, quam fecerunt Auari contra sanctam Ecclesiam, vt populum Christianum, vnde iustitias per Missos impetrare non valuerunt, iter fuit consilium peragendi, cum Dei adiutorio, partibus iamdictis Auarorum. Et perrexerunt ad Anisam fluuium properantes. Ibi constituerunt Letanias faciendi per triduo, Missarúmque sollemnia celebrando, Dei sola-

DCCXCI.

Et currente anno DCCXCI. eo tempore quo solent Reges ad bellum procedere, mouit exercitum suum innumerabilem multitudinem contra pessimam gentem Auarorum. Diuisitque exercitum suum in tres partes, & sic intrauit ipse per partes iam in fines Hunnorum, ex meridiana parte Danuuii. Sed & de alia parte Danuuii alius exercitus Ripuariorum, & Frisonum, & Saxonum, cum Thuringis. Sed & naualem hostis per Danubium, vt ex vtraque ripa Rex potestatem habere potuisset cum exercitu suo. Et sic intrauit terram illam istinc & illinc. In medio autem erat exercitus naualis. Et terruit eos Dominus in conspectu eius, ita vt

A *vt nullus ei resistere ausus esset. Sed vbicumque aut fossas, aut aliquam firmitatem, siue montes, seu ad flumina, vel siluas confugerent. Tamen statim ipse aut exercitus eius aduenit, continuò partim traditi, partim occisi, partim fugâ elapsi sunt. Sed & ille tertius exercitus, quem Pipinus filius eius de Italia transmisit, introiuit in Illyricum, & indè in Pannoniam, & fecerunt ibi similiter, vastantes & incendentes terram illam, sicut Rex fecisset cum exercitu suo, vbi ipse erat. Cùm autem vidisset Rex Carolus, quòd nullus ei de parte Auarorum resistere ausus esset, aut suis, tunc circumiuit Terram illam, per dies quinquaginta duos incendendo & vastando cum præda sine mensura & numero, & captiuos & mulieres & paruulos innumerabilis indè multitudo ducebat. Et in ipso itinere obiit bonæ memoria Angilrannus Archiepiscopus Mediomatricis* B *Ecclesiæ. Et Sympertus Episcopus ibi defunctus est. Et Rex Carolus rediit in Baioariam, & ibi hiemauit.*

DCCXCII.

Tunc sequenti anno resedit Rex in Baioaria, & apud Reganespurg celebrauit Pascha. Sed appropinquante æstate, Saxones existimantes, quòd Auarorum gens se vindicare de Christianis debuisset, hoc quod in corde eorum dudum iam antea latebat, manifestissimè C *ostendebant, quasi canis qui reuertitur ad vomitum suum, & ad paganismum, quem pridie respuerunt, iterum relinquentes Christianitatem, mentientes tam Deo quàm domno Regi, qui eis multa beneficia præstitit, coniungentes se cum paganis gentibus, quæ in circuitu eorum erant. Sed & Missos suos ad Auaros transmittentes, conati sunt imprimis rebellare contra Deum Dominum, contra Regem, Christianos. Omnes Ecclesias, quæ in finibus eorum erant; cum destructione & incendio vastabant, reiicientes Episcopos & Presbyteros, qui super eos erant: & aliquos comprehenderunt, nec non alios occiderunt, & plenissimè se ad culturam idolorum conuerterunt. Et in ipso anno inuentum est consilium pessimum, quod Pipinus filius Regis ex concubina Hilmedrade nomine genitus, contra Regem**

Carolus Magnus.

tium postulauerunt pro salute exercitus, & adiutorio Domini nostri Iesu Christi, & pro victoria & vindicta super Auaros. Supradictus verò Princeps de Australi parte Danubij iter peragens, Saxones autem cum quibusdam Francis, & maximè plurima * Frixorum de Aquilone parte Danubij similiter iter peragentes, vbi ad locum peruenerunt, vbi iamdicti Auari firmitates habuerunt præparatas. De Australi verò parte Danubij ad Cummeoberg, de alia verò ripa in loco qui dicitur Camp, quia sic nominatur fluuius ille, qui ibi confluit in Danubio. Auari enim cùm vidissent vtrasque ripas exercitum continentes, [* & nauigia per medium fluuium venientes; à Domino eis terror peruenit: dereliquerunt eorum loca munita, quæ suprà nominata sunt, firmitatésque eorum, vel machinationes dimiserunt, fugâ lapsi, Christo perducente populo suo, vtrosque exercitus sine læsione introduxit supradictus Rex.] Sicque iter peregerunt vsque ad fluuium, cuius vocabulum est Raba. Et exindè vterque exercitus de ambabus ripis ad propria reuersi sunt, magnificantes Deum de tanta victoria. Et celebrauit domnus Rex Carolus Natalem Domini in Reganesburg, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

* Frisonum

* Sequentia addita sunt ex Cod. Pet.

DCCXCII. 792.

[* Coniuratio contra Regem à filio eius PIPINO facta, detecta & compressa est.] Heresis Feliciana primitus audita, & in Reganesburg primò condemnata est. Quem Angilbertus ad præsentiam Adriani Apostolici adduxit, & confessione facta, suam heresim iterum abdicauit. Eodem anno nullum iter exercitale factum est. Pons super nauigia flumina transeuntia factus est, anchoris & funibus ita cohærens, vt iungi & dissolui possit. Ibi Natalem Domini & Pascha celebrauit Carolus Rex. Et immutauit se numerus annorum in

LII.

* Addit. ex Cod. Pet.

* leg. Regis

vitam, seu filiorum eius, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, qui voluerunt Regem & ipsos occidere, & ipse pro eo quasi Abimelech in diebus Iudicum Israel regnaret, qui occidit fratres suos, septuaginta viros super petram vnam, & regnauit pro Gedeone patre suo, cum malitia tamen, & non diu. Rex Carolus cùm cagnouisset consilium Pipini, & consentaneorum suorum, coadunauit aduentum Francorum, & aliorum fidelium suorum ad Reganesburg. Vbi vniuersus populus Christianus, qui cum Rege aderant, iudicauit Pipinum & consentaneos suos in ipso nefando consilio, vt hereditate & vitâ priuarentur, & ita de aliquibus impletum est. Nam de Pipino filio suo, quia voluit Rex vt occideretur, iudicauerunt Franci vt ad seruitutem ei inclinare debuisset. Et ita factum est, & misit tam Clericum in Monasterium. Et iterum ibidem moratus est Rex. A B

793. DCCXCIII.

LIII. Rex Autumnali rempore de Ragenisburg irer nauigio faciens, vsque ad fossarum magnum inter Alemanum & Radantia peruenit. Ibique Missi Apostolici cum magnis muneribus præsentati sunt. Ibi nuncius nunciauit, Saxones iterum fidem suam fefellisse. Indè per Radantia in Mochin nauale iter peragens, Natalem Domini celebrauit ad Sanctum Chilianum in VVirsinburg. Et immutatus est numerus annorum in

DCCXCIII.

Ipsa hyeme fecit iterum Rex Carolus apud Reganesburg Conuentum. Et cùm conuenissent, fideles Episcopos, Abbates, & cunctos qui cum ipso erant, & reliquum populum fidelem, qui cum Pipino in consilio pessimo erant, nos multipliciter honorauit. Et in ipsa hyeme transiuit Rex cum filiis suis Pipino & Ludouico contra hostes. Et facta est ibi fames validissima super populum qui ibi erat, & super exercitum qui ibi aduenerat: ita vt in ipsa Quadragesima aliquandò à carnibus non abstinerent. Sed & in Burgundia & Francia peruualida fuit. Et cùm domnus Pipinus Rex indè pergeret, Sarraceni, qui in Hispania erant, existimantes quòd Auari contra Regem dimicassent, egressi de finibus suis in aliquam India partem, coniungentes se inuicem ad partem nostram, multi ibidem ceciderunt de vtraque parte. * * * C

Huc vsque Codex Bauaricus, quem Canisius sequutus est.

794. DCCXCIIII.

LIV. Pascha celebratum est in Francnofurt, ibique congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia iam fati Principis, & Missorum domni Apostoliei Adriani, quorum nomina hæc sunt: Theofilactus & Stephanus Episcopi. Ibi rertiò condemnata est hæresis Feliciana. Quam damnationem pet auctoritatem sanctorum Patrum in Libro conscripserunr, quẽ Librum omnes sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Ibi obiir Fastradane Regina, & in sancto Albano honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorũ, quã falsò septimam vocabant, & pro adotandis imaginibus fecerunr, reiecta est à Pontificibus. Indè morus est exercitus partibus Saxoniæ per duas rurmas. In vnam fuit ipse domnus Carolus gloriosissimus Rex, in aliam misir domnum Carolum nobilissimum filium suum pet Coloniam. Saxones autem congregantes se in eam-

Sequentia vsque ad finem Libelli stylo differunt à præcedentibus. Quare ab alio Authore descripta, vel saltem in multis correcta fuisse suspicio est.

A po, qui dicitur Sinaisfelt, præparantes se quasi ad pugnam. Cùm verò audissent CAROLVS
se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipauit Deus consilia eorum. & quam- MAGNVS.
uis fraudulenter, Christianos se & fideles domno Regi fore promiserunt. Rex ad
Palatium, quod Aquisgrani vocatur, rediit, ibique NatalemDomini celebrauit,
& Pascha. Et immutauit se numerus annorum in

DCCXCV. 795. LV.

In quo etiam Rex venit ad locum qui dicitur Cuffinstang, in suburbio Moguntiacensis vrbis, & tenuit ibi Placitum suum. Audiens verò quòd Saxones more solito promissionem suam, quam de habenda Christianitate & fide Regi tenenda fecerant, irritam fecissent, cum exercitu in Saxoniam ingressus est, & vsque ad fluuium Albim peruenit, ad locum qui dicitur Lunis, in quo tunc VVizin Abodritorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi etiam venerunt Missi Tudun, qui in gente & regno Auarorum magnam potestatem habebat, qui dixerunt quòd isdem Tudun cum terra & populo suo se Regi dedere vellet, & eius ordinatione Christianam fidem suscipere. Rex verò afflictis magna ex parte Saxonibus, eorúmque terra vastata, acceptisque obsidibus, in Gallias rediit, & in Palatio qui vocatur Aquisgrani Natalem Domini celebrauit, & Pascha similiter. Et immutauit se numerus annorum in

DCCXCVI. 796. LVI.

Hadrianus Papa obiit, & Leo mox vt in locum eius successit, misit Legatos
B cum muneribus ad Regem, claues etiam confessionis sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis eidem direxit. Sed & Heiricus Dux Furiulensis missis hominibus suis cum VVonomiro Sclauo in Pannonias, Hrigun gentis Auarorum longis retro temporibus quietum ciuili bello fatigatis inter se Principibus spoliauit: Chagan siue Viguro intestina clade addictis, & à suis occisis, thesaurum priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum domno Regi Carolo ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, peractis Deo largitori omnium bonorum gratiarum actionibus, idem vir prudentissimus atque largissimus, & Dei dispensator, magnam indè partem Romam ad limina Apostolorum misit per Angilbertum dilectum Abbatem suum. porrò reliquam partem Optimatibus clericis siue laicis, ceterisque fidelibus suis largitus est. In eodem anno Tudun secundùm pollicitationem suam cum magna parte Auarorum ad Regem venit, se cum populo suo & patria Regi dedit. Ipséque & populus baptizatus est, & honorificè muneribus donati redierunt. Rex collectis exercitibus suis Saxoniam ingressus est, filium suum Pipinum Regem Italiæ in Pannonias cum exercitu misit. Cuius Legationes ad eum in eadem Saxonia venerunt. Vna quæ dixit occurrisse ei Cagan cum ceteris Optimatibus, quem sibi Auares post interfectionem priorum constituerunt. Altera, quæ dixit Pipino cum exercitu suo in Ringo sedere. Et domnus Rex peragrata Saxonia, cum integro exercitu in Gallias se recepit, & in Aquis
C Palatio filium suum Pipinum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri quæ remanserat adducentem, lætus aspexit, atque ibidem Natalem Domini ac Pascha celebrauit. Et immutauit se numerus annorum in

DCCXCVII. 797. LVII.

Barzinona ciuitas Hispaniæ, quæ iampridem à nobis desciuerat, per Zatum Præfectum ipsius nobis est reddita. Nam ipse ad Palatium veniens, domno Regi semetipsum cum ciuitate commendauit. Expeditione facta in Saxoniam, & vsque ad Oceanum, trans omnes paludes & inuia loca transitum est. Et Rex de Hadulobar regressus, (hoc enim loco nomen, vbi Oceanus Saxoniam alluit) tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, trans Renum in Gallias reuersus est. Et in Aquis Palatio Abdellam Sarracenum filium Ibimaugæ* Regis, qui à fratre regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante, suscepit. Illuc & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus, venit, Imperatoris epistolam porrans. Quem magnificè suscipiens, post paucos dies absoluit. & Nouembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intrauit. positisque castris apud VViseram fluuium, locum castrorum *Heristelli* vocari iussit. Illuc Legati gentis Auarorum cum muneribus magnis venerunt. Indè Abdellam Sarracenum cum filio suo Hludouico in Hispanias reuerti fecit, & filium suum Pipinum ad Italiam misit. Ipse ad disponendam Saxo-

* P. Ibinmauge.

CAROLVS MAGNVS. niam totum hiemis tempus impendens, ibi Natalem Domini celebrauit, & Pascha. Et immutauit se numerus annorum in A

798. DCCXCVIII.

LVIII. Venit etiam & Legatus Hadefonsi Regis Galleciæ & Asturiæ nomine Froia* pampilionem miræ pulchritudinis præsentans. In ipso tempore Paschæ Nurliudi* trans Albim sedentes, seditione commota Legatos regios, qui tunc ad iustitias faciendas apud Regem conuersabantur, comprehendunt, & quosdam ex eis statim trucidantes, ceteros ad redimendum reseruant. Ex quibus aliqui effugerunt, ceteri verò redempti sunt. At Rex collecto exercitu, de Heristallio ad locum qui Minda dicitur perrexit, & facto consilio indè in desertores arma corripuit, & totam inter Albim & VVisoram Saxoniam populandam peragrauit. Nortliudi autem contra Trasuconem Ducem Abodritorum, & Eborisum Legatum nostrum commisso prælio, acie victi sunt. Cæsa sunt ex eis in loco prælij quatuor milia, ceteri qui fugerunt & euaserunt, quanquam multi & ex illis cecidissent, de pacis conditione tractauerunt. Et Rex acceptis obsidibus, etiam & his, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant, in Franciam reuersus est, & Aquisgrani Palatium pergens, Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michael Patricius quondam Phrigiæ, & Theophirus Presbyter, epistolam Herenæ Imperatricis ferentes. Nam filius eius Constantinus Imperator anno superiori à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit. Quos cùm absoluisset, absoluit etiam cum eis & Sisinnium* fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi iamdudum in Italia prælio captum. Hoc anno sydus quod dicitur Martis à superioris anni Iulio vsque ad huius anni Iulium nusquam in toto cælo videri potuit. Insulæ Baleares à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Hadefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ prædata Olysipona vltima Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ loricas, mulos, captiuósque Mauros, domno Regi Carolo per Legatos suos Froiam & Basiliscum hiemis tempore misit. Sicque in hoc Palatio Natale Domini & Pascha similiter à domno Rege celebrata sunt. Et immutauit se numerus annorum in B

* P. Froia
* P. Noridiudi.
* P. Simsinnium.

799. DCCXCIX.

LIX. Romani Leonem Papam Letania maiore captum excæcauerunt, ac linguam eiusdem rruncauerunt. Qui in custodia missus noctu per murum euasit, & ad Legatos domni Regis, qui tunc apud Basilicam S. Petri erant, VVitundum scilicet Abbatem, & VVinichisum Spolitanum Ducem, veniens, Spoletum est deductus. Domnus Rex ad Saxoniam profectus, Rhenum ad Lippeam transiuit, & in loco qui vocatur Padabrunno positis castris consedit. Et indè diuiso exercitu, Carlum filium suum cum medietate ad conloquium Sclauorum, & ad recipiendos qui de Nortliudis venerunt Saxones in Bardingauni* direxit. Ipse altera medietate secum retenta, eodem in loco Leonem Pontificem summo cum honore suscepit. Ibique reditum filij sui Carli expectans, Leonem Pontificem simili quo susceptus est honore dimisit. qui statim Romam profectus est, & Rex Aquasgrani Palatium suum reuersus est. In eadem expeditione Legatus Michaelis Siciliæ Præfecti nomine Danihel ad domnum Regem venit, atque indè iterum cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat defecit, & Heiricus Dux Foroiuliensis post tot prosperè gestas res iuxta Tarsaticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum oppressus est. & Geraldus Comes Baioariæ Præfectus commisso contra Auares prælio cecidit. Insulæ Baleares, quæ à Mauris & Sarracenis anno priore deprædatæ sunt, postulato atque accepto à nostris auxilio, nobis se dediderunt, & cum Dei auxilio à nostris à prædonum incursione defensi sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, & domno Regi præsentata sunt. VVido Comes, qui in marca Brittanniæ præsidebat, vnà cum sociis Comitibus Brittanniam ingressus, totámque perlustrans, in deditionem accepit: & Regi de Saxonia reuerso arma Ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus præsentauit. Nam his se & terram & populum vniuscuiusque illorum tradidit, & tota Brittanniorum prouincia, quod numquam antea à Francis fuerat, à Francis subiugata est. Eodem anno Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem & reliquias de sepulcro Domini, quos Patriarcha Hierosolymitanus domno Regi miserat, detulit. C

* P. Bardûgauum.

Azan Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis per Legatum suum cum CAROLVS
A muneribus transmisit. Celebratúsque est dies Natalis Domini in eodem Palatio. MAGNVS.
Et immutauit se numerus annorum in

DCCC. 800.

Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum reuerti fecit, mittens cum eo LX.
Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui donaria eius per illa sancta loca deferret. Ipse medio Martio mense Aquisgrani Palatio digrediens, litus Oceani Gallici perlustrauit, in ipso mari, quod tunc piratis infestum erat, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha in Centulo apud sanctum Richarium celebrauit. Indéque iterum per litus Oceani Ratumagum ciuitatem profectus est. Ibique Sequana amne transmisso, Turonis ad sanctum Martinum orationis causâ peruenit, moratus ibi dies aliquot propter aduersam domnæ Liutgardæ coniugis valitudinem, quæ ibidem & defuncta, & humata est. Obiit autem die pridie Non. Iun. Inde per Aurelianos ac Parisios regressus, Aquasgrani reuersus est. Et pridie Non. Iul. insolito more aspera pruina erat, & VII. Id. Iul. similiter. Quæ tamen nihil incommoditatis fructibus attulit. Et mense Augusto inchoante Moguneiacum veniens, iter in Italiam conduxit, atque indè profectus, cum exercitu Rauennam venit. Ibique ordinata in Beneuentanos expeditione, post VII. dierum inducias Romam iter conuertit, & exercitum cum Pipino filio in Bene-
B uentanorum terras prædarum ire iussit. Romam verò cùm venisset, occurrit ei pridie Leo Papa, & Romani cum eo apud Nomentum, duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate summóque honore suscepit. Prandénsque cum eo in loco prædicto, statim eum ad vrbem præcessit, & in crastinum in gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent; ipse cum Clero & Episcopis equo descendentem, gradúsque ascendentem suscepit. Dataque oratione in Basilica beati Petri Apostoli, psallentibus cunctis introduxit. Facta sunt autem sub die VIII. Kal. Decembris. Post septem verò dies Rex concione vocata, cur Romam venisset omnibus patefecit, & exindè cotidie ad quæ venerat facienda operam dedit. Inter quæ vel maximum, vel difficillimum erat, quod primum inchoatum est, de discutiendis quæ Pontifici obiecta sunt criminibus. Qui tamen postquàm nullus probator criminum esse voluit, coram omni populo in Basilica beati Petri Apostoli Euangelium portans ambonem conscendit. Inuocatóque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando se ab obiectis criminibus purgauit. Eadem die Zacharias cum duobus Monachis, vno de monte Olíueti, altero de sancto Saba, de Oriente reuersus Romam venit. quos Patriarcha Hierosolymitanus cum Zacharia ad Regem misit. Qui benedictionis causâ claues sepulcri Dominici, ac loci Calua-
C tiæ, claues etiam ciuitatis & montis, cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absoluit. Celebrauitque Natalem Domini Romæ. Et immutatus est numerus annorum in

DCCCI. 801.

Ipsa die sacratissima Natalis Domini cùm Rex ad Missam ante confessionem LXI.
beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo adclamatum est, KAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Et post Laudes ab Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricij nomine Imperator & Augustus appellatus est. Post paucos autem dies iussit eos, qui Pontificem anno superiore deposuerunt, exhiberi. & habita de eis quæstione secundùm legem Romanorum, vt Majestatis rei capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Ceterùm pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Huius factionis fuêre principes Paschalis nomine Dapot, & Campulus Sacellarius, & multi alij Romanæ vrbis habitatores nobiles, qui simul omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis deinde Romanæ vrbis, & Apostolici, totiúsque Italiæ, non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis & priuatis rebus. nam tota hyeme

CAROLVS MAGNVS. non aliud fecit Imperator, missaque iterum in Beneuentanos expeditione cum Pipino filio suo, ipse post Pascha VII. Kal. Maij Romã profectus Spoletium venit. Ibi dum esset, II. Kal. Maij horã noctis secundã terræmotus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Quo motu tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit. & in quibusdam locis vrbes, montes ruerunt. eo vt anno loca quædam circa Renum fluuium & in Gallia & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est. Imperator de Spoletio Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus Papiam pertexit. Ibi nunciatur ei Legatos Aaron Ammiralmumnuni Regis Persarum portum in Pisas intrasse. quibus obuiam mittens inter Vercellis & Eporeiã, eos ibi fecit præsentari. Vnus enim ex eis erat Persa de Oriente, Legatus Regis Persarum. nam duo fuerant. Alter Sarracenus de Africa, Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Qui Isaac Iudeum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lantfrido & Sigimundo miserat, reuersum cum magnis muneribus nuntiauerunt. Nam Lantfridus ac Sigimundus ambo defuncti erant. Tum ille misit Ercanbaldum Notarium in Liguriam ad classem parandam, qua elefans & ea quæ cum eo deferebantur, subueherentur. Ipse verò, celebrato Natali sancti Iohannis Baptistæ apud Eporeiã, Alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas Hispaniæ iam biennio obsessa. Zatum Præfectus eius, & alij complures Sarraceni comprehensi. Et in Italia Teate ciuitas similiter capta & incensa est. eius B Præfectus Roselmus comprehensus est. Castella, quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt. Zatum & Roselmus vna die ad præsentiam Imperatoris perducti, & exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobrio Isaac Iudeus de Africa cum elefanto regressus portum Veneris intrauit. & quia propter niues Alpes transire non potuit, in Vercellis hiemauit. Imperator Aquisgrani Palatio Natale Domini celebrauit. Et immutauit se numerus annorum in

802. DCCCII.

LXII. Herena Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatarium, de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Et Imperator vicissim propter ipsum, absoluto illo, misit Iesse Episcopum Ambianensem, & Heingaldum* Comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Celebratum est Pascha Aquisgrani Palatio. Ipsius anni mense Iulio XIII. Kal. Augusti venit Isaac cum elefanto, & ceteris muneribus quæ à Rege Persarum missa sunt. & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. Nomen elefanti erat Abulabat. Ortona ciuitas in Italiam in deditionem accepta. Lucerna quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit. præsidiumque nostrorum in ea positum. Imperator æstatis tempore in Arduennã venatibus operam dedit. & misso Saxonum exercitu, trans-Albianos Saxones vastabat. Grimoaldus Benenentorum Dux in Lucerna VVinigisum Comitem Spoletij, qui præsidio præerat, aduersa valitu- C dine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè habuit. Imperator Aquisgrani Natalem Domini celebrauit. Et immutauit se numerus annorum in

* Reginо Heingaudum vocat.

803. DCCCIII.

LXIII. Hoc hieme circa ipsum Palatium & finitimas regiones terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est. VVinigisus à Grimoaldo redditus est. & Missi domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicifori Imperatoris, qui tunc rempublicam regebat. Nam Herenam post aduentum Legationis Franciæ deposuerunt. quorum nomina fuerunt, Michael Episcopus, Petrus Abbas, & Calistus Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Sala, in loco qui dicitur Saltus, & pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt. Et hîc dimissi, cum epistola Imperatoris Romam regressi, Constantinopolim reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquasgrani reuersus est. Ibique Natale Domini celebrauit. Et immutatus est numerus annorum in

804. DCCCIV.

LXIV. Imperator Aquisgrani hiemauit. Æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & in VVimuadi habitabant Saxones cum mulieribus &

CAROLVS MAGNVS.

A infantibus transtulit in Franciam. & pagos trans-Albianos Abodritis dedit. Eodem tempore GODOFREDVS Rex Danorum venit cum classe sua, necnon & omni equitatu Regni sui ad locum qui dicitur Liesthorp, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum. sed consilio suorum territus, propiùs non accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam fluuium sedebat in loco qui dicitur Hodumsteti. & missa ad Godofredum Legatione pro perfugis reddendis, mense Septembrio Coloniam venit. Dimissóque exercitu, primò Aquisgrani, deinde Arduennam petit, & venationibus indulgens Aquasgrani reuersus est. Medio Nouembrio adlatum est ei, Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, vbicunque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad Sanctum Mauricium CARLO filio suo, honorificè suscipere iussit. Ipse obuiam illi Remorum ciuitatem profectus est, ibique susceptum primò Carisiacum villam, vbi Natalem Domini celebrauit, inde Aquasgrani perduxit, & donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum est ad Imperatorem, æstate præterita Christi sanguinem in Mantua ciuitate repertum fuisse. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. indéque arrepto itinere, subitò ad Imperatorem vsque peruenit. Mansitque apud illum dies VIII. B & sicut dictum est Romam repedauit. [* Rigbodo Treuerum Episcopus obiit Kal. Octobris.] Et immutauit se numerus annorum in

* Additum ex Cod. Pet.

DCCCV. 805.

Non multò pòst Cappanus * Princeps Vnorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnontum, quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit. Erat enim Cappanus Christianus, nomine Theodorus. Et precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Et misit Caganus vnum de Optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum, quem Caganus apud Vnos habere solebat. Cuius precibus Imperator adsensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum Caganum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo Carlo in terram Sclauorum qui vocatur Behehuni. Qui omnia illorum, & patriam depopulatus, Ducem eorum nomine Lechonem occidit. Et indè regressus, in Vosogo silua ad Imperatorem venit in loco qui dicitur Camp. Nam Imperator Iulio mense de Aquisgrani profectus, Theodonis villa atque per Mettis transiens Vosagum petiit. C Ibique venationi operam dans, post reuersionem exercitus ad Rumoriti castellum profectus. ibique aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in Theodonis villa Palatio suo consedit. Ibi ad eum ambo filij sui PIPINVS & LVDOVICVS venerunt. Celebrauitque ibi Natalem Domini. Et immutauit se numerus annorum in

LXV.

* infra Caganus.

DCCCVI. 806.

Statim post Natalem Domini venerunt VVilleri & Beatus Duces Venetiæ, LXVI. necnon & Paulus Dux Ioderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatiarum, ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatię. Illisque absolutis, conuentum habuit Imperator cum primoribus & Optimatibus Francorum de pace constituenda inter filios suos, & diuisione Regni facienda in tres partes: vt sciret vnusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eueniret. De hac partitione est Testamentum factum, & iureiurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ. Atque hæc omnia litteris mandata sunt, & Leoni Papæ, vt his sua manu subscriberet, per EINHARDVM missa. Quibus Pontifex lectis, & adsensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator dimisso vtroque filio in Regnum sibi deputatum, Pipino scilicet & Ludouico, de villa Theodonis Palatio per Mosellam & Renum secunda aqua Nouiomagum nauigauit. ibique sanctum Quadragesimale Ieiunium, & sacratissimam Pascha festi-

CAROLVS MAGNVS. uitatem celebrauit. Etindè post non multos dies Aquisgrani veniens, CARLVM A filium suum in terram Sclauorum qui dicuntur Sorabi, qui sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit. In qua expeditione Miliduoch Sclauorum Dux interfectus est, duóque castella ab exercitu ædificata: vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albim. Sclauísque pacatis, Carlus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Silli super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria & Alamannia atque Burgundia, sicut anno superiore, in terram Beeheim. vastatáque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pipino missa est. Cuius aduentum Mauri non expectantes, abscesserunt. Vnus tamen nostrorum Hadumarus Comes ciuitatis Genuæ imprudenter contra eos occisus est dimicans. In Hispania verò Nauarri & Pampilonenses, qui superioribus annis à Sarracenis defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Niciforo Imperatore, cui Nicera Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et Legati, qui dudum ante IV. ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Tarauisiani portus receptaculum, nullo aduersariorum sentiente, regressi sunt. Imperator celebrauit Natalem Domini Aquisgrani. Et mutatus est numerus annorum in

Huc vsque Annales Nibelűgi Chronico subiecti, quorum Fragmentum supra editum est pag. 23.

DCCCVII.

807.
LXVII. Anno superiore IV. Nonas Septembris fuit eclypsis Lunæ. tunc stabat Sol in XVI. parte Virginis. Luna autem stetit in XVI. parte Piscium. Hoc autem anno pridie Kal. Februarias fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III. Id. Februarias fuit eclypsis Solis media die, stante vtroque sidere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Kal. Martias fuit eclypsis Lunæ. & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in XI. parte Piscium, & Luna in XI. parte Virginis. Nam & stella Mercurij XVI. Kal. Aprilis visa est in Sole quasi parua macula nigra. Tamen paululum superiùs medio centro eiusdem sideris, quæ à nobis VIII. dies conspicitur. sed quando primam intrauit, vel exiuit, nubibus impedientibus minimè adnotare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kal. Septembris eclypsis Lunæ facta est horâ noctis tertiâ, Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio, vsque ad anni præsentis Septembrium, ter Luna obscurata est, & Sol semel. Rarberrus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est. & Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere, Georgius & Felix. (Hic Georgius est Abba in monte Olíueti, & cui patria Germania est. qui etiam proprio vocatur nomine Engelbaldus.) ad Imperatorem peruenerunt, munera deferentes quæ prædictus Rex Imperatori miserat, id est papilionem, & tentoria atrij vario colore facta, miræ magnitudinis & pulcritudinis. erant enim omnia bissina, tam tentoria quàm & funes eorum diuersis tincta coloribus. Prætera munera præfati Regis pallia sirica multa & preciosa, & odores atque vnguenta, & balsamum: necnon & horologium ex aurichalco arte mechanica mirificè compositum. In quo XII. horarum cursus ad clepsidram vertebatur. cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant. Additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exiebant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant. Nec non & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuerunt præterea inter prædicta munera candelabra duo ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis Palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator Legatum & Monachos per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expectare iussit. Eodémque anno Burchardum Comitem Stabuli sui cum classe misit in Corsicam: vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire consueuerant, defenderet. Qui iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi, primò Sardiniam adpulsi sunt. Ibique cum Sardis prælio commisso, & multis suorum amissis, (nam tria milia ibi cecidisse perhibentur) in Corsicam recto cursu peruenerunt. Ibi

Annus hic DCCCVIII in Annalibus præcedentibus, qui eodem anno DCCCVIII terminatur.

A iterum in quodam portu eiusdem. Insulæ cum classe, cui Burcardus præerat, CAROLVS
prælio decertauerunt. victique ac fugati sunt, amissis XIII. nauibus, & pluri- MAGNVS.
mis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis aduersa fortunâ fatigati
sunt, vt ipsi sibi hoc accidisse testati sint, eo quòd anno superiore contra omnem
iustitiam de Patalaria insula sexaginta Monachos asportatos in Hispaniam ven-
diderant. Quorum aliqui per libertatem Imperatoris iterum in sua loca reuersi
sunt. Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat, in Vene-
tia pace facta cum PIPINO Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum con-
stitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator
Pascha Aquis celebrauit, necnon & Natale Domini. Et mutatus est numerus
annorum in

DCCCVIII.

Hiems mollissima ac pestilens fuit in illo tempore. veréque inchoante Impe- 808.
rator Nouiomagum profectus, transacto ibi Quadragesimali Ieiunio, celebrato LXVIII.
etiam sancto Pascha, iterum Aquis regressus est. Et quia nunciabatur Godo-
fredum Regem Danorum in Abodritos cum exercitu traiecisse, CARLVM fi-
lium suum ad Albiam cum valida Francorum & Saxonum manu misit, iubens
vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos adgredi temptaret. Sed ille statiuis
per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & manu captis aliquot Scla-
B uorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus est. Nam li-
cet Drasconem Ducem Abodritorum popularium fidei diffidentem loco pepu-
lisset, Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abodri-
torum duas partes sibi vectigales fecisset: optimos tamen militum suorum & ma-
nu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reginoldum, qui
in obpugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfe-
ctus est. Filius autem Imperatoris domnus Carlus Albiam ponte iunxit, & exer-
citum cui præerat in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godofredum Regem
defecerant, quanta potuit celeritate transposuit. Populatísque circumquaque
eorum agris, transito iterum flumine, cum incolomi exercitu in Saxoniam se re-
cepit. Erant cum Godofredo in expeditione prædicta Sclaui, qui dicuntur Vuil-
zi. Qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere solebant, spon-
te se copiis eius coniunxerunt. ipsóque in Regnum suum reuertente, cum præda
quam in Abodritis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. Godofridus
verò priusquàm reuerteretur, distructo emporio, quod in Oceani littore consti-
tutum linguâ Danorum *Reric* dicebatur, & magnam Regno illius commodita-
tem vectigalium persolutione præstabat, translatísque indè negociatoribus, so-
luta classe ad portum qui *Sciesthrop* dicitur, cum vniuerso exercitu venit. Ibi per
C aliquot dies moratus, limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire
constituit: eo modo; vt ab Orientali maris sinu, quem illi *Estarsalt* dicunt, vs-
que ad Occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis Aquilonalem ripam
munimentum valli prætexeret. vna tamen porta dimissa, per quam carra &
equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter Duces copiarum,
domum reuersus est. Interea Rex Nordanhumbrorum de Brittannia insula no-
mine Eardulfus Regnô & patriâ pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Nouio-
magi moraretur, venit, & patefacto aduentus sui negocio Romam proficiscitur.
Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & domni Imperatoris, in Re-
gnum suum reducitur. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Romanæ Leo tertius,
cuius Legatus ad Brittanniam directus est Addulfus Diaconus de ipsa Brittannia
natione Saxo, & cum eo ab Imperatore missi Abbates duo, Hruotfridus Nota-
rius, & Nantarius de Sancto Otmaro. Imperator verò ædificatis per Legatos
suos super Albim fluuium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclauorum
incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit. Natalem Domini, & sanctum Pas-
cha ibidem celebrauit.

DCCCIX.

Classis de Constantinopoli missa primò Dalmatiam, deinde Venetiam appu- 809.
lit: cúmque ibi hiemaret, pars eius Comiaclum insulam accessit. Commissóque LXIX.
prælio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa atque fugata Vene-
tiam recessit. Dux autem, qui classi præerat, nomine Paulus, cùm de pace

CAROLVS MAGNVS. inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud dominum PIPINVM Italiæ Regem agere moliretur, VVilhareno & Beato Venetiæ A Ducibus omnes inchoatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in Occiduis partibus domnus LVDOVICVS Rex cum exercitu Hispaniam ingressus Dertosam ciuitatem in ripa Hiberi fluminis sitam obsedit. Consumptóque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquam eam tam citò capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolomi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam Ardulfus Rex Nordanhumbrorum reductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reuersi sunt, vnus ex eis Addulfus Diaconus à piratis captus est, ceteris sine periculo traicientibus, ductúsque ab eis in Brittanniam, à quodam Cœnulfi Regis homine redemptus est, Romámque reuersus. In Tuscia Populonium ciuitas maritima à Græcis, qui Orobiotæ vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto Paschali Sabbato ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum ac paucos senes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Godofridus Rex Danorum per negociatores quosdam mandauit se audisse, quòd Imperator ei fuisset iratus, eo quòd in Abodritos anno superiore duxit exercitum, & suas vltus est iniurias. Ad eos velle se purgare ab eo quod ei obiiciebatur, fœderis irruptionem ab illo primis fuisse inchoatam. Petebat etiam vt conuentus Comitum Imperatoris atque suorum iuxta terminos Regni sui trans Albim fieret. In quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione B digna inter partes enumerari potuissent. Non abnuit Imperator, colloquiúmque trans Albiam habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur *Melac.* multísque hinc & indè prolatis atque enumeratis rebus, negocio penitus infecto discessum est. Trasco verò Dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godofrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos VVlzos adgressus, agros eorum ferro & igni vastat. Regressúsque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem expugnat. Atque his successibus omnes qui ab eo defecerant ad suam societatem reuerti coegit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquas reuersus mense Nouembrio Concilium habuit de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Iohannes quidam Monachus Hierosolymis primò commouit. Cuius definiendæ causâ Bernarius Episcopus Cormaticensis, & Adalhardus Abbas Monasterij Corbeiæ Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum qui in eis Deo seruire dicuntur. Nec aliquid tamen diffinitum est, propter rerum vt videbatur magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de iactantia & superbia Regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albiam fluuium ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, C armísque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructis, per Frisiam ad locum destinatum ducere iussisset: Trasco Dux Abodritorum in emporio Retic ab hominibus Godofridi per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquàm locus ciuitati constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albim traicere, & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo *Esselfelt*, & occupatus est ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cœptus. Aureolus Comes qui in commercio Hispaniæ atque Galliæ trans Pirineum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est. Et Amoroz Præfectus Cæsaraugustæ atque Oscæ ministerium eius inuasit, & in castellis illius præsidia disposuit. Missáque ad Imperatorem Legatione, sese cum omnibus quæ habebat in deditionem illi venire velle promisit. Eclypsis Lunæ contigit VII. Kal. Ianuar.

810. DCCCX.

LXX. Amoroz Cæsaraugustæ Præfectus, postquàm Imperatoris Legati ad eum peruenerunt, petiit vt colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis Custodes, promittens se in eo colloquio cum suis omnibus Imperatoris in deditionem esse venturum. Quod licèt Imperator vt fieret annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata pri-

CAROLVS MAGNVS.

A mò Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt. nullóque in ea inuento præsidio, insulam penè totam subiecerunt. Intetea PIPINVS Rex perfidiâ Ducum Veneticorum inciratus, Venetiam bello terráque marique iussit appetere. subiectáque Venetiâ, ac Ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cùm Paulus Celâfamæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum aduentaret, Regia classis ad propria tegreditur. HRVDTRVD filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Idus Iun. diem obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godofredum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem CC. nauium de Nortmannia Frisiam appulisse, totásque Frisiaco litori adiacentes insulas esse vastatas. Iámque exercirum illum in continenti esse, ternáque prælia cum Frisionibus commissa, Danósque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine C. libtas argenti Frisionibus iam esse solutas. Regem verò Godofridum domi esse. & reuera ita erat. Qui nuncius adeo Imperatorem concitauit, vt missis in omnes circumquaque tegiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora Palatio exiens, primò quidem classi occurrere, deinde transmisso Rheno flumine in loco qui Lippeam vocatur, copias quæ nondum conuenerant statuit opetiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elefans ille, quem ei Aaron Rex Saracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quantâ potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit, castrísque iuxta confluentem eius,
B quo VVisoræ flumini coniungitur, positis, minarum Godofridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed dum Impetator memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum nuncij ad eum deferunt. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum tegressam. & Godofridum Regem à quodam suo satellite interfectum. castellum vocabulo Hohbuoki Albiæ flumini adpositum, in quo Odo Legatus Impetatoris, & Orientalium Saxonum erar præsidium, à VVilzis captum, & PIPINVM filium eius Regem Italiæ VIII. Id. Iul. de corpore migrasse. Duásque Legationes de diuersis Terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causâ aduenrare narratur. Quibus ille acceptis, dispositâ pro temporis conditione Saxoniâ, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum perirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperij subiectas Prouincias illius generis animalium mortalitas immanissimè grassata est. Impetator Aquasgrani veniens mense Octobris, memoratas Legationes audiuit, pacémque cum Niciforo Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit, & Adimricum Comitem
C olim à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit. Eo anno Sol & Luna defecerunt, Sol VIII. Id. Iun. & pridie Kal. Decembris, Luna XI. Kal. Iul. & VIII. Kal. Ianuarij. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amotoz ab Addiraman filio Abulaz de Cæsaraugusta repulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godofrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit.

DCCCXI.

Absoluto atque dimisso Arsafio Spatario, (hoc erat nomen Legato Nicifori Imperatoris) eiusdem pacis confitmandæ gratiâ Legati Constantinopolim ab Imperatore mittuntur, Haido Episcopus Basilensis, & Hug Comes Turonicus, & Aio Langobardus de Foro-Iulij. & cum eis Leo quidam Spatharius natione Siculus, & VVilleri Dux Veneticorum. Quorum alter ante annos X. Romæ ad Imperatorem, cùm ibi esset, de Sicilia profugiit, & redire volens patriam remittitur. Alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad Dominum suum duci iubetur. Condicta inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax propter hiemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantùm iurata seruatur. donec redeunte veris tempore, & apertis viis, quæ immanitate frigoris clausæ fuerant, congredientibus ex vtraque parte vtriusque gentis, Francorum scilicet & Danorum, XII. primoribus super fluuium Egidoram, in loco qui vocatur .... datis vicissim secundùm ritum ac morem suum sacramentis pax confirmatur. Primores autem 811. LXXI.

CAROLVS MAGNVS. de parte Francorum hi fuere, VVala Comes filius BERNARDI, Burchardus Comes, Vnrocus Comes, Vodo Comes, [* Meginhardus Comes,] Bernardus Comes, Egbertus Comes, Theodericus Comes, Abo Comes, Osdag Comes, VVignan* Comes. De parte verò Danorum inprimis fratres Emmingi, Hancvvin, & Angandeo. Deinde ceteri honorabiles inter suos viri, Osfrid cognomento Turdimulo, & VVarsein, & Suomi, & Vrim, & alius Osfrid filius Heiligen, & Osfrid de Sconaouue, & Hebbi, & Aouuin. Imperator verò pace eum Emmingo firmata, & placito generali secundùm consuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni sui totidem exercitus misit. Vnum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastauit, & castellum Hobuoki* superiori anno à VVilzis distructum in ripa Albiæ fluminis restaurauit. Alterum in Pannonias, ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas. Tertium in Brittones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis, incolomes regressi sunt. Ipse autem in terra propter classem, quam anno superiore fieri imperauit, videndam, ad Bononiam ciuitatem maritimam, vbi eædem naues congregatæ erant, accessit. Farúmque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui Gand vocatur, naues ad eandem classem ædificatas aspexit. Et circa medium Nouembrium Aquas venit. Obuiarunt ei venienti Legati Hemmingi Regis, Arouuin & Hebbi, munera Regis, & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquis aduentum eius exspectantes, qui de Pannonia venerunt, Canizauci Principes Auarum, & Tudun, & alij primores ac Duces Sclauorum circa Danubium habitantium: qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerant, ad præsentiam Principis iussi venerunt. Interea CARLVS filius domni Imperatoris, qui maior natu erat, II. Non. Decembris diem obiit. Et Imperator Aquis hiemauit.

A

B

* Additus ex Cod. Pet.

* P. VVigman.

* P. Hohbuok.

812. DCCCXII.

LXXII. Nec multò post Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cùm Sigifridus nepos Godofridi Regis, & Anulo nepos Herioldi & ipsius Regis, succedere voluissent, neque inter eos vter regnare deberet conuenire potuisset: comparatis copiis, & commisso prælio, ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoriam, fratres eius Herioldum & Reginfredum Reges sibi constituit. quam necessariò pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio x. millia DCCCCXL. viri narrantur cecidisse. Niciforus Imperator post multas & insignes victorias in Mesia prouincia, commisso cum Burgaris prælio moritur. Et Michael gener eius Imperator factus, Legatos domni Imperatoris KAROLI, qui ad Niciforum missi fuerunt, in Constantinopolim suscepit, & absoluit. Cum quibus & suos Legatos direxit, Michaelem scilicet Episcopum, & Arsaphium atque Theognostum Protospatharios. & per eos pacem à Niciforo incœptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est Græca linguâ, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes. Et reuertendo Romam venientes, in Basilica sancti Petri Apostoli eundem pacti seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, Imperator generali Conuentu Aquis solenniter habito, BERNARDVM filium Pipini nepotem suum in Italiam misit. & propter famam classis, quæ de Africa & de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, VValancm filium Bernardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoad vsque rerum euentus securitatem nostris adferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Et ea quidem pars, quæ ad Sardiniam est delata, penè tota deleta est. Classis etiam Nortmannorum Hiberniam Scotorum insulam adgressa, commissóque cum Scotis prælio, parte non modica Nortmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Pax cum Abulaz Rege Sarracenorum facta. item cum Duce Beneuentanorum Grimoaldo, & tributi nomine XXV. milia solidorum auri à Beneuentanis soluta. Expeditio facta ad VVilzos, & ab eis obsides accepti. Hatioldus & Reginfridus Reges Danorum, missa ad Imperatorem Legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Id. Maij post meridiem Solis eclypsis fuit.

C

DCCCXIII.

Carolvs Magnvs. LXXIII. 813.

A DCCCXIII.

Imperator Aquisgrani hiemauit. & incipiente verni tempore Amalharium Treuerensem Episcopum, & Petrum Abbatem Monasterij Nonantulas, propter pacem cum Michahele Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Ac deinde habito generali Conuentu, euocatum ad se apud Aquasgrani filium suum Lvdohicvm Aquitaniæ Regem, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit. Bernardúmque nepotem suum, filium Pipini filij sui Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum est, & Constitutionum quæ in singulis factæ sunt collatio coram Imperatore in illo Conuentu habita. Quas qui nosse voluerit, in supradictis quinque ciuitatibus inuenire poterit. quanquam & in archiuo Palatij exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc Conuentu quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluuium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis secundùm petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eorum redderent. Quibus cùm pari numero (nam sex erant) de primatibus Danorum in loco deputato occurrissent, iuramentis vtrimque factis pax confirmata, & Regnum, & frater eis redditus est. qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad VVestarfoldam cum exercitu profecti. B Quæ regio vltima Regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita, contra Aquilonalem Brittanniæ summitatem respicit. Cuius Principes ac populus eis subiici recusabant. Quibus perdomitis cùm reuertissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filij Godofridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relicta patriâ apud Suecones exulabant, comparatis vndecumque copiis bellum eis intulerunt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra popularium turmis, commisso cum eis prælio, etiam Regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corsica ad Hispaniam cum multa præda redeuntibus, Herminguarius Comes Emporitanus in Majorica insidias posuit, & VIII. naues eorum cepit. In quibus quingentos & eo ampliùs Corsos captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ ciuitatem, & Niceam Prouinciæ Narbonensis vastauerunt. Sardiniam quoque adgressi, commissóque cum Sardis prælio, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt.

Huc vsque Codex MS.



A

KAROLI MAGNI REGIS FRANCORVM ET IMPERATORIS VITA,

Ex Annalibus illis plebeiis, qui præcedunt, ab incerto quidem Scriptore, sed coætaneo, vt videtur, composita.

Nunc verò primùm ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ edita. B

768. IPPINVS igitur Rex KAROLI MAGNI pater, Gaifeto intetempto, cum triumpho Sanctonas reuersus est. Ibique moram faciens per aliquot dies, ægrotare cœpit. Indéque ad partes Turonorum reuertendo perrexit, orationem ad sanctum Martinum fecit. ad sanctum Dionysium vsque peruenit, ibique diem obiens finiuit. Et domnus KAROLVS & KARLOMANNVS eleuati sunt in Regnum; domnus Karolus in Nouiomo ciuitate, Karlomannus in vrbe Suessionis. Et celebrauit prædictus gloriosus domnus Rex Karolus Natalem Domini in villa quæ dicitur Aquis, & Pascha in Rothomago ciuitate.
769. DEINDE domnus Karolus Rex iter peregit in partibus Aquitaniæ, eo quòd Hunoldus ad rebellandum sollicitaret totam Aquitaniam & VVasconiam. Sed cum paucis Francis auxiliante Domino dissipata sunt iniqua Hunoldi supradicti consilia. In ipso autem itinere iunxit se idem Rex Karolus cum germano suo Karlomanno in loco qui dicitur Duasdiues. Vnde Karlomannus reuertendo in Franciam iter arripuit, & domnus Karolus iuit ad Equolesinam ciuitatem. sumpsitque indè plures Francos cum omnis generis apparatu. & ibat super flumen Dordonam. & ædificauit ibi castrum, quod dicitur Fronciacus. mittens indè Nuncios suos post Hunoldum & vxorem eius ad Luponem VVasconem. Vbi dum moram faceret vnà cum Francis, adductus est Hunoldus cum vxore sua. & castro præparato, Hunoldóque recepto, Rex in Franciam reuersus est. & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Duria, & Pascha C
770. in Leodio vico publico. TVNC domnus Karolus habuit Synodum in VVarmacia ciuitate, & Karlomannus & BERTA Regina iunxerunt se ad Salossa. In eodem anno perrexit Berta Regina per Baioariam in partes Italiæ. & domnus Karolus celebrauit Natalem Domini in Magoncia ciuitate, & Pascha in Haristal-
771. lio. TVNC domnus Karolus Rex Synodum habuit ad Valentianas. & defunctus est eodem anno Karlomannus in villa quæ dicitur Salmonciacus. Deinde Rex Karolus venit ad Carbonacum villam. ibique venientes VVilharius Archiepiscopus, & Fulradus Capellanus, cum aliis Episcopis ac Sacerdotibus, VVarinus & Adelardus Comites, cum aliis primatibus qui fuerunt Karlomanni, cum aliquantis Francis in partes Italiæ perrexerunt. Et gloriosus Rex Karolus celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Attiniacus, & Pascha in Haristallio.
772. DEINDE Karolus Rex Synodum tenuit ad VVarmaciam, & indè profectus est in partes Saxoniæ. & primò quidem Eresburgum castrum cepit. deinde ad Hermensul vsque peruenit, & ipsum fanum destruens, aurum & argentum quod ibi repertum est abstulit. Et fuit siccitas magna, itavt aqua deficeret in supradicto

Carolvs Magnvs.

A loco vbi Hermensul stabat. Et cùm duos aut tres ibi dies Rex gloriosus persistere
vellet ad fanum ipsum perdestruendum, & aquam non haberent : subitò largien-
te Domini gratiâ, die media cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente
omnibus quiescentibus aquæ effusæ sunt, ita vt cunctus exercitus aquas suffi-
cienter haberet. Tunc super VVisaram venit sæpedictus gloriosus Rex. & ibi
cum Saxonibus placitum habuit, & recepit obsides duodecim, & reuersus est in
Franciam. & celebrauit Natalem Domini in Haristallio, & Pascha similiter.
Tunc Rex Karolus perrexit ad hiemandum in loco qui dicitur Theodone-vil- 773.
la. ibique venit Missus domni Adriani Apostolici nomine Petrus per mare
ad Massiliam, & indè itinere terreno ad vsque Karolum : inuitando scilicet glo-
riosum Regem vnà cum Francis pro Dei seruicio & iusticia sancti Petri, seu sola-
tio Ecclesiæ, contra Desiderium Regem & Langobardos. Et ideò maritimè ve-
nit, quia viæ clausæ erant à Langobardis. Et tunc Rex præcelsus Karolus con-
silium habuit vnà cum Francis quid ageret. sumptóque consilio, vt sicut Nun-
cius Apostolici per verbum domni Adriani Apostolici postulauerat, ita fieret :
Synodum generalem tenuit in Ianuensi ciuitate. ibique exercitum diuidens, per-
rexit ipse Rex per montem Cinisium. & misit Bernardum auunculum suum
per montem Iouis cum aliis fidelibus suis. & tunc ambo exercitus ad clusas se
coniunxerunt. ipséque Desiderius, domno Regi Karolo obuiam venit. Tunc
B Rex Karolus vnà cum Francis castra metatus est ad easdem clusas, mittens co-
hortem per montana. Quod sentiens Desiderius, clusas reliquit. sicque domnus
Rex Karolus auxiliante Deo, & beato Apostolo Petro intercedente, sine læsio-
ne aliqua vel damno suorum per clusas apertas Italiam introiuit, & Papiam vs-
que peruenit. Et cùm propter defensionem Romanæ Ecclesiæ orante summo
Pontifice profectus fuisset, dimissa marca Saxonum nulla fœderatione suscepta,
ipsi Saxones exeuntes cum magno exercitu, & Francorum confinia depopulan-
tes, vsque ad castrum peruenerunt quod nominatur Buriaburg. Quod cùm cer-
nerent confines, de hac causa solliciti, castellum sunt ingressi. Dum igitur ipsa
gens Saxonum cœpisset sæuiens domos forinsecus incendio concremare, vene-
runt ad quendam locum qui dicitur Friedislar. quem sanctus Bonefacius Mar-
tyr consecrauit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quòd nunquam incen-
dio cremaretur. Cœperunt autem iidem præfati Saxones cum nimia intentione
aduersus eandem certare Basilicam, quemadmodum eam qualiber arte incende-
re potuissent. Dum hæc igitur agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis
qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis qui erant in ipso exercitu,
duo iuuenes in albis qui ipsam Basilicam ab igne protegebant. & propterea ibi-
dem non potuerunt neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec ali-
C quod damnum eidem inferre Basilicæ. Sed nutu diuinæ maiestatis pauore per-
territi, in fugam versi sunt nemine persequente. Inuentus est autem postea vnus
ex iisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam Basilicam, genibus curuis innixus, ha-
bens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere
voluisset. Et Desiderio apud Papiam incluso, domnus Rex Karolus ipsam ciui-
tatem obsedit. ibique Natalem Domini intra sua castra, & Pascha Romæ cele-
brauit. Et reuertente domno Karolo Rege ab vrbe Roma, iterum Papiam per- 774.
uenit. ipsam ciuitatem cepit, Regémque Desiderium cum vxore & filia, & cum
omni thesauro Palatij eius. ibique venientes omnes Langobardi de cunctis ciui-
tatibus Italiæ, subdiderunt se dominio gloriosi Regis Karoli & Francorum. Adal-
gisus filius Desiderij Regis fugâ lapsus mare introiit, & Constantinopolim per-
rexit. Tunc gloriosus Rex Karolus Italia subiugata ; & ordinata custodia Fran-
corum in Papia ciuitate, cum vxore & reliquis Francis Deo adiuuante cum ma-
gno triumpho in Franciam reuersus est. Et cùm peruenisset in locum qui dicitur
Ingilinhaim, misit quatuor scaras in Saxoniam, quæ cum Saxonibus tres pugnas
inierunt, & auxiliante Domino victores extiterunt. Quarta verò scara non in-
uenit pugnam, sed cum præda magna illæsi ad propria sunt reuersi. Et celebra-
uit Rex Karolus Natalem Domini in villa quæ dicitur Carisiacus, similiter & Pa-
scha. Deinde Rex Synodum habuit in villa quæ dicitur Duria. & indè per- 775.
gens in partes Saxoniæ Sigisburgum castrum cepit, Eresburgum reædificauit
super VVisaram fluuium. Et cùm venisset ad locum qui dicitur Brunisburg, ibi

CAROLVS MAGNVS. parabant Saxones bellum, volentes ripam defendere prædicti fluminis. Sed auxiliante Deo, & Francis decertantibus, fugatis Saxonibus Franci ambas ripas obtinuerunt. Tunc Karolus diuidens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, & perrexit vsque Obacrum fluuium. ibique omnes Austreleudi Saxonum venientes cum Hassion, dederunt obsides iuxta quod Regi placuit. & iurauerunt se fideles fore partibus domni Regis Karoli. Similiter inde reuertente piissimo Rege, venerunt Angrarij in pago qui dicitur Bachim, vnà cum Brunone & reliquis Optimatibus eorum. & dederunt ibi obsides sicut Austrasij. Et indè reuertente præfato Rege, aliam partem exercitus sui inuenit super fluuium VVisaram, continentes ripam quam iussi fuerant. Saxonésque cum ipsis pugnam fecerant in loco qui dicitur Lidbah. Sed Franci Deo volente victoriam habuerunt, & plures ex ipsis Saxones occiderunt. Hoc audiens Karolus, iterum super Saxones cum exercitu suo irruens, non minimam ex eis stragem dedit, & prædam multam conquisiuit super VVestfalaos. & obsides dederunt sicut & alij Saxones. Itaque obsidibus receptis, & prædà assumpta, domnus Karolus Rex reuersus est in Franciam. Postea audiens quòd Rodgaudus Langobardus ruptis sacramentis fidem violasset, & quia voluisset Italia rebellare, versus Italiam cum Francis profectus est. & celebrauit Natale Domini in villa quæ dicitur Scladdi-
776. stad. TVNC domnus Karolus Rex Italiam ingressus, cùm partes Forojuliensium peragrasset, Hrodgaudus occisus est. & ipse domnus Karolus ad Tharuisum ciuitatem Pascha celebrauit. & captas ciuitates Forojulium & Tharuisum, B
cum reliquis ciuitatibus quæ rebellauerant, disposuit. & iterum cum prosperitate & victoria reuersus est in Franciam. Deinde nunciatum est domno Regi Karolo Saxones rebellasse, & sacramenta rupisse: & quia Eresburgum castrum dolosè suadendo cepissent, & Francos exindè exire fecissent, murósque eius destruxissent. quódque de Sigisburgo similiter facere cogitarent. Cúmque fraudulenter custodes castri non potuissent illudere, sicut alios qui in alio castello fuerant, cœpisse eos machinas præparare, vt viribus castrum caperent. Sed Deo volente machinæ quas præparauerant plus illis damni contulerunt, quàm his qui intra castrum residebant. Deinde cùm quadam die bellum instaurassent aduersus oppidanos, apparuit gloria Domini manifestè super Ecclesiam quæ erat intra castrum. Videntibus cunctis tam à foris quàm de intus, ex quibus multi manent vsque hodie, & dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium agitari supra ipsam Ecclesiam. Et cùm hoc signum vidissent pagani qui à foris erant, statim confusi sunt. & magno timore perterriti cœperunt fugere in castra sua. atque in fugiendo se inuicem interficiebant. Itaque Deo auxiliante Francis viriliter resistentibus, hostes nihil præualuerunt. quos in fugam versos Franci persecuti sunt, interficientes eós vsque ad flumen Lippiam. & castro saluato, cum victoria reuersi sunt Franci. Et cùm peruenisset domnus Karolus VVarmaciam, & audisset hæc omnia, congregauit Synodum ad eandem ciuitatem. & ibi placitum tenens publicum, initóque consilio, sub celeritate Saxonum terras seu firmitates intrauit. Vnde perterriti Saxones vniuersi, ex omni parte venientes ad locum vbi Lippia fluuius oritur, sese terrámque suam Regi tradiderunt. spondentes Christianos se futuros. Et tunc domnus Rex Karolus vnà cum Francis reædificauit Eresburgum castrum denuò, & aliud castrum super Lippiam. ibique venientes Saxones cum vxoribus & liberis, innumerabilis multitudo baptizati sunt, & obsides quantos ab eis Rex exigere voluit dederunt. Itaque constructis supradictis castellis, atque ad eorum præsidium Francis aliquot relictis, reuersus est Rex in Franciam. & celebrauit Natalem Domini in Haristallio,
777. & Pascha in Niumaga. TVNC domnus Karolus Synodum habuit, & Concilium publicum ad Paderburnen. vbi Franci omnes, & ex omni parte Saxones conuenerunt. excepto quòd VVidochindus rebellis extitit, & in partibus Nordmanniæ confugium fecit, vnà cum sociis suis. Ad idem etiam Concilium venerunt Sarraceni de partibus Hispaniæ. ibique multitudo Saxonum baptizati sunt, & secundum morem illorum omni modo se obligauerunt quòd ampliùs non immutarentur: sed Christianitatem in omnibus conseruarent, & domno Regi Karolo vel filiis eius fidelitatem. Et celebrauit Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur
778. Donciacus, & Pascha in Aquitania in villa Cassinogilo. POST hæc Karolus iter

CAROLVS MAGNVS.

A agens in partibus Hispaniæ, per duas vias direxit exercitum. vna per Panpilonam,
per quam ipse Rex perrexit vsque Cæsaraugustam. Ibíque venientes de partibus
Burgundiæ & Austriæ, vel Baioariæ, seu Prouinciæ, & Septimaniæ, & pars Langobardorum,
coniunxerunt se apud prædictam ciuitatem, & ex vtraque parte
exercitus. Vbi tunc obsidibus acceptis de Ibinalarabi, & Abutauro, multisque
aliis Sarracenis, Panpilone destructa, Hispanis, Guasconibus subiugatis, & Nauarris,
Rex in Franciam est reuersus. Cúmque Saxones audissent quòd Karolus
ac Franci in partibus Hispaniæ tam longè abessent, persuasione prædicti VVidochindi,
& sociorum eius, secundum consuetudinem malam iterum rebellauerunt.
Tunc domnus Rex misit scaram Francicam, vt sub velocitate festinaret ad
resistendum prædictis Saxonibus. sed illi rebelles ad Rhenum, indéque ad Duiciam
peruenerunt. Qui prædantes secus Rhenum, Ecclesias Dei cum Sanctimonialibus
incendebant. aliáque multa mala, quæ fastidium generent enarranti. Sed
cùm subitò audissent de reuersione Karoli, & de exercitu quem obuiam illis misisset,
dimisso Rheno per Logene reuersi sunt in partes Saxoniæ. Vnde contigit
vt scaræ Francorum non occurrerent illis. sed vestigium eorum obseruantes,
consecuti sunt eos super fluuium Adarna, in loco qui dicitur Lihesi. vbi cœpta pugna,
& benè finita, auxiliante Deo Franci victores extiterunt, & ibi occisa est
Saxonum multitudo. Reliqui fugientes cum magna contumelia in Saxoniam re-
B uersi sunt. Eo anno celebrauit Rex Natalem Domini in Haristallio, & Pascha similiter.
TVNC domnus Rex Karolus iter agens in partibus Neustriæ, peruenit ad 779.
villam quæ dicitur Cōpendium. Et iterum reuertenti indè in partibus Austriæ obtulit
se Hildebrandus Dux Spolitanus cum multis muneribus in villa quæ dicitur
Vertiniacus. & habita est Synodus in villa nuncupata Duria. Indéque profectus
est in partes Saxoniæ ad Lippiam transito Rheno flumine. voluerúntque Saxones
resistere in loco qui dicitur Bolhoz, sed auxiliante Domino non præualuerunt.
Nam indè fugientes reliquerunt omnes munitiones suas. sicque Francis aperta
est via. Qui introeuntes ad VVestfalaos, omnes sibi subiugauerunt, præter paucos
qui vltra VVisaram fugerunt. Vbi cùm occurrisset Rex Karolus ad locum qui
dicitur Medofolli, ibi dederunt qui rebellauerant obsides, sacramenta firmantes.
Hinc reuersus est gloriosus Rex in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in
VVarmacia ciuitate, & Pascha similiter. DEINDE domnus Karolus iter aggres- 780.
sus ad disponendam Saxoniam, ad Eresburgum peruenit, & indè ad locum vbi
Lippia fluuius oritur, ibíque Synodum tenuit. Indè profectus est iuxta Albiam
fluuium. & in ipso itinere omnes Bardogauenses & multi de Nordleudis baptizati
sunt in loco qui dicitur Orhraim vltra Obacrum fluuium. & peruenit vsque vbi
Obacrus fluit in Albiam. Ibíque disponens tam Saxoniam quàm & Sclauos, re-
C uersus est in Franciam. iniítque consilium vt orationis causâ Romam pergeret
vnà cum vxore sua HILDEGARDE Regina. & celebrauit Natalem Domini in
Papia ciuitate. INDE profectus celebrauit Pascha in vrbe Roma. & ibi baptiza- 781.
tus est domnus PIPPINVS filius domni Regis Karoli ab Adriano Papa. & duo
eiusdem filij vncti sunt in Reges à supradicto Pontifice, PIPPINVS scilicet, &
LVDOVICVS. Præfecítque eos pater, Pippinum Italiæ, & Ludouicum Aquitaniæ.
Reuersus indè domnus Rex Karolus Mediolanum peruenit. vbi filia eius baptizata
est domna GISLA ab Archiepiscopo nomine Thoma. indéque Rex reuersus
est in Franciam. Et tunc missi sunt duo Nuncij à præfato Apostolico, Formosus
scilicet, & Damasus Episcopus, ad Tassilonem Ducem, vnà cum Nunciis domni
Karoli Regis, Riculfo Diacone, & Eberardo Principe Pincernarum. ad commonendum
& contestandum vt reminisceretur priscorū sacramentorum: ne aliter
faceret quàm promiserat parti domni Pippini Regis, & domni Karoli Magni Regis
Francorum. Tunc consensit Tassilo Dux Baioariorum, vt sumptis obsidibus
à Rege, ad eius veniret præsentiam. Quod & domnus Karolus Rex non renuit.
venitque præfatus Dux in præsentiam piissimi Regis apud VVarmaciam. ibique
renouans sacramenta dedit duodecim obsides electos, vt omnia conseruaret quæ
dudū domno Pipino Regi promiserat, in causa domni Karoli Regis vel fideliū suorū.
Qui videlicet obsides recepti sunt in Carisiaco villa, de manu Simberti Episcopi.
Sed idem Dux non diu cōseruauit promissiones quas fecerat. At domnus Rex
Karolus celebrauit Natalē Domini in prædicta villa Carisiaco, & Pascha similiter.

CAROLVS MAGNVS. 782. TVNC Karolus Rhenum apud Coloniam transiit, & Synodum tenuit vbi Lippia oritur. ibique omnes Saxones venerunt, excepto rebelle VVidochindo. Illuc etiam cōuenerunt Nordmanni nuncij Sigiffredi Regis, id est Halpdan cum sociis suis. Auarique similiter, missi à Cagano & Vigurro. Peractóque ibi placito, reuersus est domnus Karolus Rex in Franciam. Et cùm reuersus fuisset, statim iterum Saxones solito more rebellarunt, suadente VVidochindo. Quod ignorans Karolus misit Nuncios Adalgisum & Gailonem atque VVoradum, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum super Sclauos paucos qui rebelles fuerant. Porrò supradicti Nuncij in via audientes quòd Saxones rebellassent, congregato exercitu irruerunt super Saxones rebelles. licèt hoc Regi priùs intimassent. Et commiserunt bellum Franci cum Saxonibus. & fortiter pugnantes, multis Saxonum interemptis, victores extiterunt. Duo tamen ex ipsis Missis ceciderunt, Adalgisus & Gailo, in monte qui dicitur Suntdal. Hoc audiens domnus Karolus, vnà cum Francis, quos sub celeritate coniungere potuit, illuc perrexit. & peruenit vsque ad locum vbi Alara confluit in VVisaram. Tunc omnes Saxones iterum conuenientes subdiderunt se potestati domni Regis Karoli, & tradiderunt omnes rebelles illos. excepto VVidochindo, qui fugâ lapsus est in Nordmanniam. His omnibus peractis, reuersus est Rex in Franciam. & celebrauit Natalem Domini in loco qui dicitur Theodone-villa, & Pascha similiter. TVNC obiit
783. donna Hildegardis Regina, in vigilia Ascensionis Domini. Et domnus Rex Karolus iter fecit in partes Saxoniæ, eo quòd Saxones iterum rebelles fuissent. & cum paucis Francis ad Theotmaldi peruenit, vbi Saxones parabant se ad pugnam. Itaque domnus Karolus Rex & Franci solito more super eos viriliter irruentes, Saxones terga vertere compulerunt, Deóque adiuuante victores extiterunt. & cecidit ibi maxima Saxonum multitudo, ita vt pauci fugâ euaderent. Indè cum victoria venit gloriosus Rex ad Paderburnen. ibique iunxit exercitum. Iterum congregati sunt Saxones ad fluuium, cuius vocabulum est Hasa. vbi pugna inita, non minor numerus Saxonum cecidit, Francique victores extiterunt. Inde reuersus est Rex Magnus in Franciam. & eodem anno obiit bonæ memoriæ domna BERTA Regina. Et cùm VVarmaciam peruenisset domnus Karolus, sociauit sibi in matrimonium FASTRADAM Reginam. & celebrauit Natalem Domini in Haristallio, & Pascha similiter. ET rebellauerunt B
784. iterum Saxones solito more, & cum eis pars aliqua Frisonum. Deinde Rex Rhenum transiit, & ingressus est Saxoniam, circueundo, & vastando vsquequo peruenit ad Hulcului. ibique consilium iniit, eo quòd nimiæ aquarum inundationes essent, vt per Thoringiam ab Orientali parte introiret VVestfalaos. quod & factum est. & filium suum KAROLVM misit cum scara ad VVestfalaos. Et domnus Rex Karolus perrexit per Thoringiam vsque ad fluuium Albiam, & indè ad Stanford, & indè ad Scahiningi. ibique conuentione facta, reuersus est Rex Karolus in Franciam. VVestfalai verò iterum voluerunt instaurare bellum ad Lippiam. Quo audito, supradictus Regis filius Karolus occurrit eis cum scara quæ ei dimissa fuerat, in pago qui dicitur Dragini. & inito prælio, Karolus domni Karoli filius Dei auxilio victoriam cum Francis obtinuit, & multis Saxonibus interfectis illæsus rediit ad genitorem suum in VVarmaciam. Ibíque iniit domnus Rex consilium, vt hiemali tempore iret in Saxoniam. quod & factum est. Et celebrauit Rex Natalem Domini iuxta Ridrioburg in pago qui dicitur VVaizagauui, super fluuium Ambra, in villa Liuhidi. TVNC domnus Rex C
785. Karolus supradictum iter aggressus, vsque ad Rimie peruenit super fluuium VVisaram, vbi confluit VVaharna. Et propter nimias inundationes aquarum indè reuersus est Eresburgum. vxorem suam Fastradam Reginam cum filiis suis & filiabus ad se venire iussit. vbi tota hyeme residens, ibidem Pascha celebrauit. Vbi dum resideret, multotiens scaras misit, & per semetipsum aliquotiens Saxones rebelles deprædatus est, & castra cepit, viásque mundauit. Concilium verò publicum tenuit apud Paderbrunnen. indéque profectus, vias apertas inuenit, per totam Saxoniam nemine resistente ambulans quocumque volebat. Et tunc in Bardangauui venit. vndè mittens post VVidochindum & Abbionem, vtrosque ad se conduxit. Qui firmiter ei pacti sunt quòd se non subtraherent, quin ad eum in Franciam venirent. petentibus illis securitatem, vt illæsi redirent. sicut & fa-

CAROLVS MAGNVS.

A ctum est. Deinde reuersus in Franciam, misit VVidochindo & Abbioni obsides,
per Missum suum Amaluuinum. Qui receptis obsidibus secum illos deducentes,
occurrerunt domno Regi Karolo apud Attiniacum villam. & ibi baptizati sunt
cum sociis eorum. Sicque tota Saxonia subiugata est. In eadem villa celebrauit
Rex Natalem Domini, & Pascha similiter. TVNC domnus Rex Karolus misit 786.
exercitum suum in partes Britanniæ, vnà cum Nuncio suo Audulfo Senescalco.
& ibi multos Britones subiugauerunt, cum castellis & munitionibus eorum, lo-
cis palustribus, & incisis. & cum victoria Domino volente reuersi sunt, & Capi-
taneos eorum ad Synodum præsentauerunt domno Regi apud VVarmaciam.
Itaque perspiciens Karolus ex omni parte se pacem habere, iniit consilium vt
orandi gratiâ ad limina beatorum Apostolorum Romam pergeret, & res dispo-
nendi Italicas: & vt placitum haberet cum Nunciis Imperatoris, de conuentio-
nibus eorum. quod & factum est. Tunc celebrauit Rex Natalem Domini in ciui-
tate Florentia. DEINDE iter agens Romam peruenit, & valde honorificè à domno 787.
Apostolico susceptus est. Porro Aregisus Dux Beneuentanus misit Grimaldum
filium suum cum magnis muneribus, postulans Regem vt Beneuentum non intra-
ret: eo quòd omnem Regis voluntatem adimplere cuperet. Quibus verbis Apo-
stolicus minimè credidit, neque Obtimates Francorum. sed consilium Regi Ka-
rolo dederunt, vt partibus Beneuentanis ob res firmandas se præsentaret. quod
B & factum est. Et cùm venisset Capuam, Aregisus Dux reliquit Beneuentum, &
Salernum confugit. nec fuit ausus per semetipsum faciem Regis videre, timore
perterritus. Sed mittens Nuncios, & ambos filios suos, Grimoldum quem Rex
Karolus secum habebat, & Grimoaldum quem Aregisus ipse secum retinuerat,
obtulit multa munera Regi, vt eius petitioni obtēperaret. Tunc domnus Rex Ka-
rolus consilium habuit cum Sacerdotibus vel ceteris Obtimatibus suis, ne terra
illa destrueretur, néve Episcopia vel Monasteria in solitudinem redigerentur. E-
legit igitur duodecim obsides, & tertiumdecimum prædicti Ducis filium nomine
Grimoaldum. & acceptis muneribus, iurare fecit Beneuentanos, quòd sibi &
Francis fidē seruarent. Indè reuersus Rex Karolus, celebrauit Pascha cum domno
Apostolico in vrbe Roma. Ibique venientes Nuncij Tassilonis Ducis, rogaue-
runt Apostolicum vt terminaret pacem inter domnum Regem Karolum & Tas-
silonem Ducem. Vnde & domnus Apostolicus multum se interponens, postula-
bat à Rege pacem fieri. Respondítque Rex Apostolico, hoc se velle, & multo
tempore quæsisse, sed minimè inuenire potuisse. voluítque statim Rex præsente
Apostolico pacem cum ipsis firmare Nunciis. Sed illis renuentibus, & fingentibus
quia ausi non essent per se vllam pacem facere, domnus Apostolicus cùm cogno-
uisset eorum instabilitatem & fraudem, statim supra Ducem eiúsque fautores
C anathema protulit, si ipse sacramenta quæ Pippino Regi promiserat, itémque
domno Karolo, non seruaret. Et obtestatus est Apostolicus ipsum Tassilonem per
eosdem Nuncios, ne aliter ageret. sed per omnia Regi Karolo obediret, ne fortè
sanguinis indè effusio proueniret, & terræ illius desolatio. Quòd si ipse Dux ob-
durato corde iussis domni Apostolici non obediret, tunc domnus Rex Karolus
suíque absoluerentur ab omni periculo peccati. & quicquid in illa terra delinque-
retur, siue in incendiis, seu homicidiis, vel quibuscumque modis, totum ipsi Tas-
siloni eiúsque consentaneis imputaretur: & domnus Karolus ac sui innoxij, &
omnis culpæ immunes existerent. His ita gestis, & Nunciis absolutis, sibi inuicem
domnus Apostolicus & gloriosus Rex vale dixerunt, & Rex oratione completa,
& petita benedictione, reuersus est in Franciam. & venit ad coniugem suam
domnam Fastradam in VVarmaciam. vbi ad inuicem congratulati, Dei misericor-
diam collaudauerunt. Deinde congregata Synodo ad eandem ciuitatem, domnus
Rex Sacerdotibus suis & aliis Obtimatibus enarrauit, qualiter in itinere suo
omnia perfecisset, & de Tassilone sicut actum erat. Tunc idem misit Nuncios suos
ad Tassilonem, vt omnia adimpleret secundum iussionem Apostolici, vel sicut iu-
sticia exigebat. eò quòd sub iureiurando promissionem fecisset, quòd in omnibus
Regi Karolo obediret, & fidelis esset, & veniret ad eius præsentiam. quod re-
nuit, & venire contempsit. Vnde Rex videns iusticiam suam, cum Francis profe-
ctus est in partes Baioariæ, & venit in locum qui Lechfeld vocatur, super ciuita-
tem Augustam. Et iussit alium exercitum congregari, id est Francos, Austrasios,

Thoringos, Saxones: & coniungi super Danubium fluuium, in loco qui dicitur Faringa. Et tertium iussit coire exercitum in partibus Italiæ, vt domnus Pippinus Rex veniret ad vsque Triantum, ibique ipse maneret, & exercitum suum ante se mitteret vsque ad Bauzanum. Tunc intelligens se Tassilo ex omni parte circundatum, vidénsque quòd omnes Baioarij plus fauerent Regi Karolo quàm sibi, eo quòd Regis iustitiam cognoscerent manifestam, admodum contristatus accessit per seipsum ad Regem: tradens se manibus eius in vassaticum, & reddens Ducatum à Rege Pippino sibi commissum. & confessus est se in omnibus errasse, & malè egisse. Itaque denuò renouans sacramenta, obsides dedit duodecim, & decimumtertium Theodonem filium suum. Sicque Rex obsidibus receptis, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Ingelenhaim, & Pascha similiter. Tvnc domnus Rex Karolus congregauit Synodum ad iam dictam villam Ingelenhaim, ad quam venit Tassilo ex iussione domni Regis, sicut & ceteri eius vassi. Et cœperunt fideles Baioarij dicere, quia Tassilo fidem suam violasset, & sacramenta rupisset, suadente vxore sua Liuthbergane. quod & Tassilo negare non potuit. sed confessus est quia homines suos, quando iurabant, iussisset vt aliter in mente haberent, & sub dolo iurarent. Confessus est etiam se dixisse, quia x. filios si haberet, omnes priùs perderet, quàm placita quæ Regi iurauerat stabilia manere permitteret, magísque se mori velle quàm ita viuere. & de his omnibus conuictus est. Tunc Franci, & Baioarij, Langobardi, & Saxones, vel qui ex omnibus Prouinciis ad prædictam Synodum confluxerant, reminiscentes priorum malorum eius, & quomodo Pippinum Regem in exercitu reliquisset, visi sunt iudicasse eum ad mortem. Et cùm omnes vna voce conclamarent, Tassilonem capitali dignum sententiâ, iam dictus Rex piissimus Karolus motus misericordiâ, ob amorem Dei, & quia eius consanguineus erat, continuit se ab eo vt non moreretur. Et interrogatus à clementissimo Rege præfatus Tassilo, quid agere voluisset, ille postulauit vt sibi liceret tonsorari, & in Monasterium introire, & pro tantis sceleribus pœnitentiam agere, & animam suam saluare. Et tonsoratus est, & in Monasterium missus. filiúsque eius Theodo similiter iudicatus est. Pauci quoque Baioarij, qui contra Regem perdurare volebant, missi sunt in exilium. Eodem anno commissum est prælium inter Græcos & Langobardos, Duce Spoletano nomine Hildebrando, siue Duce Grimaldo, quem Rex Karolus posuit Ducem super Britannos*. & missus est VVinegisus cum paucis Francis, vt videret qualiter res gererentur. & auxiliante Domino data est victoria Francis & Langobardis. Item alia pugna commissa est inter Auaros & Francos qui in Italia commanere videntur. & opitulante Domino cessit victoria Francis. reuersique sunt Auari cum contumelia, fugâ lapsi sine victoria. Tertia pugna commissa est inter Baioarios & Auaros in campo Ybose. & fuerunt ibi Missi domni Regis Karoli Grahamannus & Audacrus, cum aliquibus Francis. & Deo iuuante victoria fuit Francorum seu Baioariorum. Hæc autem omnia supradictus Dux Tassilo, seu nequissima vxor eius Liuthberga Deo odibilis, fraudulenter concinnauerunt. Quarta pugna commissa est contra Auaros, qui se vlcisci quærebant de Baioariis. ibique similiter affuerunt Missi domni Regis Karoli. & Domino auxiliante victoria fuit Christianorum, Auaris fugientibus. multáque strages ex eis facta est. quidam etiam in Danubio mersi sunt, & extincti. Post hæc omnia domnus Rex Karolus per semetipsum ad Raganesburg aduenit, & ibi fines Baioariorum disposuit, qualiter tutæ ab eisdem Auaris esse potuissent. Indè verò reuersus, celebrauit Natalem Domini in Aquisgrani Palatio, & Pascha similiter. Indeqve Rex profectus est in partes Sclauorum, qui vocantur VVlzi, & ad Coloniam Rhenum transiit. sicque per Saxoniam vsque ad Albiam fluuium peruenit. ibique duos pontes construxit, & in alterius vtroque capite castellum ex ligno & terra ædificauit. Exindè Domino largiente vlteriùs pergens, prædictos Sclauos suo dominio subiugauit. & fuerunt cum eo in eodem exercitu Franci & Saxones. Frisones autem per Albolam fluuium cum quibusdam Francis ad eum conuenerunt. Fuerunt etiam Sclaui cum eo qui vocantur Suurbi: nec non & Abotrij, quorum Princeps fuit VVizan. Itaque Rex obsidibus receptis, & sacramentis quamplurimis, Domino perducente Franciam peruenit. & celebrauit Natalem Domini in VVarmacia, & Pascha similiter,

Margin: A (beside "Thoringos … Faringa"); 788. (beside "lenhaim, & Pascha similiter. Tvnc …"); B (beside "Saxones, vel qui ex omnibus Prouinciis …"); C (beside "Francis. & Deo iuuante …"); 789. (beside "tio, & Pascha similiter. Indeqve …").

* Leg. Beneventos, vt in Ann. sup. p. 35.

CAROLVS MAGNVS.

A In sequenti anno nusquam profectus est. sed in eadem ciuitate Natalem Domini celebrauit, & Pascha. INDE verò profectus in partes Baioariæ, ad Renesburg peruenit. ibique exercitum coniunxit. Habitóque consilio cum Francis, Saxo- 790.
nibus, & Frisonibus, disposuit contra Auaros præliari propter intolerabilia ma- 791.
la quæ fecerant contra Ecclesiam Dei, vel populum Christianum, vnde per Nuncios non valuerant iustitiam impetrare. Ad Anisam igitur fluuium properantes Franci, ibi constituerunt Letanias triduo fieri. & Missarum sollempnia celebrantes, à Deo auxilium post ulauerunt pro salute exercitus, & pro victoria contra Auaros. Supradictus Princeps Karolus à parte australi Danubij iter agebat. Saxones autem cum quibus Francis, & Frisonum parte plurima, ab aquilonali parte Danubij ad loca peruenerunt, vbi iamdicti Auari munitiones construxerant. Auari igitur cùm vidissent exercitum vtrasque ripas continentem, & nauigia per medium fluuium venire, irruit super eos terror. & deserentes loca munita, quæ superiùs nominata sunt, fugæ præsidium adierunt. Christóque ducente populum suum, cùm ad fluuium peruenissent, cuius vocabulum est Rabah, exinde vterque exercitus de ambabus ripis ad propria reuersi sunt. magnificantes Deum pro tanta victoria. Et celebrauit domnus Rex Karolus Natalem Domini in Raganesburg, & Pascha similiter. HÆRESIS Feliciana primò ibi condemnata 792.
est. quem Eingelbertus in præsentiam Adriani Apostolici adduxit. & facta examinatione, hæresim suam iterum abdicauit. Eodem anno nullum iter expeditio-
B nis factum est. Pons super nauigia flumen transeuntia factus est, anchoris & funibus ita cohærens, vt iungi & dissolui posset. Ibi Natalis Domini, ibi Pascha celebratum est. REX autumnali tempore de Raganesburg iter nauigio faciens, vs- 793.
que ad fossatum magnum inter Alamanniam & Radantiam peruenit. ibique Missi Apostolici cum magnis muneribus Regi se præsentauerunt. ibique nunciatum est ei Saxones iterum rebellasse. Inde per Radantiam in Mohin nauali itinere perueniens, Natalem Domini celebrauit ad Sanctum Chilianum in VVirzinburg. & Pascha celebratum est in Franchonofurth. IBIQVE congregata est 794.
tunc Synodus magna Episcoporum Gallorum, Germanorum, & Italorum, in præsentia domni Regis Karoli, & Legatorum domni Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt. Theophilactus, & Stephanus, Episcopi. Ibi tertiò condempnata est hęresis Feliciana. quam damnationem per auctoritatem Sanctorum Patrum in Libro conscripserunt, cui omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Ibi obiit FASTRADA Regina, & apud Sanctum Albanum honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falsò septimam vocabant, reiecta est à Pontificibus. Indè motus est exercitus in partes Saxoniæ per duas turmas. fuitque in vna gloriosus Rex Karolus. in alia misit domnum Karolum filium suum per Coloniam. Saxones autem congregati in campo, qui dicitur Sinitfelt, præparauerunt se quasi ad pugnam.
C Cùm verò audissent se ex duabus partibus circundatos; dissipata sunt consilia eorum. & quamuis dolosè, Christianos se & infideles domino Regi fore promiserunt. Rex ad Palatium quod Aquis vocatur rediit. ibique Natalem Domini celebrauit, & Pascha. IPSO anno venit Rex ad locum qui dicitur Cuffinstan in 795.
suburbio Maguntiacensis vrbis. & tenuit ibi Placitum suum. Audiens verò quòd Saxones more solito promissionem suam, quam de Christianitate seruanda, & fide Regi tenenda fecerant, irritam fecissent: cum exercitu Saxoniam ingressus est, & vsque ad fluuium Albim peruenit, ad locum qui dicitur Liuhni: in quo tunc VVizin Aborditorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi etiam venerunt Missi Tudun, qui in gente & Regno Auarorum magnam potestatem habebat. qui dixerunt, quòd ibidem Tudun cum terra & populo suo se Regi dedere vellet. Rex verò afflictis magna ex parte Saxonibus, & eorum terra vastata, acceptisque obsidibus, in Gallias rediit. & Aquisgrani Natalem Domini celebrauit, & Pascha similiter. ADRIANVS Papa eo anno obiit. Cui LEO succedens, mox 796.
Legatos ad Regem misit, cum muneribus. cum quibus claues quoque Confessionis Sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis eidem direxit. Sed & Heiricus Dux Foroiuliensis, missis hominibus suis cum VVonomirro Sclauo in Pannonias, Hringum gentis Auarorum longis retro temporibus quietum, ciuili bello fatigatis inter se Principibus, spoliauit. Cagam, siue Iugurro *, intestina clade * Vigurro.

Carolvs Magnvs. à suis occisis, thesaurum priscorum Regum, longa seculorum prolixitate collectum, domno Regi Karolo Aquisgrani misit. Quo accepto, peracta Deo largitori omnium gratiarum actione, idem prudentissimus Dei dispensator magnam indè partem Romam ad limina Apostolorum misit per Angelbertum dilectum sibi Abbatem. Porrò reliquam partem Optimaribus, clericis suis vel laïcis, ceterisque fidelibus suis largitus est. Eodem anno Tudun secundum pollicitationem suam cum magna parte Auarorum ad Regem venit. séque cum populo suo & patria Regi dedens, ipse cum suis baptizatus est: & honorificè muneribus donati redierunt. Rex collectis exercitibus Saxoniam ingressus est, & filium suum Pippinvm Regem Italiæ in Pannonias misit cum exercitu. cuius Legationes ad eum in Saxonia venerunt. quarum vna nunciauit ei occurrisse Cagan cum ceteris Optimaribus. quem sibi Auares post interfectionem priorum constituerant. Altera dixit Pippinum cum exercitu suo in rhingo sedere. Et domnus Rex, peragrata Saxonia, cum integro exercitu in Gallias se recepit. & Aquis Palatio Pippinum filium suum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri quæ remanserat adducentem lætus aspexit. & ibidem Natalem Domini ac Pascha celebrauit. A

797. Barcinona ciuitas Hispaniæ, quæ iam pridem à nobis desciuerat, per Zatum Præfectum illius nobis est reddita. Nam ipse ad Palatium veniens, Regi Karolo se cum ciuitate tradidit. Deindè expeditio facta est in Saxoniam, & vsque ad Oceanum. trans omnes paludes & loca inuia transitum est. Et Rex de Haduloha regressus (hoc enim nomen loco, vbi Oceanus Saxoniam alluit) tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, trans Rhenum in Gallias reuersus est. & in Aquis Palatio Abdellam Sarracenum filium Ibimaugæ Regis, qui à fratre Regno pulsus in Mauritania exulabat, suscepit. Illuc & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus venit, Imperatoris epistolam portans. quem magnificè suscipiens, post paucos dies absoluit. & Nouembrio mense mediante, ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intrauit. Positisque castris apud VVisaram fluuium, locum castrorum Heristal vocari iussit. Illuc Legati gentis Auarorum cum magnis muneribus venerunt. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Hlvdovico in Hispanias reuerti fecit, & filium suum Pippinum ad Italiam misit. ipséque ad disponendam Saxoniam totum hiemis B

798. tempus impendens, ibi Natalem Domini & Pascha celebrauit. Venit etiam Legatus Hadefvnsi Regis Galliciæ & Asturiæ nomine Froia, papilionem miræ pulcritudinis præsentans. Sed in ipso pacis tempore Nordliudi trans Albiam sedentes, seditione commota, Legatos regios, qui tunc ad iustitiam faciendam apud eos conuersabantur, comprehendunt. quosdam ex eis statim trucidantes, ceteros ad redimendum reseruantes. è quibus aliqui fugerunt, ceteri redempti sunt. Rex collecto exercitu, de Haristallio ad locum qui Munda dicitur peruenit. & consilio habito in desertores arma corripuit, & totam inter Albim & VVisaram Saxoniam populando peragrauit. Nordliudi contra Thrasiconem Ducem Aborditorum, & Eburisum Legatum Regis, commisso prælio, acie victi sunt. cæsaque sunt in loco prælij quatuor milia. Ceteri qui fugâ euaserunt, quanquam multi ex illis cecidissent, de pacis conditione tractauerunt. Et Rex acceptis obsidibus, etiam his quos perfidissimos Saxones primores assignabant, in Franciam reuersus est. & Aquis Palatio Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michaël Patricius quondam Frigiæ, & Theophilus Presbyter, epistolam Hirenæ Imperatricis ferentes. Nam filius eius Constantinus Imperator anno superiore à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc tamen Legatio de pace tantùm fuit. Quos cùm Rex absoluisset, absoluit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi, iam dudum in Italico prælio captum. Hoc anno sidus, quod dicitur Martis, à superioris anni Iulio vsque ad huius anni Iulium nunquam apparuit. Insulæ Baleares à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Adefunsus Rex Galliciæ, prædata Olisipona vltima Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ, loricas, mulos, captiuósque Mauros, domno Regi Karolo per Legatos suos Froiam & Basiliscum hiemis tempore misit. sicque in hoc Palatio & Natalem Domini celebrauit, & C

799. Pascha. Romani Leonem Papam Letaniâ maiore captum excæcauerunt, linguámque ei amputauerunt. Qui in custodiam missus, noctu per murum euasit,

A & ad Legatos domni Regis, qui tunc ad Basilicam sancti Petri erant, VVirundum Abbatem, & VVinigisum Spolitanum Ducem veniens, Spoletum est deductus. Interim Rex in Saxoniam profectus, Rhenum ad Lipeham transiuit. & in loco qui dicitur Paderburnum positis castris consedit. Et indè diuiso exercitu, KAROLVM filium suum cum medietate ad colloquium Sclauorum, & ad recipiendos qui de Nordliudis venerunt Saxones in Bardengauui direxit. Ipse altera medietate secum retenta, eodem in loco Leonem Pontificem summo cum honore suscepit. ibique reditum filij sui Karoli expectans, Leonem Papam eo quo susceptus est honore dimisit. qui statim Romam profectus est, & Rex Aquisgrani reuersus est. In eadem expeditione Legatus Michaëlis Siciliæ Præfecti, nomine Daniel, ad domnum Regem venit. atque indè iterum cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat defecit. Et Heiricus Dux Foroiuliensis, post tot prosperè gestas res, iuxta Tharsiticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum oppressus est. Et Geroldus Comes Baioariæ Præfectus, commisso contra Auaros prælio, cecidit. Insulæ Baleares, quæ à Mauris anno priore deprædatæ sunt, postulato atque accepto à nostris auxilio, nobis se dediderunt: & cum Dei auxilio per nostros à prædonum incursione defensi sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, & domno Regi præsentata sunt. Guido Comes, qui in marcam Britanniæ præsidebat, vnà cum sociis ingressus Britanniam, totámque perlustrans, in deditionem accepit. & B Regi de Saxonia reuerso arma Ducum qui se dediderant, inscriptis nominibus singulorum, præsentauit. Nam his se & terram suam ac populum vnusquisque illorum tradidit. & tota Britannorum Prouincia, quod nunquam antea, à Francis subiugata est. Eodem anno Monachus quidam de Iherosolymis veniens, benedictionem & reliquias de Sepulcro Domini, quas Patriarcha Hierosolymitanus domno Regi miserat, detulit. Azan Præfectus ciuitatis, quæ dicitur Osca, claues vrbis per Legatum suum cum muneribus direxit. Celebratúsque est dies Natalis Domini in eodem Palatio. REX absolutum Iherosolymitanum Monachum reuerti fecit. mittens cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui 800. donaria eius per loca sancta deferret. Ipse mediante Martio Aquisgrani Palatio digrediens, litus Oceani Gallici perlustrauit. in ipso mari, quod à pyratis infestabatur, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha in Centulo apud sanctum Richarium celebrauit. Indéque iterum per litus Oceani Rothomagum peruenit. ibique Sequanæ amne transmisso, Turonis ad sanctum Martinum orandi causâ perrexit. moratus ibi dies aliquot propter aduersam domnæ LIVDGARDIS coniugis valitudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est. Inde per Aurelianis & Parisius regressus, Aquisgrani rediit. Quo in tempore pruina solitò fuit asperior. quæ tamen nihil incommoditatis frugibus attulit. Rex inchoante Augusto Maguntiacum veniens, iter in Italiam edixit, atque indè profectus Rauennam peruenit. C vbi ordinata in Beneuentanos expeditione, post septem dies iter Romam conuertit, & exercitum cum Pippino filio suo in Beneuentanorum terras ire prædatum iussit. Romam venienti occurrit Leo Papa cum Romanis apud Nomentum, duodecimo ab vrbe lapide, & summo eum cum honore suscepit. prandénsque cum eo in prædicto loco, statim eum ad vrbem præcessit. Et in crastinum stans in gradibus Basilicæ beati Petri, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & Episcopis equo descendentem, gradísque ascendentem excepit. & post orationem data benedictione, in Basilicam beati Petri cunctis psallentibus introduxit. Post septem verò dies Rex concione vocata, cur Romam venisset omnibus patefecit. & exindè cotidie ad quæ venerat facienda operam dedit. Inter quæ vel maximum, vel difficillimum erat, de discutiendis quæ Pontifici obiecta sunt criminibus. Qui, postquam nullus probator criminum apparuit, coram omni populo in Basilica beati Petri ambonem cum Euangelio conscendit, inuocatóque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis se purgauit criminibus. Eodem die Zacharias cum duobus Monachis, vno de Monte Oliueti, altero de sancto Saba, de Oriente reuersus Romam venit. quos Patriarcha Iherosolimitanus ad Regem cum Zacharia mittebat. Qui benedictionis causâ Sepulcri Dominici cla-

ues, ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis, & montis, cum vexillo detulerunt. A
Quos Rex benignè suscipiens, aliquot diebus secum detinuit, & mense Aprili
801. remuneratos absoluit. celebrauitque Natalem Domini Romæ. IPSA die sacra-
tissima Natalis Domini, cùm Rex ad Missam ante Confessionem beati Petri ab
oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit. & à cuncto Roma-
norum populo acclamatum est: KAROLO AVGVSTO, A DEO CORONATO,
MAGNO ET PACIFICO, IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA.
Et post Laudes, ab Apostolico antiquorum more Principum adoratus est, atque
ablato Patricij nomine Imperator & Augustus appellatus est. Post paucos autem
dies iussit eos, qui Pontificem anno superiore deposuerant, exhiberi. & habita
quæstione de illis, secundum Legem Romanam vt rei Maiestatis capite damna-
ti sunt. pro quibus Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita
eis, & membrorum integritas concessa est. ceterùm, pro facinoris magnitudine
exilio deportati sunt. Cuius factionis fuêre principes, Paschalis Nomenclator,
& Campolus Sacellarius, & multi alij vrbis nobiles. qui simul omnes eadem
sententiâ dampnati sunt. Ordinatis deindè Romanæ vrbis, & Apostolici, to-
tiúsque Italiæ, non tantùm publicis, sed & Ecclesiasticis rebus ac priuatis, mis-
saque iterum in Beneuentanos expeditione cum Pippino filio suo, ipse post Pas-
cha Româ profectus Spoletum venit. Vbi, dum esset hora noctis secunda, ter-
ræmotus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Quo motu
tectum Basilicæ beati Pauli magna ex parte cum suis trabibus decidit. & in qui- B
busdam locis vrbes montésque ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhe-
num fluuium, & in Gallia ac Germania tremuerunt. & pestilentia propter molli-
tiem hiberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Rauennam veniens, ali-
quot diebus ibi moratus, Papiam perrexit. vbi nunciatum est ei, Legatos Aaron
Regis Persarum Pisis portum intrasse. quibus obuiam mittens, inter Vercellis &
Eboreiam eos sibi fecit præsentari. Vnus ex illis erat Persa de Oriente, Legatus
Regis Persarum. alter Sarracenus de Affrica, Legatus Amirati Abraham, qui in
confinio Affricæ in Fossato præsidebat. qui Isaac Iudeum, quem Imperator ante
quadriennium ad Regem Persarum cum Lantfrido & Sigismundo miserat, re-
uersum cum magnis muneribus nunciauerunt. Nam Lantfridus & Sigismundus
ambo defuncti erant. Misit igitur Rex Erchenbaldum Notarium in Liguriam,
ad classem parandam, qua elefas, & ea quæ cum eo deferebantur, subueheren-
tur. Ipse vero celebrato die natali sancti Iohannis Baptistæ apud Eboreiam, Al-
pes transgressus, in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas
iam biennio obsessa. Zatun Præfectus eius, & alij complures Sarraceni compre-
hensi sunt. Et in Italia Reate ciuitas capta & incensa est, eiúsque Præfectus Ro-
selmus comprehensus. castella, quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant, in deditio-
nem accepta sunt. Zatun & Roselmus in præsentiam Imperatoris deducti, &
exilio dampnati sunt. Ipsius anni mense Octobri Isaac Iudeus de Affrica cum C
elefante reuersus, portum Veneris intrauit. & quia propter niues Alpium transi-
re non potuit, Vercellis hiemauit. Imperator Aquisgrani Palatio Natalem Do-
802. mini celebrauit. HYRENE Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum no-
mine Leonem Spatarium, de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Et
Imperator vicissim absoluto illo, misit vicissim Iesse Episcopum Ambianensem
& Helgaudum Comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Ce-
lebratum est Pascha Aquisgrani Palatio. Cuius anni mense Iulio venit Isaac cum
elefanto, & ceteris muneribus quæ à Rege Persarum missa sunt. & Aquisgrani
omnia Imperatori detulit. Nomen elefanti erat Abulabaz. Chortona Italiæ ci-
uitas in deditionem accepta. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, &
ipsa in deditionem venit. presidiúmque nostrorum in ea positum. Imperator æsta-
tis tempore in Ardenna venatibus operam dedit. & misso Saxonum exercitu,
trans-Albianos Saxones vastauit. Grimoaldus Beneuentanus Dux in Luceria
VVinigisum Comitem Spoleti, qui in præsidio erat, aduersa valitudine fatiga-
tum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè habuit. Impera-
803. tor Aquisgrani Natalem Domini celebrauit. IN qua hieme circa ipsum Palatium
& finitimas regiones terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est. VVinigisus à
Grimoaldo redditus est. & Missi domni Imperatoris de Constantinopoli reuersi
sunt.

A sunt. & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc rem publicam regebat. Nam Hyrenem post aduentum Legationis Franciæ deposuerunt. Nomina Legatorum hæc fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas, & Calistus Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Salah, in loco qui dicitur Salz. & pactum pacis faciendæ in scripto susceperunt. Et indè cum epistola Imperatoris dimissi, Romámque regressi, Constantinopolim reuersi sunt. Imperator verò in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, mense Decembri Aquisgrani reuersus est. ibique Natalem Domini celebrauit. CAROLVS MAGNVS.

IMPERATOR Aquisgrani hiemauit. æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam: & pagos trans-Albianos Abroditis dedit. Eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu Regni sui, ad locum qui dicitur Sliestorph, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum. sed consilio suorum territus, propius non accessit. sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam fluuium sedebat, in loco qui dicitur Holdunsteti. & missa ad Godefridum Legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri Coloniam venit. Dimissóque exercitu, primò Aquisgrani, deinde Ardennam petit. & venationibus indulgens, Aquisgrani reuersus est. Medio Nouembri allatum est ei, Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, vbicumque hoc contingere B posset. Quem, statim misso ad Sanctum Mauricium filio suo Karolo, honorificè suscipi iussit. ipséque illi obuiam Remis profectus est. Ibique susceptum primò Carisiacum, vbi Natalem Domini celebrauit: deinde Aquisgrani perduxit. & donatum magnis muneribus, per Baioariam ire volentem deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum fuerat ad Imperatorem, æstate præterita Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Langobardiam quasi pro prædicta inquisitione profectus est. indéque arrepto itinere, subitò ad Imperatorem venit, mansitque apud illum dies octo. & sicut dictum est Romam repedauit. 804.

NON multò post Cacanus Princeps Hunorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans locum sibi dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum: quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterant. Quem Imperator benignè suscipiens, eò quòd Cacanus Christianus esset nomine Theodorus, & precibus eius annuens, muneribus donarum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, paruo tempore transacto diem obiit. Et misit Cacanus vnum de Optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum, quem Cacanus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum Cacanum habere præcepit. 805.

C Eodem anno misit exercitum cum filio Karolo in terram Sclauorum, qui vocantur Beheimi. qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum nomine Lechonem occidit. & indè regressus, in Vosago sylua ad patrem venit, in loco qui dicitur Campus. Nam Imperator Iulio mense de Aquisgrani profectus, per Mettis transiens Vosagum petiit. ibique venationi operam dās, post reuersionem exercitus ad Rumerici castellum profectus, ibique aliquantulum tēporis moratus ad hiemandum, in Theodonis-villa Palatio suo sedit. celebrauítque ibi Natalem Domini. vbi ad eum ambo filij sui Pippinus & Hludouicus venerunt.

STATIM post Natalem Domini venerunt VVillerius & Beatus Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatarum ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ. illísque absolutis, Conuentum habuit Imperator cum primoribus Francorum de pace constituenda inter filios suos, & diuisione Regni facienda in tres partes: vt sciret vnusquisque illorum quam partem tueri & regere deberet. De hac partitione & Testamentum est factum, & iureiurando ab Optimatibus Francorum confirmatum. & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ. atque hæc omnia per EINARDVM Leoni Papæ mandata litteris sunt, vt his sua manu subscriberet. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Im- 806.

CAROLVS MAGNVS. perator dimisso vtroque filio, Pippino scilicet & Hludouico, de villa Theodonis per Mosellam & Rhenum nauigauit Nouiomagum. ibique Quadragesimale Ieiunium & Pascha celebrauit. Et indè post non multos dies Aquisgrani veniens, Karolum filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur Sorbi, cum exercitu misit, in qua expeditione Miliduoch Sclauorum Dux interfectus est. duo castella ab exercitu ædificata, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albin. Sclauisque pacatis, Karolus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Sillih super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria, & Alamannia, atque Burgundia, sicut anno superiore, in terram Beheim: vastatáque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est. cuius aduentum Mauri non exspectantes abscesserunt. Vnus tantum nostrorum Hadumarus Comes ciuitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Nauarri & Pampilones, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Nicetoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad Dalmatiam recipiendam mittitur. & Legati, qui dudum ante quatuor ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Taruisiam portus receptaculum nullo aduersariorum sentiente regressi sunt. Imperator celebrauit Natalem Domini Aquisgrani. ANNO superiore, IIII. Non. Septembris fuit eclypsis Lunæ, Sole existente in XVI. parte Virginis, Lunâ autem in XVI. parte Piscium. Ipso anno II. Kal. Februarij fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. & III. Idus Februarij fuit eclypsis Solis media die, stante vtroque sydere in parte XXV. Aquarij. Iterum IV. Kal. Martij fuit eclypsis Lunæ. & apparuerunt acies in eadem nocte miræ magnitudinis. & Sol stetit in XI. parte Piscium, Lunáque in XI. parte Virginis. Sed & stella Mercurij XVI. Kal Aprilis visa est in Sole quasi parua macula, nigra tamen paululum superiùs medio centro eiusdem syderis. quæ à nobis VIII. dies conspecta est. Quæ quando primùm intrauerit, vel exierit, nubibus impedientibus minimè notare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kal. Septembris eclypsis Lunæ facta est horâ noctis tertia, Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. gradu Piscium. Sicque ab anni superioris Septembri vsque ad Septembrem ter Luna obscurata est, & Sol semel. Radbertus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est. & Legatus Regis Persarum nomine Abdella cum Monachis de Iherusalem, qui Legatione Patriarchæ Thomæ fungebantur, quorum nomina sunt Georgius & Felix, venerunt ad Imperatorem munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat. id est papilionem & tentoria atrij facta colore vario, miræ magnitudinis & pulcritudinis. Erant autem omnia bissina, tam tentoria quàm & funes eorum, diuersis tincta coloribus. Fuerunt prætérea munera præfati Regis pallia serica multa & preciosa, odoré sque & vnguenta ac balsamum. nec non & horologium ex auricalco arte machanica mirificè compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsedram vertebatur: cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant. additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & in pulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant. Erant & alia multa in horologio, quæ enumerare longum est. Fuerunt prætérea inter prædicta munera duo candelabra ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis. quæ omnia Aquis Palatio Imperatori præsentata sunt. Imperator Legatum & Monachos aliquanto tempore secum retinens, in Italiam eos direxit, ibique tempus nauigationis expectare iussit. Eodem anno Burcardum Comitem Stabuli sui cum classe misit in Corsicam, vt eam à Mauris, qui prædatum illuc venire consueuerant, defenderet. Qui iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi, primò Sardiniam appulsi sunt. ibique cum Sardis prælio commisso, tribúsque millibus suorum amissis, in Corsicam recto cursu peruenerunt. Ibi iterum in quodam portu eiusdem insulæ cum classe cui Burcardus præerat, prælio decertauerunt. victíque ac fugati sunt, tredecim nauibus amissis, & plurimis suorum interfectis. Adeò illo anno in omnibus locis aduersa fortunâ fatigati sunt, vt ipsi

807. (margin, beside "tor celebrauit Natalem Domini"); margin letters A, B, C.

CAROLVS MAGNVS.

A sibi hoc accidisse testati sint, eo quòd anno superiore contra omnem iustitiam de Patularia insula LX. Monachos asportatos in Hispania vendiderunt. Qui per liberalitatem domni Imperatoris iterum ad loca sua reuersi sunt. Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta, Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator Aquis Pascha celebrauit, nec non & Natalem Domini. HIEMS mollissima ac pestilens fuit in illo tempore. veréque inchoante Imperator Nouiomagum profectus, transacto Quadragesimali Ieiunio, & Pascha celebrato, iterum Aquis regressus est. Et quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abroditos cum exercitu traiecisse, Karolum filium suum ad Albiam cum valida Francorum atque Saxonum manu misit. iubens vesano Regi resistere, Saxoniæ terminos aggredi temptanti. Sed ille statiuis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus est. Nam licet Drasoconem Ducem Abroditorum fidei popularium diffidentem loco pepulisset, Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abroditorum duas partes sibi vectigales fecisset: optimos tamen militum suorum, & manu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reginaldum. qui in oppugnatione cuiusdam castri cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem Imperatoris domnus Karolus Albiam ponte iunxit, & exercitum cui præerat in Linones & Smeldingos, qui ad Godefridum Regem defecerant, quanta potuit celeritate transposuit. Populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum exercitu incolumi in Saxoniam se recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclaui, qui dicuntur VVilzi. qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abroditis habere solebant, spontè se copiis eius coniunxerant. Ipsóque in Regnum suum reuertente cum præda, quam in Abroditis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. Godefridus verò priusquàm reuerteretur, destructo emporio, quod in Oceani litore constitutum linguâ Danorum Reric dicebatur, & magnam Regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat: translatisque indè negociatoribus, soluta classe, ad portum qui Liestrop dicitur, cum vniuerso exercitu venit, vbi per aliquot dies moratus limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo muniens constituit: eo modo vt ab Orientali maris sinu, quem illi Ostarsalz dicunt, vsque ad Occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis Aquilonalem ripam munimento valli prætexeret. vna tantùm portâ dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter Duces copiarum, domum reuersus est. Interea Rex Nordanimbrorum de Britannia Insula nomine Eadulf Regno & patriâ pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Nouiomago moraretur venit. & patefacto aduentus sui

C negocio Romam proficiscitur. Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & domni Imperatoris in Regnum suum reducitur. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Romanæ Leo tertius, cuius Legatus ad Britanniam directus est Aldulfus Diaconus de ipsa Britannia, natione Saxo. & cum eo ab Imperatore missi duo Abbates, Rothfridus Notarius, & Nantharius de Sancto Odmaro. Imperator verò ædificatis per Legatos suos super Albin fluuium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit. Natalémque Domini celebrauit ibidem, & sanctum Pascha. CLASSIS à Constantinopoli missa primò Dalmatiam, deindè Venetiam appulit. & pars eius, dum ibidem hiemarent, Comiaclum insulam accessit. commissóque prælio contra præsidium quod erat in ea dispositum, victa atque fugata Venetiam recessit. Dux autem qui classi præerat nomine Paulus, cùm de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi hoc sibi esset iniunctum, apud Pippinum Italiæ Regem agere moliretur, VVillareno & Beato Venetiæ Ducibus omnes conatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidiantibus, cognita illorum fraude discessit. At in Occiduis partibus domnus Hludouicus Rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam ciuitatem in ripa Hiberi fluminis sitam obsedit. Consumptóque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquam eam tam citò capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu se rece-

808. (margin, beside "Hiems mollissima")
809. (margin, beside "Classis à")

CAROLVS MAGNVS. pit. Postquàm Eadulfus Rex Nordanimbrorum reductus est in Regnum suum, A & Legati Imperatoris atque Pontificis reuersi sunt: vnus ex eis nomine Aldulfus Diaconus à piratis captus est, ceteris sine periculo traicientibus. ductúsque ab eis in Britanniam, à quodam Cenulfi Regis homine redemptus est, Romámque reuersus. In Tuscia Populonium ciuitas maritima à Græcis, qui Orobitæ vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto Paschali Sabbato ciuitatem quandam diripuerunt. & præter Episcopum ac paucos senes atque infirmos, nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Rex Danorum per quosdam negociatores mandauit se audisse, quòd Imperatoris incurrisset iram, eo quòd in Abodritos anno superiore duxisset exercitum, & suas vlrus esset iniurias. addens velle se purgare ab eo quod sibi obiciebarur, fœderis ruptionem ab illo priùs fuisse inchoatam. Petebat etiam, vt conuentus Comitum Imperatoris atque suorum iuxta terminos Regni sui trans Albin fieret: in quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes enumerari potuissent. Non abnuit Imperator. colloquiúmque trans Albin habitum est cum primoribus Danorum. multísque hinc & indè prolatis atque enumeratis rebus, negocio penitus infecto discessum est. Trascho verò Dux Abroditorum postquàm filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos VVilzos aggressus, agros eorum ferro & igni vastauit. Regressúsque domum cum ingenti præda, accepro iterum à Saxonibus validiore auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem vastauit. at- B que his successibus omnes, qui ab eo defecerant, ad suam societatem reuerti coegit. His ita gestis, Imperator de Ardenna Aquis reuersus mense Nouembri Concilium habuit de processione Spiritus Sancti. quam quæstionem Iohannes quidam Monachus Ihierosolimis primò commouit. Cuius diffiniendæ causâ Bernarius Episcopus*, Atrius Episcopus VVarmaciensis, & Adalardus Abbas Monasterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum, qui in eis Deo seruire videntur. nec tamen aliquid definitum est propter rerum magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de iactantia atque superbia Regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albiam fluuium ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, armísque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructos, per Frisiam ad locum destinatum duci iussisset, Trascho Dux Abroditorum in emporio Reric ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquàm locus ciuitati constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albin traicere, & locum occupare præcepit. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo Esesfelt. & occupatus est ab Egberto & Comitibus Saxonicis, & muniri cœptus circa Idus Martias. Aureolus Comes, qui in commercio Hispaniæ atque Galliæ trans Pirineum contra C Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est. Et Amoroz Præfectus Cæsaraugustæ atque Oscæ officium eius inuasit, & in castellis eius præsidia disposuit. missáque ad Imperatorem Legatione, sese cum omnibus quæ habebat in de-
810. ditionem illi venire velle promisit. Eclypsis Lunæ eo tempore contigit. AMOROZ Cæsaraugustæ Præfectus, postquam Imperatoris Legati ad eum peruenerunt, petiit vt colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis custodes. quod licèt Imperator vt fieret annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comperta, primò Sardiniam, deindè Corsicam appulerunt. nullóque in ea inuento præsidio, insulam penè totam subegerunt. Interea PIPPINVS Rex perfidia Veneticorum incitatus, Venetiam bello terrâ maríque iussit appetere. subiugatáque Venetiâ, ac Ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cùm Paulus Cephalaniæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum adueniret, Regia classis ad propria reuertitur. ROTRVDIS filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Idus Iunij diem obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum nauium de Nordmannia Frisiam appulisse, omnésque Frisiaco littori adiacentes Insulas esse vastatas. Iámque exer-

* Supra pag 46. Bernarius Episcopus Cormasiensis, corruptè pro Coloniensis: omittitúrque ibidem Atrius seu Asius.

A citum illum in continentri esse, ternáque prælia cum Frisonibus commisisse, Danósque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine centum libras argenti à Frisonibus esse solutas, Regem verò Godefridum domi esse. & re vera ita erat. Qui nuncius Imperatorem adeò concitauit, vt missis in omnes circunquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora Palatio exiens, primò quidem classi occurrere, deinde transmisso Rheno flumine, in loco qui Lipea vocatur, copias quæ nondum conuenerant statuerit operiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei Aaron Rex Persarum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluuium contendit. castrísque iuxta confluentem eius, quo VVisaræ fluuio coniungitur, positis, minarum Godefridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriâ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed dum Imperator memorato loco stariua haberet, diuersarum rerum nuncij ad eum venerunt. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum regressam. & Godefridum Regem à quodam satellite suo interfectum. castellúmque vocabulo Hochboki Albiæ flumini appositum, in quo Odo Legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à VVilzis captum. & Pippinum filium eius Regem Italiæ VIII. Idus Iulij de corpore migrasse. duásque Legationes de diuersis terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram ab Corduba, pacis faciendæ causâ aduentare referrur. Quibus ille acceptis, dispositâ pro temporis conditione Saxoniâ, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt vix in tanto exercitu vllus superesset. & non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas Prouincias, illius generis animalium mortalitas immanissimè grassata est. Imperator itaque Aquisgrani veniens, mense Octobri memoratas Legationes audiuit. pacémque cum Niceforo Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niceforo Veneriam reddidit. & Hainricum Comitem olim à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt. Sol VII. Idus Iunij, & pridie Kal. Decembris. Luna XI. Kal. Iulij, & XVIII. Kal. Ianuar. Corsica insula à Mauris vastata est. Amoroz ab Abditaman filio Abulaz de Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, atque pacem cum Imperatore fecit. ABSOLVTO atque dimisso Arsafio Spathario, (hoc enim erat nomen Legato Nicefori Imperatoris) eiusdem pacis confirmandæ gratiâ Legati Constantinopolim ab Imperatore mittuntur, Haido Episcopus Basiensis, & Hugo Comes Turonicus, & Aio Langobardus Foroiuliensis, & cum eis Leo quidam Spatarius natione Siculus, & VVilleri Dux Veneticorum. quorum alter ante annos X. Romam ad Imperatorem, cùm ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens in patriam remittitur. alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur. Condita inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax, propter hiemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum seruata iureiurando est: donec redeunte veris temperie, apertis viis quæ immanitate frigoris clausæ erant, congredientibus ex vtraque parte, Francorum scilicet & Danorum, XII. primoribus super fluuium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis pax confirmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuêre. VValach Comes, Vnrocus Comes, Vodo Comes, Meginardus Comes, Egberrus Comes, Theodericus Comes, Abbo Comes, Osdag Comes, VVicman Comes. De parte verò Danorum, inprimis Fratres Hemmingi Hancuuin, & Gandeo. deinde ceteri honorabiles inter suos viri, Offrid cognomento Turdimulo, & VVarstain, & Suomithurm, & alius Offrid filius Heiligen, & Offrid de Sconaue, & Hebbi, & Aouuin. Imperator verò pace cum Hemmingo firmata, & placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni sui totidem misit exercitus. Vnum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastauit, & castellum Hochboki superiori anno à VVilzis destructum in ripa Albiæ fluminis restaurauit. Alterum in Pannonias ad controuersias Hunorum finiendas. Tertium in Britones, propter eorum perfidiam puniendam. Qui omnes, rebus prosperè gestis, incolumes regressi sunt. Ipse interea ad videndam classem, quam

CAROLVS MAGNVS.

B

811.

C

CAROLVS MAGNVS. anno superiori mandauit fieri, Bononiam maritimam ciuitatem, vbi eædem naues congregatæ erant, accessit. pharúmque ibi ad nauigantium dirigendos cursus antiquitus constitutam restaurauit, & in summitate eius ignem nocturnum accendit. & indè ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui vocatur Gant, naues ad eandem classem ædificatas aspexit. & circa medium Nouembrem Aquis venit. Cui obuiauerunt venienti Regis Hemmingi Legati Aouuin & Hebbi, munera Regis & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquis aduentum eius expectantes, qui de Pannonia venerunt, Canizauci Principes Auarum, & Tudin, & alij primores ac Duces Sclauorum circa Danubium habitantium, qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerant, ad præsentiam Principis iussi venerunt. Interea KAROLVS domni Imperatoris filius, qui natu maior erat, II. Non. Decembris diem obijt. & Imperator Aquis hiemauit. NON multò

812. pòst Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cùm Sigiffridus nepos Godefridi Regis, & Anolo nepos Herioldi & ipsius Regis, succedere voluissent; neque inter eos, vter regnare deberet, conuenire potuisset: comparatis copiis, & commisso prælio, ambo moriuntur. Pars tamen Anolonis, adeptâ victoriâ, fratres eius Herioldum & Reginfridum Reges sibi constituit. quam necessariò pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio x. milia DCCCCC. XL. viri cecidisse narrantur. Niceforus Imperator post multas & insignes victorias in Mesia Prouincia commisso cum Bulgaris prælio moritur. & Michaël gener eius Imperator factus, Legatos domni Imperatoris Karoli, qui ad Niceforum missi fuerant, in Constantinopoli suscepit & absoluit. Cum quibus & Legatos suos direxit, Michaëlem Episcopum, & Arsaphium atque Thegnostum Prothospatarios. & per eos pacem à Niceforo cœptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est Græca linguâ, laudes ei dixerunt: Imperatorem eum & Basileum appellanres. & in reuertendo Romam venientes, in Basilica beati Petri eundem pacti seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, Imperator generali Conuentu Aquis sollempniter habito, filium Pippini nepotem suum BERNARDVM misit in Italiam. & propter famam classis, quæ de Affrica & Hispania ad vastandam Itallam ventura dicebatur, VVALONEM filium Bernardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoadusque rerum euentus securitatem nostris afferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. & ea quidem pars, quæ ad Sardiniam est delata, tota penè deleta est. Classis etiam Nordmannica Hiberniam Scotorum insulam aggressa, commissóque cum Scotis prælio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Pax cum Abulaz Rege Sarracenorum facta. itémque cum Duce Beneuentano Grimoaldo, & tributi nomine XXV. milia solidorum auri à Beneuentanis soluta. factáque expeditio ad VVilzos, & ab eis obsides accepti. Harioldus & Raginfredus Reges Danorum missa ad Imperatorem Legatione petunt pacem, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Idus

813. Maij post meridiem Solis eclypsis fuit. IMPERATOR Aquisgrani hiemauit. & incipiente verno tempore Amalarium Treuerensem Episcopum, & Petrum Abbatem Monasterij Nonantulas, propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. ac deinde habito generali Conuentu, euocatum ad se Aquisgrani filium suum Hludouicum Aquitaniæ Regem, Imperialis nominis sibi consortem fecit, coronámque illi imposuit. ac Bernardum nepotem suum filium Pippini filij sui Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. quorum vnum Moguncîaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilonis, quintum Arelati congregatum est. Et Constitutionum, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in Conuentu habita. quos qui nosse voluerit, in supradictis quinque ciuitatibus inuenire poterit. quanquam & in archiuo Palatij illarum habeantur exemplaria. Missi sunt de hoc Conuentu quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluuium ad confinia Nordmannorum. qui pacem cum eis secundum petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eorum redderent. Quibus cùm pari numero (nam XVI. erant) de primatibus Danorũ in loco deputato occurrissent, iuramentis vtrimque

CAROLVS MAGNVS.

A factis pax confirmata, & Regum frater eis redditus eſt. Qui tamen eo tempore domi non erant, ſed ad VVeſtarfoldam cum exercitu profecti. quæ regio vltima Regni eorum inter Septemtrionem & Occidentem ſita, contra Aquilonem Britanniæ ſummitatem reſpicit. cuius Principes ac populus eis ſubici recuſabant. Quibus perdomitis cùm reuertiſſent, & fratrem ab Imperatore miſſum recepiſſent, filij Godefridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relictâ patriâ apud Sueones exulabant, comparatis vndecumque copiis bellum eis intulerunt. & confluentibus ad ſe paſſim ex omni Danorum terra popularium turmis, commiſſo prælio, etiam Regno eos non multo labore pepulerunt. Mauris de Corſica ad Hiſpaniam cum multa præda redeuntibus, Hirmingarius Comes Emporitanus in Maiotica inſidias poſuit, & VIII. naues eorum cepit, in quibus quingentos & eò ampliùs Corſos captiuos inuenit. Hoc Mauri vlciſci volentes, Centumcellas Tuſciæ ciuitatem, & Niceam Prouinciæ Narbonenſis vaſtauerunt. Sardiniam quoque aggreſſi, commiſſóque cum Sardis prælio, pulſi ac victi, & multis ſuorum amiſſis, receſſerunt. At Michaël Imperator Bulgaros bello appetens, haud proſperis ſucceſſibus vtitur. ac proindè domum reuerſus, depoſito diademate Monachus efficitur. Cuius in locum Leo Bardæ Patricij filius Imperator conſtituitur. Crumas Rex Bulgarorum, qui Niceforum Imperatorem ante duos annos interfecit, & Michaëlem de Meſia fugauit, ſecundis rebus elatus,
B cum exercitu vſque ad ipſam Conſtantinopolim acceſſit, & iuxta portam ciuitatis caſtra poſuit. Quem mœnibus vrbis obequitantem Leo Imperator eruptione facta incautum excepit, & grauiter vulneratum fugiendo ſibi conſulere, atque in patriam turpiter redire coegit. Domnus KAROLVS Imperator, dum Aquiſgrani hiemaret, anno ætatis circiter LXXI, regni autem XLVII. ſubactæque Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Auguſtus appellatus eſt anno XIIII. V. Kal. Febroarij rebus humanis exceſſit. 814.

KAROLI MAGNI FRANCORVM REGIS ET IMPERATORIS

VITA ALIA,

Descripta, vt videtur, magna ex parte à Monacho Cœnobij Egolismensis S. Eparchij, ex Vita & Annalibus superioribus, nonnullis tamen interpolatis, quibusdam etiam additis: & à P. Pithæo primùm in lucem emissa.

Nunc verò recognita, ac variis in locis emendata ad fidem vetustissimi MS. Codicis, qui est in Bibliotheca Thuana.



PRIMO Rege Francorum Faramundo dicemus prosapiam domni præcelsi Regis magni CAROLI, quem Deus amauit & exaltauit, & magnum Principem & amabilem cunčto populo Christiano per vniuersum mundum fecit. Igitur tempore Valentiniani Imp. qui septimus Augustus fuit à Constantino magno diuo Augusto, quem sanctus Papa Siluester baptizauit, sub quo tempore sanctus Hieronymus claruit, Franci adhuc pagani primùm Reges habere cœperunt de semetipsis. Primus itaq. Rex Francorum fuit nomine FARAMVNDVS filius Marcomiris eiusdem gentis illustris viri. Post Faramundum regnauit Clodio filius eius. Post Clodionem regnauit Merouеus filius eius. Post Merouеum regnauit Childericus filius eius. Quo tempore exortus est beatus Eparchius ex ciuitate Petrocoria *, patre Felice Auteolo Comite eiusdem ciuitatis. Post Childericum regnauit Clodoueus filius eius, qui primus de Regibus Frācorum credidit in Christum, & baptizatus est à sancto Remigio Episcopo cum omni exercitu suo, & vniuerso populo Francorum. Post Clodoueum regnauit Childebertus filius eius cum tribus fratribus suis, Theoderico, Clodomero *, & Clotario. Quo tempore sanctus Eparchius in Egolisma virtutibus claruit, &, ipso Childeberto regnante, post septuagesimum annum ætatis suæ in pace ad Dominū migrauit. Quo tempore Anastasius Imperator Augustus Imperij infulas tenebat. Quo tempore regnauit cum Childeberto Theodebertus nepos eius filius Theoderici. Quo tempore claruerunt sanctus Gregorius Papa primus, & Gregorius Episcopus Turonensis, & sanctus Aredius Abbas, & Nicetius Episcopus Lugdunensis. Post Childebertum regnauit Clotharius frater eius, C qui sanctam Radegundem in matrimonio habuit. Post Clotharium regnauit Chilpericus filius eius cū tribus fratribus suis, Cariberto, Guntranno, & Sigeberto, qui habuit Brunichildem in matrimonio. Post Chilpericum regnauit Clotarius filius eius. Clotarius iste genuit Dagobertum, & filiam nomine Blitildem *, de qua Blitilde fuit generatio domni Caroli. Nam ista Blitildis soror Dagoberti Regis habuit virum in coniugio nobilem inter Francos nomine ANSBERTVM, de quo genuit filium nomine Arnaldum. Arnaldus genuit Arnulfum, qui postea derelicto seculo factus est Episcopus Metis ciuitatis. Arnulfus antequam esset clericus habuit vxorem nomine Beggam, filiam Pippini Maioris domus, & genuit ex ea Ansegisilum *. Ansegiselus genuit Pippinum vetulum breuem, qui fuit abauus domni Caroli Regis. Pippinus vetulus Dux Francorum genuit Carolum seniorem & Ducem cognomēto Martellum. Carolus Martellus genuit PIPPINVM Pium, qui de illa linea generationis eleuatus est primus à Francis in Regē, euacuata omnino linea de genere Faramundi. Pippinus Pius genuit domnum Regem Augustū Imperatorē CAROLVM. Domnus Carolus genuit domnum Ludouicū Imp. Ludouicus genuit Carolum Caluum ex Iudith Regina. Sed reuertar ad ordinum Regum. Post Clotarium regnauit Dagobertus filius eius, quo tēpore sanctus Eligius Episcopus claruit. Cui Dagoberto fuit Pippinus Maior domus vir egregius,

Margin notes: * Petragoricа. * Clodomire. * Baltildem. * al. Ansigisum, vel, Ansgisum.

CAROLVS MAGNVS.

A cuius Pippini filiam nomine Beggam accepit in vxorem Arnulfus vir nobilissimus pater Ansegisili. Post Dagobertum regnauit Clodoueus filius eius, qui habuit sanctam Baltildem in matrimonio. Quo tempore sancti Benedicti corpus translatum est de Beneuento in Franciam, in villa Floriaco. Post Clodoueum regnauit Clotarius filius eius. Post Clotarium regnauit Theodericus frater eius, cui Ebroinus fuit Maior domus: & Leodegarius sanctus Episcopus claruit, quem interemit ipse Ebroinus. Quo tempore Pippinus vetulus fuit Maior domus in Austrasiis cum Regibus Childerico & Childeberto iuniore. Qui Pippinus consensit nobilibus Francis interficere Ebroinum. Et ipse Pippinus breuis propter Childericum Regem Austrasiorum à Francis occisum, prælium fecit cum Theuderico Rege Francorum, & deuicit eum, & cum eo postea cōcordans, Maior domus extitit in Francia, & bella multa contra Sueuos & alias gentes fortiter fecit. Et ipse Pippinus breuis de vxore sua Calpiade * genuit Carolum Martellū. Post Theudericum verò Regem regnauit Clodoueus filius eius. Post Clodoueum regnauit Childebertus iunior frater eius. Post Childebertum iuniorem regnauit Dagobertus iunior filius eius. Post Dagobertum defecit genus regale à prudentia, & regnauit post ipsum Dagobertum Daniel clericus insensatus frater eius, quem Franci, mutato nomine, vocauerūt Chilpericum. Chilpericus iste ineptus mouit exercitum contra Carolum Martellum, qui tunc iuuenis erat in Austrasiis Maior domus & Dux

* Alpaide.

B cum Clotario Rege: & victus est in bello Chilpericus, & victor extitit Carolus Martellus. Tunc Eudo Dux Aquitanorum in auxilium Chilperici insensati mouit exercitum contra Carolum Martellum, & victus est ab eo in prælio, cepitque Carolus Martellus inimicum suum Chilpericum Regem insensatum: sed immemor malitiæ suæ reddidit ei Regnum suum. Post Chilpericum Regem insensatum regnauit solo nomine Theudericus insensatus consanguineus eius. Post Theudericum regnauit solo nomine Childericus insensatus frater eius, & defecit totum genus regale. Childerico insensato deposito de solio, & facto clerico in Monasterio, Franci cum consilio domni Papæ Zachariæ & nobilium Romanorum, Deo volente, vno consensu & vna voluntate eleuauerunt sibi in Regem PIPPINVM Pium filium Caroli Martelli. Hic Pippinus Pius fuit pater domni Caroli Imperatoris Magni. Itaque post Pippinum Pium regnauit domnus Carolus filius eius, quem posteà Romani elegerunt sibi Aduocatum sancti Petri contra Reges Langobardorum. Deinde ipsum domnum Carolum elegerunt sibi in Patricium Romanorum. Deinde eleuauerūt in Imperatorem & Augustum. Tenuitque domnus Carolus, Deo largiente, in potestate sua omnem terram de monte Gargano vsque in Cordubam ciuitatem Hispaniæ. Pippinus vero Pius pater domni Caroli postquam eleuatus est in Regem, regnauit septem annos, & obiit septingentesimo sexagesimo octauo anno ab Incarnatione Domini. 768.

C Et ipso anno omnes Franci magno gaudio exultantes eleuauerunt sibi in Regem domnum Carolum Magnum anno ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. Sic enim computantur anni ab origine mundi vsque ad Incaruarionem Domini secundum Septuaginta Interpretes. Ab Adam vsque ad diluuium fuerunt anni duo milia ducenti XLII. A diluuio vsque ad Abraham anni nongenti XLII. Ab Abraham vsque ad Moïsem anni quingenti quinque. A Moïse vsque ad Salomonem anni quadringenti LXXXVIIII. A Salomone vsque ad restaurationem templi sub Dario Rege Persarum anni quingenti XII. * A restauratione templi vsque ad Aduentum Domini, anni quingenti XLVIII. Et ab initio mundi vsque ad Incarnationē Domini secundū Septuaginta Interpretes sunt anni quinque milia CC. Secundum veritatem Hebraicam ita cōputantur. Ab Adam vsque ad Noe fuit prima ætas, & habuit annos mille & sexcētos & LVI: Secunda ætas à Noe vsque ad Abraham habuit annos ducentos XCII. Tertia ætas de Abrahā vsque ad Dauid habuit annos DCCCCXLII. Et simul iuncti annū trium ætatū fiūt, duo millia octingenti vndecim. Quarta ætas à Dauid vsque ad captiuitatem in Babilone, habuit annos quadringētos LXXIII. * Quinta ætas à destructione templi vsque ad Aduentum Domini habuit annos quingētos LXXX. Et fiunt simul ab Adam vsque ad Christum Dominum anni tria mil. nongenti LII. A Natiuitate Domini vsque ad transitum sancti Martini sunt anni quadringenti XLV. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Clodouei Regis Francorum, qui primus fuit Christianus de Regibus Francorum, sunt anni CXII. A

* XLII.

* LXIII.

CAROLVS MAGNVS. transitu sancti Martini vsque ad transitum sancti Eparchij Egolismensis patroni A
sunt anni centum viginti. Natus est enim sanctus Eparchius tempore Merouei Francorum Regis pagani, qui fuit auus Clodouei Regis Francorum primi Christiani, & in tempore Theodosij iunioris diui Augusti Imperatoris. Vixit per tempora Theodosij, Martiani, Leonis, Zenonis, Anastasij, & Iustiniani Imperatorum, & per tempora Regum Francorum, Merouei, Childerici, Clodouei, & Childeberti. Obiit tempore Iustiniani Imperatoris, & Childeberti Regis Francorum, octogesimo anno ætatis suæ. A Natiuitate Christi vsque ad primum annum regni domni Caroli sunt anni septingenti sexaginta octo.

CAP. I. 768. ANNO igitur ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. ipso anno quo Rex Pippinus Pius obiit, duo filij eius domnus CAROLVS & CARLOMANNVS eleuati sunt in Regnum vno die simul, id est VII. Idus Octobris: domnus quidem Carolus in Nouiomo, Carlomannus Suessionis ciuitate. Et celebrauit eo anno gloriosus domnus Rex Carolus Natale Domini in Aquis villa, & Pascha in Rodomo ciuitate.
769. Tunc domnus Carolus gloriosus Rex perrexit in Aquitaniam. Vnaldus voluit rebellare per totam VVasconiam & Aquitaniam, & cum paucis Francis dissipatum est iniquum consilium eius. Et in ipso itinere iunxit se magnus Rex Carolus germano suo Carlomanno in loco qui dicitur Duasdiues. Inde Carlomannus reuersus est in Franciam, & domnus Carolus benignissimus Rex iuit ad Egolismam * ciuitatem; & inde sumpsit plures Francos qui ciuitatem ei ipsam aspiciebant cum omnibus vtensilibus & præparamentis eorum, simúlque Launum Episcopum eiusdem ciuitatis, qui fuerat Capellanus domni Pippini Regis patris sui, B
quem ipse Rex Pippinus Episcopum fecerat de ipsa ciuitate. Et abiit super flumen Dornoniam, & ædificauit ibi castrum quod dicitur Fronciacus. Et inde misit exercitum suum qui persequerentur Vnaldum Ducem. Et duxit eos Lupus VVasco Princeps, sicut sciebat locos: captúsque est Vnaldus & vxor eius, & adductus est ad domnum Carolum. Domnus Carolus recepto Vnaldo, & præparato castro Fronciaco rediit ad Egolismam, vbi postulante Launo Episcopo fecit in Monasterio sancti Eparchij auctoritatem Præcepti de terris quæ ibi sine contentione erant, id est super fluuium Toluetam, Magnacum, Iuuenacum *, Vasnacum, Monterionem, Visacum, Roliacum super fluuium Notram, Baudidanem villam, Camilon, Cauannacum, Vlciacum, Roliacum minorem, Torciacum, Sertis, Tomolatum super fluuium Dornoniam, Montem villam, Baciacum *, Triacum, Marleuam. Quod Præceptum Bartholomeus Cancellarius eius scripsit, & ipse domnus Rex manu sua firmauit, & de anulo suo sigillauit. Erat eo tempore in ipso Monasterio sancti Eparchij Canonicalis habitus. Inde gloriosus Rex Carolus reuersus est in Franciam, & celebrauit Natale Domini in villa quæ dicitur
770. Duria, & Pascha in Leodico vico publico. Deinde habuit Synodum in VVarmaciam ciuitatem, & Carlomannus & Berta Regina iunxerunt se in loco Polassa *. Et Berta Regina perrexit per Baioariam in partes Italiæ, & celebrauit domnus C
Carolus Natale & Pascha in VVarmatia.

II. TVNC domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas, & ipso anno
771. Carlomannus Rex frater eius defunctus est in villa Salmontiaco. Et domnus Rex Carolus venit ad Carbonacum villam, ibique venerunt ad eum VVailerius Archiepiscopus, & Folradus Capellanus, cum aliis Episcopis ac Sacerdotibus: VVarinus & Adalardus Comites, cum aliis primatibus Carlomanni. Vxor verò Carlomanni cum paucis Francis in partes Italiæ perrexit, & præclarus ac gloriosus Rex Carolus celebrauit Natale Domini in villa Attiniaco, & Pascha in Aristal-
772. lio villa. Deinde Synodum tenuit ad VVarmatiam, & inde perrexit Saxoniam, & Eresburgum castrum cepit, peruenítque vsque ad Ermensul, & ipsum fanum destruxit, & aurum & argentum quod ibi reperit abstulit. Fuitque siccitas magna, ita vt aqua deficeret in supradicto loco vbi Ermensul stabat. Et dum vellet ibi stare tres dies gloriosus Rex ad destruendum fanum ipsum, & valde homines & iumenta sitirent, subita Christi gratiâ, media die cuncto exercitu quiescente, apparuit eis torrens ebulliens salubres aquas, & cunctus exercitus & iumenta eorum sufficienter recreati sunt: & tandiu ebulliit aqua viua, donec fanum destructum est. Tunc magnus Rex Carolus super fluuium VVisoram veniens, ibi habuit placitum cum Saxonibus, & receptis obsidibus XII. reuersus est in Franciam, &

Marginal notes: * Ecolesi[...] — * Viuenacum. — * Baciaco cum suis appendentiis — * Salassa.

A celebrauit Pascha & Natale domni in Aristallio. Inde perrexit ad hiemandum CAROLVS
in Theodonis-villa. Ibi venit ad eum Missus domni Apostolici Adriani Petrus MAGNVS.
per mare vsque Arelarum, & inde per terram, & inuitauit gloriosum Regem & 773.
Francos eius pro diuino seruitio & iustitia sancti Petri contra Desiderium Regem
& Longobardos. Et ideo maritimè venit, quòd Romanis clausæ fuerant viæ à
Longobardis. Et præcelsus Rex Carolus sumpto consilio vna cum Francis quid
ageret, promisit se auxilium Romanis præbiturum. Tenuítque cum Francis ge-
neraliter Synodum in Genua * ciuitate: ibíque exercitum diuidens, perrexit * Geneua.
ipse per montem Cesinium *, misitque Bernardum auunculum suum per mon- * Cinisium.
tem Iouem cum aliis eius fidelibus. & tunc ambo exercitus ad clusas se con-
iunxerunt. At Desiderius Rex obuiam venit domno Carolo Regi. Domnus verò
Carolus vna cum Francis castrametatus est ad easdem clusas, misitque scaram
suam per montana. Hoc sentiens Desiderius clusas reliquit, & domnus Rex
Carolus vna cum Francis, auxiliante Domino, & intercedente beato Petro,
sine læsione vel aliqua conturbatione clusis apertis Italiam intrauit, & Papiam
vsque peruenit. Et dum pro defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ibi intenderet,
dimissa Marca, & contra Saxones nulla fœderatione suscepta, ipsi Saxones cum
magno exercitu exierunt super confinia Francorum, perueneruntque ad ca-
strum quod dicitur Buriaburg. Confiniales verò de hac causa solliciti, castellum
B ingrediuntur & defendunt. Gens autem Saxonum cùm sæuiret deforis, & incen-
dio cuncta cremarent, venerunt ad quandam Basilicam in loco qui dicitur Frie-
dislar, quam sanctæ memoriæ * Bonefacius Martyr consecrauerat, & per spiri- * sanctæ Mariæ.
tum prophetiæ prædixerat, quòd nunquam incendio cremaretur. Et cœperunt
Saxones cum nimia intentione aduersus eandem certare Basilicam, quemadmo-
dum eam quolibet ingenio igne cremare potuissent. Dum hæc agerentur, appa-
ruerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdam pa-
ganis qui in ipso aderant exercitu, duo iuuenes in albis, qui ipsam Basilicam ab
igne protegebant. Et propterea ibidem non potuerunt neque interiùs neque
exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum inferre Basilicæ: sed nutu di-
uinæ maiestatis pauore perterriti, in fugam conuersi sunt, nemine persequente.
Inuentus est autem postea vnus ex iisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam Basi-
licam genibus curuis adcliuus supra pedes, habens ignem & ligna in manibus,
velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset. Domnus verò Caro-
lus Rex obsessa Papiâ Desiderium Regem ibi inclusit, & ibi Natale Domini ce-
lebrauit, & Pascha Romæ.

REVERSVS verò domnus Carolus Rex à Roma iterum Papiam obsedit, & for- III.
titer cepit, & Desiderium Regem cum vxore & filia, & cum omnibus thesauris 774.
C Palatij eius accepit. Veneruntque ibi omnes Longobardi de cunctis ciuitatibus
Italiæ, & subdiderunt se dominio domni gloriosi Regis Caroli. Adalgisus verò
filius Desiderij Regis fugâ lapsus, mare introiuit, & Constantinopolim perrexit.
Gloriosus itaque domnus Rex Carolus Italia subiugata, custodia Francorum in
Papia relicta *, cum magno triumpho, Deo adiuuante, cum vxore sua & reliquis * ordinata.
Francis reuersus est in Franciam. Perueniénsque in locum qui dicitur Ingil-
heim *, misit quatuor scaras in Saxoniam. Quæ inierunt tres pugnas cum Saxo- * Ingilinaim.
nibus, &, auxiliante Domino, victores extiterunt, & cum præda magna illæsi
iterum reuertuntur ad propria. Et celebrauit gloriosus Rex Car[olus] Natale &
Pascha in villa Carisiaco. Tunc habuit Synodum in villa Duria, & inde abiens ad 775.
partes Saxoniæ, Sigiburgum cepit castrum, & Eresburgum reædificauit super
VVisoram fluuium. Venitque ad locum qui dicitur Brunisburgo *: & ibi præpa- * Brunisberg.
rabant Saxones bellum, volentes defendere ripam supradicti fluminis. Francis
verò præliantibus, auxiliante Domino, Saxones fugiunt, & Franci ambas ri-
pas obtinent. Et domnus Rex Carolus diuiso exercitu suo sumpsit secum quos
voluit, & perrexit vsque Obacrum fluuium, ibique omnes Austreleudi Sa-
xonum cum Assione Duce venientes dederunt obsides iuxta quod placuit, &
iurauerunt sacramenta, se fideles esse partibus domni Regis Caroli. Inde re-
uertente domno mitissimo Rege Carolo, venerunt Angarij in pago Bocen-
si, vna cum Brunone & reliquis Optimatibus eorum, & dederunt ei obsides.
Inde reuertens inuenit aliam partem de suo exercitu super fluuium VVisoram,

CAROLVS MAGNVS. continentem ripam quam iussi fuerant. Saxones verò cum eis pugnam fecerant in loco qui dicitur Litca, & Francl, Deo volente, habuerunt victoriam, & plures de Saxonibus occiderunt. Quo audito, domnus Rex Carolus iterum irruit super Saxones, & magnam stragem ex eis fecit, & prædam multam conquisiuit super VVestfalos: & obsides ei dederunt sicut & alij Saxones. Et obsidibus receptis, & multa præda acquisita, & tertiò facta strage Saxonum; domnus Rex Carolus ad propria reuersus est. Rotgaudus verò Dux Langobardorum fraudauit fidem suam, & omnia sacramenta rumpens, volebat Italiam rebellare. Abiens verò domnus Rex Carolus in Italiam, celebrauit Natale Domini in villa Scla- A

776. distad, & Italiam ingressus venit in partes Foroiuliensium, & Rotgaudum Ducem occidit, & in Tarauisium ciuitatem Pascha celebrauit. Et Foroiulio & Taruiso captis, cum reliquis ciuitatibus quæ rebellauerant, misit in eis Francos, & cum prosperitate reuersus est Franciam.

IV. SAXONES iterum rebellauerunt ruptis sacramentis, & obsidibus dulgtis * * dulcis. mentitis, & Eresburgum castrum per mala ingenia & iniqua placita capientes Francos expulerunt, & castrum destruxerunt. Similiter voluerunt facere de Sigisburgo castello. Sed dum per placita Francos qui intus erant non potuissent illudere, sicut fecerant alios de Eresburgo, præparauerunt pugnas & machinas vt castrum vi caperent. Deóque volente petrarias, quas parauerunt, in suo plus damno senserunt quàm illi de castello. Item præparauerunt clitas ad debellandum per virtutem castrum, sed Dei virtus superauit illorum virtutem. Quadam B autem die cùm bellum præpararent aduersum Francos, qui ipsum castrum custodiebant, apparuit manifestè gladius supra Ecclesiam quæ est infra ipsum castrum, videntibus cunctis tam à foris quàm etiam deintus. Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium & agitantium supra ipsam Ecclesiam. Cùm hoc signum vidissent pagani qui a foris erant, statim confusi sunt: & magno timore perterriti fugere cœperunt ad castra. Et omnis multitudo eorum fugam arripientes, alij ab aliis inuicem interficiebantur. Et qui retrò respiciebant propter pauorem, ab antecedentibns lanceis confodiebantur: & diuersos ictus inter se perpessi sunt omnes, & diuina vltione iudicati. Et quantum super eos Dei virtus propter salutem Christianorum operata est, nullus narrare potest. Et quantò plus illi pauore perterriti sunt, tantò magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudabant, qui dignatus est ostendere potentiam suam super seruos suos. Ita Francis viriliter resistentibus, Saxones nihil præualuerunt, & Franci persecuti eos interfecerunt vsque ad flumen Lippiam, & cum victoria reuersi sunt. Cùm autem in VVarmatia domnus Rex Carolus hæc audisset, tenuit ibi Synodum & publicum placitum: & consilio habito, introiuit cum summa festinatione, Deo adiuuante, in Saxoniam. Et perterriti Saxones omnes, ad locum vbi Lippia consurgit venerunt ex omni parte, & domno Regi Carolo per vuadium manibus suis reddiderunt patriam, & spoponderunt se esse Christianos, & iterum subditi sunt ditioni domni Regis Caroli. Domnus autem Rex Carolus reædificauit Eresburgum C castrum, & fecerunt aliud castrum super Lippiam, vbi venientes Saxones vna cum vxoribus & infantibus, innumerabilis multitudo, baptizati sunt in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & obsides dederunt domno Regi Carolo sicut voluit. D●onénsque domnus Rex Francos per castella Saxoniæ, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natale Domini in Aristallio, & Pascha in Niumaga.

V. ANNO sequenti domnus Rex Carolus publicam Synodum habuit ad Padet-

777. brunnen. Ibi conuenerunt omnes Franci & omnes Saxones, excepto quòd VVidochindus rebellis extitit: & cum paucis aliis sociis suis in Normandiam confugit. Ad idem placitum venerunt Sarraceni de Hispania tres Reges, Ibnalarabi, & filius Deuizch qui Latine Ioseph nominatur, & gener eius Alaruiz. Ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem illorum omnem ingenuitatem illorum, & alodem manibus gurpierunt *, si amplius immutassent secundum malam consuetudinem illorum, sed semper essent in fidelitate domni Regis Caroli. Celebrauit idem domnus Rex Carolus Natale in villa Dorciaco *, & Pascha in Aquitania in villa Cassinogilo. Inde abiit partes Hispaniæ

* durum fecerunt.

* Dorciaco.

778. per duas vias, vnam per Pampilonam, per quam ipse magnus Rex perrexit vsque

Cæsar-

CAROLVS MAGNVS.

A Cæsaraugustam. Ibique venerunt de Burgundia & Austria & Baioariâ & Prouincia & Septimania, & Langobardorum pars magna, & ad ipsam ciuitatem coniunxerunt se exercitus ex vtraque parte. Ibique recepit obsides de Ibnalarabi & de Abutauro Regibus, & de multis Sarracenis. Et Pampilona destructa, Hispaniam & VVasconiam sibi subiugauit, atque Nauarram, & reuersus est in Franciam. Et audientes Saxones quòd domnus Rex Carolus tam longè esset in partibus Hispaniæ, persuasione supradicti VVidochindi vel sociorum eius secundum consuetudinem malam rebellati sunt. Quod domnus Rex Carolus audiens in Autissiodoro ciuitate, mox misit scaram Franciscam in Saxoniam ad resistendum Saxonibus. Illi verò rebelles peruenerunt vsque Durtiam*, prædantes secus Rhenum, & multas malitias facientes, Ecclesias Dei incendentes, & in Sanctimonialibus exercentes quod dictu nefas est. Cúmque audissent de reuersione domni Regis Caroli, & de scara eius quam misit obuiam illis, mox reuersi sunt per Longene in partes Saxoniæ: & scaræ Francorum non occurrerunt obuiam eis, sed vestigia eorum obseruantes consecuri sunt eos super fluuium Adarnia*, in loco qui dicitur Liesi, vbi pugna incœpta & valde benè finita, auxiliante Domino, Franci victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi cæsa est, & fugientes alij cum magna contumelia reuersi sunt Saxoniam. Et celebrauit eo anno clementissimus Rex Carolus Natale Domini & Pascha in villa Aristallio. Deinde iter agens ad partes Neustriæ, peruenit in

.oi.

*Diutciam.

* Adarmia.

B villa quæ dicitur Compendio. Et dum reuerteretur ad partes Austriæ, Hildebrandus Dux Spolitanus cum multis muneribus obtulit se in præsentia magni Regis Caroli in villa Virciniaco. habuitque Rex Synodum in villa Duria, & transiit in Saxoniam ad Lippia. Saxones verò moliti sunt rebellare in loco Bozolz*: sed non præualentes fugerunt, & Francis aperta est via. Qui introeuntes in VVestfalaos, conquisierunt eos omnes. Cúmque domnus Rex Carolus ad locum qui dicitur Mediofalli coniunxisset, ibi Saxones venientes dederunt ei obsides, & sacramenta iterum firmauerunt. Reuersúsque est gloriosus Rex Carolus in Franciam, & celebrauit Natale & Pascha in VVarmatia ciuitate. 779.

* Bobbot, fen Bozolt.

Iterum iter peregit ad disponendam Saxoniam, & peruenit ad Eresburgum, & inde ad locum vbi Lippia consurgit, ibique Synodum tenuit. Indè iter egit ad partes Albiæ fluuij, & ipso itinere, in præsentia domni Regis Caroli, omnes Bardongauenses, & multi de Nordleudis baptizati sunt in loco Otaim vltra Obacrum fluuium. Ibi omnia disposuit, tam Saxoniam quàm & Sclauos, reuersúsque est in Franciam. Tunc ipse præclarus Rex Carolus iniit consilium vt pergeret Romam orationis causa, vna cum vxore sua domna Aldeardi* Regina, & celebrauit Natale in Papia ciuitate. Et supradictum peragens iter ce- 780.

*Hildegarde.

C lebrauit Pascha Romæ, & ibi Pippinus filius eius baptizatus est ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et duos filios domni Regis Caroli Pippinum & Ludouicum ipse Papa vnxit in Reges: Pippinum in Italia, Ludouicum in Aquitania. Et domnus Rex Carolus Mediolanis ciuitatem peruenit, & ibi baptizata est filia eius Gisla* ab Archiepiscopo Thoma, qui & ipse eam à sacro baptismo manibus suscepit. Indè Rex clementissimus Carolus reuersus est in Franciam. Tunc misit Papa Adrianus Formosum & Damasum Episcopos ad Tassilonem Ducem Baioariorum vna cum Missis domni Regis Caroli, Riculfo Diacono, & Eberardo Magistro Pincernarum; ad commonendum & contestandum, vt reminisceretur priscorum sacramentorum suorum, & vt non aliter faceret nisi sicut iureiurando iamdudum promiserat ad partem domni Pippini Regis & domni Caroli Regis filij eius vel Francorum. Consensitque Tassilo Dux Baioariorum, vt sumptis obsidibus à domno Rege Carolo ad eius veniret præsentiam. Quod non renuit domnus Rex Carolus. Et coniunxit se Tassilo Dux Baioariorum in præsentia domni Regis Caroli ad VVarmatiam ciuitatem. Ibi renouauit sacramenta, deditque XII. obsides electos, vt omnia conseruaret quæ Pippino Regi iureiurando promiserat in causa clementissimi Regis domni Caroli: & obsides recepti sunt in Carisiaco villa de manu Simberti* Episcopi. Sed non diu præfatus Dux promissiones quas feceerat conseruauit. & celebrauit domnus gloriosus Rex Natale Domini & Pascha in supradicta Carisiaco villa. 781.

* Gisela.

* Logberti

CAROLVS SEQVENTI anno domnus Rex Carolus Rhenum transiit, & in Colonia* A
MAGNVS. Synodum tenuit. Ibi omnes Saxones venerunt excepto rebelle VVidochindo: &
VI. illuc conuenerunt Normandi nuntij Regis Sigefridi. Similiter Auati conuene-
782. runt illuc missi à Cagano & Vigurro*. Ibi peracto placito, reuersus est domnus
* al. vbi Lippia oritur. Rex Carolus in Franciam. Et cùm reuersus fuisset, iterum Saxones statim, soli-
* Iugurro. to more, rebellati sunt suadente VVidochindo. Et ignorante hoc domno Rege
Carolo, Ludouicus filius eius misit Missos suos Adalgisum & Geilonem atque
VVoradum Comites, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum super
Sclauos qui rebelles fuerant. Et suprà nominati Missi in via audientes quòd Saxo-
nes rebellati fuissent, coniungentes ad scaram Francorum irruerunt super Sa-
xones, & commiserunt bellum. Et fortiter pugnantes multos Saxones intereme-
runt, & victores extiterunt, cecideruntque Adalgisus & Geilo. Hoc audiens
domnus Rex Carolus sub celeritate illuc coniunxit, & peruenit vsque ad locum
vbi Arola confluit in VVisoram. Iterum omnes Saxones conuenientes subdide-
runt se potestati domni Caroli, & reddiderunt omnes malefactores illos qui
* illum. ipsum* rebellium maximè terminauerunt. In eo autem prælio occisi sunt de Sa-
xonibus quatuor millia quingenti. VVidochindus autem fugâ lapsus est in par-
tes Normandiæ. His peractis, domnus Rex Carolus reuersus est in Franciam,
783. & celebrauit Natale & Pascha in villa quæ dicitur Teudone-villa. Tunc obiit
* Hildegardis. Regina benemerita domna Aldeardis* pridie Cal. Maij in vigilia Ascensionis
Domini. Iterum rebellant Saxones, & domnus Rex Carolus super eos ad Teot- B
malli venit. Ibi Saxones præparauerunt se ad pugnam in campo. Sed viriliter
domno rege Carolo pugnante, Saxones terga vertunt, & Franci victores exi-
stunt; ceciditque ibi multitudo Saxonum ita vt pauci fuga euaserint. Inde victor
gloriosus Rex Carolus venit ad Paderbrunnem. ibi iterum coniunxit exercitum
suum, & super Saxones pergit ad fluuium qui dicitur Hasa. Vbi, bello inito,
plusquam sex milia Saxonum ceciderunt, & Franci victores extiterunt. Inde
domnus Rex transit ad Albiam fluuium, reuersúsque est in Franciam. & in eo-
dem anno obiit bonæ memoriæ domna Berta Regina. Cúmque Rex Carolus
VVarmatiam peruenisset, sociauit sibi in matrimonium domnam Fastradam Re-
ginam, & celebrauit Natale & Pascha in Aristallio villa.
VII. SAXONES iterum rebellant solito more, & cum eis aliqua pars Fresonum.
784. Domnus fortis Rex Carolus super Saxones Renum transit ad Lippiam*, & va-
* Lipibaam. standο Saxoniam peruenit vsque ad Huculin*. Ibi consilium iniit, quia nimia
* Huleulm, inundatio aquarum erat, vt per Thoringam de Orientali parte intraret super
seu, Huculoin. Ostfalaos, & filium suum Carolum misit cum scara, qui perrexit per Thoringam
vsque ad fluuium Albiam, & inde ad Stangfurd, & inde ad Scainingi. Ibi prælio
facto victor existens, cum gloria reuersus est Franciam, dimisso in Saxonia Ca-
rolo filio suo. VVestfalai verò congregauerunt se ad Lippiam. Quo audito filius
domni Caroli obuiam eis accessit cum scara sua. Et inito bello, victor extitit Ca- C
rolus filius domni Regis Caroli: cecideruntque in eo prælio de Saxonibus plus-
quam septem milia hominum. Carolus verò illæsus remeauit ad genitorem suum
in VVarmatia ciuitate. Ibi domnus Rex Carolus iniit consilium, vt hiemis tem-
pore iter ageret in Saxoniam, quod & factum est. Et celebrauit Natale in Cidrio-
* Skidnosburg. burgi* super fluuium Ambra. Inde abiens in Saxoniam peruenit vsque ad Ri-
mia* super fluuium VVisora vbi confluit VVarana*, & propter nimias inunda-
785. tiones aquarum, reuersus est Eresburgum, & vxorem suam domnam Fastradam
* Rimee. * VVaharna. Reginam vna cum filiis & filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota hieme re-
sedit, & Pascha celebrauit. Et ibi residens multoties scaras misit super Saxo-
nes, & ipse super eos insurrexit, & deprædauit eos, & castra eorum cepit, &
* Concilium verò. loca eorum munita abstulit, & vias mundauit. Synodum autem* suum tenuit
ad Paderbrunnem. Inde iter peragens viis apertis nemine contradicente, per
* Bardagaui. totam Saxoniam quocunque voluit ambulauit, venitque in Bardingauin*. Et
misit post VVidochindum & Abbionem, & vtrosque ad se conduxit, & firma-
uit vt non se subtraxissent nisi in Franciam ad eum venissent, petentibus illis
* credentias quod inlæsi fuissent. securitatem* si venissent. quod & factum est. Inde reuersus in Franciam misit il-
lis obsides per Missum suum Amaluuonem*. Quos cùm recepissent, cum ipsis
* Amaluinum. adiunxerunt se ad domnum Regem Carolum ad villam Attiniacum. Ibi bapti-

A zati sunt VVidochindus & Abio vna cum sociis eorum, & tunc tota Saxonia subiugata est. Eo anno in ipsa villa celebrauit Natale & Pascha. Deinde misit exercitum in Brittanniam vna cum Misso suo Andulfo Senescalco, & ibi multa castella conquisierunt & loca firma, & multa palustria & incæsa, & Capitaneos Brittonum repræsentauerunt in Synodo domni Regis Caroli in VVarmatiam. Tunc prospiciens se ex omni parte pacem habere, consilium sumit vt orationis causa Romam pergeret, & ad limina beatorum Apostolorum iter pergendi, & causas Italicas disponendi, & cum Missis Imperatoris placitum habendi de conuenientiis eorum. quod & factum est, & celebrauit Natale Domini in Florentia ciuitate. CAROLVS MAGNVS. 786.

IGITVR gloriosus Rex Carolus veniens Romam, receptus est honorificè à domno Apostolico Adriano, & aliquot dies ibi moratus est. Argisus Dux Beneuenti misit filium suum Romaldum domno Regi Carolo cum multis muneribus, postulans vt non intraret Beneuentum, & faceret omnes voluntates domni Regis Caroli. Sed hoc Apostolicus minimè credebat, neque Optimates Francorum. Et consilium fecit cum domno Rege Carolo & cum Optimatibus Francorum, vt Beneuentum intraret ad causas firmandas. Et ita factum est. Et dum Capuam venisset, reliquit Aregisus dux Beneuentum, & in Salerno se reclusit. Et timore perterritus, non fuit ausus videre faciem domni Regis Caroli, sed misit ei ambos filios suos Romaldum & Grimaldum cum multis muneribus & B obsidibus, vt obtemperaret petitioni eius. Domnus verò gloriosus Rex Carolus vna cum Sacerdotibus & Optimatibus suis prospexit vt non deleretur illa terra, nec desertarentur Episcopia & Monasteria, elegitque XII. obsides & tertium decimum filium Ducis Grimaldum. Et acceptis muneribus, iurauerunt omnes Beneuentani domno Regi Carolo. Et reuersus est Rex piissimus Carolus, & celebrauit Romæ Pascha cum domno Apostolico. Ecce orta est contentio per dies festos Paschæ inter Cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant se Galli meliùs cantare & pulchriùs quàm Romani. Dicebant se Romani doctissimè cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant à sancto Gregorio Papa: Gallos corruptè cantare, & cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quæ contentio ante domnum Regem Carolum peruenit. Galli verò propter securitatem domni Regis Caroli valde exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani verò propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos stultos, rusticos & indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, & doctrinam sancti Gregorij præferebant rusticitati eorum. Et cùm altercatio de neutra parte finiret, ait domnus piissimus Rex Carolus ad suos Cantores: Dicite palam, quis purior est, & quis melior, aut fons viuus, aut riuuli eius longè decurrentes? Responderunt omnes C vna voce, Fontem, velut caput & originem, puriorem esse: riuulos autem eius, quantò longiùs à fonte recesserint, tantò turbulentos & sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domnus Rex Carolus. Reuertimini vos ad fontem sancti Gregorij, quia manifestè corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit domnus Rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romanæ Ecclesiæ doctissimos Cantores, qui à sancto Gregorio eruditi fuerant: tribuitque Antiphonarios sancti Gregorij, quos ipse notauerat notâ Romana. Domnus verò Rex Carolus reuertens in Franciam, misit vnum Cantorem in Metis ciuitate, alterum in Suessionis ciuitate: præcipiens de omnibus ciuitatibus Franciæ Magistros Scholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarij Francorum, quos vnusquisque pro arbitrio suo vitiauerat, addens vel minuens, & omnes Franciæ Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam: excepto quòd tremulas vel vinnulas *, * tinnulas. siue collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterãt perfectè exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces potiùs quàm exprimentes. Maius autem Magisterium cantandi in Metis ciuitate remansit. Quantumque Magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenæ, tantò superat Metensis cantilena ceteras Scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani Cantores supradicti Cantores Francorum in arte organandi. Et domnus Rex Carolus iterum à Roma artis Grammaticæ & Computatoriæ Magistros secum adduxit VIII. 787.

CAROLVS MAGNVS. in Franciam, & vbique Studium literarum expandere iussit. Ante ipsum enim domnum Regem Carolum, in Gallia nullum Studium fuerat liberalium artium. Per ipsos dies Paschæ venerunt Romam ad domnum piissimum Regem Carolum Missi Tassilonis Ducis, Episcopus Isarnus*, & Abbas Henricus*, petierúntque Apostolicum vt pacem faceret inter domnum Regem Carolum & Tassilonem Ducem Baioariorum. Et domnus Apostolicus multum se interposuit, postulando piissimum Regem. Cui ipse respondit, hoc se voluisse, & per multa tempora quæsisse, & minimè inuenire potuisse; & proferebat statim fieri. Voluitque mox in præsentia Papæ cum ipsis Missis pacem firmare. Et renuentibus Missis, quia non ausi fuissent de eius parte vllam firmitatem facere, cùm cognouisset Apostolicus instabilitatem & mendacium eorum, anathema posuit supra Ducem eorum & suos consentaneos, si ipse Dux sacramenta, quæ promiserat Pippino & domno Carolo Regi, non adimplesset. Et obtestatus est supradictos Missos, vt contestarentur Tassilonem, vt non aliter faceret, nisi in omnibus obediret domno Regi Carolo, & filiis eius, ac genti Francorum, ne sanguinis effusio proueniret, vel læsio terræ ipsius. Et si ipse Dux obduratô corde verbis Apostolici minimè obediret, tunc domnus Rex Carolus & suus exercitus absoluti essent ab omni periculo peccati, & quicquid in terra de incendiis eueniret, vel de qualicunque malicia, hoc super Tassilonem & eius consentaneos eueniret, & domnus Rex Carolus ac Franci innoxij ab omni culpa exindè permansissent. His verbis expletis, Missi Tassilonis absoluti sunt. Tunc in inuicem sibi domnus Apostolicus, & domnus Rex gloriosus Carolus vale dicentes, benedictione assumpta & oratione peracta in Franciam cum gloria reuersus est, adducens secum Cantores Romanorum, & Grammaticos peritissimos, & Calculatores. Peruenítque idem mitissimus Rex Carolus ad coniugem suam domnam Fastradam Reginam in ciuitate VVarmatia, & ibi ad inuicem grauisi sunt lætificantes ac Dei misericordiam conlaudantes. Vbi Synodum congregauit, & deinde misit ad Tassilonem vt omnia adimpleret secundum iussionem Apostolici, vel sicut iustitia erat: eò quòd sub iureiurando promissum habebat, vt in omnibus obediens & fidelis esset ei & filiis eius & Francis, & ad eius præsentiam veniret. Quod renuit, & venire contempsit. Tunc domnus Rex Carolus sentiens iustitiam suam, pergit Baioariam, venitque in loco qui dicitur Lecfeld* super ciuitatem Augustam. Et iussit fieri alium exercitum de Austrasiis & Toringis & Saxonibus, & coniunxerunt super Danubium fluuium in loco qui dicitur Faringa. Et tertium exercitum iussit fieri de Italicis, vt filius eius Pippinus Rex veniret vsque ad Triantum, & ipse ibi maneret, & exercitum suum pleniter inante mitteret vsque ad Bauzarum. Tassilo videns se circundatum ex omni parte, vidénsque quòd omnes Baioarij plus essent fideles domno Regi Carolo quàm sibi, & cognouissent iustitiam domni Regis, & magis vellent iustitiam consentire, quàm contrarij esse, contristatus vndique tradidit seipsum domno Regi Carolo manibus in manibus in vassaticum, & reddidit ei Ducatum sibi commissum à domno Pippino Rege, & confessus est se in omnibus peccasse, & malè egisse. Et denuo renouans sacramenta dedit XII. electos obsides, & tertiumdecimum filium suum Theudonem. Receptisque obsidibus & sacramentis, reuersus est domnus gloriosus Rex Carolus in Franciam, & celebrauit Natale & Pascha in villa quæ dicitur Ingilenhaim.

* Arnus. * Vnnous. * Lecfeld

A B C

IX. 788. DOMNVS igitur Rex Carolus habuit Synodum ad iam dictam villam Ingilenhaim, ibique venit Tassilo ex iussione eius, sicut & ceteri vassi, dixerúntque fideles Baioarij quòd Tassilo fidem suam saluam non haberet, sed postea fraudulentus apparuit suadente vxore sua Liutberga. Quod & Tassilo denegare non potuit, sed confessus est postea se transmisisse ad Auaros vt sibi consentirent contra domnum Regem: & homines suos, quando iurabant, iubebat vt aliter in mente retinerent, & sub dolo iurarent: & quia dixerat, si decem filios haberet, antè voluisset omnes amittere quàm placita sic manerent sicut iurauerat: & quia dixerat, melius se esse mori quàm ita viuere. Et dum incriminaretur eum de multis aliis infidelitatibus Franci, & Baioarij, & Langobardi, & Saxones, & quia in exercitu dereliquerat domnum Pippinum Regem, & omnes acclamauerunt eum esse reum mortis, & vt capitali sententia damnaretur: domnus piissimus

A Rex Carolus motus misericordiâ, ob amorem Dei, & quia consanguineus eius CAROLVS MAGNVS.
erat, continuit vt non moreretur. Et interrogauit Tassilonem, quid agere vel-
let. Ille verò postulauit licentiam sibi tonsorandi, & in Monasterium introeun-
di, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi: vt suam saluaret animam. Simi-
liter filius eius Theodo iudicatus est: & Monachi ambo facti sunt in Olto Mo-
nasterio vbi sanctus Bonefacius requiescit. Pauci verò Baioarij, qui in aduersita-
te domni Regis Caroli perdurare volebant, missi sunt in exilium. Eodem anno
commissum est bellum inter Græcos & Langobardos, id est à Ducibus Spolita-
nis, Hildebrando, & Grimaldo quem posuerat domnus Rex Ducem super Be-
neuentum. fuitque VVinigisus Francus Missus domni Regis Caroli cum paucis
Francis ex parte Langobardorum, & victoriam habuit. Auari quoque bellum
inierunt cum Francis qui erant in Italia, & victi cum confusione fugati sunt, &
victoriam Franci habuerunt. Tertia pugna commissa est inter Auaros & Baioa-
rios in campo Hibose, & Missi domni Regis Caroli Garamandus * & Audacrus * Grahamannus.
cum paucis Francis fuerunt ex parte Baioariorum, & Auari victi sunt. Et hæc
omnia Dux Tassilo & vxor eius Deo odibilis Liutberga consiliati fuerant. Quar-
ta fuit pugna cum Auaris & Baioariis. ibique fuerunt Missi domni Regis Caro-
li, & victoria fuit Christianorum, Deo protegente. De Auaris occisi sunt ad de-
cem milia, & alij in Danubium fluuium submersi sunt dum gladium fugiunt.
B Post hæc domnus Rex Carolus ad Reganesburg peruenit, & ibi fines vel marcas
Baioariorum disposuit, quomodo saluæ contra Auaros esse potuissent. Inde re-
uersus celebrauit Natale & Pascha in Aquis Palatio.

INDE iter egit in Sclauaniam, & ad locum VVilze peruenit, & vna cum X.
consilio Francorum & Saxonum transiit Renum, & venit ad Albiam fluuium, 789.
ibique duos pontes construxit, & ad vnum fecit castellum ex ligno & terra ex
vtraque parte. Inde pergens vltrà, Sclauos sub suo dominio conquisiuit. Fue-
runt in exercitu eius Franci & Saxones & Fresones, qui nauigio per Labola flu-
uium cum quibusdam Francis ad eum coniunxerunt. fuerunt etiam Sclaui cum
eo Suurbi *, & Abotri, quorum Dux fuit VVitzan. Ibi obsidibus & sacramen- * Suurbi nec non Abolriti.
tis ab eis receptis, Domino ducente, in Franciam reuertitur, & celebrauit Na-
tale & Pascha in VVarmatia. In anno sequenti nullum fecit iter, sed in eadem 790.
ciuitate celebrauit Natale & Pascha. Inde in itinere ad Baioariam Renesbur- 791.
gum * peruenit. Ibi exercitu coniuncto cum consilio Francorum, Saxonum, & * Reganesburg.
Fresonum, destinauit iter, cum Dei adiutorio, in partes Auarorum propter ni-
miam maliciam quam fecerant contra sanctam Ecclesiam & populum Christia-
num, vnde iustitias per Missos impetrare non valuerunt. Et properans ad Ani-
sam * fluuium, ibi constituerunt Letanias facere per triduum, & Missarum so- * Nisam.
C lemnia celebrare pro salute exercitus, & victoria & adiutorio Domini nostri Iesu
Christi, & vindicta * super Auaros. Domnus verò Rex Carolus de Australi par- * victoria.
te Danubij iter egit cum Francis. Saxones autem cum quibusdam Francis &
plurima turba Frisonum de Aquilonali parte Danubij abierunt, & venerunt
omnes ad Auarorum firmitates. Domnus verò Rex Carolus ad Cumnoberg.
Alij verò in ripa quæ dicitur Campus, quia sic vocatur ille fluuius qui confluit
in Danubium. Et cùm Auari viderent vtrasque ripas exercitum continere, &
nauigia per medium fluuium venire, terrore à Deo perterriti dereliquerunt lo-
ca firmissima & fugerunt. Et, Christo ducente populum suum, vterque exerci-
tus peruenit ad fluuium Raba, prostrauerùntque Auarorum innumerabilem
multitudinem, & reuersi sunt ex vtraque ripa ad propria, magnificantes Deum
pro tanta victoria. Et celebrauit domnus Rex Carolus Natale & Pascha in Ra-
genesburg. Ibi tenuit Synodum, vbi primò condemnata est hæresis Feliciana 792.
cum auctoritate Adriani Papæ. Quem Angilbertus ad præsentiam Adriani Apo-
stolici adduxit, & confessione facta suam hæresim iterum abdicauit. Eodem an-
no nullum iter exercitale factum est, sed fecit pontem super nauigia flumina
transeuntem, anchoris & funibus ita cohærentem vt iungi & dissolui posset. Ibi
Natale & Pascha celebrauit ipso anno.

ANNO sequenti domnus Rex Carolus de Ragenesburg iter fecit nauigio vs- XI.
que ad fossatum magnum inter Alamanniam & Radantiam *. Ibi cum muneri- 793.
bus magnis Missi Apostolici præsentati sunt, & nunciatum est ei Saxones iterum * Radamantiam.

Carolvs Magnvs rebellasse. Inde per Radanciam * nauali itinere abiit in Mochin, & Natale celebrauit ad Sanctum Chilianum in VVirzinburg, & Pascha in Franconofurt. Et ibi congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia eius. Ibi fuerunt Missi domni Apostolici Adriani, Theophilactus & Stephanus Episcopi: & ibi tertiò damnauerunt hæresim Felicianam. Quam damnationem per auctoritatem sanctorum Patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes propriis manibus subscribendo confirmarunt. Ibi obiit Fastrada Regina, & ad sanctum Albanum sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant, pro imaginibus reiecta, est à Pontificibus. Indè motus est exercitus in Saxoniam per duas turmas. In vna fuit domnus gloriosissimus Rex Carolus, in altera misit Carolum filium suum per Coloniam. Saxones autem congregati præparauerunt se ad bellum in campo Sinitfelt *. Sed eùm audissent se ex duabus partibus esse circundatos, timore pleni promiserunt se esse Christianos & fideles domno Regi Carolo. Et Rex ad Palatium Aquis rediit, ibique Natale & Pascha celebrauit. Habuitque placitum suum ad locum Cussitain * in suburbio Maguntiæ vrbis. Saxones verò fecerunt irritum placitum suum de habenda Christianitate, & fide Regis tenenda, & domnus Rex Carolus in Saxoniam intrans, peruenit ad fluuium Albin in locum Luini *: vbi facto prælio VVinutzin * Abodritorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi venerunt Missi Tuduin, qui in gente Auarorum magnam potestatem habebat, qui dixerunt quòd idem Tuduiu cum terra & populo suo se Regi dedere vellet. Rex verò afflictis Saxonibus valde, & cæsis gladio triginta milibus pugnatorum ex eis, terra vastata, & acceptis obsidibus, redit Aquis, & ibi Natale & Pascha celebrauit. B

* Radanciam. 794. * Sinaffele. 795. * Cussinstang. * Lions. * VVinizin.

XII. 796. Alio anno Adrianus Papa obiit, & Leo mox vt in locum eius successit, misit Legatos cum muneribus ad Regem. Claues etiam confessionis sancti Petri, & vexillum vrbis Romæ, ei direxit. Eenricus * autem Dux Furiuliensis misso in Panponiam VVonomirro Sclauo Principe suo, Ringum * Ducem Auarorũ interficere fecit, & Cagauum & Iugurram * spoliare fecit, & thesaurorum multitudinem multa prolixitate seculorum à Regibus Auarorum collectam domno Regi Carolo Aquis Palatio misit. Quo thesauro accepto, gratiarum actiones Deo largitori omnium bonorum peregit, & indè magnam partem ad limina Apostolorum misit per Angilbertum dilectum suum Abbatem, & reliquam partem Optimatibus suis & Clericis & Monachis largitus est. Ipso anno Tuduin secundum pollicitationem suam cum multitudine Auarorum ad Regem venit, & se ei dedit cum populo & patria sua, & ipse & populus eius Christiani facti baptizati sunt, & honorificè muneribus ditati redierunt. Rex collectis exercitibus Saxoniam ingressus, Pippinum filium suum Regem Italiæ in Pannoniam misit. Qui Pippinus commisso bello cum Auaris victor extitit, & diu resedit in Ringo villa, & cum multis thesauris rediit ad domnum Regem Carolum patrem suum in Aquis Palatium. Et celebrauit ibi domnus Rex Carolus Natale & Pascha. Tunc Barcinona ciuitas Hispaniæ, quæ iampridem à nobis desciuerat *, per Zatum Præfectum ipsius reddita est ei. Nam ipse ad Palatium veniens, domno Regi semetipsum cum ciuitate commendauit. Deinde gloriosus Rex facta expeditione in Saxoniam trans omnes paludes & inuia loca vsque ad Haduloha (hoc enim loco nomen vbi Oceanus Saxoniam adluit) transiit. Et tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, reuersus est Aquis Palatio. Ibi Abdella Sarracenus filius Ibinmauge Regis, à fratre Regno pulsus, in Mauritania exulans, ei se manibus commendauit. Ibi venit Theoctistus filius * Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, portans Imperatoris epistolam. quem magnificè suscipiens post paucos dies absoluit. Et Nouembrio mense mediante, ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intrauit: positisque castris apud VVisoram fluuium, locum castrorum Heristelli vocari iussit. Illuc venerunt Legati Auarorum cum muneribus multis. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludouico in Hispania reuerti fecit, & filium suum Pippinum ad Italiam misit. Ipse ad disponendam Saxoniam torum hiemis tempus impendit, & ibi Natale Domini & Pascha celebrauit. C

* Sed & Heiricus. * Hrigun. * Vigurium. 797. * abeo defecerat. * Legatus

XIII. 798. Venit autem ad eum Legatus Adefonsi * Regis Galliciæ & Asturiæ nomine Froia, præsentans papilionem miræ pulchritudinis. In ipso quoque Paschæ tem-

* Hadefosi.

A pore Nortliudi trans Albiam sedentes seditione commota, Legatos eius, qui ad CAROLVS
iustitias faciendas apud eos conuersabantur, quosdam occiderunt, quosdam ad MAGNVS.
redimendum reseruauerunt: ex quibus aliqui fugerunt, ceteri redempti sunt.
Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli ad locum qui dicitur Minda perre-
xit, & contra desertores inter Albim & VVisoram peragrauit totam Saxoniam.
Nortliudi cum Trasicone Duce Abodrirorum & Eburiso Legato domni Regis
commisso prælio victi sunt, & cæsi ex eis quatuor milia. Ceteri qui euaserunt
de pacis conditione tractauerunt. Et Rex acceptis obsidibus, reuersus est in
Aquisgrani Palatium. Ibi Legationem à Constantinopoli suscepit, erátque Le-
gatus Michaël Patricius Frigiæ, & Theophilus Presbyter, epistolam Herenæ Im-
peratricis deferentes, quia filius eius Constantinus Imperator anno superiore à
suis comprehensus excæcatus est. Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit.
Quos cùm absoluisset, absoluit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Con-
stantinopolitani Episcopi, iamdudum in Italia prælio captum. Hoc anno, id est
ab Incarnatione Domini DCCXCVIIII*. sydus Martis à superioris anni Iulio vs- *DCCXC-
que ad huius anni Iulium nusquam in toto cælo videri potuit. Tunc insulæ Ba- VIII.
leares à Sarracenis & Mauris deprædatæ sunt. Adefonsus Rex Galliciæ & Astu-
riæ præ data Olisippona vltima Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ θώρακας*, * loricas.
B mulos, captiuósque Mauros domno regi Carolo per Legatos suos Froiam & Ba-
siliscum hiemis tempore misit, & in ipso Palatio domnus Rex celebrauit Natale
& Pascha.

ROMANI verò Leonem Papam Letania maiore excæcauerunt, & linguam XIV.
ei amputauerunt. Qui in custodiam missus, noctu ab Angelo solutus, & oculis 799.
& lingua restitutus, euasit per murum, & ad Legatos domni Regis, qui tunc
erant in Basilica sancti Petri, VVirundum scilicet Abbatem & VVinigisum Spo-
letanum Ducem, venit, & Spoletum deductus est. Domnus Rex profectus in
Saxoniam transiit Hrenum ad Lippiam, & in Padabruno* positis castris, inde *Paderbrunne cõledit.
Carolum filium suum cum medietate exercitus direxit ad Selanorum collo-
quium, & vt reciperet Saxones qui de Northudis in Bardengauium venerant.
Ibi Leonem Papam cum summo honore suscepit, & reuerso prosperè filio suo,
Leonem Papam cum honore dimisit Romam, & ipse reuersus est Aquisgrani Pa-
latium. Ibi venit ad eum Daniel Legatus Michaëlis Præfecti Siciliæ, & cum ma-
gno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat
defecit*, & Hericus Dux Foroiuliensis post tot res prosperè gestas iuxta Tarsa- *desæuit.
ticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum occisus est, & Geraldus Comes
Baioariæ præfectus, commisso prælio cum Auaris, cecidit. Insulæ Baleares, quæ
anno priore deprædatæ sunt à Mauris & Sarracenis, postulato & accepto à
domno Rege auxilio, tradiderunt se illi, & defensæ sunt à prædonibus. Nam
prælio facto Franci Mauros & Sarracenos prostrauerunt, & signa sublata domno
C Regi repræsentauerunt. VVido Comes, qui in Marca Brittanniæ præsidebat,
vna cum sociis suis Comitibus Brittanniam ingressus, totam eam recepit in de-
ditionem, & domno Regi Carolo de Saxonia reuerso arma Ducum qui se dedi-
derant, inscriptis singulorum nominibus, præsentauit. & sic tota Britrannia Fran-
cis subdita fuit. Tunc Monachus quidam de Hierosolimis veniens, benedictio-
nem de reliquiis Sepulchri Domini, quam Patriarcha miserat domno Regi Ca-
rolo detulit. Azan Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis per Lega-
tum suum cum muneribus misit. Celebrauit domnus Rex Natale Domini in eo- 800.
dem Palatio, & absolutum Hierosolimitanum Monachum reuerti fecit, mit-
tens cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui donaria eius per illa lo-
ca sancta deferret. Et medio Martio mense Aquisgrani Palatio digrediens, litus
Oceani Gallici perlustrauit, & in ipso mari, quod tunc piratis infestum erat,
classem instituit, & præsidia disposuit. Pascha in Centulo apud Sanctum Richa-
rium celebrauit. Inde iterum per litus Oceani Rotomagum ciuitatem profectus
est, ibique Sequana amne transmisso, Turonis ad sanctum Martinum orationis
causa peruenit. Moratus est ibi dies aliquot propter aduersam domnæ Liutgar-
dæ coniugis valetudinem, quæ ibidem defuncta & humata est. Inde per Aurelia-
nos & Parisios mense Iulio regressus Aquasgrani reuersus est. & pridie Nonas
& VII. Id. Iulias insolito more aspera pruina fuit, sed nil incommoditatis fructi-

CAROLVS MAGNVS. bus attulit. Mense Augusto Magontiam veniens, iter in Italiam condixit, & Rauennam peruenit. Ibi ordinata in Beneuentanos expeditione, post septem dierum inducias Romæ iter conuertit, & exercitum cum Pippino filio suo in Beneuentanorum terras prædatum ire iussit. Romam verò venienti occurrit pridie Leo Papa & Romani cum eo apud Nomentum duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate summóque honore suscepit. Prandénsque cum eo in loco prædicto, statim eum ad vrbem præcessit, & crastino in gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & Episcopis equo descendenrem, gradúsque ascendentem suscepit: datáque oratione, in Basilicam beati Petri psallentibus eunctis introduxit. Facta sunt hæc sub die VIII. Kal. Decemb. Post VII. verò dies Rex concione vocata*, cur venisset Romam omnibus patefecit, & exinde cotidie ad ea quæ erant facienda operam dedit. Inrer quæ vel maximum & difficillimum erat, de discutiendis Papæ obiectis criminibus. Et dum nullus probator criminum esse potuit, domnus Papa coram omni populo in Basilica beati Petri Euangelium portans, ambonem conscendit, & inuocato sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis criminibus se purgauit. Eadem die Zacharias cum duobus Monachis, vno de monte Olíueti, altero de Sancto Saba, de Oriente reuersus Romam venit, quos Patriarcha ad Regem misit. Qui benedictionis causa claues Sepulchri Dominici ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis & montis Olíueti cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absoluit. celebrauitque

* conuentione facta.

A

B

801. Natale Domini Romæ. Ipsa autem die sacratissima Natalis Domini cùm Rex ad Missam ante Confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, domnus Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Antea enim domnus Carolus vocabatur ab omnibus, Rex Francorum & Patricius Romunorum: sed post laudes à domno Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricij nomine, Imperator & Augustus est appellatus. Post paucos autem dies iussit eos qui Papam anno superiori dehonestauerant exhiberi, & habita de eis quæstione secundum Legem Romanam, vt maiestatis rei, capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit, & vita & membra eis concessa sunt: sed pro facinoris magnitudine exilio depottati sunt. Huius factionis principes fuêre Paschalis Nomenculator, & Campulus Sacellarius, & multi alij Romanæ vrbis nobiles. Ordinatis deinde Romanæ vrbis & Apostolici, totiúsque Italiæ non tantum publicis, sed etiam Ecclesiasticis & priuatis rebus (nam tota hieme non aliud fecit Imperator) misit iterum in Beneuentanos expeditionem cum Pippino filio suo. Ipse post Pascha VII. Cal. Maij Romá profectus, Spoletum venit. Et dum esset ibi, II.* Cal. Maij hora noctis secunda terræ motus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Quo motu tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit, & in quibusdam locis vrbes montésque ruerunt. Tremuerunt eodem anno quædam loca circa Renum fluuium, & in Gallia & Germania, & facta est pestilentia propter mollitiem hiberni temporis. Imperator de Spoleto Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus Papiam perrexit. Ibi nunciarut ei Legatos Aaron Ammiralmummini Regis Persarum Pisas intrasse. Quibus obuiam mittens, inter Vercellis & Eporeiam eos sibi fecit præsentari. Vnus enim ex eis erat Persa de Oriente Legatus Regis Persarum: alter Sarracenus de Africa Legatus Ammirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Qui Isaac Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lanfredo & Sigimundo miserat, reuersum cum magnis muneribus nuntiauerunt. Nam Lanfredus ac Sigimundus ambo defuncti erant. Tunc ille misit Arcambaldum Notarium in Liguriam, ad classem parandam, qua elefans, & quæ cum eo deferebantur, subueherentur. Ipse verò celebrato Natali sancti Ioannis Baptistæ apud Eporeiam, Alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est à Christianis Barcinona ciuitas Hispaniæ iam biennio

* Pridie.

C

A obsessa, & Zatus * Præfectus eius, & alij complures Sarraceni comprehensi. Et CAROLVS
in Italia Teate ciuitas à Francis capta & incensa est, eiúsque Præfectus Roselmus MAGNVS.
comprehensus. Castella, quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant, in deditionem * Lanum.
accepta sunt. Zatus & Roselmus vna die ad præsentiam Imperatoris deducti
exilio damnati sunt. Mense Octobrio Isaac Iudæus de Africa cum elefante re-
uersus portum Veneris intrauit. Et quia propter niues non potuit transire Al-
pes, Vercellis hiemauit. Et Imperator Aquisgrani Palatio Natale Domini ce-
lebrauit.

HELENA * igitur Imperatrix misit de Constantinopoli Legatum Spatarium XV.
nomine Leonem, de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Timebant enim 802.
Græci ne piissimus Imperator Carolus super eos irrueret. & Imperator vicissim * Herena.
propter ipsum absoluto illo, misit Iesse Episcopum Ambianensem & Elingau-
dum * Comitem in Constantinopoli, vt pacem cum Græcis constituerent. Ce- * Heingaldum.
lebratum est Pascha Aquisgrani Palatio. Mense autem Iulio venit Isaac cum ele-
fante & ceteris muneribus, quæ à Rege Persarum missa sunt, & Aquisgrani
omnia Imperatori detulit. Nomen elefantis erat Abulabaz *. Ortona ciuitas Ita- * Ambulabat.
liæ in deditionem accepta est. Luceria * quoque frequenti obsidione fatigata, & * Lucerna.
ipsa in deditionem venit, præsidiúmque Francorum in ea positum est. Impera-
B tor æstatis tempore in Ardenna venatibus operam dedit, & misso Saxonum exer-
citu trans-Albianos Saxones vastauit. Tunc Grimoaldus Beneuentanorum Dux
in Luceria VVinigisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, aduersa vale-
tudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè ha-
buit, & Imperator Aquisgrani Natale Domini celebrauit. Ipsa hieme circa 803.
ipsum Palatium & finitimas regiones terræ motus factus est, & mortalitas subse-
cuta est. VVinigisus à Grimoaldo redditus est, & Missi domni Imperatoris de
Constantinopoli reuersi sunt. Et venerunt cum eis Legati Nikifori Imperatoris,
qui tunc rempublicam regebat (nam Herenam post aduentum Legationis Fran-
ciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas,
Calistus Abbas, Candidatus Abbas. Qui venerunt ad Imperatorem in Germa-
niam super fluuium Sala, in loco qui dicitur Salts, & pactum faciendæ pacis in
scripto susceperunt. Et inde dimissi cum epistola Imperatoris Romam regressi,
& Constantinopolin reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dis-
positis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquisgrani reuersus est, & ibi
celebrauit Natale Domini, & hiemauit.

ÆSTATE autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & in XVI.
VVimuadi * habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus tanstulit in Fran- 804.
ciam, & pagos trans-Albianos Abodritis dedit. Eodem anno Godofridus Rex * VVinohudi.
Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu Regni sui ad locum
qui dicitur Slietorp *, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit * enim se ad * Liesthorp. * Finxit.
C colloquium Imperatoris venturum, sed consilio suorum territus propiùs non
accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandauit. Nam Imperator super Al-
biam fluuium sedebat in loco qui dicitur Ondulstetin *, & missa ad Godefridum * Hodunsteu.
Legatione pro perfugis reddendis, medio Septembrio Coloniam venit. Dimis-
sóque exercitu primò Aquisgrani, dein Ardennam petit: & venationibus indul-
gens, Aquisgrani reuersus est. Medio Nouembrio allatum est ei Leonem Papam
Natale Domini cum eo celebrare velle, vbicunque hoc contingere potuisset.
Quem statim misso ad Sanctum Mauritium Carolo filio suo, honorificè suscipe-
re iussit. Ipse obuiam illi ad Remorum ciuitatem profectus est, ibique susce-
ptum, primò Carisiacum villam, vbi Natale Domini celebrauit, deinde Aquas-
grani perduxit. Et donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem re-
duci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum est ad
Imperatorem æstate præterita Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse re-
pertum. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquire-
ret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Langobardiam quasi pro inquisi-
tione ista profectus est, inde ad Imperatorem veniens mansit cum eo dies VIII.
reuersúsque est Romam. XVII.

NON multò pòst Princeps Hunorum Capcanus * propter necessitatem po- 805.
puli sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Saba- * Cappanus.

riam & Carnuntum, quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus A
CAROLVS MAGNVS esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit (erat enim Capcanus Christianus in baptismo nomine Theodorus) & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Misitque Capcanus * vnum de Optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum, quem Capcanus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum Capcanum habere præcepit. Eodem anno misit filium suum Carolum in Sclauaniam ad illos qui vocantur Beheimi *, qui omnem patriam illorum depopulatus, Ducem eorum nomine Lechoneogo * occidit. Inde regressus, in silua Vosegum venit ad Imperatorem, in loco qui dicitur Camp. Nam Imperator mense Iulio de Aquisgrani profectus Theodonis-villam, & per Metis transiens Vosegum petiit. Ibi venationi operam dans, post reuersionem filij castellum profectus Adrumerici *, ibi aliquantum temporis moratus ad hiemandum in Theodonis-villa Palatio suo secedit. Ibi ad eum ambo filij sui Pippinus & Ludouicus
806. venerunt, & ibi celebrauit Natale Domini. Statim post Natale venerunt Duces Venetiæ VVilericus & Beatus, & Paulus Dux Ioderæ *, & Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatiarum cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ. Illisque absolutis cõuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & diuisione Regni B facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum quam partem tueri & regere debuisset si superstes ei viueret. De hac partitione Testamentum factum est, & iureiurando à Francis confirmatum, & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ. Atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, vt his sua manu subscriberet, per EINHARDVM missa. Quibus Pontifex lectis & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator verò dimisso vtroque filio in Regnum sibi deputatum, ipse per Mosellam & Renum Nouiomagum nauigauit, & ibi sanctum Quadragesimale Ieiunium, & sanctum Pascha celebrauit. Inde Aquisgrani veniens, misit Carolum filium suum in Sclauaniam * qui dicuntur Sorabi super Albiam fluuium. In qua expeditione Miliduohc * Sclauorum Dux interfectus est. Duóque castella Carolus tunc ibi fecit, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albin. Sclauisque pacatis, Carolus regressus in loco qui dicitur Silli super ripam Mosæ fluminis venit ad patrem. Iterum in Beheim Sclauaniam misit Carolum filium cum Baioariis & Alamannis & Burgundionibus sicut anno superiore, vastatáque terra Sclauorum cum gaudio regressi sunt. Eodem anno Pippinus de Italia misit classem in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant. cuius aduentum Mauri non expectantes, fugerunt. Vnus tamen de Francis Ademarus * Comes ciuitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans, occisus est. In Hispania verò Nauarri & Pampilonenses, qui C superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem reuersi sunt domni Imperatoris. Tunc classis à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, mittitur ad recuperandam Dalmatiam, & Legati qui dudum ante quatuor ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti ad Taruisianum portum nullo aduersariorum sentiente regressi sunt, & Imperator in Aquisgrani celebrauit Natale Domini.

XVIII. 807. ANNO superiore IIII. Non. Septemb. fuit eclipsis Lunæ, & stabat Sol in sexta decima parte Virginis, Luna autem in sexta decima parte Piscium. Hoc autem anno id est ab Incarnatione Domini DCCCVII. prid. Kal. Febr. fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. & III. Id. Febr. fuit eclipsis Solis media die stante vtroque sidere in vicesima quinta parte Aquarij. Iterum IIII. Kal. Mart. fuit eclipsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in vndecima parte Piscium, & Luna in vndecima parte Virginis. Et stella Mercurij XVI. Kal. April. visa est in Sole quasi parua macula nigra: tamen paululum superiùs medio centro eiusdem sideris, quæ octo dies à Francis * conspecta est. Sed quando primam intrauit vel exiit, nubibus impedientibus minimè potuit adnotari. Iterum mense Augusto XI. Kal. Sept. eclipsis Lunæ facta est hora noctis tertia, Sole posito in quinta parte Virginis, &

* Caganus.
* Behemi.
* Leonem, seu Leonē.
* ad Rumerici.
* de Iadera.
* terram Sclauorum.
* Milioduch.
* Hadumarus.
* in Fracia.

A Luna in quinta parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio vsque ad CAROLVS
anni præsentis Septembrium ter obscurata est Luna, & Sol semel. Tunc Rat- MAGNVS.
bertus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est, & Lega-
tus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Hierusalem, qui Lega-
ti erant Thomæ Patriarchæ, id est Georgius & Felix (quorum Georgius Abbas
de monte Oliueti, patriâ Germanus, proprio nomine Engelbaldus dicebatur)
peruenerunt ad Imperatorem munera deferentes, quæ Rex Persarum miserat
Imperatori Karolo, papilionem & tentoria atrij vario colore facta, miræ magni-
tudinis & pulchritudinis, omnia ex bisso cum funibus. Præterea pallia serica
preciosissima, odores, aromata & balsama, & horologium ex auricalco arte me-
chanicâ mirificè compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsidram verte-
batur, cum totidem æreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant,
& casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant. Erántque in ipso XII. Ca-
ballarij *, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impetu egressionis * equites
suæ XII. fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant: & alia multa erant in
ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Præterea candelabra duo ex
auricalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis Palatio ad Im-
peratorem delata sunt. Imperator Legatum & Monachos per aliquantum tem-
B pus secum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expe-
ctare iussit. Eodem anno Burchardum Comitem Stabuli sui cum classe misit in
Corsicam, vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire con-
sueuerant, defenderet. Mauri autem, solito more, de Hispania egressi, primò
Sardiniam appulsi sunt, ibique cum Sardis prælio inito victi sunt, & occisi quin-
que * milia Maurorum. Inde in Corsicam peruenerunt. Ibi cum Burchardo præ- * tria
liantes, victi & fugati sunt, amissis tredecim nauibus. Illo anno Mauri in omni-
bus locis aduersa fortuna periclitati sunt, sicut ipsi testabantur, eo quòd anno
superiore contra omnem iustitiam de Datalaria * insula sexaginta Monachos * Patalaria
asportatos in Hispania vendiderunt, quorum aliqui per liberalitatem domni
Imperatoris Caroli iterum in sua loca reuersi sunt. Niceta verò Patricius, qui
cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino
Rege, & indutiis vsque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Con-
stantinopolim regressus est. Et domnus Imperator celebrauit Aquis Natale &
Pascha.

IPSO tempore hiems mollissima ac pestilens fuit, & vere inchoante Impera- XIX.
tor Nouiomagum profectus est, vbi Quadragesimale Ieiunium & Pascha cele- 808,
brauit, & regressus est Aquis. Et quia nuntiabatur Godofridum Regem Dano-
rum in Abodritos cum exercitu traiecisse, Carolum filium suum ad Albiam cum
valida Francorum & Saxonum manu misit, iubens vesano Regi resistere, si Sa-
xoniæ terminos aggredi tentaret. Sed Rex Danorum statiuis per aliquot dies in
C littore habitis, & expugnatis aliquot Sclauorum castellis & captis, audito ad-
uentu Francorum cum damno reuersus est. Drasconem Ducem Abodritorum
iam pepulerat à loco, & Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo sus-
penderat, & duas partes Abodritorum sibi vectigales fecerat: sed optimos mili-
tum suorum & manu promptissimos amisit, & filium fratris sui * nomine Reginol- * nepotem
dum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus suum Ra-
interfectus est. Filius autem Imperatoris domnus Carolus Albiam ponte iunxit, naldum.
& ad Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godofredum * defecerant, celeriter * qui ad Da-
venit, & populatis illis circumquaque, transito iterum flumine cum incolumi nos defece-
exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godofrido in expeditione Sclaui qui rant.
dicuntur VVilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere
solebant, sponte se copiis eius coniunxerant: qui similiter ad propria fugerunt.
Gotefridus verò destructo emporio quod in Oceani littore constitutum lingua
Danorum Reric dicitur, & magnam Regno illius commoditatem vectigalium
persolutione præstabat, translatis inde negotiatoribus ad portum Liestrop * ve- * Sciesthorp
niens, vallum ibi constituit ab Orientali maris sinu, quem illi Oestarsalt vocant,
vsque ad Occidentalem Oceanum totam Egidoræ fluminis Aquilonalem ri-
pam munimento pretexens, dimissa vna tantùm porta per quam carri & equites
emitti & recipi possent. Interea Rex Nordanimbrorum, id est de Irlanda * insula * de Britannia.

CAROLVS MAGNVS. Brittanniæ, nomine Eardulfus Regno & patria pulsus ad Imperatorem venit, dum adhuc Nouiomago moraretur. Et patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur, Romáque rediens per Legatos Leonis Papæ & domni Imperatoris in Regnum suum deductus honorificè receptus est. Legatus Papæ fuit Aldulfus Diaconus de ipsa Brittanniæ natione Saxo, & Missi Imperatoris fuerunt duo Abbates Hruotfridus* Notarius, & Nantarius de Sancto Otmaro. Imperator verò ædificatis per Legatos suos duobus castellis ad Albin fluuium, & præsidio in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit, & ibi celebrauit Natale Domini & sanctum Pascha. A

* Ruotfredus.

XX. 809. TVNC classis de Constantinopoli missa primò Dalmatiam, dein Veneciam appulit. Inde ad insulam Comiadum accessit, & commisso prælio cum castellanis* Francorum victa & fugata Veneciam rediit. Paulus autem Dux qui classi præerat, cùm de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi hoc sibi esset iniunctum, apud domnum Pippinum Regem Italiæ moliretur agere, VVilarenus & Beatus Duces Venetiæ insidias ei parabant, & ille eorum fraude cognita discessit. At in Occiduis partibus domnus Ludouicus Rex Hispaniam intrans, Dertosam ciuitatem in ripa Hiberi fluminis obsedit: & post mensis vnius circulum, cùm eam videret non posse citò capi, & omnis Hispania de Sarracenis contra eum congregaretur, dimissa obsidione eum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Missis verò Papæ & Imperatoris de Irlanda reuertentibus, Aldulfus Diaconus vnus ex eis captus est à piratis, & ductus in Brittanniam, & à quodam Regis Cœnulfi* homine redemptus Romam reuersus est. Ceteri sani in Franciam reuersi sunt. Tunc deprædata est à Græcis, qui Orobiotæ vocantur, Populonium ciuitas Tusciæ. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi in Sabbato sancto Paschæ ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum & paucos senes & infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Gotefridus Rex Danorum per negociatores quosdam mandauit se audisse, quòd Imperator esset ei iratus propter exercitum in Abodriros anno superiore seductum vt suas vlcisceretur iniurias: & quia obiiciebatur ei fœderis irruptio, petiit vt conuentus Comitum Francorum & suorum iuxta terminos Regni sui trans Albiam fieret, professus se emendare velle domno Imperatori si quid contra eum egisset. Timebat enim ne domnus Imperator Carolus exercitum Francorum mitteret super Danos. Non refutauit Imperator, colloquiúmque trans Albiam habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur Melac. sed non bene finito placito discessum est. Trasco verò Dux Abodritorum petiit auxilium ab Imperatore, postquam filium suum postulanti Gotefredo obsidem dederat. qui misit cum eo Saxones super VVilzos, & agros eorum igni, & gentem ferro deuastauerunt, & cum magna præda reuersi sunt. Iterum Franci cum Saxonibus Smeldingorum maximam ciuitatem expugnant. & his successibus omnes qui ab Imperatore defecerant, ad suam ditionem reuertuntur. B C

* contra præsidium.

* Irlandi

XXI. HIS ita gestis Imperator de Ardenna Aquis reuersus mense Nouembri, Concilium habuit de Spiritu sancto procedente à Patre & Filio. Quam quæstionem Iohannes quidam Monachus Hierosolymis primò commouit. Cuius definiendæ causa Bernarius Episcopus Cormaricensis*, & Asius Episcopus VVarmatiæ, & Adalardus Abbas Monasterij Corbeiæ missi sunt Romam ad Leonem Papam. Agitatum est & in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersione eorum qui in eis Domino* seruiunt. Nec aliquid tamen definitum est propter rerum, vt videbatur, magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de iactantia & superbia Regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albiam fluuium ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam exercitum congregasset, armísque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructos per Fresiam ad locum destinatum ducere iussisset, Trasco Dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed Imperator postquam locus ciuitati constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albiam traiicere & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo Esesfelt, & occupatus ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cœptus est, & ædificata est fortissima ciuitas Esesfelt. Ipso tempore

* Coloniæ, vide suprà pag. 64.

* Deo

Aureolus

A Aureolus Comes de genere Felicis Aureoli Petragoricensis Comitis exortus, qui CAROLVS
in commercio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra Oscam & Cæsar- MAGNVS.
augustam residebat, defunctus est, & Amoroz Præfectus Cæsaraugustæ & Oscæ
ministerium eius inuasit, & in castellis illius præsidia disposuit: missaque ad Im-
peratorem Legatione, sese cum omnibus quæ habebat in deditionem illi venire
velle promisit. Tunc eclipsis Lunæ VII. Kal. Ian. contigit. Et Amoroz Cæsar- 810.
augustæ Præfectus, postquam Imperatoris Legati ad eum peruenerunt, petiit vt
colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis custodes, promittens se in eo
colloquio cum suis omnibus in Imperatoris ditionem esse venturum. Imperator
autem hoc annuit, sed multis interuenientibus causis, remansit imperfectum.
Mauri verò de tota Hispania cum maxima classe primò Sardiniam, deinde Cor-
sicam appulerunt, & nullo in ea inuento præsidio, insulam pene totam subege-
runt. Interea Pippinus Rex perfidiâ Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam
bello terra marique iussit appetere. Subiectáque Venetia, ac Ducibus eius in de-
ditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Et cùm
Paulus Cefalaniæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis feren-
dum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. & Rotrudis * filia Impera- * Hrud-
toris, quæ natu maior erat, VIII. Id. Iun. obiit. Imperator verò Aquisgrani ad- trud
huc agens, & contra Gotefridum Regem expeditionem meditans, nuntium ac-
B cepit classem ducentarum nauium de Nortmannia Frisiam appulisse, totásque
insulas Fresiaco litori adiacentes esse vastatas, & iam exercitum illum * in con- * & quia
tinenti esse, ternáque prælia cum Fresonibus commissa, & Danos victores tri- iam exercitus in proximo erat,
butum victis imposuisse, & vectigalis nomine * centum libras argenti à Fresoni- & quia ter commiserat
bus iam esse solutas, Regem verò Gotefredum domum esse reuersum. quod reue- prælium cũ Fresonibus.
ra ita erat. Imperator valde concitatus congregauit exercitum de omnibus re- * causa tributi
gionibus imperij sui, & ipse sine mora à Palatio exiit volens primitus classi occur-
rere: deinde transmisso Reno in loco qui dicitur Lippia, copias quæ nondum
conuenerant expectabat. Vbi dum aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei
Rex Sarracenorum Aaron miserat, morte subita moritur. Congregato exercitu,
celeriter ad Alaram fluuium contendit, & castra posuit iuxta fluuium Corug qui
in VVisoræ fluuio coniungitur, & Gotefredi Regis * præstolatur aduentum. Nam * Gotefridum Regẽ
ille Rex Daniscus inflatus vana spe victoriæ, iactabat se cõgredi velle in acie cum præstolatur
domno Imperatore. Dum Imperator per dies XV. ibi eum expectaret, veniunt ad ad bellum.
eum nuntij qui dixerunt, quòd classis quæ Fresones vastabat regressa est, & Gote-
fredus Rex à suo satellite interfectus est: & quia castrum Obuoki * Albiæ flumini * Hohbuoki
appositum, in quo erat Odo Legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum præ-
sidium, captum est à VVilzis: & quòd Pippinus Rex filius eius obierat. Duæ quo-
que aliæ Legationes venerunt ei, vna de Constantinopoli, altera de Corduba, pa-
cem facere cum eo. Quibus ille acceptis, & disposita pro temporis conditione Sa-
C xonia, reuersus est in Franciam. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt
pene nullus tanto exercitui superesset. Et non solùm ibi, sed etiã per omnes Impe-
ratori subiectas Prouincias mortalitas boum valde grassata est. Imperator Aquis-
grani veniens, mense Octobri memoratas Legationes audiuit, & pacem fecit cum
Niceforo Imperatore, & cum Ambulaz Rege Hispaniæ. Nam Niceforo Vene-
tiam reddidit, & Adimricum Comitem olim à Sarracenis captum, Ambulaz re-
mittente, recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt. Sol VIII *. Id. Iunij, & * VII.
pridie Kal. Decembris: Luna XI. Cal. Iulij, & VIII *. Cal. Ianuar. Corsica verò * XVIII.
insula iterum à Mauris capta est, & Amoroz ab Ambulaz filio Abdirraman de
Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Gotefredo Danorum
Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, & pacem cum
domno Carolo Imperatore fecit.

ABSOLVTO itaque & dimisso Arsafio Spatario Legato Nicifori Imperato- XXII.
ris, eiusdem pacis confirmandæ gratiâ Legati ab Imperatore Constantinopolim 811.
mittuntur; Haido Episcopus Basilensis, & Hug * Comes Turonicus, & Aigo * * Hugo
Comes de Foro-Iulij, & Leo quidam Spatarius natione Siculus, & VVilericus * Aio Langobardus
Dux Veneticorum *: quorum alter ante annos x. Romæ ad Imperatorem, cùm * Venetiæ
ibi esset de Sicilia profugit, & redire volens in patriam remittitur: alter propter
perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur.

Condicta inter Imperatorem & Hemmingum Regem Danorum pax propter hiemis asperitatem, qua inter partes commeandi via claudebatur, in armis tantum iurata seruatur, donec redeunte veris temperie, apertis viis, congregati sunt ex vtraque parte Francorum & Danorum duodecim primores: ex vtraque parte super fluuium Egidoram in loco qui vocatur †, daris vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pacem firmauerunt. Primores de parte Francorum hij fuere: V Vala Comes filius Bernardi, Burchardus Comes, Vnrocus Comes, Vodo Comes, Bernardns Comes, Egbertus Comes, Theodericus Comes, Abo Comes, Osdag Comes, V Vignan Comes. Imperator pace confirmata cum Hemmingo, placitum suum habuit Aquis, & in tres partes Regni sui totidem exercitus dimisit, vnum trans Albiam in Linones quos vastauit, & castellum Heobuoki superiori anno à V Vilzis destructum in ripa Albiæ fluminis restaurauit: alterum in Pannonias ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas: tertium in Britones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis, incolumes regressi sunt ad Imperatorem. Ipse autem propter classem, quam anno superiore fieri imperauit, videndam, ad Bononiam ciuitatem maritimam accessit: farúmque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. Et inde ad Scaldim veniens fluuium in loco qui dicitur Gant, naues ad eandem classem ædificatas aspexit, & medio Nouembrio Aquas rediit. Et obuiauerunt ei Legati Hemmingi Regis Aiouim & Hebbi, cum muneribus & pacificis verbis. Venerunt etiam B Aquas de Pannonia * duo principes Auarum & Tudun, & alij Canzauci & primores Sclauorum circa Danubinm habitantium cum muneribus. Carolus verò filius domni Imperatoris, qui maior natu erat, obiit II. Non. Decembris. Imperator Aquis hiemauit.

* qui de Pannonia venerunt Principes & Duces, & primores Sclauorum

XXIII. 812.

Non multo post Hemmingus Danorum Rex defunctus est. Cui cùm succedere voluissent in Regno Sigefredus nepos Gotefredi Regis, & Anulo nepos Herioldi, & ipsius Regis, commisso inter se prælio ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoria, fratres eius Herioldum & Raginfredum Reges sibi constituit, & omnes in eis consenserunt. Ceciderunt in eo prælio ex vtraque parte decem millia nongenti quadraginta. Niciforus Imperator post multas & insignes victorias in Moesia prouincia commisso cum Bolgris * prælio moritur, & Michaël gener eius Imperator factus est. Qui Legatos domni Imperatoris Caroli, qui ad Niceforum missi fuerant, Constantinopoli suscepit & absoluit. Cum quibus & Legatos suos direxit, Michaëlem Episcopum, & Arsaphium & Theognostum Protospatarios, & per eos pacem à Niceforo inceptam confirmauit. Nam Aquisgrani venientes ad Imperatorem, scriptum pacis ab eo in Ecclesia susceperunt, & Græca linguâ laudes ei dixerunt, Basileum eum appellantes. Et reuertentes Romam, in Basilica sancti Petri eiusdem fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Tunc Imperator generali conuentu Aquis solemniter habito, Bernardum filium Pippini nepotem suum in Italiam misit, & propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, V Valanem filium Bernardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoadusque rerum euentus securitatem nostris adferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit: & ea quæ ad Sardiniam est delata, tota deleta est. Tunc classis Normannorum Hiberniam Scotorum insulam aggressa, commisso prælio cum Scotis, innumerabilis multitudo Normannorum extincta est, & turpiter fugiendo reuersi sunt. Pax facta est cum Ambulaz Rege Sarracenorum, & cum Duce Beneuentanorum Grimoaldo, & tributi nomine XXV. milia solidorum auri à Beneuentanis soluta. Tunc expeditionem fecit ad V Vilzos, & ab eis obsides accepit. Eroldus * autem & Reginfredus Reges Danorum missa ad Imperatorem legatione, pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Idibus Maij post Meridiem eclipsis Solis fuit, & Imperator Aquisgrani hiemauit. Incipiente quoque verno Amalharium Treuerensem Episcopum & Petrum Abbatem Monasterij Nonantulas, propter pacem confirmandam cum Michaële Imperatore Constantinopolim misit. Deinde habito Aquisgrani generali conuentu, filio suo Ludouico Regi Aquitaniæ coronam imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit: & Bernardum nepotem suum filium Pippi-

* Burgaris

* Harioldus.

A ni filij sui Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu domni Caroli Imperatoris super statum Ecclesiarum corrigendum, per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum est. Constitutiones * quæ in singulis factæ sunt, coram Imperatore perlectæ sunt, quas qui nosse voluerit, in ipsis ciuitatibus inuenire poterit. quamquam & in Archiuo Palatij exemplaria illorum habeantur. De hoc conuentu Imperator misit primores Francorum & Saxonum trans Albiam fluuium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis facerent secundum petitionem Regum illorum, & fratrem eorum redderent. Occurrerunt ipsis sedecim de primatibus * Danorum, & iuramentis factis ex vtraque parte, pax confirmata, & Regum frater eis redditus est. Dani verò euntes ad VVestarfoldam, quæ regio vltima Regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita, contra Aquilonem Brittanniæ summitatem respicit, perdomuerunt ipsam regionem. Cúmque reuerterentur, alij Dani cum filiis Gotefredi Regis insidias eis parantes congressi sunt cum eis, & eos de Regno expulerunt. Mauris præterea de Corsica ad Hispaniam cum præda multa redeuntibus, Ermengarius Comes Emporitanus in Maiorica insidias posuit, & octo naues eorum cepit, in quibus quingentos & eo amplius captiuos Christianos inue-
B nit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ ciuitatem, & Prouinciam Narbonensem vastant. Inde Sardiniam aggressi, commisso cum Christianis prælio victi sunt, & multis suorum amissis, fugâ reuersi sunt. At Michaël Imperator Bulgaros bello appetens victus est, & domum reuersus deposito diademate Monachus efficitur, dicens se esse indignum Imperio quia victus fuerat. In cuius locum Leo Imperator constituitur filius Pardi Patricij. Crumas verò Rex Bulgarorum, qui Nicefotum Imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaëlem de Moesia fugauerat, secundis rebus elatus, cum magno exercitu Constantinopolim obsedit, & iuxta portam ciuitatis castra posuit. Quem ante mœnia vrbis equitantem Leo Imperator, eruptione solus facta super eum irruens, grauiter vulneratum fugere compulit, & in patriam turpiter redire, vbi de ipso vulnere post tres dies mortuus est.

DOMNVS verò piissimus & gloriosissimus Imperator Carolus dum Aquisgrani hiemaret, anno LXXI. ætatis suæ, Regni autem XLVII. subactæ autem Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est anno XIIII. quintodecimo Cal. Feb. rebus humanis excessit, sepultus Aquis in Basilica sanctæ Dei genitricis quam ipse construxerat. Corpus eius aromatizatum est, & in sede aurea sedens positum est, in curuatura sepulchri, ense aureo accinctus; Euangelium aureum tenens in manibus & genibus reclinatis humeris in cathedra, & capite honestè erecto ligato aurea cathena ad diadema. Et in diademate lignum sanctæ Crucis positum est. Et repleuerunt sepulchrum eius aromatibus,
C pigmentis, & balsamo, & musco, & thesauris multis in auro. Vestitum est corpus eius vestimentis Imperialibus, & sudario sub diademate facies eius operta est. Cilicium ad carnem eius positum est, quod secreto semper induebatur, & super vestimentis Imperialibus pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum aureum, & scutum aureum quod Leo Papa consecrauerat, ante eum posita sunt dependentia. & clausum & sigillatum est sepulchrum eius. Nemo autem referre potest quantus planctus & luctus pro eo fuerit per vniuersam terram. etiam inter paganos plangebatur quasi pater orbis. Maximus verò planctus inter Christianos fuit, & præcipuè per vniuersum Regnum eius. Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, & viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace anno DCCCXIIII. ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi. Et regnauit gloriosissimus Ludouicus filius eius pro eo, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

CAROLVS MAGNVS.

* Constitutionũ collatio corã Imperatore in illo cõuentu habita, quas qui

* primoribus.

XXIV. 814.

CHARTA DIVISIONIS IMPERII FRANCORVM, A

Quam Karolus Magnus fecit pro pace inter filios suos conseruanda.

Huius Diuisionis seu Testamenti mentio fit suprà pag. 20. 43. 61. 82.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Imperator Cæsar Karolvs Rex Francorum inuictissimus & Romani Rector Imperij, pius, felix, ac triumphator semper Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & cuncto populo Catholico præsenti & futuro gentium ac nationum quæ sub eius Imperio & regimine constitutæ sunt.

Sicut omnibus vobis notum esse & neminem vestrûm latere credimus, quomodo nos diuina clementia, cuius nutu ad occasum tendentia sæcula per successiones generationũ reparantur, tres nobis dãdo filios magno miserationis ac benedictionis suæ ditauit munere, quia per eos, secundum vota nostra, & spem nostram de Regno confirmauit, & curam obliuioni obnoxiæ posteritatis leuiorem fecit: Ita & hoc vobis notum fieri volumus, quod eosdem per Dei gratiam filios nostros Regni à Deo nobis concessi, donec in corpore sumus, & post nostrum ab hac mortalitate discessum, huius à Deo conseruandi Regni vel Imperij nostri heredes relinquere, si sic diuina maiestas annuerit, optamus: non vt confusè atque inordinatè, aut sub B totius Regni dominatione iurgij cõtrouersiã eis relinquamus, sed trina partitione totũ Regni corpus diuidẽtes, quam quisquis illorũ tueri vel tegere debeat portionem, distribuere & designare volumus. eo videlicet modo, vt sua quisque portione cõtentus, iuxta ordinationẽ nostrã, & fines Regni sui quæ ad alienigenas extẽduntur, cũ Dei adiutorio nitatur defendere, & pacẽ atq. charitatẽ cũ fratre custodire.

Diuisiones verò à Deo conseruati & conseruandi Imperij vel Regni nostri tales facere placuit, vt Aquitaniam totam & VVasconiam, excepto pago Turonico, & quicquid inde ad Occidentem atque Hispaniam respicit, & de ciuitate Niuernis quæ est sita super fluuium Ligerem cum ipso pago Niuernense, pagum Aualensem atque Alsensem, Cabillionensem, Matisconensem, Lugdunensem, Saboiam, Moriennam, Tarentasiam, MontemCinisium, Vallem Segusianã vsque ad clusas, & inde per terminos Italicorum montium vsque ad mare, hos pagos cum suis ciuitatibus, & quicquid ab eis contra Meridiem & Occidentem vsque ad mare vel vsque ad Hispanias continetur, hoc est illam portionem Burgundiæ, & Prouinciam, ac Septimaniã vel Gothiam, Lvdovico dilecto filio nostro consignauimus.

Italiam verò, quæ & Langobardia dicitur, & Baioariam sicut Tassilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina sunt Ingoldestat & Lutrahahof, quas nos quondam Tassiloni beneficiauimus, & pertinet ad pagum qui dicitur Northgouue, & de Alamannia partem quæ in Australi ripa Danubij fluminis est, & de ipso C flumine Danubij currente limite vsque ad Renum fluuium in confinio pagorum Chletgouue & Hegouue in locum qui dicitur Enge, & inde per Renum fluuium sursum versus vsque ad Alpes, quicquid inter hos terminos fuerit, & ad Meridiem vel Orientem respicit, vnà cum Ducatu Curiensi & pago Durgouue, Pippino dilecto filio nostro.

Quicquid autem de Regno nostro extra hos terminos fuerit, id est Franciam & Burgundiam, excepta illa parte quam Ludouuico dedimus, atque Alamanniam, excepta portione quam Pippino asscripsimus, Austriam, Nuistriam, Turingiam, Saxoniam, Frisiã, & partem Baioariæ quæ dicitur Northgovv, dilecto filio nostro Karolo concessimus: ita vt Karolus & Lodouuicus viam habere possint in Italiam ad auxilium ferendum fratri suo si ita necessitas exstiterit, Karolus per vallem Augustanam quæ ad Regnum eius pertinet, & Lodeuuicus per vallem Segusianam, Pippinus verò & exitum & ingressum per Alpes Noricas atque Cariam.

Hæc autem tali ordine disponimus, vt si Karolus, qui maior natu est, priusquàm ceteri fratres diem obierit, pars Regni quam habebat, diuidatur inter Pippinum & Lodeuuicum, sicut quondam diuisum est inter nos & fratrem nostrum Karlomannum. eo modo, vt Pippinus illam portionem habeat quam frater noster Karlomannus habuit, Lodeuuicus verò illam partem quam nos in illa parti-

A tione suscepimus. Si vero Karolo & Lodeuuico viuentibus, Pippinus debitum humanæ sortis compleuerit, Karolus & Ludeuuicus diuidant inter se Regnum quod ille habuit, & hæc diuisio tali modo fiat, vt ab ingressu Italiæ per Augustam ciuitatem accipiat Karolus Eboreiam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluuium termino currente vsque ad fines Regensium, & ipsam Regium, & Ciuitatem nouam, atque Mutinam vsque ad terminos sancti Petri. Has ciuitates cum suburbanis & territoriis suis atque Comitatibus quæ ad ipsas pertinent, & quicquid inde Romam pergenti ad læuam respicit, de Regno quod Pippinus habuit vna cum Ducatu Spoletano, hanc portionem, sicut prædiximus, accipiat Karolus. Quicquid autem à prædictis ciuitatibus vel Comitatibus Romam eunti ad dextram iacet, de prædicto Regno, id est portionem quæ remansit de regione Transpadana vna cum Ducatu Tuscano vsque ad mare Australe & vsque ad Prouinciam, Ludeuuicus ad augmentum sui Regni sortiatur. Quòd si ceteris superstitibus Ludeuuicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ quam Regno eius adiunximus, cum Prouincia & Septimania, siue Gothia vsque ad Hispaniam, Pippinus accipiat, Karolus verò Aquitaniam atque Vasconiam. CAROLVS MAGNVS.

Quòd si talis filius cuilibet illorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit vt patri suo succedat in Regni hereditate, volumus vt hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione regni quam pater eius eorum frater habuit.

B I. Post hanc nostræ auctoritatis dispositionem, placuit inter prædictos filios nostros statuere atque præcipere propter pacem, quam inter eos perpetuò permanere desideramus, vt nullus eorum fratris sui terminos vel Regni limites inuadere præsumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum eius vel marcas minuendas, sed adiuuet vnusquisque illorum fratrem suum, & auxilium ei ferat contra inimicos eius iuxta rationem & possibilitatem, siue infra patriam, siue contra exteras nationes.

II. Neque aliquis illorum hominem fratris sui pro quibuslibet causis siue culpis ad se confugientem suscipiat, ad intercessionem pro eo faciendam, quia volumus vt quilibet homo peccans, & intercessione indigens, intra Regnum domini sui vel ad loca sancta vel ad honoratos homines confugiat, & inde iustam intercessionem mereatur.

III. Similiter præcipimus, vt quemlibet liberum hominem, qui dominum suum contra voluntatem eius dimiserit, & de vno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat vt talem hominem recipiant, vel iniustè retinere præsumant. Hoc non solùm de liberis, sed etiam de seruis fugitiuis statuimus ordinandum, vt nulla discordiis relinquatur occasio.

C IIII. Quapropter præcipiendum nobis videtur, vt post nostrum ab hac mortalitate discessum homines vniuscuiusque eorum accipiant beneficia vnusquisque in Regno domini sui, & non in alterius, ne forte per hoc si aliter fuerit, scandalum aliquod accidere possit. Hereditatem autem suam habeat vnusquisque illorum hominum absque contradictione, in quocunque Regno hoc eum legitimò habere contigerit.

V. Et vnusquisque liber homo post mortem domini sui licentiam habeat se commendandi inter hæc tria Regna ad quodcumque voluerit, similiter & ille qui nondum alicui est commendatus.

VI. De traditionibus autem atque venditionibus quæ inter partes fieri solent: Præcipimus vt nullus ex his tribus fratribus suscipiat de Regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium, hoc est terrarum, vinearum atque siluarum, seruorúmque qui iam casati sunt, siue ceterarum quæ hæreditatis nomine censentur, auro, argento, & gemmis, armis ac vestibus, nec non & mancipiis non casatis, & his speciebus quæ propriè ad negotiatores pertinere noscuntur. Ceteris verò liberis hominibus hoc minimè interdicendum iudicauimus.

VII. Si quæ autem feminæ, sicut fieri solet, inter partes & Regna fuerint ad coniugium postulatæ, non denegentur iustè poscentibus, sed liceat eas vicissim dare & accipere, & affinitatibus populos inter se sociari. Ipsæ verò feminæ pote-

CAROLVS MAGNVS statem habeant rerum suarum in Regno vnde exierant, quanquam in alio propter mariti societatem habitare debeant. A

VIII. De obsidibus autem qui propter credentias dati sunt, & à nobis per diuersa loca ad custodiendum destinati sunt, volumus vt ille Rex, in cuius Regno sunt, absque voluntate fratris sui, de cuius Regno sublati sunt, in patriam eos redire non permittat: sed potiùs in futurum in suscipiendis obsidibus alter alteri mutuum ferat auxilium, si frater fratrem hoc facere rationabiliter postulauerit. Idem iubemus & de his qui pro suis facinoribus in exilium missi vel mittendi sunt.

VIIII. Si causa vel intentio controuersiæ talis inter partes propter terminos aut confinia Regnorum orta fuerit, quæ hominum testimonio declarari vel definiri non possit, tunc volumus vt ad declarationem rei dubiæ, iudicio crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec vnquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem iudicetur. Si verò quilibet homo de vno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem domini sui apud dominum suum accusauerit, mittat eum dominus suus ad fratrem suum, vt ibi comprobet quod de homine illius dixit.

X. Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab auo nostro Karolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis postea suscepta est: vt eam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam quantum ad ipsos pertinet & ratio postulauerit, habere faciant. Similiter & de ceteris Ecclesiis quæ sub illorum fuerint potestate præcipimus, vt iustitiam suam & honorem habeant, & pastores atque rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum quæ ad ipsa loca pia pertinent, in quocumque de his tribus Regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint. B

XI. Quòd si de his statutis atque conuenientiis aliquid casu quolibet vel ignorantia (quod non optamus) fuerit irruptum, præcipimus vt quamcitissimè secundum iustitiam emendare studeant, ne fortè propter dilationem maius damnum possit accrescere.

XII. De filiabus autem nostris, sororibus scilicet prædictorum filiorum nostrorum, iubemus vt post nostrum ab hoc corpore discessum licentiam habeat vnaquæque eligendi sub cuius fratris tutela & defensione se conferre velit. Et qualiscunque ex illis Monasticam vitam elegerit, liceat ei honorificè viuere sub defensione fratris sui in cuius Regno degere voluerit. Quæ autem iustè & rationabiliter à condigno viro ad coniugium quæsita fuerit, & ei coniugalis vita placuerit, non ei denegetur à fratribus suis, si & viri postulantis & feminæ consentientis honesta & rationabilis fuerit voluntas.

XIII. De nepotibus verò nostris, scilicet filiis prædictorum filiorum nostrorum, qui eis vel iam nati sunt vel adhuc nasci turi sunt, placuit nobis præcipere vt nullus eorum per quaslibet occasiones quemlibet ex illis apud se accusatum sine iusta discussione atque examinatione aut occidere, aut membris mancare, aut excæcare, aut inuitum tondere faciat: sed volumus vt honorati sint apud patres vel patruos suos, & obedientes sint cum omni subiectione quam decet in tali consanguinitate esse. C

XIIII. Hoc postremò statuendum nobis videtur, vt quicquid adhuc de rebus & constitutionibus, quæ ad profectum & vtilitatem eorum pertinent, his nostris decretis atque præceptis addere voluerimus, sic à prædictis dilectis filiis nostris obseruetur atque custodiatur, sicut ea quæ in his iam statuta & descripta sunt custodire & obseruare præcipimus.

XV. Hæc autem omnia ita disposuimus, atque ex ordine firmare decreuimus, vt quamdiu diuinæ maiestati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, potestas nostra sit super à Deo conseruatum Regnum atque Imperium istud, sicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione & omni dominatu Regali atque Imperiali; & vt obedientes habeamus prædictos dilectos filios nostros, atque Deo amabilem populum nostrum, cum omni subiectione quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur.

A

DE EGINHARDO CAROLI M. NOTARIO, ET ABBATE.

LIBRI *sequentis* de Vita & Conuersatione CAROLI MAGNI, *verus Auctor fuit* EGINHARDVS, *vt ex sui seculi Scriptoribus, ac vetustis Codicibus manuscriptis constat, qui tamen eum diuerso modo nuncupant. A quibusdam enim* ÆNARDVS *vel* AINARDVS *dicitur, alij enim* AGENARDVM *&* HESNARDVM *vocant, ceteri rectiùs* EINHARDVM, *vt* EGINHARDVM. *Ex Orientali Francia oriundus, circa nemus Ottonicum, à Principe* CAROLO *Regia in Aulâ enutritus est. Apud quem Notarij officio diu functus, licèt corpore paruus admodum esset, ingenio tamen ac doctrina, rerúmque vsu, tam magnus euasit, vt inde* MAGNI *cognomen promeruerit, quod illi à VValafrido Strabone Abbate Augiensi tribuitur. Anonymus quoque S. Medardi Suession. Monachus, qui tunc floruit, ipsum* SAPIENTEM *cognominat, Chronici Fontanellensis Scriptor*, virum vndequaque doctissimum, *Auctor Vitæ Ludouici Pij*, virorum sui temporis prudentissimum *appellant. Neque verò solummodò Palatij Regalis Notarius extitit, sed & Regalium operum ac structurarum, in Aquisgrani præsertim Palatio, summam curam habuit, vt ex his Strabonis versibus colligitur, quos* DE EINHARTO MAGNO *inscripsit*,

Nec minor est Magni reuerentia Patris habenda,
Beseleel fabrè primùm qui percipit omne
Artificum præcautus opus. sic denique summus
Ipse legens infirma Deus, sic fortia temnit.
Magnorum quis enim maiora recæperat vnquam,
Quàm radiare breui nimium miramur homullo?

B

Hoc idem Fontanellense Chronicum testatur in gestis Ansegisi Abbatis. Dum Flauiacum, *inquit*, iure precarij ac beneficij teneret, etiam exactor operum Regalium in Aquisgrani Palatio Regio sub EINHARDO Abbate, viro vndecúmque doctissimo, à domno Rege constitutus est. *Quo in officio Einhardus ipse postea successorem accepit Geruuardum Palatij Bibliothecarium: illum, vt opinor, cuius Epigramma de hoc Vita Caroli M. Opusculo ad eius calcem ex Cod. Moissiacensi appositum est. Porrò* EINHARDVM *eundem primò fuisse coniugatum, ac vxorem natalibus & virtute claram nomine* IMMAM *habuisse, docet Ludouici Pij Diploma, quo illis villas Michlenstat & Mulenheim dictas, anno Imperij sui primo concessit. Vindicauitque ab amoris improbi leuitate castum ipsorum coniugium Cæsar Baronius Annalium Tomo* IX. *ad annum* DCCCXXVI. *aduersus Chronici Laureshamensis malè fictum de Eginhardo & Caroli M. filia commentum. Simul autem conuersabantur adhuc anno* VI. *Imperij eiusdem Ludouici, quo locum suum vocabulo Michlenstat situm in Germaniæ silua, quæ dicitur Odanuuald, super fluuium Mimilingum, Monasterio S. Nazarij tradiderunt. Sed qui ad hoc vsque tempus coniuges, postea frater & soror inuicem sibi fuerunt. Thori enim vsu deliberatione mutua resecto,* EINHARDVS *ocium multimoda cogitatione meditari cœpit, ac in alio suo prædio nomine Mulenheim non solùm domos & habitacula ad manendum, verumetiam Basilicam diuinis officiis congruentem ædificauit. Quam & in honorem Sanctorum Marcellini & Petri fecit dedicari, postquàm sanctæ deuotionis ardore incitatus illorum corpora sumptibus proprijs è Roma in Franciam annuente Papa Eugenio transferri curauit, eáque in loco ipso recondidit. Translata autem fuerunt anno* DCCCXXVII. *quo licèt secularibus Palatij negociis adhuc occuparetur, iam tamen Fontanellæ Abbatiam ab Imp. Ludouico regendam susceperat, quam per septem tenuit annos. Sed tum demum, & Palatium ipsum dereliquit, atque in Cœnobium suum Mulenheim, quod postea mutato nomine Selingestadiense dictum est, se recepit. Cuius etiam primum Abbatem*

C

eum extitisse adnotauit Trithemius Rexit præterea sub Carolo Caluo Fossatense Monasterium ad Lutetiam, quod nunc Sancti Mauri appellatur, Blandiniense in Gandauo, & alia nonnulla. Superuixitque anno DCCCXLVIII. *quo secunda Synodo à Rhabano Archiepiscopo Moguntiacensi celebrata interfuit vnà cum ceteris prouinciæ Abbatibus. Sed supremus vitæ eius annus adhuc incompertus est. Tumulum accepit in Basilica sua Selingenstadiensi, cum sequenti Epitaphio, quod illi Rhabanus ipse posuit.*

Vide infrà pag 106. & 651.

Chronicõ Laureshamense.

Infrà pag. 655.

Chronicõ Fontanel.

Te peto, qui hoc Templum ingrederis, ne noscere spernas
Quid locus hic habeat, quidque tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto,
EINHARDVS nomen cui genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu, atque ore facundus
Extitit, ac multis arte fuit vtilis.
Quem CAROLVS Princeps propria nutriuit in Aula,
Per quem & confecit multa satis opera.
Nam horum Sanctorum *, condigno functus honore,
Exquirens Romæ corpora, duxit & huc.
Vt multis prosint precibus, curáque medelæ,
Ipsiúsque animæ regna poli tribuant.
Christe Deus hominum saluator, rector, & auctor,
Æternam huic requiem da super astra pius.

* Marcellini & Petri

Ad eundem extant aliquot Epistolæ Frothary Episc. Tullensis, & Lupi Ferrariensis Abbatis, quæ in fine huius Tomi reperientur. Quod autem ad eius Scripta pertinet, potissimum Historica, præter CAROLI MAGNI *Vitam scripsit* Annales Francorum *ab anno* DCCXLI. *ad annum vsque* DCCCXXIX. *qui hactenus Adelmi seu Ademari Benedictini Monachi nomine perperam editi fuerunt, vt infrà suo loco docebitur.* Gesta quoque Saxonum, *sicut notat Adam Bremensis Cap.* XXX. *Lib.* I. *Historiæ Ecclesiasticæ, vbi &*

CAROLVS MAGNVS.

ipsorum aliqua fragmenta refert Capp. IV. V. VI. *&* VII. *Sed opere hoc amisso non modicam antiquitas* A *Saxonica iacturam fecit. Scripsit praterea* Epistolas ad diuersos, *qua in hoc Volumine nunc primùm euulgabuntur. Necnon Libros* IV. de Translatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum, *quos apud Laurentium Surium integros legere est. Denique Lothario Imperatori* Monita Gabrielis Archangeli *duodecim Capitulis comprehensa obtulit, vt in Annalibus Fuldensibus habetur sub anno* DCCCLXXIV. *Hac omnia ab eo scripta sunt, qui Caroli Magni res gestas literis mandauit, quo nullus fidelior, nec existèbat sententiâ etiam Lupi docti viri, hoc tempore luculentior. Porro Vitam ipsam Caroli, qua sequitur, primus emisit in lucem Hermannus illustris Comes à Nuenare anno* M.D.LXI. *Postea Iustus Reuberus I. C. in veterum Scriptorum Tomum congessit, qui Casarum ac Impp. res per aliquot secula gestas memoria consignarunt. Nouissimè autem & Marquardus Freherus Consiliarius Palatinus eandem inseruit Corpori Historia Francica veteris ac sincera, quod anno* M.DCXIII. *publicauit. Vbi quia non contemnendam de* EGINHARDO *ipso notationem adiecit, illam quoque hîc opera precium visum est apponere.*

DE EINHARDO, siue EGINHARDO, Scriptore Vitæ KAROLI MAGNI Regis Francorum & Imperatoris, nihil aut perparum haberemus dicere, si non memoriam viri nobis conseruasset Chronicon Laurishamensis Cœnobij, vbi illum familiariter versatum colligimus. Cuius tamen fide esse volim, quod ibi de eo refertur, vt iuuenis in Aula Karoli M. Imp. Notarium sedulò agens, cum filia Heri sui IMMA nomine furtim consueuerit, & ab ea per niuem deportatus, ab insomni Principe fortuitò deprehensus, veniâ clementer concessa portatricem suam vxorem acceperit, non absque muneribus in latifundiis, etiam à LVDOVICO PIO Imp. postea auctis & cumulatis: quorum postea partem Cœnobio Saligenstatensi eos contulisse Diplomata ibidem edita loquuntur. Quæ narratiuncula vtvt apud nonnullos fidem repererit, mihi quidem eodem loco habenda videtur, quo gemina planè seu historiola, seu fabella, quam de Henrico III. Imp. eiúsque sorore Moniali Vincentius Beluacensis lib. XXV. Speculi Historialis Cap. X. in literas retulit. Et quid mirum de Notario Imp. Caroli fabellam illud æuum fingere ausum, cùm de ipso Carolo non dubitauerit? Vtvt tamen res habeat, & forsitan vera mixta falsis videantur, hoc constat, Einhardum in summa apud Carolum gratiâ fuisse, neque alium magis in grauissimis negotiis expediundis ab eo adhibitum: quod præter Annales, etiam testatur alicubi VValafridus Strabus, & Ermoldus Nigellus in Panegyrico Ludouici Pij Caroli F. B

Lips. in Monitis Polit. lib. I. c. 12.
Apud Petrarcham lib. I. epist. 3.

Tunc Heinardus erat Caroli dilectus amore,
Ingenióque sagax, & bonitate vigens.

Sed & feminam eximiæ virtutis, clarámque natalibus, Einhardum in matrimonio habuisse: quam postea (imploratis nequicquam Martyrum intercessionibus) fato sibi præreptam grauissimè luxerit, & domesticum vulnus impatientissimè tulerit: vt ex eius ad Lupum Ferrariæ Abbatem familiarem suum Epistola tunc scripta apparet, cuius amicis & repetitis consolatoriis vix tandem ad æquanimitatem reduci potuerit. Ab eo casu, pertæsus seculi, animóque prostratus, & ætate declinante, ad asceticam vitam se contulit: condito & fundato Cœnobio Salingestat (quod adhuc eo nomine superest) ad Mœnum Franciæ oræ fluuium: in quo reliquum ætatis exegisse credibile est. Trithemius scribit eius Collegij primum Abbatem ipsum fuisse. Libellos quos scripserit, idem aliquos recenset: quibus ex Aimoino & Chronico Laurishamensi addendus est, *De translatione & miraculis Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum:* & ex Fuldensibus Annalibus sub anno DCCCLXXIV. *Monita Gabrielis Archangeli*, XII. Capitulis comprehensa. Vitam quidem Karoli M. quæ aliquando in MSS. sine Auctoris nomine inuenitur, ibidémque à Frisingensi & aliis quandoque laudatur, & à quibusdam Alcuino perperam tribuitur, Einhardi nostri genuinum esse fœtum liquidò nobis constat. Nam & ab Einhardo descriptam eius Principis Vitam Sigebertus, Marianus Scotus, aliíque testantur, idémque ille Lupus Epistolâ I. qua Einhardi ipsius amicitiam ambit, & ex illo ipso, qui extat, Libello loca quædam sub EINHARDI nomine ab aliis afferuntur: vt nominatim à Poëta Padebornensi anonymo, qui aliquammultis postea annis sub Arnulpho Imp. Caroli M. gesta ex Adelmi Benedictini Annalibus carmine expressit, editus à Rineccio. C

Epist. 2. 3. 4.

De vita CAROLI *scriptum legat ipse Libellum,*
Quem summo prudens EINHARDVS *nomine scripsit.*

Denique non alio sub nomine edidit, qui primus edidit, diligentissimus & felicissimus Germanicæ antiquitatis indagator, illustris Hermannus Comes Neuenarius, fide vtique Codicis vetusti: quem vtinam toto etiam contextu edendo sequi maluisset, nec sibi permisisset illius æui qualemcunque phrasin floridiore passim permutare, quam omnes sequentes editiones postea retinuerunt. Et in Chronico Suarzachensi membranaio optimæ notæ, ante CCC. annos scripto, in quo per occasionem mentionis Gothorum & Langobardorum, Libelli Iornandis & VVarnefridi ferè integri inseruntur; vbi ad Francos ventum est, Einhardi istud Opusculum cum hac præfatione insertum extat: *De cuius natiuitate, atque infantia vel pueritia, dicit Actuum eius scriptor* EGINHARDVS, *ab eodem Principe educatus, quòd neque scriptis vnquam aliquid declaratum sit, neque quisquam suo tempore inuentus sit, qui horum notitiam se habere dixerit. De actibus verò & moribus, cæterisque vitæ illius partibus ita explicuit.* Vt autem ipse in hac Caroli Vita texenda Suetonium (quod acutè eruditissimus Casaubonus obseruauit) sibi imitandum proposuit: ita ab illo quotquot postea eiusdem Principis gesta condiderunt, subindè quædam mutuati sunt, vt in Adelmi Annalibus, Poëta illo anonymo, aliisque non ægrè deprehenditur.

A

VITA ET CONVERSATIO GLORIOSISSIMI IMPERATORIS KAROLI REGIS MAGNI ATQVE INVICTISSIMI AVGVSTI.

Edita ab Eginardo ſui temporis impensè doctiſſimo, nec non liberalium experientiſſimo Artium viro, educato à præfato Principe propagatore & defenſore Religionis Chriſtianæ.

B *Nunc tandem poſt varias editiones cum vetuſtiſsimis quinque MSS. Codicibus è Bibliothecis Franc. Thuani, Alex. Petauij, ac aliorum, qui & præcedentem inſcriptionem ferè omnes habent, diligentiſsimè comparata. Vt iam in poſterum nemini ſupereſſe poſsit vllus conquerendi locus, quòd Hermannus Comes à Nuenare, qui Vitam ipſam primus emiſit in lucem, illius æui qualemcumque phraſin floridiore paſsim mutare ſibi permiſerit.*

INCIPIT PROLOGVS.



VITAM & conuerſationem, & ex parte non modica res geſtas*, domni & nutritoris mei KAROLI, excellentiſſimi & meritò famoſiſſimi Regis, poſtquam ſcribere animus tulit, quanta potui breuitate complexus ſum: operam impendens, vt de his, quæ ad meam notitiam peruenire potuerunt, nihil omitterem, neque prolixitate narrandi noua quæque faſtidientium animos offenderem. Si tamen vllo modo vitari C poteſt, vt noua ſcriptione non offendantur, qui vetera, & à viris doctiſſimis atque diſertiſſimis confecta monumenta faſtidiunt. Et quamuis plures eſſe non ambigam, qui otio ac literis dediti, ſtatum æui præſentis non arbitrentur ita neglegendum, vt omnia penitus quæ nunc fiunt, velut nulla memoria digna, ſilentio atque obliuioni tradantur: potiúſque velint, amore diuturnitatis inlecti, aliorum præclara facta qualibuſcunque ſcriptis inſerere, quàm ſui nominis famam poſteritatis memoriæ nihil ſcribendo ſubtrahere. Tamen ab huiuſcemodi deſcriptione non exiſtimaui temperandum, quando mihi conſcius eram, nullum ea veracius quàm me ſcribere poſſe, quibus ipſe interfui, quæque præſens oculata, vt dicunt, fide cognoui, & vtrum ab alio ſcriberentur necne, liquidò ſcire non potui. Satiúſque iudicaui eadem cum aliis velut communitèr literis mandata memoriæ poſterorum tradere, quàm Regis excellentiſsimi, & omnium ſua ætate maximi, clariſsimam vitam, & egregios, atque moderni temporis hominibus vix imitabiles actus, pati obliuionis tenebris aboleri. Suberat & alia non irrationabilis, vt opinor, cauſa, quæ vel ſola ſufficere poſſet, vt me ad hæc ſcribenda compelleret: nu-

* geſta

CAROLVS MAGNVS. trimentum videlicet in me impensum, & perpetua, postquam in Aula A eius conuersari cœpi, cum ipso ac liberis eius amicitia, qua me ita sibi deuinxit, debitorémque tam viuo quàm mortuo constituit; vt meritò ingratus videri & iudicari possem, si tot beneficiorum in me collatorum immemor, clarissima & illustrissima hominis optimè de me meriti gesta silentio præterirem: patertérque vitam eius quasi qui nunquam vixerit, sine literis ac debita laude manere. Cui scribendæ atque explicandæ non meum ingeniolum, quod exile & paruum, imò nullum penè est, sed Tullianam par erat desudare facundiam. En tibi Librum præclarissimi & maximi viri memoriam continentem, in quo præter illius facta, non est quòd admireris, nisi fortè quòd homo barbarus, & in Romana locutione perparum exercitatus, aliquid me decenter aut commodè Latinè scribere posse putauerim, atque in tantam impudentiam proruperim, vt illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarum Libro, cum de Latinis Scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: *Mandare quenquam, inquit, literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis.* B Poterat quidem hæc Oratoris egregij sententia me à scribendo deterrere, nisi animo præmeditatum haberem, hominum iudicia potiùs experiri, & in scribendo ingenioli mei periculum facere, quàm tanti viri memoriam, mihi parcendo, præterire.

EXPLICIT PROLOGVS.

ACTVS PRÆFATI IMPERATORIS FELICITER INCIPIVNT.

* Hildric. * Sithiu.

GENS Merouingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, vsque in Childericum * Regem, qui iussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium * trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatij Præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos summa imperij pertinebat, tenebantur: néque Regi aliud relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barbâ submissâ, solio resideret, C ac speciem dominantis effingeret; Legatos vndecunque venientes audiret, eísque abeuntibus responsa, quæ erat edoctus, vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat: nihil aliud proprij possideret, quàm vnam & eam perparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui Conuentum, qui annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At Regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. Quo officio tum

* Hildericus. cùm Childericus * deponebatur, Pippinus pater KAROLI Regis iam velut hereditario iure fungebatur. Nam pater eius KAROLVS, qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi vindicantes oppressit, & Sarracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis prœliis, vno in Aquitania apud Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Byrram fluuium ita deuicit, vt in Hispaniam eos redire compelleret, eundem magistratum à patre Pippino sibi dimissum egre-

Carolvs Magnvs.

A gię administrauit. Qui honor non aliis à populo dari consueuerat, quàm his, qui & claritate generis, & opum amplitudine ceteris eminebant.

Hvnc cùm Pippinus pater Karoli Regis ab auo & patre sibi & fratri Karlomanno relictum, summa cum eo concordia diuisum, aliquot annis velut sub Rege memorato tenuisset, frater eius Karlomannus, incertum quibus de causis, tamen videtur quòd amore conuersationis contemplatiuæ succensus, operosa temporalis Regni administratione relicta, Romam se in otium contulit, ibique habitu permutato Monachus factus, in monte Soracte apud Ecclesiam beati Siluestri constructo Monasterio cum Fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cùm ex Francia multi nobilium ob vota soluenda Romam solenniter commearent, & eum velut dominum quondam suum præterire nollent, otium quo maximè delectabatur crebra salutatione interrumpentes locum mutare compellunt. Nam huiuscemodi frequentiam cùm suo proposito officere vidisset, relicto monte, in Samnium prouinciam ad Monasterium S. Benedicti situm in arce Cassina secessit, & ibi quod reliquum erat temporalis vitæ, religiosè conuersando compleuit. Pippinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatij Rex constitutus, cùm per annos XV. aut eo amplius solus imperaret Francis, finito Aquitanico bello, quod contra VVaifarium * Ducem Aquitaniæ ab eo susceptum per continuos IX. annos * Gaiferiũ
B gerebatur, apud Parisius morbo aquæ intercutis diem obiit; superstitibus liberis Karolo & Karlomanno, ad quos successio Regni diuino nutu peruenerat. Franci siquidem facto solenniter generali conuentu, ambos sibi Reges constituunt, ea conditione præmissa vt totum Regni corpus ex æquo partirentur: & Karolvs eam partem, quam pater eorum Pippinus tenuerat, Karlomannus verò eam cui patruus eorum Karlomannus præerat, regendi gratia susciperet. Susceptæ sunt vtrinque conditiones, & pars Regni diuisi iuxta modum sibi propositum ab vtróque recepta est. Mansitque ista quamuis cum summa difficultate concordia, multis ex parte Karlomanni societatem separare molientibus, adeò vt quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspicionis quàm periculi fuisse ipse rerum exitus approbauit, cùm defuncto Karlomanno vxor eius & filij, cum quibúsdam qui ex Optimatum eius numero primores erant, Italiam fuga petiit: & nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderij Regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis contulit. Et Karlomannus quidem post administratum communiter biennió Regnum morbo decessit. Karolvs autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum Rex constituitur. De cuius natiuitate atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis vnquam aliquid declaratum est, nec quisquam modò superesse inueni-
C tur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus & mores, ceterasque vitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis, transire disposui. Ita tamen vt primò res gestas & domi & foris, deinde mores & studia eius, tum de Regni administratione & fine narrando, nihil de iis quæ cognitu vel digna vel necessaria sunt, prætermittam.

Omnivm bellorum quæ gessit primò Aquitanicum à patre inchoatum, sed nondum finitum, quia citò peragi posse putabatur, fratre adhuc viuo, etiam & auxilium ferre rogato, suscepit. Et licèt eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam tamen expeditionem strenuissimè executus, non priùs incœpto desistere, aut semel suscepto labori cedere voluit, quàm hoc, quod efficere moliebatur, perseuerantia quadam ac iugitate perfecto fine concluderet. Nam & Hunoldum *, qui post VVaifarij mortem Aquitaniam occupare, bellúmque iam penè peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere, & VVasconiam petere coëgit. * Vnaldum Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garomna, & ædificato castro Frontiaco, Lupo VVasconum Duci per Legatos mandat, vt perfugam reddat, quod nisi festinatò faciat, bello secum expostulaturum. Sed Lupus saniori vsus consilio, non solùm Hunoldum reddidit, sed etiam seipsum cum Prouincia, cui præerat, eius potestati permisit.

Compositis in Aquitania rebus, eóque bello finito, Regni quoque socio iam rebus humanis exempto, rogatu & precibus Adriani Romanæ vrbis Episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit. Quod prius quidem & à patre

CAROLVS MAGNVS. eius, Stephano Papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est: quia quidam de primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeò voluntati eius renisi sunt, vt se Regem deserturos, domúmque redituros libera voce proclamarent. Susceptum tamen bellum est tunc contra Haistulfum Regem, & celerrimè completum. Sed licèt sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potiùs eadem causa subesse videretur, haud simili tamen & labore certatum, & fine constat esse completum. Pippinus siquidem Haistulfum Regem paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque vt reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. KAROLVS verò post inchoatum à se bellum non priùs destitit, quàm & Desiderium Regem, quem longa obsidione fatigauerat, in deditionem susciperet, & filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinatæ videbantur, non solùm Regno, sed etiam Italia excedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgaudum * Foroiulij Ducatus præfectum res nouas molientem oppprimeret, totámque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium suum Pippinum Regem imponeret. Italiam intranti, quàm difficilis Alpium transitus fuerit, quantóque Francorum labore inuia montium iuga, & eminentes in cœlum scopuli, atque asperæ cautes superatæ sint, hoc loco describerem, nisi vitæ illius modum, potiùs quàm bellorum, quæ gessit, euentus memoriæ mandare, præsenti opere animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit subacta Italia, & rex Desiderius perpetuo exilio deportatus, & filius eius Adalgisus Italiâ pulsus, & res à Langobardorum Regibus ereptæ Adriano Romanæ Ecclesiæ Rectori restitutæ.

* Hruodgaudum

POST eius finem Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius neque atrocius, Francorúmque populo laboriosius susceptum est: quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes Nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, nostræque Religioni contrarij, neque diuina neque humana iura vel polluere, vel transgredi, inhonestum arbitrabantur. Suberanr & causæ, quæ quotidie pacem contnrbare poterant, termini videlicet Francorum & illorum penè vbique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel syluæ maiores, vel montium iuga interiecta, vtrorumque agros certo limite disterminant: in quibus cædes & rapinæ & incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeò Franci sunt irritati, vt non iam vicissitudinem reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum iudicarent. Susceptum est ergo aduersus eos bellum, quod magna vtrinque animositate, tamen maiori Saxonum quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citiùs finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati, ac supplices Regi se dediderunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides qui imperabantur absque dilatione dederunt, Legatos qui mittebantur susceperunt. Aliquoties ita domiti & emolliti, vt etiam cultum dæmonum dimittere, & Christianæ Religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere præcipites: vt satis non sit æstimare, ad vtrum horum faciliores veriùs dici possint. Quippe cùm post inchoatum cum eis bellum, vix annus vnus exactus sit, quo non ab eis huiuscemodi facta sit permutatio. Sed magnanimitas Regis, ac perpetua tàm in aduersis quàm prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab his quæ agere cœperat defatigari. Nam nunquam eos huiuscemodi aliquid perpetrantes impunè ferre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per Comites suos misso exercitu, perfidiam vlcisceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret: vsque dum omnibus qui resistere solebant profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominum milia ex his qui vtrasque ripas Albis fluminis incolebãt, cum vxoribus & paruulis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda diuisione distribuit. Eáque conditione à Rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei atque Religionis sacramenta susciperent: & Francis adunati, vnus cum eis populus efficerentur. Hoc bellum licèt per multum temporis spacium traheretur, ipse non amplius cum hoste quàm bis acie

CAROLVS MAGNVS.

A acie conflixit: semel iuxta montem qui Osneggi* dicitur, in loco Theotmelli nominato: & iterum apud Hasam* fluuium, & hoc vno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeò profligati ac deuicti sunt, vt vlteriùs Regem neque prouocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent. Plures tamen eo bello tàm ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandémque anno tricesimotertio finitum est. Cùm interim tot ac tanta in diuersis terrarum partibus bella contra Francos & exorta sint, & solertia Regis administrata, vt meritò Intuentibus in dubium venire possit, vtrum in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potiùs mirari conueniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium: & cùm sine intermissione gereretur, nihil tamen ex his quæ alicubi erant gerenda dimissum, aut vlla in parte ab æquè operoso certamine cessatum est. Nam Rex omnium, qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in his, quæ vel suscipienda erant, vel exequenda, aut propter laborem detrectauit, aut propter periculum exhortuit.

* Neggi
* Basam

VERVM vnumquodque secundum suam qualitatem & subire & ferre doctus, nec in aduersis cedere, nec in prosperis falsò blandienti fortunæ assentiri solebat. Cùm enim assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello certaretur, B dispositis per congrua confiniorum loca præsidiis, Hispaniam quàm maximo poterat belli apparatu adgreditur: saltúque Pyrenei superato, omnibus quæ adierat oppidis atque castellis in deditionem susceptis, saluo & incolumi exercitu reuertitur. Præter quod in ipso Pyrenei iugo VVasconum perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cùm agmine longo, vt loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, VVascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate syluarum, quarum maxima est ibi copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui nouissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subiectam vallem deiciunt: consertóque cum eis prælio, vsque ad vnum omnes interficiunt, ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam instabat, protecti, summa cum celeritate in diuersa disperguntur. Adiuuabat in hoc facto VVascones & leuitas armorum, & loci in quo res gerebatur situs. E contra Francos & armorum grauitas, & loci iniquitas per omnia VVasconibus reddidit impares. In quo prælio Eghartus* Regiæ mensæ Præpositus, Anshelmus Comes Palatij, & Rotlandus* Brittanici limitis Præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens vindicare poterat: quia hostis re perpetrata ita dispersus est, vt ne fama quidem remaneret, vbinam gentium quæri potuisset.

* Agibardus, seu Eggibardus.
* Hrodlandus Brit. litoris

DOMVIT & Brittones, qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant: missa in eos C expeditione, qua & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ vrbem accessit: atque ibi positis castris, bellum Beneuentanis, ni sese dederent, comminatus est. Præuenit hoc Dux gentis Aragisus: filios suos Romaldum* & Grimaldum cum magna pecunia obuiam Regi misit, & rogat vt filios obsides suscipiat, séque cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur. Rex vtilitate* gentis magis quàm animi eius obstinatione considerata, & oblatos sibi obsides suscepit, eique vt ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit. Vnóque ex filiis, qui minor natu erat, obsidatus gratiâ retento, maiorem patri remisit: Legatísque ob sacramenta fidelitatis à Beneuentanis exigenda atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam redit. Consumptísque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur.

* Rumoldū & Grimoldum
* fortitudine

BAIOARICVM deinde bellum & repentè ortum, & celeri fine completum est: quod superbia simul & socordia Tassilonis Ducis excitauit. Qui hortatu vxoris, quæ filia Desiderij Regis erat, ac patris exilium per maritum vlcisci posse putabat, iuncto fœdere cum Hunis, qui Baioariis sunt ab Oriente contermini, non solùm imperata non facere, sed bello Regem prouocare tentabat. Cuius contu-

Carolvs Magnvs. maciam, quia nimia videbatur, animoſitas Regis ferre nequiuerat. Ac proinde copiis vndique contractis, Baioariam petiturus ipſe ad Lechnum * amnem cum maximo venit exercitu. Is fluuius Baioarios ab Alamannis diuidit. Cuius in ripa caſtris collocatis, priùs quàm Prouinciam intraret, animum Ducis per Legatos ſtatuit experiri. Sed nec ille pertinaciter agere, vel ſibi vel genti vtile ratus, ſupplex ſe Regi permiſit: obſides qui imperabantur dedit, inter quos & filium ſuum Theodonem; data inſuper fide cum iuramento, quòd ab illius poteſtate ac defenſione nemini defectionem ſuadenti aſſentiri deberet. Sicque bello, quod quaſi maximum futurum videbatur, celerrimus eſt finis impoſitus. Taſſilo tamen poſtmodum ad Regem euocatus, neque redire permiſſus. neque Prouincia, quam tenebat vlteriùs Duci, ſed Comitibus ad regendum commiſſa eſt. A

* Lechum

His motibus ita compoſitis, Sclauis, qui noſtra conſuetudine VVilſi, propriè verò, hoc eſt ſua locutione VVelezabi * dicuntur, bellum inlatum eſt: in quo & Saxones velut auxiliares inter ceteras nationes, quæ Regis ſigna iuſſæ ſequebantur, quanquam ficta & minus deuota obedientia militabant. Cauſa belli erat, quòd Abodritos, qui cum Francis olim fœderati fuerant, aſſidua incurſione laceſſebant, nec iuſſionibus coërceri poterant. Sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem verſus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, cùm in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circumſedent nationes, Dani ſiquidem ac Sueones, quos Nordmannos vocamus, & Septentrionale littus, & omnes in eo inſulas tenent. Ad littus Auſtrale Sclaui & Aiſti, & aliæ diuerſæ incolunt nationes. Inter quos vel præcipui ſunt, quibus tunc à Rege bellum inferebatur, VVelezabi. Quos ille vna tantùm, & quam per ſe geſſerat, expeditione ita contudit ac domuit, vt vlteriùs imperata facere minimè renuendum iudicarent. B

* VVelatabi

Maximvm omnium quæ ab illo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, huic bello ſucceſſit, illud videlicet, quod contra Auares ſiue Hunos ſuſceptum eſt: quod ille & animoſiùs quàm cetera, & longè maiori apparatu adminiſtrauit. Vnam tamen per ſe in Pannoniam (nam hanc Prouinciam ea gens tum incolebat,) expeditionem fecit. ceteras filio ſuo Pippino ac Præfectis Prouinciarum, Comitibus etiam atque Legatis perficiendas commiſit. Quod cùm ab his ſtrenuiſſimè fuiſſet adminiſtratum, octauo tandem anno completum eſt. Quot prælia in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in quo Regia Cagani erat, ita deſertus, vt ne veſtigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit: omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana poteſt memoriâ recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti ſint. Quippe cùm vſque in id temporis penè paupetes viderentur: tantum auri & argenti in Regia repertum, tot ſpolia precioſa in præliis ſublata, vt meritò credi poſſet, hoc Francos Hunis iuſtè eripuiſſe, quod Huni priùs aliis gentibus iniuſtè eripuerunt. Duo tantùm * ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Ericus * Dux Forojulij, in Liburnia iuxta Tarſaticam maritimam ciuitatem inſidiis oppidanorum interceptus: & Geroldus * Baioariæ Præfectus, dum in Pannonia contra Hunos præliaturus aciem ſtrueret, incertum à quo, cum duobus tantùm, qui eum obequitantem ac ſingulos hortantem comitabantur, interfectus eſt. Ceterùm incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & proſperrimum exitum habuit, tametſi diutius ſui magnitudine traheretur. Poſt quod & Saxonicum ſuæ prolixitati conuenientem finem accepit. Boëmanicum quoque & Hilinonicum *, quæ poſtea exorta ſunt, diu durare non potuerunt. Quorum vtrumque ductu Karoli iunioris celeri fine completum eſt. C

* tamen
* Hericus
* Geraldus
* Linonicum

Vltimvm quoque contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori claſſe littora Galliæ atque Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum eſt. Quorum Rex Godefridus adeò vana ſpe inflatus erat, vt totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatem. Friſiam quoque & Saxoniam haud aliter atque ſuas Prouincias æſtimabat. Iam Abodritos vicinos ſuos in ſuam redegerat ditionem, iam eos ſibi vectigales fecerat. Iactabat etiam ſe breui

A Aquasgrani, vbi Regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturum. Nec Carolvs Magnvs.
dictis eius quamuis vanissimis omninò fides abnuebatur, quin potiùs putaretur
tale aliquid inchoaturus, nisi festinata morte fuisset præuentus. Nam à proprio
satellite interfectus, & suæ vitæ, & belli à se inchoati finem accelerauit.

Hæc sunt bella quæ Rex potentissimus per annos XLVII. (tot enim annis
regnauerat,) in diuersis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit.
Quibus Regnum Francorum, quód post patrem Pippinum magnum quidem
& forte susceperat, ita nobiliter ampliauit, vt penè duplum illi adiecerit.
Nam cùm priùs non ampliùs quàm ea pars Galliæ, quæ inter Hrenum & Ligerim,
Oceanúmque ac mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ quæ inter Saxoniam
& Danubium, Hrenúmque & Salam fluuium, qui Toringos & Sorabos
diuidit, postea à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur: & præter hæc Alamanni
atque Baioarij ad Regni Francorum potestatem pertinerent: Ipse per bella
memorata primò Aquitaniam & VVasconiam, totúmque Pyrenæi montis iugum,
& vsque ad Hiberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertilissimos
Hispaniæ agros secans, sub Dertusæ* ciuitatis mœnia Balearico mari miscetur. * Tortosa
Deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria vsque in Calabriam inferiorem,
in qua Græcorum ac Beneuentanorum constat esse confinia, decies centum &
eo ampliùs passuum milibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ qui-
B dem Germaniæ pars non modica est, & eius quæ à Francis incolitur duplum in
lato habere putatur, cùm ei longitudine possit esse consimilis. Post quam vtramque
Pannoniam, & appositam in altera Danubij ripa Daciam, Histriam quoque,
& Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam
& iunctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit.
Deinde omnes barbaras ac feras Nationes, quæ inter Hrenum ac Vistulam*
fluuios, Oceanúmque ac Danubium positæ, linguâ quidem penè similes, * Visulam
moribus verò atque habitu valdè dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit,
vt eas tributarias efficeret. Inter quas ferè præcipui sunt VVelatabi, Sorabi,
Abodriti, Boëmani. Cum his namque bello conflixit, ceteras quarum multò
maior est numerus, in deditionem suscepit.

Avxit etiam gloriam Regni sui, quibusdam Regibus & gentibus per amicitiam
sibi conciliatis. Adeò namque Adefonsum Galliciæ atque Asturicæ Regem
sibi societate diuinxit, vt is cùm ad eum vel literas vel Legatos mitteret, non
aliter se apud illum quàm proprium suum appellari iuberet. Scotorum quoque
Reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, vt eum
nunquam aliter quàm dominum, séque subditos ac seruos eius pronunciarent.
Extant epistolæ ab eis ad illum missæ, quibus huiusmodi affectus eorum erga il- *
lum indicatur. Cum Aaron Rege Persarum, qui, excepta India, totum penè tenebat
Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium
C qui in toto orbe terrarum erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, solúmque
illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret. Ac proinde, cùm
Legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Saluatoris mundi
Sepulchrum locúmque Resurrectionis miserat, ad eum venissent, & ei domini
sui voluntatem indicassent, non solùm quæ petebantur fieri permisit, sed etiam
sacrum illum & salutarem locum, vt illius potestati adscriberetur, concessit. Et
reuertentibus Legatis suos adiungens, inter vestes & aromata, & ceteras Orientalium
terrarum opes, ingentia illi donà transmisit*, cùm ei ante paucos annos * diuexia
eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem. Imperatores
etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michaël, & Leo, vltrò amicitiam &
societatem eius expetentes, complures ad eum misêre Legatos. Cum quibus tamen
propter susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc ei quasi qui Imperium
eis præripere vellet, valdè suspectum, fœdus firmissimum statuit, vt nulla
inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis &
Græcis Francorum suspecta potentia. Vnde & illud Græcum extat prouerbium,
Τὸν φραγκὸν φίλον ἔχῃς γείτονα οὐκ ἔχῃς.

Qvi cùm tantus* in ampliando Regno & subigendis exteris nationibus exi- * strenuus
steret, & in eiusmodi occupationibus assiduè versaretur, operâ tamen plurima
ad Regni decorem & commoditatem pertinentia, diuersis in locis inchoauit, quę-

CAROLVS MAGNVS. dam etiam consummauit. Inter quæ præcipua non immeritò videri possunt, Basilica sanctæ Dei Genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons apud Maguntiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis. nam tanta est ibi fluminis latitudo. Qui vno tamen antequàm decederet anno, incendio conflagrauit, nec refici potuit propter festinatum eius decessum: quanquàm in ea meditatione esset, vt pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit & Palatia operis egregij, vnum haud longè à Moguntiaco, iuxta villam cui nomen est Ingelheim: alterum Nouiomagi super VVahalem fluuium, qui Batauorum insulam à parte Meridiana prætersluit. Præcipuè tamen Ædes sacras vbicunque in toto Regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus & Patribus, ad quotum curam pertinebant, vt restaurarentur, imperauit: adhibens curam, vt imperata perficerent. Molitus est & classem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quæ & de Gallia & Germania Septentrionalem influunt Oceanum. Et quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum, qua naues recipi posse videbantur, stationibus & excubiis dispositis, ne quâ hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Fecit idem à parte Meridiana in littore Prouinciæ Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore vsque Romam, contra Mauros nuper piraticam exercere aggressos. Ac per hoc nullo graui damno vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis, diebus suis affecta est: præter quòd Centumcellæ ciuitas Hetruriæ per proditionem à Mauris capta atque vastata est. Et in Frisia quædam insulæ Germanico littori contiguæ, à Nordmannis deprædatæ sunt. Talem eum in tuendo & ampliando, simulque ornando Regno fuisse constat. Cuius animi dotes, & summam in qualicunque, & prospero & aduerso euentu, constantiam, ceteràque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia, hinc dicere exordiar.

POST mortem patris cum fratre Regnum partitus, tanta patientiâ simultates & inuidiam eius tulit, vt omnibus mirum videretur, quòd ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuisset. Deindè cùm matris hortatu filiam Desiderij Regis Langobardorum duxisset vxorem, incertum qua de causa post annum repudiauit, & Hildegardim de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis feminam, in matrimonium accepit: de qua tres filios, KAROLVM videlicet, Pippinum, & Hludouuicum, totidémque filias, Rotdrudim *, Bertam, & Gisslam genuit. Habuit & alias tres filias, Thedradam *, Hildrudim & Rothaidem. Duas de Fastrada vxore, quæ de Orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat: tertiam de concubina quadam, cuius nomen modò memoriæ non occurrit. Defuncta Fastrada, Luidgardim * Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cuius mortem quatuor habuit concubinas: Mathalgardim * scilicet, quæ pepetit ei filiam nomine Rothildim: Gersuindam * Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeldrudis * nata est: & Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit: & Adelluidam *, ex qua Thedericum procreauit. Mater quoque eius Berttada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reuerentia, ita vt nulla vnquam inuicem sit exorta discordia, præter in diuortio filię Desiderij Regis, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem Hildegardæ, cùm iam tres nepotes suos, totidémque neptes in filij domo vidisset. Quam ille in eadem Basilica, qua parer situs est, apud Sanctum Dionysium cum magno honore fecit humari. Erat ei vnica soror nomine Gisla à puellaribus annis religiosæ conuersationi mancipata, quam similiter vt matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo conuersata est Monasterio decessit.

* Hruothrudem
* Theodesadam, & Hiltrudem, & Hruodhaidem
* Leotghardam
* Madelgardam
* Gresuindam
* Adalthrut
* Adallindam

LIBEROS suos ita censuit instituendos, vt tàm filij quàm nepotes primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios quàm primùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit. Filias verò lanificio assuescere, colóque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex iis omnibus duos tantùm filios & vnam filiam priùs quàm moreretur amisit. KAROLVM, qui maior natu erat, & Pippinum, quem Regem Italiæ præfecerat, & Rotdrudim *, quæ filiarum eius primogenita, & Constantino Græcorum Im-

* Hrothrudem

A peratori desponsata erat. Quorum Pippinus vnum filium suum Bernardum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam *, Gundradam, Bertraidem, ac Theodradam * superstites reliquit. In quibus Rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cùm filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. Mortes filiorum ac filiæ pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lacrymas. Nunciato etiam sibi Adriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic fleuit, ac si fratrem aut charissimum filium amisisset. Erat enim in amicitiis optimè temperatus, vt eas & facilè admitteret, & constantissimè retineret: colebátque sanctissimè quoscunque hac affinitate sibi coniunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, vt nunquam domi positus sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filij, filiæ verò ponè sequebantur: quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cùm pulcherrimæ essent, & ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes secum vsque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc licet aliàs felix, aduersæ fortunæ malignitatem expertus est. Quod tamen ita dissimulauit, ac si de eis nunquam alicuius probri suspicio orta vel dispersa

B fuisset.

*Atalam, *Teoderadam

Erat ei filius nomine Pippinus, ex concubina editus, cuius inter ceteros mentionem facere distuli, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is cùm pater bello contra Hunos suscepto in Baioaria hyemaret, ægritudine simulata, cum quibusdam è primoribus Francorum, qui sibi noua promissione Regni illuserant, aduersus patrem coniurauit. Quem post fraudem detectam, & damnationem coniuratorum, detonsum in cœnobio Prumia religiosæ vitæ iámque volentem vacare permisit. Facta est & alia priùs contra eum in Germania valida coniuratio: cuius auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt: neque vllus ex eis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cùm se ne comprehenderentur strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen coniurationum Fastradæ Reginæ crudelitas causa & origo extitisse creditur. Et idcirco in ambabus contra Regem conspiratum est, quia vxoris crudelitati consentiens, à suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur. Ceterùm per omne vitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore atque fauore & domi & foris conuersatus est, vt nunquam ei vel minima iniustæ crudelitatis nota à quoquam fuisset obiecta. Amabat peregrinos, & eorum suscipiendorum magnam habebat curam: adeò vt eorum multitudo non solùm Palatio, verùm etiam Regno non immeritò videretur onerosa. Ipse

C tamen præ magnitudine animi huiuscemodi pondere minimè grauabatur, cùm etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compensaret.

Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen iustum non excederet modum. Nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari. Vnde formæ auctoritas ac dignitas tàm stanti quàm sedenti plurima adquirebatur. Quanquam ceruix obesa & breuior, venterque proiectior videretur, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu firmo, totáque corporis habitudine virili. Voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conueniret. Valetudine prospera, præter quod antequam decederet, per quatuor annos crebrò febribus corripiebatur, ad extremum vno etiam pede claudicaret. Et tunc quidem plura arbitratu suo quàm medicorum consilio faciebat; quos penè exosos habebat, quòd ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis adsuescere suadebant. Assiduè exercebatur equitando ac venando, quod illi gentilitium erat. Quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ in hac arte Francis possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens. cuius adeò peritus fuit, vt nullus ei iustè valeat anteferri.

CAROLVS MAGNVS. Ob hoc etiam Aquisgrani Regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vsque ad obitum perpetim habitauit. Et non solùm filios ad balneum, verùm etiam optimates & amicos aliquando, satellitúmque & custodum corporis turbam inuitauit, ita vt nonnunquam centum vel eo ampliùs homines vnà lauarentur. Vestitu patrio, id est Francisco, vtebatur: ad corpus camisiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur. Deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tùm fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat. Et ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus ac balthcus aut aureus, aut argenteus erat. Aliquotiens & gemmato ense vtebatur: quod tamen non nisi in præcipuis festiuitatibus, vel si quando exterarum gentium Legati adessent faciebat. Peregrina verò indumenta quamuis pulcherrima respuebat, nec vnquam eis indui patiebatur: excepto quod Romæ semel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone successore eius supplicante, longa tunica & chlamide accinctus * calceis quoque Romano more formatis, induebatur. In festiuitatibus veste auro texta, & calciamentis gemmatis, & fibula aurea sagum astringente, diadamate quoque ex auro & gemmis ornatus, incedebat. Aliis autem diebus habitus eius parum à communi ac plebeio discrepabat. In cibo & potu temperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis plurimùm abominabatur. Cibo enim non adeò abstinere poterat, vt sæpè quereretur noxia esse suo corpori ieiunia. Conuiuabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantùm festiuitatibus, & tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter assam, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentiùs quàm vllo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei Historiæ, & antiquorum Regum gesta. Delectabatur & libris sancti Augustini, præcipuéque his qui de Ciuitate DEI prætitulati sunt. Vini & omnis potus adeò parcus in bibendo erat, vt super cœnam raro plus quàm ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens, ac semel bibens, depositis vestibus ac calciamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, vt somnum quater aut quinquies, non solùm expergiscendo, sed etiam surgendo interrumperet. Cùm calciaretur & amiciretur, non tantùm amicos admittebat, verùm etiam si Comes Palatij litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iubebat, & velut pro tribunali sederet, lite cognitâ sententiam dicebat. Nec hoc tantùm eo tempore, sed etiam quicquid ca die cuiuslibet officij agendum, aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat. A B

* amictus

* abhorrebat

ERAT eloquentiâ copiosus & exuberans, poteràtque quicquid vellet apertissimè exprimere. Nec patrio tantùm sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, vt æquè illa ac patria linguâ orare esset solitus. Græcam verò meliùs intelligere quàm pronunciare poterat. Adeò certè facundus erat, vt etiam didascalus * appareret. Artes liberales studiosissimè coluit, earúmque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat * honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audiuit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuuinum, item Diaconum, de Brittannia, Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctissimum præceptorem habuit. Apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impertiuit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum curiosissimè rimabatur. Tentabat & scribere, tabulásque & codicellos ad hoc in lectulo sub ceruicalibus circumferre solebat, vt cùm vacuum tempus esset, manum effigiundis literis assuefaceret. Sed parum prosperè successit labor præposterus, ac serò inchoatus. C

* dicacolus

* sublimabat.

RELIGIONEM Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate ac veneratione coluit. Ac propter hoc plurimæ pulchritudinis Basilicam Aquisgrani extruxit, auróque & argento & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis adornauit. Ad cuius structuram cùm columnas & marmora aliundè habere non posset, à Roma & Rauenna deuehenda curauit.

CAROLVS MAGNVS.

A Ecclesiam manè & vespere, item nocturnis horis & sacrificij tempore, quoad eum valetudo permiserat, impigrè frequentabat. Curabátque magnopere, vt omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate: Æditu os creberrimè commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro & argento, vestimentorúmque sacerdotalium tantam in ea cópiam procurauit, vt in sacrificiis celebrandis ne ianitoribus quidem, qui vltimi Ecclesiastici Ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendauit. Erat enim vtriusque admodum eruditus: quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi summissim & in commune cantaret. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemósynam vocant, deuotissimus, vt qui non in patria sua solùm & in suo Regno eam facere curauerit, verùm trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam, Ierosolymis, Alexandriæ atque Carthagini, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maximè transmarinorum Regum amicitias expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat præ ceteris sacris & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli, in cuius donaria magna vis pecuniæ tàm in auro quàm in argento, nec non & gemmis ab illo congesta est: multa & innu-
B mera Pontificibus munera missa. Nec ille toto Regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma sua opera suóque labore veteri polleret auctoritate: & Ecclesia sancti Petri non solùm per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum quibus regnauerat spacium, quater tantùm illò votorum soluendorum ac supplicandi causa profectus est. Vltimi aduentus sui non solùm hæ fuerunt causæ, verùm etiam quòd Romani Leonem Papam multis affectum iniuriis, erutis videlicet oculis, linguáque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcircò Romam veniens, propter reparandum qui nimis conturbatus erat Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit. Quo tempore & Imperatoris & Augusti nomen accepit: quod primò in tantum auersatus est, vt affirmaret se eo die, quamuis præcipua festiuitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Constantinopolitanis tamen Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum inuidiam * magnanimitate, qua eis proculdubiò longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epistolis fratres eos appellando. * contumaciam

POST susceptum Imperiale nomen, cùm aduerteret multa Legibus populi
C sui deesse (nam Franci duas habent Leges, plurimis in locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quòd pauca capitula & ea imperfecta Legibus addidit. Omnium tamen Nationum, quæ sub eius dominatu erant, iura, quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, scripsit, memoriæque mandauit. Inchoauit & Grammaticam patrij sermonis. Mensibus etiam iuxta patriam linguam nomina imposuit: cùm ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus insigniuit, cùm priùs non ampliùs quàm vix quatuor ventorum vocabula possent inueniri. Et de mensibus quidem Ianuarium *VVintermanoht*, Februarium *Hormunc* *, Martium *Lenzinmanoht*, Aprilem *Ostermanoht*, Maium *VVinnemanoht*, Iunium *Prahmanoht* *, Iulium *Heuuimanoht* *, Augustum *Aranmanoht*, Septembrem *VVintumanoht*, Octobrem *VVindummemanoht*, Nouembrem *Herbistmanoht*, Decembrem *Helmanoht* * appellauit. Ventis verò hoc modo nomina imposuit, vt Subsolanum vocaret *Ostroniuuint* *, Eurum *Ostsundroni*, Euroaustrum *Sundostroni*, Austrum *Sundroni*, Austroafricum *Sunduuestroni*, Africum *VVestsundroni*, Zephyrum *VVestroni*, Corum *VVestnordroni*, Circium *Norduuestroni*, Septentrionem *Nordroni*, Aquilonem *Nordostroni*, Vulturnum *Ostnordroni*.

* Orminbg
* Brachmanoht
* Vainmanoht
* Helagmanoht
* Ostroniuuint

EXTREMO vitæ tempore cùm iam & morbo & senectute premeretur, euo-

CAROLVS MAGNVS. catum ad se LVDOVVICVM filium Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum A Hildegardis supererat, congregatis solemniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius Regni, & Imperialis nominis heredem constituit: impositóque capiti eius diademate, Imperatorem & Augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum fauore: nam diuinitus ei propter Regni vtilitatem videbatur inspiratum. Auxitque maiestatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito quanquam senectute confectus, non longè à Regia Aquensi venatum proficiscitur. Exactóque in huiusce modi negocio quod reliquum erat Autumni, circa Cal. Nouembres Aquasgrani reuertitur. Cúmque ibi hyemaret, mense Ianuario febre valida correptus, decubuit. Qui statim, vt in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentiâ morbum posse depelli, vel certè mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleuresim vocant, illóque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVII. v. Cal. Febr. hora diei tertia.

* planctu Corpus more solenni lotum & curatum, & maximo totius populi luctu* Ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primò vbi reponi deberet, eo quòd ipse viuus de hoc nihil præcepisset. Tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestiùs tumulari posse, quàm in ea Basilica, quam ipse propter amorem DEI Domini nostri IESV CHRISTI, & ob honorem sanctæ & æternæ B Virginis genitricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem qua defunctus die, arcúsque super tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus, & titulus ille hoc modo descriptus est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI, MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER REXIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO AB INCARNATIONE DOMINI DCCCXIV. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRVARIAS.

APPROPINQVANTIS finis complura fuere præsagia, vt non solùm alij, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos vitæque termino proximos annos & Solis & Lunæ creberrima defectio, ac in Sole macula quædam atri coloris septem dierum spacio visa. Porticus, quam inter Basilicam & Regiam operosa mole construxerat, die Ascensionis Domini subita ruina vsque ad fundamenta conlapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore, & opere mirabili è ligno ita construxit, vt perenniter durare posse videretur, ita tribus horis fortuitu incendio conflagrauit, vt præter quod aqua tegebatur, ne vna quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cùm C vltimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum Regem Danorum ageret, quadam die cùm ante exortum Solis castra egressus iter agere cœpisset, vidit repentè delapsam cœlitus cum ingenti lumine facem à dextra in sinistram per serenum aëra transcurrere. Cunctisque hoc signum quid portenderet admirantibus, subitò equus cui insidebat capite deorsum merso decidit, eúmque tàm grauiter ad terram elisit, vt fibula sagi rupta, balteóque gladij dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo leuaretur. Iaculum etiam, quod tunc fortè manu tenebat, ita elapsum est, vt viginti vel eo ampliùs pedum spacio procul iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis Palatij tremor, & in domibus vbi conuersabatur assiduus laqueariorum crepitus. Tacta etiam de cœlo in qua postea sepultus est Basilica, malúmque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum, & supra domum Pontificis quæ Basilicæ contigua erat proiectum est. Erat in eadem Basilica in margine coronæ, quæ inter superiores & inferiores arcus interiorem Ædis partem ambiebat, epigramma synopide scriptum; continens quis auctor esset eiusdem templi, cuius in extremo versu legebatur KAROLVS Princeps. Notatum est à quibusdam, eodem quo decessit anno paucis ante mortem mensibus, eas quæ Princeps exprimebant literas ita esse deletas, vt penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dis-

A ſimulauit aut ſpreuit, ac ſi nihil horum ad res ſuas quolibet modo pertineret. Teſtamenta facere inſtituit, quibus filias, & ex concubinis liberos ex aliqua parte ſibi heredes faceret: ſed tardè inchoata perfici non poterant. Diuiſionem tamen theſaurorum, & pecuniæ, ac veſtium, aliæque ſupellectilis coram amicis & miniſtris ſuis, annis tribus antequam decederet fecit: conteſtatus eos, vt poſt obitum ſuum à ſe facta diſtributio per illorum ſuffragium rata permaneret. Quidque ex iis quæ diuiſerat fieri vellet, breuiatio comprehendit, cuius ratio ac textus talis eſt. CAROLV MAGNVS.

IN nomine Domini Dei omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Incipit deſcriptio atque diuiſio quæ facta eſt à glorioſiſſimo atque piiſſimo domno KAROLO Imperatore Auguſto, anno ab Incarnatione Domini noſtri IESV CHRISTI DCCCXI. anni verò Regni eius in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. Imperij autem XI. Indictione IV. quam pia & prudenti conſideratione facere decreuit, & Domino annuente perfecit, de theſauris ſuis, atque pecunia, quæ in illa die in camera eius inuenta eſt. In qua illud præcipuè præcauere voluit, vt non ſolùm eleemoſynarum largitio, quæ ſolemniter apud Chriſtianos de poſſeſſionibus eorum agitur, pro ſe quoque de ſua pecunia ordine atque ratione perficeretur: ſed etiam vt heredes ſui omni ambiguitate remota, quid ad ſe pertinere deberet liquidò cognoſcerent, & ſine lite atque contentione ſua inter ſe competenti partitione diuidere poſſent. Hac igitur intentione atque propoſito omnem ſupellectilem atque ſubſtantiam ſuam tàm in auro quàm in argento, gemmiſque & ornatu Regio, quæ vt dictum eſt illa die in camera eius inueniri poterat, primò quidem trina diuiſione partitus eſt. Deinde eaſdem partes ſubdiuidendo, de duabus partibus XX. & vnam partes fecit, & tertiam integram reſeruauit. Et duarum quidem partium in XX. & vnam partes facta diuiſio tali ratione conſiſtit, vt quia in Regno illius Metropolitanæ ciuitates XX. & vna eſſe noſcuntur, vnaquæque illarum partium ad vnamquamque Metropolim per manus heredum & amicorum ſuorum eleemoſynæ nomine perueniat, & Archiepiſcopus qui tunc illius Eccleſiæ rector extiterit, partem quæ ad ſuam Eccleſiam data eſt ſuſcipiens, cum ſuis Suffraganeis partiatur: eo ſcilicet modo, vt pars tertia ſuæ Eccleſiæ ſit, duæ verò partes inter Suffraganeos diuidantur. Harum diuiſionum, quæ ex duabus primis partibus factæ ſunt, & iuxta Metropoliticarum ciuitatum numerum XX. & vna eſſe noſcuntur, vnaquæque ab altera ſequeſtrata, ſemotim in ſuo repoſitorio cum ſuperſcriptione ciuitatis ad quam perferenda eſt, recondita iacet. Nomina verò Metropoliticarum ciuitatum, ad quas eadem eleemoſyna vel largitio data eſt, hæc ſunt. Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulij, Gradus, Colonia, Maguntiacum, Iuuauum quæ & Saltzburg, Treueris, Senones, Ve-

C ſontium, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Vnius autem partis, quam integram reſeruari voluit, talis eſt ratio, vt illis duabus in ſupradictas diuiſiones diſtributis & ſub ſigillo reconditis, hæc tertia in vſu quotidiano verſaretur, velut res quam nulla voti obligatione à dominio poſſidentis alienatam eſſe conſtaret: & hoc tàm diu, quoad vſque vel ipſe ſuperſtes eſſet, vel vſum eius ſibi neceſſarium iudicaret. Poſt obitum verò ſuum, aut voluntariam ſecularium rerum abdicationem, eadem pars quatuor ſubdiuiſionibus ſecaretur. Et vna quidem earum ſuprà dicti XX. & vni partibus adderetur. Altera à filiis ac filiabus, nepotibúſque ac neptibus ſuis aſſumpta, iuſta ac rationabili inter eos partitione diuideretur. Tertia verò conſueto Chriſtianitatis more, in vſum pauperum erogaretur. Quarta ſimili modo nomine eleemoſynæ in ſeruorum & ancillarum vſibus Palatij famulantium ſuſtentationem diſtributa veniret. Ad hanc tertiam totius ſummæ portionem, quæ ſimiliter vt ceteræ ex auro & argento conſtat, adiungi voluit omnia ex ære & ferro, aliiſque metallis, vaſa atque vtenſilia, cum armis & veſtibus, aliáque precioſo aut vili ad varios vſus facto ſupellectili, vt ſunt cortinæ, ſtragula, tapetia, fulcra, coria, ſagmata, & quicquid in camera atque veſtiario eius eo die fuiſſet inuentum, vt ex hoc maiores illius partis diuiſiones fierent, & erogatio eleemoſynæ ad plures peruenire potuiſſet. Capella, id eſt Eccleſiaſticum miniſterium, tàm id quod ipſe fecit atque congregauit, quàm quod ad eum ex paterna hereditate peruenit*, vt integrum eſſet, neque vlla diuiſione ſcinderetur, *l. ei ex hered. pat. prouenit

CAROLVS MAGNVS. ordinauit. Si qua autem inuenirentur aut vasa aut libri, aut alia ornamenta, A quæ liquidò constaret eidem Capellę ab eo collata non fuisse, hęc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis precio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in Bibliotheca sua copiam congregauit, statuit vt ab iis qui eos habere vellent, iusto precio fuissent redempti, preciúmque in pauperes erogatum. Inter ceteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas, & auream vnam præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat. De quibus statuit atque decreuit, vt vna ex iis, quæ formâ quadrangula descriptionem vrbis Constantinopolitanæ continet, inter cetera donaria, quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad Basilicam beati Petri Apostoli deferatur: & altera, quæ formâ rotunda, Romanæ vrbis effigie insignita est, Episcopo Rauennatis Ecclesiæ conferatur. Tertiam, quæ ceteris & operis pulchritudine & ponderis grauitate multum excellit, quę ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur: & auream illam, quę quarta esse dicta est, in tertię illius, & inter heredes suos atque in eleemosynam diuidendę partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram Episcopis, Abbatibus, Comitibúsque, qui tunc pręsentes esse potuerunt, quorúmque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi, Hildebaldus, Riculfus*, Arnulfus, VVlfarius, Bernuinus, Laiddradus, Ioannes, Theodulfus, Iesse, Hetto*, VValdgaudus. Abbates, Fridugisus, Adalungus, Engilbertus, Hirmino. Comites, VValach, Meginherius, Odulfus*, Stephanus, Vnrochus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Richuuinus, Eddo, Erchengarius, Geraldus*, Bero, Hildigarius, Riculfus. B

* Richulfus, * Hatto, seu Heito. * Oaulfus, seu Orhulfus. * Geroldus.

Hęc omnia filius eius HLVDOVVICVS, qui diuina ei iussione successit, inspecto eodem Breuiario, quàm celerrimè poterat, post eius obitum summa deuotione adimplere curauit.

EXPLICIT.

In vno Bibl. Thuana Codice adduntur sequentia, quæ tamen Eginardi non sunt. Sed ex iis liquet Alchuuinum etiam Karoli M. Vitam seu soluta seu stricta oratione composuisse, quæ tamen adhuc incognita latet, vel seculorum iniuriâ deperiit.

Reliqua Actuum eius gesta, seu & quę in carminibus vulgo canuntur de eo, non hic plenitet descripta. sed require in vita, quam ALCHVVINVS de eo scribit.

Subiiciuntur & sequentes Versus in Codice Monasterij Moissiacensis, qui anno MCXXVII. *descriptus est.*

Hos tibi Versiculos ad laudem, maxime Princeps,
Edidit, ęternam memoriámque tuam,
Geruuardus supplex famulus, qui mente benigna
Egregium extollit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens Gestam noris tu scribere, Lector, C
EINARDVM Magni magnificum CAROLI.

DE GESTIS CAROLI MAGNI REGIS FRANC. ET IMP. LIBRI DVO,

AD CAROLVM CRASSVM IMP. EIVSDEM CAROLI PRONEPOTEM.

Scripti à quodam Cœnobij sancti Galli Monacho, ex relationibus Adalberti militis, qui Hunico Saxonicóque & Slauico Caroli bello
B interfuit, eiúsque filij VVerinberti Sacerdotis.

Henricus Canisius hos Libros primus edidit annò M. DCI. *ex Codice Bibliotheca Bauarica. Nunc verò iidem cum alio Cœnoby Mosßiacensis Cod. diligenter collati sunt, cuius Exemplar Vir Cl. Innocentius Ciron Canonicus & Cancellarius Ecclesia ac Vniuersitatis Tolosana Lutetiam transmisit, & ex illius fide plerisque in locis emendati. Sequens porro indicium de ipsorum Librorum Auctore, (quem fuisse Notkerum Balbulum S. Galli Monachum, Goldastus postea nescio quibus argumentis ductus prodidit) & de tempore quo scripti fuerunt, est eiusdem Canisij.*

Ex augustissima illa Monacensi Bibliotheca Serenissimi Principis Bauariæ habui Codicem MS. in quo *Libri quatuor Gestorum Caroli Magni*, nullius Auctoris nomine apposito. Primus purus putus Eginhardus est. Secundus, Annales, (nec tamen integri) qui cùm aliàs editi, tum à Iusto Reubero, sub titulo cuiusdam Astronomi Ludouici Regis domestici. Reliqui duo postremi, quod mihi constet, lucem adhuc non aspexêre, neque satis constituo an ea digni: etsi in eam partem inclino, & mecum nobilis & amplissimus VVelserus, vt existimemus. Auctor antiquus certè est, Monachus Sancti Galli, vti quibusdam locis ipse ostendit, Lib. I. Cap. XXXII. & XXXVI. Scripsit ipsius Caroli iussu ad Carolum Crassum Imp. filium Ludouici Regis Germaniæ, nepotem Ludouici Pij, pronepotem Caroli Magni: quod ex Lib. I. Cap. XX. XXXII. Lib. II. Cap. XIV. XV. XXV. XXVI. XXVIII. colligo. Eodémque XV. Cap. Abbatis olim Hartmuti meminit, tunc temporis inclusi. Stumfius Lib. V. Cap. V. Hartmutum anno 882. siue 883. siue sequenti resignasse scribit. Stilus licèt humilis & abiectus, & Historia ipsa nonnunquam fabulis aspersa sit, tamen ea insunt, quæ memoriam omnis posteritatis merentur. Pithoeus quidem dignum censuit, ex quo fragmentum Legibus Karolinis inter omissa sub finem assueret: idémque illustrissimus Baronius & doctissimus Iacobus Gretserus Tom. I. Lib. II. de Cruce Cap. III. citaret. Lib. I. Cap. VIII. Auctor S. Gallum vocat Dominum suum. Cap. XI. & XXXVI. se Teutonicum esse ostendit. Et Lib. II. Cap. XXVI. promittit se plura de Carolo M. scripturum: quod an præstiterit, nobis incompertum est. Lib. II. Cap. XXVI. testatur se iam senio grauem & edentulum hos Libros scripsisse.

PRÆFATIO LIBRI I. DEEST.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

De Religiositate & Ecclesiastica domni Caroli cura.



OMNIPOTENS Regum* dispositor, ordinatórque Regnorum & temporum, cùm illius admirandæ statuæ pedes ferreos vel testaceos comminuisset in Romanis: alterius non minùs admirabilis statuæ caput aureum per illustrem CAROLVM erexit in Francis. Qui cùm in Occiduis mundi partibus solus regnare cœpisset, & studia literarum vbique propemodum essent in obliuione; contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire, viros & in secularibus & in sacris Scripturis incomparabiliter eru- CAP. I. * rerum

CAROLVS MAGNVS. ditos. Qui cotidie cùm nihil ostenderent venale, ad conuenientes emendi gratiâ A
turbas clamare solebant: *Si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos, & accipiat eam. non*
venalis est apud nos. Quam tamen idcirco venalem se habere professi sunt, quia po-
pulum non gratuita, sed venalia mercari viderunt: vt sic vel sapientiæ, sicut ceteris
rebus coemendis, eos incitarent; vel (sicut sequentia comprobant) per tale præ-
conium in admirationem verterēt & stuporem. Denique tamdiu conclamata sunt
ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus, ad Caroli Regis semper
amatoris & cupidissimi sapientiæ perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam
eos præsentiam euocatos interrogauit, si verè, vt ipsa famâ comperit, sapientiam
secum haberent. Qui dixerunt, *Et habemus eam, & in nomine Domini dignè quærenti-*
bus dare parati sumus. Qui cùm inquisisset ab illis quid pro ipsa peterent, responde-
runt: *Loca tantùm opportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus ista peregrinatio transigi*
non potest, alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto, ingenti gaudio repletus,
primùm quidem apud se vtrumque paruo tempore renuit. Postea verò cùm ad ex-
peditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine CLEMENTEM in Gallia re-
* fecit sidere præcepit *, cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos satis multos
commendauit, & eis prout necessarium habuerunt, victualia ministrari præcepit,
* meditandum habitaculis oportunis ad habitandum * deputatis. Alterum verò in Italiam dire-
xit, cui & Monasterium Sancti Augustini iuxta Ticinensem vrbem delegauit, vt
qui illuc ad eum voluissent, ad discendum congregari potuissent.

II. AVDITO autem ALBINVS de natione Anglorum, quòd * gratanter sapien- B
* quàm tes viros religiosissimus Regum CAROLVS susciperet, conscensa naui venit ad
* omnibus Scripturis eum. Qui erat in omni * latitudine Scripturarum suprà ceteros modernorum
temporum exercitatus, vtpotè discipulus doctissimi Bedæ, peritissimi post San-
ctum Gregorium tractatoris. Quem vsque ad finem vitæ iugiter secum retinuit,
nisi quando ad ingruentia bella processit: adeò vt se discipulum eius, & ipsum
Magistrum suum appellari voluisset. Dedit autem illi Abbatiam Sancti Martini
iuxta Turonicam ciuitatem, vt quando ipse absens esset, illic requiescere, & ad
se confluentes docere deberet. Cuius in tantum doctrina fructificauit, vt moder-
ni Galli siue Franci antiquis Romanis vel Atheniensibus æquarentur.

III. CVMQVE victoriosissimus CAROLVS post longum tempus in Galliam re-
uerteretur, præcepit ad se venire pueros quos Clementi commendauerat, & of-
ferre sibi epistolas & carmina sua. Mediocres igitur & infimi præter spem omnibus
Sapientiæ condimentis dulcoratas obtulerunt: nobiles verò omni fatuitate te-
pentes præsentarunt. Tunc sapientissimus Carolus, æterni Iudicis iustitiam imi-
tatus, benè operatos ad dextram segregatos his verbis allocutus est: *Multas gra-*
tias habete filij, quia iussionem meam & vtilitatem vestram iuxta possibilitatem exequi
fuistis intenti. Nunc ergo ad perfectum attingere studete, & dabo vobis Episcopia & Mo-
nasteria permagnifica, & semper honorabiles eritis in oculis meis. Deinde ad sinistros C
* flāmante cum magna animaduersione vultum contorquens, & flammato * intuitu con-
scientias eorum concutiens, ironicè hæc terribilia verba intonando potiùs quàm
loquendo iaculatus est in illos: *Vos nobiles, vos primorum filij, vos delicati & formo-*
suli, in natales vestros & possessiones confisi, mandatum meum & glorificationem vestram
postponentes, literarum studiis neglectis, luxuriæ, ludo, & inertiæ, vel inanibus exercitiis
* solito sibi iuramēto, *indulsistis.* Et his præmissis, solitum * sibi iuramentum, Augustum caput & inui-
ctam dexteram ad cœlum conuertens, fulminauit: *Per Regem cælorum, non ego ma-*
gnipendo nobilitatem & pulchritudinem vestram, licèt alij vos admirentur. Et hoc procul-
dubiò scitote, quia nisi citò priorem negligentiam vigilanti studio recuperaueritis, apud
Carolum nihil vnquam boni acquiretis.

IV. DE pauperibus ergo supradictis quendam optimum dictatorem & scriptorem
in Capellam suam assumpsit, quo nomine Francorum Reges propter Cappam
Sancti Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem iugiter
ad bella portabant, Sancta sua appellare solebant. Qui puer, cùm prudentissimo
CAROLO quidam Episcopus defunctus nunciaretur, & ille interrogaret vtrum
de rebus vel laboribus suis ante se præmitteret aliqua; Legatúsque responderet,
Domine, non ampliùs quàm duas libras de argento: suspirans ergo puer ille, & va-
porem mentis intra pectus continere non valens, audiente Rege, in hanc vocem
* prorupit, inuitus erupit *, dicens: *Paruum viaticum ad iter longum & diuturnum.* Cúmque
modera-

CAROLVS MAGNVS.

A moderatiſſimus hominum Carolus parum deliberaſſet, dixit ad eum: *Putáſne quia ſi Epiſcopatum illum tu acceperis, plura ad longum illud iter dirigere curabis?* Ille confeſtim hæc pendentia verba, quaſi præmaturas vuas in os hiantis decidentes, deuorans, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: *Domine, hoc in Dei nutu & poteſtate veſtra ſitum eſt.* Et dixit Rex: *Sta poſt cortinam, quæ pendet ad dorſum meum, & auſculta quantos adiutores honoris iſtius habeas.* Audientes itaque Palatini receſſum Epiſcopi, ſemper caſibus aut certè moribus aliorum inſidiantes, per familiares Imperatori perſonas vnuſquiſque moratum impatiens, & alter alteri* inuidentes, ſibimet acquirere ſatagebant. Sed ille in conſilij ſui immutabilitate* perſiſtens denegauit omnibus, dicens ſe iuuenculo illi nolle mentiri. Tandem HILDIGARDA Regina miſit Proceres Regni primùm, poſtea verò per ſeipſam acceſſit ad Regem, vt impetraret Epiſcopium illud Clerico ſuo. Cúmque ille petitionem eius iocundiſſimè ſuſciperet, dicens nihil ei velle aut poſſe denegare, niſi quòd Clericum illum fallere dedignaretur, vt eſt omnium conſuetudo feminarum, vt conſilium ſuum & vorum virorum decretis præponderare velint, diſſimulata iracundiâ mente concepta, groſſa voce in exilem conuerſa, geſtibúſque languidulis inconuulſos Imperatoris animos emollire temptara, dixit ad eum: *Domine mi Rex, quid puero illi Epiſcopatum ad perdendum? ſed obſecro Domine dulciſſime, gloria mea, & refugium meum, vt detis illum fideli famulo veſtro, Clerico meo.* Tunc adoleſcens ille, quem poſt cortinam, iuxta quam Rex conſederat, ſtare præcepit, vt audiret quomodo ſinguli ſupplicarent, cum ipſa cortina eum circumplexus, in hos queſtus erupit: *Domine Rex, tene fortitudinem tuam, ne poteſtatem à Deo tibi collatam de manibus tuis quiſquam extorqueat.* Tunc vocauit eum in palam fortiſsimus veritatis amator, & dixit ei: *Habeas Epiſcopium illum* & prouide diligenter; vt maiores expenſas & viaticum ad longum iter illud & irreuocabile ante me præmittas & te.*

B

* alterutri

* immobilitate

* illud Epiſcopium

V.

ERAT quidam Clericus in comitatu Regis vilis & abiectus, & ſcientiâ literarum non ſatis inſtructus, quem piiſsimus CAROLVS paupertati eius compaſſus, licèt omnes eum odio haberent, & expellere niterentur, nunquam tamen perſuaderi poterat, vt ipſe illum abiiceret, vel à conſpectu ſuo remoueret. Accidit autem vt in vigilia ſancti Martini quidam Epiſcopus Imperatori nunciaretur defunctus, qui vocauit ad ſe vnum de Clericis ſuis nobilitate & doctrinâ non mediocriter præditum, & dedit illi Epiſcopatum ipſum. Qui lætitiâ reſolutus, conuocauit ad manſionem ſuam multos de Palatinis, plurimos etiam de parrochia illa: & venientes ad ſe cum grandi faſtu ſuſcepit, & cunctis permagnificum fecit parari conuiuium. Dapibus igitur prægrauatus, mero ingurgitatus, vinóque ſepultus, nocte illa ſanctiſsima ad nocturnas Vigilias venire neglexit. Fuit autem C conſuetudo vt Magiſter Scolę deſignaret pridie ſingulis quod Reſponſorium cantare deberent in nocte. Huic autem, qui Epiſcopatum iam quaſi in manu tenebat, Reſponſorium: *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius*, erat iniunctum. Cùm ergo defuiſſet ille, & poſt Lectionem diuturnum ſilentium tranſiret, & ad ſubleuandum Reſponſorium ſe alterutrum cohortarentur, & alius atque alius ſe ſuum Reſponſorium debere cantare diceret, *Tandem aliquando*, dixit Imperator, *cantet aliquis.* Tunc abiectus ille numine diuino confortatus, & tali auctoritate roboratus, Reſponſorium impoſuit. Mox clementiſsimus Rex non putans quia totum canere noſſet, iuſsit eum adiuuare. Cúmque alij cantarent, & miſerabilis ille à nullo Verſum perdiſcere potuiſſet, cantato Reſponſorio cœpit Orationem Dominicam modulantiſsimè pſallere. Omnibus autem illum impedire volentibus, probare volens ſapientiſsimus Carolus, ad quem finem ille perueniret, prohibuit ne quis ei moleſtus eſſet. Quò Verſum in hæc verba concludente, *Adueniat Regnum tuum*, ceteri vellent nollent reſpondere coacti ſunt, *Fiat voluntas tua.* Finitis audem Laudibus matutinis, cùm Rex ad Palatium, vel caminatam dormitoriam, calefaciendi & ornandi ſe gratiâ tantæ* feſtiuitatis honore, rediret, præcepit ad ſe vocari veterem illum famulum, ſed nouum cantatorem, & ait illi: *Quis te iuſſit Reſponſorium illud cantare?* Pauefactus ille reſpondit: *Domine, vos præcepiſtis, Cantet aliquis.* Et dixit Rex, quod nomen imperij veteribus in vſu fuit, *Benè.* atque addidit: *Quis demonſtrauit tibi Verſum illum?* Tunc ille verba, quibus eo tempore ſuperiores ab inferioribus honorari, demulcerique, vel adulari ſole-

* propter inſtantem feſtiuitatis honorem

CAROLVS MAGNVS. bant, instinctu Dei, vt creditur, animatus, hoc modo librauit: *Laete vir, Domine, Laetifice Rex, cùm à nullo Versum alium inquirere potuissem, cogitaui in mente mea, si aliquem incongruum arripuissem, offensam vestrae damnationis incurrerem: idcirco eum cantare disposui, cuius finis iuxta consuetudinem penultimi Responsorij conueniret.* Tunc moderatissimus Imperator sensim arridens illi, pronunciauit coram Principibus suis: *Superbus ille, qui nec Deum, nec praecipuum illius amicum timuit vel honorauit, vt se vel ad vnam noctem à luxuria refraenaret, quatenus Responsorium, quod, sicut audio, cantare debuit, saltem incipere occurrisset, diuino & meo iudicio careat Episcopatu: & tu illum Deo donante, & me concedente, iuxta Canonicam & Apostolicam auctoritatem regere curato.* A

VI. DEFVNCTO quoque alio Pontifice, quendam iuuenem in loco eius substituit Imperator. Qui cùm laetus ad abeundum exiret, & ministri eius iuxta grauitatem Episcopalem caballum ei ad ascensionem gradus adducerent, indignatus ille quòd quasi pro infirmo eum habere voluissent, de plana terra ita super eum ascendit, vt vix se retineret in eo, quin in vlteriorem partem decideret. Quod per cancellos Palatij Rex prospiciens, citò illum ad se vocari praecepit, & sic eum adlocutus est: *Bone vir, celer es & agilis, pernix & praepes. Vtique ipse tu nosti, multis bellorum turbinibus vndique serenitatem Imperij nostri turbari: idcirco opus habeo tali Clerico in comitatu meo. Esto igitur interim socius laborum nostrorum, dum tam celeriter ascendere potes caballum tuum.*

VII. QVOD de ordinatione Lectionum oblitus sum dicere, cùm de Responsoriorum dispositione narrarem, hîc paucis liceat absoluere. Nullus in Basilica doctissimi CAROLI Lectiones cuiquam recitandas iniunxit, nullus ad terminum vel certam imposuit, vel saltem vnguinibus quantulumcumque signum impressit: sed cuncti omnia quae legenda erant ita sibi nota facere curauerunt, vt quando inopinatò legere iuberentur, irreprehensibiles apud eum inuenirentur *. Digito autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstrauit quem legere oporteret vel voluisset. Finem verò Lectionis sono gutturis designauit, ad quem vniuersi ita intentè suspensi sunt, vt siue finita sententiâ, seu in media distinctione, siue sub distinctione significaret, nullus sequens superius aut inferius inciperet, quantumcumque incongruum initium vel finis videretur. Et hoc modo factum est, vt etiamsi non intelligerent omnes, in eius Palatio Lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, nisi legere sciens & cantare, chorum eius ausus est introire. B

* haberentur.

VIII. CVM autem itinerando venisset CAROLVS ad quandam grandem Basilicam, & quidam Clericus de circumcellionibus ignarus disciplinae Caroli in chorum vltrò intraret, & nihil omninò de talibus vmquam didicisset, in medio cantantium mutus & amens extitit. Ad quem Paraphonista, leuato peniculo, ictum ei nisi cantaret minabatur. Tunc ille nesciens quid ageret, quóve se vertere posset, foras exire non ausus, ceruicem in modum circuli contorquens, & dissolutis maxillis * hians, cantandi qualitatem iuxta possibilitatem imitari conabatur. Ceteris verò risum continere * non valentibus, fortissimus Imperator, qui ne ad magnas quidem res à statu mentis suae moueretur, quasi gestum coactionis * illius non aduerteret, ordinatissimè praestolabatur finem Missae. Postea verò vocato ad se misero illo, miseratúsque labores & angustias illius, hoc modo consolatus est eum: *Multas gratias habeo, bone Clerice, pro cantu & laboribus tuis.* Et ad subleuandam eius paupertatem, iussit ei dari vnam libram argenti. Ne verò obliuisci vel negligere videar, hoc verè de industria & meritis eius agnoui, quia de discipulis eius nullus remansit, qui non vel Abbas scientissimus, vel Antistes extiterit clarissimus. Apud quem & Dominus meus GALLVS * primò in Gallia, post verò in Italia liberalibus est disciplinis imbutus. Sed ne à scientibus rerum illarum arguar mendacij, qui nullum exceperim, fuerunt in eius Schola duo molinariorum filij, de familia S. Columbani, quos quia non congruit ad Episcoporum vel Coenobiorum regimen subleuari, tamen per merita vt creditur Magistri sui Praeposituram Bobiensis Monasterij vnus post vnum strenuissimè gubernauerunt. C

* malis
* tenere
* cantationis
* nomen hoc nō est in Cod. Moissiac.

GLORIOSISSIMVS itaque CAROLVS per totum Regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum praecedentium non peruenire condolens, & plus quàm mortale laborans, in hanc taediatus vocem

A erupit : *O vtinam haberem* XII. *Clericos ita doctos , omniqne sapientiâ sic perfectè* CAROLVS
instructos , vt fuerunt Hieronymus & Augustinus. Ad quod doctissimus ALBI- MAGNVS.
NVS ex ipsorum comparatione meritò se indoctissimum iudicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilissimi Caroli audere præsumeret, maxima indignatione concepta, sed parumper ostensa, respondit : *Creator cæli & terra similes illis plures non habuit , & tu vis habere duodecim?*

REFERENDVM hoc in loco videtur, quod tamen à nostri temporis hominibus difficilè credatur, cùm & ego ipse qui scribo propter nimiam dissimilitudinem nostræ & Romanorum cantilenæ non satis adhuc credam, nisi quia Patrum veritati plus credendum est, quàm modernæ ignauiæ falsitati. Igitur indefessus diuinæ seruitutis amator CAROLVS voti sui compotem, quantum fieri potuit, in litterarum scientiâ effectum se gratulans, sed adhuc omnes Prouincias, imò regiones vel ciuitates in laudibus diuinis, hoc est in cantilenæ modulationibus ab inuicem dissonare perdolens, à beatæ memoriæ Stephano Papa, qui deposito & decaluato ignauissimo Francorum Rege CHILDERICO, se ad Regni gubernacula antiquorum Patrum more perunxit, aliquos Carminum diuinorum peritissimos Clericos impetrare curauit. Qui bonæ illius voluntati & studiis diuinitus inspiratis assensum præbens, secundum numerum XII. Apostolorum de Sede Apostolica XII. Clericos doctissimos cantilenæ ad eum in Franciam direxit, (Franciam verò interdum cùm nomino, omnes Cisalpinas X.
B Prouincias significo) quia sic scriptum est : *In die illa apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi.* Zachar. 8.

IN illo tempore propter excellentiam gloriosissimi CAROLI, Galli & Aquitani, Edui & Hispani, Alamanni & Baioarij, non parum insignitos se gloriabantur, si vel nomine Francorum seruorum censeri mererentur. Cùm ergo supradicti Româ digrederentur, vt suprà semper omnes Græci & Romani inuidiâ Francorum gloriæ carpebantur, consiliati sunt inter se quomodo ita cantum variare potuissent, vt numquam vnitas & consonantia eius in Regno & Prouincia non sua lætarentur. Venientes autem ad Carolum honorificè suscepti, & ad præminentissima loca sunt dispersi, & singuli in locis singulis diuersissimè, & quàm corruptissimè poterant excogitare, & ipsi canere, & sic alios docere laborabant. Cùm verò ingeniosissimus Carolus quodam anno festiuitates Natiuitatis & Apparitionis Domini apud Treuirense vel Metense oppidum celebrasset, & vigilantissimè, imò acutissimè vim carminum deprehendisset, vel potiùs penetrasset, sequenti verò anno easdem festiuitates Parisiis vel Turonis ageret, & nihil illius soni audisset, quem priori anno in supradictis locis expertus fuerat : sed & illos, quos ad alia loca direxerat, cùm tempore præcedenti ab inuicem discordare comperisset, XI.
C sanctæ recordationis Leoni Papæ successori Stephani rem detulit, qui vocatos Romam vel exilio vel perpetuis damnauit ergastulis. Et dixit illustri Carolo, *Si alios tibi præstitero, simili vt anteriores inuidentiâ cæcati non prætermittent illudere tibi : sed hoc modo studiis tuis satisfacere curabo. Da mihi de latere tuo duos ingeniosissimos Clericos, vt non aduertant qui mecum sunt, quòd ad te pertineant : & perfectam scientiam, Deo volente, in hac re, quam postulas, assequentur.* Factúmque est ita. Et ecce post modicum tempus optimè instructos remisit ad Carolum, qui vnum secum retinuit, alterum verò petente filio suo TROGONE Metensi Episcopo ad ipsam direxit Ecclesiam : cuius industriâ non solùm in eodem loco pollêre, sed & per totam Franciam intantum cœpit propagari, vt nunc vsque apud eos, qui in his regionibus Latino sermone vtuntur, Ecclesiastica cantilena dicatur Metensis : apud nos verò qui Teutonica seu Teutisca linguâ loquimur *Mete*, vel secundum Græcam deriuationem vsitato vocabulo Metisca nominetur.

RELIGIOSISSIMVS & temperatissimus CAROLVS hanc consuetudinem habebat, vt in Quadragesimæ diebus octaua horâ diei Missarum celebritate pariter cum Vespertinis laudibus peracta cibum sumeret, nec tamen idcircò ieiunium violaret, cùm secundum Domini præceptum ab hora ad horam comederet. Quod Episcopus quidam contra dictum sapientis viri multùm iustus, & nimiùm stultus, improuidè reprehendit. Sapientissimus autem Carolus indignatione simulata admonitionem eius humiliter suscepit, dicens : *Benè admonuisti, bone vir Episcope. Ego autem tibi præcipio , vt nihil degustes , antequam externi Offi-* XII.

CAROLVS MAGNVS. ciales qui sunt in Curte mea reficiantur. Comedente autem Carolo, ministrabant Duces & Tyranni vel Reges diuersarum Gentium. Post cuius conuiuium, cùm illi comederent, seruiebant eis Comites & Præfecti, vel diuersarum dignitatum Proceres. Ipsis quoque manducandi finem facientibus, militares viri vel scholares Aulæ reficiebantur. Post hos omnimodorum officiorum Magistri, deinde ministri: ita vt vltimi ante noctis medium non manducarent. Cúmque iam propè finita esset Quadragesima, & præfatus Episcopus in tali castigatione permansisset, dixit ad illum clementissimus Carolus: *Vt puto, probasti Episcope, quia non intemperantiæ, sed prouidentiæ gratiâ ante vespertinam horam conuiuor in Quadragesima.* A

XIII. AB alio quoque Episcopo cùm benedictionem peteret, & ille signato pane primùm sibi perciperet, deinde honestissimo CAROLO porrigere voluisset, dixit ei: *Habeas tibi totum panem illum.* Et sic eo confuso, benedictionem illius accipere noluit.

XIIII. PROVIDENTISSIMVS Carolus nulli Comitum, nisi his qui in confinio vel termino barbarorum constituti erant, plus quàm vnum Comitatum aliquando concessit. Nulli Episcoporum Abbatiam vel Ecclesias ad ius Regium pertinentes, nisi ex certissimis causis vmquam permisit. Cúmque à Consiliariis suis siue à familiaribus interrogaretur, cur ita faceret, respondit: *Cum illo fisco vel curte illa in Abbatiola vel Ecclesia, tam bonum, vel meliorem vassalum, quàm ille Comes est vel Episcopus, fidelem mihi acquiro vel facio.* Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit, vt pote VDALRICO fratri magnæ HILDIGARDÆ genitricis Regum B & Imperatorum, de quo cùm post obitum ipsius Hildigardæ pro quodam commisso à Carolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi Caroli proclamauit: *Nunc habet Vdalricus honores perditos in Oriente & Occidente, defuncta sua sorore.* Ad quæ verba illacrimatus ille, pristinos honores statim fecit illi restitui. Ad sancta etiam loca dictante iustitia liberalissimas manus patenter aperuit, vt ex consequentibus apparebit.

XV. ERAT quoddam Episcopium itinerantí CAROLO nimis obuium, vel magis ineuitabile. Episcopus verò loci illius cupiens illi satisfacere, cuncta quæ habere potuit in eius officium profligauit.

XVI. CVM autem quodam tempore insperato veniret Imperator, tum Episcopus ille conturbatus more hirundinis huc illúcque discurrens, & non solùm Basilicas vel domos, sed & curtes, ipsásque plateas verri faciens & purgari, valde lassus & indignatus obuiam illi processit. Quod cùm piissimus aduerteret Carolus, oculos in diuersa iaciens, & singula quæque perlustrans, dixit ad Antistitem: *Semper, hospes optime, benè ad nostrum intraitum omnia facis emundari.* Ille quasi diuinitus conquiniscens*, & inuictam dexteram complexus & deosculans, indignatione quantum potuit occultata respondit: *Iustum est Domine, vt quocumque vos veneritis omnia expurgentur vsque ad fundum.* Tunc sapientissimus Regum, de aliis alia intelligens, dixit ad eum: *Si euacuare noui, & replere didici.* Et adiecit, *Habeas fiscum illum Episcopatui tuo proximum, & omnes successores tui vsque in seculum.* C

* conquiescens.

XVII. IN eadem profectione inopinatò venit ad quendam Episcopum in loco ineuitabili constitutum. Cúmque ipso die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia sexta erat feria: Pontifex ille iuxta facultatem loci illius, cùm repentè pisces inuenire nequisset, optimum illi caseum, & ex pinguedine canum, iussit apponi. Moderatissimus autem CAROLVS vbique & in omnibus institutis, verecundiæ Præsulis parcens, nihil aliud requisiuit: sed assumpto cultello, abominabili, vt sibi videbatur, ærugine proiecta, albore casei vescebatur. Episcopus autem, qui more famulorum propè astabat, propiùs accedens dixit: *Cur ita facis Imperator? nam quod proiicis, illud optimum est.* Tunc ille, qui fallere nesciret, & à nullo se posse falli putasset, iuxta suadelam Episcopi æruginis illius partem in os proiecit, & sensim masticans in modum butyri degluttiuit: & Episcopi consilium probans dixit, *Verum bene hospes dixisti.* Addiditque, *Omnibus annis duas carratas talibus caseis plenas ad Aquasgrani mihi dirigere ne prætermittas.* Ad cuius impossibilitatem rei consternatus Episcopus, quasi in periculo status & ministerij sui constitutus ei suggessit: *Domine, caseos acquirere possum; sed nescio qui eiusmodi*

A *funt, qui verè aliter: & timeo, ne reprehensibilis inueniar apud vos.* Tum Carolus, quem insueta atque incognita nequaquam fugere vel latere potuissent, dixit Episcopo in talibus enutrito, & adhuc earumdem rerum nescio: *Incide omnes per medium, & quos tales perspexeris, acuminato ligno coniunge, & in cubam missos dirige mihi. Alios autem tibi ac Clero aut familiæ tuæ reserua.* Quod cùm per duos annos factum fuisset, & Rex talia munera dissimulanter accipi iuberet, tertio iam anno Episcopus & per seipsum tanto labore & tam longè adducta repræsentare curauit. Tunc æquissimus Carolus curis & laboribus eius compassus, dedit ad eundem Episcopatum optimam curtem, vnde frumentum & vinum ad suas & suorum necessitates ipse & successores eius habere potuissent. CAROLVS MAGNVS.

QVIA retulimus quomodo sapientissimus CAROLVS humiles exaltauerit, referamus etiam qualiter superbos humiliauerit. Fuit quidam Episcopus vanæ gloriæ & inanium rerum valde cupidus. Quod sagacissimus deprehendens Carolus, præcepit cuidam Iudæo mercatori, qui Terram repromissionis sæpiùs adire, & indè ad cismarinas Prouincias multa preciosa & incognita solitus erat afferre, vt eundem Episcopum quolibet modo deciperet, aut illuderet. Qui comprehendens vnum murem domesticum, diuersis aromatibus condiuit, & præfato Episcopo venalem adsportauit, dicens se de Iudæa illud preciosissimum animal, & antea non visum, attulisse. Ille ad rem tantam gaudio repletus, ob- XVIII.
B tulit ei tres libras de argento, vt carissimum illud munus deberet accipere. Tunc dixit Iudæus, *Quam decorum precium pro tam caro munere! priùs hoc in profundum maris proiicio, quàm quilibet hominum tam vili precio illud acquirat.* Ille qui multa haberet, & pauperibus nihil vmquam tribueret, promisit ei decem libras, vt incomparabilem illam rem posset accipere. Tunc astutus homo ille indignatione simulata profatus est*: *Non velit Deus Abraham, vt ita perdam laborem meum, & subuectionem meam.* Tunc auarus ille Episcopus tam carum munus inhians, proposuit ei viginti libras. Iudæus ergo turbidus murem preciosissimo inuoluens serico, cœpit abire. Episcopus verò quasi deceptus, sed verè decipiendus, reuocauit eum, & dedit ei plenum modium de argento, vt preciosissimo illo mure potiri potuisset. Tandem igitur mercator ille multis precibus ambitus vix ægrè concessit, & acceptum argentum Imperatori pertulit, & omnia suprà dicta memorauit*. Post dies autem non multos conuocauit Rex omnes Episcopos & Proceres eiusdem Prouinciæ ad colloquium suum: & post multa necessaria pertractata, præcepit afferri totum illud argentum, & in medio poni Palatio. Tunc sic pronuncians ait: *Vos Patres & prouisores nostri Episcopi, pauperibus, imò Christo in ipsis debuistis ministrare, non inanibus rebus inhiare. Nunc autem in contrarium cuncta vertentes cenodoxiæ vel auaritiæ super omnes mortales intenditis.* Et adiecit, *Vnus ex vobis tantum argenti pro vno mure domestico pigmentis contemperato cuidam dedit Iudæo.* Ille autem, qui tanto flagitio deceptus erat, ad pedes eius corruens veniam pro commisso precabatur: quem ipse
C digna inuectione coercitum, confusum permisit abire.

* dixit: Nolit

* narrauit

IDEM quoque Episcopus, cùm bellicosissimus CAROLVS in bello contra Hunos esset occupatus, ad custodiam gloriosissimæ HILDIGARDÆ relictus est. Qui cùm familiaritate illius animari cœpisset, in tantam progressus est proteruiam, vt virgam auream incomparabilis Caroli, quam ad statum suum fieri iussit, feriatis diebus vice baculi ferendam pro Episcopali ferula improuidus ambiret. Quæ illum callidè deludens, dixit: Non audere se eam cuilibet hominum dare, sed tamen fidam se legationem eius causæ apud Regem fore. Veniente autem eo, suggessit illa ilocaliter quæ amens postulauit Episcopus. Cuius petitioni iocundissimè Rex assensus, promisit se etiam plus facturum quàm ille peteret. Cùm autem cuncta penè Europa ad triumphatorem tantæ gentis Carolum conuenisset, pronunciauit hæc in auribus maiorum & minorum: *Episcopi contemptores huius mundi esse debuerunt; & alios exemplo suo ad appetenda cælestia prouocare. Nunc verò præ ceteris mortalibus tanta ambitione corrupti sunt, vt quidam ex eis, non contentus Episcopatu, quem in prima Germaniæ sede retinet, sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus, pro pastorali baculo nobis ignorantibus sibi vendicare voluisset.* Reus reatum suum recognoscens, indulgentiâ percepta recessit. XIX.

CAROLVS MAGNVS. XX.

A

NIMIVM pertimesco, ô Domine Imperator CAROLE, ne dum iussionem vestram implere cupio, omnium professionum, & maximè summorum Sacerdotum offensionem incurram. Sed tamen de omnibus non grandis mihi cura est, si tantùm vestra defensione non destituar. Præcepit religiosissimus CAROLVS Imperator, vt omnes Episcopi per latissimum Regnum suum, aut ante præfinitum diem, quem iste constituerat, in Ecclesiasticæ Sedis Basilica prædicarent: aut quicumque non facerent, Episcopatus honore carerent. Sed quid dico honore? cùm Apostolus protestetur: [1. Tim 3.] *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Sed verè vobis, serenissime Regum, occultè fateor, quia magnus honor in eo, opus verò bonum nec minimum requiritur in illo. Supradictus igitur Episcopus primò ad tale præceptum conterritus, cùm nihil aliud sciret, nisi deliciis affluere, & superbire: timens autem, ne, si Episcopio careret, luxuriâ sua pariter viduaretur, vocauit duos de primoribus Palatinis ad diem festum, & post Euangelij lectionem ascendit ad gradus, quasi ad colloquendum populum. Cúmque ad tam inopinatam rem omnes admirati concurrerent, excepto vno pauperculo valde rufo, gallicula [* calliculâ] * sua (quia pileum non habuit, & de colore suo nimium erubuit) caput [* capite] * induto: tunc dixit nominatus non reuera Episcopus, ad Ostiarium vel Scarionem suum (cuius dignitatis aut ministerij viri apud antiquos Romanos Æditiorum nomine censebantur:) *Voca ad me illum pileatum hominem, qui stat iuxta ostium Ecclesiæ:* Festinans ille mandatum Domini sui complere, apprehendens miserum, cœpit trahere illum ad Episcopum. Qui timens ne graui [B] mulctaretur vindicta, quia tecto capite in domo Domini stare præsumpserit, totis viribus cœpit reniti, ne quasi ad tribunal seuerissimi Iudicis duceretur [* traheretur] *. Tunc Episcopus de eminentioribus prospiciens, & nunc vassallum suum alloquens, nunc illum misellum increpitans, excelsa voce clamando prædicauit: *Attrahe illum huc, caue ne dimittas; velis nolis, huc debes venire.* Cùm autem vi aut metu deuictus appropinquaret, dixit Episcopus: *Accede huc propiùs, appropinqua etiam.* Deinde apprehensum capitis tegumentum adtraxit, & ad plebem proclamauit: *Ecce videtis, o populi, rufus iste ignauus est.* Et reuersus ad altare solemnia consecrauit, vel consecrasse se simulauit. Talibus ergo Missis ad finem perductis, ingrediuntur in Aulam variis tapetibus & omnis generis ornatam palleis: vbi opiparè illud conuiuium auro vel argento, seu gemmeis vasis iminissum, fastidio vel nauseâ laborantes in sui desiderium posset allicere. Sedebat autem ipse in mollissimis plumis, preciosissimo serico vestitus, Imperatoria purpurâ indutus, ita vt nihil, nisi sceptrum illi & nomen Regium deesset: ditissimorum militum cohortibus septus, in quorum comparatione illi Palatini, hoc est inuictissimi Caroli Proceres vilissimi sibi metipsis viderentur. Qui cùm post admirabile illud & Regibus inusitatum conuiuium licentiam abeundi peterent, ille vt eis magnificentiam suam & gloriam manifestiùs ostenderet, iussit procedere peritissimos cantandi Magistros, cum omnibus musicis organis [* organis musicorum] *: de quorum vocibus & sonitu fortissima [C] corda mollescerent, & liquidissima Rheni fluenta durescerent. Potuum verò diuersissima genera variis pigmentis aut medicaminibus contemperata, herbis & floribus gemmarum vel auri fulgorem in se trahentibus, suúmque ruborem illis infundentibus coronata, restagnantibus iam stomachis repebant in manibus. Interea verò pistores, lanij, coci, & fartores, plenis ventribus omnimoda gulæ irritamenta exquisitis artibus præparabant, quibus numquam cœna Magno composita est Carolo. Manè autem facto, cùm aliquantisper ad sobrietatem rediret Episcopus, & luxum, quem pridie coram satellitibus Imperatoris expenderat, perhorrescere cœpisset, iussit eos adduci ad se, & regiis muneribus honoratos adiurauit, vt de se bona & honesta [* modesta] * apud terribilem Carolum narrare dignarentur: & quòd publicè in Ecclesia illis audientibus prædicaret. Quos cùm reuersos Imperator interrogaret, cur eos Episcopus ille vocaret, procidentes ad pedes eius dixerunt: *Domine, vt nos in vestro nomine supra mediocritatem nostram honoraret.* Et adiecerunt, *Fidelissimus est vobis, & omnibus vestris optimus Episcopus ille, summóque Sacerdotio dignissimus. Nam si nostræ vilitati credere dignemini, fatemur sublimitati vestræ, quia declamatoriè audiuimus illum prædicare.* Cúmque Imperator conscius imperitiæ illius certiùs de modo prædicationis inquireret, & illi eum fallere non auderent, omnia per ordinem retexuerunt. Tunc intelligens

A causâ timoris sui aliquid illum loqui conatum, quia præceptum suum prætermittere non ausum audiuit, licèt indignum, retinere permisit Episcopium. CAROLVS MAGNVS.

XXI. Post tempus verò non longum, cùm quidam iuuenis cognatus Regis optimè in quadam festiuitate caneret, *Alleluia*; dixit Imperator ad eundem Episcopum: *Benè cantauit modò ille noster Clericus.* Qui iuxta stultitiam suam ioculariter illa verba suscipiens, & illum Imperatoris cognatum esse nesciens, respondit: *Sic omnes perriparij possunt bubus agricolantibus vetrenere* *. Ad quod improbissimum responsum fulmineas in eum acies Imperator intorquens, attonitum terræ prostrauit. * veterrare

XXII. Fvit alius Episcopus paruissimæ ciuitatulæ, qui se, dum adhuc in carne viueret, non Apostolorum & Martyrum memoriam intercessorem ad Dominum habere, sed ipse diuinis cultibus voluit honorari. Sed talem superbiam hoc modo studuit occultare, vt Sanctus Dei diceretur, ne omnibus abominabilis cum idolis gentium reputaretur. Hic habuit vnum vassallum non ignobilem ciuium suorum, valde strenuum & industrium: cui tamen ille, ne dicam beneficium aliquod, sed ne vllum quidem aliquando blandum sermonem impendit. Qui nesciens quid agere posset, vt immites eius animos placaret, excogitabat vt si aliquod signum in nomine eius se fecisse comprobare posset, ad gratiam ipsius peruenire valeret. Cùm ergo de domo sua ad Episcopum venire disponeret, assumpsit duas caniculas in manu sua, quas Gallica linguâ veltres nuncupant, agilitate B sua vulpes & ceteras minores bestiolas facillimè capientes, quæ caras etiam & alia volatilia ascensu celeriore sæpè fallerent. Et dum in via vulpem muribus insidiantem videret, ex improuiso canes illi tacitus immisit. Quæ volatu rapidissimo ruentes post illam, intra iactum sagittæ comprehenderunt. Ipse verò quoque præpeti cursu subsecutus, viuam & sanam dentibus canum, & vnguibus excussit. Caues autem vbi potuit abscondens, tripudians cum illo munere ad Dominum suum introiuit, & suppliciter infit: *Ecce Domine quale munus ego pauperculus acquirere potui.* Tunc Episcopus parum arridens interrogauit, quomodo illam tam sanam comprehenderet. At ille propiùs accedens, & per salutem ipsius Domini sui iurans, quòd veritatem ab eo non celaret, intulit: Domine per campum istum cauallicans *, & vulpem istam non longinquam aspiciens, laxis habenis post illam tendere cœpi. Porrò cùm ipsa tam perniciter aufugeret, vt vix eam iam videre potuissem, eleuata manu adiuraui eam dicens: *In nomine Domini mei* Rechonis *sta, & non mouearis vltra.* Et ecce quasi cathenis obligata stetit in loco fixa, donec eam quasi ouem derelictam tollerem. Tunc ille inani gestione perflatus dixit coram omnibus: *Hinc apparet sanctitas mea, nunc scio quis sim, nunc agnosco quid futurus sim.* Ex illo die exosum illum hominem super omnes familiares C suos miro coluit amore. * caballicans

XXIII. Hoc, quia se obtulit occasio, extrinsecus inserto, non abs re videtur etiam cetera, quæ iisdem temporibus memoriâ digna gesta sunt, styli officio religare. Erat quidam Episcopus in Francia Noua miræ sanctitatis & abstinentiæ, incomparabilis etiam liberalitatis & misericordiæ. Cuius bonitatis inuidus omnis iustitiæ hostis antiquus nimium exasperatus, tale illi desiderium edendæ carnis in diebus Quadragesimæ immisit, vt se absque procrastinatione moriturum putaret, nisi eiusmodi recrearetur edulio. Consilio tandem multorum sanctorum & venerabilium Sacerdotum roboratus, vt carnes pro recuperatione sanitatis acciperet, & postea per totum annum more solito se maceraret; ne ipsis inobediens, & vitæ suæ proditor inueniretur, eorum cedens auctoritati, in vltima necessitate constrictus, parum quid de quadrupedantis carne misit in buccam. Quod cùm masticare cœpisset, & gustum illius sensu palati tenuissimè percepisset, tanto tædio, fastidio, vel odio, non solùm carnium, seu ceterarum escarum, sed & lucis ipsius, & vitæ præsentis, cum salutis suæ desperatione correptus est, vt vltra nec manducare vellet nec bibere, aut spem suam in Saluatore perditorum ponere confideret. Cùm autem hæc prima hebdomada Quadragesimæ gererentur, suggerebant ei præfati Patres, vt quia diabolica se illusione deceptum cognosceret, acrioribus ieiuniis, & contritione cordis, eleemosynarumque largitate, momentaneum illud peccatum superducere, extenuare, vel abluere niteretur. Qui vt erat optimè instructus *, eorum consilio parens, vt diaboli malitiam confunde- * institutus

Carolvs Magnvs.

ret, & apud innocentiæ reſtitutorem commiſſi veniam impetraret, biduanis ſe vel triduanis ieiuniis affligens, ſomni quietem fugiens, pauperibus & peregrinis A per ſeipſum quotidie miniſtrans, corúmque pedes abluens, veſtéſque & pecunias iuxta facultatem illis offerens, & vltra etiam impendere volens, die ſancto Sabbati Paſchalis plurima dolia de tota ciuitate poſtulauit, & calidas balneas de mane vſque ad veſperam cunctis indigentibus exhibere curauit, & colla ſingulorum ipſe manu ſua raſit, purulentias * ſcabiéſque per hirſutorum corporum vepres vngiubus extraxit, & vnguentis delibutos candidis veſtibus quaſi modo regeneratos induit. Cùm autem Sol appropinquaret occaſui, & nullus iam remaneret qui talibus indigeret obſequiis, intrauit ipſe in balnea, & exiens mundata conſcientiâ mundiſſimis coopertus eſt lineis, vt iudicio ſanctorum Epiſcoporum ſolemnia populo celebraret. Cúmque iam ad Eccleſiam procederet, callidus aduerſarius propoſitum illius violare cupiens, vt contra votum ſuum aliquem pauperem non lotum Epiſcopus dimitteret, adſumpta ſpecie fœdiſſimi luridiſſimíque leproſi, ſanie fluidi, pannis tabo rigentibus amicti, greſſu tremente nutabundi, nimia raucedine miſerandi, ante limen Eccleſiæ ſe illi obuiam tulit. Tunc ſanctus Antiſtes inſtinctu diuino regreſſus, vt cognoſceret quali nuper inimico ſuccumberet, extractis albis aquam ſine mora calefieri, & ipſum miſerrimum in ipſam fecit imponi: adſumptáque nouaculâ turpiſſimum collum cœpit radere. Cúmque ab aure vna vſque ad medias derasiſſet arterias, cœpit ab alia vt ad eundem locum raſuram perduceret. Illuc autem perueniens, ſetas longiores quàm abſciderat, mirum dictu! renatas inuenit. Et cùm ſæpè hoc fieret, B & ille radere non ceſſaret, ecce inter manus radentis Epiſcopi, horreſco referens, oculus miræ magnitudinis in arteriarum * medio cœpit apparere. Tunc ille pauefactus à tali monſtro reſiluit, & ſe Chriſti nomine cum ingenti clamore conſignauit. Ante cuius inuocationem fraudulentus hoſtis vltrà fallaciam ſuam abſcondere non valens, ceu fumus euanuit, & abſcedens dixit: *Iſte oculus vigilanter intendit, quando carnem in Quadrageſima comediſti.*

* prurulentias

* monſtri in medio

XXIIII. In eadem quoque regione fuit alius Pontifex incomparabilis ſanctitatis, qui incauta ſecuritate, iam quaſi feminei ſexus ignarus, Sanctimoniales iuuenculas non minus quàm grandæuos Sacerdotes diſcendi gratiâ ſecum diuerſari permiſit. Cùm autem in ipſa feſtiuitate Paſchali poſt Officium diuinum, quod ſupra mediam noctem protraxit, Alaſacienſi illo ſigoltario * ſe licentiùs indulſiſſet, & ſimul cum illo fortiori falerno cuiuſdam venuſtiſſimæ feminæ vultus & meretricios geſtus, heu! nimis eneruiter in ſe pertraxiſſet, recedentibus ceteris, ad lectum ſuum vocatam lugubriter conſtuprauit. Mane verò rutilante citus exurgens, & iuxta gentiles noctem flumine purgans, ante ineuitabiles veræ Deitatis * oculos maculata conſcientiâ proceſſit. Cúmque præmiſſis melodiis ipſe iuxta miniſterium ſuum imponere debuiſſet Hymnum Angelicum, pauefactus obſtupuit, ac ſacri myſterij veſtes ſuper altare poſuit, atque ad populum conuerſus C reatum ſuum confeſſus eſt. Deinde ad crepidinem corruens altaris, inæſtimabilibus ablutus eſt lacrimarum fluentis. Populo verò inſtante vt exſurgeret, & ſe terribilibus ſacramentis aſtringente, quòd illa præcipua die non ſibi ab alio quàm ab ipſo ſuo Paſtore Miſſarum ſollemnia celebrari paterentur; & ille loco moueri non poſſet, atque hæc concertatio per trium ferè horarum ſpacia tranſiret: tandem diuina clementia vota ſupplicantis populi, & contritum cor Epiſcopi miſerata *, ſic in pauimento iacentem reueſtiuit, & de ſua certioratum * indulgentia, ad contractanda cæleſtibus metuenda myſteria in exemplum veræ pœnitentiæ vel cautelam nuſquam & nunquam in hoc ſeculo tutæ, ſed ſemper & vbique vanæ ſecuritatis miſericorditer animauit.

* dapibus ſe vinóque licentiùs

* diuinæ Maieſtatis

* reſpiciens

* certificatum

XXV. In Francia quoque, quæ dicitur Antiqua, fuit alius Epiſcopus vltra omnem modum tenacitate conſtrictus. Cùm autē ſterilitas omnium terrę prouentuum quodã anno inſolita orbē vniuerſum depopularetur, tunc auarus ille negociator omnium mortalium, imò iam morientium, vltima neceſſitate gauiſus, repoſitoria ſua præcepit aperiri, nimium carè venundanda. Tunc dæmon qui dicitur larua, cui curæ eſt ludictis hominum vel illuſionibus vacare, fecit conſuetudinem ad cuiuſdam fabri ferrarij domum venire, & per noctes malleis & incudibus ludere. Cúmque pater ille familias ſigno ſaluriferæ crucis ſe ſuáque munire conaretur, reſpondit

A pilosus: *Mi compater, si non impedieris me in officina tua iocari, appone hîc potiuncu-* CAROLVS MAGNVS.
lam tuam, & quotidie plenam inuenies illam. Tum miser ille plus penuriam metuens
corporalem, quàm æternam animæ perditionem, fecit iuxta suasionem aduer-
sarij. Qui adsumpto prægrandi flascone, cellarium Bromij vel ditis illius irrum-
pens, rapina perpetratâ, reliqua in pauimenta fluere permisit. Cúmque iam tali
modo plurimæ cubæ exinanitæ fuissent, animaduertens Episcopus, quia dæmo-
num fraude periissent, benedicta aquâ cellam aspersit, & inuecto crucis signa-
culo tutauit. Nocte autem facta furis antiqui callidus satelles cum vasculo suo
venit, & cùm vinaria vasa propter impressionem sanctæ Crucis non auderet at-
tingere, nec tamen ei liceret exire, in humana specie repertus, & à custode do-
mus alligatus pro fure ad publicum * productus, & ad palum cæsus, inter cæ- * ad supplicium deductus.
dendum hoc solum proclamauit; *Va mihi! væ mihi! quia potiunculam compatris*
mei perdidi. Hæc licèt historia sit vera, ideirco protulerim, vt sciatur cui proue-
niant abiurata, & in diebus necessitatis abstrusa, & quantum valeat diuini nomi-
nis inuocatio etiam per non bonos adhibita.

CVM oculos meos ad Francorum Caput intendo, eiúsque membra perlustro, XXVI.
reliquarum gentium summos & infimos post tergum reliqui. Sed iam ad vicinos
nostros Italos vna tantummodo macheriâ * diuisos veniendum est. Erat ibi qui- * maceriâ
dam Episcopus, inanium * rerum valdè cupidissimus. Quod diabolus aduertens, * immanium
B cuidam pauperculo, auaritia tamen non euacuato, in humana se obtulit specie,
pollicitus non mediocriter illum esse ditandum, si societatis vinculo in perpe-
tuum sibi delegisset adnecti. Quod cùm miser profiteri non abnueret, dixit hostis
callidus, *Conuerto me in mulum præstantissimum, tu verò ascende super me, & vade*
ad curtem Episcopi. Cùm autem ille mulum istum cœperit inhiare, tu protrahe, differ, ab-
nue, pretium exaggera, indignationémque simulans recedere para. Tunc necesse est, vt
ille mittat post te, & plurima promittat. Tandem precibus exoratus, & infinita pecunia
cumulatus, non quasi libenter, sed coactè, mulum illi trade, & concitus aufugiens lati-
bulum vbicumque require. Quod cùm factum fuisset, Episcopus vsque ad sequen-
tem diem expectare non sustinens, in ipso feruore meridiano sonipedem ascen-
dens, per vrbem superbiens equitabat, in campum volitaturus exibat, & ad
fluuium refrigerandi gratiâ properabat. In cuius fauorem omnis ætas sequeba-
tur, ambulationem volubilissimam *, cursum rapidissimum, natatum delphinis * nobilissimam
simillimum cernere gestientes. Et ecce antiquus hostis ille Belial velut chami, fre-
nique non patiens; & veræ gehennæ ignibus æstuans, in profundum gurgitis sese
demergere, & secum trahere cœpit Episcopum: ita vt vix militari manu, & in-
dustria piscatorum, qui propè nauigabant, extraheretur.

INSIDIARVM peritus aduersarius, in via, qua ambulamus, laqueos nobis XXVII.
abscondere solitus, alium quidem hoc, alium verò alio vitio supplantare non de-
sistit. Cuidam Sacerdoti Episcopi, (nomen in tali re supprimendum est:) forni-
C cationis crimen imponebatur. Cúmque hoc iam ita in notitiam populorum de-
uenisset, vt à referentibus etiam Episcoporum Episcopo religiosissimo CAROLO
notissimum fieret, & ille sapientissimus * aliquandiu rem dissimulans friuolis ver- * prudentissimè
bis fidem accommodare noluisset: sed fama (malum quo non velocius vllum)
de minima meisa * super aquilarum magnitudinem excresceret, vt nequaquam * incisa, forte musca
iam celari potuisset: districtissimus iustitiæ inquisitor CAROLVS misit duos
de Palatinis, qui ad proximum ciuitati locum vesperè diuertentes, manè primo
ad Sacerdotem inopinatò venirent, & ipsum sibi Missam celebrare postularent:
& si nimis abnueret, illi eum ex suo nomine constringerent, quatenus per se-
ipsum sacrosancta mysteria celebraret. Qui nesciens quid ageret; quia & ante
superni Inspectatoris oculos ipsa nocte peccauerat, & illos offendere non aude-
ret; plus tamen homines quàm Deum metuens, frigidissimo fonte æstuantia
membra baptizans, ad offerenda terribilia sacramenta processit. Et ecce vel con-
scientia cor quatiente, vel aqua venas penetrante, tanto frigore correptus est, vt
nullo medicorum adminiculo posset adiuuari: sed immanissima febrium valetu-
dine perductus ad mortem, æterni Iudicis decreto animam reddere cogeretur.

SED ceteris mortalibus his & huiusmodi fraudibus à diabolo, vel satellitibus XXVIII.
eius illusis, libet intueri sententiam Domini, qua firmissimam S. Petri confes-
sionem remunerans ait: *Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam* Matth. 16.

CAROLVS MAGNVS. *meam, & porta inferi non praualebunt aduersus eam*; in his etiam periculosissimis, & nequissimis diebus inconcussam, immobilémque permanere concessit. Nam, vt inter æmulos semper inuidia debacchatur, solemne Romanis & consuetudinarium fuit, vt omnes alicuius momenti Apostolicis ad sedem Apostolicam per tempora subrogaris iugiter essent infensi, vel potiùs infesti. Vnde contigit vt quidam illorum inuidiâ cæcati sanctæ recordationis Leoni Papæ, cuius suprà fecimus mentionem, mortiferum crimen imponentes, eum cæcare fuissent aggressi. Sed diuino nutu conterriti sunt, & retracti, vt nequaquam oculos eius eruerent, sed rasoriis per medios inciderent. Quod cùm clanculo per familiares suos Michaëli Imperatori Constantinopoleos indicari fecisset, & ille omne auxilium ab eo retraheret, dicens: *Ille Papa regnum habet per se, & nostro præstantius; ipse se per se ipsum vindicet de aduersariis suis.* Tunc sanctus ille diuinam constitutionem secutus, vt qui iam reipsa Rector & Imperator plurimarum erat nationum, nomen quoque Imperatoris, Cæsaris, & Augusti Apostolica auctoritate gloriosiùs assequeretur, inuictum CAROLVM Romam venire postulauit. Qui, vt semper in expeditione & procinctu bellico positus erat, statim cum apparitoribus & schola tyronum, causæ vocationis suæ penitus ignarus, Caput Orbis ad Caput quondam Orbis absque mora perrexit. Cúmque perditissimi populi inopinatum illius comperissent aduentum, quasi passeres à conspectu Domini sui (cognomine* nuncupari solent celari) ira per diuersa latibula, criptas, & profugia sunt abstrusi. Sed cùm industriam & sagacitatem eius sub cœlo non possent euitare, ad Basilicam S. Petri capti & cathenati sunt perducti. Illic intemeratus Pater Leo assumens Euangelium Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Caroli, eiúsque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hæc verba iurauit: *Sic in die magni iudicij sim particeps Euangelij, sicut immunis sum criminis falsò mihi ab istis obiecti.* Et mox terribilis Carolus dixit ad suos, *Cauete ne quis de illis euadat.* Omnes itaque comprehensos vel diuersis mortibus, vel irremediabilibus damnauit exiliis. Cùm autem ibidem aliquot diebus reparandi exercitus gratiâ moraretur, conuocauit Antistites Apostolicus de vicinis partibus quoscumque potuit, & coram positis illis, & inuincibilibus gloriosi Caroli Comitibus, nihil minùs suspicantem ipsum pronunciauit Imperatorem, Defensorémque Ecclesiæ Romanæ. Quod cùm ille non potuisset abnuere, quia diuinitus sic procuratum crederet, non tamen gratanter suscepit, pro eo quòd putaret Græcos maiore succensos inuidia aliquid incommodi Regno Francorum machinaturos, imò potiori cautelâ prouisuros, sicut tunc fama ferebat, ne Carolus insperatè veniens Regnum illorum suo subiugaret Imperio. Et maximè quia pridem magnanimus Carolus, cùm Legati Regis Bizantini venirent ad se, & de Domino suo illi suggererent, quòd fidelis ipsi amicus esse voluisset, & si viciniores essent, eum filij loco nutrire, & paupertatem illius releuare decreuisset, feruentissimo igne se intra pectus retinere nequeunte, in hæc verba prorupit: *O vtinam non esset ille gurgiculus inter nos! forsitan diuitias Orientales aut partiremur, aut pariter participando communiter haberemus.* Quod ignari paupertatis Africanæ solent de Afrorum Rege narrare. Innocentiam verò beati Leonis Papæ ita donator & restitutor sanitatis approbauit, vt post illam pœnalem & crudelissimam incisionem, clariores, quàm antea fuerint, ei condonauerit oculos: excepto quòd in signum virtutis illius pulcherrima cicatrix in modum fili tenuissimi turturinas acies niueo candore decorabat.

* quo nomine

XXIX. NE verò ab imperitis arguar imperitiæ, quòd mare, quod gurgiculum maximus appellauit Imperator, inter nos & Græcos ex eius ore situm retulerim, nouerint qui volunt, adhuc Hunos, & VVlgares*, & plures alias immanissimas nationes infractas & integras iter ad Græciam terrestre negare; quas tamen postea bellicosissimus Carolus vel terræ coæquauit, vt omne Sclauorum genus & VVlgarum, vel penitus eradicauit, vel ferreorum adamantinorúmve progeniem, & non Hunorum, de quibus mox docebo, si priùs de ædificiis, quæ Cæsar Augustus Carolus apud Aquisgrani, iuxta sapientissimi Salomonis exemplum, Deo, vel sibi, vel omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & cunctis de toto orbe venientibus hospitibus mirificè construxit, iuxta pauca satis, & minima commemorem.

* Bulgares

CAROLVS MAGNVS.

A CVM strenuissimus Imperator Carolus aliquam requiem habere potuit, non
otio torpere, sed diuinis seruitiis voluit insudare: adeò vt in genitali solo Basili- XXX.
cam antiquis Romanorum operibus præstantiorem fabricare propria dispositione
molitus, in breui compotem se voti sui gauderet. Ad cuius fabricam de omnibus
cismarinis regionibus magistros, & opifices omnium id genus artium aduocauit:
super quos vnum Abbatem cunctorum peritissimum ad executionem operis
(ignarus eius fraudium) constituit. Qui mox vt Augustus abscessit, pretio acce-
pto quos volebat ad propria remisit, qui verò se redimere nequiuerunt, vel à do-
minis suis absoluti non sunt, sicut quondam Ægyptij populum Dei iniquis operi-
bus afflixerunt, ita immensis laboribus oppressit, vt nunquam eos aliquantulum
requiescere pateretur. De tali ergo fraudulentia cùm infinitum pondus auri &
argenti, sericorúmque palliorum congregasset, & viliora suspendens in camera,
pretiosiora quæque in arcis, vel scriniis absconsa concluderet: ecce repentè do-
mus eius inflammata, à referentibus est illi nunciata. Qui concitus accurrens, &
per medios flammarum globos in conclaue, quo scrinia auro plena seruabantur,
irrumpens, & cum vno tantùm exire nolens, singula singulorum imposuit hume-
ris, & exire cœpit. Interea trabes vna prægrandis ignibus euicta cecidit super
eum, & corpus quidem materiali combussit incendio, animam * verò transmisit ad * anima verò ad inextinguibilem transiit ignem.
ignem, qui non succenditur. Ita diuinum iudicium pro religiosissimo Carolo vi-
B gilauit, vbi ipse Regni negotiis occupatus minùs intendit.

ERAT ibidem alius opifex in omni opere æris & vitri cunctis excellentior. XXXI.
Cúmque TANCHO * Monachus sancti Galli campanum optimum conflaret, & * DANCO
eius sonitum Imperator non mediocriter miraretur, dixit ille præstantissimus in
ære magister, *Domine Imperator, iube mihi cuprum multum adferri, & vt excoquam
illud ad purum, & in vicem stanni mihi quantum opus est de argento dari, saltem cen-
tum libras, & fundo tibi tale campanum, vt istud in eius comparatione sit mutum.* Tum
liberalissimus Regum, cui licet diuitiæ affluerent, ipse tamen cor illis non ap-
poneret, facile iussit omnia quæ petebantur exhibere. Quæ miser ille adsumens
lætus exiuit, & æs quidem conflans & emundans, in locum verò argenti purga-
tissimum stannum subiiciens, multò melius optimo illo de adulterato metallo
campanum in breui tempore perfecit, probatúmque Cæsari præsentauit. Quod
ille propter incomparabilem conformationem satis admiratus, immisso ferro
pulsatorio iussit in campanario suspendi. Quod cùm sine mora factum fuisset, &
custos Ecclesiæ, vel reliqui Capellani, nec non & tyrones aliis succedentes illud
ad sonitum perducere niterentur, & nihil efficere potuissent: tandem indignatus
auctor operis & commentor inauditæ fraudis, adprehenso fune pertraxit æra-
mentum, & ecce ferrum de medio elapsum in verticem ipsius cum iniquitate sua
descendit, & per cadauer iám iamque defunctum pertransiens ad terram cum in-
testinis virilibus venit. Memoratum verò pondus argenti repertum præcepit iu-
C stissimus Carolus inter indigentes Palatinos dispergi *. * distribui.

FVIT consuetudo in illis temporibus, vt vbicumque aliquod opus ex Impe- XXXII.
riali præcepto faciendum esset; siquidem pontes, vel naues, aut traiecti, siue pur-
gatio, seu stramentum, vel impletio cœnosorum itinerum, ea Comites per Vi-
carios & Officiales suos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus: à ma-
ioribus autem; & maximè nouiter extruendis, nullus Ducum, vel Comitum,
nullus Episcoporum, vel Abbatum excusaretur aliquo modo. Cuius rei testes
adhuc sunt arcæ pontis Magontiacensis; quem tota Europa communi quidem,
sed ordinatissimæ participationis opere perfecit. Fraudulentiam verò quorum-
dam maleuolorum, & de nauium subuectione mercedes iniquissimas compilare
volentium consumpsit. Si verò essent Ecclesiæ ad ius Regium propriè pertinen-
tes, laquearibus, vel muralibus ordinandæ picturis, id à vicinis Episcopis aut
Abbatibus curabatur: Quòd si nouæ fuissent instituendæ, omnes Episcopi, Du-
ces, & Comites, Abbates etiam; vel quicumque Regalibus Ecclesiis præsidentes;
cum vniuersis, qui publica consecuti sunt beneficia, à fundamentis vsque ad cul-
men instantissimo labore perduxerunt. Sicut adhuc probat non solùm Basilica
diuina, sed & humana apud Aquisgrani, & mansiones omnium cuiusquam di-
gnitatis hominum, quæ ita circa Palatium peritissimi Caroli eius dispositione
constructæ sunt, vt ipse per cancellos solarij sui cuncta posset videre, quæcumque

CAROLVS MAGNVS. ab intrantibus, vel exeuntibus quasi latenter fierent. Sed & ita Procerum habitacula à terra erant in sublime suspensa, vt sub eis non solùm militum milites, & eorum seruitores, sed omne genus hominum ab iniuriis imbrium vel niuium, vel gelu caminis possent defendi, & nequaquam tamen ab oculis acutissimi Caroli valerent abscondi. Cuius ædificij descriptionem ego Inclusus absolutis cancellatiis vestris relinquens, ad iudicium Dei, quod circa illud factum est, explicandum reuertor. A

XXXIII. PROVIDENTISSIMVS igitur Carolus quibuscumque primoribus in proximo constitutis præcepit, vt opifices à se directos omni industriâ sustentare, & cuncta ad opus illud necessaria subministrare curarent. Qui verò ex longinquis partibus aduenissent, commendauit eos præposito domus suæ LVITFREDO, vt eos de publicis rebus aleret, & vestiret: sed & cuncta, quæ ad constructionem illam pertinerent sedulus impendere semper curaret. Quod cùm illo in eodem loco sedente aliquantulum faceret, recedente verò omnimodo cessaret, tantas pecunias idem Præpositus de miserorum illorum cruciatibus aggregauit, vt eas mammonas, Pluto siue Dis non aliter quàm vehiculo cameli posset ad inferna perducere. quod & ita mortalibus est compertum. Gloriosissimus Carolus ad nocturnas Laudes pendulo & profundissimo pallio (cuius iam vsus & nomen recessit) vtebatur. Expletis verò Hymnis matutinalibus ad caminatam reuersus, Imperialibus vestimentis pro tempore ornabatur. Cuncti verò Clerici ita parati, ad antelucana veniebant Officia, vt vel in Ecclesia, vel in porticu, quæ tunc curticula dicebatur, Imperatorem ad Missarum solennia processurum vigilantes expectarent; & quisquis opus habuisset in sinum compartis sui caput paululum reclinaret. Quidam ergo pauperculus ex iis, qui domum supradicti LVITFREDI abluendarum seu resarciendarum (sicut exiguis opus est Palatinis) vestium, vel potiùs pannorum causâ frequentare solebat, super genua socij sui dormiens vidit gigantem Antoniano illo aduersario prorceriorem de Curte Regia super riuulum illum per traiectum ad domum illius properantem, & camelum immanissimum inæstimabili sarcina prægrauatum post se trahentem; & obstupefactus in somno, quæsiuit ab eo de qua regione veniret, aut quò tendere voluisset. Qui respondit, *De domo Regis ad domum Luitfredi pergo, vt eum super has fasces imponam, & pariter cum eis in infernum demergam.* Ad quam visionem expergefactus Clericus, & maiore metu conterritus, ne eum terribilis Carolus dormientem reperiret, mox caput eleuans, & ceteros ad vigilandum prouocans, in hæc verba prorupit: *Si vultis, audite somnium meum. Videbar mihi videre Polyphemum illum, qui in terra gradiens alta pulsat sydera, & in medio Ionio latera non cingit ardua, de hac Curte ad domum Luitfredi cum onerario properantem camelo. Cùmque causas eius itineris inquisissem, dixit ille: Luitfredum super hac onera ponere, & ad inferna deducere contendo.* Hac relatione nondum expleta venit puella de domo eius omnibus notissima, & ante pedes eorum procidit, implorans vt memoriam amici sui Luitfredi dignarentur habere. Illis autem interrogantibus, quid causæ haberet; dixit illa: *Domini mei, sanus ad latrinam exiuit, & cùm ibi diutius moraretur, egredientes defunctum inuenimus illum.* Cuius cùm subitanea mors Imperatori comperta fuisset, & ab opificibus, & reliqua familia tenacia vel auaritia illius non liberè proderetur, iussit thesauros eius perquiri. Qui cùm inæstimabiles inuenirentur, sciretque Iudex post Deum iustissimus de qua iniquitate congregati fuissent, publicè pronunciauit: *Non potest aliquid ex his quæ iniustè fraudauit, ad miserationem * illius miseri proficere. Diuidantur itaque inter operarios huius ædificij, & tenuiores Palatij nostri.* B C

* liberationem

XXXIV. DVO sunt adhuc referenda quæ in eodem contigerunt loco. Quidam Diaconus iuxta consuetudinem Cisalpinorum contra naturam pugnare solitus, balneas intrans, & caput suum pressissimè radi faciens, cutem expoliuit, vngues mutcauit, capillósque breuissimos quasi ad circinum tornando decurtauit, lineas & camisiam candidissimam induit: & quia deuitare non potuit, quin potiùs per hoc gloriosior appareret, sponte coram summo Deo, & sanctis Angelis, & in conspectu seuerissimi Regis, & Procerum eius, Euangelium (vt ex consequentibus patuit) polluta conscientiâ legere præsumpsit. Inter legendum verò aranea de laquearibus per fila subitò descendens caput eius percussit, & se celerrimè ad superna retraxit. Quod cùm districtissimus Carolus secundò ac tertiò videre, & dissimulando

A mulando fieri permitteret, Clericus verò propter timorem illius se defendere non auderet, maximè cùm non araneam se impetere, sed muscas inquietare putaret; Euangelica lectione perlecta, reliquum etiam compleuit Officium. Egressus autem de Basilica mox intumuit, & infra vnius horæ spacium defecit. Religiosissimus verò Carolus pro eo quod vidit, & non prohibuit, quasi homicidij reum publica seipsum pœnitentia mulctauit. *CAROLVS MAGNVS.*

HABVIT gloriosissimus CAROLVS incomparabilem Clericum in omnibus, de quo illud ferebatur, quod de nullo vmquam mortalium: quia videlicet & scientiâ literarum secularium atque diuinarum, cantilenæque Ecclesiasticæ vel iocularis, nouáque carminum compositione siue modulatione, insuper & vocis dulcissima plenitudine inæstimabilíque delectatione cunctos præcelleret. Cúmque & ipse Legislator ex instructione diuina sapientissimus, de gracilitate* vocis vel dispendio linguæ tardiorem se causetur: & discipulum ex auctoritate inhabitantis in se Dei clementiæ cælestibus imperantem ad consulta mittat Eleazari: & Christus Dominus noster eum, quo inter natos mulierum maiorem non surrexisse testatur, nullum in corpore signum operari concesserit: & eum quem paterna reuelatione seipsum cognoscere voluit, clauibúsque regni cœlorum donauit, Pauli sapientiam mirari voluerit: Discipulúmque plus ceteris dilectum in tantam cadere trepidationem permiserit, vt in locum sepulcri eius ingredi non B præsumeret, cùm illud imbecilles mulierculæ sæpiùs frequentarent. sed illi, sicut scriptum est, *Omni habenti dabitur*, scientes à quo haberent, etiam quæ minus habuêre consecuti sunt. Iste verò nesciens vnde haberet; vel sciens, auctori donorum dignas gratias non egit, cuncta pariter amisit. Nam cùm veluti familiarissimus Carolo iuxta gloriosissimum Cæsarem constitisset, subitò non comparuit. Cúmque ad tam inauditam & incredibilem rem inuictissimus Imperator Carolus obstupefactus fuisset, & tandem resipiscens se cruce Domini consignaret, inuenit in eodem loco, quo steterat ille, quasi carbonem teterrimum, & modò extinctum. XXXV.

Exod. 4. * *garruli-tate* *Iosue 10.* *Num. 17.* *Math. 11.* *Math. 16.* *Gal. 2.* *Ioan. 20* *Math. 25.*

NOCTVRNVM atquè pendulum Augusti pallium adhuc nos à bellico procinctu retrahit. Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calceamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia vel coxalia linea, quamuis ex eodem colore, tamen opere preciosissimo variata. Super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus* ante & retrò longissimè illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camisia cilicina*, Post hæc baltheus spatæ colligatus, quæ spata primùm vagina*, secundò corio qualicumque, tertiò linteamine candidissimo cerâ lucidissima corroborato ita cingebatur, vt per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium duraretur*. Vltimum habitus eorum erat pallium canum vel saphirinum quadrangulum, duplex, sic formatum, vt cùm imponeretur humeris, antè & retrò C pedes tangeret: de lateribus verò vix genua contegeret. Tunc baculus de arbore Malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento, cùm cælaturis insignibus præfixo, portabatur in dextera. Quo habitu lentus ego, & testudine tardior, cùm in Franciam numquam venirem, vidi Caput Francorum in Monasterio Sancti Galli præfulgens, duósque flores auricomos ex eius femoribus progressos; quorum qui prior egressus est, proceritatem illius adæquabat: posterior autem paulatim excrescens verticem stipitis sui summa gloriâ decorauit, & transcendendo contexit. Sed vt se mos humani habet ingenij, cùm inter Gallos Franci militantes virgatis eos sagulis lucere conspicerent, nouitate gaudentes antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidissimus Imperator idcircò non prohibuit, quia bellicis rebus aptior videretur ille habitus. Sed cùm Fresones hac licentiâ abutentes aduerteret, & breuissima illa palliola, sicut priùs maxima, vendere comperisset, præcepit vt nullus ab eis nisi grandia latissimáque illa longissima pallia consuetudinario precio coëmeret, adiicens: *Quid prosunt illa pittaciola? in lecto non possum eis cooperiri, caballicans contra ventos & pluuias nequeo defendi, ad necessaria naturæ secedens tibiarum congelatione deficio.* XXXVI.

* *intrinsecus, & extrinsecus, antè & retrò longissimæ* * *glezina* * *vagina sagea,* * *auraretur.*

CAROLVS MAGNVS. A



PRAEFATIO LIBRI SECVNDI.

IN Præfatione huius Opusculi tres tantùm Auctores me secuturum spopondi. Sed quia præcipuus eorum VVERNBERTVS septimo die de hac luce recessit, & debemus hodie, id est III. die Kal. Iunij, commemorationem illius orbi filij discipulíque agere: hoc fiat terminus Libelli istius, qui ex Sacerdotis eiúsdem ore *de Religiositate & Ecclesiastica domni Caroli Curâ* processit. Sequens verò *de bellicis Rebus acerrimi Caroli* ex narratione ADALBERTI patris eiusdem VVernberti cudatur. Qui cum domino suo Kekardo, & Hunisco, & Saxonico, vel Sclauico bello interfuit. Et cùm iam valde senior paruulum me nutriret, renitentem, & sæpiùs effugientem, vt tandem coactum de his instrueret solebat. B

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

De Rebus bellicis Caroli Magni.

CAP. I. EX relatione secularis hominis, & in scripturis minùs erudiri, sermonem facturi, non abs te credimus si iuxta fidem Scriptorum pauca de superioribus ad memoriam reuocemus. Cùm Deo odibilis Iulianus in bello Persico cœlitus fuisset peremptus, & à Regno Romanorum non solùm transmarinæ Prouinciæ, sed & proxima Pannonia, Noricus, Retia vel Germania, Francíque vel Galli defecissent: Ipsique Reges Gallorum vel Francorum propter interfectionem sancti Desiderij Viennensis Episcopi, & expulsionem sanctissimorum aduenarum, Columbani videlicet & Galli, retrò labi cœpissent: gens Hunorum* priùs per Franciam & Aquitaniam, vel Gallias vel Hispanias latrocinari solita, tota simul egressa, quasi latissimum incendium cuncta deuastans, reliquas gentes quæ remanserant ad tutissimas latebras* comportauit. Quæ latebræ huiusmodi fuerunt, sicut ADALBERTVS mihi narrare consueuerat. C

* Hunnorum

* tutissima latibula

II. TERRA, inquiens, Hunorum nouem Circulis cingebatur. Et cùm ego alios circulos nisi vimineos cogitare nescius*, interrogarem, *Quid illud miraculi fuit Domine?* Respondit, Nouem hegin* muniebatur. Cúmque & illos alterius generis esse nescirem, nisi quales segeribus solent prætendi, inquisitus etiam de hoc dixit: Tam latus fuit vnus circulus, hoc est tantum intra se spacium comprehendit, quantum est spacium de castro Turonico ad Constantiam: ita stipitibus quercinis, faginis & abiegnis extructus, vt de margine ad marginem viginti pedes tenderentur in latum, & totidem erigerentur in altum. Ciuitas autem vniuersa, aut durissimis lapidibus, aut cretâ tenacissima replebatur. Porrò superficies vallorum eorumdem integerrimis cespitibus tegebatur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ, vt cernere solemus, abscissæ atque proiectæ comas caudicum foliorúmque proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici & villæ erant locatæ, vt de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra eadem quoque ædificia, inter inexpugnabiles illos muros, portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratiâ non solùm exteriores, sed etiam interiores exire solebant. Item de secundo Circulo, qui similiter vt primus erat extructus, XX. miliaria Teutonica, quæ sunt XL. Italica, ad tertium vsque ten-

* Et cùm ego quòd vimineos circulos diceret, putarem, dixi:

* haganis

CAROLVS MAGNVS.

A debatur. Similiter vsque ad nonum. Quamuis ipsi Circuli alius alio * multò
contractiores fuerunt. De Circulo quoque ad Circulum sic erant possessiones
& habitacula vndique versum ordinata, vt clangor tubarum inter singula posset
cuiusque rei significatiuus aduerti *. Ad has ergo munitiones per ducentos & eò
ampliùs annos, qualescumque omnium Occidentalium diuitias congregantes,
cùm & Gothi & VVandali quietem mortalium perturbarent, orbem Occiduum
penè vacuum dimiserunt. Quos tamen inuictissimus CAROLVS ita in annis octo
perdomuit, vt de eis minimas quidem reliquias remanere permiserit. A VVulga-
ribus * verò ideò manum retraxit, quia videlicet Hunis extinctis Regno Franco-
rum nihil nocituri viderentur. Porrò prædam in Pannonia repertam per Episco-
pia vel Monasteria liberalissima diuisione distribuit.

* alteri alteris contractiores
* audiri
* Bulgaribus

IN bello autem Saxonico cùm per semetipsum aliquando fuisset occupatus, III.
quidam priuati homines, quorum iam nomina designarem, nisi notam arro-
gantiæ deuitarem, testudine facta muros firmissimæ ciuitatis vel aggeris acer-
rimè destruebant. Quod videns iustissimus CAROLVS, primum illorum
cum consensu domini sui Keroldi Præfectum inter Rhenum & Alpes Italicas
instituit.

IBIDEM verò cùm duorum Ducum filij ad tentorium Regis excubare de- IIII.
berent, & potibus ingurgitati iacerent vt mortui: porrò ille iuxta consuetu-
B dinem suam sæpiùs euigilans, & castra circuiens, sensim & penè nullo cogno-
scente ad tabernaculum regressus est. Manè autem facto, conuocatis ad se cun-
ctis Regni primoribus, interrogauit, qua pœna dignus esset, qui Caput Fran-
corum in manus hostium tradidisset. Tunc præfati Duces earumdem rerum pe-
nitus ignari eiusmodi hominem condemnauerunt ad mortem: ipse verò durissimis
verbis coërcitos dimisit illæsos.

ERANT quoque ibi duo nothi de genitio Columbrensi procreati. Qui dùm V.
fortissimè dimicarent, requisiuit ab illis, qui & vnde nati essent. Quo comper-
to, meridiano tempore eos ad tabernacula sua vocatos sic allocutus est: *Boni
iuuenes, volo vt mihi, non alij seruiatis.* Qui cùm se ad hoc venisse testarentur,
vt vel vltimi in eius essent obsequio, dixit ille: *Ad cameram meam seruire de-
betis.* Quod indignatione simulata libenter se facturos esse etiam dum fateren-
tur, captato tempore * quo Imperator somno quiescere cœpisset, exierunt ad
castra aduersariorum: & tumultu concitato, suo vel hostium sanguine seruitutis
notam diluerunt.

* capto cōsilio, cùm Imp.

INTER huiusmodi tamen occupationes nullo modo magnanimus præter- VI.
misit Imperator, quin ad longissimarum partium Reges alios atque alios diri-
geret literarum vel munerum portitores: à quibus illi omnium Prouinciarum
sunt honores directi. Cùm igitur de sede * Saxonici belli Legatos ad Regem
Constantinopolitanum direxisset, interrogauit ille vtrum pacatum esset Re-
C gnum filij sui CAROLI, vel si à finitimis gentibus incursaretur. Cùmque
Missus * primus aliàs omnia pacata referret, nisi quòd gens quædam, quæ Sa-
xona vocitatur, creberrimis latrociniis Francorum fines inquietaret: dixit ho-
mo torpens otio, nec vtilis belli negocio: *Heu! quare laborat filius meus contra
hostes paucissimos nullius nominis, nulliúsque virtutis? Habeas tu gentem illam, cum
omnibus ad eam pertinentibus.* Quod cùm reuersus bellicosissimo Carolo nuncia-
ret, arridens ille dixit ei: *Multò meliùs tibi Rex ille consuluisset, si vnum femorale li-
neum ad tantum iter tibi tribuisset.*

* exde
* Missorum

NON videtur occultanda sapientia, quam sapienti Græciæ idem Missus ape- VII.
ruit *. Cùm autumnali tempore ad vrbem quandam regiam cum sociis venisset,
aliis aliò diuisis, ipse cuidam Episcopo commendatus est. Qui cùm ieiuniis &
orationibus incessanter incumberet, Legatum illum penè continua mortifica-
uit inedia. Vernali autem tempore iam aliquantulum arridente, præsentauit
eum Regi. qui interrogauit eum, qualis sibi idem videretur Episcopus. At ille
ex imis præcordiis alta suspiria trahens, *Sanctissimus est*, ait, *ille vester Episcopus,
quantum sine Deo possibile est.* Ad quæ stupefactus Rex, *Quomodo*, Inquit, *sine Deo
aliquis sanctus esse potest?* Tum ille, *Scriptum est*, inquit, *Deus charitas est, qua
iste vacuus est.* Tum Rex vocauit eum ad conuiuium suum, & inter medios Pro-
ceres collocauit: à quibus talis lex constituta erat, vt nullus in mensa Regis in-

* qua in Græcia idē Missus clarуit.

CAROLVS MAGNVS. digena aliquod animal, vel corpus animalis in partem aliam conuerteret: sed A ita tantùm vt impositum erat de superiore parte manducaret. Allatus est autem piscis fluuialis, & pigmentis infusus in disco ponitur. Cúmque hospes idem consuetudinis illius ignarus piscem illum in partem alteram giraret, exurgentes omnes dixerunt ad Regem: *Domine ita isto estis inhonorati die, sicut nunquam anteriores vestri.* At ille ingemiscens dixit ad Legatum illum, *Obitare non possum istis, quin morti continuò tradaris. Aliud pete quodcumque volueris, & complebo.* Tunc parumper delibetans, cunctis audientibus in hæc verba prorupit: *Obsecro Domine Imperator, vt secundum promissionem vestram concedatis mihi vnam petitionem paruulam.* Et Rex ait, *Postula quodcumque volueris, & impetrabis, præter vitam quam tibi contra legem Græcorum concedere non possum.* Tunc ille, *Hoc*, inquit, *vnum moriturus flagito, vt quicumque me piscem illum girare conspexit, oculorum lumine priuetur.* Obstupefactus Rex ad talem conditionem, iurauit per Christum, quòd ipse hoc non viderit, sed tantùm narrantibus crederet. Deinde Regina ita se cœpit excusare, *Per letificam Theotocon Sanctam Mariam, ego illud non aduerti.* Pòst reliqui Proceres, alius ante alium tali se periculo eruere satagentes, hic per Clauigerum cœli, ille per Doctorem gentium, reliqui per virtutes Angelicas, Sanctorúmque omnium turbas, ab hac se noxa terribilibus sacramentis absoluere conabantur. Tum sapiens ille Francigena vanissima Hellade in suis ædibus exuperata *, victor & sanus in patriam suam reuersus est.

* nemine illum accusante.

VIII. POST annos autem aliquot direxit illuc indefessus CAROLVS quendam Episcopum præcellentissimum mente & corpore virum, adiuncto ei comite nobilissimo Duce, qui cùm diutissimè fuissent protracti, tandem ad præsentiam Regis perducti, & indignè habiti, per diuersissima sunt loca diuisi. Tandem verò aliquando dimissi cum magno nauis & rerum dispendio redierunt. B

IX. NON post multum autem direxit idem Rex Legatarios suos ad gloriosissimum Carolum. Fortè verò contigit, vt tunc idem Episcopus cum Duce præfato apud Imperatorem fuissent. Nunciatis igitur Legatis venturis, dederunt consilium sapientissimo Carolo, vt circumducerentur per Alpes & inuia, donec attritis & consumptis omnibus ingenti penuria confecti ad conspectum illius venire cogerentur. Cúmque tandem venissent, fecit idem Episcopus, & socius eius, Comitem stabuli in medio subiectorum suorum sublimi throno considere, vt nequaquam alius quàm Imperator credi potuisset. Quem vt Legati viderunt, corruentes in terra adorare voluerunt: sed à ministris repulsi, ad interiora progredi sunt compulsi. Quò cùm venirent, Comitem Palatij videntes in medio Procerum concionantem, Imperatorem suspicati, terratenus sunt prostrati. Cúmque & inde colaphis propellerentur, dicentibus qui aderant, *Non est hic Imperator*, in vlteriora progressi inuenêre Magistrum Mensæ Regiæ cum ministris ornatissimis: quem putantes Imperatorem, deuoluti sunt in humum. Indéque repulsi repererunt in Consistorio Cubicularios Imperatoris circa Magistrum suum, de quo non videretur dubium, quin ille Princeps posset esse mortalium. C Qui cùm se quod non erat abnegaret, pollicebatur tamen, quòd cum Primoribus Palatij moliretur, quatenus si fieri potuisset, in præsentiam Imperatoris augustissimi peruenire deberent. Tunc ex latere Cæsaris directi sunt, qui eos honorificè introducerent. Stabat autem gloriosissimus Regum Carolus iuxta fenestram lucidissimam, radians sicut sol in ortu suo, gemmis & auro conspicuus, innixus super HETTONEM. hoc quippe erat nomen Episcopi ad Constantinopolim quondam destinati. In cuius vndique circuitu consistebant instar militiæ cœlestis, tres videlicet iuuenes filij eius, iam Regni participes effecti, filiæque cum matre non minùs sapientiâ vel pulchritudine quàm monilibus ornatæ. Pontifices formâ & virtutibus incomparabiles, præstantissimi nobilitate simul & sanctitate Abbates. Duces verò tales, qualis quondam apparuit Iosue in castris Galgalæ. Exercitus verò talis, qualis de Samaria Syros cum Assyrus

Psalm. 148. effugauit, vt si Dauid medius esset, hæc non immeritò præcinuisset. *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ. Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini.* Tunc consternati Missi Græcorum, deficiente spiritu, & consilio prodito, muti & exanimes in pauimentum deciderunt. Quos benignissimus Imperator eleuatos cõsolatoriis allocutionibus animare conatus est. Tandẽ

A itaque cùm exoſum quondam & abiectum à ſe Hettonem in tali gloria vidiſſent, iterum pauefacti tamdiu volutabantur humi, donec eis Rex per Regem cœlorum iuraret, nihil ſe illis mali in nullo facturum. Qua ſponſione roborati, aliquantulum fiducialiùs agere cœperunt. Patriámque reuerſi, non ſunt vlteriùs ad noſtra progreſſi. CAROLVS MAGNVS.

HIC replicandum videtur, quàm ſapientiſſimos homines præclariſſimus CAROLVS habuerit in omnibus. Cùm igitur Græci poſt Matutinas laudes Imperatori celebratas, in octauâ die Theophaniæ ſecretò in ſua linguâ Domino pſallerent, & ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, præcepit Clericis ſuis, vt nihil antè guſtarent, quàm eaſdem Antiphonas in Latinum conuerſas ipſi præſentarent. Inde eſt quòd omnes eiuſdem ſunt toni, & quòd in vna ipſarum pro *contriuit* *, *conteruit*, poſitum inuenitur. Adduxerunt etiam iidem Miſſi omne genus organorum, ſed & variarum rerum ſecum, quæ cuncta ab opificibus ſagaciſſimi Caroli, quaſi diſſimulanter adſpecta, accuratiſſimè ſunt in opus conuerſa: & præcipuè illud muſicorum organum præſtantiſſimum, quod doliis ex ære conflatis follibúſque taurinis per fiſtulas æreas mirè perflantibus, rugitu quidem tonitrui boatum, garrulitatem verò lyræ vel cymbali dulcedine coæquabat. Quod vbi poſitum fuerit, quandiúque durauerit, & quomodo inter alia R. P. damna perierit, non eſt huius loci vel temporis enarrare. X. * per contrarium, conteruit poſitum

B PER idem tempus etiam Legati Perſarum ad eum directi ſunt, qui ſitum Franciæ neſcientes, pro magno duxerunt ſi littus Italiæ propter famoſitatem Romæ, cui tunc illum imperare cognouerant, apprehendere valuiſſent. Cúmque Epiſcopis Campaniæ vel Tuſciæ, Æmiliæ vel Liguriæ, Burgundiæque, ſiue Galliæ, ſimul & Abbatibus, vel Comitibus, cauſam aduentus ſui nunciaſſent, diſſimulantérque ab eiſdem ſuſcepti, vel expulſi fuiſſent; tandem poſt anni reuolutum circulum apud Aquiſgrani famoſiſſimum virtutibus Carolum defeſſi & nimio defecti circuitu repererunt. Venerunt autem illuc in maioris Quadrageſimæ hebdomadâ maiore, nunciatique Imperatori, dilati ſunt ab eius conſpectu in vigiliam vſque Paſchæ. Cúmque in feſtiuitate præcipuâ incomparabilis ille incomparabiliter adornatus fuiſſet, iuſſit introduci perſonas eius gentis, quæ cuncto quondam eſſet orbi terribilis. Quibus excellentiſſimus tamen Carolus ita terribilis videbatur præ omnibus, quaſi nunquam Regem vel Imperatorem priùs vidiſſent. Quos ille blandè ſuſceptos hoc munere ditauit, vt quaſi vnus de filiis eius, vbicumque vellent, ambulandi, & ſingula quæque perſpiciendi, & quæcumque rogandi vel interrogandi licentiam haberent. Quo tripudio geſtientes ipſi adhærere, ipſum inſpicere, ipſúmque admirari, cunctis Orientalibus prætpoſuere diuitiis. Aſcendentéſque in ſolarium, quod ambit ædem Baſilicæ, & indè deſpectantes Clerum, vel exercitum, iterúmque atque iterum ad Imperatorem regredientes, proptérque lætitiæ magnitudinem riſum tenere nequeuntes; XI.

C complosis manibus aiebant: *Prius terreos tantùm homines vidimus, nunc autem aureos.* Deinde ad ſingulos Procerum accedentes, nouitatémque veſtimentorum ſiue armorum admirati, ad admirabiliorem Auguſtum ſunt regreſſi. Quod cùm eadem nocte & ſequente Dominica iugiter in Eccleſia facerent, in ipſo ſacroſancto die ad oppiparum conuiuium opulentiſſimi Caroli cum Franciæ Europæve Proceribus ſunt inuitati: ſed tamen rerum miraculo perculſi, propemodum exurrexere ieiuni. Poſtera Phœbæa ſpargebat lampade terras Tithoni croceum linquens Aurora cubile: cùm ecce quietis & ocij impatientiſſimus Carolus ad venatum biſontium vel vrorum in nemus ire, & Perſarum Nuncios ſecum parat educere. Qui cùm ingentia illa viderent animalia, nimio pauore perculſi in fugam conuerſi ſunt. At non territus heros Carolus, vt in equo ſedebat acerrimo, appropinquans, vni eorum extractâ ſpatâ ceruicem eius abſcindere conabatur. Sed fruſtrato ictu galliculam Regis & faſciolam ferus inmaniſſimus diſrumpens, tibiámque illius ſummo licèt cornu perſtringens, paulò tardiorem reddidit, & in conuallem tutiſsimam ligneis & lapidibus aſperatam, caſſo vulnere irritatus aufugit. Cúmque ad obſequium Domini cuncti hoſſas * ſuas vellent extrahere ille prohibuit, dicens: *Sic affectus ad Hildigardam venire debeo.* Conſecutus autem feram ISAMBARDVS filius VVARINI perſecutoris patroni veſtri OTMARI, cùm propiùs non fuiſſet auſus accedere, librata lancea inter armum & gut- * in margine Cod. Banarici hac verba erant, Theuger mit den hoſen.

CAROLVS MAGNVS. tur cor eius penetrauit, & Imperatori palpitantem consignauit. Quod cùm ille quasi non aduertisset, cadauere sociis relicto, reuersus est domum: aduocatáque Reginâ, ostendit ocreas disruptas, & dixit ei: *Quid dignus est, qui de hoste hac insligente me liberauit?* Illáque respondente, *Omni bono*: enarrauit Imperator cuncta per ordinem, & immanissimis cornibus in testimonium prolatis, ad lacrimas & suspiria pugnósque pectoris dominatricem coëgit. Quæ cùm audisset, quòd tunc odibilis & cunctis honoribus expoliatus Isambardus Imperatorem de tali aduersario vindicasset, eius pedibus aduoluta impetrauit ei omnia quæcunque fuerant illi ablata. sed & ipsa eidem est munera largita. A

XII. ATTVLERVNT autem Persæ elephantum, & simias, opobalsamum, nardum, vnguentáque varia, pigmenta, odoramenta, vel medicamenta diuersissima: adeò vt Orientem euacuasse & Occidentem viderentur impleße. Cúmque multa apud Imperatorem familiaritate vti cœpissent, quadam die cùm iam lætiores essent, & grecingario * fortiori incaluissent, ad CAROLVM serenitate sobrietatéque semper armatum iocularitet hæc prolocuti sunt: *Magna quidem est, ô Imperator, potentia vestra, sed multò minor rumore quo apud Orientalia Regna diffamatus polletis.* Quo ille audito, & profundissima indignatione dissimulata, iocularitet inquisiuit ab eis, *Cur ita, filij mei, dicitis? vel hoc vnde videtur?* At illi repetentes à principio narrauerunt ei cuncta, quæ sibi in cismarinis partibus contigerunt, dicentes: *Nos Persæ vel Medi, Armeniique vel Indi, & Elamitæ, omnésque Orientales, multò magis vos quàm dominatorem nostrum Aaron timemus. De Macedonibus autem vel Achiuis quid dicamus? qui iam iámque magnitudinem vestram plus se fluctibus Ioniis oppressuram pauitant? Insulani autem omnes, per quos iter habuimus, ad obsequium vestrum ita prompti sunt & intenti, quasi in Palatio vestro nutriti fuerint, beneficiis ingentibus honorati. Istarum autem partium primores, vt nobis videtur, non satis curant de vobis, nisi tantùm in præsentia vestra.* Nam cùm eis, vt potè peregrini, perindè suggereremus, vt aliquid nobis humanitatis vestri amore, quia vos quæreremus, exhibere dignarentur, inaditos & vacuos dimiserunt. Tunc Imperator omnes Comites & Abbates, per quos iidem Missi profecti sunt, cunctis honoribus denudauit. Episcopos autem infinitâ pecuniâ mulctauit, vel damnauit. Legatos verò cùm ingenti cautelâ & honore ad vsque proprios fines deduci præcepit. B

* mero

XIII. VENERVNT quoque ad eum Legatarij Regis Afrorum, deferentes Leonem Marmaricum, Vrsúmque Numidicum, cum ferrugine Hibera, Tyrióque murice, & ceteris earumdem regionum insignibus. Cùm liberalissimus Carolus Lybicos iugi penuria confectos, Europæ diuitiis, videlicet frumento, vino, & oleo, non solùm tunc, sed & omni tempore vitæ suæ remunerans, & larga manu sustentans, subiectos sibi atque fideles in perpetuum retentauit, & ab iis non vilia tributa suscepit.

XIV. PORRO autem Imperator Regi Persarum direxit Nuncios, qui deferrent equos & mulos Hispanos, palliáque Fresonica alba, cana, vermiculata, vel saphyrina, quæ in illis partibus rara & multùm cara comperit. Canes quoque agilitate & ferocia singulares, quales ipse priùs ad capiendos vel propellendos leones & tigrides postulauit. Qui ceteris muneribus quasi negligenter inspectis, requisiuit à Missis, quas feras & bestias canes illi debellare solerent. Cúmque responsum acciperet, quia cuncta quibus immissi fuissent, absque mora discerperent: *Hoc*, inquit, *res probabit euentus.* Et ecce crastiuâ die factus est maximus pastorum clamor à facie Leonis fugientium. Quod cùm in Aula Regis fuisset auditum, dixit ad Legatos, *O socij Franci, ascendite in equos vestros, & exite post me.* Qui statim quasi nihil vnquam laboris, aut lassitudinis passi, alacriter sunt Regem prosecuti. Cùm autem ad conspectum Leonis eminùs licet ventum fuisset, dixit Satraparum Satrapa: *Instigate canes vestros in Leonem.* Qui iussa complentes, acerrimè aduolantes à Germanicis canibus Persicum Leonem comprehensum Hyperboreæ venæ gladiis in Saxonum duratis sanguine peremerunt. Quo viso, nominis sui fortissimus Heros Aaron ex rebus minimis fortiorem Carolum deprehendens, his verbis in eius fauorem prorupit: *Nunc autem cognosco quàm sint vera, quæ audiui de fratre meo Carolo, qui scilicet assiduitate venandi, & infatigabili studio corpus & animum exercendi, cuncta quæ sub cælo sunt consuetudinem habet edo-* C

Carolvs Magnvs.

A *mundi. Quid igitur ei possum condignum rependere, qui ita me curauit honorare? Si terram promissam Abrahæ & exhibitam Iosue dedero illi, propter longinquitatem locorum non potest eam defensare à barbaris: vel si iuxta magnanimitatem suam defensare à barbaris cœperit, timeo ne finitima Regno Francorum Prouinciæ discedant ab eius Imperio. Dabo illam quidem in eius potestatem, & ego Aduocatus eius ero super eam: ipse verò quandocumque voluerit, vel ipsi opportunissimum visum fuerit, dirigat ad me Legatos suos, & fidelissimum me procuratorem eiusdem Prouinciæ redditum * inueniret.* Hoc ergo modo factum est, vt quod pro impossibili dixit Poëta, (* redeuium)

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim, (Virgil. Ecloga 1.)

propter industriam victoriosissimi Caroli, & itum vel reditum Legatorum eius, & profectionem vel reuersionem Missorum Aaron de Parthia in Germaniam, siue de Germania in Parthiam, iuuenibus, & senioribus ac pueris non solùm possibile, sed & facillimum videretur omninò. Vtrumlibet Ararim accipere velint Grammatici, eum videlicet qui Rhenum, vel eum qui Rhodanum præcipitat: quia hoc locorum confuderunt ignari. Ad huius rei testimonium totam ciebo Germaniam, quæ temporibus gloriosissimi patris vestri LVDVVICI de singulis bubus vel mansis possessionum regalium singulos denarios reddere compulsa est, qui darentur ad redemptionem Christianorum terram repromissionis incolentium, hoc pro antiqua dominatione ataui vestri Caroli, auique vestri Luduuici, ab eo miserabiliter implorantium.

B ET quia ita se obtulit occasio, vt de indicibili patre vestro incideret honoranda mentio, libet commemorare præsagium, quod de illo sapientissimum constat protulisse Carolum. Nam cùm natus & sex annis in domo patris cautissimè nutritus sexagenariis hominibus sapientior haud immeritò videretur, genitor indulgentissimus, qui hoc vix ægrè expectauit, vt ad conspectum aui eum perducere potuisset, assumens puerum à matre delicatissimè curatum cœpit instruere, quàm seriè vel quàm timoratè ante Imperatorem se ageret, aut fortè interrogatus ei responderet, necnon & sibi ferre deberet. & sic eum ad Palatium produxit. Cumque prima die vel secunda inter reliquos statores eum in præcuriosioribus oculis intueretur, dixit ad filium, *Cuius est ille puerulus?* Illo respondente, *Quia meus & vester, si dignamini:* postulauit eum dicens, *Da mihi illum.* Quod cùm factum fuisset, deosculatum serenissimus Augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille mox dignitatem suam cognoscens, & cuiquam post Imperatorem secundus manere despiciens, collectis animis, & membris compositissimè collocatis, æquato gradu stetit iuxta patrem suum. Quod prouidentissimus adspectans Carolus, vocato ad se filio præcepit, vt interrogaret cognominem suum, cur ita faceret, vel qua fiducia se patri adæquare præsumeret. Ille verò ratione C subnixum reddidit responsum. *Quando,* inquiens, *vester eram vassallus, post vos vt oportuit inter commilitones meos steteram: nunc autem vester socius commilito non immerito me vobis coæquo.* Quod cùm Luduuicus Imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgauit: *Si vixerit puerulus iste, aliquid magni erit.* Quæ verba ideò de Ambrosio mutuati sumus, quia Carolus quæ dixit non possunt examussim in Latinum conuerti. Nec immeritò prophetiam de sancto Ambrosio, Magno accommodauerim Luduuico, qui exceptis eis rebus & negociis, quibus respublica terrena non subsistit, coniugio videlicet vsúque armorum, per omnia simillimus, imò etiam quantum quoque potentia Regni, tantum Religionis studio, si dici liceat, quodammodo maior extiterit Ambrosio. Fide scilicet Catholicus, Dei cultor eximius, seruorum Christi socius, tutor & defensor indefessus. Quod adeò verum est, vt cùm fidelis eius, Abba noster Hartmutus, nunc autem vester Inclusus, ei retulerit, quòd reiculæ sancti Galli non ex regalibus donariis, sed ex priuatorum traditiunculis collectæ, nullum priuilegium aliorum Monasteriorum, vel communes cunctorum populorum leges haberet, & ideò neminem sui defensorem vel Aduocatum reperire potuissent: ipse cunctis aduersariis nostris se opponens, Aduocatum se vilitatis nostræ coram cunctis Principibus suis profiteri non erubuerit. Quo etiam tempore Epistolam ad vestram indolem direxit, vt per vestram auctoritatem iuramento coacto, quæcumque opus habuerimus, licenter quærere deberemus. Sed heu! quàm stultus ego, qui propter specialem bonitatem ab eo nobis præbitam, à generali & (XV. ; Paulinus in vita S. Ambrosii.)

CAROLVS MAGNVS. ineffabili eius bonitate & magnitudine, vel magnanimitate, parùm consultè, priuato gaudio retrahente, digressus sum! A

XVI. ERAT itaque hilaris Rex vel Imperator totius Germaniæ, Retiarúmque, & antiquæ Franciæ, nec non & Saxoniæ, Turingiæ, Noricæ, Pannoniarum, atque omnium Septentrionalium nationum, staturâ optimus, formâ decorus, oculis astrorum more radiantibus, voce clara, & omninò virili, sapientiâ singularis, quam acutissimo fretus ingenio, Scripturarum assiduitate cumulatiorem reddere non cessabat. Ideóque ad anticipandas vel superandas omnes inimicorum insidias, & subiectorum litigia terminanda, fidelibus suis vniuersa commoda prouidenda, incomparabili viuacitate pollebat. Cunctis gentibus circumquaque versis anterioribus suis magis magisque terrificus subindè perseuerabat. Et meritò: quippe qui nunquam linguam suam iudicio, aut manus suas effusione sanguinis Christiani commacularet, præter vltimam necessitatem. Quam priùs enarrare non audeo, quàm aliquem paruulum Luduuiculum vel Carolastrum vobis adstantem videro. Post quam tamen cædem credere nullo vnquam modo compelli * potuit, vt quempiam condemnaret ad mortem. Sed tamen hac districtione infidelitatis vel insidiarum insimulatos coërcere solebat, vt honoribus priuatos nulla vnquam occasione vel temporis longitudine mollitus ad pristinum gradum conscendere pateretur. Ad orationis studium, & deuotionem ieiuniorum, curámque seruitij diuini, suprà omnes homines ita erat intentus, vt exemplo sancti Martini quicquid aliud ageret, semper quasi præsenti Domino supplicare videretur. Carne & cibis lautioribus diebus certis abstinuit. Tempore verò Letaniarum de Palatio discalceatis pedibus vsque ad Ecclesiam Pastoralem, vel ad sanctum HEMERAMNVM, si quidem esset Regenespurg *, Crucem sequi solitus erat. In aliis verò locis commanentium consuetudinem non abnuebat. Oratoria noua ad Frankenoford & Regenespurg admirabili opere construxit. Cùm propter magnitudinem fabricæ alij lapides non sufficerent, muros vrbis destrui fecit. In quorum cauitatibus tantùm auri circa antiquorum ossa reperit, vt non solùm Basilicam eandem eodem adornaret, sed & Libros integros exinde conscriptos thecis eiusdem materiei grossitudine prope digiti cooperiret. Nullus Clericus, nisi legere doctus aut canere, non solùm cum eo manere, sed ne in conspectum eius venire præsumpsit. Monachos verò voti sui præuaricatores ità despexit, vt obseruatores omni affectu dilexit. Ita omni iocunditate ac dulcedine plenus semper extitit, vt si quis ad eum tristis adueniret, ex sola visione vel quantulacumque eius allocutione lætificatus abscederet. Quòd si quid fortè sinistrum aut ineptum in eius conspectu subitò fieret, vel cum aliunde comperisse contingeret, sola oculorum animaduersione sic omnia correxit, vt quod de æterno internóque iudice scriptum est: *Rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum*, suprà fas mortalibus concessum, in illo non ambigeretur inceptum. Hæc breuiter per excessum dixerim: vita comite, propitiáque diuinitate votum habens plurima de eo scribere. Ad propositum iam redeundum est. C

* cogi

* Reganesburg

XVII. INTEREA cùm Imperator CAROLVS propter aduentantium frequentiam vel infestationem indomitissimorum Saxonum, vel latrocinia piraticámque Nordmannorum siue Maurorum, apud Aquisgrani paulo diutiùs consedisset: bellum autem contra Hunos à filio eius Pippino gereretur, exeuntes à Septemtrione barbaræ nationes Noricum & Orientalem Franciam magna ex parte deprædatæ sunt. Quod ille comperiens, per se ipsum ita omnes humiliauit, vt etiam pueros & infantes ad spatas metiri præciperet, & quicumque eandem mensuram excederet, capite plecteretur. De quo facto aliud multo magis & illustrius opus excreuit. Cùm enim sanctissimus auus Imperij vestri vitâ decederet, quidam Gigantes (quales propter iracundiam Dei per filios Seth de filiabus Cain narrat Scriptura procreatos) spiritu superbiæ inflati, eorum proculdubio suppares qui dixerunt: *Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hereditas in filio Isai?* eius prolem habitudinis optimæ despicientes, singuli sibi Principatum Regni accipere, & diadema portare conati sunt. Tunc quibusdam de mediocribus, Dei instinctu, protestantibus, quòd inclytus Imperator Carolus hostes quondam Christianorum metiretur ad spatam, & idcircò quandiu de progenie illius aliquis

Genes. 6.

3. Reg. 12.

A spatæ longitudinis inueniri posset, ille Francis, imò Germaniæ deberet imperare: factio illa diabolica quasi fulminis ictu percussa in diuersa disiecta est. CAROLVS MAGNVS.

SED extraneorum victor CAROLVS, à propriis est mira quidem, sed cassa fraude circumuentus. Nam de Sclauis ad Regnum regressus, à filio per concubinam progenito, nomine gloriosissimi Pippini à matre ominaliter insignito, penè captus, & , quantum in eo fuit, est morte damnatus. Quod hoc modo compertum est. Cùm in Ecclesia sancti Petri Proceribus congregatis, de morte Imperatoris consiliatus fuisset, finito consilio omnia tuta timens, iussit explorare, si quis vsquam in angulis aut subter altaribus fuisset absconsus. Et ecce, vt timuerunt, inuenerunt vnum Clericum subtus altare celatum. Quem apprehendentes, ad iusiurandum compulerunt, ne proditor eorum molitionis fieret. Qui ne vitam perderet, vt dictauerunt, iurare non abnuit. Sed illis recedentibus, iuramentum illud sacrilegum paruipendens, ad Palatium properauit. Cúmque cum maxima difficultate per septem fores & ostia tandem ad cubiculum Imperatoris penetrasset, pulsato aditu vigilantissimum semper Carolum ad maximam perduxit admirationem, quis eo tempore eum præsumeret inquietare. Præcepit tamen feminis, quæ ad obsequium Reginæ vel filiarum eum comitari solebant, vt exirent videre quis esset ad ianuam, vel quid inquireret. Quæ exeuntes, cognoscentésque personam vilissimam, obseratis ostiis cum ingenti risu & cachinno se per angu- XVIII.

B los, vestibus ora repressæ, conabantur abscondere. Sed sagacissimus Imperator, quem nihil sub cœlo posset effugere, diligenter à mulieribus exquisiuit, Quid haberent, vel quis ostium pulsaret. Responsúmque accipiens, quia quidam coccio, quidam derasus, insulsus, & insaniens, linea tantùm & femoralibus indutus, se absque morâ postularet alloqui: iussit eum intromittere. Qui statim corruens ad pedes illius, cuncta patefecit ex ordine. Nihil verò minus suspicantes, ante horam diei tertiam omnes illi coniuratores dignissima pœnâ vel exiliis deportati sunt, aut puniti. Ipse quoque nanus & gibbosus Pippinus immanissimè cæsus & detonsus, ad Cellam sancti Galli, quæ cunctis locis Imperij latissimi pauperior visa est & angustior, castigandi gratiâ ad tempus aliquantulum destinatus est.

NEC multò post quidam de primoribus Francorum in Regem manus mittere voluerunt. Quod cùm eum minimè lateret, & tamen non libenter eos perderet, (quia si benè voluissent, magnum Christiani populi munimen esse potuissent) direxit Legatos suos ad eundem Pippinum, sciscitans ab eo, quid de his fieri oporteret. Quem cùm in horto cum senioribus fratribus (iunioribus ad maiora opera detentis) vrticas & noxia quæque tridente extrahentem reperissent, vt vsui proficua viuaciùs excrescere valerent, indicauerunt ei causam aduentus sui. At ille ex imis præcordiis suspiria trahens, vt omnes debiles animosiores sanis XIX.

C esse consueuerunt, in hæc verba respondit: *Si Carolus consilium meum dignaretur, non ad tantas me deponeret iniurias. Ego nihil illi demando: dicite ei quid me agentem inueneritis.* At illi timentes ne sine aliquo certo responso ad formidabilem reuerterentur Imperatorem, iterum atque iterum requirebant ab eo, quid Domino renunciare deberent. Tunc ille stomachando, *Nihil*, inquit, *aliud ei demando, nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, vt olera necessaria liberiùs excrescere valeant.* Igitur illi tristes abscesserunt, quasi qui nihil rationabile reportarent. Venientes autem ad Imperatorem, & requisiti quid referrent, conquesti sunt, se tanto labore & itinere fatigatos ne in vno quidem sermone certiorati potuisse. Sagacissimo autem Rege per ordinem interrogante, vbi eum, vel quid agentem repererint, quidque illis responsi reddiderit, dixerunt: *In itinerio rusticano sedentem eum inuenimus, & tridente areolam olerum nouellantem: causámque itineris nostri reuoluentes, hoc solùm ab eo responsi magnis flagitationibus extorquere potuimus. Nihil aliud ei demando nisi quod facio. Inutilia recrementa extraho, vt olera necessaria liberiùs excrescere valeant.* His auditis, astu non carens, & sapientiâ pollens Augustus, confricatis auribus, & inflatis naribus, dixit ad eos: *Rationabile responsum, optimi vassalli, reportastis.* Illis itaque de periculo vitæ metuentibus, ipse vim dictorum ad effectum perducens, cunctos illos insidiatores suos de medio viuentium auferens, fidelibus suis occupata ab infructuosis loca crescendi & se extendendi causâ concessit. Vnum verò aduersariorum, qui excelsissimum in Francia collem, vt quæcumque de eo prospicere posset, sibi in possessionem delegit, in eodem colle altissima

CAROLVS MAGNVS. trabi affixum iussit leuari. Pippinum verò nothum suum præcepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset. Qui optione concessa, optauit locum in quodam Monasterio tunc nobilissimo, nunc autem non incertum de qua caussa destructo: quam antea non solum, quàm BERNARDVLVM vestrum spata femur accinctum conspiciam. A

XX. INDIGNATVS est autem magnanimus CAROLVS, quia ipse ad barbaras illas nationes sit exire prouocatus, cùm quilibet Ducum suorum ad hoc videretur * idoneus. Quod etiam ita esse, ex vnius comprouincialium meorum facto probabo. Erat quidam vir de Durgonum *, iuxta nomen suum magna pars terribilis exercitus, vocabulo Cishere, tantæ proceritatis, vt de Enachim stirpe procreatus credi potuisset, nisi tantum temporis ac locorum interesset. Qui quotiescúmque ad fluuium Duram Alpinis torrentibus tumefactum exundantémque venisset, nec caballum maximum in eius non dicam fluenta, sed nec liquentia posset impellere, habenis fluitantem post se traxit, inquiens: *Per dominum Gallum velis nolis me sequi debebis.* Is itaque cùm in comitatu Cæsaris Behemanos *, VVilzos, & Auaros in modum prati secaret, & in auicularum modum de hastili suspenderet, domum victor reuersus, & à torpentibus interrogatus, qualiter ei in regione VVinidum complaceret; illos dedignatus, aiebat: *Quid mihi ranunculi illi? Septem, vel octo, vel certè nouem de illis hasta mea perforatos, & nescio quid murmurantes, huc illúcque portare solebam. Frustra aduersum tales vermiculos dominus Rex & nos fatigati sumus.* B

* credereter
* Durgué
* Bemanos, VVinidos, & Auares

XXI. EODEM itaque tempore cùm Imperator Hunorum bello extremam manum imposuisset, & supradictas gentes in deditionem suscepisset, exeuntes Nordmanni Gallis & Francis magnam inquietudinem fecerunt. Reuersus autem inuictissimus CAROLVS itinere terrestri, quamuis multum angusto & inuio, domi eos inuadere conatus est *. Sed vel Dei prouidentiâ prohibente, vel vt secundum Scripturam in his experiretur Israëlem, vel peccatis nostris obsistentibus, cuncta illius tentamenta in irritum sunt deducta: in tantum vt ad incommoda totius exercitus comprobanda, de vnius Abbatis copiis in vna nocte quinquaginta boum paria repentina peste numerarentur extincta. Sapientissimus ergo virorum Carolus, ne Scripturæ inobediens, contra ictum fulminis conaretur, destitit ab incœpto. Cùm verò per non modicum tempus latissimum peragraret Imperium, Godefridus Rex Nordmannorum absentiâ eius animatus fines Regni Francorum inuasit, Mosellanúmque pagum in sedem sibi prælegit. Cùm verò falconem suum de aucta * vellet extrahere, consecutus est eum filius suus, cuius nuperrimè matrem reliquit, & alteram super eam duxit vxorem, & cum gladio per medium diuisit. Quo facto, sicut quondam Holoferne perempto, nullus in animis vel armis, sed in solo fugæ præsidio ausus est confidere. Et ita ne exemplo ingrati Israëlis contra Deum gloriaretur, absque sua industria liberata est Francia. Inuictus autem nec vincendus vmquam Carolus, de tali quidem iudicio Deum glorificans, plurimùm conquestus est quòd propter absentiam suam aliquis de illis euaserit. *Heu! proh dolor!* inquiens, *quod videre non merui, quomodo Christiana manus mea cum cynocephalis illis luserit.* C

* molitus est.
Iudic. 2.
Eccles. 4.
* atera
Iudith 15.

XXII. CONTIGIT quoque ad quandam maritimam Galliæ Narbonensis vrbem vagabundum CAROLVM inopinatò venire. Ad cuius portum eo prandente, sed ignorato, piratirium * exploratores Nordmannorum fecerunt. Cúmque visis nauibus alij Iudæos, alij verò Africanos, alij Brittannos mercatores esse dicerent, sapientissimus Carolus ex structione nauium vel agilitate non mercatores, sed hostes esse deprehendens, dixit ad suos: *Istæ naues non confertæ mercimoniis; sed hostibus fœta sunt acerrimis.* His auditis, alter alterum præuenire cupientes, festinè properabant ad naues. sed frustra. Nam comperto Nordmanni, quòd ibidem esset, vt ipsi eum nuncupare solebant, Martellus Carolus, ne omnis armatura sua in illo aut retunderetur, aut in minutissimas resoluta particulas disperiret, effugio satis incomparabili insequentium non solùm gladios, sed & oculos euitarunt *. Religiosissimus autem Carolus, iustus & timoratus, exurgens de mensa ad fenestram Orientalem constitit, & inæstimabilibus lachrymis diutissimè perfusus, cùm nullus eum compellare præsumeret, tandem aliquando ipse bellicosissimis Proceribus suis de tali gestu & lachrymatione sa-

* quidam piratarum
* effugerunt.

A tisfaciens, *Scitis*, inquit; *ó fideles mei, quid tantopere plorauerim? Non hoc*, ait, *ti-* CAROLVS
meo, quòd isti nugis mihi aliquid nocere praualeant: sed nimium contristor, quòd me MAGNVS.
viuente nisi sunt littus istud attingere; & maximo dolore torqueor, quia præuideo, quan-
ta mala posteris meis & eorum sint facturi subiectis. Quod ne adhuc fiat, Christi Do-
mini nostri tutela prohibeat, & gladius vester in sanguine Nordmannorum dura-
tus obsistat, adiuncto sibi mucrone CARLOMANNI fratris vestri, tincto quidem
in eorumdem cruore, sed nunc non propter ignauiam, sed propter inopiam re-
rum angustiámque terrarum fidelissimi vestri ARNOLDI, ita in rubiginem ver-
sus, vt tamen iussu & voluntate potentiæ vestræ haud difficulter possit ad acu-
men & splendorem perduci. Hic enim solus ramusculus cum tenuissima Ben-
nolini * astula de fecundissimâ Ludouici radice sub singulari cacumine prote- * Bemlin
ctionis vestræ pupulascit *. Etenim ergo de proatauo vestro Pippino in historiam * pullulascit.
vestri cognominis aliquid inseratur, quod, concedente clementia diuinâ, mox
futurus Carolaster, aut Luduuiculus vester imitetur.

LONGOBARDIS vel ceteris hostibus Romanos infestantibus, miserunt Le- XXIII.
gatos suos ad eundem PIPPINVM, vt propter amorem sancti Petri sibi quanto-
ciùs in auxilium venire dignaretur. Qui absque mora subiugatis hostibus, ora-
tionis tantùm gratia Romam victor ingreditur, & à ciuibus hac laude suscipitur,
Cunes Apostolorum, & domestici Dei aduenerunt hodie portantes pacem, & illuminan-
B *tes patriam, dare pacem gentibus & liberare populum Domini.* Cuius vim carminis &
originem quidam ignorantes *, hoc in natalitiis sanctorum Apostolorum cane- * nescientes quidam
re consueuerunt. Ipse verò inuidiam Romanorum, imò, vt veriùs loquar, Con-
stantinopolitanorum declinans, mox in Franciam reuertitur. Comperto autem
quòd primates exercitus eum clanculò despicientes carpere solerent; præcepit
adduci taurum magnitudine terribilem, & animis indomabilem; leonémque fe-
rocissimum in illum dimitti. Qui impetu validissimo in eum irruens, apprehensa
ceruice tauri proiecit in terram. Tunc Rex dixit ad circunstantes, *Abstrahite*
leonem à tauro, vel occidite eum super illum. Qui spectantes ad alterutrum, con-
gelatisque præcordiis pauefacti, vix hæc singultando mussitare potuerunt: *Do-*
mine, non est homo sub cœlo qui hoc audeat attentare. Quo ille confidentior exurgens
de throno, & extractâ spatâ per ceruicem leonis, ceruicem tauri diuisit ab ar-
mis: & spatâ in vaginam remissa, consedit in solio. *Videtur vobis*, inquiens,
vtrum Dominus vester esse possimus? Non audistis quid fecerit paruus Dauid ingenti
illi Goliath, vel breuissimus Alexander procerissimis satellitibus suis? Tunc quasi
tonitru percussi ceciderunt in terram, dicentes: *Quis nisi insaniens dominationem*
vestram mortalibus imperare detrectatur?

NON solùm contra bestias & homines talis extitit, sed etiam contra spirita- XXIIII.
C les nequitias inauditum certamen exercuit. Nam cùm Aquisgrani, thermis non-
dum ædificatis, calidi saluberrimique fontes ebullirent, iussit Camerarium suum
præuidere, si fontes purgati essent, & ne quis ignotus ibi dimitteretur. Quod
cùm factum fuisset, assumpto Rex gladio, in linea ex subtalaribus properauit ad
balneum: cùm repente hostis antiquus eum quasi perempturus aggreditur. Rex
autem crucis signo munitus, nudato gladio vmbram in humana aduertens effi-
gie, inuincibilem gladium ita terræ infixit, vt diutino luctamine vix eum reuoca-
uerit. Quæ tamen vmbra tantæ crassitudinis erat, vt cunctos illos fontes tabo &
cruore, abominandáque pinguedine deturparet. Sed nec his motus insuperabilis
Pippinus, dixit ad Cubicularium: *Non sit tibi cura de talibus, fac effluere infectam*
illam aquam, vt in ea, quæ pura manauerit, sine mora lauari debeam.

PROPOSVERAM quidem, Imperator Auguste, de solo proauo vestro CA- XXV.
ROLO, omnia vobis scientibus quæcumque fecit, breuem narratiunculam rete-
xere. Sed cùm ita se obtulerit occasio, vt necessariò memoria fiat gloriosissimi
patris vestri LVDVVICI, cognomento Illustris, & religiosissimi proataui ve-
stri PIPPINI iunioris, de quibus propter ignauiam modernorum grande si-
lentium est, omnia intacta præterire nefarium iudicaui. Nam de maiore PIPPI-
NO integrum penè librum doctissimus Beda in Ecclesiastica procudit Historia.
His itaque per excessum commemoratis, ad cognominalem vestrum illustrem
Carolum olorinus iam redeat natatus. Sed si bellicis rebus ab eo gestis aliquid
non subtraxerimus, nunquam ad quotidianam eius conuersationem reuoluen-

CAROLVS MAGNVS. dam reducimur. Quapropter quæ concurrunt in præsenti, quàm strictissimè potuero memorabo. A

XXVI. POST mortem victoriosissimi Pippini, cùm iteratò Longobardi Romam iam inquietarent, inuictus CAROLVS quamuis in Cisalpinis partibus nimirum occupatus, iter in Italiam haud segniter arripuit, & incruento bello siue spontanea deditione humiliatos in seruitium accepit Longobardos: & in firmitatis gratiam, ne vnquam à Regno Francorum discernerent *, vel terminis sancti Petri aliquam irrogarent iniuriam, filiam DESIDERII Longobardorum Principis duxit vxorem. Qua non post multum temporis, quia esset clinica, & ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum Sacerdotum relicta, velut mortua: iratus pater iuramento sibi Prouinciales astringens, ipséque in muris Ticinensibus se concludens, inuincibili Carolo rebellare disposuit. Quod ille pro certo comperiens, illuc iter accelerauit. Contigit autem ante aliquot annos, quendam de primis Principibus nomine OGGERVM offensam terribilissimi Imperatoris incurrere, & ob id ad eundem Desiderium confugium facere. Audito autem aduentu metuendi Caroli, ascenderunt in turrim eminentissimam, vnde longè latéque prospicere venientem potuissent. Apparentibus verò impedimentis, quæ expeditiora Darij vel Iulij fuissent expeditionibus, dixit Desiderius ad Oggerum: *Estne Carolus in tanto exercitu?* At ille respondit, *Non adhuc.* Videns verò exercitum popularium de latissimo Imperio congregatum, diffinitè pronunciauit ad Oggerum: *Verè in his copiis Carolus exultat.* Respondit Oggerus: *Sed non adhuc, neque adhuc.* Tunc æstuare cœpit, & dicere: *Quid faciemus, si plures cum eo venerint?* Dixit Oggerus, *Videbis qualis ille veniat. De nobis autem nescio quid fiat.* B Et ecce ista sermocinantibus, apparuit schola vocationis * semper ignara. Quam videns Desiderius, stupefactus, *Iste est*, inquit, *Carolus*. Et Oggerus, *Non*, inquit, *adhuc*. Post hanc cernuntur Episcopi, Abbatésque, & Clerici Capellani cum Comitibus suis. Quibus aspectis, hæc vix ægrè iam lucis inimicus mortisque Desiderius singultando blaterauit: *Descendamus, & abscondamur in terrâ à facie furoris aduersarij tam immanis.* Ad quæ retulit extumescens Oggerus, rerum & apparatus incomparabilis Caroli quondam expertus, & in meliori tempore assuetissimus: *Quando videris*, inquiens, *segetem campis inhorrescere, ferreum Padum & Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros ciuitatis inundantes, tunc est spes Caroli venientis.* His necdùm expletis, primùm ad Occasum Circino vel Borea cœpit apparere quasi nubes tenebrosa, quæ diem clarissimam horrentes conuertit in vmbras. Sed propiante paululum Imperatore, ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus Carolus ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferreo thorace ferreum pectus humerósque Platonicos tutatus, hasta ferrea in altum subrectâ sinistrâ impletus. Nam dextera ad inuictum chalybem semper erat extenta. Coxarum exteriora, quæ propter faciliorem ascensum in aliis solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur bracteolis. De ocreis quid dicam? quæ & cuncto exercitui solebant ferreæ semper esse vsui. In clypeo nihil apparuit nisi ferrum. Caballus quoque illius animo & colore ferrum tetinebat. Quem habitum cuncti præcedentes, vniuersi ex lateribus ambientes, omnésque sequentes, & totus in commune apparatus, iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos & plateas replebat; solis radij reuerberabantur acie ferri; frigido ferro honor à frigidiori deferebatur populo. Splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. *O ferrum! heu ferrum!* clamor confusus insonuit ciuium. Ferro contremuit firmitas murorum, & iuuenum consilium ferro deperiit seniorum. His igitur, quæ ego balbus & edentulus, non vt debui, circuitu tardiore diutiùs explicare tentaui, veridicus speculator Oggerus celerrimo visu contuitus, dixit ad Desiderium: *Ecce habes quem tantopere perquisisti.* Et hæc dicens, penè exanimis cecidit. Sed quia ipso die vel propter amentiam, vel propter aliquam spem resistendi, ciues vrbici eum suscipere noluissent, dixit artificiosissimus Carolus ad suos. Faciamus hodie aliquid memorabile, no diem istum otiosi transegisse vituperemur. Acceleremus efficere vnum Oratoriolum, in quo, si nobis citiùs apertum non fuerit, diuinis seruitiis insistere debeamus. Et hac voce emissa, alij aliò discurrentes, calcem & lapides, alij verò ligna vel alia pigmenta congregantes, artificibus semper eum comitantibus, attulerunt C

* discederent,

* vacationis

A lerunt. Qui à quarta diei hora ante duodecimam talem Basilicam muris & tectis, CAROLVS MAGNVS.
laquearibus & picturis, auxiliante tironum manu militúmque construxerunt, vt
nulli adhuc eam cernenti, nisi per annum integrum potuisse fieri credatur. Postera
verò die, quanta facilitate, quibusdam ciuium sibi aperire volentibus, quibusdam
licèt frustrà rebellare, vel vt veriùs dicam se includere volentibus,
absque cruoris effusione, sola tantùm industriâ, ciuitatem superauerit, ceperit,
illis scribendum relinquo, qui non aliquo amore, sed quæstus tantùm gratiâ vestram
Celsitudinem comitantur.

EXIN ad vlteriora progressus, venit religiosissimus Carolus ad vrbem Furiolanam *, quam qui sibi scioli videntur Forum-Iuliense nuncupant. Contigit autem, vt eodem tempore Episcopus ciuitatis illius, aut (vt modernorum loquar consuetudine) Patriarcha, occasui vitæ propinquaret. Ad quem cùm religiosissimus Carolus visitandi gratiâ properaret, vt successorem suum ex nomine designare deberet, ille religiosè admodum ex imis præcordiis suspiria trahens: *Domine*, inquit, *Episcopatum istum diu sine aliquâ vtilitate vel profectu spiritali retentum, iudicio diuino & vestræ dispositioni relinquo, ne ad cumulum peccatorum, quem viuens exaggeraui, etiam mortuus aliquid superinijcere apud ineuitabilem & incorrumpendum iudicem deprehendar.* Quod sapientissimus Carolus ita cepit, vt eum antiquis Patribus non immeritò coæquandum iudicauerit. Cùm autem in eadem

XXVII.

* Fussolanam

B regione aliquantispet immoratus fuisset exercitatissimus inexercitatissimorum * Francorum Carolus, donec Episcopo decedente dignum ei successorem substitueret, quadam festiua die post Missarum celebrationem dixit ad suos: *Ne otio torpentes ad ignauiam perducamur, eamus venatum donec aliquid capiamus, & singuli in eodem habitu pergamus quo nunc induti sumus.* Erat autem imbrifera dies & frigida. & ipse quidem Carolus habebat pellicium berbicinum *, non multùm amplioris precij quàm erat roccus ille S. Martini, quo pectus ambitus, nudis brachiis Deo sacrificium obtulisse astipulatione diuina comprobatur. Ceteri verò, vt pote feriatis diebus, & qui modò de Papia venissent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes Orientalium diuitias aduectassent, Phœnicum pellibus auium serico circundatis, & pauonum collis cum tergo & clunis mox florescere incipientibus, tyria purpura, vel diacedrina litra decoratis, alij de lodicibus, quidam de gliribus circumamicti procedebant, saltúsque peragrantes, ramis arborum, spinisque & tribulis lacerati, vel imbribus infusi, tum etiam sanguine ferarum pelliúmque volutabro fœdati remeabant. Tunc astutissimus dixit Carolus, *Nullus nostrum pellicium suum extrahat, donec cubitum eamus, vt in nobis ipsis melius siccari possint.* Quo iusso, singuli corpora magis quàm indumenta curantes, vsquequaque focos inquirere & calefieri studebant: ac mox reuersi &

* Verbum hoc in Cod. Mossiac. non est.

* pelliciam berbicinam

C in ministerio eius vsque ad profundam noctem persistentes, ad mansiones remittebantur. Cúmque tenuissimas illas pelliculas *, vel tenuiores brandeas extrahere cœpissent, rugarum & contractionum rupturas quasi virgarum in ariditate fractarum procul audiri fecerunt: gementes & suspirantes, conquerentésque se tantùm pecuniæ sub vna die perdidisse. Præceptum verò ab Imperatore susceperant, vt in eisdem pellibus crastina die se illi præsentarent. Quod cùm factum fuisset, & omnes non in nouis resplenderent, sed potiùs pannis & decolori fœditate horrerent, dixit industriâ plenus Carolus ad Cubicularium suum: *Tere illud pellicium nostrum inter manus, & adfer in conspectum nostrum.* Quo integerrimo & candidissimo allato, assumens illud inter manus, & cunctis astantibus ostendens, hæc pronunciauit: *O stolidissimi mortalium, quod pellicium modò pretiosius & vtilius est? Istudne meum vno solido comparatum, an illa vestra non solùm libris, sed & multis coempta talentis?* Tunc vultibus in terram declinatis terribilissimam eius animaduersionem sustinere nequibant. Quod exemplum religiosissimus pater vester non semel, sed per totam vitam suam ita imitatus est, vt nullus, qui eius agnitione & doctrinâ dignus videbatur, aliquid in exercitu contra hostem nisi tantùm arma militiæ & lanea vestimenta cum lineis portare præsumeret. Quòd si quisquam inferiorum disciplinæ illius ignarus, de serico, auro, vel argento circa se habens, eum fortè incurrisset, his verbis increpatus & melioratus, imò sapientior effectus abscessit: *O te bis aureum! ô te argenteum! ô te totum coccineum! miser & infelix, non tibi sufficit vt tu solus forte belli intereas? quin etiam res, quibus*

* pelliciolas

CAROLVS MAGNVS. *anima tua redimi valeret, in manus hostium tradas, vt de eis simulacra gentium adornentur.* A

XXVIII. QVANTVM verò à prima ætate vsque ad septuagesimum annum ferro gauderet inuictissimus LVDVVICVS, quantum ante Nordmannorum Legatos spectaculum de ferro faceret, melius hoc vobis scientibus replicabo. Cùm Reges Nordmannorum singuli pro deuotione sua aurum illi & argentum, & pro sempiterna subiectione vel deditione gladios suos ipsi dirigerent: præcepit Rex, vt pecunia quidem in pauimentum proiiceretur, & à nullo nisi indignanter adspiceretur, sed potiùs ab omnibus velut lutum conculcaretur. Gladios verò in sublimi solio residens sibi attentandos iussit adferri. Porrò Legati metuentes, ne quid sinistræ suspicionis contra eos possent oriri, eo modo, quo solent ministri dominis suis cultellos de summis oris præbere, ita spatas Imperatori cum sui periculo porrigebant. Quarum ille cùm vnam de capulo acceptam, & ab extremitate vltima ad summum curuare niteretur, inter fortiores ferro manus disrupta est. Tunc vnus de Missis suam de vagina protrahens, ministrantiúmque more ad ipsius obsequelam protendens: *Domine*, inquit, *vt credo, & flexibilis & rigida inuenietur ista spatha ad votum victoriosissimæ dexteræ vestræ.* Qua Cæsar accepta, & verè

Esai. 51. Cæsar, iuxta vaticinium Isaiæ; *Attendite ad petram vnde excisi estis*, de tota Germaniæ populositate, singularis diuinitatis opificium, in antiquos hominum artus & animos exurgens, ab ora vltima capulotenus in modum viminis contraxit, & sensim ad statum pristinum redire permisit. Tum Legati semet adspectantes, & B ad alterutrum obstupescentes: *O vitam*, inquiunt, *Principibus nostris tam vile videatur aurum, & ferrum tam pretiosum!* Et quia de Nordmannis mentio incidit, quanti fidem habeant & Baptismum, de rebus in temporibus aui vestri Caroli gestis paucis euoluam.

XXIX. VT post mortem bellicosissimi Dauid multo tempore finitimæ gentes manu fortissima subiugatæ eius Imperio, filio Salomoni pacifico tributa dependerunt: ita propter timorem & tributa Augustissimo Imperatori Carolo persoluta, filium eius LVDOVICVM gens immanissima Nordmannorum simili veneratione solebat honorare. Quorum Legatos religiosissimus Imperator tandem aliquando misertatus, interrogauit, si Christianam Religionem suscipere vellent. Et responso accepto, quia semper & vbique & in omnibus essent obedire parati, iussit eos in eius nomine baptizari, de quo doctissimus ait Augustinus: *Si non esset Trinitas, non dixisset veritas, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Qui à primoribus Palatij quasi in adoptionem filiorum suscepti, de Camera quidem Cæsaris candidatum, à patrinis verò suis habitum Francorum in vestibus preciosis & armis ceterisque ornatis acceperunt. Quod cùm diutiùs actitaretur, & non propter Christum, sed propter commoda terrena, ab anno in annum multò plures iam, non vt Legati, sed vt deuotissimi vasalli ad obsequium Imperatoris in Sabbato sancto Paschæ festinarent occurrere: contigit, vt quodam tempore vsque ad Ludouicum venissent. C Quos Imperator interrogatos, si baptizati votum haberent, & confessos, iussit aqua sancta sine mora perfundi. Cùmque tot lineæ vestes non essent in promptu, iussit incidi camisilia, & in modum sepium consui, vel in modum vitium pastinari. Quarum cùm vna cuidam Seniorum illorum repentinò fuisset imposita, & ille eam curiosioribus oculis ex tempore contemplatus fuisset: iámque indignatione non modica mente concepta, dixit ad Imperatorem: *Iam vicies hic lotus sum, & optimis candidissimisque vestibus indutus. Et ecce talis saccus non milites, sed subulcos condecet: & nisi nuditatem erubescerem, meis priuatus, nec à te datis contectus, amictum tuum cum Christo tuo tibi relinquerem.* Tanti pendunt hostes Christi, quod ait Apostolus Christi:

Galat. 3. *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et illud, *Quicumque baptizati*

Rom. 6. *sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et quod maximè contrà

Hebr. 6. contemptores fidei, violatorésque sacramentorum vigilat: *Rursum crucifigentes sibi filium Dei, & ostentatui habentes.* Quod vtinam apud Gentiles tantùm, & non etiam inter eos, qui Christi nomine censentur, sæpiùs inueniretur.

XXX. ADHVC referendum est de bonitate LVDOVICI prioris, & sic ad Carolum remeandum. Quietissimus Imperator Ludouicus à cunctis hostium incursionibus immunis, religiosis tantùm operibus, orationibus scilicet, eleemosynis, cau-

CAROLVS MAGNVS.

A sisque audiendis, & iustissimè determinandis insudabat. Iuquo negotio tantum ingenio & vsu exercitatus erat, vt cùm ei quidam in similitudine Achitofel, pro angelo habitus à cunctis, illudere tentauisset: huiusmodi responsum comi vultu, blandissimáque voce, sed mente aliquantulum commota rependeret: *O sapientissime Anshelme, si fas sineret, dicere auderem, quod tramite non recto incedis.* Ex qua die idem Iuridicus ab vniuersis est pro nihilo deputatus.

XXXXI. ELEEMOSYNIS verò adeò intentus erat misericordissimus Ludouicus, vt eas non solùm in conspectu suo, sed & per se ipsum fieri maluisset. Insuper & vbi ipse absens fuisset, ita pauperum causas moderari decreuit, vt vni ex iis, qui ex omni parte debilis, sed animosior ceteris videbatur, ipsorum commissa, furtorum redditiones, iniuriarum vel læsionum taliones, in maioribus etiam commissis membrorum abscissiones, aut truncationes capitum, nec non & suspensiones corporum per eum fieri præciperet. Qui constitutis Ducibus, Tribunis, & Centurionibus, corúmque Vicariis, rem sibi delegatam haud segniter impleuit. Ipse autem clementissimus Augustus, in cunctis illis Dominum Christum veneratus, eis alimenta, & quibus tegerentur, impendere nunquam destitit: & præcipuè in illa die, qua Christus mortali tunica exutus incorruptibilem resumere parabat. In qua etiam cunctis in Palatio ministrantibus, & in Curia Regiâ seruientibus, iuxta singulorum personas donatiua largitus est. Ita vt nobilioribus quibuscunque aut baltheos, aut flascilones, preciosissimáque vestimenta à
B latissimo Imperio perlata distribui iuberet. Inferioribus verò saga Fresonica omnimodi coloris darentur. Porro custodibus equorum, pictoribúsque & coquis indumenta linea cum laneis, spatiisque *, prout opus habebant, proücerentur. Cúmque iam nullo indigente secundum actus & dicta Apostolica, esset in omnibus gratia magna, quando & pauperes pannosi iucundissimè dealbati *Kyrie eleyson* Ludouico beato per latissimam curtem vel curticulas Aquarum grani, quas Latini vsitatiùs porticuum nomine vocant, vsque ad cœlum voces efferrent. Et qui poterant de militibus pedes Imperatoris amplectentibus, aliis verò eminùs adorantibus, iam Cæsare ad Ecclesiam procedente, quidam de scurris iculariter inquit: *O te beate Ludouice, qui tot homines vna die vestire potuisti! Per Christum, nullus in Europâ hodie plures vestiuit, quam tu, præter* ATTONEM. Cúmque ab eo Imperator quæreret, quomodo ille plures vestire potuisset, mimus quasi gaudens, si Imperatorem in admirationem vertisset, cum cachinno intulit: *Hodie*, inquiens, *ille noua indumenta largitus est plurima.* Quod dulcissimi gestus Imperator blandè pro ludo, & ineptus vt erat vultu percipiens, humili deuotione Ecclesiam intrauit, in qua ita timoratè se gessit, quasi ipsum Dominum Iesum Christum præ oculis corporalibus habere videretur. Qui etiam omni tempore non pro aliqua necessitate, sed pro largiendi occasione singulis Sabbatis balneari, & cuncta quæ deposuerat, præter gladium & baltheum, apparitoribus suis dare consueuerat. Quæ eius liberalitas vsque ad infimos etiam peruenit,
C adeò vt Stracholto vitreario seruo Sancti Galli totam vestituram suam tunc sibi seruienti præciperet dari. Quod cùm erronei militum vassalli cognouissent, ei iuxta viam insidias ponentes, spoliare moliti sunt. Quibus cùm idem diceret, *Quid facitis vitreario Cæsaris vim inferentes?* responderunt: *Officium quidem tuum habere te permittimus.* , ...

*fort. spatisque

Actor. 4.

Videntur quædam deesse.



ANNALIVM DE GESTIS CAROLI M. IMPERATORIS LIBRI V.

Opus Auctoris quidem incerti, sed Saxonis & Historici, ac Poëtæ antiquissimi, id est Arnolfo Imperatori æqualis

Reinerus Reineccius Stinhemius ex VVolfebuttel. Bibliotheca primus euulgauit, cuius etiam sunt notæ, quæ marginibus adscribuntur. B

LIBER PRIMVS.

ANNO DCCLXXI. INDICT. VIII.



ALVATOR mundi postquam de Virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,
Euoluit septingentos tota temporis annos,
Et decies septem: sed & vnus penè peractus
Insuper annus erat, cùm iure Monarchia regni
Francorum CAROLO diuinitus est data MAGNO.
Nam Carolomannus frater decesserat eius
Præsentis iam supremis propè partibus anni.
* al. Carbonatum — Et Carolus villam, quæ Carbonata* vocatur,
Adueniens, summos Proceres, omnésque potentes
Fraternæ quondam partis susceperat illic,
Haud retractantes domino se subdere tali. C
Exceptis tantùm paucis, quæ fortè prioris
Magnus amor domini cum coniuge fecerat eius
Et natis remanere, quibus comitata petiuit
Italiam, sperans se degere posse quietam
Sub Regis Desiderij munimine vitam.
Rex autem Carolus celebrauit in Attiniaco
Natalem Domini, necnon Paschalia festa.

DCCLXXII. INDICT. IX.

PAVLO Romanæ defuncto Præsule Sedis,
Suscepit post hunc Adrianus Pontificatum.
Et Rex VVormatiam Carolus collegit in vrbem
Francorum Proceres ad Concilium generale.
Cum quibus vt bello Saxones aggrederetur,
Decreuit: quoniam Saxonum proxima Francis
Adiacet ad Boream tellus: vix limite certo
Diuisi gentis fines vtriusque cohærent.
Quæ tum vicinæ quo plus regione fuêre,

CAROLVS MAGNVS.

A Tantò feiunctas animis discordia fecit.
Finitimos sed enim per agros vtrinque solebant
Assiduè fieri cædes, incendia, prædæ.
Saxonum natura ferox, & pectora dura,
Ferre iugum Christi necdum dignata suaue,
Dæmonico nimium fuerant errore subacta.
Christicolæ verò iam longo tempore Franci
Catholicam tenuêre fidem, multisque per orbem
Iam dominabantur populis, quibus vndique fulti
Præcipuè virtute Dei, quem ritè colebant,
Hanc vnam poterant nimirum vincere gentem.
Quæ nec Rege fuit falrem sociata sub vno,
Vt se militiæ pariter defenderet vsu:
Sed variis diuisa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos tot penè Duces, velut vnius artus
Corporis in diuersa forent hinc indè reuulsi.
Sed generalis habet populos diuisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
B Denique VVestfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longè terminus amne
A Rheno distat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostualos alio vocitant, confinia quorum
Infestant coniuncta suis gens perfida Sclaui.
Inter prædictos media regione morantur
Angarij, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanóque eadem coniungitur ex Aquilone.
Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem.
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, latè ferro vastauit & igni.
Castellum naturali munimine forte
Valde, manu quoque firmatum, quod barbara lingua
Nominat Eresburg, valido cum robore cepit.
Gens eadem coluit simulacrum, quod vocitabant
Irminsul, cuius factura simúlque columna
Non operis parui fuerat, paritérque decoris.
Hoc Rex euertens, mansit tribus ipse diebus
C In castris iuxta positis, tum continuato
Æstatis feruore diu, cœlóque sereno,
Ardebant agri, nec in ipsis fontibus humor
Vllus erat, multo squallebant puluere riui.
Iámque fatigabat grauiter Regalia castra
Aucta calore sitis, sed vis dedit omnipotentis,
Cui placuit fani subuersio iusta profani,
Vt mediante die subitò per concaua sicci
Cuiusdam torrentis*, erat qui proximus illis,
Sufficiens exercitui prorumperet vnda.
His gestis, cùm Rex VVisuram* venisset ad amnem,
Obsidibus bis sex ipsa de gente receptis,
Ad patriam rediit magna cum prosperitate.

* Proculdubio eum torrentem innuit qui in agro Padeborn. hodie nominatur *der Bullerborn.*
*populari lingua *VVeser.* Alij *VVisurgim* nominãt.

DCCLXXIII. INDICT. X. 773.

MISSIS Legatis, Adrianus Papa sacratus
Auxilium Caroli studuit deposcere Magni.
Aduersus Longobardos, quorum fuit illo
Tempore Rex Desiderius. nam valde premebat

CAROLVS MAGNVS.

Improba Romanos huius violentia gentis. A
Et quia tunc illi pars maxima subdita Regni
Italiæ totius erat, terrásque per illas,
Scilicet hostiles, non quenquam mittere tutò
Romanus Præsul potuit, qui tramite recto
Francorum terras peteret, conscendere nauem
Fecit apud Romam Legatum nomine Petrum,
Vt mare circuitu longo fluctúsque pererrans
Suspectum vitaret iter. Sic sæpè videtur
Tutior Oceani feruor pelagíque procella,
Quàm mentes hominum, quas turbida commouet ira.
Hic igitur Petrus Romà directus ab vrbe,
Per mare Massiliam petiit, longúmque deinde
Præteriens iter, in villa Theodone vocata
Insignis Caroli pietatem Regis adiuit,
Orans deuotè satis, vt defendere vellet
Ecclesiam Petri, summus qui clauiger aulæ
Illi cælestis dare præmia maxima posset.
Necnon Pontificis succurret anxietati,
Romaníque simul populi mala plurima passi,
Cui libertatis iam spes vitæque tenendæ B
Vnica post Dominum tantùm restaret in illo.
Talibus auditis, causam Rex protinus omnem
Sollicito voluens animo, satis affore iustum
Perpendit, gratúmque Deo, defensor vt ipse
Sedis Apostolicæ totis pro viribus esset.
Atque suo statim Regno collegit ab omni
Roboris immensi variis ex gentibus agmen.
Quod secum duceus, Genuam* peruenit ad vrbem,
Quam rapido cursu Rhodanus præterfluit amnis.
Tum gemino Longobardos inuadere bello
Decreuit, populúmque suum diuisit, & vnam
Cum Duce Benhardo partem præceperat ire
Per montem Iouis: id nomen vetus indidit error.
At reliquam per Cinisium Rex duxerat ipse.
Transcensis igitur horrendis Alpibus, instar
Turbinis Ausoniæ duplex exercitus arua C
Irruerat, latè regnum vastans opulentum.
Iámque metus cunctos Francorum perculit ingens.
Nam Desiderium, primò qui bella parabat,
Se frustrà Carolo sperans obsistere posse,
Congressu necdum facto, terrore fugauit.
Et clausum Ticino, cui nunc est Papia nomen,
Regius admotis exercitus vndique castris
Obsedit, variísque modis per plurima tentans
Temporis hiberni spacio molimina toto,
Non vrbis poterat muros irrumpere ferro.

* Geneuam, quæ Annalibus Francicis Burgundiæ ciuitas.

774. DCCLXXIIII. INDICT. XI.

TALES Italicis dum res agerentur in oris,
Saxones sibi contiguos inuadere fines
Ausi, Francorum pagum, qui dicitur Hassi,
Prædantur, flammísque simul populantur & armis.
Quos animauit ad hoc longinqua profectio Regis,
Credentes vlciscendi sibi tunc fore tempus
Damna priùs per eum quæ maxima sustinuêre.
Qui tamen vsque locum, qui Frideshlar vocitatur,
Progressi, quandam cupierunt tradere flammis

A Ecclesiam, quam sacrauit Bonifacius illic
Martyr & Antistes Christo dilectus in æuum.
Hoc frustra nisos facinus complere nefandum,
Inuasit subitò terror diuinitus ingens,
Atque fugâ turpi trepidos repedare coëgit
Ad patriam, quos non hostes, non arma fugarunt.
At Rex dispositis legionibus ad Ticinensem
Obsidione iugi populum bellóque premendum,
Orandi causâ Romæ loca sancta petiuit.
Illic supplicibus votis ex corde peractis,
Ad Ticinum rediit, quæ iam certamine longò
Fessa repugnandi vires amiserat omnes.
Dedita tum Francis hæc vrbs clarissima, cunctis
Exemplo fuerat reliquis. nam protinus omnes
Tradiderant Carolo sese concorditer vrbes
Eiusdem Regni, quod iam sibi iure subactum
Disposuit, quantum potuit pro tempore tali.
Ad sedes etenim cupiens remeare paternas,
Accelerabat iter, secum ducens memoratum
B Italiæ Regem, nouiter quem ceperat armis.
Hic humanarum videas ludibria rerum,
Quàm vario cursu vitæ rota voluitur huius?
Hesterno Desiderius diademate Regni
Floruit, en hodie est pauper, captiuus, & exul.
Filius illius, cognomine dictus Adalgis,
Cùm Longobardis in eo spes ampla maneret,
Diffidens rebus patriæ, se contulit indè
Ad Constantinum Græcorum sceptra regentem.
A quo Patricius præclaro munere factus,
Hoc in honore suæ permansit ad vltima vitæ.
Rex autem Carolus veniens, dum cognitus eius
Velox aduentus necdum Saxonibus esset,
Fecerat vt triplex exercitus in regiones
Illorum missus, multis affligeret ipsos
Cædibus ac prædis, loca denique plurima vastans,
Hinc est cum spoliis victor regressus opimis.

C DCCLXXV. Indict. xii. 775.

Rex hyemis tempus ducens in Carisiaco,
Nomine quo quædam regalis villa vocatur,
Illuc Francorum Proceres, totúmque Senatum
Conuocat, ac multum tractans de rebus agendis,
Et variis, quibus indiguit Respublica, curis,
Inprimis hoc consilium perhibetur iniisse;
Vt iugiter bellum Saxonibus ingereretur,
Quos expertus erat fidei vel fœderis omnis
Immemores, numquam sub pace quiescere velle.
Hinc statuit, requies illis vt nulla daretur,
Donec gentili ritu cultúque relicto;
Christicolæ fierent, aut delerentur in æuum.
O pietas benedicta Dei, quæ vult genus omne
Humanum fieri saluum! quia nouerat huius
Non aliter gentis molliri pectora posse,
Disceret vt ceruix reflectere dura rigorem
Ingenitum, mitíque iugo se subdere Christi.
Ob hoc doctorem talem, fidésque magistrum,
Scilicet insignem Carolum donauit eisdem,
Qui bello premeret, quos non ratione domaret,

CAROLVS MAGNVS.

Sicque vel inuitos saluari cogeret ipsos. A
Hoc inspiratum cordi diuinitus eius
Vtile consilium comitantur strenua facta.
Quippe Duces, omnísque simul delecta iuuentus
Ad Duriam * vicum properant. Nam Rege iubente,
Illic conuentus populi generalis habetur.
Atque dehinc grandi transmisso flumine Rheno,
Saxonum Carolus fines hostiliter intrat.
Ac primò Sigeburg castellum cepit, & inde
Eresburg periit, quam captam diximus vrbem.
Sed ne præsidio Francis fore posset, candem
Indigenæ destruxerunt: hanc denique rursus
Muniuit, posuitque suas illic legiones.
Inde gradu celeri VVisuram peruenit ad amnem,
Cui iuxta montem, qui Brunesberg vocitatur,
Obuia magna fuit cupiens obsistere turba,
Ne fluuium transiret, & hoc conamine casso.
Fugit enim primo statim certamine pulsa,
Innumerósque die ferrum prostrauerat illo.
Inde mouens Carolus regiones venit ad illas,
Quas Osterlingi retinent, seditque locatis B
Ad fluuium castris, qui nunc Ouacra vocatur.
Tunc illi quidam, qui de primoribus eius
Gentis erat, supplex occurrit nomine Hessi*,
Partis & illius pariter plebs obuia tota
Venerat, obsidibúsque datis, quos iusserat ipse,
Se seruare fidem Regi per maxima spondent
Iuramenta. Quibus cunctis hoc ordine gestis,
In pagum rediit, quem dicunt nomine BVKKI *.
Illic occurrere Duces simul Angariorum
Cum populo, similíque modo regalibus omnes
Dum parent iussis, iuramentísque fideles
Se fore confirmant, reditum parat illicò victor.
Interea iuxta VVisuram dimissa manebat
Pars exercituum Regis, locus ipse vocatur
Hlidbeki *, quo castris iidem sedêre locatis.
Sed malè securos res prospera fecerat illos,
Qua Rex vsus erat, cùm cunctis hostibus esset
Terrori, iam tunc audente resistere nullo.
Hinc erat in castris cautela remissior illis, C
Vt possent nimia Saxonum fraude noceri.
Sol summo cœli pronus vergebat ab axe,
Et vespertinas iam tendere cœpit ad horas.
Tunc vt equis quidam deferrent pabula longè,
De castris priùs egressi pariter redierunt.
His se Saxonum quoddam permiscuit agmen,
Fingentum semet socios, animóque fideles.
Tum se quisque nouo blandè sociabat amico,
Hostis quo læuus latuit sub nomine tectus.
Adhibitúmque fidem verbis fallacibus auget
Obsequium; cuncti simul in commune laborant.
Pars subuectat onus viridis simul vtraque fœni.
Sic introgressi Francorum castra dolosi,
Quod vi non poterant, egerunt arte. Sed olim
Est dictum *, Dolus an virtus quis in hoste requirat?
Depressos somno Francos instanter adorti
Saxones, cædem nimiam fecêre, feroces,
Donec discusso tandem torpore soporis,

* Forsan Duram dicit, ditionis Iuliacensis oppidum. Annales Franc. Duriã villam nominant.

* Annalib. Franc. est Hessu, Reginoni Hassino, quem è Crancio Saxon. l. 2. c. 26. Garsulæ Reginæ patrem suspicari possumus. Duxit enim eam in matrimonium Carolus Magnus, vt Chronic. Saxon. p. 4ª Pomar. Crancius ibid.

* al. Buchi. Dubium an sit Bokel, vbi post S. Neulfus Monasteriũ construxit, vt Crancius Metropol. lib. 1. c. 16. vel Buckenburg arx ditionis Schauuenburg.

* al. Hudbexi.

* Legitur 2. Æneid. apud Virgilium.

A Quidam correptis obstare viriliter armis
Cœperunt, pugnáque dehinc vtcunque remota,
Scilicet ex pacto, quod tunc angustia talis
Dictabat, hostes celeri redière recursu.
His Rex auditis illuc properare satagit,
Atque satis velox fugientum terga secutus,
Prostrauit multos auctores criminis huius.
Hinc ad VVestualos venit, statimque receptis
Obsidibus, quos tradiderant, abscesserat indè.
Ac suscepit ouans redeuntem Francia Regem.

DCCLXXVI. INDICT. XIII.

CVMQVE domum rediens Princeps iter acceleraret,
Comperit Ausoniis in partibus esse Tyrannum,
Nomine Hrodgaudum *, noua qui molimina tentans,
Nec, quem Rex illi dederat, contentus honore,
Italiæ latum voluit sibi subdere Regnum.
Quippe Ducem Comitémque Foroiulensibus ipsum
Constituit Carolus, primo cùm clara triumpho
B De Longobardis victor vexilla reuexit.
Huic nimis ingratus dono malè sollicitabat
Vrbibus ex multis populos, ac fecit vt ad se
Deficerent, iusto Caroli spreto dominatu.
Hos vt comprimeret motus, nil ipse moratus,
Strenua quàm celeri raptim vocat agmina iussu:
Cum quibus Italiam properans, meritóque Tyrannum
Interitu plectens, vrbes seruare receptas
Francorum Comites, quos ipse locabat in illis,
Iussit, & vt venit velox, sic inde recessit.
Vix Alpinatum niuium iuga proxima cœlo
Illi transgresso tristis fuit obuia fama,
Eresburg referens vrbem, quam ceperat olim,
Militibúsque suis mandauerat ipse tuendam,
Saxones expugnatam cepisse, suúmque
Expulsum fore præsidium violenter ab illis.
Tum Sigeburg aliud multo conamine castrum
Oppugnare quidem studuit, nec vincere quiuit
C Gens eadem; cupiens ab ea Regis legiones
Pellere. Sed pugnæ populus Saxonicus instans,
A tergo circumuentus fuit atque fugatus,
Internis positis simul erumpentibus, atque
Incautos plaga facilè sternentibus ampla.
Hic rumor Caroli cùm primùm venit ad aures,
Conuentum Procerum fieri præcepit in vrbe
VVormatia, statuítque moras innectere nullas,
Quin lueret tanti sceleris gens perfida pœnas.
Ergo suis exercitibus Rex vndique lectis,
Conatus celer hostiles præuertitur omnes,
Tentauêre quibus primò defendere sese.
Nam fontes adiens, vbi Lippia * nascitur amnis,
Repperit ex ipsa numerosas gente cateruas
Illic collectas, humiles, veniámque precantes,
Quòd non seruassent anno promissa priori.
Cùm verò Carolus clemens ignosceret illis,
Complures Domino se Christo credere velle
Spondentes, simulactorúmque relinquere cultus,
Purgari iussit sacri baptismatis vnda,
Seruandæque iterum fidei promissa recepit,

* Longobardum, vt Annales Franc.

* *Lippspring*, nunc oppidum ditionis Paderborn. Idem arcem habet, sub qua Lippiæ fontes conspiciuntur. Ac hodie quidem nominis huius prolatio vulgari linguæ vsu retinetur. Variant veteres. Nam Strabo *Λουπίας*, Tacitus *Luppia*, scripserunt.

CAROLVS MAGNVS.

Obſidibus firmata datis, quibus ipſe volebat.
Ereſburg iterum firmat munimine forti,
Et iuxta fluuium, quem Lippia diximus antè,
Caſtellum condens aliud, compleuit vtrumque
Militibus lectis. Tum Gallica rurſus ad arua
Regrediens, hyemis tempus tranſegit in aula,
Nomen Heriſtalli dederat cui barbara lingua.

777. DCCLXXVII. INDICT. XIV.

ASPIRANTE noui placido cùm tempore veris
Horrida iam tranſiſſet hyems, Rex Nouiomagum
Adueniens, celebrauit ibi ſolennia Paſchæ.
Tum quia Saxones ſuſpectos ſemper habebat,
Haud dubitans, illos pro libertate tenenda
Artibus acturos variis quodcûmque valerent,
Et niſi continui premerentur pondere belli,
Fœdera rupturos ſecum condicta frequenter,
Rurſus in illorum patriam fortiſſima ducit
Agmina: conuentum Placiti * generalis habere
Cum Ducibus ſe velle ſuis denunciat illic.
Tanto Concilio locus eſt electus agendo,
Quem Pathalbrun non vocitant, quo non habet ipſa
Gens alium naturali plus nobilitate
Inſignem, qui præcipuè redimitus abundat
Fontibus & nitidis & pluribus, & trahit indè
Barbaricæ nomen linguæ ſermone vetuſtum.
Tunc ibi villa fuit tantùm, nunc Pontificalis
Eccleſiæ conſtructa nitet clariſſima ſedes.
Quò Carolus veniens, collectos reperit omnes
Penè Duces, populúmque ſimul, totúmque Senatum
Saxonum, niſi quòd quidam VVidoxindus abinde
Aufugit, Regem veritus. nam conſcius idem
Audacis ſibimet facti, multique reatus,
Sifridum petiit Danorum ſceptra regentem.
Porro Duces illic alij cum plebe gregata
Suppliciter cuncti veniam pacémque petentes,
Paruerant Regi tali ſub conditione,
Vt cuncta ſcelerum dimiſſa mole priorum,
Si poſt auderent eius violare ſtatuta,
Libertate ſimul priſca, patriáque carerent.
Quorum tum Chriſto ſe credere velle profeſſa
Magna ſalutiferum ſuſcepit turba lauacrum.
Sed ſimulata fides verſuto prodiit ore,
Quod notum multis fecêre ſequentia geſta.
Tunc Sarracenus quidam peruenerat illuc,
Nomine qui patrio dictus fuit Ibinalarbi.
Hic cum non paucis ſociis ac ciuibus, ipſum
Qui comitabantur, fines regionis Iberæ
Linquentem, Carolo ſe dedidit, ac ſimul vrbes,
Rex Sarracenus quibus hunc præfecerat olim.
Ob hoc Saxonum tandem regione relicta,
Gallica regna petit. Poſt hæc Aquitania Regem
Inſignem Carolum tenet ad Paſchalia feſta.

* Hæc vox Annalibus frequentiſſima, putatur profecta de Germanica *Platz*, reliquo hodie eiuſdem generis compoſito *Muſterplatz*, diribitorium. Nam Cõuentus more Francico in campo agebantur.

778. DCCLXXVIII. INDICT. XV.

HORTATV Sarraceni cùm ſe memorati
Hiſpanas vrbes quaſdam ſibi ſubdere poſſe
Haud fruſtrà ſperaret, eò ſua maxima cœpit

CAROLVS MAGNVS.

A Agmina per Celsos VVasconum ducere montes.
Qui cùm prima Pyrenæi iuga iam superasset,
Ad Pompelonem, quod fertur nobile castrum
Esse Nauarrorum, veniens, id cepetat armis.
Traiiciénsque vado famosum flumen Iberum,
Cæsaris Augusti quondam de nomine dictam
Vrbem præcipuam rerris penetrauit in illis.
Acceptis tamen obsidibus, quos Ibinalarbi
Iam dictus, pariréque sua de gente fideles,
Illustrésque viri dederant, sic indè recessit.
Ad Pompelonem rediens, deiecerat eius
Ad rerram muros, fieret ne fortè rebellis.
Cumque Pyrenæi regressus ad intima saltus,
Milite cum lasso calles transcenderet arctos,
Insidias ei summo sub * vertice montis
Tendere VVascones ausi, noua prælia tentant.
Denique postremos populi regalis adorti,
Missilibus primò sternunt ex collibus altis.
Et Francos, quamuis armis animísque priores,
B Impar fecit & angustus locus inferiores.
Rex iam præcessit, tardúmque remanserat agmen,
Cura vehendarum quod rerum præpediebat.
Fit pauor hinc exercitibus, subitóque tumultu
Turbantur, victrix latronum turba nefanda
Ingentem rapuit prædam, plurésque necauit.
Namque Palatini quidam cecidêre ministri,
Commendata quibus regalis copia gazæ
Prædones illos spoliis ditauit opimis.
His gestis, hostes vasti per deuia saltus
Accelerant fugam, fuerant quibus ardua montis
Abdita syluarum vallis loca nota profundè.
Quos fuga dilapsos inuestigabilis, & nox
Instans eripuit, sequeretur vt vltio nulla.
Ac facinus tantum quoniam permansit inultum,
Tristia regali subduxit nubila menti,
Prospera quam fecêre priùs complura serenam.
Aptum prætetea se tempus habere putantes
Saxones vlciscendi quàm plurima damna
A Francis illata sibi, quia Rex erat absens,
C Infesto Rheni petierunt agmine littus.
Quem transire tamen nulla ratione valentes,
Francorum terras in eadem parte iacentes,
Quà venêre nimis vastare ferociter ausi,
A muris vrbis, quæ dicta Duitia * nunc est,
Donec perueniās, vbi Rhenus confluit idem,
Littoribúsque ferens fontes Mosella Lyæi,
Cunctas quas poterant villas inuadere flammis
Tradiderant, ipsis etiam non ira pepercit
Ecclesiis, nec erat hominum cædis modus vllus.
Non aliquod sexus, ætatis, conditionis
Vllius, furor immitis discrimen agebat:
Omnia sed ferrum, vel edax consumpserat ignis.
Hinc non prædandi studio, sed vt vltio quædam
In Francos fieret, hoc eos gessisse probatur.
Hoc Rex Hispanis didicit regressus ab oris.
Tunc Orientales Francos, necnon Alamannos,
Obuia ferre iubet statim Saxonibus arma.
Quos cùm iam patriam redeuntes insequerentur,

* Tuitium è regione Coloniæ Agrippinæ, olim Diuitensis monimentum, vt ait Beatus Rhenanus lib. 3.

CAROLVS MAGNVS.

In Baddenfeldum (ſic eſt locus ille vocatus) A
Adernam iuxta fluuium conſtanter in ipſos
Irruerant, nutúque Dei, quem crimina tanta
In populo commiſſa ſuo damnare decebat,
Saxones tanta ceciderunt ſtrage perempti,
Vt de prægrandi ſupereſſent agmine pauci.

779. DCCLXXIX. INDICT. I.

VERE nouo Carolus cauſâ poſcente peragrans
Gallorum quondam terras, ad VVercimacum
Acceſſit vicum, quò tunc occurrit eidem
Dux Spoletanus Hildibrandus vocitatus.
Qui precioſa ferens inſigni munera Regi,
Ad ſua cum magno ſatis dimiſſus honore.
At Rex intentè meditans inuadere terras
Saxonum, citiùs Rhenum traiecerat amnem.
Cui ſe ſpe vana gens ipſa reſiſtere poſſe
Confidens, pariter ſumptis occurrerat armis,
In quodam collecta loco Bocholt * vocitato.
Sed cùm cœpiſſent acie confligere, ſtatim
Terga dedit, numero Francorum territa grandi. B
Accepit tunc VVeſtfalos in deditionem.
Progreſſúſque dehinc VViſuram peruenit ad amnem,
Atque dies aliquot manſit ſtatione locata.
Angarios ſed & Oſtfalos ad ſe venientes
Promiſſam firmare fidem, qua ſemet eidem
Subiectos fore ſpondebant, animóque fideles,
Obſidibúſque datis ſacramentiſque coëgit.

* Quidam huius nominis oppidum ad Haſam fluuium intelligũt. Sed fortè alterum ad Aam flu. inter Meppam & Haſelunam ditionis Monaſter. Id enim Rheno vicinius.

780. DCCLXXX. INDICT. II.

HIS geſtis, Rex VVormatiam remeauit ad vrbem.
Inde mouens opportuno ſua tempore caſtra,
Saxonum rurſus properauerat in regionem.
Ereſburg primùm petiit, poſt hæc vbi fontes
Lippia flumen habet, perplurima diſpoſiturus
In caſtris aliquot fertur manſiſſe diebus.
Hinc Orientis iter ſumens ad flumen Ouacrum
Venit, & eiuſdem gentis quàm maxima turba C
Illuc præcepto parens occurrerat, atque
Credere ſe Chriſto ſimulans baptiſma recepit.
Indéque feſtinus pergens, ibi caſtra locauit,
Albia qua grandis fluuius miſcetur & Hora.
Nam res Saxonum voluit componere, necnon
Sclauorum, medius quos Albia diuidit amnis.
Citra Saxones degunt, in littore verò
Sclauorum pagana manet gens vlteriori.
Diſpoſitis ſanè rebus pro tempore cunctis,
Ad ſedes tandem ſtuduit remeare paternas.
Tum quia præcipuo ſemper flagrabat amore
Petri, qui ſummè præclarus Apoſtolus extat,
Ipſius Romæ decreuit limina ſacra
Quærere, vota precéſque Deo perſoluere curans.
Atque citus propetans, aſſumpta coniuge ſecum,
Et natis, vrbem peruenerat ad Ticinenſem,
In qua Natalis Domini feſtum celebrauit.
Hic igitur ſtatui primæ cum fine Decadis
Annorum Caroli, poſtquàm Rex cœperat eſſe
Francorum ſolus, primum finire Libellum,
Viribus vt paruis requies ſolatia præſtet.

A

ANNALIVM
DE GESTIS CAROLI MAGNI
LIBER SECVNDVS.

DCCLXXXI. INDICT. III. 781.

OCTONIS decies septingentisque peractis
Annis, est genitus postquam de Virgine Christus,
Hic primus sequitur, Carolus quo Rex pius arces
Romanas adiit Domino ducente secundò.
Tunc Adrianus eum iamdudum commemoratus,
Præsul Apostolicus, cum magno lætus honore
Suscepit, populúsque simul Romanus ad ipsum
Vt defensorem, libertatisque datorem,
Vnanimis concurrit ouans, gratésque rependens.
B Illic cùm præsens foret ad solennia Paschæ,
Fonte salutifero Pippinum nomine natum
Abluit ipsius Præsul venerabilis idem.

DCCLXXXII. INDICT. IV. 782.

EXORIENS æstas vbi primùm gramine pulcro
Vestierat terras, poterátque exercitus aptè
Educi, quoniam molles animalibus herbæ
Dulcia præbuerant florentis pabula fœni:
Innumeris fultus populis, & milite claro,
Saxonum rursus Rex inclytus in regionem
Venit, & ad fontes fluuij, cui Lippia nomen,
Conuentum fieri Procerum iussit generalem.
Illic disponens complura negocia Regni,
Danorum Regis Sigfridi nomine Missos,
Et quos Iugurgus, pariterque Caganus * ad ipsum
Hunorum misêre Duces, pro pace petenda,
Audiit, absoluitque datis prudenter eisdem
C Responsis. Post hæc Rhenum traiecerat amnem,
Gallica séque dehinc Rex magnus in arua recepit.
Interea patriæ quondam VVidokindus ab oris
Qui fuerat profugus, Normanorúmque petiuit
Auxilium, rediens vana spe sollicitabat
Saxones, initum cum Francis rumpere fœdus
Vt conarentur, multósque vocauit in arma
E populo, fecítque nouum consurgere bellum.
Gens quoque Sclauorum Sorabi cognomine dicta;
Audacter sumptis subitò prærupetat armis,
Vicinas sibi Saxonum terras populando,
Atque Thuringorum fœcundos frugibus agros.
Qui medias Sorabi terras campósque iacentes
Inhabitant inter fluuios: hinc voluitur amnis,
Qui Sala nomen habet, fluit Albia latior indè.
Ast vbi Sclauorum Carolo sunt cognita gesta,
Protinus illorum reprimendos censuit ausus,
Arcendósque sui Regni de finibus hostes.
Vnde Palatinis ad se tribus ipse vocatis
Principibus, quorum fuerat Camerarius vnus
Regis Adalgisus, Geilo Stabuli Comes alter,

* Ioannes Leunclauius Pandectæ Histor. Turc. p. 198. nomen hoc non discernit à Tartarico & Turcico *Chan*, vel *Cahan*. Hoc certum, proprium non fuisse, sed ei Principi ab Hunis attributum, qui summam totius Regni obtineret.

CAROLVS MAGNVS.

Ductores exercituum fore iussit eosdem. A
Quos Orientali Francorum de regione
Collectos contra Sclauos præceperat ire,
Necnon Saxones, sibi quos parere iubebat,
Auxilio fieri Ducibus mandauerat ipsis.
Sed cùm Legati per eorum ducere terras
Agmina cœpissent (nam sic inuadere Sclauos
Tramite debuerant tecto) fit protinus ipsis
Cognita iam dictæ grandis defectio gentis.
Ob hoc iter cœptum flectunt, primò cupientes
Saxones, numero freti, prosternere bello.
Quod nimis incautè cœptum, pariterque superbè.
Francorum fuerat misera cum clade peractum.
Námque Duces vbi compererant, quòd se VVidokindus
Ad pugnam multa stipatus plebe parasset,
Et iuxta montem Suntal * sua castra locasset,
Illuc infestis properarunt ilicò signis,
Ad prædam potiùs quàm pugnam semet ituros
Spetantes, ipsam patriam Rex ipse quotannis
Cùm priùs impugnans vires exhauserat eius.
Immemores motum gentis simul ingeniique, B
Quod tanto varia plus nititur arte dolóque,
Quo premitur bellis, & victa quiescere nescit,
Vindictæ rediuiua parans conamina semper.
Ergo Palatinis Ducibus properantibus ad se
Saxones, acie longo satis ordine structa,
Pro castris occurrerunt. Ibi protinus atrox
Conseritur fundens ingentem pugna cruorem,
Francorúmque truci Proceres sunt cæde necati,
Regis Legati, & præclari quatuor illic
Extincti Comites, cum viginti venerandis
Nobilibúsque viris aliis hac clade peremptis.
At reliquus bello populus consumptus in illo
Censeri numero nequit, altum denique montem,
Qui vicinus erat, fugiens paucissima turma.
Interfectus Adalgisus, pariter quoque Geilo
Expetiit, syluísque latens euaserat hostem.
Nuncius hæc tristis narrauerat omnia Regi.
Ille suis exercitibus festinus in vnum
Collectis, statim Saxonica venit arena. C
Quem cùm primores eiusdem gentis adissent,
Illud se certò non commisisse probantes,
Et Rex auctores facti perquireret, vnà
Esse reum clamant VVidokindum criminis huius,
Et quos hortatu proprio sibi consociauit.
Nec potuit tradi, quia rursus contulerat se
Ad Normannorum patriam post prælia gesta.
Tradita sunt sanè reliquorum bis duo letho
Millia, quingentíque viri, qui tam graue bellum
Illius contra Francos gessere suasu.
Hósque die cunctos Rex decollauerat vna
Iuxta Alaram fluuium, locus idem Ferdi * vocatur.
Hac ibi vindictâ Regum clarissimus acta,
Ad propriam rediit villam Theodone vocatam.

* Ad Munderam oppidum ditionis Brunsuig.

* Verda hodie.

783.

DCCLXXXIII. INDICT. V.

GLORIA * certabat sibi ne consueta periret.
Alter iam nullam statuens sperare salutem,

* Locus est mutilus. Loqui tamen Auctorem de Caroli & Saxonũ Detmoldensi prælio, simul historiæ series, simul diuini muneris mentio arguunt.

A In ferrum prisca pro libertate ruebat. CAROLVS MAGNVS.
Sed tandem Carolus diuino munere victor,
Cæsis innumeris reliquos exindè fugauit.
Transierántque dies pauci cùm rursus eodem
Comperit in populo repetitum surgere bellum.
Scilicet in VVestfalorum regione gregatis
Pluribus in ripa fluuij, Hasa* nomine, rursus
Audebant, animi plus quàm virtutis* habentes.
Pergere Rex ad quos meditans, sociósque recensens,
Repperit in pugna plures cecidisse priori,
Ægros vulneribus multos ibi fortè receptos.
Sed subitò nouus ex Francis exercitus illi
Aduenit, cunctisque suis legionibus auctis,
Ad debellandos studuit properare rebelles.
Quà Dux egregiè prudens dum cuncta parasset,
Virtutem, sicut solet, est fortuna secuta.
Saxones iterum cæsi, longéque fugati,
Abductus captiuorum numerus fuit ingens.
Inde plagas Orientales Rex victor adiuit,
B Omnia quàm latè ferro populatus & igni,
Donec ad fluuium, qui dicitur Albia, venit.
Post hæc ad patriam rediit. Tunc est sociata
Regali thalamo coniux Fastrada vocata,
Filia Radolphi Comitis, sata germine claro.
Hybernas in Heristalli tum duxerat horas,
Atque dies, quibus hunc nascens moriénsque Redemptor
Saluauit mundum, voto celebrauerat almo.

* Alluit Osnabrugam urbem
* id est fortunæ

DCCLXXXIV. INDICT. VI. 784.

RELLIQVIAS belli tandem fortissimus Heros
Consummare volens, tanto quod tempore gestum
Saxonum cum gente fuit, numerosa virorum
Millia lectorum terris induxit eorum.
Ac primum Rheni transcendens fluminis vndam,
Vastabat pagos VVestualorum regionis.
Venit & ad VVisuram, locus est vbi dictus Vculbi.
Inde Thuringorum per agros iter egerat, atque
C Saxonum campos, quos Albia vel Sala tangunt
Amnes vicini, lustrans villas ibi plures
Tradiderat flammis, donec peruenit ad illum,
Qui veteri locus est Schaningi nomine dictus.
Hinc in VVormatiam rediens se contulit vrbem.
Filius interea Regis, qui par genitori
Indole mentis erat, tum nomine dictus eodem,
Cum patriis exercitibus, quos ipse regebat,
In VVestualorum pago cognomine Dreini,
Eiusdem populi turbas ad bella paratas
Ostendens, statim certamine vicit equestri,
Victor & ad patrem iamdicta venit in vrbe.
Qui valida comitante manu Saxonica statim
Arua petens, iuxta fluuium considerat Ambram*,
Est vbi castellum, quod Skiderohburg* vocitatur.
In castris ibidem votis solennibus actis
Natalis Domini, processit ad ostia VVarnæ*,
Quà fluit in VVisuram. Nec iam fuit vlla facultas
Longiùs ad Boream, sicut cupiebat, eundi.
Temporis obstabat simul asperitas hyemalis,
Atque iugis pluuiæ cursus vehementer inundans.

* Hodie Emmer.
* Fort. Schier prædium ditionis Lippiensis.
* al. Vagaræ, vulgo VVerna.

Carolvs Magnvs.

Ob hoc in Eresburg residens se contulit vrbem. A

785.

DCCLXXXV. Indict. VII.

Cvmqve dies reliquos brumalis frigoris illic
Ipse manere suum decreuisset comitatum,
Accersiuit eò propriam cum coniuge prolem.
Cum quibus, vt decuit, fido firmóque relicto
Præsidio, iuuenes animis ac viribus acres
Assumpsit secum, latéque vagatus in omnes
Illius regionis agros, sed & oppida quæque,
Cuncta simul flammis, spoliis, ac cæde feroci
Miscuerat, cupiens animos, quos sæpè rebelles
Expertus fuerat, tali prosternere clade.
Hæc lugubris hyems illi funestáque genti,
Cùm tandem finita foret, vernalis & aura
Iucundum spirans ornaret floribus arua,
Publicus in Padarbrunnon conuentus habetur.
Quo Rex insignis solenni more peracto,
In pagum quendam, vocitat quem barbara lingua
Berdango, celeri studuit se tramite ferre.
Tunc vbi compererat VVidokindum iam memoratum, B
Abbonémque simul, qui de maioribus eius
Gentis erant, memores scelerum latitare suorum
Finibus in patriis, quos sepserat ad Borealem
Albia lata plagam iuxta confinia terræ
Danorum, mittens propriis de ciuibus ipsis
Legatos, hortatur eos, quò flectere tandem
Colla sibi, fideíque suæ se credere vellent,
Commissi veniam, necnon & præmia spondens.
Conscia sed magni dubitarunt corda reatus
His de promissis, donec firmata salutis
Spes est obsidibus missis, quos expetierunt.
Quos vt Amuluuinus quidam vernaculus aulæ
Eius adduxit, properarunt protinus ambo
Ad Regem, iam tunc fuerat qui fortè reuersus
Ad villam propriam, quæ dicitur Attiniacus.
Hîc iidem Proceres sacri baptismatis vnda
Perfusi, tandem Regi mansêre fideles,
Ipsâque gens aliquot * requieuerat inde per annos.
Interea quidam coniurauêre maligni, C
Vt dirum facinus scelerato corde patrarent,
Vel ferro Regem, vel qualibet arte necando.
Criminis inceнtor Hardradus tunc Comes huius
Extiterat. Sed vt indicio delata fideli
Factio sæua fuit, statim sedata quieuit,
Ingens valde foret licèt, & nimis acriter orta.
Auctores eius priuari lumine quosdam,
Exilio reliquos damnari iusserat ipse
Rex summè prudens, cuius clementia nulli
Reddiderat dignam tali pro crimine pœnam.

* Octo videlicet. Primùm enim anno DCCXCIII. Saxones ad arma redisse, ipse Auctor ibidem narrat.

786.

DCCLXXXVI. Indict. VIII.

Magni decreto Caroli, sacríque Senatus,
Missis in Occiduas exercitus exiit oras,
Subdere Brettones, gentem tunc fortè rebellem,
Insula cuius erat fœcunda Britania dudum
Patria. námque illic habitabat tempore multo.
Cúmque nouas Angli sedes sibi quærere vellent,

A Saxonésque simul hanc inuasêre feroces,
Expulsi statim veteres cessêre coloni.
Maxima pars quorum fugiens mare transiit, atque
Gallia qua fines habet extremos, ibi tandem
Fluctibus Oceani quæ proxima viderat arua,
Detinuit, quibus in terris * huc vsque moratur,
Indicium patriæ solò dans nomine priscæ.
Hæc à Principibus Francorum gens superata,
Soluere vectigal quamuis inuita solebat.
Cùm tentaret eo Dominorum tempore iussa
Spernere, directus multis cum millibus illuc
Dux Ardulfus eam celeri virtute repressit,
Et satis edomuit populi fera corda rebellis.
Tum Regis Regum Christi pietate iuuante;
Disposito Carolus Regno, placidáque per orbem
Vndique pace data, statuit Romam proficisci,
Necnon Italiæ reliquam sibi subdere partem,
Cuius erat victum caput, & pars maxima, capto
Iam Desiderio, Longobardísque subactis.
B Ducatus Beneuentanæ tantùm regionis
Non illi subiectus erat, cui præfuit illo
Tempore Dux Aragisus. Eum tunc aggrediendi
Accensus studio, partésque profectus in illas,
Accelerabat iter, quem non tardare valebat
Vel glacialis hyems, solitis iam mensibus instans,
Vel via terribiles vsu scandenda per Alpes,
Montibus in summis, vbi tectæ nubibus atris,
Ac niue perpetua, rupes ad sidera surgunt.
Transcensis quibus, Italicas intrauerat vrbes.
Ex quibus est quædam Florentia nomine dicta;
In qua virginei partus florem veneratus,
Christi sacrificum supplex celebrauerat ortum.
Indè cito Romam cursu penetrare satregit.
Quò cùm suscepti tractans molimina belli
Paruum transigeret tempus, cupiens Aragisus
Hunc auro, quem non potuit depellere ferro,
Per natum * misit proprium quàm maxima dona,
C Suppliciter pacem rogitans. Sed Rex sibi longè
De rebus cœptis aliter ratus esse gerendum,
Qua præbet latos Campania fertilis agros,
Illuc progressus Capuâ consedit in vrbe,
Gesturus statim bellum; nisi Dux memoratus
Prudenti sibimet facto benè consuluisset.
Nam primò firma se clausit in vrbe Salerno,
Tum natos vtrósque suos, quorum vocitatus
Rumoldus maior fuerat, Grimoldus & alter;
Missis Legatis Regi contradidit, ac se
Ipsius imperiis subiectum mente fideli
Mansurum, populúmque suum promiserat omnem.
Talibus oblatis, Caroli requieuerat ardor,
Præcipuéque Deum metuens, ne Christicolarum
Sanguinis effusi posthæc reus ipse maneret,
Abstinuit bello, non iam curans latitantem
Expugnare Ducem: Necnon & filius ipsi
Concessus maior, minor est detentus, vt obses
Esset apud Regem. Beneuentanus quoque cunctus
Dedere se populus non distulit, obsidibúsque
Vndenis pro pace datis, hoc deditionis

* Vbi nunc Britannia minor, seu Cismarina.

* Rumoldum.

CAROLVS MAGNVS.

Confirmans fœdus, per ſacramenta ſpopondit, A
Vt Francis rerum dominis ſeruiret in æuum.
Tunc Romam tegreſſus ouans, ibi pectore læto
Maxima Paſchalis celebrauit gaudia feſti.

787. DCCLXXXVII. INDICT. IX.

ADHVC Romulea dum Rex manſiſſet in vrbe,
Taſſilo Legatos Adrianum miſit ad almum
Pontificem, quorum fuit Arnus Epiſcopus vnus,
Abbas alter erat Hunricus nomine dictus,
Obnixè rogitans, idem mediator vt eſſet
Inter ſe & Carolum, pacis fideique ſequeſter.
Hoc Antiſtes Apoſtolicus ratus eſſe decorum,
Vt Petri de Sede ſacta concordia pacis
Reſtaurata daret Ducibus populiſque quietem,
Inſtanter Regem petiit deponere cunctas
Corde ſimultates. Ad quæ cùm mente benigna
Annueret, Ducis ab Miſſis inquirere cœpit,
Pactio quo præſens eſſet firmanda tenore.
Legati nihil iniunctum de re ſibi tali,
Sed Domino reſponſa ſuo, quæ Rex daret, & quæ B
Præſul Apoſtolicus, tantùm referenda fatentur.
Quapropter tanquam fallacia, fraudéque plena,
Papa ſactatus eos ſpreuit mandata ferentes.
Damnandos etiam ſtatuens anathemate diro,
Promiſſæ dudum fidei ſi rumpere fœdus
Tentarent, quod cum Carolo pepigêre volentes.
Sicque relinquentes infecta negocia pacis,
Ad patriam redière ſuam. Rex his quoque geſtis,
Francorum lætus remeauerat in regionem,
Conciliúmque dehinc Procerum generalè ſuorum
Intra VVormatiæ muros collegit, & illic
Decreuit, certo quo diſceret experimento,
Verumnam ſibimet memoratus Taſſilo vellet
Iuratam ſeruare fidem, ſubiectus & eſſe.
Vnde ſuo regno populos perduxit ad omnes
Fortia caſtra nimis, ternis in partibus ipſa C
Diſponens, Baioarij quo tanta pauerent
Agmina. nam terrore magis quàm ſanguine fuſo
Chriſticolæ voluit plebis ſuperare tumorem.
Pippinus Regis natus cum milite multo
Italicis illuc fultus legionibus ibat,
Pérque Tridentinam ſua duxerat agmina vallem.
Aſt Orientalis quos hæc in prælia miſit
Francia, Saxones etiam tum ſigna ſequentes
Regia, ſic iuſſi, quendam Pheringa vocatum
Armati petiêre locum, propè littora magni
Danubij, priſco qui nomine dicitur Iſter.
Ipſe ſuper Lecchum*, certus qui terminus amnis
Eſt inter Baioarios, necnon Alamannos,
Vrbis ad Auguſtæ confinia caſtra locauit.
Sripatúſque manu valida, cùm Norica regna,
Taſſilo quæ tenuit, ferro proſternere vellet,
Vndique Dux idem circumſeſſum fore ſeſe
Conſpiciens, ſupplex adiit veſtigia Regis,
Deuotis vitam precibus veniámque precatus.
Qui quia naturâ fuerat mitiſſimus, illi,
Quem penitus victum vidit, humilémque, pepercit.

* Lecchus Romanis Scriptoribus Licus, Boiorum & Alemannorum limes.

A Fœdera prisca tamen rursus Baioariorum
Firmantur, populo per sacramenta coacto
Perpetuam spondêre fidem, seu subditionem.
Præterea Regi duodenus traditur obses.
Regressúsque dehinc, hyberno tempore toto
Mansit in Ingelenheim, sedes vbi Regia fulget.

DCCLXXXVIII. Indict. x. 788.

Cvm Rex in villa fieri iussisset eadem
Conuentum Procerum solenni more suorum,
Cum reliquis etiam fuit illic Tassilo præsens.
Quem proprius quondam populus, cui præfuit ipse,
Criminibus magnis, maiestatísque reatu
Accusans, Regis meritò commouerat iram,
Obiiciens primò, quòd fœdere deditionis
Neglecto, quo subiectum seu pectore fidum
Se fore iurauit, donis crebróque rogatu
Instigans Hunos, Francis ita fecerat hostes,
Vt vellent sumptis vastare ferociter armis
B Illorum fines, Carolúmque lacessere bello.
Eius vt hoc faceret Leutberga suaserat vxor,
Quæ Desiderij fuerat quia filia Regis,
Post patris exilium Francis inimica manebat,
Femineique gerens odij sub pectore flammas,
Mittere iam populos in summa pericula prauo
Consilio studuit, non curans sanguine quanto
Humani generis fuso, quot vtrinque perirent
Millia, dum tantùm Francis inferre labores
Bellorum satagens, necnon dispendia rerum;
Vlcisci patrem tali ratione valeret.
Præterea dictis seu factis pluribus illi
Obiectis, quibus indicio clarebat aperto,
Quòd violata fides esset, quòd fœdere spreto,
Tassilo molitus fuerit contraria Regi,
Ipse nihil horum vel cœperat inficiari,
Vel poterat; sed conuictus noxæ, capitali
Damnatur pœna. Meritò sic euenit illi,
C Consilium quisquis fuerit muliebre secutus.
At Regis pietas damnatum protinus illum
Absoluit, retrahens ipso de limine mortis,
Et factum Monachum seruare monasteriale
Propositum iussit. Iuuenis quoque natus ab illo,
Nomen habens Theodo, genitoris facta secutus;
Contemplatiuæ susceperat otia vitæ.
At verò Huni, studiis gens aspera belli,
Præfato promissa Duci complere studentes,
Instructis exercitibus cœpêre duobus
Francorum Regni fines inuadere quosdam.
Italiæ partes vnum penetrauerat agmen,
Quáque Foro nomen dederas clarissime Iuli,
Vrbis ad eiusdem confinia venerat hostis.
Inuasit Baioarios exercitus alter,
Sed frustra: totus quoniam conatus inanis
Is fuerat, victíque loco cæduntur vtroque.
His quoque temporibus Græcorum nobile rexit
Imperium Constantinus, qui splendidus ortu
Debitus Augustis patribus successerat hæres.
Qui iam præterito missis orauerat anno

CAROLVS MAGNVS.

Legatis, vt se generum dignantis habere A
Susciperet natam Caroli sibi consociandam
Fœdere coniugij: sed spes frustrata petentum
More leues solito Græcos commouit in iram.
Hinc dedit Augusto pariter sua Curia tale
Consilium, penitus quo non pateretur inultum,
Quod Rex contempsit Carolus præstare petitos
Virginis amplexus illi, cui summa potestas
Mortalem vix esse parem permitteret vllum.
Ob hoc Præfecto, cui procurare Sicanas
Officium fuerat regiones, nomine dicto
Theodoro, iunctis Ducibus quoque pluribus illi,
Hoc opus edicto mandauerat Imperiali,
Vt sibi contiguas vastaret protinus oras
Regni Francorum, sic incentiua moueri
Disponens belli generalis suscipiendi.
Sed cùm primores Graij sibi iussa secuti,
Hesperium littus forti cum classe petissent,
Vt Beneuentanæ villas regionis & vrbes
Depopularentur ferro flammáque voraci,
Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri B
Cura fuit loca, præcipuè Grimoldus, in ipso
Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso.
Nec non Spoleti Rector cum milite multo
Hildibrandus, ad hoc bellum properabat agendum.
Cúmque nouos hostes, opibus numeróque potentes,
Ignotos linguâ celebris iam fama referret
Aduentasse, maris traiecto gurgite vasto,
Vrbibus Italicis ex pluribus arma suasit
Obuia ferre viros coniunctis viribus omnes,
Vt sibi consulerent prædonibus indè repulsis.
Quo motu prorsus concussa Calabria tota,
Vix vmquam fertur similes suspecta tumultus.
In qua conseritur pugnæ certamen vtrinque,
Ingenti studio sumit pars iusta trophæum.
Cedit Achiua cohors, Danaûm dant terga phalanges, C
Græcorum quoniam semper gens strenua lingua,
Pigra manu tantùm facilis solet esse mouendis,
Sed benè tractandis haud extat idonea bellis.
Victores igitur Caroli rediêre fideles,
Hostibus innumeris cæsis; prædâ quoque multa,
Et captiuorum turbâ sua castra replentes
Absque graui damno magnum cœpêre triumphum.
Tum Baioariam se contulit in regionem
Rex Carolus, cunctísque suis eum finibus ipsam
Disponens commendauit Rectoribus aptis.
Et rediens in Aquisgrani, quam condidit ipse,
Aulam magnificam, sibimet gratissima festa
Natalis Domini, sanctum quoque Pascha peregit.

789. DCCLXXXIX. INDICT. XI.

* Iidem qui Germanica linguâ hodie VVenden. Nec discernendi ab iis VVinidæ apud Iornandem.

GENS est Sclauorum VVilci * cognomine dicta,
Proxima littoribus quæ possidet arua supremis,
Iungit vbi Oceano proprios Germania fines.
Hæc Francis inimica nimis cùm tempore multo
Esset, eis vel subiectos, vel fœdere iunctos
Sclauorum populos, sibimet regione propinquos,
Insectans odiis, bello quoque sæpe premebat.

CAROLVS MAGNVS.

A Nec potuit tolerare diu hoc inclytus Archos,
Sed populis secum variis, legioneque multa
Assumpta, gentem studuit penetrare procacem.
Cui per Saxonum terras iter istud agenti
Albia traiiciendus erat latissimus amnis.
Illic immensum, positis in littore castris,
Est opus aggressus, celeri quod fine peregit.
Nam gemino strauit quàm maxima ponte fluenta,
Et caput ipsius vallo muniuit vtrumque,
Imponens & præsidium, ne fortè regresso
Quis prohibere viam super alto flumine stratam,
Lignorum rupta fragili compage valeret.
Exin multorum terras inuaserat amne
Transmisso, quas cùm ferro vastaret & igni,
Barbaricum subitò domuit terrore tumorem.
Denique Francorum multis vbi castra referta
Conspiciunt populis, VVilci, fortissima quamuis
Gens foret, & numero pollens, certamina belli
Omnimodis fugiens, se dedidit ilico Regi.
B Inprimis Rex Dragauuiri*, quem nobile clarum
Præ reliquis fecit genus & maturior ætas.
Namque propinquaret cùm Rex illius ad vrbem,
Obuius ipse suo pariter processerat omni
Cum populo, Caroli sese tradens ditioni.
Sic quoque cum Ducibus gens & primoribus illa
Cuncta suis seruituram se mente fideli
Francorum Dominis, dans iuramenta spopondit.
Tum Rex obsidibus, quos iusserat ipse, receptis,
Et simul hoc populo tali ratione subacto,
Tramite quo venit, memoratum rursus ad amnem
Felici cursu rediit, cunctisque reductis
Per pontem propriis legionibus, ipse reuersus,
VVormaria tempus hyemis transegit in vrbe.

* Acquiescendum hic in Auctoris sententia. Nam Franc. Annales variant, & Regem hunc VVilzan vocant, qui infra Auctori est Rex Obotritorum.

DCCXC. INDICT. XII. 790.

Hic modo Musa nouam Caroli deprome quietem.
Est hic primus enim postquam regnauerat annus,
Quò non cum propriùs foret in longinqua profectus
Militibus, seu diuersos vt sterneret hostes,
C Aut aliis quoque pro causis ac rebus agendis.
Cui cum VVormatiæ tandem residere liceret,
Illic Hunorum Missos audiuit, ad illos
Ipse suos etiam misit. Nam maxima causa
Hos inter populos* litem commouit atrocem,
Dum quo Regnorum confinia certa suorum
Esse loco veteri deberent iure statuta,
Ingenti studio disceptaretur vtrinque.
Hæc & origo fuit belli, quod posteriori
Tempore cum Hunis Franci gessisse probantur.
Sed Rex nec spacium torpere per otia paruum
Dignatus, semper sed strenuus, indole mitis,
Est aggressus iter Mœnum nauale per amnem,
Ascenditque per hunc, donec propè mœnia venit
Magna Palatinæ sedis Salt* nomine dicta.
Nascenti vicina Salæ nam fluminis huius
Riuus adhuc modicus hæc ipsa Palatia cingit,
Vix raucum per saxa ciens resonantia murmur.
Dispositis ibi rebus, aqua redeundo secunda

* scil. Francos & Hunos.

* al. Sale.

CAROLVS MAGNVS.

VVormatiam petiit: qua cùm per tempora brumæ A
Mansisset, subitò regales funditus ædes
Illic constructas noctu consumpserat ignis.
Ipse Redemptoris nati passique sacrata
Festa gerens ibidem veri transegerat ortum,
Expectans vestita foret dum gramine tellus,
Fronderent sylux, possent & Sole sereno,
Et cœlo, de diuersis regionibus aptè
Ad bellum gentes variæ, populíque vocari.
Nàmque nouum rursus voluit certamen inire,
Atque labore graui modicam mutare quietem.

ANNALIVM
DE GESTIS CAROLI MAGNI
LIBER TERTIVS.

DCCXCI. INDICT. XIII. B

791.

AVREA siderei transcendere cornua Tauri,
Fulgentésque polo iam Sol intrare Laconas*
Cœperat, & gelidis breuiatæ noctibus vmbræ,
Auráque productæ spacio iucunda diei.
Florenti studiis*, animóque vigenti,
Dant gratum Carolo tempus, quo viribus vti
Posset, & ad bellum proprias educere turmas.
Qui post annorum centena volumina cursu
Septeno transacta, decem quoque circiter annis
Emensis nouies, postquam Deus est homo natus,
Hoc fuit aggressus Hunos certamine primo.
Nec sibi cunctandum ratus est, quin redderet illis
Quam meruere vicem, veteres hoc denique causæ
Poscebant odij. Nam gens, dum floruit illa,
Innumeris dominans aliis, quas subdidit armis,
Tum Francis inferre malum persæpè solebant. C
Sic veteres memorare solent, quòd funditus olim
Illorum terras immani cæde furentes
Vastarint, dederintque voracibus omnia flammis
Oppida, rura, domos, vrbes, cœnobia, villas.
Nam furor hostilis voluit nec parcere sacris
Ædibus, & Regno vix vna remansit in illo
Mettenses intra muros constructa decenter
Ecclesia Stephani, Martyr qui primus habetur.
Denique continuis Francos compluribus annis
Sic impugnabant Huni, Rex donec eorum
Attila, multorum totiens victor populorum,
Feminea periit dexträ sub tartara trusus.
Namque ferunt quòd eum vino somnóque grauatum,
Cùm nox omnigenis animantibus alta quietem
Suggereret, cœptis crudelibus effera coniux,
Ducens insomnes odiis stimulantibus vmbras,
Horrendo Regem Regina peremerit ausu.
Vlta necem proprij tamen hoc est crimine patris.
Hoc res Hunorum tristi velut omine lapsa
Post rediit retrò, nec prosperitate priori
Sunt posthæc vsi. Priùs oppressêre profani

* id est Castorem & Pollucem, qui Astronomis Gemini.

A Christicolas Francos antiqui temporis æuo, CAROLVS MAGNVS.
Castigante Deo caros sibi more benigno.
Ergo patrum cladis nota mansit inusta nepotum
Pectoribus, seruans iræ monumenta vetustæ.
Tum noua præterea de causis orta simultas
Iam dictis, animum Caroli commouit, vt illos
Francorum totis cum viribus aggrederetur.
Protinus edicto producitur imperiali
Ex cunctis ingens populis exercitus illi
Subiectis, & cunctarum validissima rerum
Copia, quas tanti belli instrumenta gerendi
Poscebant, vigili curâ studióque paratur.
Sed numerosa nimis quoniam produxerat ex hoc
Agmina, per partes eadem seiunxerat, ac sic
Pannoniam, gens Hunorum quam sæua tenebat,
Tramite distantem longo penetrare fategit.
Tunc vnam populi partem Comiti Theodrico,
Atque Magenfrido*, Ducibus hoc tempore primis, * al. Meginfredo
Committens, Aquilonares per fluminis oras
B Danubij præcepit eos iter accelerare.
Ipse per Australis tendebat littoris agros,
Millibus innumeris stipatus, & agmine forti.
In medio fluuius cunctis alimenta vehebat
Agminibus, Regis speciosa classe repletus,
Quam Baioariis fuit ingens cura tueri.
Ipsos in ratibus descendere quippe secunda
Iussit aqua. Sic ad fluuium Rex venit Anesum*, * hodie Ens.
Qui medius Baioarios seiunxit & Hunos.
Hunc iuxta positis per prata virentia castris,
Communi voto ternis statuêre diebus
Suppliciter celebrare preces, ac pectore toto
Auxilium Regis Regum deposcere Christi,
Vt cœptis pius annueret, quo cuncta darentur
Prospera, tot populis in tam longinqua profectis,
Munitis signo fidei, contráque nefandos
Gentiles felix fieret certamen agendum.
Atque dehinc motis memoratæ prælia castris
Intulerat genti, cuius munimina statim
Pulsis præsidiis destruxerat, ex quibus vnum
C Non operis parui Cambus præterfluit amnis,
Atque super montem Cumberg munitio dictum
Altera prægrandi fuerat circundata vallo.
Destructis vtrisque tamen cum robore forti,
Æquatisque solo, ferro vastabat & igni
Hostiles latè terras, ad ostia donec
Perueniens Artabonis*, qua fertur in vndas * Rab hodie, Turcici & Christiani Imperij limes.
Danubij, lassis ibidem statione locata
Militibus, patuum dederat requiescere tempus.
Sic vbi Pannoniæ fuerat pars maxima, latè
Diuitiis spoliata suis, ac tradita flammis,
Incolumem victor populum Rex indè reduxit,
Cui fuit hostilis hæc tota profectio planè
Prospera, res in ea nec contigit vlla molestè,
Excepto quòd tanta lues eius legionis
Quam Rex duxit, equos morbo consumpsit atroci,
Vt decimam partem vix de tot millibus huius
Expertem cladis tradant potuisse reduci.
Rex autem veniens Regimum, quam Reganesburg

CAROLVS MAGNVS.

Nunc vocitant, ibidem Natalis gaudia Christi, A
Cordéque sacratum celebrauit Pascha fideli.

792. DCCXCII. INDICT. XIV.

CELSA Pyrenæi supra iuga condita montis
Vrbs est Orgellis, Præsul cui nomine Felix
Præfuit. Hic heresin molitus condere prauam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctæ,
Affirmans, Christus Dominus quia corpore sumpto
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc,
Sed quòd adoptiuus sit filius Omnipotentis.
Responsúmque Toletano dedit hoc Helipando
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso.
Atque suum scriptis defendere dogma libellis,
Omni quo potuit studio curauit & arte.
Hinc ad Catholici deductus Principis aulam
(Idem Regino nam tum hyemauit in vrbe)
A multis ibi Præsulibus Synodóque frequenti
Est auditus, & errorem docuisse nefandum
Conuictus, posthæc Adriano mittitur almo,
Sedis Apostolicæ fuit hoc qui tempore Præsul. B
Quo præsente, Petri correctus in æde beati,
Pontificum coram sancto celebrique Senatu
Damnauit Felix priùs infeliciter à se
Ortam perfidiæ sectam, meruítque reuerti
Ad propriæ rursus retinendum sedis honorem.
At Baioaricis æstiuum tempus in oris
Dum Rex duxisset, suprema pericula penè
Incurrit, nisi quòd pietas diuina resistens
Ausibus humanis, sæuas euerterat iras.
Horror inest animis tales recolentibus ausus,
Quod fuerat rutilum Francorum tam prope lumen
Extinctum, facinus vel concepisse malignos
Tantùm mente viros. Carolum nam tradere morti
Omnimodis satagunt. hinc coniuratio fertur
Inter Francorum Proceres crudeliter acta.
Præcipuè Regis materno * sanguine cretus, C
Sed plus nequitiâ morum, quàm degener ortu,
Auctorem sceleris demens se præbuit huius.
Non tamen hoc odium Regem meruisse, vel ipse
Hostis iure queri poterat, Regina sed atrox,
Ac sæuum gestans animi Fastrada tumorem.
Insidiatores partim suspenderat illos
Informis lethi laqueus, natóque pepercit
Rex tantùm proprio, tonsúmque monasteriali
Proposito purgare scelus iussit meditatum.
In Baioaria verò regione moratus,
Instabat Princeps naualem condere pontem,
Qui per Danubium bello prodesset agendo,
Quod contra sæuos olim susceperat Hunos.
Hinc & Natalem Domini celebrauerat illic,
Ipsius & merito clarissima festa triumpho,
Quo pariter vicit mortem, mortísque ministrum.

* Forsan legendum natiuo. Intellige enim Pipinum naturalem Caroli filium.

793. DCCXCIII. INDICT. XV.

CVM Rex ad cœptum statuisset conficiendum
Belli certamen, Hunos inuadere rursus
Comperit extinctas Theodoricus Dux legiones,

Quas

CAROLVS MAGNVS.

A Quas per Fresonum pagum Hriustri * vocitatum
Ducebat. Nam Saxonum periere dolosis
Insidiis, captæ VVisuræ propè littora pulchræ.
Dissimulans igitur tanti infortunia damni,
Intermisit iter, quo disponebat adire
Pannonias, & cum Hunis committere pugnam.
Interea suasere sibi, qui nota ferebant
Talia, quòd fluuios inter, Radantia quorum
Vnus habet nomen, sed & Alcmona dicitur alter,
Si fieret tantus fossa tellure paratus
Alueus, inductis ambos dum tangeret amnes
Gurgitibus, posset puppes vt ferre natantes.
In Rhenum de Danubio celer efficeretur,
Et facilis cursus ratibus. Radantia namque
Illic se Mœno, hic Rheno miscere probatur.
Alcmona Danubij rabidis illabitur vndis.
Consilium credens igitur sibi dantibus istud,
Ipse locum Princeps operi quem credidit aptum
Expetiit tanto, multis quoque millibus illuc
B Conductis operatorum, simul omnia penè
Autumni studio consumpsit tempora casso.
Attamen in longum passus duo millia ducta
Fossa fuit, pedibus tercentum lata patebat.
Sed non perfectum poterat consistere prorsus
Hoc opus, assiduus quoniam nimis obfuit imber,
Et naturalis terram dissoluerat humor.
Egestúmque fuit quantum sudore diurno,
Rursus humi tantum rediit sub nocte relapsa.
Cúmque lutum semper madidis incresceret aruis,
Alueus & firmo constaret littore nusquam,
Ima petens immensa palus per lubrica fluxit,
Ac densum scrobibus cœnum subsedit in altis.
Cùm tamen in cœpto persisteret ipse labore,
Hunc tristi tandem fama reuocante reliquit.
Est totius enim subitò defectio gentis
Saxonum, rursus bellum narrata mouentis.
Præterea Sarraceni permaxima damna
C Intulerant, quædam Regni confinia ferro
Vastantes, Ducibus Francorum denique cæsis,
Cum spoliis, lætóque nimis rediêre trophæo.
Tum Rex aduersis commotus talibus, indè
Ad Francos rediit, Natalis gaudia Christi
Deuotè celebrans Mœni prope clara fluenta,
Quo locus insignis Kiliani * Martyris almi
Nomine seu meritis fulget. sanctum quoque Pascha
Est in Franconofurt magno veneratus honore.

* hodie Rustringen, ditionis Ieuerensis.

* VVirtziburgum hic nominant Annales Francici.

DCCXCIV. INDICT. I. 794.

DIRA veniferæ conatus semina sectæ,
Quæ Felix infelici malè sparserat ausu,
Vellere de sacro Domini radicitus agro,
Catholicus Princeps, Synodum celebrare vocatos
Vndique Pontifices iamdictam fecit ad aulam.
Necnon affuerat Stephanus cum Theophylacto.
Nam fuit Antistes Sedis Legatus vterque
Romanæ, quos Papa sacer mittens Adrianus,
Ritè suam seruare vicem mandauerat illic.
Tunc igitur cuncti cùm decreto generali

CAROLVS MAGNVS.

Hanc condemnauerunt heresim, scriptúsque Libellus A
Est illam contra, quem confirmauerat ille
Pontificum cœtus, simul & subscripserat omnis.
Annis prætereа Synodum non pluribus antè
Constantinopoli celebrari fecit in vrbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & eiusdem genitrix Hirena* vocata.
Et condixerunt, vt septima seu generalis
Appellaretur. Sed eam non nomine tali
Dignam Concilium pariter cognouerat istud,
Vtque superuacuam spernendam censuit iste.*
Tunc ibi regalis Fastrada migrauerat vxor
Hac ex luce, diem tandem sortita supremum.
Cuius in Albani speciosa Martyris æde,
Iuncta Mogontiacæ fulget quæ mœnibus vrbis,
Cum magno fecit sepeliri corpus honore.
Atque dehinc Carolus cunctis hoc ordine gestis,
Fœdifragis rursum Saxonibus intulit arma.
Ac geminis exercitibus decreuerat ipsos
Instructis terrore simul ferróque domare,
Vt citò gens bellis succumberet vna duobus, B
Ex quibus haud vnum penitus sufferre valeret.
Regis ab australi properabant agmina parte,
Saxonum miseras latè vastantia terras.
Filius ipsius Carolus traiecerat vndas
Rheni, quem comitabatur delecta iuuentus,
Inuadens ex occidua regione rebelles,
Quos statim terror meritò peruaserat ingens.
Et magni quamuis campi per plana Sinothfeld*
Collecti, pugnáque forent certare parati,
Hoc animi cecidêre metu, nec spes erat illis
Vlla resistendi Francis, quos tot populorum
Agminibus fultos vinci non posse videbant.
Protinus omisso sese certamine belli
Subiiciunt Regi, iuramentis quoque firmant,
Obsidibúsque datis, hæc fœdera deditionis.
Ipse regressus Aquasgrani (sic Regia sedes
Inclyta nomen habet, necnon vocitatur Aquensis)
Illic more suo celebrauit tempora sancta,
In quibus est vnita Deo substantia nostra, C
Mórsque Redemptoris mundum reparauerat omnem.

* al. Irene.

* Carolus videlicet.

* al. Sintfeld. Hodie Sende.

795. DCCXCV. INDICT. II.

CVM nimium suspecta foret gens facta rebellis
Saxonum toties, crebro quoque fœdere rupto,
Sub iusta Regis ditione quiescere nolens,
Haud vllum respirandi dare censuit illi
Atque rebellandi spacium fortissimus Archos.
Sed rursum terram populans hostiliter ipsam,
Eius in extremo tandem prope limite castris
Consedit positis, vicus qua nobilis extat,
Nomine Bardonvvich* dictus, quos iusserat ad se
Pergere Sclauorum Proceres sibi fœdere iunctos.
Illic aduentum quorum dum forte maneret
Opperiens, ex his extinctum comperit vnum.
Rex Abodritorum* fuit is, cognomine VVitzan,
Iussus & vt fuerat, Regem dum vellet adire,
Incidit insidias, illi quas ante pararunt

* Annales Francici locum Bardenuuich à pago Bardengauu distinguunt.

* Scribunt alij, Obotritorum, & VVitzan Sigeberto est VVilhan.

A Saxones, quoniam Francis mouêre fidelem.
Hinc iræ stimulis animo commotus amaris,
Eiusdem regionis agros, villásque feroci
Quàm latè ferro populari iussit & igni.
Tunc ex Hunorum quidam primoribus illuc,
Tudun habens nomen, venit per longa viarum,
Velle fatebatur Regi qui subdere sese,
Et Christo Domino deuota credere mente.
Hinc in Aquisgrani Carolus remeauerat aulam,
Ac memorata priùs supplex ibi festa peregit.

DCCXCVI. INDICT. III. 796.

SEDIS Apostolicæ sublimis culmine Præsul,
Hoc Adrianus ab hác vita decesserat anno.
Post quem sortitus summum Leo Pontificatum,
Confestim claues, quibus est confessio sancti
Conseruata Petri, vexilláque miserat vrbis
Romuleæ Carolo, paritérque decentia dona.
Admonuítque piis precibus, quò mittere vellet
B Ex propriis aliquos Primoribus, ac sibi plebem
Subdere Romanam, seruandæ fœdera cogens
Hanc fidei sacramentis promittere magnis.
Missus ad hoc Angilbertus, qui corpore sancti
Richarij clarè decoratam rexerat Abbas
Ecclesiam, pariter regalia detulit illuc,
Deuotè sancto misit quæ munera Petro.
Nam spoliata fuit Hunorum Regia, Htingum
Quam vocitant. Hanc Dux Erichus hoc ceperat anno,
Multimodos etiam Regi deuexerat indè
Thesauros, æuo quos collegêre vetusto,
Innumeris crebrò spoliatis gentibus Huni.
Ex quibus est Romam tunc maxima copia missa,
De reliquo summos Proceres Aulæque ministros
Multùm larga manus ditauit Principis omnes.
His gestis iterum Rex Saxonum regiones
Inuadens latè vastauerat, atque reuersus
Victor Aquisgrani brumali tempore mansit,
C At Dux Italiæ Pippinus, Regia proles,
Adiunctis Baioaricis legionibus illi
Hunis intulerat bellum, sic patre iubente.
Cum quibus euentu certamina prospera læto
Trans fluuium Tizan gessit, cunctisque fugatis
Hostibus, à Francis Hunorum Regia tota
Est æquata solo; quam Hringum diximus ante.
Cuius penè gazæ gentis tunc funditus omnes,
Magnus erat quarum numerus, cunctæque priorum
Diripiuntur opes Regum, quas depopulantes
Plures in variis sacras regionibus ædes,
Temporibus multis malè congessisse feruntur.
Tunc quibus ablatis, tam clari iure triumphi
Ad patrem victor memorata venit in Aula
Pippinus, Regni cui thesauros spoliati
Attulit, exuuiásque Ducum, vexilláque capta.
Cum quo iam dictus Tudun quoque venerat illuc,
Promissisque fidem propriis adhibere satégit,
Cum toto comitum numero baptisma suorum
Percipiens, etiam per sacramenta spopondit,
Se fore subiectum Francis, fidúmque per æuum.

CAROLVS MAGNVS.

Sed postquàm rediit, mutans promissa fidémque, A
Perfidiæ luerat paruo post tempore pœnas.
At Rex solenni voto celebrauerat illic
Tempora, quæ Christus nascens moriénsque sacrauit.

797. DCCXCVII. INDICT. IV.

CVM pulcro renitens ortu clarescerect æstas,
Ad Regem Sarracenus cognomine Zatus
Adueniens, à se peruasam reddidit vrbem,
Barzinona * cui nomen. nam limite structa
Constat in Hispano, vario cogentéque casu
Nunc Sarracenis fuerat, nunc subdita Francis.
Pérque Ducem tandem memoratum reddita, qui se
Sponte sua pariter Carolo permisit & vrbem.
Francorum subiecta fuit post hæc ditioni.
Inde suum gnatum Hludouuicum nomine, Regem
Tunc Aquitanorum, direxit ad obsidionem
Oscæ, nomen habet sic vrbs Hispanica quædam.
Ipséque more suo rursum Saxonibus arma
Intulit, auderent duras ne fortè leuare
Ceruices iterum, quorum vastauerat omnes B
Extremos etiam fines, quos Albia claudit,
Et quà diffuso miscent se gurgite salsis
Fluctibus Oceani VVisuræ præclara fluenta.
Cúmque rediret, Aquisgrani deuotus adiuit
Regis Abinmagæ Maurorum filius illum,
Abdellæ cui nomen erat, quem Rex ibi clemens
Cùm suscepisset, collegerat indè Senatum,
Et quo conficeret tandem Saxonica bella,
Consilium prudens iniit, quò tempore toto
Instantis brumæ regione maneret in ipsa.
Ergo suo secum comitatu protinus omni
Assumpto, VVisuræ positis in littore castris,
Sedit, Heristellique locum iussit vocitari,
Hactenus hoc & habet nomen, terrámque per ipsam
Adductos secum populos diuiserat, atque
Indigenas licèt inuitos dare compulit ipsis
Hybernas sedes simul & stipendia cunctis.
Huc ex Italia venit Pippinus ad ipsum.
Hispanis etiam rediens Hludouuicus ab oris. C
Hunorum quoque Legati, necnon Hadefonsi
Asturiæ Regis, quàm maxima dona ferentes,
Ex tam longinquis Carolum terris adierunt.
Hinc est in Regnum proprium dimissus vterque
Regalis natus. misit quoque cum Hludouuico
Abdellam, qui post patriam deductus, & illis
Est commissus, ad hoc quos tunc elegerat ipse,
Et quorum fidei se credere non dubitauit.
Rex autem residens in Saxonum regione,
Præfatóque loco, sanctissima festa peregit,
In quibus indutus processit corpore Christus,
Et posuit carnem moriens, sumpsitque resurgens.

*Romanis Scriptoribus Barcino, hodie vulgo Barzelona.

798. DCCXCVIII. INDICT. V.

VERIS in initio facinus commiserat atrox
Saxonum populus quidam, quos claudit ab austro
Albia seiunctum positos Aquilonis ad axem.
Hos Northalbingos patrio sermone vocamus.

CAROLVS MAGNVS.

A Nam pro iustitia legali more gerenda
Cùm Rex Legatos illuc transmitteret, ipsos
Impia fœdifragæ iugulauit factio gentis.
Cúmque Godeschalcus Regis Legatus & ipse,
Ante dies missus paucos ad Regna tenentem
Danorum, Sigifridus erat cui nomen, in ipso
Tempore regrediens foret interceptus ab illis,
Auctores huius fuerant qui seditionis,
Pertulerat mortem pariter pro crimine nullo.
His Rex commotus VVisuram properauit ad amnem,
Inque loco, quem Munda vocant, sua castra locauit.
Atque necis Legatorum iustissimus vltor,
In desertores iræ laxauit habenas,
Vastari latè sparsis legionibus illam
Præcipiens terram. Tum sæuus vbique furebat
Miles, vbique cruor riuis madefecerat arua,
Omnibus atque locis increuerat horrida clades,
Vulnera, mors, luctus, clamor, fuga, flamma, rapinæ.
Omnia complebant, donec compescuit altis
B Albia gurgitibus procedere longiùs arma.
At Northalbingi missos impunè peremptos
A se cernentes Caroli (nam regia castra
Haud traiecerunt fluuium) superaddere magnos
Disponunt ausus, Abodritos denique Francis
Qui tunc subiecti fuerant, ac fœdere iuncti,
Nisibus ex totis cœpêre lacessere bellô.
Ast illis Abodritorum Dux nomine Thasco,
Comperto tali motu, tulit obuia signa,
Consertáque loco pugna, quem Suentana dicunt,
Quatuor hostilis prostrauit millia cœtus,
Ac victos fecit nimia cum clade reuerti.
Cúmque regressus Aquisgrani Rex esset in aula,
Constantinopoli missos suscepit ab vrbe
Legatos, Augusta suis pro rebus ad ipsum
Quos misit Hirena, preces ac dona ferentes.
Nam Constantinus fuerat qui natus ab illa,
Cùm foret immensa morum grauis improbitate,
C A Græcis Regni deiectus culmine, magnas
Nequitiæ dederat priuatus lumine pœnas.
Vnus erat missus Michaël, & Presbyter alter
Theophilus, quibus est tandem poscentibus actum,
Vt magna Regis pietate Sisinnius, olim
In bello captus, patriam dimissus abiret.
Is germanus erat præfatæ Præsulis vrbis,
Quæ caput Imperij Græcorum nobile fulget.
His quoque dimissis, Hadefonsi Regis ab oris
Hispanis venêre viri, qui munera* Magno
Attulerant Carolo, renouantes fœdus auitum,
Semper amicitiâ Reges quod iunxerat ipsos,
Magna quibus dederat susceptis dona benignè,
Ac patriam tali lætos dimisit honore.
Insulæ inuasæ Baleares esse feruntur
Hoc anno, quarum Maiorica dicitur vna;
Altera nomen habet sermone Minorica* prisco.
Has etenim Mauri deuastauêre piratæ.
At Rex præfata tempus celebrauit in aula,
Quo nasci voluit cœli terræque creator,
Et quo mors mortis fuit, infernúmque momordit,

* Manubias nimirum de Lysibona capta. Videndi Annales Francorum.

* sed deprauato, de vocibus Maior & Minor; Hispanis hodie *Malorca* & *Menorca*

CAROLVS MAGNVS.

Reddidit & nobis vitam de morte resurgens. A

DCCXCIX. INDICT. VI.

799. O QVAM triste nefas mortalia pectora crebrò
Concipiunt, quàm præcipiti submersa profundo
Nequitiæ, dum non leges, non iura verentur,
Horrificos nimium cæci labuntur in actus.
Testis hic est annus, quo, res indigna relatu,
Crimine Romuleam sæuo maculauerat vrbem.
Nam sacer Antistes, mundo venerabilis omni,
Ciuibus à propriis pœnas Leo sumpsit atroces.
Credidimus, tormenta quidem cessasse piorum,
Iamdudum sæuis tortoribus igne gehennæ
Damnatis, quos Imperij dum sceptra tenentes
Fecerat elatos immensa potentia secli.
Martyribus cæsis implerunt sanguine Romam.
Nunc in pace noui sceleratis ausibus Orci
Carnifices ibidem, longè licèt inferiores
Iure potestatis, simili sed mente feroces,
Temporibus tantum scelus admisêre modernis,
Indicto cum iustitio, se publica vota B
Cum precibus soluens plebs castigare fidelis
Deberet, paritérque suos purgare reatus.
Tum celebrare volens Christi mysteria cunctis
Pro sibi commissis, solenni more Sacerdos
Vectus equo, Lateranensi processit ab aula,
Ad rua Laurenti pergens sacra limina Martyr,
Qua decus Ecclesiæ lectus modo ferreus auget,
Virtutis monimenta tuæ clarissima præbens,
Quòd super impositus prunis contempseris ignes,
Corporis ardescens Christi magis intus amore.
Sed neque tale tuum meritum sedare furores
Hostiles potuit, quin ad tua dum properaret
Antistes summus suffragia sacra petenda,
Insidias illi simul & tormenta pararent.
Cùm celeraret iter, turbâ vallatus iniqua,
Crudeléſque manus tolerans, amiserat ipsum
Effossis oculis lumen, linguam quoque tortor
Præcidit, nudúmque deinc liquere iacentem
Seminecémque foris, fœdatum sanguine multo, C
Inque Monasterium post hæc deductus Erasmi
Martyris (auctores facti sic nempe iubebant)
Curandi specie fuerat seruatus in ipso.
Donec cognoscens VVinigisus res ita gestas,
Dux Spoletanus, Romam festinus adiuit,
Noctéque sublato per murum Præsule sacro,
In sua cum iustis deduxit honoribus ipsum.
Qui miserante Deo transacto tempore pauco,
Amissum recipit visum, paritérque loquelam:
Seu quia festinans tortor, trepidánsque nefandis
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Passuras, sed velle suum defendere Papam,
Non quantum voluit crudelia facta peregit:
Seu, quod credendum magis est, antiqua Redemptor
Per meritum magni renouans miracula Petri,
Sanari successorem donauerat eius.
Hæc VVinigisus vt ad Caroli Dux detulit aures,
Admonitus probitate viri, summæque colendo

A Ordine Sedis Apostolicæ, Rex iussit, vt ad se CAROLVS MAGNVS.
Glorifico Præsul deductus honore veniret.
Egit iter tamen ipse suum, decreuit vt antè,
Saxonum terras adiens, ibidémque locatis
Ad Paderbrunnon multo cum milite castris,
Oppericbatur non paruo tempore summi
Præsulis aduentum. Carolus quoque Regia proles,
A patre missus ad eiusdem confinia gentis,
Perrexit lato quà profluit Albia cursu,
Disponenda forent dum fortè negotia quædam
Cum VVilcis & Abodritis, ac suscipiendi
Saxones aliqui, qui se de partibus illis
Iam delegerunt fidei committere Regis.
Hæc satis egregiè peragens dum cuncta, moratus
Iunior esset in his Carolus, spectátque* reuersum * pro expectat.
Dum videat natum patrio Rex magnus amore,
Venit Apostolicus, terrarum penè supremas
Iam penetrans oras. Illi via tanta peracta
Visa breuis fuerat, quia compensauerat omnes
B Intuitu Caroli quos pertulit ante labores,
A quo cunctorum solamina digna malorum
Danda sibi meritò spe certa credidit olim.;
Namque propinquantem cùm primùm nouerat, illi
Obuius ipse loco de castrorum memorato
Stipatus multis populorum millibus ibat.
Pontificémque vicem Petri, cui claudere cœlos
Et reserare licet verbo, sedémque tenentem,
Suscepit cum magnifico reuerenter honore.
Cúmque dies aliquot lætos ibi duceret, idem
Insinuans Præsul sua quæque negocia Regi,
Illius facilem cognouit ad omnia mentem,
Concedenda piè voluit quæcumque precari.
Indè reducendum dignè primoribus illum
Francorum commendauit, qui iussa replentes,
Ingressi pariter Romam sua restituerunt
Omnia Pontifici rursum, quo iura regendæ
Sedis Apostolicæ, iustúsque teneret honores.
Et post discessum Papæ Rex duxit eodem
Tempora pauca loco, subitò cùm tristis ad illum
C Nuncius interitum Procerum, mortémque duorum
Detulit, insignes quos fecit maxima virtus.
Vnus erat Baioariæ Comes, ísque vocatus
Geroldus, qui cùm populum defendere Christi
Conatus, bello sæuis obsisteret Hunis,
Finiuit vitam fragilem, sumpsitque perennem.
Italici verò fuerat Dux limitis alter,
Nomen habens Erichus, qui post benè plurima gesta
Prælia, post crebrò sumptos ex hoste triumphos,
Oppugnare Liburnorum contenderat vrbem
Tharsaticam, ciuésque loci quem robore semper
Inuictum nouêre, dolis ac fraude necarunt.
At Carolus, quantum tempus permiserat illud,
Saxonum rebus certo moderamine cunctis
Dispositis, in Aquisgrani se contulit aulam.
Ad quem VVido Comes, cui Brettonum regiones
Commissæ fuerant, gentis tam sæpè rebellis,
Detulit arma Ducum, proprio quæ nomine quisque
Inscripto dederat, signum fore deditionis

CAROLVS MAGNVS.

Hoc statuêre suæ, Francis seruire coacti. A
Nam sociis Comes ille suis complutibus ipsam
Hoc anno penitus terram lustrauerat omnem,
Corda domans belli terrore ferocia grandi.
Et iam perpetuò Brettones iure subacti
Parerent Francis, si non promissa fidémque
Perfida fallacis mutassent pectora plebis.
Tunc quoque Sarracenus Azan cognomine dictus,
Direxit Carolo claues cui præfuit vrbis
Oscæ (sic illam vocitauit barbara lingua.)
Magnáque dona simul mittens hanc rradere sese
Promisit, si tempus ad hoc contingeret aptum.
Tunc Hierosolyma Monachus directus ab vrbe,
Immenso nimium spacio terræque marísque
Transcurso, Regi munus preciosius omni
Auro detulerat, mittente pio Patriarcha
Pignora sancta loci, Christus qui carne sepultus
Morte resurrexit victa, quo gaudia mundo
Angelus hæc cœli missus narrauit ab arce.
Rex quoque Natalem Domini celebrauit in aula
Iam dicta, Monachúmque dehinc remeare volentem B
Absoluit, comitémqne simul coniunxerat illi
Zachariam, regalis erat qui Presbyter aulæ.
Per quem magna locis misit donaria sanctis,
Atque viris inopem vitam ducentibus illic,
Et mala perpessis mundi sub nomine Christi.

800. DCCC. INDICT. VII.

MARTIA cùm medios explessent tempora cursus,
Phœbus & initium mundi totius & anni
Arietis æetherea gradiens in signa tonaret,
Florigerum rediit hyemis ver aspera pellens,
Frondibus exornans syluas, & prata virenti
Gramine, dans auibus voces, augmenta diebus.
Tum decus egregium mundi, lux clara moderni
Temporis, ex aula Carolus progressus Aquensi,
Oceani littus, nomen cui Gallicus extat, C
Lustrabat, classémque mari perfecit in ipso,
Infestum quod Norrhmanni fecêre piratæ,
Iam tunc Francorum nimium gens noxia Regno.
Inque Monasterio, sancti quo membra quiescunt
Richarij, celebrauit ouans solennia Paschæ.
Tramite tum cœpto properans peruenit ad vrbem
Turonicam, Martine tuam sanctissime tumbam,
Qui Confessor Apostolica virtute coruscus
Effulges, adiit quærens suffragia supplex.
Coniugis hîc illum tristis valetudo morari
Compulit, extremas dum vitæ clauderet horas*,
Moribus & vitæ merito laudabilis omni,
Cui nomen Luidgardis erat. Tnm funere dignè
Illic curato, tumulíque decore peracto,
Ipse Moguntiacum rediit, primísque suorum
Vndique collectis, ibi conuentum generalem
Fecerat Augusti circa primordia mensis.
Tunc & in Italiam multis iter aggrediendum
Condixit populis, illuc quos pergere secum
Decreuit, quod distulerat non tempore longo
Agmine delecto, sed eo comitante profectus,

* Fuit hoc prid. Idus Iunias, vt Annal. Franc. habent.

A Mœnia famosæ petiit præclara Rauennæ. *Carolvs Magnvs.*
Cúmque dies esset septem non amplius illic,
Pippinum Regem gentis cum milite multo
In Beneuentanæ direxerat oppida terræ,
Ipséque Romanas ibat deuotus ad arces.
Obuius huic ad Numentum Leo Papa sacratus
Venerat, & gaudens multum, veneránsque, recepit,
Quem defensorem solum sibi senserat olim.
Dulcibus alloquiis ibi tunc epulísque peractis
Antistes summus Regem præcessit ad vrbem.
Postera cúmque dies celebris, festiuáque præbens
Gaudia Romanis, qua suscipiendus ab illis
Rex tantus fuerat, Solis fulgesceret ortu,
Pontifices Clerúmque suum collegerat omnem
Papa. Quibus secum sumptis, ad limina magnæ
Basilicæ Petri, qui summus Apostolus extat,
Venit, & in gradibus templi stipante sacrato
Constitit ipse Choro. Carolum sic aduenientem
Suscepit, laudum modulamina dulcia cantans,
B Atque Deo grates ex toto corde rependens,
Quòd moderatorem defensorémque dedisset
Ecclesiæ talem, cui non ea nouerat ætas
Mortalem similem, vel sic virtute valentem,
Omne bonum vel deuota sic mente volentem.
Tantus honor, talis Francorum gloria, Regem
Magnáque Romanæ comitantur gaudia plebis,
Ecclesiam Petri puro cùm pectore magni
Intraret, fusis lacrymis, humilíque precatu
Implorans tanti suffragia sancta patroni.
Iam quoque Solstitij glacialis tempore crescens
Asperitas brumæ, tandem cogebat vt illic
Militibus hyberna quies optata daretur.

ANNALIVM
DE GESTIS CAROLI MAGNI
LIBER QVARTVS.

C

DCCCI. INDICT. VIII. 801.

FESTA dies cœlis, eadem celeberrima terris,
Virginei partus Christíque refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat annos,
Tectus seruilis Dominus velamine formæ.
Et iam Natalis tanti cumulauerat omnem
Lætitiam Româ Caroli præsentia Regis.
Hic, cùm Missarum sacro solennia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claues Christus dedit ipse polorum.
Eius & ante sacros artus cùm mente fideli,
Effusis precibus, sese Rex indè leuaret,
Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat ædes
Ingenti iubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, sic concordi simul ore canentis,

CAROLVS MAGNVS

Augusto Carolo Magno, pacémque ferenti, A
Imperij meritò Romani sceptra tenenti,
Gloria, prosperitas, Regnum, pax, vita, triumphus.
Post laudes igitur dictas, & summus eundem
Præsul adorauit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine dempto
Patricij, quo dictus erat priùs, inde vocari
Augustus meruit pius, Imperij quoque Princeps.
Tempore pauorum post hæc abeunte dierum,
Ipse suum Carolus præceperat ante tribunal
Duci, iudiciúmque viros legale subire,
Per quos præterito fuerat tot cladibus anno
Affectus sacer Antistes, legémque secundum
Romanam maiestatis cogente reatu,
Damnauit pœnâ meritò cunctos capitali.
Sed licèt indignis, interueniente benigno
Præsule, concessit vitam: tamen esset inultum
Ne tantum scelus, exilio relegauerat omnes.
Festáque transegit postquàm Paschalia Romæ,
Egressus Spoletanam pertexit in vrbem.
Augustus verò quo tempore manserat illic, B
Aprilis horam cùm nox extrema secundam
Obscuram nimium tenebris inuolueret atris,
Ingenti subito tellus exercita motu
Contremuit, sonitúsque graues nimis & metuendos
Ediderat, stabilem cui sustulit ira quietem
Cœlestis, grandi sub mole latentia mundi
Intima concutiens impulsu viscera diro.
Cúmque procellosus turbo, penetránsque cauernas
Occultas, ac venarum loca tecta sub alto
Terrarum gremio, ne qua prorumperet inde
Vis venti, patulos vsquam reperiret hiatus,
Quassatis fluctus quosdam generauit in aruis.
Iámque domi maior, quàm gurgite terror in vllo
Naufragij fuerat, tremulo sua culmine quisque
Dum fugeret subitam minitantia tecta ruinam,
Mœnia cuncta simul tetro sonuere tumulto, C
Pendula crispanti stridunt vt lintea flatu,
Aut dum quæ tenui squallebant puluere vela,
Exagitant famuli certatim discutientes.
Haud aliter muros omnes tremuisse videres.
Hic tamen Italiam terror specialiter omnem
Perculerat, cuius plures subuerterat vrbes,
Auulsósque tulit montes radicibus imis.
Tum Romæ cecidêre trabes venerabilis ædis,
Pignoribus propriis quam Paulus Apostolus ornat.
Gallia nec tantæ fuit aut Germania cladis
Immunis, circa Rhenum loca denique motu
Plurima terrifico nimium concussa fuerunt.
Audiri quoque mugitus è montibus altis,
Et terri sonitus reddi, variique boatus,
Morborúmque lues fieri permaxima cœpit.
At Spoletanis Carolus regressus ab oris,
Ad Ticinum rediit, cui nunc est Papia nomen.
Italiæ linquens fines Augustus, Aquensem
Expetiit sedem, mansitque quietus hoc anno,
Pérque sui partes Regni direxerat omnes
Legatos, æquo legum moderamine mandans

A Iusticias facere, & varias componere lites, CAROLVS MAGNVS.
Reddere ius ciuile bonis, terrêre malignos.
Diuinas mundíque pias ex ordine leges
Tunc exerceri mandauerat, & renouari.

DCCCII. INDICT. IX. 802.

Hoc de longinquis elephas regionibus anno
Primitus adductus, mira spectacula Regno
Francorum dederat. Persarum denique Princeps
Hunc Aaron. Idem, fuerat cui subditus, Indis
Exceptis, Oriens totus, curauerat vltrò
Eius amicitiæ se fœdere iungere firmo.
Ac dignum duxit præ cunctis Regibus ipsum
Temporis illius solum, cui munera larga
Præcipui causa transmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, vestes, & aromata crebrò,
Ac reliquas Orientis opes direxerat illi.
Ascribíque locum sanctum Hierosolymorum
Concessit propriæ Caroli semper ditioni.

B

DCCCIII. INDICT. X. 803.

Nobilis hic annus longi certamina belli
Tandem, Saxones inter Francósque peracti,
Firmo perpetuæ conclusit fœdere pacis.
Augustus pius ad sedem Saltz * nomine dictam * Suprà ad ann. DCCXC. Salt dixit.
Venerat: huc omni Saxonum nobilitate
Collecta, simul has pacis leges inierunt,
Vt toto penitus cultu ritúque relicto
Gentili, quem dæmonica priùs arte colebant
Decepti, post hæc fidei se subdere vellent
Catholicæ, Christóque Deo seruire per æuum.
At verò censum Francorum Regibus vllum
Soluere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors:
Sed tantùm decimas diuina lege statutas
Offerrent, ac Præsulibus parere studerent,
Ipsorúmque simul Clero, qui dogmata sacra,
Quíque fidem Domino placitam vitámque doceret.
Tum sub Iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,
C Legatísque suis, permissi legibus vti
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc sunt postremò sociati fœdere Francis,
Vt gens & populus fieret concorditer vnus,
Ac semper Regi parens æqualiter vni.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortasse videtur,
De vita scriptum Caroli legat ipse Libellum,
Quem Francos inter clarus veráxque relator,
A summo prudens EINHARDVS nomine scripsit.
Hac igitur pacis sub conditione fideles
Se Carolo, natísque suis, stirpíque nepotum
Ipsius, iurauerunt per secla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quàm terror. Nam se quisquis commiserat eius
Egregiæ fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primùm

CAROLVS MAGNVS

Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta, A
Prædia præstiterat cùm Rex compluribus illic,
Ex quibus acciperent preciosæ tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcísque fluenta Lyæi.
His vbi primores donis illexerat, omnes
Subiectos sibimet reliquos obtriuerat armis.
Et multis experta modis innotuit eius
Tam dulcis pietas, quàm formidabilis ira,
Præfatum statuêre fide seruare perenni
Fœdus, & vlteriùs non id mutasse probantur.

804. DCCCIV. INDICT. XI.

PRÆSVL Apostolicus Roma petrexit ab vrbe,
Augusti Leo flagranti deductus amore,
Ecclesiæ quoque pro causis, quibus Impetiali
Esse videbat opus munimine, rursus adire
Francorum terras satagens per longa viarum.
Hic vbi terribiles primùm transcenderat Alpes,
Aduenrasse virum rantum rumore volucri
Indice compererat statim propè Gallia tota,
Protinus hoc etiam lætus cognouit, & illi B
Obuius Augustus Remensem venit ad vrbem.
Susceprúmque satis digno veneratus honore
Duxerat ad sedem, cui nomen Carisiacus.
Naralis Domini festis ibi ritè peractis,
Sedis Aquensis abhinc petierunt mœnia pulcræ,
Glorificéque simul celebrato tempore sancto,
Quo stella monstrante Magi cognoscere veri
In terris nati meruerunt luminis ortum,
Colloquióque dehinc, pro quo Præsul venerandus
Venerat, expleto, Rex inclytus obtulit illi
Munera, digna simul danti seu suscipienti,
Hic cùm Pontificum clarissimus, illéque Regum
Temporis illius, nullo dubitanre, fuissent.
His gestis, propriam Præsul remeauit ad vrbem,
Séque viri seiunxerunt ibi corpore solo,
Mentis amore pio iuncti sine fine manentes. C

805. DCCCV. INDICT. XII.

NATIO Sclauorum studio satis aspera belli,
Quos Behemos * vocitant, in se leuitate procaci
Irritans Francos, Caroli commouerat iram.
Quos contra missus multis cum millibus eius
Natus & æquiuocus, bellum virtute sagaci
Commisit, celeri victor quod fine peregit.

*In Francicis Annalib. dicuntur Behemanni.

806. DCCCVI. INDICT. XIII.

CVM pius Augustus Domini munimine fultus,
Legitimo cunctos tanti moderamine fines
Imperij seruans, placidam daret vndique pacem,
Sollerti meditabatur depellere causas
Menre simulrarum, populo quas posse fideli
Tempore dissidium vidit generare futuro.
Vnde suos inter natos ne gignere posset
Post aliquam litem patrij diuisio Regni,
Certas ipse dedit partes vt cuíque volebat.
Iralico Regi Baioariam simul omnem
Pippino addiderat: necnon Burgundia, quantum

Parte

CAROLVS MAGNVS.

A Parte sub extrema celsas interiacet Alpes,
Cum paucis Alamannorum quoque finibus, illi
Traditur. At Carolo reliquos donans Alamannos,
Saxones ac Fresones subiecit eidem,
Cui simul ex magna fertur data Gallia parte,
Oceani donec vastis concluditur vndis.
Hunc in Francorum sibimet succedere Regnum
Disposuit, si non aliter Domino placuisset.
Subiicitur verò sceptris Burgundia penè
Tota pij Regis Ludouici, iure tenentis
Post hæc Imperium. necnon Aquitania cuncta
Quæ commissa priùs fuerat, nunc traditur illi
In Regnum proprium, stabili ditione regendum.
Hinc omnes obtestatus, multúmque precatus,
Admonuit seruare fidem, nec spernere pacem,
Ne proprio quisquam transgresso limite, causas
Rixarum bellíque daret, fusíque cruoris
Christicolæ plebis meritò reus esset in æuum,
Sed facerent inter sese quo firma maneret
B Debita fraternas socians concordia mentes.
Ipse dehinc Princeps in sede manebat Aquensi;
Nec pòst militiæ solitos exercuit vsus,
Aut aliquos iuit bellum gesturus in hostes.
Nam nec opus fuerat, nec eum permiserat ætas,
Iam quibus exantlatus erat, renouare labores,
Cui grauis irrepens, & per momenta senectus
Singula succrescens, faceret decrescere vires.

DCCCVII. INDICT. XIV.

807.

REX Sarracenæ generis * nimirum truculentæ,
Atque grauis latè mundo terráque maríque,
Muneribus tamen Augustum veneratur opimis.
Transmittens etiam quoddam mirabile donum
Denique tunc, inter tentoria, qualibet arte
Facta, dedit maius cunctis & pulcrius vnum.
Fama solet veterum quicquam si dicere verum,
Mirandum, collecta forent vbi carbasa tanta,
C Aut quibus orta seges lini tam fertilis agris,
Materies operi quæ posset idonea tanto
Afforе. Non hominum tantam nisi millia molem
Erigerent. Spacium campi concluserat amplum
Textilis excelsis paries hærendo columnis.
Nec summi culmen tecti superare volatu
Viribus impulsæ magnis potuêre sagittæ.
Intus erant multi generis habitacula pulchra,
Quilibet ingrediens vt non hæc esse putaret
Vela mouenda loco, sed mœnia nobilis aulæ.
Interea Northmannorum Dux, Alfdeni dictus,
Augusto, magna sese comitante caterua,
Subdidit, atque fidem studuit firmare perennem.

* Loquitur iterum de Aarone Calipha.

DCCCVIII. INDICT. XV.

808.

SVNT Sclaui quidam Lini * cognomine dicti.
Hos contra genitore suo mittente profectus
Iunior est Carolus, cuius non Albia lata
Præpediebat iter, sed Francorum legiones,
Fluminis eiusdem traiecto gurgite, lætis
Auspiciis vsus, memoratos duxit in hostes,

* Ado *Linones*, Albert. Stad. *Linones*, Helmoldus *Linoges*, Adamus Brem. *Lingones* dixêre. Longiùs variarunt Annales Francor. ad ann. DCCCVIII. & DCCCXI. vbi *Heldones* legitur. Sicuti Eginhardus bellum Hilmonicum inde nuncupauit.

CAROLVS MAGNVS. Signáque gaudenti retulit victricia patri. A

809. DCCCIX. INDICT. I.

VNDIQVE præsentis pax lætificauerat anni
Cunctos Imperij fines, sed tristia quædam
Multis contigerant terris. nam sæuior omni
Hoste nefanda lues pecudum genus omne peremit.
Nam cùm pastores agerent armenta gregésque
Manè foras lætos in prata virentia, serò
Ægra domum rediit vix pars paucissima, diræ
Signa gerens pestis macie mortísque propinquæ.
At maior numerus campi per plana iacebat,
Qua dulces animas virides efflauit ad herbas.
Iámque cadaueribus fœtebant pascua stratis.
Extractis etiam, præsepia quæque labore
Purgari multo poterant, tum qui moriturum
Cernentes animal, magis id prosternere ferro
Eligerent, statim stillans è vulnere tabo
Prodiderat toto concretum corpore virus.
Noricus ista sinus fertur specialiter esse
Perpessus, cum vicinis regionibus illi. B
Præterea steriles hoc factæ tempore vites,
Impenso sibimet nulla mercede labori
Respondent, spes est auidi frustrata coloni,
Dum vineta suo pubentia fœtu
Conspicit, & vanè syluescit inutilis arbor,
Palmite diffuso nullas dum pampinus vuas
Contegit, & fructu vacua stat vinea lata.
Partibus in multis Regni sic omine tristi
Bacchica non solito perierunt pocula damno.
Tempore nimirum tanto licèt ante, per orbem,
Augusto, luctum, terris abeunte, futurum
Iam ostendebat casus tristissimus iste.

810. DCCCX. INDICT. II.

PIPPINVS Rex Italiæ *
Francorum nitido lætum cùm duceret æuum,
Flore vigens simul ætatis, mentísque decore,
Cui præclara fuit virtus, cui gloria summa,
Omnia fallacis pariter cui prospera mundi C
Tunc aderant, morbo vitam finiuit acerbo.
Immaturus huic obitus, iucundáque vita
Extitit, vnde suo nimium de funere patri,
Omnibus & Francis gemitum luctúmque reliquit.

811. DCCCXI. INDICT. III.

RVRSVS vt omnipotens caros sibi sæpè flagellis
Erudit, æternæ det vt illis gaudia vitæ,
Augusto vis iudicij veneranda superni
Omnem præteriti luctum geminauerat anni,
Ipsius assumens alium de corpore natum,
Mortalísque iubens vitæ finire tumultus.
Hic patris æquiuocus * fuerat, nec nomine solo,
Indole sed mentis clara, probitatéque morum,
Omnimodáque patrem virtutum dote referret,
Si rectore frui meruisset Francia tali.
Hoc quoque Bernhardo Regnum concesserat anno
Italicum pius Augustus. nam filius idem

* Idest Carolus, mortuus 2. Non. Decēbris.

A Pipini meritò patri successerat hæres.

DCCCXII. INDICT. IV. 812.

MAXIMA longinquis terrarum venit ab oris
Græcorum de Principibus Legatio missa.
A quibus Augustus pacem donare rogatus,
Iure piis precibus, multùm quas nouit vtrique
Proficuas Regno, consenserat ilicò clemens,
Fœdus & inter se fidei pacisque tenendæ
Iurando partes firmarunt protinus ambæ.

DCCCXIII. INDICT. V. 813.

IAM grauis Augusto morbus simul atque senectus,
Corpore, sustulerant solitum, marcente, vigorem.
Curarúmque, quibus Respublica tanta gerenda,
Ac seruanda fuit, non se sufferre valere
Immodicum pondus, placidæ sed sola quietis
Otia, supremo labentes tempore vitæ
Vidit amanda sibi, quo procurare migranti.
B Hinc animæ requiem propriæ veniámque studeret.
Vnde Duces ac primores solenniter omnes,
Atque Magistratus, ad Concilium generale
Vndique collegit, natóque suo Hludouico
Cunctorum cum consilio ius omne regendi
Tradidit Imperij, successorémque paterni,
Imposito designauit diademate, Regni,
Consortémque sui factum totius honoris
Augustum pariter vocitari iusserat ipsum.
Quod cum magnifico satis accepêre fauore
Consilium cuncti, cùm prorsus id vtile Regno
Multimodis intelligerent. Hinc aucta refulsit
Maiestas Caroli, concordia facta futuris
Hinc est temporibus, cùm tot caput extitit vnum,
Vnanimi populis monstratum mente sequendum.
Hinc metus externis incussus gentibus ingens,
Nil sperare dedit Caroli de morte propinqua,
Quo minui posset status, & rectissimus ordo
C Regni Francorum, cuius non antè reliquit
Tam clarus Princeps regimen, quàm sumpsit id alter,
Quem meritò patri similem virtute putarent.
A quo non dubium, quin armis Regna subacta
Cuncta simul miti regeret moderante sophia.
Vt quondam magnus pariter Rex atque Propheta,
Qui lyrico modulante melo cœlestia doctus
Carmina diuino completus pangere flatu,
Nunc citharis Dauid digitos fidibúsque canoris,
Nunc capulis aptare manus armísque solebat,
Innumeras postquàm gentes hostésque triumphis
Subdiderat propriis, meritis maturus & annis,
Se viuente, suus iussit quo filius omni
Hebræi Salomon Regni frueretur honore.
Sic Carolus noster solitus tractare vicissim
Prælia, dæmonicos etiam subuertere cultus,
Catholicam firmare fidem, damnaréque sectas
Peruersas, vt doctrinæ cœlestis vbique
Chordæ concordes in Christi laude sonarent;
Magnificè bellis Regnum nimis amplificatum
Prudenti nato pacémque reliquit amanti,

CAROLVS MAGNVS.

Quique labore partis bona conquisita quietus A
Sumeret, exercens diuini dogmata cultus.
Hæc ita dum fierent, passim permixta videres
Gaudia tristitiæ. Nam res ex ordine gesta,
Et ratione pia, multis cùm iure placeret,
Amplius angebant cunctos tamen intus amari
Mœstitiæ stimuli, quòd carni debitus omni
Ex oculis charum Carolum rapturus adesset
Terminus. Id valetudo simul cogebat & ætas.
Vtque solet fieri, quoties amittitur vlla
Res bona, tunc meliùs cogit dolor ipse videri,
Ipsius vtilitas qualis preciúmque fuisset.
Sic morum probitas, animi sic maxima virtus,
Sic pietas Caroli cunctorum mentibus hærens,
Tunc perspecta magis fuerat, cùm principe tali
Sese cernebant cariturus esse per æuum.
Multorúmque graues sapientum pectora curæ
Mordebant, in deterius iam iámque timentum
Lapsuras res Francorum, multas quoque clades
Post obitum tanti venturas Principis esse.
Vt sub fine cadit cùm longior vmbra diei, B
Et Sol Oceani properans se tingere fluctu
Pergit in cubitum, tegit & ferrugine vultum
Lucigenum, mixto maculis pallore nigellis,
Signa procellosæ dat noctis abinde sequentis,
Quamuis succedens, dum tramite fertur eodem,
Orbe valet pleno sublustrem reddere Luna.
Haud aliter tum prudentes sensere futuras
Bellorum tempestates, meritóque gemendas
Regni Francorum Caroló moriente ruinas.
Soluitur interea populi conuentus, & indè
Qui fuerant Proceres redituri tramite longo
Ad sedes proprias, sibimet iam coniicientes,
Cari conspectum Domini hunc esse supremum,
Interni gemitus dederant, animíque dolentis,
Pallenti signum facie, mœroréque pressa.
Composito plures vultu, dum fingere lætos
Se cupiunt, quò suspectum reperiret in illis
Nil nouus Augustus, tamen & ridere volentum
Ora madent lacrymis falsa inter gaudia veris. C
Non Aulam tunc more suo complebat Aquensem
Lætitiæ sonus, auditur vox musica nusquam,
Alloquitur socium vix saltem murmure tristi
Quisque suum, prodens tacitus quid pectore gesset,
Cùm dolor imponit gemebunda silentia multis.

ANNALIVM
DE GESTIS CAROLI MAGNI
LIBER QVINTVS.

De vita & obitu eiusdem.

814. DCCCXIV. INDICT. VI.

Mutat Carminis genus epicũ in elegiacũ, simul cum argumẽto mutato.

PANGITE iam laceræ carmen lugubre Camœnæ,
Dignus enim multis annus hic est lacrymis.

A Ecce quater denis ternisque prioribus annis,
Quid nisi prosperitas dicta fuit Caroli?
Annua cum variis ipsius gesta triumphis
Tum placuit læto connumerare stylo.
At modò lugentes, obitum, nos admonet ordo,
Et tempus tanti commemorare viri.
Hic veri plangunt Elegi, nil fingere mœstum
Est opus, affectus res habet ipsa suos.
Quis recolens, qualis fuerit modò desore terris,
Tale decus nimium non gemat & doleat?
Sed quia res consolatur hæc sola fideles,
Carus forte suos mors quibus abstulerit,
Pro iustis vt eos feliciter actibus esse
Confidant Regni participes superi.
Idcirco meritum, pro quo modò credimus illum
Viuere cum Christo, iure libet canere.
Materiam tantam nimis audax barbara lingua
Ingenij tenuis viribus aggreditur.
Sed me magnus amor, præsentis carminis auctor,
Ignarum fandi non reticere sinit.
B Denique sum Carolo semper flagrantis amoris,
Sum quoque perpetui debitor obsequij.
Is gentem nostram fidei cognoscere lucem
Fecerat, abiectis perfidiæ tenebris.
Quàm bellando diu, quàm multa pericula passus,
Quàm sudore graui, quàm studio vigili?
Pene recordantur populi hoc hactenus omnes
Europæ, tanti participes operis.
Nempe sui vires Regni collegerat omnes,
Vt nos dæmonicis cultibus abstraheret.
Denique barbariem quisnam mollire ferocem
Posset adhortantis dogmatis alloquio?
Ob hoc per Carolum clemens Deus est operatus,
Id quod tunc aliter non potuit fieri.
Vsus enim gemina, Saxonum saxea corda,
Arte, suadebat subdere se Domino,
Nunc terrens bello, nunc donis alliciendo,
C Illic magnanimus, hic quoque munificus.
Nec priùs abstiterat, Saxonia quàm simul omnis
Idola proiiciens facta fidelis erat.
Quas igitur grates illi modò possumus omnes,
Vel quas quisque suo soluere pro modulo?
Si qua meam scripturarum scintillula mentem
Artis, & illustrat si qua scienriola,
Nónne dabit iustè Carolo præconia laudum;
Per quem nancisci tale bonum merui?
Nostri non solùm fidei documenta parentes,
Sed penitus cunctos nesciebant apices.
Per Carolum nuper nobis est huius honestas,
Ac pariter vitæ spes data perpetuæ.
Ergo tibi primùm dignas nos dicere laudes
Da Deus, omnimodi fons & origo boni.
Muneris indè tui quamcumque retexere partem
Nos in eo, nostri dux animi, tribue,
Quem, pie Christe, tuo multorum more saluti
Prospiciens, talem præstiteras fieri.
Nam nostræ miserans naturæ conditionem,
Serpentis postquàm fraus vitiauit eam,

CAROLVS MAGNVS.

Contuleras hominum generi solatia crebra
Per claros homines, atque tibi placitos, A
Efficiens fortes, per quos fragiles regerentur,
Doctos, qui reliquos instruerent stolidos:
Vt lux illorum tenebras depelleret horum,
Errantes reuocans, restituénsque viæ,
Stantes erigerent lapsos, miserisque piorum
Virtus exemplo esset & auxilio.
Et tales semper dederas ab origine mundi,
Apti saluandis qui fuerant aliis.
Inprimis Patriarcharum, sacer ordo deinde
Legifer, & Vatum missus ab hoc chorus est.
Necnon in variis imitabile gentibus olim
Exemplar iusti, te quoque teste, dabant.
Sed quis per seruos seruis te consuluisse,
Miretur, donum sit licèt eximium?
Cùm per te mundi Dominus plus egeris, immò
Sis passus minimis maxima pro famulis.
Pro quibus iniustis iustus, pro sontibus insons,
In mortem propriam tradideras animam.
Tanta Redemptor erat nostræ tibi cura salutis, B
Perdita ne fieret prorsus imago tui.
Vnde tibi laudes modulentur cuncta creata,
Atque genu flectant inferus, arua, poli.
Nam neque dum compleuit opus, tua gratia, tantum
Cessauit, sine qua deperit omnis homo.
Sed post hæc eadem lucrandis omnibus extat
Cura per electos gentibus exhibita.
Oris Apostolici terram sonus iuit in omnem,
Verba per extremas intonuêre plagas.
Cui dedit, æthereа cœli demissus ab arce,
Flammantes linguas, Spiritus omnipotens.
O quàm multorum purgatas sorde reatus
Mentes ardentes fecit amore tuo!
Ordinis eiusdem necnon virtutis honore,
Et studio, plures pòst fuerant similes.
Qui simul exemplis animas, & dogmate sacro,
Multas cœlesti reddiderant patriæ.
Quid memorem quanti pro te tormenta necémque
Passi, lucrati hinc alios fuerint? C
Hos animus constans, illos miracula visa,
Credere hæc danti commonuêre tibi.
Mille modis tua magna, Deus, clementia gentes
Saluat per sanctos egregiósque viros.
Nec Reges facis expertes fore muneris huius,
Dum per eos animas corrigis atque doces.
Temporibus Carolus Rex, te donante, modernis
Quàm multis summæ causa salutis erat?
Credendi pulcrè moderandis moribus aptus,
Et mutare piè perfida corda potens.
Cuius nunc insigne genus si pandere coner,
Compellor Regum scribere catalogum.
Sed non est opus, excelsum quia non genus illi,
Sed summo generi addidit ipse decus.
De claris genitus fulsit præclarior, atque
Patribus inuictis fortior enituit.
Est quoque iam notum, vulgaria carmina magnis
Laudibus eius auos & proauos celebrant,

A Pippinos, Carolos, Hludouicos, & Theodricos,
Et Carlomannos, Hlotarióſque canunt.
Attamen hic quantò plus fecerit omnibus illis,
Dicet præſentis ſermo ſequens operis.
Vnum commemorem, tanto de germine parem
Quem ſanctum Chriſti prædicat Eccleſia,
Scilicet Arnulfum, Francorum qui fuit olim
Princeps, ac Præſul * pòſt ſatis egregius.
Ductus amore Dei qui ſpreuerat omnia mundi,
Quæ mulcent oculos, quæque trahunt animos,
Malens diuinas mundi quàm tradere leges,
Eſſe Dei famulus quàm populi Dominus.
Nunc ouat in cœlis, præbens miracula terris,
Sublimis meriti ſigna decora ſui.
Indéque noſtrorum totam ſeriem dominorum,
Stirpem nempe ſuam, protegit atque fouet.
Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus vna,
Quæſumus, ARNVLFVS ſit tuus homonymus.
B Fac vt regnanti Chriſtus ſit prævius auctor,
Quo nimis ipſius indiget Eccleſia.
Qui modò iuſtificus Rex eſt, defenſor & vnus
Inter tot clades nunc quibus atteritur.
Ex illo nobis igitur tam Principe ſancto
Hactenus eſt dominans inclyta progenies.
In quam deſcendit ſancti benedictio Iacob,
Quam Iudæ pandens ipſe futura dedit.
Vt non deficeret de germine ſceptriger eius,
Sed foret indè manens longa Ducum ſeries.
Sic electa Deo manſit iam tempore longo
Hæc ſtirps in Regno, atque diu maneat.
De qua non quiſquam fortem pietatéque plenum
Miretur Regem progenitum Carolum.
Cuius vt exterior virtus robúrque parentes,
Sic ſatis ornabat Relligionis amor.
Et quò maior eis prouenit gloria mundi,
Mens humilis tantò plus fuit ante Deum.
Sed huic naturæ quicquid benè præſtitit ortus,
Hoc exercitio auxerat aſſiduo,
Intentus ſemper rebus conſtanter agendis,
C Et diſponendis conſilio ſtabili.
Vnde nec in bellis quiſquam feliciot illo
Tempore, nec pacis plus moderatus erat.
Et quod ſuſcepit florens & nobile Regnum,
Reddiderat duplo latius & melius.
Sícque ſuos, licèt inuictos, viciſſe parentes
Noſcitur, hac multò re magis egregius.
Nam plures vnus terras populóſque ſubegit,
Quàm totus Regum vicerit ordo prior.
Regnabant inter Rhenum Ligerímque priores,
Ad Boream fuerat terminus Oceanus.
Auſtralémque dabant Balearica littora finem,
Alpes & tectæ perpetuis niuibus,
Et Francos Orientales, necnon Alamannos,
Ac Baioarios iam tenuêre priùs.
Freſones etiam, ſimul & texêre Thoringos,
Et Regnum Caroli hoc habuere patres.
Pippino patre defuncto, cum fratre regebat
Id Carolomanno, ſorte fruente ſua.

CAROLVS MAGNVS.
Miſcet Caroli deceſſores cum eius maioribus.

* Metenſis.

Arnulfus Imperator Auctoris contemporaneus.

CAROLVS MAGNVS.

Atque simultates illum rixásque mouentem, A
Hic semper multum pertulerat patiens.
Vt mirum multis fuerit, quòd viderit ira
Commotum causis nemo licèt grauibus.
Annis sic geminis decesserat ille peractis,
Et Regnum soli iure datur Carolo.
Quod primo victis Aquitanis gentibus auxit,
VVasconúmque simul subiiciens populum.
Et iuga cuncta Pyrenæi superauit, Hiberum
Donec ad fluuium tenderet Imperium.
Italicásque dehinc regiones subdidit omnes,
Dicere quas certo quis valeat numero?
In longum decies centenis millibus, atque
Amplius, vt fertur, tenditur Italia.
Tum, quibus est ex non modica Germania parte
Subdita, Saxones addidit Imperio.
Pannonias etiam victor subiecit vtrasque
Is, cum vicinis vrbibus innumeris.
Arua Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Histro*,
Necnon Dalmatiam subdidit & Daciam.
Sclauorum populos censum sibi soluere fecit B
Plures quàm quisquam dinumerare queat..
Gesserit ista quibus bellis, signando priores
Quatuor annales iam retulêre Libri.
NVNC studium, mores, vsúsque domesticus, eius
Corporis & habitus, quæ fuerint, referam..
Quæ quicumque sciet, iam non mirabitur, illi
Cur sic contigerint omnia læta foris.
Nam quod scire decet homines, meminisséque cunctos,
Hic quoque lectorem commoneam breuiter.
Audiat hoc omnis rector, vel præmia gestis
Pro laudabilibus quisquis habere cupit.
Interius radix operum latet exteriorum,
Mens moresque viri facta palam generant.
Qui solet esse domi constans prudénsque decenter,
Perficit is crebrò facta decora foris.
Intra se vitiis dominans, rationéque pollens, C
Exteriora sibi nulla nocere sinit.
Fortiter in cunctis facienti seu patienti
Pro meritis animi gloria proueniet.
At cui mens torpet, mores neque corrigit in se,
Illum iure manet dedecus exterius.
Sic Regnum terret cunctos extrinsecus hostes,
In se quòd pacem iustitiámque tenet.
At contra si quod scelus & discordia fœdat,
Raptores auidos clade sua faciet.
Ergo domi Carolum, rationis iura secutum,
Est comitata foris gloria magna satis.
Assuescens potuit virtutibus exuperare,
Ferréque consilio cuncta pericla suo.
Et quia iusticiâ pacatum reddidit intus,
Externis Regnum cladibus eripuit.
Artibus ipse quidem cunctis instructus honestis,
Harum doctores magnificè coluit.
A sene Leuita quodam cognomine Petro
Curauit primò discere Grammaticam.
Artis Rhetoricæ, seu cui Dialectica nomen,
Sumpsit ab ALQVINI dogmate noticiam.

* Idest, Istriam.

A Hic etiam Leuita gradu, multúmque peritus,
  Ex Anglis veniens Saxo fuit genere.
A quo præcipuè studuit totam rationem,
  Et legem cursus noscere sydereí.
In causis iudex iustissimus, audiit ipsas
  Sæpiùs, & finem litibus imposuit.
In sermone satis dulcis, facundus, abundans,
  Nec patrio tantùm claruit eloquio,
Sed solitus lingua sæpè est orare Latina,
  Nec Græcæ prorsus nescius extiterat.
Intellexit eam meliùs quàm proprietates
  Illius posset voce sonare sua.
Legerat assiduè scripturæ dicta sacratæ,
  Quósque Libros sancti composuêre Patres.
Quos Augustinus cœli de ciuibus * almis
  Scripsit, amaret eos crebriùs audierat.
Scribere tentabat. nam circumferre solebat
  Secum cum paruis codicibus tabulas:
Ac ponens ipsas ad ceruicalia lecti
B   Regalis, nunquam fecit abesse sibi.
Inter tot curas, tantíque negocia Regni,
  Rex exercuerat his animum studiis.
Cuius vt ingenium multum resplenduit acre,
  Sic omnis motus optima temperies.
Non vnquam animum lætus, non valde remissus,
  Non multùm tristis atque seuerus erat.
Non lenis hominum vitiis, non turbidus ira,
  Plectebat iusta cum ratione reos.
Quod terrore magis fieri, quàm morte volebat,
  Ni cùm dira rei cogeret impietas.
O qualis probitas, quàm constantissimus ordo
  In cunctis eius moribus enituit!
Fortis in aduersis rebus, cautúsque secundis,
  Perpetuæ tenuit sobrietatis iter.
Tantùm cùm natos sibi, Pippinum Carolúmque,
  Mors auferret ob hoc ipse nimis doluit.
Necnon Rhuotrudis *, reliquis quæ filia natu
  Maior erat, fleuit valde gemens obitum.
Hanc & Græcorum luxerunt ditia Regna,
C   Quòd non hac tali digna forent domina.
Sponsa fuit Constantini nam sceptra regentis
  Illius semper nobilis Imperij.
Inclyta Constantinopolis de germine nostri
  Optabat Caroli nobilior fieri.
Tantùm contigerant hæc infortunia Regi,
  In his quæ genuit pignora clara satis.
Tum concertabat constantia cum pietate,
  In Carolo virtus vtraque non modica.
Hæc casus omnes iussit tolerare decenter,
  Illáque dilectæ commonuit sobolis.
Ista magnanimus fulsit virtute, sed illa
  Non minus audebat plenus amore pio.
Quocirca vicit pietas in morte suorum,
  Et Regem largas compulit ad lacrymas.
Necnon Romani mortem sibi fleuit amici,
  Pontificis, nomen huic Adrianus erat.
Nam velut in reliquis rebus, sic optimus eius
  Laudatur meritò mos in amicitiis.

* id est, De Ciuitate Dei.

* al. Rotrudis, mortua 8. Idus Iun. ann. DCCCX.

CAROLVS MAGNVS.

Admittebat eas cautè, sed firmiter immò
Ex se seruauit fœdere perpetuo.
Vnde decus Regni factis & nomen amicis
Auxerat externis Regibus & populis.
* al. Adelfonsus.
Ex quibus vnus erat Hadefonsus * nomine dictus,
Qui Rex Asturiæ Galliciæque fuit.
Qui dum Legatos & munera mitteret illi,
Mandabat diei se proprium Caroli.
Scottorum Reges ipsum Dominum vocitabant,
Ac se subiectos ipsius & famulos.
Hoc apices ab eis missi testantur ad illum,
Quorum claret amor maximus alloquio.
Persarum Princeps illi deuinctus amore
Præcipuo fuerat, nomen habens Aaron.
Gratia cui Caroli præ cunctis Regibus, atque
Illo Principibus tempore cara fuit.
Augustus eùm Græcorum, poscentibus vltrò,
Dignatus pactum pacis inire fuit.
Vnde suos ad eum Legatos mittere crebrò
Curauêre Leo, Nicephorus, Michaël.
Transgredimur metas, dum designamus amicos, B
Monstrandus magis est ipse stylo Carolus.
Hic se venatu, necnon equirando frequenter,
Fecerat ignarum desidiæ penitus.
Vix illi glacialis hyems auferre valebat
Vsus castrenses, gestáque militiæ.
Præterea solitus fuit exercere venatum,
Qua tunc arte magis nemo peritus erat.
Et naturali fontes feruore calentes
Illi præstabant grata lauacra nimis.
Vnde locum sedis sibimet delegit Aquensis,
Plurima quo manat copia talis aquæ.
Balnea qua multo condens iucunda decore,
Annis extremis mansit ibi iugiter.
Ac secum fecit natos proceréisque lauari,
Quódque sui custos corporis agmen erat.
Eiusdem nam commoditas speciosa lauacri C
Centenos homines plúsque valet capere.
Corpore robusto fuit ipse decenter & amplo,
Incessu firmus, vimdus atque agilis.
Caroli statura.
Egregiè procerus, & hoc moderamine iusto,
Septem namque suis longus erat pedibus.
Ipse rotundus apex capitis, & obesa
Naris plus paulò quàm mediocris erat.
Latè fulgentes oculi, facies quoque læta,
Et vox clara satis, pulcráque canities.
Vestitus.
Vsus vestitu patrio, semper peregrinum
Respuerat, quamuis pulcher & ipse foret.
Bis tantùm Romæ, summis rogitantibus ipsum
Præsulibus, longa vsus erat tunica.
Tunc etiam chlamydis speciosæ sumpsit amictum,
Moréque Romano tegmina facta pedum.
Regalis habitus tantùm gestabat honorem,
Cùm celebraretur valde sacrata dies.
Aut quoties aderant Missi mandata ferentes
Ex longè positis gentibus & Ducibus.
Tunc auro textam nectebat fibula vestem,
Aurea comebat gemma pedes varia.

A Distinctum viridi gessit diadema smaragdo, CAROLVS MAGNVS.
Stellatus radiis Iaspidis ensis erat.
Distabárque parum reliquis in veste diebus
A solito procerum, vel populi habitu.
Felici semper valetudine lætus ad annos *Valetudo.*
Supremos vitæ penè suæ fuerat.
Nam seruauit eam victu sumens moderato,
Solùm quod sensit esse salubre sibi.
Si tamen aduersum leuiter quicquam pateretur,
Quod iam crescenti contigerat senio,
Non admittebat medicos sibi nempe perosos,
Plus arbitratu cuncta suo faciens.
Cum reliquis intus specialiter oderat illud,
Quo vertunt mentis pocula multa statum.
Hinc vinum parcè potum quoque sumpserat omnem,
Atque cibis paulò ægriùs abstinuit.
Nam vix ferre suum poterat ieiunia corpus,
Quæ sibi nonnumquam noxia questus erat.
Cum numero solitus hominum conuiuia grandi, *Temperantia.*
B Sed rarùm festis præcipuis, agere.
Porro quaterna iugem præbebant fercula cœnam,
Præter venatum quæ labor attulerat,
Assam qui verubus longis inferre solebant:
Illi gratus erat plus aliis cibus hic.
Cœnanti lector recitans non defuit vnquam,
Pérque vices aliquod audiit acroama.
Res antiquorum gestas, Regúmque priorum, *Studium antiquitatis & historiarum.*
Ipse legi sibimet fecerat assiduè.
Indulgere parum somno permiserat illum *Vigilantia.*
Mens semper magnis dedita consiliis.
Et res magnificas iugiter meditatio voluens,
Reddiderat curis multimodis vigilem.
Ob hoc nocte quater ferrur vel sæpiùs, omni
Somno depulso, membra leuasse thoro.
O quantùm curis Respublica creuerat illis,
Quàm conseruatum floruit Imperium!
Nam benè præuidit, ne qua ratione pateret *Prudentia in hostibus arcendis.*
In Regnum variis hostibus introitus.
Gallica præstruxit, necnon Germanica classe
C Littora, quà fluuios suscipit Oceanus.
Atque quod Europam pelagus seiungit ab astris,
Et dirimit terras gurgitibus medium,
Quà rapidos ex Gallorum regionibus amnes
Aut capit ex magnæ partibus Italiæ,
Ostia seu portus, positis stationibus, omnes
Fecit inaccessos hostibus omnimodis.
Hinc nec eo Mauri quicquam viuente nocebant,
Nec Northmannorum tunc metus vllus erat.
Ni Centumcellæ (sic vrbs Hetrusca vocatur)
Quòd tunc à Mauris depopulata fuit.
Et quòd Northmannis vastantibus, insula quædam
Paruula Fresonum damna tulit grauia.
Væ tibi! væ tali modò defensore carenti *Afflictus Franciæ status.*
Francia, quàm variis cladibus opprimeris?
Gentibus ecce pates populantibus vndique sæuis,
Et quondam felix, nunc nimis es misera.
Quippe tuis hilares exultant fletibus hostes,
Ditantúrque tuis assiduè spoliis.

CAROLVS MAGNVS.

Millia cæsorum captiuáque turba tuorum A
Amplior est numero, quàm sit arena maris.
Nam Carolo moriente, tuum decus & honor omnis
Ex illo sensim fugit & interiit.

Encomium Arnulfi imperatoris.

Nunc tamen ARNVLFO meritò sub Principe gaudes,
Qui similis tanto moribus est abauo.
Denique magnanimus, clemens, promptúsque labore
Peruigili lapsum corrigit Imperium.
Francorúmque mouet veteri virtute lacertos,
Atque vocat resides rursus in arma viros.
Sed moles immensa, diu quæ corruit ante,
Non restaurari se subitò patitur.
Illi det vitam, qui virtutem dedit amplam,
Et magnæ nobis causa salutis erit.
Vos quæ de Carolo restant dicenda, Camœnæ,
Strictim veloci carmine concinite.
Cùm fuerit Regno tam clarus in amplificando,
Intentus bellis continuis animo,
Ornatus operum varios tamen, & decus ingens
Fecerat, & visu mœnia pulcra nimis.
Ex quibus inprimis meritò laudatur Aquensis B
Sedis mirificè condita Basilica.
Quam pie Christe tibi, sanctæque tuæ Genitrici,
Ad laudem studuit perpetuam facere.
Ingelenhein dictus locus est, vbi condidit Aulam,
Ætas cui vidit nostra parem minimè.
Quorum multiplicem si quis describere laudem
Curabit, longum texet opus nimium.
Ad quæ marmoreas præstabat Roma columnas,
Quasdam præcipuas pulcra Rauenna dedit.
De tam longinqua potuit regione vetustas
Illius ornatum Francia ferre tibi.
Præterea Rheni constrauit ponte fluenta,
Commoda dans vrbi tanta Mogontiacæ.
Est ibidem latus quingentis passibus amnis,
Vt pondus tanti scire queas operis.
Quódque magis stupeas, firmauerat ordine recto C
Colles ingentes fluctibus in mediis.
Supposuit basibus hæc fundamenta locandis,
Et suprà celsam struxerat indè viam.
Hoc opus extremis illius penè sub annis
Consumpsit subitò flamma vorax penitus.
Quod reparare volens, fieret quo saxeus illic
Pons, vbi constructus ligneus ante fuit,
Prô dolor! est obitu præuentus, opúsque remansit
Hoc imperfectum, sic quoque semper erit.
Virtutis monumenta manent tamen eius in æuum,
In vastis stantes gurgitibus tumuli.
Congestæ saxis etenim telluréque moles
Patent elatis flumine verticibus:
Aggeribúsque pari spatio distantibus ordo
Metitur lati terga decens pelagi.
Condidit & Domino perplurima templa dicanda,
Exornans eadem sumptibus ex propriis.
Neglectu dilapsa priùs, vel tempore longo,
In Regno reparans cuncta suo nouiter.

Religiosa pietas.

Relligionis enim sanctæ studiosus amator,
Sectatórque fuit Catholicæ fidei.

Tempore

CAROLVS MAGNVS.

A Tempore namque suo hereses extinxerat ortas,
Quod iam præmissis diximus antè Libris.
Ecclesiam certis intrauerat impiger horis,
Fundens deuotas nocte diéque preces.
Eius & omne ministerium cum vestibus, atque
Vasis, ornatu composuit nimio.
Verus quippe Dei cultor, præponere sancto
Eius nil vnquam seruitio voluit.
Nam Regnum terrestre tenens, cœlestis amore
Plus multò flagrans extitit & cupidus.
Quod sibi, præ cunctis clemens, & largus egenis,
Curauit donis assiduis emere.
Nemo peregrinos illo plus ferrur amasse,
Nemo pari cura suscipiebat eos.
In quo penè modum pietas excesserat eius,
Si quid in hoc nimium quisque potest facere.
Cùm non regali solùm foret aduena turba, *Benignitas in egenos.*
Aulæ, sed toto iam grauis Imperio,
Ipse pius compensabat dispendia rerum,
B Mercedis læto perpetis interitu.
Hac inuitati famâ cum partibus orbis
De cunctis ad eum confluerent inopes,
Non tamen in proprio satis exercere putabat
Regno gratuitæ largitionis opus:
Sed per Legatos mittebat ad extera Regna
Christicolis crebrò munera pauperibus:
Quos Ægyptus, Alexandrique ex nomine dicta
Vrbs, inopes habuit, iuuit eos opibus.
Africa munificum, Carthagóque senserat illum,
Est experta satis largifluum Syria.
Ad Hierosolymam, seu cetera quæ loca Christi
Gestis corporeis sanctificata manent.
Sæpiùs indignis donanda fidelibus auri
Misit & argenti pondera non modica.
Trans mare gentiles positos solùm sibi Reges
Ad hoc firmata iunxit amicitia.
Quatenus illorum, qui sub ditione fideles
Essent, perciperent indè refrigerium.
Præque locis sanctis aliis, specialiter eius *Amor erga Sedem Romanam.*
C Menti Romanæ sedis inhæsit amor.
Nam sanctum venerans Petrum, qui clauiger extat
Cœli, quíque chori primus Apostolici,
Eius ad Ecclesiam donaria maxima sæpè
Mittens, thesauros contulit innumeros.
Atque sui magis in toto nil tempore Regni
Curauit, maius non habuit studium,
Quàm Sedes Romana suo munimine fulta,
Vt veteri pollens nobilitate foret.
Et tamen ipse quater tantùm peruenerat illò,
Vota precésque pia soluere mente volens.
Vltimus aduentus hac causa contigit eius,
Quòd turbatus erat tunc status Ecclesiæ,
Scilicet eiecto, simul & tormenta Leone
Præsule perpesso ciuibus à propriis
Hoc quasi naufragio suprema pocula passum,
Vexarúmque loci seditione statum,
Ad portum placidæ statuit reuocare quietis,
Illic per totam penè manens hyemem.

CAROLVS MAGNVS.

Tunc ibidem culmen susceperat Imperiale, A
Ordine quo quarto diximus ante Libro.
Dignitas Imperatoria inuito obtrusa Quod tamen inuitus, Papa cogente, recepit,
Et multis populi Romulei precibus.
Qui si consilium præsciisset Præsulis ante,
Tunc se subtraheret prorsus ab Ecclesia.
Denique sic multis coram iurauerat ipse,
Quamuis illa dies valde foret celebris.
Videris hoc illi tantùm cur displicuisset,
Quod mos est aliis Regibus apperere.
Ipse decem post hæc & ternos circiter annos
Augusto lætus vixit in Imperio.
Cura Legum & priscorum monumentorum. In quibus antiquas leges correxit, in ipsis
Vniri mandans dissona quæ fuerant.
Addidit his etiam nouiter quæ congrua duxit,
Pauca quidem numero, valde sed vtilia.
Cunctorúmque sui Regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Necnon quæ veterum depromunt prælia Regum,
Barbara mandauit carmina litterulis.
Cœpit & ingenij totis cum viribus acris B
Grammatica peritia. In linguam propriam vertere Grammaticam.
Ardua Philosophis etiam res hæc foret, artem
Ad hanc sermonem cogere barbaricum.
Talibus à studiis non Regni maxima cura,
Non ætas grauior rum reuocauit eum.
Computus annalis fuerat notissimus illi,
Quem rimabatur mente satis vigili.
Peritia doctrinæ Astronomiæ. Sydereos ortus, cursus, obitúsque notabat,
Nullus eum punctus Zodiaci latuit.
Et venris bis sex, totidem quoque mensibus ipse
Francorum linguâ nomina composuit.
Illi namque priùs menses dixêre, Latinis,
Et partim linguæ nominibus propriæ.
Ventorum verò proferre vocabula tantùm
Nôrant eloquio quatuor antè suo.
Nónne vides, quantùm sudarit in artibus istis,
Prælia vix ab eo quæ libet acta putes?
Rursus si numeres eiusdem bella, triumphos, C
Armis tot Regna subdita, tot populos:
Otia mireris, quando vel parua legendi,
Vel quod discendi contigerit spacium.
Cur operis differs huius finire laborem,
Dum Caroli trepidas dicere, mens, obitum?
Sit licèt hoc nobis mœstum, sit triste, sed ordo
Exigit, idque nihil nos reticere iuuat.
Quin potiùs dulces lacrymæ lugentibus esse,
Atque sui gemitus ipsa querela solet.
Ipsius vt Regni Hludouicus filius hæres,
Et consors factus, patre iubente, fuit.
(Námque hunc Augustum sumpto diademate dici,
Vt regeret secum, iusserat Imperium)
Caroli senectus. Ipse dehinc morbo pariter defessus & æuo
Alterius vitæ tendit ad introitum.
Venatum tamen ex Aula pergit Aquensi,
Autumni lapso tempore iam medio.
Hinc in prædictam rediens se contulit Aulam,
Disponens in eo tunc hiemare loco.

A At mensis veniens Iani de nomine dictus, Morbi. Carolus Magnus.
Acribus hunc subitò febribus implicuit.
Abstinuítque cibis, statim sic pellere morbos,
Vel saltem leuiùs ferre suos solitus.
Sed dolor accedens lateris, iam tempus adesse
Eius decessus fecerat haud dubium.
Cúmque dies senos decumberet, indè secutus Mors.
Septimus hinc vitæ vltimus extiterat.
In quo percepto venerando corpore Christi,
Adiungi meruit ciuibus æthereis.
In templo situs est ibidem, quod condidit ipse, Sepultura.
Quali cum luctu nemo referre valet.
Post octingentos Christi nascentis ab ortu
Hic annus quartus extitit & decimus.
Ipse die quinta decesserat ante Calendas
Mensis, quo Numa Rex Februa instituit.
Multa propinquantis fuerant præsagia finis, Prodigia.
Atque rei tantæ congrua prodigia.
Denique defectus solis Lunæque frequenter
B Annis continuis contigit antè tribus.
Septenis autem color est in sole diebus
Visus, lucigenam commaculans faciem.
Porticus immensæ molis collapsa, repentè
Aulæ iam dictæ omne decus minuit.
Quémque decem Rheni pontem construxerat annis,
Horis consumpsit flamma tribus penitus.
Nam nisi quæ labens fluuius subtraxerat igni,
Hastula nec saltem parua superfuerat.
Ipséque Danorum contra Regem Godefridum
Vltima disponens bella senex agere,
Ibat per patriam * multo cum milite nostram, * Saxoniam dicit.
Exiit & castris exoriente die.
Nam tum pallenti spargebat luce serenum
Aëra sol superis partibus appropians.
Cernitur à cunctis subitò delapsa fuisse
De cælo species syderis igniuomi,
Vibratámque facem longo traxisse volatu,
Donec in læuam decidit ipsa plagam.
Hoc admirantem sonipes, quo vectus abibat,
C Elisit casu præcipiti grauiter.
Denique regalis chlamydis hinc fibula rupta,
Disruptúsque simul baltheus est gladij,
Excussúmque manu telum, quod fortè gerebat,
Inuitus longum iecerat in spacium.
Præterea tremor hoc aulæ prædixit Aquensis,
Terrificans cunctos motibus insolitis.
Idque domus Regis crepitu laquearia crebro,
Tactáque signabat fulmine Basilica,
In qua per gyrum lucens epigramma canebat,
Ædem quis tantam condiderit Domino.
Idcirco Carolus Princeps ibi commemoratus
Extremi versus in serie fuerat.
Sed quibus est scriptum, Princeps, mirabile dictu,
Sponte sua penitus dispereunt apices,
Deletique sui vestigia nulla relinquunt,
Mensibus haud multis ipsius ante obitum.
Quod quia vis quædam cunctis incognita fecit,
Tristitiam multis omen hoc intulerat.

CAROLVS MAGNVS.

Carolus omnibus ætatum omnium Regibus & Ducibus præfertur.

Iure mori doluit ſignis exterritus orbis A
Hunc, cui pòſt ſimilem non habiturus erat.
Sed nec in antiquis Ducibus, ſeu Regibus, illo
Omnimodis quiſquam clarior enituit.
Romani multis Ducibus, multíſque ſub annis,
Italiæ populos vix ſibi ſubdiderant.
Vnus hic in ſpacio perpauci temporis omnem
Subiecit victor, diſpoſuit Dominus.
Adde tot Europæ populos, quos ipſe ſubegit,
Quorum Romani nomina neſcierant.
Ob hoc mirificos Caroli qui legetis actus,
Deſine mirari hiſtorias veterum.
Non Decij, non Scipiadæ, non ipſe Camillus,
Non Cato, non Cæſar maior eo fuerat.
Non Pompeius huic meritò, vel gens Fabiorum
Præfertur, pariter mortua pro patria.
Terrea forſan iis fuerit par gloria, ſed nunc
Cœleſtis Carolus culmen honoris habet.
Illic Dauidicæ pollet virtutis honore,
Cum Conſtantino atque Theodoſio.
Illic antiquum gaudet quòd vicerit hoſtem, B
Eripiens multos ipſius à laqueis.
Illic congaudent, illic ſaluata per ipſum
Munere Chriſte tuo millia ſpirituum.
Quis numeret, quantas animas, dum credere fecit
Saxonum populos, reddiderit Domino?
Quot nunc Eccleſiæ fulgent, vbi fana colebant
Antiqui, quot ſunt ſtructa Monaſteria:
Quot laudes in eis, vel quot tibi vota fideles
Reddunt, tot Carolo præmia, Chriſte, dabis.
Iudiciíque dies cùm venerit vltima magni,
Qua reddes omni quod meruit homini:
O quàm lætus erit, ſibimet commiſſa talenta
Præſentans grandi multiplicata lucro!
Nullus Apoſtolicis tunc iure propinquior illo,
Vt res ipſa docet, cœtibus eſſe valet.
Nam cùm Iudaico præceſſerat agmine Petrus
Stipatus, cuius dogmate crediderat:
Paulus totius, licet ſi dicere, mundi
Gentes ſaluatas duxerit ore ſuo: C
Andreas populos poſt ſe producet Achiuos,
Ioannes Aſiæ proferet Eccleſias:
Matheus Ethiopes niueos baptiſmate factos,
Indorum Thomas ducet ad aſtra greges:
Tum Carolum gaudens Saxonum turma ſequetur,
Illi perpetuæ gloria lætitiæ.
O vtinam vel cunctorum ſequar vltimus horum,
Qui noſtri ſalui de populo fuerint!
O ſi Chriſte velis hœdum transferre ſiniſtrum,
Me pius vt dextris conſocies ouibus:
Quò non mortalis pſallam tibi carminis odas,
Sed laudem valeam dicere perpetuam. Amen.

EXPLICIT.

A



FRAGMENTA VETERVM SCRIPTORVM, DE PIPPINO ET CAROLO MAGNO FRANCORVM REGIBVS.

B

DE REBVS PIPPINI REGIS IN AQVITANIA,

FRAGMENTVM

Ex Paßione MS. Sanctorum Berthariј & Athaleni.



IN diebus PIPPINI gloriosissimi Francorum Regis, qui bello triumphali tyrannidem Haistulphi Langobardorum Principis semel & secundò contriuit, bisque Papam Romanum Stephanum ab eius oppressione violenta liberauit, claruit quidam laudabilis vitæ Sacerdos nomine BERTHARIVS stirpis origine ex vtroque parente Aquitanus. Hic cuius meriti & sanctitatis fuerit, probat conuersatio sancta, qua bonus inter malos emicuit. PIPPINVS.

Sic vixit in VVAIFARII Ducis Aquitanorum nefanda domo, tanquam nouus Loth in Sodomorum medio.

C Paucis notificandum videtur quis fuerit iste VVAIFARIVS, vt huius Sancti patientiam pleniùs admiremur. Erupit enim malignus de malignis, peior de pessimis, filius HVNALDI Ducis, illius videlicet qui crebrò cõtra dominũ suum prædictum PIPPINVM Regem rebellauit, crebróque defectu ad sui desperationem adductus, hoc modo malitiæ suæ congruo ordine effectus est Monachus. Cùm filium suum VVaifarium vidisset excrescere corporis enormitate, & viriũ valetudine, consiliorúmque subtilium acumine paternas artes ad quæque peruertenda transcendere, mala quidem de se contra Regem rememorans, peiora verò de successore filio lætus existimans, (ad comparationem quippe astutiæ & fortitudinis filij sua pro nihilo ducens conamina,) elegit illi facultatis liberę laxare freña: vt ipse Monasterio lateret ociosus, & ille Regem impugnaret bellicosus. Vnde voluit eum ita sibi Ducaminis heredem substituere, vt nullus ob propinquitatem illi posset contraire. Idcirco germanum suum HATTONEM ad se callidè conuocans, oculos ei euulsit, atque his suffultus meritis Monasterium intrauit. VVAIFARIVS autem circa triennium paterna potestate simul & malitiâ potitus, contra Regem dominum suum PIPPINVM casso conamine multa molitus, in primis vigore Austrauldi & Gelemanni Comitum Pippini perditis copiis destitutus, capta etiam matre cum duabus sororibus suis, & in potestatem regiam redactis, ipse perimitur anno DCCLVII. ab Incarnatione Domini. Quod HVNAVLDVS genitor eius

CAROLVS MAGNVS. audiens, Monasterium ilicò relinquens, atque ad vomitum vt canis rediens, re- A
sumptis armis, & recepta coniuge, statuit vt quondam contra Regem rebellare: non iam vt pridem contra Pippinum, sed contra filium eius KAROLVM. nam ille iam obierat. sed viribus cassatis versus in fugam, atque ab insequentibus captus, & vt fugitiuus reductus ante Regis præsentiam, ibi omni potestate priuatus, amisit pertinaciam coactus & inuitus.

770. CAPITVLA CAROLI MAGNI IMP. ANNO II.

Ex Cod. MS Iac. Sirmondi. IN primis de Aurelianense ciuitate ad Segonnam quomodo rectum est. Deinde ad Trecas cum Tricassino toto. Inde ad Lingones. De Lingonis ad Bissancion villam partis Burgundiæ. Inde verò ad Augustidunum. postea ad Ligerem vsque ad Aurelianis, sunt Missi Magnus Archiepiscopus & Gedefridus Comes.

In Parisiaco, Melciano, Melidunensi, Prouinensi, Stampinsi, Carnotensi, Pinciacensi, Fardulfus & Stephanus. In Cenomanico, Hoxonensi, Liuino, Baiocassino, Constantino, Abrincatino, Ebrecino & Madricensi, & de illa parte Sequanæ Rodomensi, Magenardus Episcopus & Madelgaudus.

SACRAMENTVM.

Sacramentale qualiter promitto ego quòd ab isto die in antea fidelis sum domno KAROLO piissimo Imperatori, filio Pippini & Berthanæ Reginæ, pura mente absque fraude & malo ingenio de mea parte ad suam partem, & ad honorem Regni sui, sicut per drictum debet esse homo domino suo. Si me adiuuet Deus & ista Sanctorum patrocinia, quæ in loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic attendam & consentiam. B

ITEM ALIVD.

Sacramentale qualiter te promitto ego domno KAROLO piissimo Imperatori filio Pippini Regis & Berthanæ fidelis sum, sicut homo per drictum debet esse domino suo, ad suum Regnum & ad suum rectum. & illud sacramentum quod iuratum habeo custodiam & custodire volo in quantum ego scio & intellego ab isto die in antea. Si me adiuuet Deus, qui cœlum & terram creauit, & ista Sanctorum patrocinia.

VERSVS DE CAROLO MAGNO REGE FRANCORVM. C

Ex Libro Euangeliorum, quem iussu ipsius Caroli scripsit Godescalcus anno DCCLXXXVIII. *ad opus Ecclesiæ S. Saturnini Tolos.*

788. Guill. Catel. edidit in MS. Hist. Comitum Tolos. Lib. II.

ORBE bonus toto passim laudabilis Heros
Inclytus, in Regno fretus cœlestibus armis,
Laude triumphator, dudum supra æthera notus,
Iure patrum solio feliciter inditus heres,
Pacificus Rector, potens dominator & æquus,
Præclarus multis, humili pietate superbus,
Prouidus ac sapiens, studiosus in arte Librorum,
Iustitiæ custos rectus, verúsque satelles,
Pauperibus largus, miseris solatia præstans,
Plenus amore Dei, & Christi compulsus amore,
Septenis dum aperit felix bis fascibus annum,
Hoc Opus eximium Francorum scribere KARLVS
Rex pius, egregia HILDEGAR cum coniuge iussit:
Quorum saluifico tueatur nomine vitas

A Rex Regum, Dominus cœlorum gloria Christus. CAROLVS MAGNVS.
Vltimus hoc famulus studuit complere Godescal,
Tempore vernali transcensis Alpibus ipse
Vrbem Romuleam voluit quo visere Consul,
Vt Petrum sedémque Petri Rex cerneret, atque
Plurima celsithrono deferret munera Christo.
Multa peregrinis concessit dona misellis,
Annua tunc ibidem celebrans solennia Paschæ.
Præsulis officio tunc ADRIANVS functus in aruis
Culmen Apostolicum Romana rexit in vrbe.
Principis hic CAROLI claris natalibus auctam
KARLINAM sobolem mutato nomine PIPPIN
Fonte renascentem & sacro baptismate lotum
Extulit oblatum sacratis comparet vndis.
Septies expletus fuerat centesimus annus,
Octies vndecimo Sol cúmque curreret astro,
Ex quo Christus Iesus secla beauerat ortu,
Exuerat totum & tetra caligine mundum.

B

EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS
AD FASTRADAM REGINAM,

De victoria Auarica anni DCCXCI.

791.

KAROLVS gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, dilectæ nobis & valde amabili coniugi nostræ FASTRADÆ Reginæ. Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere studuimus, & per te dulcissimis filiabus nostris, vel ceteris fidelibus nostris tecum manentibus. Scientem te enim facimus, quia gratias Deo sani & salui sumus. Missus quidem dilecti filij nostri PIPPINI, nomine ill. nobis nunciauit de eius sanitate, ac domni Apostolici, vel de saluatione confinium nostrorum illis partibus positorum: vnde valde lætificati extitimus. Et insuper retulit nobis, qualiter illæ scaræ, quas priùs de Italia iussimus pergere partibus Auariæ, in ill. confinia residendum, perrexerunt infra fines ipsorum x. Kalendas Septembris, & inierunt pugnam cum eis. Et dedit eis Deus omnipotens pro sua misericordia victoriam, & multitudinem de ipsis Auaris interfecerunt, in tantum, vt dicunt, quòd in multis diebus maior strages de ipsis Auaris facta non fuit. Et exspoliauerunt ipsum vallum, & sederunt C ibidem ipsa nocte, vel in crastina, vsque hora diei tertia. Et acceptis spoliis reuersi sunt in pace. & centum quinquaginta de ipsis Auaris viuos comprehenderunt, quos reseruauerunt, vt nostra fiat iussio qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac nostri, qui hoc egerunt, fuerunt ille Episcopus, ille Dux, ille & ille Comites. Ille Dux de Histria, vt dictum est nobis, ibidem benè fecit cum suis hominibus. Vassi verò nostri fuerunt illi. Nos autem Domino adiuuante tribus diebus Litaniam fecimus, id est Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, & Martis, & Mercoris, Dei misericordiam deprecantes, vt nobis pacem & sanitatem, atque victoriam, & prosperum iter tribuere dignetur, & vt in sua misericordia & pietate nobis adiutor & consiliator, atque defensor in omnibus angustiis nostris existat. Et à vino & carne ordinauerunt Sacerdotes nostri, qui propter infirmitatem, aut senectudinem, aut iuuentudinem abstinere poterant, vt abstinuissent. & qui redimere voluisset, quòd vinum licentiam habuisset bibendi ipsis tribus diebus, ditiores & potentiores homines in vnaquaque die solidum vnum dedissent: minus potentes iuxta possibilitatem ipsorum: & qui ampliùs dare non poterat, & vinum bibere volebat, saltem vel vnum denarium donasset. Eleemosynam verò vnusquisque secundum propriam atque bonam voluntatem, vel iuxta possibilitatem fecisset. Et Sacerdos vnusquisque Missam specialem fecisset, nisi infirmitas impedisset. Et Clerici, qui Psalmos sciebant, vnusquisque quinqua-

Ex edit. Iac. Sirmundi.

Carolvs Magnvs ginta cantasset. Et interim quod ipsas Litanias faciebant, discalceati ambulassent. Sic considerauerunt Sacerdotes nostri, & nos omnes ita aptificauimus, & A Domino adiuuante compleuimus. Vnde volumus, vt tu cum ill. & ill. vel ceteris fidelibus nostris considerare debeas, qualiter ipsæ Litaniæ ibidem factæ fiant. Tu autem, iuxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio. Et mirum nobis fuit, quia vester Missus, nec Epistola, postquam de Ragenisburgo, ad nos non venit. Vnde volumus, vt sæpiùs nobis de tua sanitate, vel de aliud quod placuerit significare debeas. Iterúmque salutamus te multum in Domino.

DE CAROLO MAGNO REGE, ET LEONIS PAPÆ AD EVNDEM ADVENTV, POEMA.

Vide suprà pag. 106. Quod videtur esse maioris Operis Fragmentum, & forsitan ipsius Caroli M. Vitæ, quam ab ALCVINO scriptam nonnulli veterum adnotarunt.

Henricus Canisius hoc Poema primus ex Codice Monasterij sancti Galli publicauit, nec illius Auctorem alium etiam fuisse existimauit quàm ALCVINVM *ipsum. Tum quia constat, (inquit in Præfatione sua,) Alcuinum de rebus gestis Caroli Magni scripsisse: tum quia stylus & genus orationis non abludit à vena Alcuini, vt notum illis quibus Alcuini Carmina nota. Quid quòd aliquoties vocat Carolum Dauidem? Qua appellatio Alcuino tam familiaris fuit, vt scribens ad Carolum Caroli nomen sæpiùs omitteret, Dauidémque Regem nuncuparet. Nec ratio temporum repugnat. Venit enim Leo* III. *Pontifex ad Carolum anno Christi* DCCXCIX. *quo adhuc viuebat Alcuinus, quippe qui tantùm anno* DCCCIIII. *obierit. Et ipse initio significat se iam fessum ad scribendum accedere, & sæpiùs fortunam expertum esse: hic tamen occasione tam præclari argumenti denuo scriptionis aleam subeundam fuisse. Et certè tam piè & religiosè aduentum Pontificis ad Carolum & Francos describit, ac tam enucleatè honores Pontifici habitos percenset, vt vel ob hoc indicium ex religiosissima Alcuini officina Poema hoc profectum non improbabiliter credi queat. Accedit demùm, quòd Auctor huius Poematis omnia quæ scribit præsens spectasse videtur.* B

799. RVRSVS in ambiguos grauis admonet anchora calles
Vela dare, incertis classem concredere ventis,
Languida quæ geminas superarunt membra procellas,
Ad noua bella iubet lassos reparare lacertos,
Victricémque manum grauidis consurgere remis,
Quo vocat aura leuis placidis superare profundum, C
Flatibus æquoreas tentando classibus vndas,
Tendere ad ignotas celerique per æquora terras
Cursu, & præcipites scopulos pulsare natatu.
Vela mouet placidus tremulis cita flatibus Eurus,
Cogens me rapido nunc tendere in ardua gressu,
Europæ quo celsa pharus cum luce coruscat.
Spargit ad astra suum CAROLVS Rex nomen opimum,
Sol nitet ecce suis radiis, sic denique Dauid
Illustrat magno pietatis numine terras.
Res tamen vna duos variando separat istos,
Et vice disiuncti mutata sæpe feruntur.
Illum aliquando tegunt nimboso nubila tractu,
Hunc vllæ nunquam possunt variare procellæ.
Ille caret proprio bissenis lumine horis,
Iste suam æterno conseruat sidere lucem.
Pace nitet læta, pariter pietate redundans
Nescit habere pio lapsurum lumine casum.
Vultu hilari, ore nitet, semper quoque fronte serenâ

A Fulget, ab æterno pietatis lumine Phœbum
Vincit, ab Occasu dispergens nomen in Ortum
Armipotens Carolus, victor pius, atque triumphans.
Rex cunctos superat Reges bonitate per orbem,
Iustior est cunctis, cunctísque potentior extat.
Ille Duces magno & Comites illustrat amore.
Blandus adest iustis, hilarem se præbet ad omnes.
Iustitiæ cultor cultores diligit omnes.
Iustus in exemplum cunctis se donat habendum.
Ingreditor prior ipse, sequi quò se cupit omnes.
Tentat iter facilè cuncti quo iure sequantur.
Iniustos meritò Ducis constringit habenis,
Atque iugum imponit grauidum ceruice superbis.
Discere iustitiam diuinis admonet actis.
Impia colla premit rigidis constricta catenis,
Et docet alti throni præcepta implere Tonantis.
Quod mens læua vetat suadendo animúsque sinister,
Hoc saltem cupiant implere timore coacti.
B Quod non sponte priùs miseri fecere rebelles,
Exercere student auidè instimulante timore.
Qui prius esse fero iamdudum more repugnat,
Fitque timore pio pius impius ille coactus.
Erigit hinc humiles, humilésque extollit in altum.
Prona colit releuans ad celsa cacumina colla.
Ora trahit summissa gradus Rex iustus ad altos.
Colla suprema premit, subdens excelsa petentes.
Et quantùm miseri conantur surgere ad altum,
Rursus ad ima facit meritò descendere tantùm.
Strenuus ingenio Carolus, sapiénsque, modestus,
Insignis studio, resplendens mente sagaci,
Nomen & hoc merito Carolus sortitur in orbe.
Hæc cara est populis lux, & sapientia terris.
Omne decus pariter famulis, ornatus & omnis
Extat, honor populi, & plebis spes, gloria summa
Nominis. Hunc olim terris promisit origo
Tam clarum ingenio, meritis quàm clarus opimis
Fulget in orbe potens, prudens, gnarúsque, modestus,
Inluster, facilis, doctus, bonus, aptus, honestus,
Mitis, præcipuus, iustus, pius, inclytus, Heros.
C Rex, rector, venerandus apex, Augustus, opimus,
Arbiter insignis, Iudex, miserator egenûm,
Pacificus, largus, solers, hilarísque, venustus,
Grammaticæ doctor constat prælucidus artis.
Nullo vnquam fuerat tam clarus tempore lector,
Rhetoricæ insignis vegetat præceptor in arte.
Summus apex Regum, summus quoque in orbe Sophista,
Extat & Orator facundo famine pollens.
Inclyta nam superat præclari dicta Catonis,
Vincit & eloquij magnum dulcedine Marcum,
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,
Et priscos superat Dialectica in arte Magistros.
Quatuor ast alias artes, quæ iure sequuntur,
Discernit simili rerum ratione magistra,
Doctus in his etiámque modo Rex floret eodem.
Solus iter metuit doctrinæ adipiscier omne,
Occultas penetrare vias, mysteria cuncta
Nosse, Deo seriem reuelante ab origine rerum.
Omnem quippe viam doctrinæ inuenit, & omnem

CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS MAGNVS.

Arosopacum * aditum, secretáque clancula verba
Omnia. solus enim meruit pius ille ralenra
Suscipere, & cunctis præfertur in arte Magistris.
Scilicer Imperij vt quantum Rex culmine Reges
Excellit, rantùm cunctis præponitur arte.
Quis poterit tanti præconia promere Regis?
Quisve putat sermone rudi se Principis acta
Posse referre? senes cùm vincant omnia vates,
Exsuperátque meum ingenium iustissimus actis
Rex Carolus, caput orbis, amor populique decúsque,
Europæ venerandus apex, parer optimus, Heros
Augustus, sed & vrbe potens, vbi Roma secunda
Flore nouo ingenti magna consurgit ad alta
Mole tholis muro præcelsis sidera rangens.
Stat pius arce procul Carolus loca singula signans,
Altáque disponens venturæ mœnia Romæ.
Hic iubet esse forum, sanctum quoque iure Senatum,
Ius populi & leges, vbi sacráque iussa capessant.
Insistitque operosa cohors, pars alta columnis
Saxa secat rigidis, arcem molitur in altum.
Ast alij rupes manibus subuoluere certanr,
Effodiunt portus, statuúntque profunda theatri
Fundamenta, tholis includunt atria celsis.
Hic alij thermas calidas reperire laborant,
Balnea sponte sua feruentia mole recludunt,
Marmoreis gradibus speciosa sedilia pangunt.
Fons nimio bullentis aquæ feruere calore
Non cessat, partes riuos deducit in omnes
Vrbis, & æterni hic alij benè Regis amœnum
Construere ingenti templum molimine certant.
Scandit ad astra domus muris sacrata politis,
Pars super in summis populi procul arcibus ardens
Saxa locat solido coniungens marmora nexu.
Altera stat gradibus portanrum sorre receptans,
Pars onera atque auidis manibus prædura ministrat.
Saxa alij subeunt, voluunt ad sidera rupes,
Ingentes passim fasces ceruice reflexa
Deponunt humeris valido sub pondere fessi,
Plaustráque dant sonitum, vastus fragor æthera pulsat.
Fit strepitus, magna consurgit stridor in vrbe.
Itque reditque operosa cohors diffusa per vrbem,
Materiam Romæ certatim congregat altæ.
Hic alij arma parant, acuentes vtile ferrum,
Marmora quo possunt sculpi, & quo saxa secari.
Feruet opus velutique solent æstate futuræ
Pulchra hyemis non immemores alimenta ciborum
Cùm facere * ore legunt carpentes flosculа, apésque
Per larices, per thyma volant stridentibus alis,
Floribus insidunt aliæ, prædaque redire
Accepta student, redolentia castra reuisant:
Aut fœtus aliæ certant educere adultos,
Aut cùm nectareas componunt ordine cellas,
Roscida stipantes sinuoso poplite mella.
Haud aliter lata Franci spatiantur in vrbe.
Non procul excelsa nemus est & amœna virecta,
Lucus ab vrbe virens, & prata recentia riuis
Obtinet in medio multis circumsita muris.
Hic amnem circumuolitat genus omne volucrum,

* Artis opacum

* fort. Conficere

A

B

C

A In ripis refident rimantes pafcua roftris. CAROLVS MAGNVS.
Non procul in medio fummergunt flumine fefe,
Nunc quoque præcipiti properant ad littora curfu,
Hófque toros iuxta ceruorum pafcitur agmen
Riparum in longa per amœnáque pafcua valle.
Huc illuc timido difcurrit damula greffu,
Fronte retecta vacat, paffim genus omne ferarum
His latet in fyluis. Etenim nemora inter opaca
Hic pater affiduè Carolus venerabilis Heros
Exercere folet gratos per gramina ludos,
Atque agitare feras canibus, tremulifque fagittis
Sternere cornigeram nigráque fub arbore turbam.
Exoritur radiis cùm primùm Phœbus honeftis,
Et iubar ignicomo perluftrat lumine montes,
Præcipites fcopulos & fumma cacumina tangens,
Syluarum thalamo properat dilecta iuuentus.
Regali parte ex omni collecta refiftit
Nobilium manus, expectans in limine primo,
Fit ftrepitus, clamor confurgit vaftus in vrbe,
B Defuper ex alto refpondent culmine tecta,
Aerea, præcipuus confidit ftridor in auras,
Hinnit equúfque ad equum, conclamat turba pedeftris,
Inque vicem proprio reuocatur pignore quifque
Ad dominum famulúfque fuum, fequitúrque vocantem.
Hic phaleratus equus grauidis auróque metallis
Terga recepturus Regem in fua gaudet opimum,
Stans mouet acre caput, montes cupit ire per altos.
Egreditur tandem circum ftipante caterua
Europæ veneranda pharus, fe prodit ad auram,
Enitet eximio vultu, faciéque corufcat.
Nobile namque caput preciofo amplectitur auro
Rex Carolus, cunctos humeris fupereminet altis.
Lata ferunt iuuenes ferro venabula acuto
Retia, quadruplici iniunctáque linea limbo,
Atque canes auidos ducunt per colla reuictos
Ad prædam faciles furiofóque ore Moloffos.
Iam pater excelfi Carolus facra limina templi
Deferuit, mox caftra Ducum Comitéfque priores
Mouere, altæ vrbis panduntur claffica portæ.
C Cornua concrepitant, fragor ingens atria complet,
Præcipitique ruunt iuuenes ad littora curfu.
Hinc thalamo cunctata diu Regina fuperbo
Procedit multa circum comitante caterua,
LVITGARDIS Caroli pulcherrima nomine coniux.
Fulgida colla nitent rofeo fimulata colore,
Cedit opimum etenim redimitis crinibus oftrum,
Candida purpureis cinguntur tempora vittis,
Aurea fila ligant chlamidem, capitique byrillus
Inferitur, radians claro diadema metallo
Enitet, & veftis bifcocco purpura byffo,
Ornantur variis radiantia colla lapillis.
Agmina feiungit pulchris ftipata puellis
Magnanimos inter Proceres Regina, fuperbo
Gaudet equo, & iuuenum circum magna emicat ardens.
Cetera regalem pubes pulcherrima prolem
Expectat foribus. Turmis comitatus opimis
More patri & vultu fimilis procedere tandem
Tentat item CAROLVS genitoris nomine pollens,

CAROLVS MAGNVS.

Terga ferocis equi folito de more fatigat. A
Hinc PIPPINVS aui fequitur de nomine dictus,
Reftaurat proprij qui publica gefta parentis,
Bellipotens animofus heros, fortiffimus armis,
Séque fuos inter famulos fert ductor opimum,
Cœtibus innumeris circumdatus enitet alto
Vectus equo eximio, vultu faciéque corufcans,
Tempora cui rutilo cinguntur pulchra metallo.
Circumfufa ruit comitantum turba rotatu.
Per patulas portas certatim exire Senatus
Conatur. Magno cum murmuris inde tumultu
Cornua rauca fonant, auido latratibus auras
Complent ore canes, fragor ignea fidera pulfat.
Inde puellarum fequitur mox ordo corufcus.
RHODRVD ante alias, rapidóque inuecta puellas
Fulget equo, & placidum prior occupat ordine greffum.
Immixta eft niueis ametyftina vitta capillis,
Ordinibus variis gemmarum luce corufcans.
Namque corona caput preciofis aurea gemmis
Implicat, & pulchrum fubnectit fibula amictum.
Virgineos intérque choros, turbámque fequentem B
Proxima BERTA inter multis fociata puellis
Voce virile, animo, habitu, vultúque corufco
Os, mores, oculos imitantia pectora patris
Fert, caput aurato diademate cingitur almum.
Aurea fe niueis commifcent fila capillis.
Lactea quippe ferunt preciofam colla murinam,
Ornatur veftis variis preciofa lapillis,
Ordine gemmarum numerofa luce corufcat.
Bratea chryfolitis ornantur tegmina gemmis.
GISALA poft iftas fequitur candore corufcans,
Virgineo comitata choro, micat aurea proles.
Tecta melocineo fulgefcit femina amictu.
Mollia purpureis rutilant velamina filis.
Vox, facies, crines radianti luce corufcant.
Splendida colla nitent rofeo inflammata rubore.
Argento ftat facta manus, frons aurea fulget,
Et magnum vincunt oculorum lumina Phœbum.
Læta fuper rapidum confcendit virgo caballum,
Frena fuperbus equus fpumantia dente volutat. G
Hinc comitata viris, illinc ftipata puellis
Innumeris circum circumftrexit agmen equorum.
His cumulata bonis præcelfa folaria linquens,
Virgo pudica pij fequitur veftigia Regis.
RHODHAID inde micat multis ornata metallis.
Agmen ouans rapido præcedit femina greffu.
Pectora, colla, comæ, lucent variata lapillis:
Serica & ex humeris dependent pallia pulchris.
Inferitur capiti nitido gemmata corona.
Stringit acus chlamydem gemmatis aurea bullis.
Pulchra vehetur equo Rhodhaidis virgo fuperbo,
Quò latitare folent hirfuto tergore cerui.
Intereà ingreditur vultu THEODRADA corufco,
Fronte venufta nitens, & cedit crinibus aurum.
Pulchra peregrinis conlucent colla fmaragdis.
Res, manus, ora, genæ, ceruix radiata nitefcit.
Clara ferenatis fulgefcunt lumina flammis.
Pallia permixtis lucent hyacinthina talpis,

Clara

A Clara Sophocleóque ornatur virgo cothurno. CAROLVS MAGNVS.
Turba puellarum circumstrepit agmine denso,
Atque venusta cohors Procerum nitet agmine longo,
Et sedet in niueo pulcherrima virgo caballo,
Acri fertur equo Caroli pia filia Regis.
In nemus ire parat, sacrata Palatia linquens.
Agminis extremam partem sibi vendicat HILDRVD,
Illi sorte datur, dehinc vltimus ordo Senatum*. *fort. Senatus.
Ipsa autem medio fulgescit in agmine virgo,
Temperat expositum spatij moderamine gressum,
Litorei iuxta ora soli pleni inclyta tendit
Venandi studio, Regíque exercitus omnis
Iam sociatur, adest. Mox ferrea vincta rapacum
Cuncta cadunt resoluta canum, lustra alta ferarum
Nare sagace petunt, quærentes ritè rapinam,
Et lustrant auidi condensa frutecta molossi.
Diffusi errantes in opacis saltibus omnes,
Sanguineam siluis prædam reperire laborant.
Cingit eques saltum, fugitiuis obuia turbis
B Turba paratur, aper fuluus fit valle repertus.
Mox nemus insiliunt equites, & voce sequuntur.
Prædam agiles certant fugitiuam agitare molossi,
Et sparsi currunt per opaca silentia siluæ.
Iste tacendo volat celerem post ritè rapinam;
Ille autem vacuas complet latratibus auras.
Errat hic vmbrosis delusus odore frutectis,
Alter in alterius hinc saltibus, inde rotatur.
Ille videt, hic prædam sentit odore fugacem.
Fit strepitus, siluis consurgit stridor in imis,
Et tuba magnanimos incendit ad acra* molossos *proelia.
Prælia, dirus aper quò se fert dente minaci,
Arboribúsque excussa cadunt folia vndique in altis.
Per loca vasta fugit, rapidóque per inuia cursu
Tendit iter frendens, terit alta cacumina montis,
Cursibus exhaustus, lasso pede constat anhelus.
Iam parat arma necis canibus, turbámque sequacem
Sternit, & horrendo rapidos rotat ore molossos.
Mox CAROLVS pater ipse volat, mediúmque per agmen
Ocior aligeris auibus forat ense ferinum
C Pectus, & intinguens gelidum in præcordia ferrum.
Corruit ille vomens vitam cum sanguine mixto;
In flaua moriens seséque volutat arena.
Regalis monte hæc proles speculatur ab alto.
Mox aliam Carolus prædam iubet indè mouere,
Et socios verbis claris ita fatur amicis:
Hanc fortuna diem nobis deducere lætam
Annuit, auguriis & nostra incœpta secundat,
Ergo fauete omnes istum exercendo laborem
Venandi studio, curámque adhibete benignam.
Vix hæc dixit Heros; subitò fremit agmen ab alto
Monte, nemus repetunt Proceres hinc indè ruentes
Præceleres agitare feras, pater inclitus ipse
Ante volans Carolus manibus fert missile ferrum,
Sternit & innumeras porcorum strage cateruas.
Corpora multa cadunt passim prostrata ferarum.
Tunc Carolus prædam Proceres partitur in omnes,
Et spoliis onerat grauidis sociósque sequaces.
Inde reflectit iter, campum repeténsque priorem,

CAROLVS MAGNVS.

Frondoſum lucum patulis fontéſque recentes A
Ramis prætextos, & opacam frigoris vmbram.
Aurea hic terris paſſim tentoria fixa
Stant pompoſa Ducum hinc inde & caſtra niteſcunt.
Læta parat Carolus ſociis conuiuia, lætus
Conuocat huc omnes longæuos ordine Patres,
Maturum populum natum melioribus annis,
Impubem pariter plebem, caſtáſque puellas
Conlocat. indè iubet menſis donare falerna.
Sol fugit interea, lucem nox occupat vmbris,
Membra ſed exoprant placidum defeſſa ſoporem.
Portentum Rex triſte videt, monſtrúmque nefandum
In ſomnis, ſummum Romanæ aſtare Leonem
Vrbis Pontificem, mœſtoſque effundere fletus,
Squalentes oculos, maculatum ſanguine vultum,
Truncatam linguam, horrendáque multa gerentem
Vulnera. Solicitos gelidus pauor occupat artus,
Auguſti. Rapidos Romana ad mœnia Miſſos
Tres iubet ire, foret ſi ſanus Paſtor opimus,
Explorare gregis, quid triſtia ſomnia ſignent, B
Miratúrque piam curam, gerit ille fidelem.
Feſtinant rapidis Legati paſſibus, ipſe
Saxoniam repetit cum multis milibus Heros.
Agmina conueniunt diuerſis partibus orbis,
Cognatæque acies properant ſuper ardua Rheni
Littora, Saxonum populum domitare rebellem,
Et ſæuam gelido gentem reſcindere ferro.
Culmina iam cernunt vrbis procul ardua Romæ,
Optatique vident Legati à monte theatrum.
Triſtior occurrit, vulgatáque fama repentè
Lumen Apoſtolicum crudeli funere plagis
Occubuiſſe feris. Nam ſerpens ſæuus & atrox,
Qui ſolet vnanimes bello committere fratres,
Semina peſtiferi iactare nocenda veneni
Suaſit in innocuum, cæcatis mentibus omnes
Sæuire, & famulos dominum trucidare potentem.
Dira animis inlapſa lues, & ſenſibus hæſit.
Virus peſtiferum concepit pectus anhelum.
Inſidias poſuêre viro, mortémque parabant
Inſonti, triſtémque necem. Plebs impia telis C
Paſtorem in proprium ſeſéque armauit iniquis.
Dum ſolitum tranſiſſet iter Leo Papa benignus,
Et ſacra Laurenti peteret pede limina ſancti,
Plebs demens, populúſque vecors, maleſana iuuentus,
Fuſtibus & gladiis nudatis enſibus omnis
Inruit in ſummum Paſtorem turba, tumultu
Cæca furens, ſubitò diris commota procellis,
Sacra Sacérdotis torquebat membra flagellis.
Vnius in caſum multorum ſæuit hiatus.
Carnifices geminas traxerunt fronte feneſtras,
Et celerem abſcindunt lacerato corpore linguam.
Pontificem tantum ſeſe extinxiſſe putabat
Plebs pietate carens, atriſque infecta venenis.
Sed manus alma Patris oculis medicamina ademptis
Obtulit, atque nouo reparauit lumine vultum.
Ora peregrinos ſtupuerunt pallida viſus,
Explicat & celerem truncatáque lingua loquelam.
Cum ſociis magnus paucis fugit inde Sacerdos,

A Clam petere auxilium Spolitinam tendit ad vrbem,
A Duce cum magno fit hic susceptus honore
VVinigiso, & multis cumulatus in ordine donis.
Audit in Italiam Missos venisse fideles
Francorum, & solitam Romanis ferre salutem
Non voluisse, suum quoniam sine culpa potentem
Suppliciis Dominum cruciassent. Mox manifestos
Ille venire viros ad se iubet, atque ita fari
Incipit, & truncata breui infra lingua palatum
Cursu errat, placidam depromens voce loquelam.
Vos ego per caram Caroli coniuro salutem
Regis, vt eiectum me defendatis in armis,
Finibus à propriis & sedis honore repulsum.
Me quoque vobiscum ad vestrum ducetis opimum
Regem, & præcipui liceat mihi Principis ora
Cernere, quo iusto nostros examinet actus
Iudicio, & vindex sæuissima verbera nostra
Vindicet, insignis luctus gemitúmque metúmque
Alleuet, addendo nostræ solatia vitæ.
B Ergo agite, & vestra si nunc mihi gratia certa est,
Eripite his terris, DAVID me obtutibus almis
Præsentate viri, iam nos mora nulla tenendo
Impediat, gelidas superemus cursibus Alpes.
Hæc Leo Papa, cohors Francorum mixta Latinis
Obstupuit, Domino grates laudésque rependens,
Qui noua Pontifici reddebat lumina summo,
Et desperatam condebat in ore loquelam.
At Germar contrà breuiter sic vocibus vsus:
Lux, decus egregium populorum, lumen amœnum,
Pastor Apostolicus, venerandus in orbe Sacerdos,
Te mandare decet quidcumque in corde volutas:
Nos parere tuis fas est, Pater optime, iussis.
Inde iter incipiunt læti, rapidísque metiri
Passibus. Augusti iuuat ire ad limina magni,
Difficiles temptare vias, callémque seuerum
Vincere. certatim diuersa per oppida pergunt.
Innumeræ occurrunt passim ad spectacula turbæ,
Pontificis sacras gaudentes lambere plantas:
Multáque prӕterea cumulantes munera portant.
C Et capite in veteri visus cernendo nouellos
Obstupent, linguámque loqui mirantur ademptam
Iamdudum, & celerem recreantem voce loquelam.
Rex pius interea gelidum transnauigat amnem,
Dauid spumosi superans vaga cærula Rheni,
Armatas acies inter primósque coruscat
Arduus arma tenens, equitatus vertice toto
Exsuperat comites. Fulgentes ære cateruæ,
Vndique collectæ properant, atque agmina iungunt
Cum fremitu vario, se se & stupet inscia tellus
Loricas, enses, galeas, tot scuta virorum,
Ac concussa tremit sub tanto pondere ferri.
Vastus ad astra frequens conscendit clamor, & echo
Rupibus è gelidis saxoso à monte resultat.
Est locus insignis quo Patra & Lippa fluentant,
Altus, & in nudo campo iacet vndique largo
Vestitus spatio. celso de colle videri
Námque potest legio omnis & hinc exercitus omnis,
Castra Ducum & Comitum radiantiáque arma virorum.

CAROLVS MAGNVS.

A

Huc Carolus multis stipatus milibus Heros
Aduenit, & tandem iuuat hic succedere rectis.
Missus Apostolici regalem rendit ad Aulam,
Interea & summum manifestat quippe venire
Pontificem expulsum Romana à sede Leonem
Ciuibus à propriis, & tot tolerasse recenset
Verbera, commemorans extinctum lumine vultum,
Narrat & abscissam liquido de gutture linguam.
Nunc medicante Deo sanatum, & ab omnibus istis
Esse malis animis, stuper ipse exercitus omnis
Audita, & Carolus recolendo somnia retrò
Præteriti indicio agnoscens vestigia visus,
Hoc fore non dubitat quod tristes fundere fletus
Pontificem in somnis iamdudum vidit eundem.
Hinc iubet extemplo Pippinum occurrere magno
Pastori, pacem & placidam portare salutem.
Obuius ire parat genitoris iussa facessens
Pippinus, centum lætus cum milibus ibat.
Ipse sedet solio Carolus Rex iustus ab alto
Dans leges patriis, & Regni fœdera firmat. B
Vtque videt patulo aduersum se rendere campo
Pastor Apostolicus centum cum milibus altum
Pippinum, geminas extendit ad æthera palmas,
Pro populoque preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat.
Mox Leo Papa solo Pippinum more benigno
Excipit, & factis circumdans colla lacertis
Hæret in amplexúque diu placida oscula libans,
It comes, & suprà se confert vertice toto
Pippinus. Varias miscent sermone loquelas
Inque vicem diuersa leuant pro.......
Rex pius interea solium conscendit, & omnem
Alloquitur populum Carolus venerabilis Heros:
Ergo agite, ô Proceres, inquit, quibus induite arma
Ire istis soliti ad bellum Martémque seuerum
Temprare, & crudo vosmet confidere pugno,
Pontifici celeri cursu occurremus opimo.
Vix hæc dixit Heros, fremit vndique turba tumultu, C
Tela manus glomerat, mox loricásque trilices,
Et latos clypeos, galeásque & spicula peltæ
Æratæ resonant, acies hinc indè videntur
Ire equitum. Sparso nigrescunt puluere nubes,
Et tuba lugubri medio strepit agmine voce.
Classica signa sonant, campi densantur aperti,
Agmine cristatus fulgérque exercitus omnis.
Tela micant, pariter vexilla leuata coruscant.
Armati incedunt iuuenes, & freta iuuentus
Gaudet equis, siccus feruescit in ossibus ardor
Audendi, ac Carolus medio micat agmine lætus.
Aurea crista regit frontem, & conspectus in armis
Fulget, equo ingenti portatur ductor opimus.
Ante Sacerdotum porro castra agmina ternis
Stant diuisa choris, in longis vestibus almæ
Sacra crucis vexilla leuant, & Præsulis omnis
Aduentum expectat, clerúsque & candida plebes.
Iam patet in campo Carolus videt agmina aperto,
Pippinum, & summum Pastorem tendere contra

A Constat, & inque modum populum expectare coronæ
Præcipit, atque aciem hinc diuidit vrbis ad instar.
Ipse autem medio consistere in orbe beatus
Præsulis aduentum expectans, & vertice toto
Altior est sociis, populum supereminet omnem.
Iam Leo Papa subitque externo se agmine miscet.
Quàm varias habitu linguas tam vestis & armis
Miratur gentes diuersis partibus orbis.
Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, & placida oscula libat.
Inque vicem dextras iungunt pariterque feruntur
Gressibus, & multo miscentes verba fauore.
Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat,
Pro populóque preces ter fundit pectore Præsul.
Rex pater Europæ, & summus Leo Pastor in orbe,
Congressi, inque vicem vario sermone fruuntur.
Exquirit Carolus casus auditque laborum
Diuersos, sceleris populi impia facta stupescit.
B Miratur geminas iamdudum luce fenestras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatámque loqui mirantur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus,
Et parili sedes tendunt ad culmina gressu.
Ante Sacerdotes sacri stant ostia templi
Alternis vicibus modulantes carmina laudum,
Atque Creatori grates laudésque frequentant,
Qui noua Pontifici reddebat lumina summo,
Et desperatam condebat in ore loquelam.
Exoritur clamor, vox ardua pulsat Olympum.
Intrat Apostolicus Carolo ducente beato,
Templa Creatoris solito solemnia more
Concelebrare pio Missarum sacra fauore.
Exhinc officiis diuinis ritè peractis
Inuitat Carolus celsa intra tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet vestibus aula.
Auro ostro ornantur hinc inde sedilia multo,
Ad mensas resident læti, variísque fruuntur
Deliciis, medio celebrant conuiuia tecto.
C Aurea namque tument per mensas vasa falerno.
Rex Carolus simul & summus Leo præsul in orbe
Vescitur, atque bibunt pateris spumantia vina
Post lætas epulas, & dulcia pocula Bacchi.
Multa pius magno Carolus dat dona Leoni.
Hinc lætus repetens aulæ secreta reuisat
Rex, & Apostolicus repetit quoque castra suorum.
Cum tali à Carolo Leo fit susceptus honore,
Romanos fugiens propriis repulsus ab oris.

CAROLVS MAGNVS. A

DE REBVS CAROLI MAGNI CVM IMP. CONSTANTINOP.

Ex Chronographia Theophanis, quam vsque ad annum DCCCVI. *perduxit.*

Κόσμου ἔτη ,ϛσϟγ'. τῆς θείας σαρκώσεως ἔτη ψϟγ'.

TΟύτῳ τῷ ἔτει Εἰρήνη ἡ εὐσεβεστάτη ἅμα τῷ υἱῷ αὐτῆς Κωνσταντίνῳ παραδόξως πόθον τὴν βασιλείαν ἐγχειρίζεται μηνὶ Σεπτεμβρίῳ κ'. Ἰνδ. δ'.

Εἰρήνης ἔτ. ϛ'.

Cedrenus p. 386. Τούτῳ τῷ ἔτει ἀπέστειλεν Εἰρήνη Κωνστάντιον τὸν σακελλάριον καὶ Μάμαλον τὸν πριμικήριον πρὸς Κάρουλον τὸν ῥῆγα τῶν Φράγγων, ὅπως τὴν αὐτοῦ θυγατέρα Ἐρυθρὼ λεγομένην νυμφεύσῃ τε τῷ βασιλεῖ Κωνσταντίνῳ τῷ υἱῷ αὐτῆς. καὶ γενομένης συμφωνίας καὶ ὅρκων ἀναμεταξὺ ἀλλήλων, κατέλιπον Ἐλισσαῖον τὸν εὐνοῦχον καὶ νοτάριον, πρὸς τὸ διδάξαι αὐτὴν τά τε τῶν Γραικῶν γράμματα καὶ τὴν γλῶσσαν· καὶ παιδεῦσαι αὐτὴν τὰ ἤθη τῆς Ῥωμαίων βασιλείας.

Εἰρήνης ἔτει θ'. B

Cedrenus p. 387. Λύσασα δὲ ἡ βασίλισσα Εἰρήνη τὴν πρὸς τοὺς Φράγγους συναλλαγήν, ἀπέλυσε Θεοφάνην τὸν πρωτοσπαθάριον, καὶ ἤγαγε κόρην ἐκ τῶν Ἀρμενιακῶν ὀνόματι Μαρίαν ἀπὸ Ἀμνίας· καὶ ἔζευξεν αὐτὴν Κωνσταντίνῳ βασιλεῖ καὶ υἱῷ αὐτῆς· πολλὰ λυπουμένου αὐτοῦ, καὶ μὴ θέλοντος, διὰ τὴν πρὸς τὴν Καρούλου θυγατέρα τοῦ ῥηγὸς τῶν Φράγγων σχέσιν ἣν προμνηστευσάμενος. καὶ ἀπετέλεσαν τοὺς γάμους αὐτοῦ μηνὶ Νοεμβρίῳ Ἰνδ. ιβ'. Ἀποστείλασα δὲ Εἰρήνη Ἰωάννην τὸν σακελλάριον καὶ λογοθέτην τοῦ στρατιωτικοῦ εἰς Λογγιβαρδίαν, μετὰ καὶ Θεοδότου ποτὲ ῥηγὸς τῆς μεγάλης Λογγιβαρδίας, πρὸς τὸ εἰ δυνηθείη ἐναμύνασθαι τὸν Κάρουλον, καὶ ἀποσπάσασθαι τινὰς ἐξ αὐτοῦ. καὶ κατελθόντων σὺν Θεοδώρῳ πατρικίῳ καὶ στρατηγῷ Σικελίας· καὶ πολέμου κροτηθέντος, ἐκρατήθη ὑπὸ τῶν Φράγγων ὁ αὐτὸς Ἰωάννης καὶ δεινῶς ἀνῃρέθη.

Κόσμου ἔτη ,ϛσπη'. τῆς θείας σαρκώσεως ἔτη ψπη'. Ῥωμαίων βασιλέως Κωνσταντίνου ἔτ. α'.

Κωνσταντίνου ἔτει ζ'. Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει καὶ οἱ τῆς Ῥώμης συγγενεῖς τοῦ μακαρίου πάπα Ἀδριανοῦ συγκινήσαντες τὸν λαὸν ἐστασίασαν κατὰ Λέοντος τοῦ πάπα, καὶ κρατήσαντες ἐτύφλωσαν αὐτόν. οὐ μέντοι ἠδυνήθησαν τελέως σβέσαι τὸ φῶς αὐτοῦ· τῶν τυφλωσάντων αὐτὸν φιλανθρώπων ὄντων, καὶ φεισαμένων αὐτοῦ. ὁ δὲ προσφυγὼν τῷ ῥηγὶ τῶν Φράγγων Καρούλῳ ἠμύνατο τοὺς ἐχθροὺς πικρῶς, καὶ πάλιν ἀποκατέστησεν αὐτὸν εἰς τὸν ἴδιον θρόνον· γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων. ὁ δὲ τὸν Κάρουλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου· χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν· καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κε'. Ἰνδ. θ'. C

Εἰρήνης τὸ δεύτερον ἔτ. δ'.

Τούτῳ τῷ ἔτει μηνὶ Δεκεμβρίῳ κε'. Ἰνδ. θ'. Κάρουλος ὁ τῶν Φράγγων ῥὴξ ἐστέφθη ὑπὸ Λέοντος τοῦ πάπα. καὶ βουληθεὶς κατὰ Σικελίαν στόλῳ παρατάξασθαι, μετεμελήθη ζευχθῆναι μᾶλλον Εἰρήνῃ βουληθείς· πρέσβεις εἰς τοῦτο πέμψας τῷ ἐπιόντι χρόνῳ Ἰνδ. ι'.

Εἰρήνης ἔτ. ε'.

Cedrenus p. 389. Ἔφθασαν δὲ οἱ ἀποσταλέντες παρὰ Καρούλου ἀποκρισιάριοι καὶ τοῦ πάπα Λέοντος πρὸς τὴν Εἰρήνην, αἰτούμενοι ζευχθῆναι αὐτὴν τῷ Καρούλῳ πρὸς γάμον, καὶ ἑνῶσαι τὰ ἑῷα καὶ τὰ ἑσπέρια· ἥτις ὑπήκουσεν ἄν, εἰ μὴ Ἀέτιος ὢν ὁ πολλάκις ῥηθεὶς ἐκώλυσε παραδυναστεύων, καὶ τὸ κράτος εἰς τὸν ἴδιον ἀδελφὸν σφετεριζόμενος.

A

Versio Latina Anastasij Bibliothecarij.

MVNDI anno VI M. CCLXXVI. Dominicæ Incarnationis DCCLXXVI. * Heirene piissima vnà cum filio suo Constantino gloriosè Imperium diuinitus accepit VI. Idus Sept. Indict. IV. (* In Græco, translatione LXXIII.)

Anno Imperij Constantini & Heirenæ I. * Misit Heirene Constabin Sacellarium, & Mamalum Primicerium ad KAROLVM Regem Francorum, quo filiam suam * nuptum traderet Imperatori Constantino filio suo. Et facto placito ac iureiurando inter vtrosque, reliquerunt Helisæum Eunuchum atque Notarium, ad docendam illam Græcorum literas, simul & linguam. sed & vt erudiret eam, vt secundum mores Romani Imperij se haberet. (* Hist. Miscella habet II Constantem * Rothrud.)

Anno Imperij fuit IX. Heirene Imperatrix, pace soluta faciendi cum Francis nuptialis contractus, direxit Theophanem Protospatarium, & adduxit puellam ex Armeniacis nomine Mariam ab Amnia, & iunxit eam Constantino Imperatori & filio suo. cùm ipse multùm tristaretur, & nollet, propter affectum quo erga KAROLI filiam Francorum Regis flagrabat, quam scilicet antea desponsauerat. Et consummauerunt nuptias eius mense Nouembri Indictionis XII. Interea Heirene misit Iohannem Sacellarium & Logothetam in Longobardiam, vnà

B cum Theodoro dudum * Rege maioris Longobardiæ, ad vltionem inferendam si posset in Karolum, & quosdam subducendos ab illo. Descenderunt ergo cum Theodoro Patricio & Prætore Siciliæ, initóque bello tentus à Francis amarè peremptus est. (* In Histor. Miscella sic. vna cùm Adalgiso dudum maioris Longobardiæ Rege, quem illi Theodatū dicebant, ad vltionem &c.)

Mundi anno VI. M.CCLXXXIII * Dominicæ Incarnat. DCCLXXXIII. anno verò Imperij Constantini primo. *& infra.* (* In G. anno XXCVIII.)

Anno Imperij Constantini VII. Romæ beatæ memoriæ Adriani Papæ cognati commouentes populum tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes cæcauerunt eum. non tamen penitus lumen eius extinguere potuerunt. At ille confugit ad Karolum Francorum Regem, qui vltus est inimicos eius amarè, & iterum restituit illum in Sedem suam. Ceterùm vicem recompensans, Karolum coronauit Imperatorem in Templo sancti Petri Apostoli, perungens oleo à capite vsque ad pedes, & circundans Imperatoriâ veste atque corona VIII. Kalend. Ianuar. Indictionis IX.

Anno Imperij Heirenæ IV. VIII. Kal. Ianuar. Indict. IX. Karolus Rex Francorum coronatus est à Leone Papa. Et cùm voluisset contra Siciliam classibus præliari, se pœnituit, coniungi potiùs eum Heirene volens: Legatis ad hoc directis sequenti anno Indictione X.

Peruenerunt autem Apocrisiarij à Karolo & Leone Papa directi ad Heirenem

C piissimam, postulantes vt iungeretur illi ad nuptias, & vniret * Eo & Hesperia. Quæ profectò obaudisset, nisi Aetius iste, qui sæpè dictus est, inhibuisset præualens, & Imperium in proprium, sicut prædictum est, fratrem vsurpans. (* idest, vniret Orientalia cum Occidentalibus.)

VERSVS DE CAROLO MAGNO IMP.

Ex Constantini Manassis Chronica synopsi ad Irenem Andronici Sebastocratoris coniugem Manuelis Imp. Constantinop. fratriam.

Τότε καὶ Ῥώμῃ τῇ λαμπρᾷ, τῇ μεγάλῃ Ῥώμῃ,
Λόγου καὶ μνήμης ἄξιον πρᾶγμά τι συνηνέχθη.
Ἦν ἁγιστεύων ἐν αὐτῇ τὰς ἱερὰς θυσίας,
Τῶν ἄλλων τε πρωτάρχος ἱεροπόλων Λέων.
Πάπας ὀνομάζεται τῇ τῶν Ῥωμαίων γλώσσῃ.
Τούτῳ πικρῶς βασκαίνοντες ἄνδρες τινὲς ἐκ Ῥώμης,
Οἱ προσφυεῖς Ἀδριανῷ τοῦ πρεσβυτέρου πάπα,
Καὶ στάσεως κλυδώνιον κυκλώσαντες βαρύθρουν,

CAROLI MAGNI.

Τοῦ θρόνου καὶ τῆς πόλεως ἐλαύνουσι φυγάδα· A
Ὁ δὲ σημάνας ἐν γραφῇ ταῦτα τῷ βασιλεῖ,
Ἐπικουρίας τε τυχεῖν ἐκ ταύτης ἱκετεύσας,
Ὡς ἔγνω πάντα μάταια τεχνώμενος καὶ πράττων,
Καὶ γράφειν τὸ λεγόμενον ἐπιχειρεῖν εἰς ὕδωρ,
Καὶ πανταχόθεν ἄπορος προσφεύγει τῷ Καρούλλῳ.
Ἦν δὲ τῶν Φράγγων φύλαρχος ὁ Κάρουλλος ἐκεῖνος.
Ῥῆγας τοὺς σφῶν κατάρχοντας οἴδασι Φράγγοι λέγειν.
Καὶ δεῖται τούτου τῆς χειρὸς ὡς μεγαλοδυνάμου.
Ὡς ἐπαρκέσειεν αὐτῷ κατὰ τῶν ἀδικησάντων.
Καὶ δέχεται τοῦτον Κάρουλλος· ἦν γὰρ παπποπατρόθεν
Ἀπὸ Χριστοῦ καλούμενος, καὶ σέβων Χριστοῦ νόμους
Αἰδεῖται λιταζόμενον τὸν ἱεροθυτοῦντα.
Δίδωσι τούτῳ σύμμαχον μεγαλοσθενῆ παλάμην.
Καὶ πάλιν ἐγκαθίστησι τῇ πόλει καὶ τῷ θρόνῳ.
Ἐντεῦθεν ἀμειβόμενος τὸν Κάρουλλον ὁ Λέων,
Ἀναγορεύει κράτορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης, B
Καὶ στέφος περιτίθησιν ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοι.
Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,
Κἀκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει·
Οὐκ οἶδα ποίοις λογισμοῖς ἢ ποίαις ἐπινοίαις.
Οὕτως ὁ πρὶν σύνδεσμος τῶν πόλεων ἐρράγη·
Οὕτως μητρὸς καὶ θυγατρὸς μέσον ἐπέστη σπάθη,
Διχάζουσα καὶ τέμνουσα μετὰ θυμοῦ ῥομφαίας,
Νεάνιν τὴν εὐπρόσωπον τὴν νεωτέραν Ῥώμην.
Ἐκ τῆς ῥυσῆς καὶ παλαιᾶς καὶ τριπεμπέλου Ῥώμης.

Versio Latina Joannis Meursij.

CAP. CLXXIII. ID temporis etiam illustrissimæ Romæ veteri quiddam accidit, dignum quod litterarum monumentis memoriæ prodatur. Erat in ea sacrorum Antistes Leo, reliquorum Sacerdotum primus, quem Romana linguâ Papam vocant. Huic quum acerbè Romani quidam, propinqui Adriani eius, qui non ita pridem Papa fuerat, inuiderent: seditione concitata non throno tantùm hominem deiiciunt, sed etiam ab vrbe pulsum cogunt solum vertere. Tum ille re tota mox Constantinopoli nunciata, opem sibi ferri postulat. Vbi frustra se omnia moliri & agere animaduertit, & in aqua (ceu prouerbio dicitur) litteras exarare: re ab omni parte desperata, ad CARVLVM confugit. Erat is Francorum nationis Princeps, quem linguâ sua Franci Regem nuncupare consueuerunt. Huius manum potentissimam implorat, vt auxilium sibi ferret aduersus eos, qui læserant. Carulus Leonem benignè accipit (vt qui ab auis & atauis vsque Christianus esset, Christique leges coleret) Sacerdotem supplicem reueretur, auxiliarem ei manum porrigit, solio pariter & vrbi restituit. Tum verò vicem Carulo referens Leo, Romæ veteris eum Imperatorem renunciat, neque tantùm corona caput eius more Romano cingit, verùm etiam legibus Iudæorum vsus, à capite ad pedes oleo totum perungit. Quod sanè posterius quibus ex causis ac rationibus factum fuerit, equidem scire nequeo. Sic pristinum illud harum vrbium vinculum ruptum fuit, sic matrem à filia gladius diuisit ac resecuit: Romam dico recentiorem, formosam illam iuuenculam, ab altera rugosa planéque vetusta. C

Videndus Zonaras Tom. III. pag. 39. & 97. 98.

DE CAROLI MAGNI REGIS MAIORIBVS AC EIVS LIBERIS,

FRAGMENTVM

Ex Libro Pauli VVarnefridi Langobardi filij, Diaconi Foroiuliensis, de Episcopis Metensis Ecclesiæ.

VIcesimvs ac sextus Agivlfvs, qui fertur patre ex nobili Senatorum Familiâ ortus, ex Chlodouei Regis Francorum filia procreatus.

Post istum extitit nepos ipsius nomine Arnoaldvs.

Quem sequutus est Pappolvs.

Post hos ad regimen Ecclesiæ beatissimus Arnvlfvs ascitus est, vir per omnia lumine sanctitatis, & splendore generis clarus. Qui ex nobilissimo fortissimóque Francorum stemmate ortus, ita Dei Ecclesiæ præfuit, vt & Palatij mo-B derator sub honore Maiordomatus existeret. Hic denique & in corpore permanens, simul & post vitæ exitum multa admiranda perpetrauit, quæ si quis nosse desiderat, Libellum, qui de eius specialiter actibus conscriptus est, legat. Vnum tamen eius admirabile factum referam, quod satis miratus sum quo ordine præterierit is qui eius contexuit vitam. Hic denique cùm pœnitentiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit vt per Mosellæ fluminis pontem transiret. Cúmque subter fluentium aquarum profundos nec visu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ spei fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarum profunditatem proiecit: *Tunc*, inquiens, *me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem proiicio, recepero annulum.* Post aliquot verò annos cùm ad Episcopatus ascendisset officium, ei die quadam piscator quidam piscem attulit: quem ille sibi, quia carnibus abstinebat, ad refectionem vespertinam iussit præparari. Cúmque eum minister eius officij more solito exenterasset, eundem annulum intra ipsius piscis intestinum repperit. Ille factum admiratus, sed rem nesciens, beato Arnulpho detulit. Quem ille vt vidit, statim recognouit, ac Deo omnipotenti iam de remissione delictorum fidus gratias retulit: ac deinceps non remissiùs vitam duxit, sed maiori se potiùs abstinentiâ coartauit. Nec dissimiliter Pater hic venerabilis quàm olim Gedeon ille signum à Domino poposcit. Ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, vtrùm in bello victoriam de inimicis habere potuisset. Iste annulum in profundissimum fluminis gurgitem proiiciens experiri cupit, vtrùm de inimicis iam victoriam C cepisset. Fortes quidem erant, quos ille deuicerat: sed hi, quos iste superauerat, fortiores. Hæc ego non à qualibet mediocri persona didici, sed ipso totiùs veritatis assertore præcelso Rege Karolo referente cognoui: qui de eiusdem beati Arnulfi descendens prosapia, & in generationis linea trinepos extabat. Nam venerandus iste vir (vt ad superiora redeam) iuuentutis suæ tempore ex legitimi matrimonij copula duos filios procreauit, id est, Anschisum, & Chlodulfum. Cuius Anschisi nomen ab Anchise patre Æneæ, qui à Troia in Italiam olim venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum, sicut à veteribus est traditum, à Troiana prosapia trahit exordium. Cùm igitur hos duos, de quibus præmisimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat misericors, & ad pietatis opera semper intentus, vtrisque filiis suis cœpit suadere, vt ei assensum præberent, quatenus omnes suas facultates ad vsus pauperum dispertiret. Tunc maior filius, id est Chlodvlfvs, se hoc posse facere, id est, vt portionem sibi debitam pater largiretur, omnimodis denegauit. At verò minor filius, id est Anschisvs, fidens de Christi pietate sibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet se libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei, pluriora eundem quàm reliquerat habiturum: insuper benedixit eum, eiusque cunctam progeniem nasciturum in posterum. Factúmque est. Nam & pluriores Anschiso, quàm reliquerat, diuitiæ accesserunt:

CAROLVS MAGNVS. & ita in eo paterna est constabilita benedictio, vt de eius progenie tam strenui fortésque viri nascerentur, vt non immeritò ad eius prosapiam Francorum translatum sit Regnum. A

Et vt hoc agnoscere possis, paucis aduerte docebo. ANSEHISVS genuit Pippinum, quo nihil vnquam potuit esse audacius. PIPPINVS genuit KAROLVM viris omninò fortissimis conferendum, qui inter cetera & magna bella quæ gessit, ita præcipuè Sarracenos detriuit, vt vsque hodie gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit PIPPINVM, sapientiâ nihilominus & fortitudine satis clarum: qui inter reliqua quæ patrauit VVascones iamdudum Francorum ditioni rebelles cum VVaifario suo Principe facilitate mira debellauit & subdidit. Huius itaque filius Magnus Rex KAROLVS extitit, qui Francorum Regnum, sicut nunquam antè fuerat, dilatauit. Denique inter plura & miranda quæ gessit, Langobardorum gentem bis iam à patre deuictam, altero eorum Rege, cui Desiderius nomen erat, capto; alteróque, qui dicebatur Adelgisus, vt cum genitore regnante suo, Constantinopolim pulso, vniuersam sine graui prælio suæ subdidit ditioni. Et quod raro fieri adsolet, clementi moderatione victoriam temperauit. Romanos prætereà, ipsámque vrbem Romuleam, iampridem eius præsentiam desiderantem, quæ aliquando Mundi totius Domina fuerat, & tunc à Langobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens suis addidit sceptris: cunctáque nihilominus Italiâ miti dominatione potitus est. De quo viro nescias, vtrùm virtutem in eo bellicam, an sapientiæ claritatem, omniúmque liberalium artium magis admirêris peritiam. B

Hic ex HILDEGARD coniuge quatuor filios, & quinque filias procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella filium nomine PIPPINVM. Natorum sanè eius, quos ei Hildegard peperit, ista sunt nomina. Primus dictus est KAROLVS, scilicet patris ac proaui vocabulo nuncupatus. Secundus item PIPPINVS, fratri atque auo æquiuocus. Tertius LODOVVICVS, qui cum HLOTHARIO, qui biennis occubuit, vno partu est genitus. Ex quibus iam, Deo fauente, minor Pippinus Regnum Italiæ, Lodovvicus Aquitaniæ tenet.

MORTVA autem Hildegard, Rex excellentissimus Karolus FASTRADAM duxit vxorem. Quæ Hildegard apud vrbem Metensem in beati Arnulfi Oratorio requiescit. Pro eo denique quòd à beato Arnulfo iam fati Reges originem ducerent, suorum ibi carorum defuncta corpora posuêre. Nam ibi humatæ sunt duæ Regis Pippini filiæ, quarum vna Rodrhaid*, altera Adelaid* appellata est. Ibi quoque & iunioris Regis Karoli duæ nihilominus tumulatæ sunt natæ, scilicet Adelaid & Hildigard. Quæ Hildigard materno nuncupata nomine matrem morientem citiùs subsecuta est. Quarum omnium Epitaphia à nobis iussu gloriosi Regis Karoli composita, vt de eis liquidò lectori satisfieret, subter annotare curaui. C

* Rothaidis, seu Rotrudis.
* Adelhaidis.

Epitaphium ROTHAIDIS filiæ PIPINI Regis.

HIC ego quæ iaceo ROTAITH nomine dicor,*
Qua genus excelso nimium de germine duco.
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus KAROLVS virtute Tonantis,
PIPINVS pater est CAROLO de Principe cretus,
Agarenum strauit magna qui cade Tyrannum.*
PIPINVS proauus, quo non audacior vllus.
Ast abauus ASNCHISE potens, qui ducit ab illo
Troiano Anchisa longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer Præsulque beatus,
ARNVLPHVS, miris gestis qui fulget vbique,
Hîc me spe cuius freti posuêre parentes.

* Rothaidis.
* clade.

Item Epitaphium alterius filiæ ADHELEIDIS.

Perpetualis amor capienda & causa salutis
Pectore quem vigili huc properare facit.

Nosse cupis cur busta sacer numerosa retentet
Hic locus, astrigeri qua patet aula poli?
Iste sacer Domini qui post seruauit ouile
Legitimi fuerat germinis ante pater.
Cuius posteritas atauo confisa patrono,
Hoc cupit in sancto ponere membra loco.
PIPINI *hic proles* ADHELEID *pia virgo quiescit,*
Quam simul & reliquas sancte tuere Pater.

Epitaphium HILDEGARDIS Reginæ.

Card. Baronius Epitaphium hoc & alia duo sequentia Alcuino tribuit.

Aurea quæ fuluis rutilant elementa figuris
Quàm clara exstiterint membra sepulta docent.
Hic Regina iacet Regi præcelsa potenti
HILDEGARD CAROLO *quæ benè nupta fuit.*
Quæ tantùm clara transcendit stirpis alumnos,
Quantum quo genita est Indica gemma solum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Quæ non Occiduo pulchrior vlla foret.
B *Cuius haud tenerum possunt æquare decorem*
Sardonix Pario, lilia mixta rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
Simplicitásque animæ, interiórque decor.
Tu mitis, sapiens, sollers, iocunda fuisti,
Dapsilis, & cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cùm non sit grandior vlla
Laus tibi, quàm tanto complacuisse viro?
Cúmque vir armipotens sceptris iunxisset auitis
Linsferúmque Padum, Romuleúmque Tibrim:
Tu sola inuenta es, fueris quæ digna tenere
Multiplicis Regni aurea sceptra manu.
Alter ab vndecimo rursùm te sustulit annus,
Heu genitrix Regum! heu decus, atque dolor!
Te Francus, Sueuus, Germanus, & ipse Britannus,
Cúmque Getis duris plangit Hybera cohors.
Accola te Ligeris, te deflet & Itala tellus,
Ipsáque morte tua anxia Roma gemit.
Mouisti ad fletus & fortia corda virorum:
En lacrimæ clipeos inter & arma cadunt.
C *Heu! quantis sapiens & firmum robore semper*
Vssisti flammis pectus herile viri!
Solatur cunctos spes hæc, sed certa, dolentes,
Pro dignis factis quòd sacra regna tenes.
.·. .·. .·. .·. .·. .·.
Participem fieri hanc, Pater alme, tuis.

Epitaphium filiæ KAROLI Magni ADHELEIDIS, quæ nata de thalamo eius, quando iisdem Italiam subegit.

Hoc tumulata iacet pusilla puellula busto,
ADELEID *amne sacro quæ vocitata fuit.*
Huic sator est KAROLVS *gemino diademate pollens,*
Mobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumpserat hæc ortum prope mœnia celsa Papiæ,
Cùm caperet genitor Itala Regna petens.
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vita,
Ictáque sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos:
Nunc Patris æterni regna beata tenet.

CAROLVS MAGNVS. Item Epitaphium HILDEGARDIS filiæ eiusdem Karoli. A

HILDEGARD rapuit subitò te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere ligustra nouo.
Expleuit necdum vitæ tibi circulus annum,
Annua nec venit lux geminata tibi.
Paruula non paruum linquis virguncula luctum,
Confodiens sæculo regia corda patris.
Matris habens nomen, renouas de morte dolorem
Postquam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos mæsto lacrymarum fundimus amnes,
Tu nimium felix gaudia longa petis.

SED his quæ prætereunda non erant, breuiter prælibatis, ad narrationis tramitem reuertamur. Post beatissimum denique Arnulfum Metensi Ecclesiæ GOERICVS tricesimus, qui & ABBO vocitatus est, præfuit.

Deinde GONO primus atque tricesimus Episcopalis officij curam gessit.

Quo de mundo excedente, CHLODVLFVS, cuius suprà mentionem fecimus, beati patris Arnulfi genitalis filius, Anschisi quoque, à quo semen propagatum est Regium, germanus, ad Episcopale culmen ob paternæ sanctitatis gloriam tricesimus atque secundus ascendit. De quo nihil ad nos ampliùs, præter quòd à tali radice exortus est, fama perduxit. B

Quo decedente, fidelem populum moderaturus tertius atque tricesimus ABBO ascitus est.

Post quem APTATVS, deinde FELIX gregi feliciter Dominico Pastores extiterunt.

Dehinc SIGIBALDVS generosis ortus natalibus religioso cœtui Antistes effectus est: vir per omnia vtilitatibus Ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum sollertissimus restitutor. Hic de animarum statu sollicitus duo Monasteria condidit: è quibus vnum Elanacum, vel etiam Noua-cella dicitur, alterum quoque Noua-villa vocitatur. Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit: sed ille in æternis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientissimè tolerauit.

IAM hinc vir egregius, & omnibus præconiis efferendus, CHRODEGANGVS Antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre SIGRAMMO, matre LANDRADA Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in Palatio maioris Karoli ab ipso enutritus, eiusdémque Referendarius extitit: ac demum Pippini Regis temporibus Pontificale decus promeruit. Fuit autem omninò clarissimus, omníque nobilitate coruscus, formâ decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quàm etiam Latino sermone imbutus. Seruorum Dei nutritor, orfanorum viduarúmque non solùm altor, sed & clementissimus tutor. Cúmque esset in omnibus locuples, à Pippino Rege omníque Francorum cœtu singulariter electus Romam directus est: Stephanúmque venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad Gallias euocauit. Hic Clerum adunauit, & ad instar Cœnobij intra claustrorum septa conuersari fecit, normámque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent: quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, vt perituris vacare negociis non indigentes, diuinis solummodò officiis excubarent. Ipsúmque Clerum abundanter lege diuina Romanáque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ seruare præcepit. quod vsque ad id tempus in Metensi Ecclesia factum minimè fuit. Hic fabricare iussit, vnà cum adiutorio Pippini Regis, Sedem sancti Stephani protomartyris, & altare ipsius atque cancellos, Presbyterium, arcúsque per gyrum. Similiter & in Ecclesia beati Petri maiore Presbyterium fieri iussit. Construxit etiam ambonem auro argentóque decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipsum altare. Ædificauit præterea Monasterium in parochia beati Stephani in pago Mosellensi in honore beatissimi Petri Apostoli, & ditauit illud opibus magnis, Monachósque ibi constituit, atque sub Regula sancti Patris Benedicti in vna caritate coniunxit. Construxit etiam alterum Monasterium, quod Gorzia vocitatur, vbi pari modo non modicam multitu- C

A multitudinem adunauit Monachorum. Expetiit denique à Paulo Romano Pontifice tria corpora sanctorum Martyrum, id est beati Gorgonij, quod in Gorzia requiescit; & beati Naboris, quod in Hilariaco Monasterio conditum est; & beati Nazarij, quod vltra fluuium Rhenum in Monasterio quod vocatur Lorishaim, ædificata in honorem ipsius Martyris miri decoris Basilicâ, collocauit. Hoc siquidem prædium Chillisuindis * quondam religiosa femina, & Cancro eius filius eidem Chrodegango Antistiti ad partem beati Stephani tradiderant. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in caritate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum. Sed quoniam longum est, bona, quæ gessit, ex ordine retexere, satis sit hæc pauca prælibasse de plurimis. Hic consecrauit Episcopos quamplurimos per diuersas ciuitates, Presbyteros nihilominus ac Diaconos, cæterósque Ecclesiasticos Ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ, in diebus Sabbatorum quaternis Temporibus anni. Rexit Ecclesiam Metensem annis viginti tribus, mensibus quinque, diebus quinque. Obiit pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis. Requiescit in Gorzia Monasterio, quod ipse à fundamentis exstruxit. CAROLVS MAGNVS. * VVillisvvinda.

Hic iam, Pater sanctissime Angilramne, narrationis serie vestram Beatitudinem locus expectat. Sed ego meæ tenuitatis non immemor, attentare minus idoneè non audeo, quæ de vestræ vitæ cursu laudabili maiori stylo promenda sunt.
B

DE REBVS PIPPINI ET CAROLI M. IN ITALIA.

FRAGMENTVM

Ex Libro VI. Historiæ Langobardorum eiusdem Pauli Diaconi.

APVD Regnum Francorum tunc temporis PIPINVS obtinebat Principatum. Fuit autem vir miræ audaciæ, qui hostes suos aggrediendo statim conterebat. Nam supra suum quendam aduersarium Rhenum transgressus, cum vno satellite suo irruit, eúmque in suo cubiculo residentem cum suis trucidauit. Bella quoque multa cum Saxonibus, & maximè cum Ratbodo Frisonum Rege, fortiter gessit. Hic & alios filios habuit, sed ex his KAROLVS præcipuus extitit, qui ei pòst in Principatu successit. CAP. XXXVII.
C

EO stupore gens Sarracenorum in loco, qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, vniuersam Hispaniam inuaserunt. Deinde post decem annos cum vxoribus & paruulis venientes, Aquitaniam Galliæ prouinciam, quasi habitaturi ingressi sunt. CAROLVS siquidem cum EVDONE Aquitaniæ Principe tunc discordiam habebat. Qui tamen in vnum se coniungentes, contra eosdem Sarracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos, trecenta septuaginta quinque millia Sarracenorum interemerunt: ex Francorum verò parte mille & quingenti tantùm ibi ceciderunt. Eudo quoque cum suis super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia deuastauit. XLVI.

CIRCA hæc tempora CAROLVS Princeps Francorum PIPINVM suum filium ad Luitprandum direxit, vt eius iuxta morem capillum susciperet. Qui eius cæsariem incidens, ei pater effectus est, multísque eum ditatum muneribus genitori remisit. LIII.

POST hunc verò (*Ratchisum Regem*) Longobardi germanum eius AISTVLFVM ad Regni gubernacula leuauerũt. Is dum quasdam ciuitates ad iura beati Petri pertinentes, quas ipse inuaserat, reddere noluisset, ad hunc Stephanus Papa, vna cum Imperialib. & Francorũ Missis, Papiam per se veniẽs, nullis ab eo precibus, vt iuri LX.

CAROLVS MAGNVS. Romanę Ecclesię redderentur, valuit obtinere. Hinc cùm ad Gallias peruenisset, A
à PIPPINO Francorum Rege, & eius filiis CARLO & CARLOMANNO, vtpote Vicarius beati Petri Apostoli, honorificè est susceptus. Qui præfatus Rex iterum ad eundem Aistulfum suos Missos dirigens, qui & ipsi nihil impetrantes ad suum dominum sunt reuersi: ac per hoc cum validissima Francorum manu ad Italiam super eum veniens, in Papia per aliquot dies clausum obsedit. Et tunc quod sponte reddere noluit inuitus dimisit. Pippinus verò ad Gallias est reuersus: & Aistulfus post aliquot annorum curricula, dum in quodam loco venandi * operam daret, diuino ictu percussus interiit. (* venatui.)

LXI. TVNC DESIDERIVS quidam Dux Langobardorum, qui ab eodem Aistulfo Tusciæ in partes erat directus, audiens præfatum obisse Aistulfum, illicò aggregans ipsius Tusciæ vniuersam exercitus multitudinem, Regni Langobardorum arripere nisus est fastigium. Huius personam despectui habens Ratchis dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulfi, sed & alij plures Langobardorum optimates, eundem Desiderium spernentes, plura trans-Alpium vel cetera Langobardorum exercituum multitudinem congregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Interea dum vniuersorum consensu Desiderij Regnum firmatum est, Ratchis Palatium gubernabat. Tunc suffragante Papa Stephano ita omnipotens Deus disposuit, vt sine vlla animarum B
periclitatione antefatus Desiderius per iamdicti coangelici iussum * eandem quam ambiebat regalem adsumeret dignitatem. (*cōsensum.)

HIC verò confirmato Regno, cùm iam per annos plures regnasset, imitator factus Aistulfi, abstulit ciuitatem Fauentinam, & Ducatum Ferrariæ, seu Comachium *, de Exarchato Rauennate. Ad quem Adrianus Papa sæpiùs suos Missos direxit, & obsecratorias litteras misit, deprecans eum vt à tantis malis resipisceret, & eas quas abstulerat, ad Sedem Apostolicam redderet ciuitates. Sed nequaquam eius cor lapideum potuit emolliri. Et dum in magna angustia ac tribulatione consisteret, necessitate compulsus direxit suos Missos marino itinere, cum Apostolicis litteris, ad CAROLVM Regem Francorum, deprecans eius Excellentiam, vt sicut genitor eius, ita & ipse sanctæ Romanæ Ecclesiæ subueniret. Quo confestim idem mitissimus Carolus Francorum Rex direxit eidem Desiderio suos Missos, deprecans vt easdem beato Petro Apostolo, quas abstulerat, pacificè redderet ciuitates, promittens insuper ei dare quatuordecim millia solidorum. Sed neque deprecationibus, neque muneribus eius ferocissimum cor flectere valuit. Sed magis cum omni apparatu Langobardorum ad resistendum ei armatus occurrit. At verò Carolus Alpes transiens, cùm Italiam ingredi cœpisset, Langobardi cum Rege suo dimissis propriis tentoriis, fugam omnes generaliter, nemine eos persequente, arripiunt. Ipse verò Desiderius velociori cursu fugiens, Papiam se muniens clausit. Quem Carolus persecutus, eandem ciuitatem ex omni parte G
circumdans vallauit, positisque custodibus, ad persequendum ADELGISVM Desiderij filium Veronam venit. Qui tanti Regis aduentum metuens, post aliquos dies clam fugiens, in portu Pisano nauale iter arripiens, Constantinopolim non reuersurus migrauit. Carolus igitur Papiam reuersus, cùm iam per sex mensium spatia ibidem moraretur, relicta ibi exercitus multitudine ipse magnum habens desiderium orationis, voto Romam ad limina beati Petri Apostoli deuotissimus venit. Reuersúsque Papiam, ipsámque obsidens, fortitérque debellans, eandem ciuitatem, simúlque & Desiderium Langobardorum Regem, atque cunctos qui cum eo erant, comprehendit, suæque potestati subiugauit, dominans Italiam, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXIII. Præfatum verò Desiderium & eius coniugem ad Franciam misit. Finitúmque est Regnum Langobardorum, quod mansit per annos CCVI. postquàm ipsi Italiam intrauerunt. (* Comacchium.)

Huc vsque Paulus Diaconus filum Historiæ suæ deduxit. Quæ sequuntur incogniti Continuatoris in vetustissimo eiusdem Historiæ Codice reperta sunt, & à Marq. Frehero edita.

776. Anno DCCLXXVI. Rotchaus Dux Forojuliensis rebellis occiditur.

781. Anno DCCLXXXI. CAROLVS Rex Romam veniens, ibique baptizatus est filius eius qui vocabatur CARLOMANNVS. Quem Adrianus Papa mutato

A nomine vocauit PIPPINVM, & vnxit Regem super Italiam, fratrémque eius LODOVVICVM super Aquitaniam. CAROLVS MAGNVS.

Anno DCCLXXXVI. Hoc anno multa signa apparuisse dicitur. Signum etiam Crucis in vestimentis hominum apparuit, & sanguinem è terra atque de cœlo profluere, multorum affirmatione innotuit. 786.

Anno DCCLXXXVII. Carolus Rex Romam veniens, in terram Beneuenti profectus est, & Monasterium sancti Benedicti adiit. 787.

Anno DCCLXXXVIII. Idem Rex Tassilonem Baioariæ Ducem de Principatu eiecit. 788.

Anno DCCXCIV. In Galliis in loco qui Franconofurth dicitur, aduersus Elifandum Hispaniarum Toletanæ Sedis Episcopum, & Felicem eius socium, magna Synodus congregata est. Hi asserebant Dei filium adoptiuum, non proprium esse, quam heresim viri sanctissimi Paulinus Aquilegiensis Patriarcha, & Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, seu Alchuinus insulæ Britanniæ Archidiaconus, cum ceteris Episcopis, diuinarum Scripturarum adsertionibus destruentes, proprium eum & non adoptiuum dici sanxerunt. Contra quam heresim Leo tertius Papa congregata Romæ Synodo, multis eam Euangeliorum & sanctorum Patrum testimoniis in perpetuum damnauit. Nam & Paulinus vir miræ scientiæ Patriarcha aduersus hanc nefandissimam heresim B tres Libros luculento sermone composuit. 794.

Anno DCCXCVI. Hunnorum gens, quæ erat vltra Danubium, per PIPPINVM Caroli Regis filium Francorum potestati subiecta deleta est. 796.

Anno DCCXCIX. Leo Apostolicus cùm more solito in Letania, quæ maior appellatur, procederet, Paschalis Primicerius cum Campolo Saccellario, & aliis Romanis, ferino more eum comprehendentes in terram proiecerunt, expoliantésque eum crudeliter eius oculos euellere, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam & lingua eius præcisa, & vt ipsi omninò tunc arbitrati sunt, cæcum eum & mutum in media platea dimiserunt. Qui postea cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium sancti Erasmi in custodiam mitteretur, à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ noctu per murum ciuitatis dimissus est. Et ad Legatos Caroli Magni Regis, qui tunc apud Ecclesiam beati Petri Apostoli erant, VVirundum scilicet Abbatem, & VVinigisum Spoletinum Ducem, veniens, primò Spoletium, deinde ad Franciam est deductus, atque à præfato Rege venerabiliter susceptus, & honorificè Romam remissus est. 799.

Anno DCCC. Carolus sæpè nominatus Rex Romam veniens, & Leo Apostolicus in Ecclesia beati Petri Apostoli coram omnibus amplectens sancta Christi quatuor Euangelia, ascendens in ambonem, contra nefanda crimina, quæ ei à Romanis obiecta fuerant, sub iureiurãdo clara voce dixit: *Quia de falsis criminibus istis, quibus super me imposuerunt Romani, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco.* 800.

Anno DCCCI. Idem Carolus Rex cùm ipsa die Natalis ad Missam ante C Confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romano populo acclamatum est: *Karolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* 801.

Anno DCCCXIV. Carolus Imperator moritur v. Kal. Febr. eodémque anno LODOVVICVS filius eius in eius loco Augustus est appellatus. 814.

Anno DCCCXVIII. Lodouuicus Augustus LOTHARIVM filium suum consortem Regni fecit. BERNARDVS verò Rex Regis Pippini filius rebellis effectus, captus, ad Franciam ductus moritur. 818.

Anno DCCCXXIII. Lotharius Imperator primò ad Italiam venit, & diem sanctum Paschæ Romæ fecit. Paschalis quoque Apostolicus potestatem, quam prisci Imperatores habuerunt, ei super populum Romanum concessit. 823.

Anno DCCCXXV. Lotharius Imperator iterum ad Italiam veniens, Missam sancti Martini Romæ celebrauit. Et hoc est iuramentum, quod Romano Clero & populo ipse & Eugenius Papa facere imperauit. *Promitto ego ille per Deum omnipotentem, & per ista sacra quatuor Euangelia, & per hanc Crucem Domini nostri Iesu Christi, & per corpus beatissimi Petri Principis Apostolorum, quòd ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris Imperatoribus* HLVDOVICO *&* HLOTHARIO, *diebus vitæ meæ, iuxta vires & intellectum meum, sine fraude atque* 825.

malo ingenio, salua fide quam repromisi Domino Apostolico: & quòd non consentiam vt aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis, nisi canonicè & iustè, secundum vires & intellectum meum: & ille, qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat, priusquàm tale sacramentum faciat in præsentia Missi domini Imperatoris & populi, cum iuramento, quale dominus Eugenius Papa sponte pro conseruatione omnium factum habet perscriptum. A

FRAGMENTA ALIA DE REBVS PIPPINI ET CAROLI M. IN ITALIA.

Ex Historia Pontificia Anastasij Bibliothecarij.

742. *In Vita Zachariæ Papæ.*

HVIVS temporibus CAROLOMANNVS filius CARLI Francorum Regis præsentis vitæ relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad beatum Petrum Apostolorum Principem deuotus cum aliquantis suis aduenit fidelibus, seséque eidem Dei contulit Apostolo, atque in spirituali habitu se fore spondens permansurum, Clericatus iugum ab eodem sanctissimo suscepit Pontifice. Et inter alia multa dona obtulit beato Petro Apostolo ante confessionem arcum argenteum maiorem pensantem libras septuaginta. Et post aliquantum temporis ad beati Benedicti, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus est Monasterium, in quo & suam finiri vitam iure professus est iurando. B

752. *In Vita Stephani III.*

* Sequentia non sunt in editis.

*[HVIVS temporibus aduenit HVNALDVS Dux Aquitaniæ ad limina Apostolorum, ibíque se perseueraturum promisit. Qui postmodum diabolica versutiâ fraude deceptus, votum frangens, Langobardos exediens * maligna adhortans: sed sicut meruit lapidibus digna morte finiuit.]

PIPPINVS REX.

Itaque dum isdem sanctissimus vir (Stephanus Pontifex) iam fatum pestiferum Langobardorum Regem immensis vicibus innumerabilia tribuere munera deprecaretur pro gregibus sibi à Deo commissis, & perditis ouibus, scilicet pro vniuerso Exarchatu Rauennæ, atque cuncto istius Italiæ Prouinciæ populo, quos diabolica fraude ipse impius deceperat Rex, & possidebat. Et dum ab eo nihil hac de re obtineret, cernens præterea & ab Imperiali potentia nullum esse subueniendi auxilium: tunc quemadmodum Prædecessores eius beatæ memoriæ domnus Gregorius, & Gregorius alius, & domnus Zacharias, beatissimi Pontifices, CAROLO excellentissimæ memoriæ Regi Francorum direxerunt, petentes sibi subueniri propter oppressiones ac inuasiones, quas & ipsi in hac Romanorum Prouincia à nefanda Langobardorum gente perpessi sunt: ita modò & ipse venerabilis Pater diuina gratiâ inspirante clam per quendam peregrinum suas misit litteras PIPINO Regi Francorum, nimio dolore huic Prouinciæ inhærente conscriptas. Adhuc etiam nec cessauit dirigens, vt suos hîc Romam ipse Francorum Rex mitteret Missos, per quos ad se eum accersiri fecisset. Et dum validè ab eodem Langobardorum Rege ciuitates & Prouincia ista Romanorum opprimerentur, subitò coniunxit Missus iamfati Regis Francorum nomine Rodigangus * Abba, per quem misit in responsis omnem voluntatem ac petitionem prædicti sanctissimi Papæ se adimplere. Et postmodum alios Missos familiares eius coniunxit, ea ipsa annuncians. Cúmque à Langobardis, vt præfatum est, antiqua Romana vrbs & castra vniuersa distringerentur, ita etiam vt Cicanense castellum, quod colonorum sanctæ Dei Ecclesiæ existebat, vsurparet, illicò à regia vrbe coniunxit Iohannes Imperialis Silentiarius cum Missis ipsius sanctissimi Pontificis, deferens secum & quæ deportauerat iniqui Langobardorum Regis Missus, simul & iussionem Imperialem, in qua C

* Drocti-gangus.

A erat insertum, ad Langobardorum Regem eundem sanctissimum Papam esse properaturum ob recipiendam Rauennatium vrbem, & ciuitates ei pertinentes. Pro quo & de præsenti Stephanus Papa direxit ad eundem blasphemum Regem suum Missum, pro sua & qui cum eo iruri erant indemnitate. Ipsóque reuerso, extemplo & Missi iamfati Pipini Regis Francorum coniunxerunt, id est Rodigangus * Episcopus, & Autcharius Dux, quatenus prædictum sanctissimum Papam (iuxta quod perendo miserat) ad suum in Franciam Regem deducerent: quem etiam paratum inuenerant ad prædictum Langobardorum Regem properandum pro recolligendis vniuersis dominicis perditis ouibus. Pippinus Rex. * Chrodegangus.

Itaque vnus ex eisdem Francorum Missis, scilicet Autcharius Dux, quantociùs præcedens Ticino eum præstolatus est. Cùm verò appropinquasset iamfatus beatissimus Papa ad ciuitatem Papiam, direxit ad eum sæpefatus AISTVLFVS nequissimus Rex Missos suos, obtestans eum nulla penitus ratione audere verbum illi dicere petendi Rauennaticam ciuitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipublicæ locis, quæ ipse vel eius prædecessores Langobardorum Reges inuaserant.

Quintadecima die mensis Nouembris prædicta VII. Indictione à ciuitate Papia mouens, suum in Franciam profectus est iter. Et post eius absolutionem adhuc nitebatur suprascriptus malignus Langobardorum Rex à prædicto itinere B eum deuiare. Quod minimè ipsum sanctissimum virum latuit. Vnde & cum nimia celeritate Deo præuio ad Francorum coniunxit clusas. Quas ingressus cum his, qui cum eo erant, confestim laudes omnipotenti Deo reddidit. Et cœptum gradiens iter, ad venerabile Monasterium sancti Christi Martyris Mauricij peruenit. In quo & constitutum erat pariter secum Francorum Regem conueniri. Annuente Domino sospes isdem beatissimus Pontifex cum omnibus qui cum eo erant aduenit. In quo & aliquantis demorantes diebus, ibi Ambrosius Primicerius febre correptus defunctus est. Coniunxerunt se in prædicto venerabili Monasterio Fulradus Abba & Rothardus Dux directi à sæpefato PIPINO excellentissimo Francorum Rege, petentes eundem sanctissimum Pontificem ad suum progredi Regem. Quem cum magno honore cum omnibus, qui cum eo erant, ad eum deduxerunt. Audiens verò isdem Rex eiusdem beatissimi Pontificis aduentum, nimis festinanter in eius aduenit occursum, vnà cum coniuge, filiis etiam, & Primatibus. Pro quo & afferens centum millia, filium suum CAROLVM in occursum ipsius coangelici Papæ direxit cum aliquibus ex suis optimatibus. Ipséque in Palatio suo in loco qui vocatur Ponticone, ad ferè trium millium spacium descendens de equo suo, cum magna humilitate terræ prostratus, vna cum coniuge, filiis, & optimatibus eundem sanctissimum Papam suscepit. Cui & vice stratoris vsque in aliquantum locum iuxta eius sellarem properauit. Tunc prædictus almificus vir cum omnibus suis extensa voce C gloriam & incessabiles laudes omnipotenti Deo referens cum Hymnis & Canticis spiritalibus, vsque ad præfatum Palatium, pariter & cum Rege omnes profecti sunt, sexta Ianuarij mensis die, in Apparitionis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi sacratissima solemnitate. Ibique intus Oratorium pariter consedentes, mox idem beatissimus Papa prædictum Christianissimum Regem lacrymabiliter deprecatus est, vt per pacis fœdera causam beati Petri & Reipublicæ Romanorum disponeret. Qui de præsenti iureiurando eidem beatissimo Papæ satisfecit, omnibus mandatis eius & ammonitionibus sese totis nisibus obaudire: & vt illi placitum fuerit, Exarchatum Rauennæ, & Reipublicæ iura seu loca reddere modis omnibus. Sed quia tempus imminebat hiemale, eundem sanctissimum Papam cum suis omnibus Parisius apud venerabile Monasterium beati Dionysij ad hiemandum pergere curauit. Quo peracto, & eo in eodem venerabili Monasterio cum iam fato Christianissimo PIPINO coniungente, Domino annuente, post aliquantos dies isdem Christianissimus Pipinus Rex ab eodem sanctissimo Papa Christi gratiâ cum duobus filiis suis Reges vncti sunt Francorum.

POSTEA verò beatissimus Papa præ nimio labore itineris, atque temporis inæqualitate fortiter infirmatus est, vt etiam omnes tam sui, quàmque etiam Francorum ibidem existentium homines eum desperarent. Sed Domini Dei

PIPINVS REX. nostri ineffabilis clementia, qui etiam non deserit sperantes in se, saluum cupiens Dominum Christianissimum, dum eum mane mortuum inuenire sperabant, subitò alio die ad sanitatem reuersus est. PIPPINVS verò iamfatus Rex cum ammonitionis gratia, & oratione ipsius venerabilis Pontificis absolutus, ad locum qui Carisiacus appellatur pergens, ibique congregans cunctos Proceres regiæ suæ potestatis, & eos tanti Patris ammonitione imbuens, statuit cum eis, quæ semel Christo fauente vnà cum eodem beatissimo Papa decreuerat, perficere. A

INTEREA nefandissimus Aistulfus CAROLOMANNVM fratrem benignissimi Pipini Regis in Monasterio beati Benedicti, in quo deuotè per euolutum temporis spacium monachicè degebat, diabolicis eum suasionibus suadens, Franciæ prouinciam ad obiciendum atque aduersandum causæ redemptionis sanctæ Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ Romanorum, direxit. Dúmque illuc coniunxisset, nitebarur omninò, & vehementiùs decertabat sanctæ Dei Ecclesiæ causas subuertere, iuxta quod à præfato nec dicendo Aistulfo Tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minimè valuit sui germani Christianissimi PIPINI Regis Francorum in hoc firmissimum cor inclinare. Potiùs autem comperta nequissimi Aistulfi versutiâ, tota se virtute idem excellentissimus Pipinus Francorum Rex professus est decertare pro causa sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut pridem iamfato beatissimo spoponderat Pontifici. Tunc pari consilio idem sanctissimus Papa, cum denominato Francorum Rege consilio inito, iuxta id quòd præfatus Carolomannus Deo se deuouerat monachicam degere vitam, in Monasterio eum illic * in Francia collocauerunt. Vbi & post aliquantos dies diuina vocatione de hac luce migrauit. B

* Viennæ.

PORRO Christianissimus PIPINVS Francorum Rex vt verè beati Petri fidelis, iam fati sanctissimi Pontificis salutiferis obtemperans moniris, direxit suos Missos Aistulfo nequissimo Langobardorum Regi propter pacis fœdera, & proprietatis sanctæ Dei Ecclesiæ, ac Reipublicæ restituenda iura. Atque bis & tertiò, iuxta sæpefati beatissimi Papæ admonitionem eum deprecatus est, & plura ei pollicitus est munera, vt tantummodò pacificè propria restitueret propriis. Sed ille, peccato imminente, obedire distulit. Ad hæc isdem excellentissimus Francorum Rex cernens, quòd atrocissimi Aistulfi nequaquam valeret quoquo modo saxeum mollire cor, generalem contra eum decreuit facere motionem. Et dum iam ferè medium itineris spacium Francorum exercituum gradeientur cunei, rursum ipse sanctissimus vir præfatum benignissimum deprecatus est Pipinum Regem, denuò sæuissimo Aistulfo dirigi Langobardorum Regis, si quomodo potuisset vel serò tandem eius sedare sæuitiam, & propria propriis saluberrimè suaderet reddere, absque humani effusione sanguinis. Et ita factum est. Atque denuò ipse benignissimus Francorum Rex suos eidem Aistulfo misit Missos. Sed & beatissimus isdem Papa, vt verè Pater, & bonus Pastor, ne sanguis effunderetur Christianorum, ammonitionis & obsecrationis Apostolicas ei direxit litteras, per quas, & fortiter per omnia diuina mysteria, & futuri examinis diem coniurans atque obtestans, vt pacificè fine vlla sanguinis effusione, propria sanctæ Dei Ecclesiæ & Reipublicæ Romanorum redderet iura. Sed iniquitate eius obsistente, nequaquam acquiescere voluit. Potiùs autem econtrario minas & indignationes præfato Pontifici, & excellentissimo Pipino Regi, vel cunctis Francis direxit. C

TVNC fisus in omnipotentis Dei misericordia antefatus PIPINVS Francorum Rex, iter suum profectus est: præmittens ante suum occursum aliquos ex suis Proceribus, & cum eis exercituales viros ad custodiendum proprias Francorum clusas. Ibique coniungentes remoti residebant, proprij Regis præstolantes aduentum. [* Audiens itaque suprafatus benignissimus Rex, vna cum eodem sanctissimo Papa, Maurienna in Ecclesia S. Iohannis Præcursoris Domini nostri Iesu Christi atque Baptistæ, ibi deuotissimè Missas celebrandas, eundem Pontificem multis muneribus, sicut ante iamdudum fecerat, tam ipse quámque omnes Proceres sui, iterum adiens, magnificè honorauit. Munera verò, quæ Aistulfo per Missos suos dare promiserat, Deo offerens per manus sanctissimi viri dispensanda, & in eius orationes seipsum commendans, præiam-

* Addita sunt sequentia ex Cod. Ms.

A dictos exercitales subsecutus est] Audiens itaque proteruus ille Aistulfus paruos fuisse Francos illos, qui ad custodiam propriarum aduenerant clusarum, fidens in sua ferocitate *, subitò aperiens clusas, super eos diluculò cum pluribus irruit exercitibus. Sed iustus Iudex Dominus Deus & Saluator noster Iesus Christus victoriam paucissimis illis tribuit Francis. Et multitudinem illam Langobardorum superantes trucidauerunt, ita vt ipse Aistulfus fugâ arreptus vix ab eorum euadere potuisset manibus, nisi vsque in Papiam ciuitatem absque armis fugam arripuisset. In qua & præ timore Francorum cum aliquantis se retrusit. Ipsi verò Franci introeuntes clusas, cunctum fossatum Langobardorum post peractam cædem abstulerunt, spolia multa auferentes. Coniungens verò Christianissimus Pipinus Francorum Rex, sequipes etiam eius & antefatus beatissimus Papa factus, vsque ad muros ciuitatis Papiæ vtrique peruenerunt. Quam & obsidentes, per aliquantos dies viriliter eam Francorum exercitus constrinxerunt. Tunc iamfatus beatissimus & coangelicus Papa Pipinum sæpefatum deprecatus est benignissimum Regem, vt iam amplius malum hoc non prouenirer, neque sanguis effunderetur Christianorum: imminens salutifera prædicatione, vt pacificè causæ finirentur. Ad hæc * Christianissimus Pipinus Francorum Rex eiusdem beatissimi Patris & boni Pastoris audiens & adimplens
B monitionem, Deo dilectam pacem inientes, atque in scripto fœdera pactorum adfirmantes inter Romanos, Francos, & Langobardos, & obsides Langobardorum isdem Francorum Rex abstollens: spopondit ipse Aistulfus cum vniuersis Iudicibus suis sub terribili & fortissimo sacramento, atque in eodem pacti fœdere per scriptam paginam affirmauit, se illicò redditurum ciuitatem Rauennatium, cum aliis diuersis ciuitatibus. Et post hoc facta pace inter Romanos, Francos, & Langobardos, Rex Pipinus obsides Langobardorum secum ducens, in finibus suis rediit. Cúmque ab inuicem essent segregati, solitum in periurij reatum infidelis ille Aistulfus Langobardorum Rex incidens, quod iureiurando promisit reddere distulit. [* Dirigénsque cum eo sæpefatus Christianissimus atque Deo amabilis Rex Francorum Missos suos, fratrémque suum HIERONYMVM, atque alios Proceres suos, cum non paucis hominibus, qui vsque dum Romà reuerteretur, in obsequio eius essent. Dum enim sæpefatus sanctissimus Papa coniungeret Romam, in campum qui vocatur Neronis, ibi inueniens Sacerdotes cum crucibus psallentes, & immensas Domino gratias agentes, similiter & multitudinem promiscuam populorum, turbam tam virorum quámque mulierum clamantium, & dicentium: *Venit Pastor noster, & post Deum salus nostra.*]

POST aliquanta temporum spacia furore vehementi repletus aduersarius ille, & suæ animæ inimicus Aistulfus, Deo sibi contrario, non solùm ea quæ
C promiserat minimè adimpleuit, sed etiam & generalem faciens commotionem, cum vniuerso Regni sui Langobardorum populo contra hanc Romanam aduenit vrbem, quam per trium mensium spacia obsidens, atque ex omni circumdans parte, quotidie fortiter eam expugnabat, omnia quæ erant extra vrbem ferro & igne deuastans, atque funditus demoliens consumpsit. Imminens vehementiùs isdem pestifer Aistulfus, vt hanc Romanam capere potuisset vrbem. Nam & multa corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria * ad magnum animæ suæ detrimentum abstulit. [* Castrum itaque illum Narniensem, quem pridem reddiderat Misso Francorum, à iure beati Petri abstulit.] Hæc itaque impiè ab eodem Aistulfo gesta quantò citiùs sæpedicti Francorum insonuere Regis in auribus. Sed & beatissimus Pontifex per marinum iter suos ordinans, & ad eum Franciam dirigens Missos, vna cum quodam religioso viro VVarnario nomine, qui ab eodem Francorum Rege huc Romam directus fuerat, cuncta quæ gesta sunt, & quæ crudeliter Tyrannus ille peregit Aistulfus, subtili rexertione suis Apostolicis relationibus sæpefato Christianissimo & Dei cultori PIPPINO Francorum intimauit Regi, adiutans eum fortiter firmitérque sub diuina diei iudicij obtestatione, cuncta quæ beato Petro pollicitus est ad implendum. Ad hæc verò Christianissimus Pipinus Rex Francorum feruore fidei motus, iterum cum Dei virtute generalem faciens motionem, in Langobardorum partes coniunxit: & clusas funditus eorumdem euertit Lango-

PIPPINVS REX.

* fortitudine.

* Ad hoc Pipinus Rex audiēs eos paci inhiantes, atque in scripto fœdere pactū promittentes, dixit summo Pontifici: *Fiat secūdum præceptum tuū. beatissime Pater.*

* Ex Cod. Ms.

* cimiteria, *fort.* xymelia.

* Ex Cod. Ms.

PIPPINVS REX. bardorum. Etenim cùm ad prædictas Langobardorum clusas iamfatus Christianissimus Pipinus Francorum appropinquaret Rex, coniunxerunt in hac Romana vrbe Imperiales Missi, Georgius scilicet Protosecreta, & Ioannes Silentiarius, directi ad prædictum Francorum Regem. Quos suscipiens iamfatus beatissimus Papa, eisdem motionem præfati Francorum Regis nunciauit. Quod quidem illi dubium habuerunt credendi. Et adhærens eis Missus Apostolicæ Sedis, eos in Franciam ire absoluit. Et pergentes marino itinere quantociùs Massiliam aduenerunt. In quam ingredientes, didicerunt iam prædictum Francorum Regem Langobardorum fines fuisse ingressum, iuxta adhortationem antefati beatissimi Papæ, & promissionem quam beato Petro iureiurando obtulerat. Et hæc cognoscentes ipsi Imperiales Missi, tristes effecti nitebantur dolosè Missum Apostolicæ Sedis detinere Massiliam, vt minimè ad prædictum properaret Regem, affligentes eum valde. Sed interueniente beato Petro Apostolorum Principe, eorum calida ad nihilum redacta est versutia. Itaque vnus ex ipsis, Georgius videlicet Protosecreta, præcedens Apostolicæ Sedis Missum, celeriter prænominatum Francorum assecutus est Christianissimum Regem: quem & in finibus Langobardorum non procul à Papia reperit ciuitate. Et nimis eum deprecans, atque plura spondens tribui Imperialia munera, vt Rauennatium vrbem, vel ceteras eiusdem Exarchatus ciuitates & castra Imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam valuit firmissimum iamfati Christianissimi atque benignissimi fidelis Dei, & amatoris beati Petri Apostoli, scilicet antefati Pipini Francorum Regis, inclinare cor, vt easdem ciuitates & loca Imperiali tribueret ditioni. Asserens isdem Dei cultor, mitissimus Rex, nulla penitus ratione easdem ciuitates à potestate beati Petri, & iure Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis Apostolicæ Sedis quoquomodo alienari. Affirmans etiam sub iuramento, quòd per nullius hominis fauorem sese certamini sæpiùs dedisset, nisi pro amore beati Petri, & venia delictorum. Asserens & hoc, quòd nulla eum thesauri copia suadere valeret, vt quod semel beato Petro obtulit auferret. Et hæc prædicto Imperiali Misso reddens in responsis, continuò eum ad propria remeandum per aliam viam absoluit. qui & sine effectu Romam coniunxit. A B

DVM verò antefatus benignissimus Francorum Rex PIPINVS Papiam obsidens constringeret ciuitatem, tunc Aistulfus atrocissimus Rex Langobardorum, vt veniam illi tribueret, & ab obsidione cessaret, quas priùs contempserat conscriptas in pacti fœdere reddere ciuitates, se modis omnibus professus est redditurum. Et denuò confirmato anteriore pacto, quod per elapsam octauam Indictionem inter partes prouenerat, restituit ipsas ciuitates prælatas, addens & castrum quod cognominatur Comiaclum. De quibus omnibus receptis ciuitatibus donationem in scriptis beato Petro, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis emisit possidendas: quæ & vsque hactenus in archiuo sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenentur. Ad recipiendas verò ipsas ciuitates misit ipse Christianissimus Francorum Rex suum Consiliarium, id est FVLRADVM venerabilem Abbatem & Presbyterum. Et continuò ipse* Rex feliciter cum suis exercitibus Franciam repedauit. Prænominatus autem Fulradus venerabilis Abba & Presbyter Rauennatium partes cum Missis iamfati Aistulfi Regis coniungens, & per singulas ingrediens ciuitates tam Pentapoleos quàm & Æmiliæ, cásque recipiens, & obsides per vnamquamque auferens, atque Primates secum vnà cum clauibus portarum ciuitatum deferens, Romam coniunxit. Et ipsas claues tam Rauennatium vrbis, quámque diuersarum ciuitatum ipsius Rauennatium Exarchatus, vnà cum suprascripta donatione de eis à suo Rege emissa, in confessione beati Petri ponens, eidem beato Apostolo, & eius Vicario sanctissimo Papæ, atque omnibus eius successoribus Pontificibus, perenniter possidendas atque disponendas tradidit. Id est Rauennam, Ariminum, Pisaurum, Conca, Fanum, Cesenas, Senogallias, Esium, Forum-Pompilij, Forum-Liuij cum castro, Sussubium, Montemfelitri, Acerragio, Montem-Lucati, Serram, Castellum sancti Marini, Bobium, Vrbinum, Callium, Lucolos *, Eugubium, seu Comiaclum, necnon & ciuitatem Narniensem, quæ à Duce Spoletano partibus C

* eius Eximietas.

* Luciolis.

A Romanorum per euoluta annorum spacia fuerat inuasa. PIPPINVS REX.

DVM ergo hæc agerenrur, ipse infelix Aistulfus quodam loco in venationem pergens, diuino ictu percussus, defunctus est. Tunc Desiderius quidam Dux Langobardorum, qui ab eodem nequissimo Aistulfo Tusciæ in partes erat directus, audiens præfarum obiisse Aistulfum, illicò aggregans ipsius Tusciæ vniuersam exercitus multitudinem, Regni Langobardorum arripere nisus est fastigium. Cuius personam despectui habens Rarchis dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulfi, sed & alij plures Langobardorum Optimates, cum eo eundem Desiderium spernentes, plurimam trans-Alpium, vel ceteram Langobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Ad hæc præfarus Desiderius obnixè præfatum beatissimum Ponrificem deprecatus est, sibi auxilium ferre, quatenus ipsam Regalem valeret assumere dignitatem: spondens iureiurando omnem præfati beatissimi Pontificis adimplere volunratem. Insuper & Reipublicæ se redditurum professus est ciuitates quæ remanserant; immò & copiosa daturum munera. Tunc isdem præcipuus Pater & bonus Pastor, inito consilio cum sæpefaro Fulrado venerabili Presbytero & Abbate, atque Consiliario Christianissimi Pipini Francorum Regis, misit suum germanum, Paulum scilicet Diaconem, atque Christophorum Consiliarium, vnà cum præfaro Fulrado, in B partes Tusciæ ad prædictum Desiderium. Cum quo loquentes, confestim per scriptam paginam terribili iuramento isdem Desiderius cunctam professus est superiùs annexam sponsionem adimplere. Post hæc verò peracta, statim suum Missum, id est Stephanum venerabilem Presbyterum, & Apostolicas exhortatorias litteras, præfato Rarchiso vel cunctæ genti Langobardorum direxit. Properans & prædictus Fulradus venerabilis cum aliquantis Francis in auxilium ipsius Desiderij: sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exigeret, in eius disposuit occurri adiutorium. Et suffragantibus prædicti sanctissimi Pontificis Deo acceptis precibus, ira omnipotens Dominus disposuit, vt sine vlla animarum periclitatione antefarus Desiderius per iamdicti euangelici Papæ concursum eandem, quam ambiebat, adsumeret Regalem dignitatem.
Qui (beatiss. Papa Stephanus) fecit ordinationem vnam per mensem Martium Presbyteros XI. Diaconos II. Episcopos per diuersa loca numero XX. [* Et dum in Francia esset positus, RODIGANGO sanctissimo viro Episcopo pallium tribuit, & Archiepiscopum ordinauit.] * Ex Cod. Ms.

In Vita Stephani IV. 768.

ITAQVE in exordio ordinationis suæ, quo isdem sanctissimus Præsul Pontificatus apicem assumpsit, direxit Franciæ partibus ad excellentissimos viros C PIPINVM, CAROLVM, & CAROLOMANNVM, Reges Francorum, & Patricios Romanorum, Sergium Secundicerium, Nomenculatorem illo in tempore existentem: deprecans atque adhortans eorum præcellentiam per suas Apostolicas litteras, vt aliquantos Episcopos gnaros, & in omnibus diuinis Scripturis atque sanctorum Canonum institutionibus eruditos, ac peritissimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana vrbe Concilium pro impia noui erroris ac temeritatis præsumptione, quam Constantinus Apostolicæ Sedis peruasor ausus est perpetrare. Et propetanre antedicto Sergio ad Francorum regiones, iam inuenit de hac luce migrasse Christianissimum Pipinum Regem. Et cœptum gradiens iter, peruenit ad eius filios antedictos Carolum & Carolomannum germanos fratres, Reges Francorum, & Patricios Romanorum. Quibus Apostolicas tribuens litteras, benignè ab eis susceptus est: & dignam illi impendenres humaniratem, euncta nihilominus, pro quibus missus est, ab eorum Excellentia impetrauit. Dirigentes scilicet ipsi Christianissimi Reges duodecim Episcopos ex eisdem Francorum regionibus multum diuinis Scripturis & sanctorum Canonum ceremoniis doctos, ac probatissimos viros, scilicet...... Eisque in hanc Romanam vrbem coniungentibus mense Aprile, Indictione VII. protinus antedictus Stephanus sanctissimus Papa aggregans diuersos Episcopos Tusciæ atque Campaniæ, & aliquantos istius Italiæ Prouinciæ.

CAROLVS MAGNVS. Quibus omnibus congregatis, Concilium peractum est in Basilica Saluatoris Domini nostri Iesu Christi iuxta Lateranense Palatium. A

772. *In Vita Hadriani I.*

In ipsis verò diebus contigit vxorem & filios quondam CAROLOMANNI Regis Francorum ad eundem Regem Langobardorum fugam arripuisse cum Autchario. Et nitebatur ipse Desiderius, atque inhianter decertabat, quatenus ipsi filij eiusdem Carolomanni Regnum Francorum assumpsissent. Et ob hoc ipsum sanctissimum Præsulem (Hadrianum) ad se properandum seducere conabatur, vt ipsos antefati Carolomanni filios Reges vngeret: cupiens diuisionem in Regno Francorum immittere, ipsúmque beatissimum Pontificem à caritate & dilectione excellentissimi CAROLI Regis Francorum, & Patricij Romanorum separare: & Romanam vrbem, cunctámque Italiam sui Regni Langobardorum potestati subiugare. Sed fauente Deo, hoc nullo modo potuit impetrare: quoniam sicut lapis adamans ita firmus atque fortissimus in corde suo antefatus beatissimus Hadrianus extitit Pontifex.

Permanens in sua iniquitate (Desiderius Rex) multa ciuitatibus ac finibus Romanorum inferre faciebat ex omni parte mala, magnas comminationes dirigens eidem præcipuo Pontifici, se cum vniuersis Langobardorum exercitibus properaturum ad Romanam ciuitatem constringendam. Pro quo nimio fletu ipse sanctissimus Pontifex cum suo populo positus, portas ciuitatis Romanæ claudi iussit, & alias ex eis fabricari fecit. Et dum in magna angustia ac tribulatione consisteret, necessitate compulsus direxit suos Missos marino itinere cum Apostolicis literis ad excellentissimum CAROLVM à Deo protectum Regem Francorum, & Patricium Romanorum. Deprecans eius Excellentiam, vt sicut suus pater sanctæ memoriæ Pipinus, & ipse succurreret, atque subueniret sanctæ Dei Ecclesiæ, & afflictæ Romanorum seu Exarchatus Rauennatium prouinciæ, atque plenarias beati Petri iustitias, & abstultas ciuitates ab eodem Desiderio Rege exigeret. At verò dum per nullam occasionis versutiam potuisset isdem malignus Desiderius persuadere antefatum sanctissimum Pontificem ad se eum deducendum, vt antefati Carolomanni filios Reges vnxisset, & ipsum almificum Pontificem à caritate & dilectione sæpefati Christianissimi Caroli Magni Regis separare voluisset: tunc pertinacia & audacia egressus à suo Palatio cum Adalgiso proprio filio, & exercitu Langobardorum, deferens secum & vxorem & filios sæpedicti quondam Carolomanni, necnon & Autcharium, qui ad eum, vt dictum est, fugam arripuerant, hic Romam properare nitebatur, sine scientia antedicti Pontificis, dirigens suos Missos, scilicet prænominarum Andream Referendarium, & alios duos ex suis Iudicibus, eius aduenrum denunciantes. Quibus Romam coniungentibus, præsentatisque Apostolicis obrutibus, tale eis reddidit responsum: Quòd nisi, vt iam ille promisit, reddiderit beato Petro ciuitates illas, quas sub meo tempore abstulit, & plenariam patri nostræ fecerit iustitiam, nullo modo sit illi necesse fatigationem* sumendi, quia minimè fieri potest, me priùs cum illo præsentari. B C

* fatigium

Post hæc coniunxerunt ad Sedem Apostolicam Missi sæpiùs dicti CAROLI excellentissimi Regis Francorum, & Patricij Romanorum, id est Georgius sanctissimus Episcopus, VVlfardus religiosus Abba & Consiliarius, seu Albinus deliciosus ipsius Regis: inquirentes, si præfatus Langobardorum Rex abstultas ciuitates & omnes iustitias beati Petri reddidisset, sicut falsò in Franciam dirigebat, asserens se omnia reddidisse. Et satisfacti sunt præsentialiter, nihil ab eo redditum fuisse. Quibus referens isdem præcipuus Pontifex cuncta quæ gesta erant, eos in Franciam absoluit remeandos: dirigens cum eo suos Missos ad præfatum excellentissimum Francorum Regem cum Apostolicis ammonitionum syllabis. Adiurans eum fortiter, vt ea quæ beato Petro cum suo genitore sanctæ memoriæ Pipino Rege pollicitus est adimpleret, & redemptionem sanctæ Dei Ecclesiæ perficeret, seu vniuersa quæ abstulta sunt à perfido Langobardorum Rege, tam ciuitates quàm reliquas iustitias sine certamine reddere beato Petro Principi Apostolorum fecisset. Ipsi itaque Francorum Missi properantes cum Apostolicæ Sedis Missis declinauerunt ad prænominatum Desi-

A derium. Qui & constanter eum deprecantes adhortati sunt, sicut illis à suo Rege præceptum exritit, vt antefatas quas abstulerat ciuitates pacificè beato Petro redderet, & iustitias parti Romanorum faceret. Sed minimè quicquam horum apud eum obtinere valuerunt, asserens se minimè quicquam redditurum. Accepto itaque hoc responso, reuersi sunt ipsi antefati Missi Francorum in regionem suam. Properantes simul & Apostolicæ Sedis Missi. Qui subtiliùs cuncta referentes, & de maligno proposito prænominati Desiderij annunciantes antefato excellentissimo & à Deo protecto Carolo Magno Regi, confestim isdem mitissimus & re vera Christianissimus Carolus Francorum Rex direxit eidem Desiderio suos Missos, deprecans vt easdem quas abstulerat pacificè redderet ciuitates, & plenarias parti Romanorum faceret iustitias. Promittens insuper ei tribui quatuordecim millia auri solidorum, quantitatem in auro & argento. Sed neque deprecationibus, neque muneribus, eius ferocissimum cor flectere valuit. Nihil enim obtinentes ipsi Missi Francorum, ad præfatum suum Christianissimum regressi sunt Regem. CAROLVS MAGNVS.

TVNC aggregans ipse à Deo profectus CAROLVS Magnus Rex vniuersam Regni sui Francorum exercituum multitudinem, atque ad occupandas clusas ex eodem suo exercitu dirigens, ipse quoque cum plurimis fortissimis bellatoribus Francis per montem Cinisium ad easdem adpropinquauit clusas, & remotus in finibus Francorum cum suis exercitibus resedit. Iamdictus verò Desiderius, & vniuersa Langobardorum exercituum multitudo ad resistendum fortiter in ipsis clusis assistebant: quas fabricis, & diuersis maceriis curiosè munire nisi sunt. At verò qua horâ prænominatus Christianissimus Francorum Rex ad easdem approximauit clusas, illicò denuò suos Missos ad præfatum direxit Desiderium: deprecans sicut pridem, vt quantitatem prædictorum solidorum susciperet Rex, & easdem pacificè redderet ciuitates. Sed nequaquam penitus acquiescere maluit. Et dum in tanta duritia proteruus ipse permaneret Desiderius Rex, cupiens antedictus Christianissimus Francorum Rex pacificè iustitias sancti Petri recipere, direxit eidem Langobardorum Regi, vt solummodò tres obsides Langobardorum Iudicum filios illi tradidisset pro ipsis restituendis ciuitatibus & continuò sine vlla inferta militia, aut commisso prælio, ad propria cum suis Francorum exercitibus reuerteretur. Sed neque sic valuit eius malignam mentem flectere. Vnde omnipotens Deus conspiciens ipsius maligni Desiderij iniquam perfidiam, atque intolerabilem proteruiam, dum vellent Franci alio die ad propria reuerti, misit terrorem & validam trepidationem in cor eius, vel filij ipsius, Adalgisi scilicet, & vniuersorum Langobardorum: & eadem nocte dimissis propriis tentoriis, atque omne supellectile, fugam omnes generaliter nemine eos persequente arripuerunt. Quod cernentes exercitus Francorum, persecuti sunt eos, & plures ex eis interfecerunt. Ipse verò Desiderius quantociùs cum suis Iudicibus velociori cursu fugiens, atque Papiam coniungens, ibidem se cum suis Iudicibus & multitudine populi Langobardorum recludi studuit. Et muniens muros ipsius ciuitatis ad resistendum Francorum exercitibus, & propriam defendendum ciuitatem, cum suis Langobardis se præparauit. Adalgisus verò eius filius assumens secum Autcharium Francum, & vxorem atque filios sæpedicti Carolomanni, in ciuitatem, quæ Verona nuncupatur, pro eo quòd fertissima præ omnibus ciuitatibus Langobardorum esse videretur, ingressus est.

AT verò sæpefatus Christianissimus CAROLVS Francorum Rex mouens cum suis generalibus exercitibus, atque Papiam coniungens ciuitatem, eam ex omni parte circundans vallauit, dirigensque continuò in Franciam, ibidem apud se Papiam adduci fecit suam coniugem excellentissimam HILDIGARDAM Reginam, & nobilissimos filios. Et dum agnouisset fugam arripuisse in Veronam prænominatum Adalgisum, relinquens plurimam partem ex suis exercitibus Papiæ, ipse quoque cum aliquantis fortissimis Francis in eandem Veronam properauit ciuitatem. Et dum illuc coniunxisset, protinus Autcharius, & vxor atque filij sæpiùs nominati Carolomanni propria voluntate eidem benignissimo Carolo Regi se tradiderunt. Eósque recipiens, eius Excellentia denuò repedauit Papiam. Qui confestim dirigens cuneos exercituum bellatorum, comprehendit

CAROLVS MAGNVS.

diuersas ciuitates Langobardorum vltra Padum constitutas, suæque redegit potestati. Et dum per sex mensium spacium ipse Francorum Rex Papiæ demoraretur in obsessione ipsius ciuitatis, magnum desiderium habens ad lumina Apostolorum properandi, considerans quòd & sacratissima Paschalis festiuitas appropinquasset; tunc abstollens secum diuersos Episcopos, Abbates etiam & Iudices, Duces nempe & Graphiones, cum pluribus exercitibus hic Romam per Tusciæ partes properauit: ita festinanter aduenien s; vt in ipso Sabbato sancto se liminibus præsentaret Apostolicis. Cuius aduentum audiens antedictus beatissimus Hadrianus Papa, quòd sic repentè ipse Francorum aduenisset Rex, in magno stupore & extasi deductus, direxit in eius occursum vniuersos Iudices ad ferè triginta millia ab hac Romana vrbe in locum qui vocatur Nouas, vbi eum cum bandora susceperunt. Et dum adpropinquasset ferè vnius milliario à Romana vrbe, direxit vniuersas Scholas Militiæ, vna cum patronis, simúlque & pueris qui ad discendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque oliuarum, laudésque omnes canentes, cum acclamationum earumdem laudum vocibus ipsum Francorum susceperunt Regem. Obuiam illi eius Sanctitas dirigens venerandas cruces, id est signa, sicut mos est ad Exarchum aut Patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse verò à Deo institutus benignissimus Carolus Magnus Francorum Rex, & Patricius Romanorum, qua hora easdem sacratissimas cruces ac signa sibi obuiam aduenisse conspexit, descendens de eo quo sedebat equo, ita cum suis Iudicibus ad beatum Petrum pedestris properare studuit. Qui quidem almificus antedictus Pontifex diluculo surgens in eodem Sabbato sancto, cum vniuerso Clero, & populo Romano, ad beatum Petrum properauit, ad suscipiendum eundem Francorum Regem, & in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ eum cum Clero suo præstolauit.

CONIVNGENTE verò eodem excellentissimo ac benignissimo CAROLO Rege, omnes gradus sigillatim eiusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita vsque ad prænominatum peruenit Pontificem. Vbi in atrio supra gradus iuxta fores Ecclesiæ adsistebat. Eóque suscepto, mutuò se amplectentes, tenuit isdem Christianissimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis. Et ita in eandem venerandam Aulam beati Petri Principis Apostolorum ingressi sunt, laudem Deo, & eius Excellentiæ decantantes, vniuersus Clerus, & cuncti religiosi Dei famuli extensa voce adclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. sicque cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex, simúlque & omnes Episcopi, Abbates, & Iudices, & vniuersi Franci, qui cum eo aduenerant, ad confessionem beati Petri adpropinquantes, seséque proni ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi propria reddiderunt vota, glorificantes diuinam potentiam in eo, quòd talem eis per interuentionum suffragia eiusdem Principis Apostolorum concedere iussit victoriam. Expleta verò eadem oratione, obnixè deprecatus est isdem Francorum Rex antedictum almificum Pontificem, illi licentiam tribui Romam ingrediendi, ad sua orationum vota per diuersas Dei Ecclesias persoluenda. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri, tam ipse sanctissimus Papa quámque antefatus excellentissimus Francorum Rex, cum Iudicibus Romanorum & Francorum, seséque mutuò per sacramentum munientes, ingressus est Romam continuò cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex cum suis Iudicibus & populo in eodem Sabbato sancto. Et in Basilica Saluatoris iuxta Lateranis pariter ingressi ibidem ipse excellentissimus Rex cum omnibus suis, quousque sacrosancti baptismatis sacramentum antedictus ter beatissimus Pontifex celebrauit. Et ita postmodum ad beatum Petrum ipse benignissimus repedauit Rex.

ALIO verò die inlucescente Dominico sancto, in ipsa sacratissima Paschali festiuitate, direxit diluculò ipse sanctissimus Præsul cunctos Iudices, & vniuersa obsequia Militiæ ad eundem Regem: & cum magno honore eum suscipientes in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis, ad Præsepe properauit cum omnibus qui cum eo aduenerant Francis. Et post Missarum solemnia celebrata, perrexit cum prænominato Pontifice in Lateranense Patriarchium, illicque ad mensam Apostolicam

A stolicam pariter epulati sunt. Alio verò die secunda feria simili modo in Ecclesia beati Petri more solito ipse conspicuus Pater & egregius Pontifex Missarum solemnia celebrans, Deo omnipotenti, & præfato CAROLO excellentissimo Regi Francorum, & Patricio Romanorum, laudes reddere fecit. Tertia verò feria, iuxta vt mos est, in Ecclesia beati Pauli Apostoli Missas eidem Regi fecit. At verò quarta feria egressus prænominatus Pontifex cum suis Iudicibus, tam Cleri quámque Militiæ, in Ecclesia beati Petri Apostoli, pariterque cum eodem Rege se ad loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit, & paterno affectu adhortari studuit, vt promissionem illam, quam eius sanctæ memoriæ genitor PIPINVS quondam Rex, & ipse præcellentissimus CAROLVS cum suo germano Carolomanno, atq; omnibus Iudicibus Francis, fecerant beato Petro, & eius Vicario sanctæ memoriæ domno Stephano iuniori Papæ, quãdo Franciam perrexit, pro concedendis diuersis ciuitatibus ac territoriis istius Italiæ prouinciæ, & contradendis beato Petro, eiúsque omnibus Vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cúmque ipsam promissionem, quæ in Francia, in loco qui vocatur Carisiacus, facta est, sibi relegi fecisset, complacuit illi, & eius Iudicibus omnia quæ ibidem erãt adnexa, & propria voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus, & re vera Christianissimus Carolus Francorũ Rex ascribi iussit per Etherium * religiosum ac prudentissimum Capellanum Notarium suum, vbi concessit *Itherium*

B easdem ciuitates & territoria beato Petro, eásque præfato Pontifici contradi spopondit per designationem confinium, sicut in eadem donatione contineri monstratur: id est à Lunis * cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte *Alunis* Bardono, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & exinde in Mantua, atque monte Silicis, simúlque & vniuersum Exarchatum Rauennatium sicut antiquitus erat, atque prouincias Venetiarum, & Histriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletanum, seu Beneuentanum. Factáque eadem donatione, & propria sua manu eam ipse Christianissimus Francorum Rex corroborans, vniuersos Episcopos, Abbates, Duces etiam & Graphiones in ea adscribi * fecit. Quam *eam subscribere* priùs super altare beati Petri, & postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum Rex, quámq; eius Iudices, beato Petro, & eius Vicario sanctissimo Hadriano Papæ, sub terribili sacramento sese omnia conseruaturos, quæ in eadem donatione continentur, promittentes, tradiderunt. Apparem verò ipsius donationis per eundem Etherium adscribi faciens ipse Christianissimus Rex Francorum, intus super corpus beati Petri subtus Euangelia, quæ ibidem osculantur, pro firmissima cautela, & æterna nominis sui ac Regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliáque eiusdem donationis exempla per Seriniarium huius sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta eius Excellentia secum deportauit. Reuersúsque cum suis exercitibus Ticinum ipse excellentissimus Francorum Rex, fortitérque debellans atque obsidens ciuitatem Papiam,

C dum ira Dei super omnes Langobardos, qui in eadem ciuitate erant, grassaretur atque sæuiret, & plures de languoribus seu mortalitatis clade defecissent, ita Dei nutu eandem ciuitatem, simúlque & Desiderium Langobardorum Regem, atque cunctos qui cum eo erant, ipse excellentissimus Francorum Rex comprehendit, & suæ potestati cunctum Regnum Langobardorum subiugauit. Præfatum verò Desiderium Langobardorum Regem, & eius coniugem, secum in Franciam deportauit.

In Vita Leonis III.

DVM prædictus venerabilis Pontifex (Leo) à Patriarchio egressus fuisset, 795. obuiam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens, quia *infirmus sum, & ideò sine planeta veni.* Tunc sanctissimus Præsul veniam illi dedit. Similiter & Campulus Sacellarius in ipsorum dolositate pariter in Pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba quæ non habebant in pectore cum eo loquentes, maligni etiam & iniqui, ac peruersi, falsíque Christiani, prorsus pagani, filij diaboli, in vnum se sathanicè colligentes, pleni iniqua cogitatione, in ipso itinere ante Monasterium sanctorum Stephani & Siluestri, quod domnus Paulus Papa fundauerat, clam armati adstitere: atque repentè de loco insidiarum exilientes, ad ipsum

CAROLVS MAGNVS. (quod dictu nefas est) impiè trucidandum absque vlla reuerentia confluxerunt, A Paschale ad caput stante, & Campulo ad pedes, secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis qui circa eum erat populus, videlicet inermis, & in Dei officio præparans, timore armorum perterritus in fugam conuersus est. Ipsi verò insidiatores atque operatores malorum Iudaico more, sine vllo diuino vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum proiecerunt, & absque vlla misericordia scindendo exspoliantes eum, crudeliter oculos ei euellere, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam lingua eius præcisa est, & vt ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum & mutum in media platea dimiserunt. Verùm ipsi maligni Paschalis & Campulus, sicut veri pagani & impij, ad ipsius Monasterij Ecclesiam ante confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos & linguam ampliùs crudeliter eruerunt, & plagis eum diuersis & fustibus cædentes, laniauerunt, & semiuiuum in sanguine reuolutum ante ipsum altare dimiserunt. Postmodum verò sub custodia in ipso Monasterio dimiserunt.

Et vt ostenderet omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam, & magnum miraculum, diuino nutu eius à cunctis fidelibus Christianis viris, videlicet per Albinum Cubicularium, cum aliis fidelibus Deum metuentibus, ex ipso eum claustro occultè abstollentes, in Basilicam beati Petri Apostolorum Principis, vbi & eius sacratissimum corpus quiescit, deduxerunt, &c. Et B verè à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit, & totis eum solidauit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortauit. Et quantum gaudium habuerunt Christiani homines & fideles, tantùm mœrore & tristitiâ angustiati illi nesciebant quid agerent, & in periculo se esse existimantes, quærebant semetipsos interficere. Et dum non inuenirent quod aliud agerent, domum Albini fidelis beati Petri Apostoli & eiusdem Pontificis depredantes destruxerunt, & in ipsam beati Petri Apostoli aulam coniungente præfato Pontifice, confestim VVinichis gloriosus Dux Spoletanus cum suo exercitu obuiauit ei. Et cùm summum Pontificem videntem & loquentem conspexisset, venerabiliter eum recipiens, Spoletum deduxit, glorificans & laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificauit. Quo audito, per diuersas ciuitates Romanorum fideles ad eum occurrerunt, & pariter cum aliquibus ex ipsis ciuitatibus Episcopis, Presbyteris, seu Clericis Romanis & Primatibus ciuitatum, ad excellentissimum domnum CAROLVM Regem Francorum & Langobardorum, atque Patricium Romanorum, profectus est. Ipse verò Christianissimus, & orthodoxus, atque præcipuus clementissimúsque Rex, ilicò vt audiuit, misit in obuiam eius Hildebaldum Archiepiscopum & Capellanum, & Ascharium Comitem. Et postmodum proprium filium suum PIPINVM excellentissimum Regem cum aliis Comitibus obuiam eius iterum, & vsque vbi ipse magnus Rex obuiauit, & sicut Vicarium beati Petri Apostoli venerabiliter & honorificè cum Hymnis & Canticis spiritalibus eum suscepit. & pariter se amplectentes cum lacrimis se osculati sunt. Et prædicto Pontifice, *Gloria in excelsis Deo*, inchoante, & cuncto Clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc benignissimus domnus CAROLVS Magnus Rex ante dictum Pontificem conspiciens gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia Principum Apostolorum Petri ac Pauli operatus est, & ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit. C

Qvi dum in magno honore apud se per aliquantum temporis eum ipse serenissimus Rex habuisset, hæc præfati iniqui & filij diaboli audientes, post dira & iniqua incendia, quæ in possessionibus seu rebus beati Petri Apostoli gesserunt, moliti sunt, Deo illis contrario, falsa aduersus sanctissimum Pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere Regem. quod probare nequaquam potuissent. Quia per insidias & iniquitates eorum talia nec dicenda, sanctam Ecclesiam humiliare volentes, proferebant. Sed dum ad prædictum clementissimum magnum Regem præfatus Pontifex in magno & condecenti honore degeret, ex omni parte ibidem tam Archiepiscopis quàm Episcopis, & ceteris Sacerdotibus venientibus, vna cum filio eiusdem piissimi magni Regis, omnibúsque eximiis Francis, Deo præuio Romam illum remeare in suam Apostolicam Sedem hono-

A nificè cum nimio vt decuit emiserunt honore. Qui per vnamquamque ciuitatem tanquam ipsum suscipientes Apostolum, vsque Romam deduxerunt. Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes Pastorem, omnes generaliter in vigilia beati Andreæ Apostoli, tam proceres Clericorum cum omnibus Clericis, quàmque Optimates, & Senatus, cunctáque militia, & vniuersus populus Romanus, cum Sanctimonialibus, & Diaconissis, & nobilissimis matronis, seu vniuersis feminis, simul etiam & cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Fr̃acorum, Frisonum, Saxonum, atque Langobardorum, simul omnes connexi ad Pontem Miluium, cum signis, & bandis, & canticis spiritalibus susceperunt, & in Ecclesiam beati Petri Apostoli eum deduxerunt, vbi & Missarum solemnia celebrauit. Et omnes communiter corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi fideliter participati sunt. Et alia die secundum olitanam consuetudinem Natale beati Andreæ Apostoli celebrantes, Romam intrans, cum multo gaudio & lætitia in Patriarchium Lateranense introiuit. CAROLVS MAGNVS.

ET post aliquantos dies fidelissimis Missis, qui cum eo venerunt in Pontificale obsequium, videlicet Hildebaldo & Arno reuerendissimis Archiepiscopis, & Cuniberto, Bernhardo, Attone, & Iesse, reuerendissimis & sanctissimis Episcopis, necnon & Flacco * electo Episcopo, verumetiam Helingoth, Rothegario *, & Germano, gloriosis Comitibus, residentibus in triclinio ipsius domni Leonis Papæ, & per vnam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam ad ipsum Pontificem habuissent, tam Paschalis quàmque Campulus cum sequacibus eorum, nihil habuerunt aduersus eum quod dicerent. Tunc illos comprehendentes prædicti Missi magni Regis, emiserunt eos in Franciam. Qui post modicum tempus ipse magnus Rex dum in Basilica beati Petri Apostoli coniunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eadem Ecclesia congregari Archiepiscopos, sed & Episcopos, Abbates, & omnem Nobilitatem Francorum, atque inclytos Romanorum. Et sedentes pariter tam magnus Rex, quàm beatissimus Pontifex, fecerunt residere & sanctissimos Archiepiscopos, seu Episcopos & Abbates, stantibus reliquis Sacerdotibus & Optimatibus Francorum & Romanorum, vt crimina quæ aduersus almum Pontificem dicta fuerant delimarent. Qui vniuersi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates, vnanimiter audientes, dixerunt: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus.* Venerabilis verò Præsul inquit: *Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.* Alia verò die in eadem Ecclesia beati Petri A[illegible] & stoli cùm omnes adessent generaliter Archiepiscopi, seu Episcopi, & A[illegible] Romani in omnes Franci, qui in seruicio eiusdem magni Regis fuerunt, & [illegible]ens præfatus venerabilis Pontifex sancta Christi quatuor Euange[illegible] [illegible]am omnibus ascendit in ambonem, & sub iureiurando clara voce di[illegible] *Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui [illegible] me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco.* Et h[illegible] facto, omnes Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & cuncti Cleri[illegible] [l]etaniâ facta laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici, sempérque virgini Mariæ Dominæ nostræ, & beato Petro Apostolorum Principi, omnibúsque Sanctis Dei. * Erslaico * Rottecario & Germano. B C

POST hæc adueniente die Natali Domini nostri Iesu Christi, in iamdicta Basilica beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt. Et tunc venerabilis & almificus Pontifex manibus suis propriis preciosissima coronâ coronauit CAROLVM Magnum. Tunc vniuersi fideles Romani videntes tantam defensionem, & dilectionem, quam erga sanctam Romanam Ecclesiam & eius Vicarium habuit, vnanimiter altisona voce, Dei nutu, atque beati Petri Clauigeri Regni cœlorum exclamauerunt: CAROLO PIISSIMO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO IMPERATORI, VITA ET VICTORIA. Ante sacram confessionem beati Petri Apostoli plures Sanctos inuocantes, ter dictum est; & ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Ilicò sanctissimus Antistes & Pontifex vnxit oleo sancto Carolum, & excellentissimum filium eius Re-

CAROLVS MAGNVS. gem in ipso die Natalis Domini nostri Iesu Christi. Et Missâ peracta, post celebrationem Missarum obtulit ipse serenissimus domnus Imperator mensam argenteam cum pedibus suis pen. lib....... Sed & in confessione eiusdem Dei Apostoli obtulit, vnâ cum præcellentissimo filio suo Rege & filiabus, diuersa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensæ pen. lib..... Sed & coronam auream cum gemmis maioribus, quæ pendet super altare, pen. libras LV. Et patenam auream maiorem cum gemmis diuersis pen. lib. XXX. Et calicem maiorem cum gemmis, & ansis duabus, pen. lib. LVIII. Item calicem maiorem fundatum cum scyphone pen. lib. XXXVII. Immò & alium calicem maiorem fundatum pen. lib. XXXVI. Obtulit & super sacratissimum altare beati Petri Apostoli, immò & in Basilica beati Pauli Apostoli, mensam argenteam minorem cum pedibus suis pen. lib. LV. cum diuersis vasis argenteis mitæ magnitudinis, quæ ad vsum ipsius mensæ pertinent. Item in Basilica Saluatoris Domini nostri Iesu, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in Letania præcedere constituit secundum petitionem ipsius piissimi Imperatoris. Immò & altare cum columnis argenteis, & ciborio. Vetumeriam & Euangelium cum buttuo ex auro mundissimo in gemmis ornatum, pen. lib..... Item & in Basilica beatæ Dei genitricis Mariæ ad Præsepe obtulit sicla argentea maiora pen. lib...... A

POSTMODVM verò dum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo, & sequaces eorum, in præsentia piissimi domni Imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis & Romanis, & omnibus exprobrantibus de malis ipsorum consiliis & operationibus; increpabat Campulus Paschalem, dicendo: *Mala hora faciem tuam vidi, eò quòd tu me misisti in istud periculum.* Et ceteri similiter vnus alterum condemnans manifestabant suos ipsorum reatus. Quos dum tam crudeles & iniquos piissimus Imperator cognouisset, in exilium in partibus Franciæ misit. B

DE REBVS CAROLI M. REGIS CVM HVNIS ET SLAVIS SEV BOIARIIS,

FRAGMENTVM

Ex Historia de Conuersione Boiorum & Carentanorum ad fidem Christianam, quæ circa annum DCCCLVIII. *scripta est.*

IGITVR CAROLVS Imperator anno Natiuitatis Domini DCCXVI. ERICVM Comitem de... & cum eo immensam multitudinem, Hunnos exterminare. Qui minime re...ntes, reddiderunt se per præfatum Comitem Carolo Imperatori. Eodem ergo an... misit Carolus PIPINVM filium suum in Hunniam cum exercitu multo. Qui perue... vsque ad celebrem eorum locum, qui dicitur Rinch, ibi iterum omnes eorum Prin...es se dediderunt Pipino. Qui inde reuertens, partem Pannoniæ circa locum Pelessæ ...rioris, vltra fluuium qui dicitur Rapa, & sic vsque ad Dranum * fluuium, & eò vsque ... Dranus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, prænominauit cum doctrina & Ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunnis & Slauis in illis partibus, Arnoni Iuuauensium Episcopo, vsque ad præsentiam genitoris sui Caroli Imperatoris. Postmodum ergo anno DCCCIII. Carolus Imperator Boiariam intrauit, & in mense Octobri Salzpurgensem: & præfatam concessionem filij sui cernens, potestatiuè multis astantibus fidelibus suis confirmauit, & inconuulsam fieri concessit. G

* al. Drauũ.

798. Iterum contigit anno Natiuitatis Domini DCCXCVIII. Arnonem iam Episcopum à Leone Papa accepto pallio, remeando de Roma venisse vltra Padum, eique obuiasse Missum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipsi itinere in partes Slauorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prædicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequibat, antequam responsum referret suæ Legationis, festinè perrexit ad Imperatorem, & retulit ei quicquid per eum dominus

A Leo Papa mandauit. Post expletam Legationem Imperator præcepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Slauorum, & præuidere omnem illam regionem, Ecclesiasticum officium more Episcopali colere, populósque in fide & Christianitate prædicando confortare. Sicut ille præcepit, fecit: illuc veniendo consecrauit Ecclesias, ordinauit Presbyteros, populúmque prædicando docuit, & indè rediens nunciauit Imperatori quòd magna vtilitas ibi potuisset effici, si quis indè habuisset certamen. Tunc iussu Imperatoris ordinatus est Theodoricus Episcopus ab Arnone Episcopo Iuuauensium. Quem ipse Aruon & Geroldus Comes perducentes in Slanoniam, dederunt in manus Principum, commendantes illi Episcopo regionem Carenranorum, & confines eorum Occidentali parte Drani fluminis, vsque dum Dranus fluit in amnem Danubij, vt potestatiuè populum regeret sua prædicatione, & Euangelica doctrinâ doceret seruire Deo. CAROLVS MAGNVS.

POSTQVAM ergo CAROLVS Imperator Hunnis eiectis Episcopatus dignitatem Iuuauensis Ecclesiæ Rectori commendauit, Arnoni videlicet Archiepiscopo & suis successoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonauit, cœperunt populi siue Slaui seu Boiarij inhabitare terram, vnde illi expulsi sunt Hunni, & multiplicari. Tunc primus ab Imperatore constitutus est confinij Co-
B mes Gonterannus, II. VVerenharius, III. Albricus, IV. Gotefridus, V. Geroldus. Interim verò dum prædicti Comites Orientalem procurabant plagam, aliqui Duces habitauêre in illis partibus ad iam dictam sedem pertinentibus. Qui Comitibus præfatis subditi fuêre ad seruitium Imperatoris. Quorum nomina sunt, Prinnihlauuga, Ceincias, Hroymar, Etgar. Post illos verò Duces Boiarij cœperunt prædictam rerram dato Regum habere in Comitatum, Hebriuuinus, Albgarius, & Palio. His ita peractis, Ratbodus suscepit defensionem termini, in cuius spacio temporis quidam Prinnina exulatus à Moymaro Duce Morauorum supra Danubium, venit ad Ratbodum. Qui statim præsentauit illum domino. Regi nostro LVDOVICO, & suo iussu fide instructus baptizatus est in Ecclesia S. Martini, loco Treisina vocato, ante videlicet pertinenti ad Sedem Iuuauensium. Qui postea Ratbodo commissus, aliquod cum illo fuit tempus. Et non multò post de VVlgâriis * Hecilo Ratimari Ducis adiit regionem. Illóque tempore LVDOVICVS Rex Boiariorum misit Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum Ducem. Qui diffisus se defendi posse, in fugam conuersus est cum suis, qui cædem euaserunt, & prædictus Prinninas substitit cum suis, pertransiuit fluuium Sauum, ibíque susceptus à Salachone Comite pacificatus est cum Ratbodo. Aliqua verò occasione iterum percepta, rogantibus prædictis Regis fidelibus, præstitit Rex Prinninæ aliquam inferioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluuium qui dicitur Saua. * Bulgaris

C

DE REBVS CAROLI MAGNI IMP. CVM ANGLORVM REGIBVS.

FRAGMENTVM

Ex Vita Ælfredi Anglorum-Saxonum Regis, quam Asserus Meneuensis descripsit.

FVIT in Mercia moderno tempore quidam strenuus, atque vniuersis circa se Regibus & regionibus finitimis formidolosus Rex, nomine OFFA: qui vallum magnum inter Britanniam atque Merciam de mari vsque ad mare facere imperauit. Cuius filiam nomine EADBVRGH Beorhtric Occidentalium Saxonum Rex sibi in coniugium accepit. Quæ confestim accepta Regis amicitiâ, & totius penè Regni potestate, more paterno tyrannicè viuere incœpit, & omnem hominem execrari, quem Beorhtric diligeret, & omnia odibilia Deo & ho-

CAROLVS MAGNVS. minibus facere, & omnes quos poſſet ad Regem accuſare, & ita aut vitâ, aut po- A teſtate per inſidias priuare: & ſi à Rege illud impetrare non poſſet, veneno eos necabat. Sicut de adoleſcente quodam Regi dilectiſſimo hoc factum compertum habetur, quem cùm ad Regem accuſare non poſſet, veneno eum necauit. De quo veneno etiam præfatus ille Beorhtric Rex inſcienter guſtaſſe aliquid refertur. Neque enim illa venenum dare Regi propoſuerat, ſed puero: ſed Rex præoccupauit. indè ambo periere. Defuncto igitur Beorhtrico Rege, cùm illa inter Occidentales Saxones diutiùs ferri non poſſet, vltra mare nauigans, cum innumerabilibus theſauris KAROLVM illum Magnum & famoſiſſimum Francorum Regem adiit. Ad quam, cùm ante ſolarium multa Regi afferens dona ſtaret, Karolus: *Elige Eadburgh, quem velis inter me & filium meum, qui mecum in ſolario iſto ſtat*. At illa ſine deliberatione ſtultè reſpondens, dicens ait: *Si mihi electio conceditur, filium tuum, in quantum te iunior eſt, eligo*. Cui Karolus reſpondens, & arridens ait: *Si me eligeres, haberes filium meum: ſed quia filium meum elegiſti, nec me nec illum habebis*. Dedit tamen illi vnum magnum Sanctimonialium Monaſterium, in quo depoſito ſeculari habitu, & Sanctimonialium indumento aſſumpto, perpaucis annis Abbatiſſæ fungebatur officio. Sicut enim irrationabiliter in propria vixiſſe refertur, ita multò irrationabiliùs in aliena gente viuere deprehenditur. Nam à quodam ſuæ propriæ gentis homine conſtuprata, demum palam deprehenſa, de Monaſterio imperio Karoli Regis deiecta, in paupertate & miſeria letho tenus vituperabiliter vitam duxit: ita vt ad vltimum vno ſeruulo comitata, ſicut à B multis videntibus eam audiuimus, quotidie mendicans in Pauia miſerabiliter moreretur.

FRAGMENTVM ALIVD

Ex Libro I. de Geſtis Regum Anglorum VVillelmi Malmesburienſis Monachi, Cap. IV.

OFFA interea, ne ſibi fraudi forent durè in Prouinciales admiſſa, vndique amicos Reges venans, pacémque concilians, Brithrico Regi VVeſt-Saxonum filiam Ethelburgam nuptui dedit. CAROLVM Magnum Regem Francorum frequentibus Legationibus amicum parauit, quamuis non facilè quod ſuis artibus conduceret in Caroli animo inuenerit. Diſcordauerant antea, adeò vt magnis motibus vtrobique concurrentibus, etiam negociatorum commeatus prohiberentur. Eſt Epiſtola Albini huiuſce rei index, cuius partem hîc apponam, documentum ingens magnanimitatis & fortitudinis Caroli, qui omnem ætatem triuerit in bellis contra Paganos Deo rebelles. *Antiqui*, inquit, *Saxones,* C *& omnes Freſonum populi, inſtante Rege Carolo, alios præmiis, & alios minis ſollicitante, ad fidem Chriſti conuerſi ſunt. Sed & anno tranſacto idem Rex cum exercitu ſuo irruit ſuper Sclauos, eóſque ſubegit ſuæ ditioni. Auares, quos nos Hunos dicimus, exarſerunt in Italiam, & à Ducibus præfati Regis Chriſtianiſſimi ſuperati, domum cum opprobrio reuerſi ſunt. Similiter & ſuper Baugariam irruerunt, qui & ipſi ab exercitu Chriſtiano ſuperati, & diſperſi ſunt. Etiam eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis Duces & Tribuni multam partem Hiſpaniæ tulerunt à Saracenis, quaſi trecenta millia in longum per maritima. Sed heu! proh dolor! quòd iidem maledicti Saraceni, qui & Agareni, tota dominantur Affrica & Aſia maiori maxima ex parte. Neſcio quid de nobis venturum ſit. Aliquid enim diſſenſionis diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem* CAROLVM, *& Regem* OFFAM *exortum eſt, ita vt vtrinque nauigatio interdicta negotiantibus eſſet. Sunt qui dicant nos pro pace in illas partes mittendos.*

IN his verbis, præter illa, quæ ſuperiùs notaui, poterit curioſus animaduertere, quantum iam annorum effluxerit, ex quo Saraceni Africam & Aſiam maiorem inuaſerint. Et profectò niſi Dei clementia ingenitum robur Francorum Imperatorum animaſſet, pridem Europam ſubiugaſſent. Adeò contemptis Imperatoribus Conſtantinopolitanis Siciliam, & Sardiniam, & Baleares Inſulas, & penè omnes terras quæ pelago cinguntur, præter Cretam, & Rhodum, &

A Cyprum, occupauerunt. Sed nostris diebus per Northmannos Siciliam, per Pisanos Corsicam & Sardiniam, per Francos & omnis generis Christianos ex Europa magnam partem Asiæ, & ipsam Hierusalem relinquere coacti sunt. De quibus quia in consequentibus amplior erit declarandi locus, nunc ex verbis Caroli fœdus firmum inter eum & Offam Regem Merciorum compactum subiiciam.

CAROLVS *gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum, Viro venerando & fratri carissimo* OFFÆ *Regi Merciorum salutem. Primò gratias omnipotenti Deo agimus de Catholicæ fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non Religioni seruientes, sed lucrum sectantes, inter eos inueniantur, locis opportunis statuta soluant telonia. Negociatores quoque volumus vt ex mandato nostro patrocinium habeant in Regno nostro legitimè: & si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros Iudices, & plenam videbimus institiam fieri. Cognoscat quoque dilectio vestra, quòd aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas Sedes Episcopales Regni vestri vel* ETHELREDI *direximus in eleemosynam domini Apostolici* ADRIANI: *deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse: sed vt fidem & dilectionem ostendamus in amicum nostrum carissimum. Sed & de thesauro humanarum*

B *rerum, quem Dominus Iesus nobis gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanas ciuitates direximus: vestra quoque dilectioni vnum baltheum & vnum gladium Huniscum, & duo pallia serica.*

Hæc saltuatim verba Epistolæ decerpens, ideireo apposui, vt posteris elucescat amicitia Offæ & Caroli: cuius familiaritate fretus, licèt multorum impeteretur odio, dulci tamen vitam consumpsit otio, & EGFERTVM filium ante mortem suam in Regem inunctum successorem dimisit.

CHRONICI NOVALICIENSIS
EXCERPTVM,

De expeditione CAROLI MAGNI aduersus Langobardos, & aliis eiusdem in Italia gestis.

Ex vetustissimo Codice Ms. Cœnobij Noualiciensis, quod in Valle Segusiana situm est.

C FVIT igitur circa hæc tempora apud regnum Francorum vir quidam inclytus nomine MAGAFREDVS, qui & ipse Francigena extitit, scilicet tempore PIPPINI Ducis eiusdem prænominatæ gentis. Hic verò, vt nonnulli tradunt, lineam consanguinitatis ab ipsis Regibus Francorum priscis traxit temporibus. Fuit etiam diues in opibus, ac terrarum fultus ruribus. His quoque diebus LVITPRANDVS Rex Langobardorum apud Italiam strenuè regnabat, qui tantæ longitudinis fertur pedes habuisse, vt ad cubitum humanum metirentur. Horum verò pedum mensura pro consuetudine inter Langobardos tenetur in metiendis aruis vsque in præsentem diem, ita vt pedes eius in pertica fune XII. fiat tabula. Erat enim pius in pupillis & viduis, misericors in iudiciis, largus in eleemosynis pauperum, beneficus & rector Dei Ecclesiarum. Huius ergo temporibus apud Forouicum erat sanctus Bardelinus, & in Episcopo Astensi sanctus præerat Euastus Episcopus. Ad hunc verò prædictum Regem PIPPINVS suum paruulum filium nomine KAROLVM direxit, vt ei iuxta morem ex capillis totunderet, & fieret ei pater spiritalis. quod & fecit. Nam remisit eum patri suo multis honoratum muneribus. Cúmque Pippinus ex hoc mundo migrasset, regnante KAROLO filio eius, Sarraceni super eius arua irruentes deuastabant cuncta. Qui Karolus statim per legatos Luitprando mandans, vt I.

CAROLVS MAGNVS. cum Langobardis Galliam sibi in adiutorium veniret. Nam coniuncti Franci cum Langobardis, & cum exeomprouincialibus, Sarracenos ab ipsa terra ignominiosè eiecerunt. Non multo ergo post tempore gloriosus Rex Luitprandus defungitur, & in loco eius Desiderius Rex exaltatur. Huic ergo fuit vxor nomine Anza. Ergo de his nobis dicta sufficiant succinctè, ad Historiam redeamus. A

II. HABVIT siquidem idem prænominatus vir inter ceteros filios vnum nomine FRODOINVM, qui magnæ auctoritatis & miræ sanctitatis apud Noualiciense oppidum legitur fuisse Pater. Siquidem cùm esset paruulus puerulus, tradidit eum iamnominatus pater Abbati Noualiciensis Cœnobij, qui & ipse illis diebus maximis fulgebat in mundo virtutibus. Putatur enim tunc Pater eiusdem Monasterij fuisse sanctæ memoriæ AZENARIVS Abbas. Fuerat siquidem & ipse Francicus genere, ac nominatissimus inter Proceres Francorum. Dedit ergo pater multa terrarum prædia eidem filio suo, quem tradidit monastico ordini erudiendum.

III. NVTRITVS verò idem puer ac eruditus in omni scientia litterarum, siue in cunctis, in quibus doceri eum oportuerat, factúsque iuuenis, cœpit semetipsum in nonnullis bonorum operum exercitiis constringere, atque sapienrioribus & sanctioribus senioribus ita obedientia & subiectione se humiliabat, vt nullus putaretur in Monasterio secundus. Sicque crescens de virtute in virtutibus, quotidie pollebat nonnullis bonis operibus. B

IV. DEFVNCTVS itaque est seculo almificus pater AZENARIVS. Cui successit protinus in Abbatiam vir valde laudabilis ad onus VVITGARIVS Episcopus. Qui cùm obisset, successit post eum gloriosissimus pastor FRODOINVS. In huius quoque Abbatis electione postulatum est à Domino quis ex ipsis omnibus dignus esset tanti honoris (onus) excipere. Quibus mox diuinitus ostensum est Frodoinum ad hoc esse dignum.

VI. Eo igitur tempore, quo fama istius viri sanctissimi per mundi partes micans refulgebat, Dominus omnipotens per visionem KAROLO Regi Francorum ostendere dignatus est, vt ad Italiam quantociùs properaret suæ ditioni subiugandam. Qui protinus conuocans vicinas gentes, fecit exercitum copiosum cum manu valida Francorum. ad Italiam disposuit ilico cum suis properè venire.

VII. MOVENS interea idem Rex ingentem exercitum suum, peruenit in montem Geminum, siue Ianuam regni Italiæ. In quo olim templum ad honorem cuiusdam cacodei, scilicet Iouis, ex quadris lapidibus plumbo & ferro valde connexis miræ pulchritudinis quondam constructum fuerat. In eo quoque monte duo consurgunt fontes, vnus ex vno latere montis, alter ex alio. Sicque in conuallibus suis descendentes, & paulatim crescentes, magna efficiuntur flumina. Vnus verò cui nomen Duria pergens per Italiam semper turbida, paucos ferens pisces, non obmittens suum nomen, donec demergitur in Heridanum maximum fluuium. Alter namque discurrit per Galliam prouinciam valde pisciferam & claram, vsque dum veniatur in Rhodanum fluuium. Cúmque de eodem monte Karolus descenderet, inuenit in descensu ipsius montis turrem quandam, sub qua carpebatur via, in qua manebat latro cum suis latronibus nomine EBRARDO. Qui multa mala ibi faciens cum suis, non permittebat aliquem inlæsum transire. aut deprædabantur, aut vapulabantur, aut interficiebantur. Sicque sanguis ibi innoxius nimis effundebatur. Hunc ergo latronem oppugnans Karolus deuicit, cepit, & interfecit, turrémque ipsam destruxit. Exindè verò mouens exercitum, peruenit ad Noualiciense Monasterium. ibi cum suis diutissimè moratus est. C

VIII. CVMQVE Rex cum suis totam vallem Sigusinam occupasset, peruenit ipse, vt supra diximus, ad Noualiciense famosissimum Cœnobium, vbi tamdiu stetit, donec omnem sumptum & escam Monachorum in cibum consumeret. Non enim ibi sine causa morabatur. Erat verò illis diebus hocce Cœnobium valde opulentissimum, & rebus ditissimum, & de sanctissimo Patre bene fuerat comptum.

IX. ANTE ergo aduentum KAROLI audiens DESIDERIVS Rex Langobardorum, quòd super se venturus esset, misit ad vniuersos potentes & magnates Regni sui, sciscitat ab eis quid facturus esset. Qui respondentes dixerunt, non sibi posse cum modico exercitu occurrere, qui cum valida manu super se veniebat,

A Sed Mbe, aiunt, omnes valles & aditos Italiæ, per quos de Gallia ad Italiam CAROLVS MAGNVS.
transiti potest, muro & calce de monte ad montem claudere, & sic per propugna-
cula & turres aditum ipsum prohibere. Qui ita fecit. Nam vsque in præsentem
diem murorum fundamenta apparent, quemadmodum faciunt de monte Por-
cariano vsque ad vicum Cabrium, vbi palatium illis diebus ad hoc spectaculum
factum fuerat.

DVM autem hæc à Desiderio facta fuissent, & Franci nullum transitum ali- X.
cubi reperire potuissent, veniebat pars exercitus Francorum per dies singulos
plerumque milleni, aliquando duo millia oppugnabant & obsidebant Lango-
bardos, super eis per propugnacula obsistentibus. Erat enim Regi Desiderio fi-
lius nomine ALCISVS, à iuuentute sua fortis viribus. Hic baculum ferreum
equitando solitus erat ferre tempore hostili, & ab ipso fortiter inimicos percu-
tiendo sternere. Cùm autem hic iuuenis dies & noctes obseruatet, & Francos
quiescere cerneret, subitò super ipsos irruens percutiebat cùm suis, à dextris & à
sinistris maxima cæde eos prosternebat. Cùm verò hæc per dies singulos agerétur,
contigit ioculatorem ex Langobardorum gente ad Karolum venire, & cantiun-
culam à se compositam de eadem re rotando in conspectu suorum cantare. Erat
enim sensus prædictæ cantiunculæ huiusmodi. Quod dabitur viro præmium, qui
B Karolum perduxerit in Italiæ regnum? Per quæ quoque itinera nulla erit contra
se hasta leuata. Neque clypeum repercussum, nec aliquod recipietur ex suis dam-
num. Cúmque hæc dicta ad aures Karoli peruenissent, accersiuit illum ad se, &
cuncta quæ quæsiuit dare illi post victoriam repromisit.

KAROLVS ergo mandans suos mox in crastinum paratissimos esse ad iteran- XI.
dum, vbi sanctissimus pater Frodoinus hoc comperit, protinus illi duos Mona-
chos misit, mandans vt in crastinum ante profectionem escam capere dignare-
tur. Quibus Karolus respondit. Ergo iam plurimi euoluti sunt dies, quibus ego
cuncta vestra bona cum meis in cibum consumpsi. At illi perseueranter insta-
bant, vt iussa sancti viri facere dignaretur. Et ille, Faciam, inquit, quod iubet
dominus meus. Illis verò recedentibus, præcepit suis tota nocte vigilare, & ex-
plorare fores Monasterij, ne de qualicumque parte ibi cibus vel potus introdu-
ceretur. Sciebat enim quòd nihil ibi vel potus, siue aliquid ad edendum in Mo-
nasterio remansisset. Nouerat namque per omnia virum esse sanctum.

EA verò nocte idem Pater beatissimus totam duxit peruigilem, rogauitque XII.
Dominum cum lacrymis, qui seruis suis in montibus & in desertis locis sem-
per ferculis suis ministrare dignatus est, vt sibi misereri dignaretur, præbens
alimenta Monachis. & qui in deserti regione quinque millia ex quinque panibus
& duobus piscibus satiauit hominũ, suis subuenire dignaretur hospitibus. Cúm-
que his orationibus & aliis huiusmodi tota nocte perorasset, reperit summo ma-
ne tantam copiam vini & potus in Cellario, quanta aliquando ex labore pro-
C prio habere potuit. Erant enim omnia vascula vinaria vino optimo repleta, &
horreum repletum ipsum. Facta autem die, sumens Rex cibum cum suis, sciscita-
tur qualiter vel vnde illis ipsum aduenisset cibum. Cui cuncta per ordinem re-
lata sunt. Amirans ergo Rex & clamans sanctitatem huius viri, laudans Deum &
glorificans abiit.

PROMITTENS ergo interea Rex ante suum egressum ibi multa bona facere XIII.
propter ammirationem prædicti Abbatis, & venerationem eiusdem loci, cœ-
túque Fratrum inibi degentium, quia multi nobiles carne, & nobiliores fide, sci-
licet ex Francorum prosapia ibidem militabant. Si quis verò Episcopum vel Ab-
batem suo loco desiderasset, de Monachis ipsius loci, & de discipulis beati Fro-
dolhi, & de eius doctrina viri requirebantur. de quibus nonnulli miræ & perfe-
ctæ sanctitatis in eodem loco exercebantur.

IGITVR tuba conuocatus omnis Regis exercitus, ipséque Rex Abbati & om- XIV.
nium Fratrum orationibus se commendans, deinde vale dicens, præcedente iam-
dicto ioculatore cœpit abire. Qui ioculator relinquens omnia itinera, ducebat
Regem cum suis per crepidinem cuiusdam montis, in quo vsque in hodiernum
diem via Francorum dicitur. Cúmque de prædicto descendissent monte, deue-
nerunt in planiciem vici cui nomen erat Gauensis, ibique se adunantes strue-
bant aciem contra Desiderium. Desiderius verò sperans Karolum ante se ad

CAROLVS MAGNVS. bellum, Karolus autem ad dorsa ipsorum de monte descenso festinabat. At vbi A Desiderius talia comperit, ascenso equo Papiam fugit. Franci enim diffundentes se huc illúcque capiebant omnia, vastantes castella scilicet & vicos. Tunc accedens iamdictus ioculator ad Regem, petiit vt sibi promissum daretur, quod antè illi pollicitus fuerat. Tunc ait illi Rex: Postula quod vis. Cui ille. Ergo ascendam in vnum ex his montium, & tubam fortiter personabo corneam, & quantum longe audiri potuerit, dabis mihi in merito & munere cum viris & feminis. Et Rex. Fiat tibi iuxta verba tua. Qui protinus adorans Regem abiit, ascendénsque in vno monticulo, fecit sicut dixerat. Descendénsque illicò, ibat per viculos & aruam, & interrogans quos inueniebat, Audisti, inquit, sonitum tubæ? Cui si dixisset, etiam audiui, dabat illi mox colafum, dicens. Tu, inquit, es meus seruus. Ita ergo dedit illi Karolus quantum sonitum tubæ audiri potuit, atque ita dum vixit tenuit, suíque filij post eum. qui vsque in præsentem diem serui ipsi transcornati vocantur. Karolus denique capiens Taurinensem ciuitatem, atque cunctas vrbes & castra vniuersa. Cúmque ad Papiam venisset, erat ibi eo tempore sanctus THEODORVS Episcopus, qui tunc ibi episcopabat. Ob cuius meritis prohibitum est Karolo de cœlo, vt dum prædictus Episcopus viueret in corpore, non esset ab eo capta ipsa ciuitate. Nam ita diuinitus Karolo reuelatum fuerat. Discedente itaque Karolo ab ea, cœpit abire per circuitum eiusdem ciuitatis, capiens vrbes vniuersas, scil. Eporediensem, Vercellis, Nouariam, Placentiam, Mediolanum, Parmam, Tertonam, atque eas quæ circa mare B sunt, cum suis castellis. Deinde non multò post defungitur ille beatus Episcopus. Insinuatum est protinus Karolo quòd ille obisset. Qui congregans statim vniuersum exercitum, tendit Papiam, circumdat eam atque obsedit. Ibi autem Desiderius Rex fugiens manebat, cum Algiso filio suo & filia. Erat autem Desiderius valde humilis & bonus. Tradunt verò nonnulli, quòd cùm isdem Desiderius cotidie media nocte surrexisset, & veniret ad Ecclesiam S. Michaëlis, vel S. Syri, seu per ceteras alias, aperiebantur statim regiæ diuinitus ante suo conspectu. Dum ergo Ticinensis ciuitas diu obsideretur, contigit vt filia Desiderij compositam epistolam vltra Ticini fluuium per balistam Karolo transmisit, dicens, vt si se in coniugium accipere dignaretur, traderet illi continuò ciuitatem & cunctum thesaurum patris. Ad hæc Karolus scripsit talia verba puellæ, quòd ad amorem ipsius magis in se incitaretur. Quæ statim furando tulit claues portæ ciuitatis, quæ erant ad caput lectuli patris, atque mandans per balistam Karolo vt eadem nocte paratus esset cum suis, cùm signum sibi ostenderetur, intrare in ciuitatė. Qui ita fecit. Nam cùm Karolus ipsa nocte portæ ciuitatis appropinquans introiret, occurrit illi prædicta puella gaudio ex promissione sublevata. Quæ statim inter pedes equorum conculcata atque interfecta est. erat enim nox. Tunc in ipso fremitu equorum per portam intrantium expergefactus ALGISVS Regis filius euaginato ense percutiebat omnes Francos intrantes per C portam. Cui statim pater interdixit ne faceret, quia voluntas Dei erat. Videns autem Algisus quia non poterat tanto exercitui sustinere, fugiens abiit. Karolus verò capiens ciuitatem, ascendit in Palatium. Vbi ad eum omnis ciuitas venit, receptáque sacramenta fidelitatis abiit. Post modicum denique mandans prædictus Rex Abbati Noualiciensi, scilicet Frodoino, vt ad se veniret. quod & fecit.

XIV. POSTMODVM Ticino ciuitate capta, mandauit prædictus Rex Karolus Abbati Noualiciensi, scilicet Frodoino, vt ad se veniret. quod & fecit. Nam dedit illi cortem magnam nomine Gabianam, vbi cum appendices suos erant mansa mille, propter reuerentiam Abbatis, ad ipsum locum Noualiciensem. Dicunt verò nonnulli, quòd Karolus Rex oculos eruisset Desiderij Regis Langobardorum in Ticinensi ciuitate, vbi eum cepit.

XV. POST denique inuasionem Italiæ à Karolo factam, pergente eo in Romaniæ tellus, vbi & Imperium & Patriciati honorem promeruit, reuertente eo, VGONEM filium suum puerulum adduci præcepit, quem beato viro Frodoino commendans, rogauit vt in sancta & monastica professione illum nutriret. Qui benignè eum suscipiens, aluit & nutriuit, vt filio tanti Imperatoris decuit. Ob cuius amorem illo in loco, multa prædia terrarum, & thesaurum multum ibi largitus

A est. Nam ſanctos Coſmam & Damianum martyres ibi adducens donauit. Sanctum quoque VValeticum ſimiliter ibi largitus eſt, atque aliorum Sanctorum pignora. CAROLVS MAGNVS.

Svo igitur tempore beatiſſimus FRODOINVS theſaurum multum ibi faciens congregauit. Cum quo etiam theſauro fecit crucem in eodem loco auro argentóque necnon gemmis precioſiſſimis oppido operatam. In qua ferunt nonnulli glorioſiſſima pignora haberi, ſcil. ex lacte beatiſſimæ Mariæ, & de capillis ſuis, & de Circumciſione Domini .... XVI.

Eo tempore beatus FRODOINVS volens teſtamentum ipſius Eccleſiæ renouari, quod quondam ABBO Patricius de ipſa Eccleſia fecerat tempore THEODERICI Gothorum Regis, miſit duos Monachos, Agabertum ſcil. & Gizlatamnum ad Karolum Magnum Imper. vt ſibi ſuo Imperiali præcepto teſtamentum ipſiud renouari concederet. Qui benignè illi annuens, cuncta quæ illi petiit, impetrare valuit. XVII.

ERAT denique ſuo tempore villa nomine OTIATIS de eodem Cœnobio, quam quidam homo nomine Dionyſius cum quondam filio ſuo Hunone beato Petro Noualicienſi dedit, cum ſeruis & ancillis, pro animæ ſuæ mercedem. Hij quoque famuli poſt multos dies, & poſt mortem ſuorum dominorum, cœperunt contra Monachos & contra miniſtros ipſius Eccleſiæ inſurgere, & litigare, dicentes: Nos neque noſtri pertinentes non ſumus de veſtro Monaſterio, pro eo quia auiones noſtri vobis pertinentes non fuerunt. Poſt paucos verò dies, aduenerunt Legati KAROLI Imperatoris in Italiam, cauſas ipſorum hominum & aliorum diſcutiendas, inter quos adfuerunt RAPERTO Comes, & ANDREAS Epiſcopus atque Capellanus domni Imperatoris. cum quibus etiam interfuerunt multi Iudices & Scauini cum ſculdaxibus, quorum nomina dicere potuiſſemus, ſi ad alia greſſu concito non tenderemus. & conſederunt in ciuitate Ticinenſi. Tunc pater Frodoinus miſit duos ex ſuis, Adam ſcilicet & Dodone Monachos, cum Raimperto Aduocato de electo ipſius Monaſterij. Inter quos etiam adfuerunt homines de villa Oziatis, videlicet famulos ipſius Monaſterij. Et facta reclamatione, examinatáque cauſa, ſic diſtricta eſt. Poſt nonnullos verò annos, iterum cœperunt prædicti homines vexari, & eadem verba repetere vt priùs, dicentes contra legem omninò fuiſſent pignorati, & ſeruicio additi humano. Tunc etiam miſit HLVDOVVICVS Rex filius Karoli Boſo Comes cum ſuis Iudicibus in Taurinenſi ciuitate, inter quos adfuit CLAVDIVS Epiſcopus Taurinenſis à parte Monaſterij cum duobus Monachis, Agleranno ſcilicet & Richario Præpoſitis, cum ſuo Aduocato. Tunc præ manibus oſtenderunt de prædicta villa iudicatos Dionyſi, atque Hunnoni, pater & filius, in quibus continebatur qualiter ipſos homines cum villa ſub ditione S. Petri Noualicienſis tradidiſſent. Erat enim tunc Pater ELDRADVS paſtor ipſius Monaſterij. Et conuicti ſunt homines iam dicti iterum in conſpectu illorum omnium Comitum, Iudicum, cunctáque conuocatio. XVIII.

VIXIT autem ſanctiſſimus Pater Frodoinus ~~in Abbatia~~ XLIII. annis ſine crimine. Quibus decurſis migrauit ex orbe, VI. Idus Maij plenus dierum. Ordinatus verò in Paſtoralitate IIII. Idus Febr. Nam in textu quoque Euangeliorum, quod Attepertus ex præcepto illius ſanctiſſimi Patris ſcripſit, in capite inuenimus verſus inter alios conſcriptos ita. XIX.

Quæſtio ſi lector monet quis hunc condere Librum
Carmina cùmque illum ſaltim nomine nota.
Frodoinus qui pridem Paſtor & inclytus extat.
Nam per decies quater ſtabuli cuſtos ouiumque eſt.
His ſuper adiectis ternis ſine crimine manſit.
Verum Attipertus ſcripſit ob nomine Chriſti.

ERAT enim iſdem Attepertus Monachus & Sacerdos in iam ſæpedicto Monaſterio, ſcilicet in temporibus almi Frodoini. Hic famulus fuit prædictæ Eccleſiæ, tam in ſcientia litterarum valde imbutus, quámque in recta conſcriptione ſcriptor velociſſimus. Siquidem ipſe multos & varios ac permaximos Libros in eadem Eccleſia ſuis conſcripſit temporibus. Ergo vbicumque ſua manu antiquaria libros à ſe conſcriptos inter alios inuenimus, extemplo recognoſcimus. XX.

CAROLVS MAGNVS. XXIII. PERVENIT itaque ALGISVS filius Desiderij Regis ad matrem suam ANSAM Reginam, quæ tunc in partibus illis aduenerat ob orationis causam, scilicet in Brixiensi ciuitate vbi Oratorium SS. Faustini & Iouitæ miro opere construxerat, multáque rura largiens ditissimum fecit Monasterium. Nam ipsa nupérrimè multo donato pretio, sanctam Iuliam Virginem ibi à Corsica adduci fecit insula. A

XXIV. DEFVNCTO interea seculo beato Patre Frodoino, vt supra retulimus, domnus & religiosus AMBLVLFVS Monachus in regimine ipsius surrexit Ecclesiæ. Venerat ipse siquidem in Monasterio temporibus domni VVitgarij Episcopi atque Abbatis. Hic ex nobilibus ortus fuit parentibus, & ab pueritia sua traditum Deo & beato Petro Apostolo in Noualegiensi Cœnobio sub testimonio bonorum hominum deuotus pater deuotissimè cum offerre curauit. Nam in illa quoque offersione sic inuenimus contineri. DVM *legaliter sancitum antiquitus teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo feliciter seruituros, proculdubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter prabetur exemplum. Aequum etenim iudico Creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco ego* VVIDILO *hunc filium nostrum* AMBLVLFVM, *cum oblatione in manu atque petitione altaris pallà manu mea inuoluta, ad nomen S. Petri & S. Andreæ, ceterorúmve Sanctorum, quorum reliquia hic continentur, & tibi* VVARNARI *præsenti Decano, ad vicem domni* VVITGARI *Episcopi, seu & Richary Præpositi, trado coram testibus regulariter permansurum. Ita vt ab hac die non liceat illi collum de sub iugo regulæ excutere, sed magis eiusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta seruare, & Domino gratanti animo militare. Et vt hæc nostra traditio inconuulsa permaneat, promitto cum iureiurando coram Deo & Angelis eius, quia nunquam per me, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de Monasterio tribuam occasionem. Et vt hæc petitio firma permaneat, manu mea eam subter firmaui.* B

XXV. CVM autem hic sanctè & religiosè viuere in præsenti studuisset seculo, post aliquantos annos sarcinum carnis abiciens feliciter migrauit ad Dominum. In cuius loco protinus ad regendam Noualiciensem Ecclesiam domnum & sanctum promouerunt fratres HVGONEM Karoli Magni filium. Ob istius quippe Hugonis amorem, sicut suprà in sua oblatione descripsimus, multa & carissima Sanctorum corpora cum variis vasculis aureis argenteisve ibi pater eius Karolus largitus est. Ibi quoque cortes in Italia seu in Regno Francorum atque Burgundionum tradidit tam pro filio, quámque pro amore almi sui Magistri videlicet Frodoini, cuius certè vitam & exempla imitatus est.

XXVI. DOMINAVIT namque Abbaciam Noualiciensem suis temporibus felix ipse feliciter atque prudenter. Hic ergo tales habuit adiutores & amatores, quales fuerunt Reges Italiæ atque Franciæ, Karolum scilicet patrem suum, & Hludouuicum fratrem suum, atque Lotharium nepotem suum, ac alios per istos sequentes. Karolus ergo dedit in prædicto Cœnobio, scilicet in Mauriensi Episcopio duas cortes, Arua & Liana, & in Italia cortem Gabianam nomine. in qua corte cum appendices suos mille mansas numerantur. Hludouuicus namque cum patre Karolo eidem auxit vallem Hardoniscam cum castro Bardino, de eadem valle Abbari Ioseph præceptum faciens. Lotharius verò adcreuit Pagnum quondam ditissimum & regale Monasterium, quod olim Aystulphus Rex ambidexter condiderat. Horum ergo præcepta Regum ex his supradictis curtibus & aliis in hodiernum vsque in eodem Monasterio conseruantur diem. C

XXVII. Hoc siquidem tempore Karolus Rex Francorum atque Imperator & Patricius Romanorum, postquam LXXVI. annis vitæ vixerat in seculo, migrauit ex orbe v. Kal. Februarij. Nam Regna tenens ipse dum vixit XL. & VI. annis feliciter, iam ab Incarnatione Domini anni euoluti octo centies & XIV. Sic enim in suo Epitaphio legitur.

Extat hoc Carmen in calce Operum Agobardi Lugdun. Archiepiscopi.

Aurea cælorum postquam de Virgine Christus
Sumpserat apta sibi mundi pro crimine membra,
Iam decimus quartus post centies octo volabat
Annus fluctiuagi meruit quo feruida secli
Aetheres, Carolus Francorum gloria gentis.
Aequora transire & placidum comprendere portum.

Qui

CAROLVS MAGNVS.

A *Qui deciésque quater per sex feliciter annos*
.. ptra t.. ens Regni, & Regno Rex Regna reiungens
Febro migrauit quinto arij ex orbe Kalendas,
..ptuagin.a sex vita qui terminat annos.
Quapropter flagito precibus si flecteris vllis,
Quique huius relegis versus epigrammata lector,
Astriferam Caroli teneat, dic, spiritus arcam.

Ad huius ergo Caroli funus affuisse dicuntur filij eius, HVGO scilicet Abba cum reliquis fratribus.

ERAT prætcrea in arua Francorum Monasterium quoddam ditissimum in honore S. Medardi Confessoris fundatum, quod nuper KAROLVS ob amorem filij sui HVGONIS, quem oppido videbat incrementis sanctæ Religionis & sanctitatis vbertim excrescere, & ad exemplum beati viri Frodoini magistri sui de die in diem proficere, auxit vt dicunt ipsud Monasterium Noualicio vbi ipse præerat Pater. Cantantur denique Antiphonæ de prædicto Confessore benè compositæ per Abbatiam Noualiciensem, quæ per nulla alia Monasteria cantari videntur, maximè infra Regnum Italiæ. Nam incomparabilem thesaurum & præcipuum honorem ab ipsis Regibus Francorum quondam prænominatæ Abbatiæ audiuimus & vidimus conlatum. XXX.


B POST paucos verò annos idem vir venerabilis HVGO, cùm quadam die secundum morem Abbatiæ suæ Cellas causâ prouidentiæ & amonirionis circuiret, deuenit in Franciæ tellus, vbi multæ Cellæ erant sub ditione Noualiciensis Cœn.. bij erectæ. Quas cùm ex parte requisisset, consedit mox in præfato Monasterio, videlicet S. Medardi Confessoris. In quo cùm aliquantis commoratus esset diebus, infirmitate corporis tactus ægrotare cœpit. De qua ægritudine ad necem vsque perductus obiit illic Idus Iunij per omnia felicissimus. Ibique sacrum eius corpus honorificè quiescit humatum. Erat enim sapientiâ & scientiâ præcipuus, eleemosynis largus, pietate laudabilis, corpore castus, mente deuotus, animo vigil, pulcritudine corporis valde decoratus, sicut prolem tanti decebat Imperatoris. Post multos itaque annos retulit nobis Abbas ille de S. Medardo, quòd præfatus HVGO Abbas apud ipsos multas virtutes & miracula per eum Dominus illo in loco operatus sit, & quanta veneratione ab incolis loci haberetur. Hoc quoque defuncto, excellentissimus Pater ELDRADVS in Abbatia præficitur. Huius itaque Patris vitam nostris temporibus quantumcunque ex suis miraculis atque virtutibus colligere potuimus, tam visis quàm audiris lectisve, quibus per eum Dominus operare dignatus est, deuotissimè in eius laudibus simul scribere curauimus. XXXI.

POST multa itaque annorum curricula tertius OTTO Imp. veniens in regionem vbi Caroli caro iure tumulata quiescebat, declinauit vtique ad locum sepulturæ ipsius, cum duobus Episcopis, & OTTONE Comite Laumellensi. ipse C verò Imperator fuit quartus. Narrabat autem idem Comes hoc modo, dicens. Intrauimus ergo ad Karolum. non enim iacebat vt mos est aliorum defunctorum corpora. Sed in quandam cathedram quasi viuus residebat. Coronam auream erat coronatus, sceptrum cum Vvantonibus indutus tenens in manibus, à quibus iam ipsæ vngulæ perforando processerant. Erat autem supra se tugurium ex calce, & marmoribus valde compositum. Quod, vbi ad eum venimus, protinus in eum frangendo fecimus foramen. At vbi ad eum ingressi sumus, odorem permaximum sentiuimus. Adorauimus ergo eum statim poplitibus flexis ac genua. Statimque Otto Imp. albis eum vestimentis induit, vngulásque in eodem & omnia deficientia circa eum reparauit. Nil verò ex artubus suis putrescendo adhuc defecerat, sed de summitate nasi sui parum minus erat. quam ex auro illicò fecit restitui. Abstrahensque ab illius ore dentem vnum, reædificato tuguriolo abiit. XXXII.

A

DE STATVRA CAROLI MAGNI IMP.

ΦΙΛΟΠΟΝΗΜΑ MARQVARDI FREHERI.



I digna res ſpeculatione & curâ babita Pythagoræ, ſummo Philoſopho, longitudinem Herculani corporis è plantæ eius indicio indagare, vt Plutarchus & Gellius tradiderunt; cur non & de Celtico Hercule idem inquirere nobis precium operæ videatur? Ita enim vocare liceat illum omnis Germaniæ Galliæque domitorum, & multarum ferociſſimarum gentium non tam domitorem quàm pacatorem, emollitorem & inſtitutorem: cui tertio à Pompeio & Conſtantino, MAGNI cognomen res geſtæ pepererunt. vt quemadmodum veterum aliquis Herculem velut AFRICANVM quendam inter Deos habitum, eleganter ludit; ita nos Martem ipſum, velut CAROLVM quendam inter ſuperos fuiſſe, dicere poſſimus. Et hunc quidem cùm oris quadam eximia dignitate, & quam Euripides vocat εἶδος ἄξιον τυραννίδος, tum in primis non vulgari corporis staturâ & proceritate fuiſſe, non magis vulgò creditum, quàm etiam conſenſu à Scriptoribus traditum videmus: & cùm omnia in eo magna fuerint, neque hoc ornamentum ei defuiſſe, ſatis credibile videtur. Non tamen vt prodigioſæ altitudinis longurionem aliquem nobis fingamus, ceu Goliathem Philiſteum, B aut Maximinum Thracem: ſed vt heroicæ staturæ virum principem in bellace populo Francorum, qualis olim inter Danaum primos

Lactantius lib. 1. cap. 9.

——— præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:

vel potiùs qualis in populo ſacro Rex & vnctus Domini, *ab humero & ſurſum eminens ſuper omnem populum*. Huic enim noſter itidem vnctus Carolus, aliàs ſuo æuo ab eruditis Dauidi aſſimilatus, hac quidem parte conferri poterit. Nominatim verò Eginhardus, qui non tantùm σύγχρονος, ſed inſuper eius alumnus & domeſticus Scriba fuit, & σπονδεῖον ei perſoluit, vitam defuncti deſcribendo immortalem reddens, teſtis vt αὐτόπτης ita ἀξιόπιστος ita refert: *Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen iuſtam non excederet: nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius, conſtat habuiſſe figuram.* Qui quidem ſummus eſt modus adoleſcendi humani corporis, ſecundum Varronem. Sed quia pedum ſuorum ait, non Romanorum aut Græcorum, nihil hinc certi confici poteſt. Hoc cogitemus interea, ſi publica lege in caſtris & delectu habendo, Romani iuſtam ſtaturam legendi tyronis militiſque tenuerunt quinque pedes cum ſeptem vnciis vſualibus; & hoc ſeruatum eſt in breuitate (vt Vegetius alibi loquitur) Romana: quid officina illa gentium,

1. Reg. c. 9. NOVVS DAVID, Alcuinus paſſim in Epiſtolis. Et eo Gellius lib. 3. cap. 10. Et Solinus ex Plinio lib. 7 cap. 16. Veget. 1. cap. 1. L. 3. C. Th. de tiron. Cuiac. xxi. obſer. 5.

Et ſtupefacta ſuos inter Germania partus,

quid Gothia, quid Francia & Burgundia (cuius alumnos *Septipedes* Sidonius aliquoties facit) producere potuerit, quid de eis non credere debeamus, quid de Rege eorum, eóque cognomento Magno? vt vt hoc æuo mirum nimiúmque videri alicui poſſit, quo

Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Sed ad rem. Habuiſſe Carolum noſtrum virgam auream, staturæ ſuæ certiſſimum modum, teſtis eſt Sangallenſis quidam Monachus, æuo paulo poſterior, ſed qui ſua è relatu Adalberti cuiuſdam C (qui Hunico Saxonicóque & Slauico Caroli bello interfuerit) eiúſque filij VVerenberti Sacerdotis, hauſiſſe ſe profitetur. Is inter alia refert, eo ambitionis primarium quendam Germaniæ Epiſcopum veniſſe, *vt virgam auream incomparabilis Caroli, quam* AD STATVM SVVM *fieri iuſſit, diebus feriatis vice baculi ferendam, ille pro Epiſcopali ferula improbus ambiret.* Quo loco ante omnia notari velim, *ad ſtatum ſuum* nihil eſſe aliud, quàm ad ſtaturam ſuam. Ita enim & alius ſcriptor Francicus duobus locis loquitur. Gregorius inquam Turonenſis, lib. 14. cap. 24. *Celſum virum procerum ſtatu, in ſcapulis validum, lacerto robuſtum.* Et Fredegarius, ſiue quiſquis eſt eius Continuator cap. 51. *Ille hoc audiens, ad Gundebergam ſecretiùs ait: Formam ſtatus mei laudare dignata es.* Dixerat enim illa ibidem: *Honeſta ſtaturâ Adalulfum fuiſſe formatum.* Quæ ſufficiant. Deinde obſeruatu dignum fuerit, κοντούχους Reges eius temporis non breuia veluti que Comica (vt ita dicam) ſceptra manibus verſaſſe; ſed prælonga & ſibi ipſis plerumque ferè paria, & haſtis quàm ſceptris aut ſcipionibus ſimiliora traxiſſe: qualem quiritis Quirinus vibraſſe legitur, qualis in manibus Antoninorum Cæſarum aliorúmque conſpicitur, qualem Othoni tertio Imp. geſtatam in ſigillo eius conſpicio: qualem denique varia in nummis Numina, Diui Diuæque, pro diuinitatis ſigno, & ipſe adeò Olympi rector, Stator Vindéxque Dieſpiter oſtentare ſolet. Talem igitur & Carolus auream feſtis diebus ſolemniter geſtauit: quam ideo Epiſcopus ille pro Epiſcopali ferula, id eſt, pedo paſtorali, cambota, vtpote nihilo breuiorem neque minus ſibi aptam, vſurpare abſente Rege improbiuſculè affectauit.

Lib. 1. c. 19.

Apud Ant. Auguſtin. paſſim.

Sed quid hæc tam multa? quid ad nos, dices, quid ad rem? Audi, mi Lector, & crede non vana referenti. Supereſt enim inter alia quæ ex eius ſupellectile (verè ita dictâ, quia caſtrenſe inſtrumentum, & ſub pellibus vſurpatum fuiſſe ipſo aſpectu apparet: inter quæ & ſella plicatilis fer-

A tea, opere Musiuo laborata, qualem & olim Cæsaribus de suggestu ad milites allocutionem habentibus, insessam in nummis obseruamus) supersunt, & in penitissimus cimeliarcheis Palatinis religiosè asseruatur talis siue baculus siue hasta, non ille quidem è rutilanti metallo, de quo paulò antè dictum; sed de sequiori alio, at quod Marti magis amicum, siue cusus, siue fusus, mediocris digiti spissitudine, litteras hasce argento puro nitidissimè inscriptas habens, idque charactere omnino eius æui, qui eruditis non est ignotus: CAROLVS MAGNVS.

KARLVS IMPR. IVSSIT CVBITV ISTV FACERE IVXTA MENSVRAM SVAM: Charactere (inquam) æui Francici & Carolini, qui quanto à Romanorum veteri elegantissimo degenerauit, tanto sequentium seculorum, quibus Monachi & Clerici soli scribebant, barbarie & ineptiâ melior tolerabiliórque videtur. Cum quo & orthographia siue scribendi ratio concurrit, in eius æui membranis & nummis obseruanda: KARLVS. item IMPR. & phrasis illa FACERE IVSSIT, apud Sangallensem, *Fieri iussit*. Sed quid CVBITVM esse dicam? diuersum vtique ab eo sensu, quo Plautus *cubitum longas litteras* dicit, quæ *cubitales* aliis. Quid nisi verbo eius æui, vt vt malè proprio, mensuræ non tam genus quàm instrumentum, ceu decempedam aut perticam? Id quod me hactenus, nullo adhuc auctoris idonei loco deprehenso, solus docet Papias Lexico: CVBITVS *habet pedem & dimidium. Cubitus Geometralis, sex nostros habet cubitos.* quod forent nouem pedes, artificiales nimirum. At Carolus septempedam (ita dicere liceat) suam, staturæ suæ modum, *Cubitum* nihilominus hic vocari voluit. Quod fit eadem formâ, qua *Vlnam* * hodiéque diuersis linguis dicimus, pro ipso bacillo & calamo mensurali, magis quàm genere mensuræ, quæ multum pro locis variare solet, & aliquot vncias plusve minusve continet. * Aulne. Elen.

Superest vt pedis ipsius Carolini modulum statuamus, haud paullo certiore ratiocinatione quàm illa Pythagoræ. Ille enim ex Herculis pede corpus sibi imaginatus est: nos ex corporis certa mensura, pedúmque certo numero, vnum facilè metiemur, cubito isto in septem æquales partes diuiso. B Quod fecimus accuratè, & id mensuræ delegimus, cui scripturam ipsam incideremus, quæ aliàs in ipso cubito duos ferè eiusmodi pedes implet. Et hæc obseruatio non dubiis (vt videtur) argumentis innixa, pudorem etiam imponet turpiculo fabulatori, qui Turpini Remensis Episcopi nomine circumfertur; qui velut id negocij sibi datum ratus, vt vel Antæum vel Typhonem aut Cyclopum aliquem nobis describeret, inter alia omnia portentosa neque in numero pedum neque quantitate modum tenere potuit: *Statura eius*, inquit, *erat in longitudine octo pedum suorum, scilicet qui erant longissimi.* Iste enim Carolinus nihil adeo insolens, vastum, extraordinarium habet: sed omnino ei respondet, quem medium inter Romanum ordinarium & Barbaricum quendam maiorem, postremorum temporum (vt ait) creditum, nobis ob oculos posuit, qui hoc argumentum ex professo tractauit vir eruditissimus Lucas Pætus I. C. Romanus: atque adeo ad vnguem conuenit cum pede Augustano, quem ipsum Leonardus à Portis scripsit merè Romanum esse, cuiusque schema extat apud Glareanum & VVelserum *. De gest. Car. M. cap. 20. fol. H. 38. 39. De asse fol. 8. * Rerum Aug. Vind. Lib. 4. f. 70.

Quæ res facit, vt neque de barba Caroli, palmi scilicet longitudine, eidem Turpino temerè fidem habendam putem: cùm quidem Eginhardus, non paulò locupletior testis, qui corpus, staturam, apicem capitis, oculos, nasum, caniciem, faciem, ceruicem, ventrem, pedes, incessum, vocem Caroli accuratè describit, barbæ nullam mentionem faciat, non omittendæ, si qua vel laude vel notâ digna fuisset. Et hac etiam parte non possum dissentire à summo viro, neque solùm in Augustana republica, sed in omni regno litterario summo & eminentissimo (quod elogium pro nomine esse potest) qui de hac re ita ad me nuper scripsit: *Ego plurimorum præiudicia non veritus, in ea sum hæresi, Carolum barbam non pauisse; saltem prolixam illam, qua plerunque exornatur, ad eum nihil pertinere. Certè Eginhardus eius non meminit: & est apud me moneta Carolina, vetus nisi fallor, cuius ectypon mitto, puro mento.* C *Non nego fieri potuisse, vt interdum tonsoris negligentiâ mentum & labra pili nonnihil inumbrarent: hac enim specie Roma in musiuo opere illius ætatis conspicitur. Sed prolixam & squallidam barbam abominor.*

A

DE AVCTORE SEQVENTIVM ANNALIVM, noua Obseruatio.

QVi hos Annales primus in lucem dedit Hermannus Comes Nuenarius, de Auctoris illorum nomine certi nihil habuit: sed per quendam Benedictinæ Religionis Monachum collectos fuisse, tantùm suspicatus est. Cuius opinioni insistens Marquardus Freherus, eosdem postea ADELMO *nescio cui Benedictino, vel secundum alios* ADEMARO *Monacho tribuit. Verùm incertus alter illius æui Monachus, qui Librum de Translatione & Miraculis S. Sebastiani composuit, euidenter indicat ipsorum verum ac genuinum Scriptorem fuisse* EGINHARDVM, *siue vt vocat,* AGENARDVM, *de quo iam ad Caroli M. Vitam dictum est. In sua enim ad Ingraunum S. Medardi Suessionensis Abbatem Præfatione sic ait:* AGENARDVS cognomine SAPIENS, ea qui tempestate habebatur insignis, huius reuerentissimi Cœlicolæ mentionem in Gestis Cæsarum CAROLI MAGNI, & filij ipsius HLVDOVVICI faciens, inter alia quæ annotino cursu dictabat, non inoperosum duxit mortalia acta immortali astipulatione roborare, ita dicens: Dum hæc agunrur, Hilduinus Abba Monasterij S. Dionysij „ Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio sanctæ Sedis Apostolicæ tunc „ Præsule, ossa beatissimi Martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessio- „ nem ciuitatem in Basilica S. Medardi collocauit. Vbi dum inhumata in loculo, B „ in quo allata fuerant, iuxta tumulum S. Medardi iacerent, tanta signorum ac pro- „ digiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per di- „ uinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi Martyris enituit, vt à nullo morta- „ lium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis va- „ leat explicari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbe- „ cillitatis fidem excederent: nisi certum esset Dominum nostrum Iesum Chri- „ stum, pro quo idem beatissimus Martyr passus esse dinoscitur, omnia quæ vult „ per diuinam omnipotentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cœlo & in „ terra subiecta est. De his Agenardus ita. *Quæ narratio cùm iisdem omninò verbis in Annalibus istis reperiatur sub finem anni* DCCCXXVI. *quo S. Sebastiani corpus Suessionas delatum est: indè facilè reuincitur eosdem ab* EGINHARDO *ipso fuisse compositos, qui & Caroli M. Vitam descripsit. Huic sententiæ fauet Codex antiquus, in quo Hermannus à Nuenare vtrumque Opus, velut vnius ac eiusdem Auctoris, coniunctim descriptum reperit, sicque emisit in lucem. Præterea Ioannes Trithemius inter Eginhardi Opera recenset* Historiam temporum de gestis Germanorum & Francorum: *quæ alia ab his Annalibus haberi non debet, in quibus res per Francos potissimum & Germanos gestæ non minus eleganter quàm accuratè consignantur. Ex Libris quoque de Translatione & miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum, qui ab ipso Eginhardo scripti sunt, constat eum ocium* C *meditantem circa annum* DCCCXXIX. *aut paulo post, è Palatio recessisse, in quo positus negociis, vt ait, secularibus occupabatur. Ad quem vsque annum solummodò præfati Annales perducti fuisse reperiuntur. Nam Appendix, quam his attexuit Iustus Renberus, non sine aliqua annorum perturbatione, è Vita Ludouici Pij tota desumpta est. Addo & translationem supradictorum Sanctorum in iisdem Annalibus tam breuiter ac succinctè perstringi sub anno* DCCCXXVII. *vt neminem alium hæc scripsisse suspicari liceat, quàm Eginhardum ipsum, qui humilitate ductus nomen suum reticere voluerit. Sancta enim deuotionis ardore incitatus, vt alter sibi coæuus adnotauit in Vita Ludouici Pij,* Romam misit, & corpora SS. Marcellini & Petri, annuente Papa, in Franciam fecit transuehi, & valde decenter in proprio territorio, propriisque sumptibus recondidit. *Denique stilus ipse Annalium cum stilo Vitæ Caroli M. tam genuinè conuenit, vt vtrumque Librum ab vno & eodem Auctore, scilicet* EGINHARDO, *fuisse conscriptum, quiuis possit agnoscere. Nec contrarium arguit, quòd Annalium Scriptor in fine anni* DCCLXXIV. *Monasterium Laureshe ym* suum *appellet, tanquam in eo Monachus vixerit: imò planissimè confirmat ipsum alterum non fuisse ab Eginhardo, qui, vel teste Chronico Laureshe ymensi, tot beneficia in Monasterium hoc contulit, ibique tam familiariter versatus est, vt optimo iure illud* suum *vocare potuerit.*

A 

ANNALES

REGVM FRANCORVM
PIPPINI, CAROLI MAGNI, LVDOVICI PII,

Ab anno Christi DCCXLI. ad annum vsque DCCCXXVIIII.

B *Auctore* EGINHARDO *ipsius Caroli M. Notario, postea Abbate.*

DCCXLI. 741.

Hoc anno Karolvs Maiordomus diem obiit, tres filios heredes relinquens, KAROLOMANNVM scilicet, PIPINVM, atque Grifonem: quorum Grifo, qui ceteris minor natu erat, matrem habuit nomine Suanihildem, neptim Odilonis Ducis Baioariorum. Hæc illum ad spem totius Regni concitauit in tantum, vt sine dilatione Laudunum ciuitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque ad ea quæ post mortem parris à Francorum societate desciuerant recipienda, animos intendunt. Et vt in externa profecturi omnia domi tuta dimitterent, Karolomannus Grifonem sumens, in Nouo-castello, quod iuxta Arduennam situm est, custodiri fecit: in qua custodia vsque ad tempus, quo idem Karolomannus profectus est, dicitur permansisse. Pippinvs Rex.

DCCXLII. 742.

KAROLOMANNVS & PIPINVS Regno Francorum potiti, primò Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum ipsius Prouinciæ Ducem cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam castello, cui Lucas nomen est, priùs quàm ex Prouincia secederent, Regnum, quod communiter administrabant, in loco qui Vetus Pictauium dicitur inter se diuiserunt. Eodémque anno postquàm domum regressi sunt, Karolomannus Alemanniam, quæ ipsa à Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro & igne vastauit.

C

DCCXLIII. 743.

KAROLOMANNVS & PIPINVS iunctis copiis contra Odilonem Ducem Baioariorum profecti sunt: prælióque commisso, exercitum eius fuderunt. Et postquam inde reuersi sunt, Karolomannus solus in Saxoniam profectus est: & castrum quod dicitur Hochsigburg, & in eo Thedericum Saxonem illius loci primarium in deditionem accepit.

DCCXLIV. 744.

IIDEM fratres Karolomannus & Pipinus iuncta manu Saxoniam ingressi sunt: prædictúmque Thedericum in deditionem acceperunt.

DCCXLV. 745.

Hoc anno Karolomannus id quod dudum secum præmeditatus est patefecit fratri suo Pipino, secularem conuersationem se velle dimittere, & habitu monachico Deo seruire. Propter hoc dimisit expeditionem anni præsentis, ad vota Karolomanni perficienda, & iter illius disponendum. Nam Romam proficisci statuerat: & Pipinus vacabat, dans operam vt frater suus honorificè ac decenter illò quò desiderabat perueniret.

PIPPINVS REX.

DCCXLVI. A

746. KAROLOMANNVS Romam profectus, dimissa seculari gloria habitum mutauit, & in monte Soracte Monasterium in honorem sancti Siluestri ædificauit: vbi quondam tempore persecutionis, quæ sub Constantino facta est, sanctus Siluester latuisse fertur. Ibique aliquandiu commoratus, meliori consilio hoc loco dimisso, ad Monasterium S. Benedicti in Samnio prouincia iuxta Cassinam arcem constitutum Deo seruiturus venit, ibique monachicum habitum suscepit.

DCCXLVII.

747. FRATER Karolomanni & Pipini nomine Grifo, Pipino fratri suo subiectus esse nolens, quanquam sub illo honorifice viueret, collecta manu in Saxoniam profugit: collectóque Saxonum exercitu, super fluuio Obacro in loco qui dicitur Horheim consedit. Pipinus autem cum exercitu Francorum per Turingiam profectus, contra fratris dolos Saxoniam ingressus est, conseditque super fluuium Missaham in loco qui vocatur Schaningе. Prælium tamen inter eos non est commissum, sed ex placito discesserunt.

DCCXLVIII.

748. GRIFO Saxonum fidei diffidens, Baioariam petiit, & copiis, quæ ad eum de Francia confluebant, ipsum Ducatum in suam redegit potestatem: Tassilonem & Hilthtrudim in deditionem accepit, Svvithgerum sibi in auxilium venientem B suscepit. Hæc cùm ad Pipinum perlata fuissent, cum maximo exercitu in Baioariam profectus est, fratrémque suum Grifonem, cum omnibus qui cum eo vel ad ipsum eò venerant, cepit, Tassilonem in Ducatum restituit: domúmque reuersus, Grifonem more Ducum XII. Comitatibus donauit. Sed ille tali beneficio contentus non erat. nam eodem anno ad Vvaifarium Ducem Aquitaniæ profugit.

DCCXLIX.

749. BVRCHARDVS VVirtziburgensis Episcopus, & Folradus Presbyter Capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, vt consulerent Pontificem de causa Regum qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandauit, meliùs esse illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret: datáque auctoritate sua, iussit Pipinum Regem constitui.

DCCL.

750. HOC anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est: & ad huius dignitatem honoris vnctus sacra vnctione manu sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum eleuatus in solium Regni in ciuitate Suessiona. Hildericus verò, qui falsò Regis nomine fungebatur, tonso capite in Monasterium missus est.

751. DCCLI. C

752. DCCLII.

753. DCCLIII.

HOC anno Pipinus Rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est. Et quamuis Saxones ei obstinatissimè resisterent, pulsi tamen cesserunt: & ipse vsque ad locum qui dicitur Rimi, qui est super fluuium VViseram, accessit. In qua expeditione Hildigarius Archiepiscopus interfectus est, in monte qui dicitur Viburg. Reuertenti verò Regi de Saxonia, nuncium accepit de morte fratris sui Grifonis, & à quo vel qualiter fuisset interfectus. Eodem anno Stephanus Papa venit ad Pipinum Regem in villa quæ vocatur Carisiacus, suggerens ei vt se & Romanam Ecclesiam ab infestationibus Langobardorum defenderet. Venit & Karolomannus frater Regis iam Monachus factus, iussu Abbatis sui, vt apud fratrem precibus Romani Pontificis obsisteret. Inuitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui iussa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Langobardorum, qui ei hoc imperauerat, audebat resistere.

DCCLIV.

754. STEPHANVS Papa postquàm à Rege Pipino Ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem accepit, ipsum sacra vnctione ad regiæ dignitatis honorem consecrauit, & cum eo duos filios eius, KAROLVM, & Karolomannum. mansitque hyberno tempore in Francia. Eodem anno Bonifacius Archiepiscopus Moguntia-

A cenſis in Friſia verbum Dei prædicans, à paganis interfectus, martyrio coronatus eſt. *Pippinus Rex.*

DCCLV. 755.

Pipinus Rex inuitante atque ſuggerente prædicto Romano Pontifice, propter erepta Romanæ Eccleſiæ per Regem Langobardorum dominia, Italiam manu valida ingreditur. Reſiſtentibus Langobardis, & clauſtra Italiæ tuentibus, ad ipſas montium anguſtias, quas Cluſas vocant, acerrimè pugnatum eſt. Cedentibúſque Langobardis, omnes copiæ Francorum viam quamuis difficilem non magno labore ſuperarunt. Haiſtolfus verò Rex Langobardorum manum conſerere non auſus, in ciuitate Papia à Rege Pipino obſeſſus eſt: qui antè obſidionem non ſoluit, quàm firmitatis causâ pro reſtituendis quæ Romanæ Eccleſiæ ablata fuerant, obſides XL. recepiſſet. Datis verò XL. obſidibus, promiſſiſque iureiurando firmatis, ipſe quidem in Regnum ſuum regreſſus eſt: & Stephanum Papam cum Folrado Preſbytero Capellano, & non minima Francorum manu, Romam remiſit. Karolomannus Monachus frater Regis, qui cum Bertrada Regina in Vienna ciuitate remanſit, priuſquàm Rex de Italia reuerteretur, febre correptus diem obiit. Cuius corpus iuſſu Regis ad Monaſterium S. Benedicti, in quo monachicum habitum ſuſceperat, relatum eſt.

B

DCCLVI. 756.

Haistolfus Rex Langobardorum, quanquam anno ſuperiore obſides dediſſet, & ad reddendum ea quæ Romanæ Eccleſiæ abſtulerat, tam ſe quàm optimates ſuos iureiurando obſtrinxiſſet, nihil promiſſorum opere compleuit. Propter hoc Pipinus Rex iterum cum exercitu Italiam intrauit, & Haiſtolfum in Papia ciuitate ſe includentem obſedit, & obſidione ad impletionem promiſſorum ſuorum compulit. Redditámque ſibi Rauennam & Pentapolim, & omnem Exarchatum ad Rauennam pertinentem, ad ſanctum Petrum tradidit: atque iis peractis, in Galliam reuerſus eſt. Haiſtolfus autem poſt abſceſſum eius cùm meditaretur quomodo ſua promiſſa non tàm impleret, quàm dolosè ea quæ impleta fuerant commutaret, in venatione de equo ſuo caſu prolapſus eſt: atque ex hoc ægritudine contracta, intra paucos dies viuendi finem fecit. Cui Deſiderius, qui Comes ſtabuli eius erat, ſucceſſit in regnum.

DCCLVII. 757.

Constantinus Imperator Pipino regi multa miſit munera, inter quæ & organa, quæ ad eum in Compendio villa peruenerunt, vbi tunc populi ſui generalem Conuentum habuit. Illuc & Taſſilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis in vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendauit: fidelitatémque tàm ipſo Regi Pipino, quàm filiis eius Karolo & Karolomanno iureiurando ſuper corpus ſancti Dionyſij promiſit. Sed non ſolùm ibi, verùm etiam ſuper corpus ſancti Martini, & ſancti Germani, ſimili ſacramento fidem ſe prædictis dominis ſuis, diebus vitæ ſuæ ſeruaturum eſt pollicitus. Similiter omnes primores ac maiores natu Boioarij, qui cum eo in præſentiam Regis peruenerant, fidem ſe Regi & filiis eius ſeruaturos in prædictis venerabilibus locis promiſerunt.

C

DCCLVIII. 758.

Pipinus Rex cum exercitu Saxoniam aggreſſus eſt: & quamuis Saxonibus validiſſimè reſiſtentibus, & munitiones ſuas tuentibus, pulſis prælio propugnatoribus, per ipſum, quo patriam defendere conabantur vallum, intrauit. Commiſſiſque paſſim præliis, plurimam ex ipſis multitudinem cæcidit, coëgitque vt promitterent ſe omnem voluntatem eius facturos: & ſingulis annis honoris cauſa ad generalem Conuentum equos CCC. pro munere daturos. His ita compoſitis, & more Saxonico vt rata eſſe deberent, confirmatis, in Galliam ſeſe cum exercitu ſuo recepit.

DCCLIX. 759.

Natus eſt Pipino Regi filius, quem ſuo nomine Pipinum vocari voluit. Sed puer immatura morte præuentus, tertio poſt natiuitatem ſuam anno deceſſit. Hoc anno celebrauit Rex Natalem Domini in Longlare, & Paſcha in Iopila: neque extra Regni ſui terminos aliquod iter fecit.

PIPPINVS REX.

DCCLX. A

760. VVAIFARIVS Dux Aquitaniæ, cùm res, quæ in sua potestate erant, & ad Ecclesias sub manu Pipini Regis constitutas pertinebant, rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere noluisset, ipsúmque Regem de hisce per Legatos suos commemorantem audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitauit. Nam Rex contractis vndique copiis Aquitaniam ingressus, se res Ecclesiarum bello exacturum pronuntiauit. Cúmque in loco, qui Thedoad vocatur, positis castris consedisset, VVaifarius bello certare non ausus, missa ad Regem Legatione, spondet se imperata facturum, Ecclesiis sua iura redditurum, obsides qui impetrarentur daturum. Dedit etiam duos de primoribus gentis, Adalgarium, & Itherium. Et hoc facto ita contra se commotum Regis animum mitigauit, vt statim bello desisteret. Nam acceptis obsidibus, qui ad finem promissionibus faciendam dati sunt, Rex bello abstinuit: domúmque reuersus, dimisso exercitu, in villa Carisiaco hyemauit, in qua & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCLXI.

761. VVAIFARIVS Dux quanquam obsides dedisset, sacramentáque iurasset, satius tamen ratus de illato sibi anno superiore bello vltionem exigere, exercitum suum, qui Francorum possessiones popularetur, vsque ad Cabillonem ciuitatem fecit accedere. Quod cùm Pipino Regi generalem Conuentum agenti in villa Duria fuisset nuntiatum, coactis vndique auxiliis, cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quædam oppida atque castella manu cepit: in quibus præcipua fuere, Burbonis, Cantilla, Clarmontis. Quædam se victori vltrò dederunt: maximéque Auernorum castella, quæ tunc bello premebantur. Rex tamen cuncta, quæ extra munitiones inuenit, ferro & igne deuastans, postquam ad Limouicam oppidum venit, reuersus est, & in villa Carisiaco hybernis habitis, Natalem Domini ac Pascha celebrauit. In hac expeditione fuit cum Rege filius eius primogenitus KAROLVS, ad quem post patris obitum totius imperij summa peruenit. B

DCCLXII.

762. PIPINVS Rex suscepto à se bello finem imponere cupiens, iterum Aquitanicam prouinciam cum magnis copiis intrat: captisque Biturica ciuitate, & castello Toarcis, reuertitur. Hyemauitque in villa Gentiliaco: atque in ea Natalem Domini, ac Paschalis festi solennitatem celebrauit.

DCCLXIII.

763. REDEVNTE anni congruo tempore, Conuentu in Niuernis habito, & contractis vndique copiis, Rex Pipinus Aquitaniam repetit, & omnia quæ extra munitiones erant ferro & igne depopulatus, vsque ad Cadurciam oppidum accessit. Inde cum exercitu integro in Franciam se recepturus, per Limouicam regreditur. De qua expeditione Tassilo Baioariæ Dux ægritudine per dolum simulata, in patriam reuersus est: firmatóque ad defectionem animo, ad Regis aspectum se vlteriùs venturum abiurauit. Rex dimisso exercitu in hyberna ad hyemandum, in villa Longlare consedit: atque ibi Natalem Domini ac Pascha celebrauit. Facta est autem hoc tempore tàm valida atque aspera hyems, vt immanitate frigoris nulli præteritorum annorum hyemi videretur posse conferri. C

DCCLXIV.

764. REX PIPINVS distracto in diuersa animo propter duo bella, Aquitanicum scilicet iam olim susceptum, & Baioaricum propter Tassilonis Ducis defectionem suscipiendum, populi sui generalem Conuentum habuit in VVormacia ciuitate. Dilatáque in futurum expeditione, illo anno domi se continuit. Hyemauitque in villa Carisiaco, atque in ea Natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit. Eodem anno eclypsis Solis facta est primo die Non. Iun. hora VI.

DCCLXV.

765. HOC anno Rex Pipinus domi se continuit, neque propter Aquitanicum bellum, quamuis nondum finitum, Regni sui terminos egressus est: sed generalem populi sui Conuentum in Attiniaco villa, hyberna Aquisgrani habuit, vbi & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

A DCCLXVI.

PIPINVS Rex propter conficiendum Aquitanicum bellum Conuentu in Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, destructum à VVaifario Argentomagum castrum reparat: dispositóque & ibi & in Biturica ciuitate Francorum præsidio, regreditur. Natalémque Domini Salmoniaci, Pascha verò Gentiliaci celebrauit. PIPPINVS REX. 766.

DCCLXVII. 767.

ORTA quæstione de sancta Trinitate, & de Sanctorum imaginibus, inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam, id est, Romanos & Græcos, Rex Pipinus Conuentu in Gentiliaco villa congregato, Synodum de ipsa quæstione habuit: eóque peracto, ad bellum prædictum conficiendum post Natalem Domini in Aquitaniam proficiscitur. Et per Narbonam iter agens, Tolosam aggressus cepit: Albiensem & Gauuldensem pagos in deditionem accepit. Et Viennam reuersus, postquàm ibi & Paschalis festi sacra peregit, & exercitum à labore refecit, iam propè æstate confecta, mense Augusto ad reliquias belli profectus est: & Bituricam veniens, Conuentum more Francico in campo egit. Indéque ad Garonnam fluuium accedens, castella multa & petras atque speluncas, in quibus se hostium manus plurima defendebat, cepit. Inter quæ præci-
B pua fuere Scoralia, Torinna, Petrocia. Reuersúsque Bituricam, exercitum in hyberna dimisit: ipse ibi moratus Natalem Domini celebrauit. Eo anno Paulus Papa Romanus defunctus est: cuius rei nuncius ibi ad Regem peruenit.

DCCXLVIII. 768.

REX PIPINVS cùm primùm ad bellum gerendum tempus congruum esse videret, euocato vndique exercitu, ad Santonicam ciuitatem contendit. Captóque in itinere Rimistaino, cum ad vrbem prædictam venisset, mater & soror, neptésque VVaifarij Ducis ad conspectum eius adductæ sunt. Quas cùm piè susceptas seruari iussisset, ad Garonnam fluuium proficiscitur: vbi ei Eberuvicus cum alia prædicti Ducis sorore occurrit in loco qui Mortes vocatur: séque & illam Regi tradidit. Rebus igitur aliquot prosperè gestis, Rex reuertitur, & in castello quod dicitur Sels Pascha celebrauit. Assumptáque secum vxore atque familia sua, iterum ad vrbem Santanicam venit. Dimissáque ibi vxore ac familia, cum omnibus copiis ad persequendum VVaifarium Ducem animum intendit: neque priùs destitit, quàm & caperet, & rebellantem quoque interficeret. Interfecto igitur VVaifario Duce in territorio Petragorico, confectóque vt sibi videbatur Aquitanico bello, Santonas reuersus est. Cúmque ibi aliquantum temporis moraretur, ægritudine decubuit. In ipsa tamen valetudine Turonas delatus, apud sancti Martini memoriam orauit. Inde cùm ad Parisios venisset, VIII. Cal. Octob. diem obiit: cuius corpus in Basilica beati Dionysij Martyris
C humatum est. Filij verò eius KAROLVS & Karolomannus consensu omnium Francorum Reges creati: & KAROLVS in Nouiamago ciuitate, Karolomannus in Suessiona insignia Regni susceperunt. KAROLVS Aquasgrani profectus, ibi Natalem Domini, & in Rotomago ciuitate Pascha celebrauit.

DCCLXIX. 769.

POSTQVAM hij duo fratres patri succedentes Regnum inter se partiti sunt, Aquitania prouincia, quæ in sortem maioris natu KAROLI Regis cesserat, remanentibus in ea transacti belli reliquiis, conquiescere non potuit. Nam Hunholtus quidam Regnum affectans, Prouincialium animos ad noua molienda concitauit. Contra quem ipse, cui eadem Prouincia sorte obuenerat, Rex KAROLVS cum exercitu profectus est. Sed cùm fratris auxilium habere non posset, qui Procerum suorum prauo consilio ne id faceret impediebatur, colloquio tantùm cum eo habito, in loco qui Duasdiues vocatur, fratre in Regnum suum remeante, ille Egolisenam Aquitaniæ ciuitatem proficiscitur: & inde vndique contractis copiis, fugientem Hunholtum prosequitur, paululúmque absuit quin caperet. Sed ille notitia locorum, in quibus Regis exercitum latere poterat, liberatus est: dimissáque Aquitania Vasconiam petiit, tutum se ibi fore arbitratus. Erat tunc Vasconum Dux Lupus nomine, cuius fidei se Hunholtus committere non dubitauit. Ad quem Rex missa ociùs Legatione, iubet sibi perfugam reddi: idque ea conditione, vt nisi dicto obediens esset, sciret se bello Vasconiam CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS MAGNVS. ingressurum, neque inde prius digressurum quàm illius inobedientiæ finem imponeret. Lupus minis Regis perterritus, Hunholtum & vxorem eius sine cunctatione reddidit, se quoque quæcumque imperarentur facturum spopondit. At Rex, donec Legati quos miserat reuerterentur, castellum iuxta Dornoniam fluuium nomine Francicum ædificat. Reuersis igitur Legatis, reducto perfuga, ædificato castello, in Regnum suum regreditur: celebrauitque Natalem Domini in villa Duria, & Pascha apud sanctum Lantbertum in vico Leodico. A

770. DCCLXX.

DOMINVS KAROLVS Rex habuit populi sui generalem Conuentum in VVormacia ciuitate. Bertrada verò mater Regum cum Karolomanno minore filio apud Salusiam locuta pacis causa in Italiam proficiscitur, peractóque propter quod illò profecta erat negotio, adoratis etiam Romæ sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios in Galliam reuertitur. KAROLVS autem Rex Natalem Domini in Moguntiaco, sanctúmque Pascha in villa Haristallio celebrauit.

771. DCCLXXI.

PERACTO secundum morem generali Conuentu super fluuium Scaldam in villa Valentiana, Rex KAROLVS ad hyemandum proficiscitur. Cùmque ibi aliquandiu moraretur, Karolomannus frater eius Pridie Non. Decemb. decessit in villa Salmoneiaco. Et Rex ad capiendum ex integro Regnum animum intendens, Carbonacum villam venit. Ibi VVilharium Episcopum Sedunensem, & Folradum Presbyterum, & alios plures Sacerdotes, Comites etiam atque Primates fratris sui, inter quos vel præcipui fuêre VVarinus & Adelhartus, ad se venientes suscepit. Nam vxor eius & filij cum parte optimatum in Italiam profecti sunt. Rex autem hanc eorum profectionem quasi superuacuam impatienter tulit. Celebrauitque Natalem Domini in Attiniaco, & Pascha in Haristallio. B

772. DCCLXXII.

ROMÆ Stephano Papa defuncto, Adrianus in Pontificatum successit. Rex verò KAROLVS congregato apud VVormaciam generali Conuentu, Saxoniam bello aggredi statuit: eámque sine mora ingressus, ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum castrum cepit, idolúmque quod Irminsul à Saxonibus vocabatur euertit. In cuius destructione cùm in eodem loco per triduum moraretur, contigit vt propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci riuis ac fontibus, aqua ad bibendum inueniri non posset. Sed ne diutiùs siti confectus laboraret exercitus, diuinitus factum creditur, vt quadam die cùm iuxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem qui castris erat contiguus tanta vis aquarum in concauitate cuiusdam torrentis eruperit, vt exercitui cuncto sufficeret. Tunc Rex idolo destructo ad VVisuram fluuium accessit, ibique à Saxonibus XII. obsides accepit. Inde in Franciam reuersus, in villa Haristallio & Natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit. C

773. DCCLXXIII.

ADRIANVS Papa cùm insolentiam Desiderij Regis & Langobardorum ferre non posset, decreuit Legationem ad KAROLVM Regem Francorum mittere, eúmque vt sibi atque Romanis aduersus Langobardos opem ferret rogare. Et quia ad terreno itinere per Italiam fieri non poterat, eum quem miserat Legatum nomine Petrum, Romæ nauim conscendere, & Massiliam vsque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit peruenire. Qui cùm ad Regem in Theodonis-villa, vbi tunc hyemauerat, peruenisset, & ei Legationis suæ causam aperuisset, eadem qua venerat via Romam regressus est. Rex rebus quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur diligenti cura pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Romanorum suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Gebennam Burgundiæ ciuitatem iuxta Rhodanum sitam venit. Ibique de bello suscipiendo deliberans, copias quas secum adduxerat diuisit, & vnam partem cum Bernharto patruo suo per montem Iouis ire iussit: alteram ipse ducens, per montem Cinisum Italiam contendit. Superatóque Alpium iugo, Desiderium Regem frustra sibi resistere conantem citra congressum fugauit, Ticinóque inclusum obsedit, & in oppugnatione ciuitatis, quia difficilis erat, totum hyberni temporis spacium multa moliendo consumpsit.

A DCCLXXIV.

Carolus Magnus. 774.

Dum hæc in Italia geruntur, Saxones velut opportunam de absentia Regis nacti occasionem, contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne populantur. Cúmque in eo loco, qui nunc Fridesslar ab incolis nominatur, Basilicam à beato Bonifacio Martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi diuinitus pauore subitaneo, turpi trepidatione confusi domum fugiendo reuertuntur. At Rex dimisso ad obsidionem atque expugnationem Ticini exercitu, orandi gratiâ Romam proficiscitur. Et cùm peractis votis indè ad exercitum fuisset reuersus, fatigatam longa obsidione ciuitatem in deditionem compulit: quam ceteræ ciuitates secutæ, omnes se Regis Francorum potestati subdiderunt. At Rex subacta, & pro tempore ordinata Italia, in Franciam reuertitur, captiuum ducens Desiderium Regem. Nam Adalgisus filius eius, in quo Langobardi multum spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relicta Italia in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit: ibique in Patritiatus ordine atque honore consenuit. Rex autem domum regressus, priusquàm eum Saxones venisse sentirent, tripartitum in eorum regiones misit exercitum: qui incendiis ac direptionibus cuncta deuastans, compluribus etiam Saxonum qui resistere conati sunt interfectis, cum ingenti præda regressus est

Karolus ab Italia regrediens, dedicationem Ecclesiæ sancti Nazarii B Martyris, & translationem corporis ipsius in Monasterio nostro Lauresheym celebrauit, anno Incarnationis Domini DCCLXXIV. Cal. Sept.

DCCLXXV. 775.

Cum Rex in villa Carisiaco hyemaret, consilium iniit, vt perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eo vsque perseueraret dum aut victi Christianæ Religioni subiicerentur, aut omninò tollerentur. Habitóque apud Duriam villam generali Conuentu, Rheno quoque transmisso, cum totis Regni viribus Saxoniam petiit: & primo statim impetu Sigiburgum arcem, in qua Saxonum præsidium erat, pugnando cepit. Eresburgum aliud castrum à Saxonibus destructum muniuit, & in eo Francorum præsidium posuit. Inde ad VVisiram fluuium veniens, in eo loco qui Brunnesberg vocatur congregatam Saxonum multitudinem offendit, quæ eum à transitu fluminis arcere conabatur, sed frustrà. Nam in prima congressione pulsi fugatique sunt, & magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Et Rex amne traiecto cum parte exercitus ad Obacrum fluuium contendit, vbi ei Hesso vnus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalis occurrens, & obsides quos Rex imperauerat dedit, & sacramentum fidelitatis iurauit. Inde reuersus, cùm in pagum qui Buchi vocatur peruenisset, Angrarij cum suis primoribus ei occurrerunt, & sicut Ostfali iuxta quod Rex imperauerat obsides dederunt, & sacramenta iurauerunt. Interea pars exercitus, C quam ad VVisiram dimisit, in loco qui Hudbeki vocatur castris positis, incautè agens, Saxonum fraude circumuenta atque decepta est. Nam cùm pabulatores Francorum circa nonam diei horam reuerterentur in castra, Saxones eis, quasi & ipsi socij essent eorum, sese miscuerunt, ac sic Francorum castra ingressi sunt: dormientésque aggressi, non modicam incautæ multitudinis cædem fecisse dicuntur. Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute compulsi, castris excesserunt, & ex pacto quod inter eos ex tali necessitate fieri poterat discesserunt. Quod cùm Regi fuisset allatum, quanta potuit celeritate accurrens, fugientium terga insecutus, magnam ex eis multitudinem prostrauit: & tum demum VVestfalorum obsidibus acceptis, ad hyemandum in Franciam reuertitur.

DCCLXXVI. 776.

Regi domum reuertenti nunciatur Rotgaudum * Langobardum, quem Foroiuliensibus Ducem dederat, in Italia res nouas moliri, & iam complures ad eum ciuitates defecisse. Ad quos motus comprimendos cùm sibi festinandum iudicaret, strenuissimum quemque suorum secum ducens raptim in Italiam proficiscitur. Rotgaudóque * qui Regnum affectabat interfecto, ciuitatibus quoque quæ ad eum defecerant sine dilatione receptis, & in eis Francorum Comitibus constitutis, eadem qua venerat velocitate reuersus est. Cui vix Alpes transgresso, occurrerunt qui nunciarent Eresburgum arcem à Saxonibus expugnatam, ac præsidium Francorum quod in ea posuerat expulsum: Sigiburgum aliud castel-

* Hruodgaudum

* Hruodgaudóque

lum oppugnatum quidem, ſed non captum: eo quod ij qui in eo præſidij cauſa fuerant conſtituti, facta eruptione, incautos atque oppugnationi intentos Saxones à tergo inuaſerunt: & plurimis interfectis, reliquos non ſolùm oppugnationem dimittere, ſed etiam fugere compulerunt, palantéſque ac diſperſos ad Lippiam vſque fluuium perſecuti ſunt. Hæc cùm Regi nunciarentur, Conuentu apud VVormaciam habito, Saxoniam * petere ſtatuit: contractíſque copiis tanta celeritate ad deſtinatum à ſe in Saxonia locum peruenit, vt omnes hoſtium conatus, quibus ei reſiſtere conabantur *, illa feſtinatione peruerteret. Nam ad fontem Lippiæ veniens, immenſam illius perfidi populi multitudinem velut deuotam & ſupplicem, ac quaſi erroris ſui veniam poſcentem inuenit. Cui cùm & miſericorditer ignouiſſet, & eos, qui ſe Chriſtianos fieri velle affirmabant, baptizari feciſſet, datis & acceptis pro fide ſeruanda fraudulentis eorundem promiſſionibus, obſidibus quoque quos imperauerat receptis, Ereſburgo caſtro quod dirutum erat reſtaurato, alióque caſtello ſuper Lippiam conſtructo, & in vtroque non modico præſidio relicto, ipſe in Galliam reuerſus, in villa Hariſtallio hyemauit. A

* ſine mora ſtatuit exercitu eſſe petendam: contractíſque ingentibus copiis

* parabant,

777. DCCLXXVII.

REX prima veris aſpirante temperie, Nouiomagum profectus eſt, & poſt celebratam ibidem Paſchalis feſti ſolemnitatem, propter fraudulentas Saxonum promiſſiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum qui Padrabrunna * vocatur, generalem populi ſui Conuentum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus eſt. Eò cùm veniſſet, totum perfidæ gentis Senatum ac populum, quem ad ſe venire iuſſerat, morigerum ac fallaciter * ſibi deuotum inuenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter VVidikindum vnum è primoribus VVeſtfalorum, qui multorum ſibi facinorum conſcius, & ob id Regem veritus, ad Sigifridum Danorum Regem profugerat. Ceteri qui venerant ita ſe Regis poteſtati ſubmiſêre, vt ea conditione tunc veniam accipere mererentur: ſi vlteriùs ſua ſtatuta violarent, & patria & libertate priuarentur. Baptiſata eſt ex eis ibidem maxima multitudo, quæ ſe quamuis falsò Chriſtianam fieri velle promiſerat. Venit iiſdem & loco & tempore ad Regis præſentiam de Hiſpania Saracenus quidam nomine Ibinalarabi, cum aliis Saracenis ſociis ſuis, dedens ſe ac ciuitates, quibus eum Rex Saracenorum præfecerat. Idcircò Rex peracto memorato Conuentu in Franciam reuerſus, Natalem Domini in Duciaco * villa, Paſcha verò in Aquitania apud Caſſinogilum * celebrauit. B

* In vet. edit. Paderborna

* faciliter

* Dieiaco

* Caſſinoium

778. DCCLXXVIII.

TVNC Rex perſuaſione prædicti Saraceni ſpem capiendarum quarundam in Hiſpania ciuitatum haud fruſtrà concipiens, congregato exercitu profectus eſt: ſuperatóque in regione Vaſconum Pyrenei iugo, primò Pompelonem Nauarrorum oppidum aggreſſus, in deditionem accepit. Inde Iberum amnem vado traiiciens, Cæſarauguſtam præcipuam illarum partium ciuitatem acceſſit: acceptíſque quos Ibinalarabi & Abithaur *, quoſque alij quidam Saraceni obtulerunt, obſidibus, Pompelonem reuertitur. Cuius muros, ne rebellare poſſet, ad ſolum vſque deſtruxit: ac regredi ſtatuens, Pyrenei ſaltum ingreſſus eſt. In cuius ſummitate Vaſcones inſidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant. Et licèt Franci Vaſconibus tàm armis quàm animis præſtare viderentur, tamen & iniquitate locorum, & genere imparis pugnæ inferiores effecti ſunt. In hoc certamine plerique Aulicorum, quos Rex copiis præfecerat, interfecti ſunt: direpta impedimenta, & hoſtis propter notitiam locorum ſtatim in diuerſa dilapſus eſt. Cuius vulneris accepti recordatio magnam partem rerum feliciter in Hiſpania geſtarum in corde Regis obnubilauit. Interea Saxones velut occaſionem nacti, ſumptis armis ad Rhenum vſque profecti ſunt. Sed cùm amnem traiicere non poſſent, quicquid à Duicia ciuitate vſque ad fluenta Moſellæ vicorum villarúmque fuit, ferro & igne depopulati ſunt. Pari modo ſacra profanáque peſſundata. Nullum ætatis aut ſexus diſcrimen ira hoſtis fecerat: vt liquidò appareret, eos non prædandi, ſed vltionem exercendi gratiâ Francorum terminos introiſſe. Cuius rei nuncium cùm Rex apud Autiſiodorum ciuitatem accepiſſet, extemplò Francos Orientales atque Alemannos ad propulſandum hoſtem feſtinare iuſſit. Ipſe ceteris copiis dimiſſis, Hariſtallium villam in qua hyemaret * venit. At Franci atque Alemanni, C

* Abetaur,

* hyemare cõſtituerat.

qui

A qui contra Saxones missi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, si forte in finibus suis eos inuenire possent. Sed illi iam re peracta reuertebantur ad sua. Quorum vestigia secuti qui à Rege missi fuerunt, in pago Hassiorum super fluuium Adernam iter agentes reperetunt: eósque statim in ipso fluminis vado adorti, tanta strage ceciderunt, vt ex ingenti multitudine ipsorum vix pauci domum fugiendo peruenisse dicantur. CAROLVS MAGNVS.

DCCLXXIX. 779.

At Rex de Haristallio, vbi hyemauerat, & vbi Natalem Domini ac sanctum Pascha celebrauerat, prima veris tempete mouens, Compendium venit. Et cùm inde peracto propter quod venerat negotio reuerteretur, occurrit ei Hildebrandus Dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa VVirelmiaco. Quem benignissimè recepit, & muneribus donatum in Ducatum suum remisit. Ipse animo ad Saxonicam expeditionem intento, Duriam venit: habitóque iuxta morem generali Conuentu, Rhenum traiecit, & vsque ad Lippiam cum exercitu peruenit. Cui cùm Saxones in quodam loco, qui Bucholt vocatur, vana spe ducti, resistere tentarent, pulsi fugatique sunt. Rex VVestfalorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit. Inde ad VVisetam veniens, castris positis in loco nomine Medufulli, statiua per aliquot dies habuit. Ibi Angeri & Ostfali venientes & obsides dederunt, & sacramenta iurauerunt. Quibus peractis, Rex B trans Rhenum ad VVormaciam ciuitatem in hyberna se recepit.

DCCLXXX. 780.

Inde cùm primùm temporis opportunitas adesse visa est, iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus est: transiénsque per arcem Eresburgum ad fontem Lippiæ venit, vbi castrametatus, per aliquot dies moratus est. Inde ad Orientem itinere conuerso, ad Obacrum fluuium accessit. Cui cùm ibi omnium Orientalium partium Saxones vt iussetat occurrissent, maxima eorum multitudo in loco, qui Horheim appellatur, solita simulatione baptizata est. Profectus indè ad Albiam: castrísque in eo loco, vbi Hora & Albia confluunt, ad habenda statiua collocatis, tàm adres Saxonum qui exteriorem, quàm & Sclauorum qui vlteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Quibus tunc pro tempore ordinatis atque dispositis, in Franciam reuersus est. Initóque consilio, orandi ac vota soluendi causa Romam statuit proficisci. Sumptísque secum vxore ac liberis, sine mora in Italiam profectus est. Celebrauitque Natalem Domini Ticini, atque ibi residuum hyemis mansit.

DCCLXXXI. 781.

Inde Romam veniens, honorificè ab Adriano Papa susceptus est. Et cùm ibi sanctum Pascha celebraret, baptizauit idem Pontifex filium eius Pipinum, vnxitque in Regem. Vnxit etiam & Lvdovicvm fratrem eius, quibus & coronam imposuit. Quorum maior; id est, Pipinus, in Langobardia: minor verò in C Aquitania Rex constitutus est. Rege verò Roma digresso, ac Mediolanum veniente, Thomas eiusdem vrbis Episcopus baptizauit ibi filiam eius nomine Gislam, & de sacro fonte suscepit. Quibus gestis in Franciam reuersus est. Sed cùm Romæ esset, conuenit inter ipsum atque Adrianum Pontificem, vt simul Legatos mitterent ad Tassilonem Ducem Baioariæ, qui eum commonerent de sacramento quod Pipino Regi & filiis eius ac Francis iurauerat: scilicet vt eis subiectus esset, ac obediens. Electi ac directi sunt in hanc Legationem de parte Pontificis Formosus ac Damasus Episcopi, & de parte Regis Richolfus Diaconus, atque Eberhardus Magister Pincernarum. Qui cùm, vt iussi erant, commemorato Duci locuti fuissent, in tantum cor eius emollitum est, vt diceret se statim velle ad Regis properare præsentiam, si sibi tales dentur obsides, sub quibus de sua salute dubitare nulla sit necessitas. Quibus datis, sine cunctatione apud VVormaciam ad Regem venit, sacramentum quod iubebatur iurauit, obsides XII. qui imperabantur sine mora dedit: quos Suidbertus Reginensis episcopus de Baioaria in Carisiaco ad conspectum Regis adduxit. Sed idem Dux domum reuersus, non diu in ea quam promiserat fide permansit. Rex autem in eadem villa hyemem transigens, & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCLXXXII. 782.

Æstatis initio, cùm iam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in

CAROLVS MAGNVS. Saxoniam eundum, & ibi, vt in Francia quotannis solebat, generalem Conuentum habendum censuit. Traiectóque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ venit: & castris ibi positis, per dies non paucos ibidem moratus est. Vbi inter cetera negotia & Legatos Sigefridi Regis Danorum, & quos ad se Caganus & Iugurrus Principes Hunorum velut pacis causâ miserunt, & audiuit & soluit. Cúmque Conuenru completo trans Rhenum in Galliam se recepisset, VVidikindus qui ad Nordmannos profugerat in patriam reuersus, vanis spebus animos Saxonum ad defectionem concitauit. Interea Regi allatum est, quòd Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim & Salam interiacentes incolunt, in fines Euringorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi causa fuissent ingressi, & direptionibus atque incendiis quædam loca vastassent. Qui statim accitis ad se tribus ministris suis, Adalgiso Cubiculario, Geilone Comite stabuli, & VVorado Comite Palatij, præcepit vt sumptis secum Orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclauorum audaciam quàm celerrimè comprimerent. Qui cùm iussa facturi Saxoniæ fines ingressi fuissent, compererunt Saxones ex consilio VVidikindi ad bellum Francis inferendum esse paratos. Omissóque itinere, quo ad Sclauos ituri erant, cum Orientalium Francorum copiis ad locum, in quo audierant Saxones congregatos, ire contendunt: quibus in ipsa Saxonia obuiauit Thedericus Comes propinquus Regis, cum iis copiis quas audita Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit. Is festinantibus Legatis consilium dedit, vt primò per exploratores vbi Saxones essent, vel quid apud eos ageretur, quanta possent celeritate cognoscerent: tum si loci qualitas pateretur, simul eos adorirentur. Cuius consilio collaudato, vnà cum illo vsque ad montem qui Sontal appellatur, in cuius Septentrionali latere Saxonum castra erant posita, peruenerunt. In quo loco cùm Thedericus castra posuisset, ipsi sicut cum eo conuenerant, quo faciliùs montem circuire possent, transgressi VVisiram, in ipsa fluminis ripa castra posuerunt. Habitóque inter se colloquio, veriti sunt ne ad nomen Thederici victoriæ fama transiret, si eum in eodem prælio secum haberent. Ideóque sine eo cum Saxonibus congredi decernunt: sumptisque armis, non quasi ad hostem in acie stantem, sed quasi ad fugientem contendunt. Terga insequi, spoliáque diripere, prout quemquam velocitas equi sui tulerat, qua Saxones in acie pro castris stabant, vnusquisque eorum summa festinatione adoriuntur. Quò cùm esset peruentum, malè etiam pugnatum est. Nam commisso prælio, circumuenti à Saxonibus, penè omnes interfecti sunt. Qui tamen euadere potuerunt, non in sua vnde profecti sunt, sed in Thederici castra, quæ trans montem erant, fugiendo peruenerunt. Sed maior Francis quàm pro numero iactura fuit: quia Legatorum duo, Adalgisus & Geilo, Comitum quatuor, aliorúmque clarorum atque nobilium vsque ad xx. interfecti, præter ceteros qui hos secuti potiùs cum eis perire, quàm post eos viuere maluerunt. Cuius rei nuncium cùm Rex suscepisset, nihil sibi cunctandum arbitratus, collecto festinanter exercitu in Saxoniam proficiscitur. Accitisque ad se cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquisiuit. Et cùm omnes VVidikindum huius sceleris auctorem proclamarent, ipsum tamen tradere nequirent, eo quòd re perpetrata ad Nordmannos se contulerat, ceterorum qui persuasioni eius morem gerentes tantum facinus peregerunt, vsque ad MMMMD. traditi, & super Alaram fluuium, in loco qui Ferdi vocatur, iussu Regis omnes vna die decollati sunt. Huiusmodi vindicta perpetrata, Rex Theodonis villam in hyberna concessit: ibique & Natalem Domini & Pascha more solito celebrauit.

783. DCCLXXXIII.

ARRIDENTE veris temperie, cùm ad expeditionem Saxonicam se præparasset, (nam de omnimoda eorum defectione perlatum fuerat) priusquàm de memorata villa se moueret, HILDIGARDIS Regina vxor eius decessit pridie Cal. Maij. Cuius funeri cùm more solenni iusta persoluisset, in Saxoniam sicut disposuerat duxit exercitum. Cúmque Saxones in eo loco qui Thietmelle vocatur ad pugnam se præparare cognouisset, ad eos summa celeritate contendit: commissóque cum eis prælio, tanta eos cæde prostrauit, vt de innumerabili eorum multitudine perpauci euasisse dicantur. Cúmque de loco prælij ad Padrabrunnam*

*Edit vetus Paderbornam.

A se cum exercitu recepisset, atque ibi castris positis partem exercitus, quæ adhuc de Francia venire debuerat, operiretur, audiuit Saxones in finibus VVestfalorum super fluuium Hasam ad hoc congregari, vt ibi cum eo si venisset acie confligerent. Quo nuncio commotus, adunatis quæ tùm ad se venerant, quásque ante secum habebat, Francorum copiis, ad locum vbi congregati erant sine dilatione profectus est: congressúsque cum eis, eadem qua & priùs felicitate dimicauit. Cæsa est eorum infinita multitudo, spoliáque direpta: captiuorum quoque magnus abductus est numerus. Inde victor ad Orientem conuertit, primóque vsque ad VVisiram, deinde vsque ad Albim cuncta deuastando peragrauit. Indè reuersus in Franciam, duxit vxorem filiam Radolfi Comitis, natione Francam, nomine FASTRADAM. Ex qua duas filias procreauit. Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ mater Regis BERTHRADA, IIII. Id. Iul. Ipse in Haristallio villa ibidem hyematurus consedit, ibique Natalem Domini ac sanctum Pascha celebrauit. CAROLVS MAGNVS.

DCCLXXXIV. 784.

CVM primùm opportunitas temporis aduenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas Rex animo intento, cum exercitu in loco qui Lippeheim vocatur Rhenum traiecit, & vastatis VVestfalorum pagis, venit ad VVisiram. Cúmque in eo loco, qui Huculbi dicitur, castris super fluuium positis consedisset,
B vidit se in Aquilonares Saxoniæ partes sicut statuerat, propter nimias aquarum inundationes, quæ tàm subitò ex iugitate pluuiarum acciderant, transire non posse. Idcircò iter in Turingiam conuertit, & filium suum KAROLVM cum parte exercitus in VVestfalorum finibus subsistere iussit. Ipse per Turingiam iter faciens, venit in campestria Saxoniæ quæ Albi atque Salæ fluminibus adiacent: depopulatisque Orientalium Saxonum agris, ac villis incensis, de Schaninge in Franciam regressus est. KAROLVS verò filius eius, cùm ei iter agenti in pago Draigni iuxta Lippiam fluuium occurrisset exercitus, commisso cum eis equestri prælio, felici ac prospero dimicauit euentu. Nam magno eorum numero interfecto, ceteris in diuersa fugatis, victor ad patrem VVormaciam reuersus est. Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus est: celebratóque in castris Natalitio Domini die, super Ambram fluuium in pago Huettagoe *, iuxta castrum Saxonum, quod Dexidroburg, ad locum nomine Rimi, in qua VVisira & Vagarna confluunt, populabundus accessit. Cúmque eum vlteriùs progredi, tàm hyemalis temporis asperitas, quàm aquarum inundatio prohiberet, Eresburgum arcem in hyberna concessit. * Huettaguge

DCCLXXXV. 785.

CVM ibi hyemate decreuisset, accitis atque adductis ad se vxore & liberis, reductóque cum eis in eadem arce satis fido ac firmo præsidio, ipse cum expedita manu ad Saxonum pagos vastandos, ac villas diripiendas egressus, inquietam satis hyemem vbique discurrendo, & cuncta cædibus atque incendiis per-
C miscendo, tàm per seipsum, quàm per Duces quos miserat Saxonibus, reddidit. Cúmque huiusmodi vastationibus per totum hyberni temporis spacium omnes ferè Saxonum regiones ingenti clade affecisset, transacta tandem hyeme, & aduectis ex Francia commeatibus, publicum populi sui Conuentum in loco qui Padrabrunna * vocatur more solenni habuit. Ac peractis iis quæ ad illius Conuentus rationem pertinebant, in pagum nomine Bardengau proficiscitur: ibique audiens VVidikindum & Albionem esse in Transalbina Saxonum regione, primò eis per Saxones, vt omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cúmque ipsi facinorum suorum sibi conscij, Regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo quam optabant impunitatis sponsione, atque impetratis quos sibi dari precabantur suæ salutis obsidibus, quos eis Amaluuinus vnus Aulicorum à Rege missus adduxerat, cum eodem ad eius præsentiam in Attiniaco villa venerunt, atque ibi baptisati sunt. Nam Rex postquam ad eos accersendos memoratum Amaluuinum direxit, in Franciam reuersus est: quieuitque illa Saxonicæ perfidiæ peruicacitas per annos aliquot. Ob hoc maximè, quoniam occasiones deficiendi ad rem pertinentes inuenire non poterunt. Facta est eodem anno trans Rhenum apud Orientales Francos aduersus Regem [i]mmodica coniuratio, cuius auctorem Hartradum Comitem fuisse constabat. * Paderborna

CAROLVS MAGNVS. Sed huius indicium citò ad Regem delatum est, eiúsque solertiâ tàm valida conspiratio citra vllum grande periculum in breui conquieuit: auctoribus eius partim priuatione luminum, partim exilij pœnâ condemnatis. A

786. DCCLXXXVI.

CVM & hyemis tempus expletum, & sanctum Pascha in Attiniaco villa fuisset à Rege celebratum, exercitum in Britaniam Cismarinam mittere constituit. Nam cùm ab Anglis ac Saxonibus Britania insula fuisset inuasa, magna pars incolarum eius mare traiiciens, in vltimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosolitarum regiones occupauit. Is populus à Regibus Francorum subactus ac tributarius factus, impositum sibi vectigal, licèt inuitus, soluere solebat. Cúmque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiæ mensæ Præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mira celeritate compressit: Regique apud VVormaciam & obsides quos acceperat, & complures ex populi primoribus adduxit. Rex pace vndique parta, statuit Romam proficisci, & partem Italiæ, in qua Beneuentum situm est, aggredi conueniens esse arbitratus, vt illius Regni residuam portionem suæ potestati subiiceret, cuius caput capto Desiderio Rege, maiorémque partem in Langobardia iam subacta tenebat. Nec diu moratus, sed contractis celeriter Francorum copiis, in ipsa hyemalis temporis asperitate Italiam ingreditur. Cúmque in Florentia Tuscorum ciuitate Natalem Domini celebrasset, cum maxima celeritate Romam ire contendit. Quò cùm venisset, ac de profectione sua in Beneuentum, tàm cum Adriano Pontifice, quàm cum suis optimatibus deliberasset: Aragisus Dux Beneuentanorum audito eius aduentu, compertáque in terram suam intrandi voluntate, propositum eius auertere conatus est. Misso enim Rumoaldo maiore filio suo cum muneribus ad Regem, rogare cœpit, ne terram Beneuentanorum intraret. Sed ille longè aliter de rebus inchoatis faciendum sibi iudicans, retento secum Rumoaldo, cum omni exercitu suo Capuam ciuitatem Campaniæ accessit: inde bellum aggressurus, ni memoratus Dux propositum Regis salubri consilio præuenisset. Nam relicta Beneuento, quæ caput illius terræ habetur, in Salernum maritimam ciuitatem velut munitiorem se cum suis contulit: missáque Legatione, vtrosque filios suos Regi obtulit, promittens se ad omnia quæ imperarentur libenter obediturum. Cuius precibus Rex annuens, diuini etiam timoris respectu, bello abstinuit: & minore Ducis filio nomine Grimoaldo obsidis loco suscepto, maiorem patri remisit. Accepit insuper à populo obsides vndecim: misitque Legatos, qui & ipsum Ducem & omnem Beneuentanum populum per sacramenta obstringerent. Ipse post hæc cum Legatis Constantini Imperatoris, qui ad petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est: atque illis dimissis Romam reuersus, sanctum Pascha magna cum hilaritate celebrauit. B

787. DCCLXXXVII. C

CVM adhuc Rex Romæ esset, Tassilo Dux Baioariorum misit Legatos suos, Arnum videlicet Episcopum, & Hunrichum Abbatem, ad Adrianum Papam, petens vt inter Regem & illum mediator pacis fieri dignaretur. Nec Pontifex precibus eius censuit abnuendum, sed sedula admodum instantiâ apud Regem intercedere curauit, vt inter eos pax & concordia ex suæ Apostolicæ auctoritatis admonitione atque interuentione proueniret. Cui cùm Rex idem se magnoperè velle respondisset, simúlque à Legatis memorati Ducis inquireret, quando huius pacis firmitatem facere deberent, responderunt sibi de hac re nihil esse commissum, nec se de hoc negotio aliud facturos, quàm vt responsa Regis atque Pontificis domino suo reportarent. Quorum verbis Papa commotus, velut fallaces ac fraudulentos anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim Regi promissa fide discederent. atque ita infecto pacis negotio reuersi sunt. Rex autem adoratis Sanctorum liminibus, votisque solutis, Apostolica benedictione percepta, in Franciam reuersus est. Et cùm vxorem suam Fastradam, filiósque ac filias, & omnem comitatum quem apud eos dimiserat, VVormaciæ inuenisset, generalem populi sui Conuentum ibi habere statuit. In qua cùm omnia quæ in Italia gesserat coram optimatibus suis narrando commemorasset, & ad extremum de Legatis Tassilonis qui ad se Romæ venerant mentio facta fuisset, iniuit consilium, vt experiretur quid Tassilo de promissa fide præstare vellet: congreg-

A tóque ingenti exercitu, atque in tres partes diuiso, Baioariam atque ipsum Tassilonem petere constituit. Cúmque Pipinum filium cum Italicis copiis in Tridentinam vallem venire iussisset, Orientales quoque Franci ac Saxones, vt iussi fuerant, ad Danubium, in loco qui Pferinga vocatur, accessissent, ipse cum exercitu quem secum duxerat super Lechum fluuium, qui Alemannos & Baioarios diuidit, in Augustæ ciuitatis suburbano consedit. Inde Baioariam cum tàm valida manu procul dubio petiturus, nisi Tassilo sibi ac populo suo, ad Regem veniendo, consuleret. Nam videns se vndique circumsessum, venit supplex, ac veniam de ante gestis sibi dari precatus est. Sed & Rex, sicut erat natura mitissimus, supplici ac deprecanti pepercit: acceptisque ab eo, præter filium eius Theodonem, aliis XII. obsidibus, & populo terræ per sacramenta firmato, in Franciam reuersus est. Et in suburbano Mogontiacensi, in villa quæ vocatur Ingelheim, quia ibi hyemauerat, & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

CAROLVS MAGNVS.

DCCLXXXVIII. 788.

CVM in eadem villa generalem populi sui Rex fieri decreuisset Conuentum, ac Tassilonem Ducem, sicut & ceteros vassos suos in eodem adesse iussisset, atque ille vt ei fuerat imperatum, ad Regis præsentiam peruenisset, crimine læsæ maiestatis à Baioariis accusatus est. Obiiciebant ei, quòd postquam filium suum obsidem Regi dederat, suadente coniuge sua Luitburga, quæ filia Desiderij Regis Langobardorum fuit, & post patris exilium Francis inimicissima semper extitit, in aduersitatem Regis: & vt bellum contra Francos susciperent, Hunorum B gentem concitaret. Quod verum fuisse rerum in eodem anno gestarum probauit euentus. Obiiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ non nisi ab inimico & irato vel fieri vel proferri poterant, quorum ne vnum quidem inficiari cœpit. Sed noxæ conuictus, vno omnium assensu vt læsæ maiestatis reus, capitali sententiâ damnatus est. Sed clementia Regis, licèt morti addictum, liberare curauit. Nam mutato habitu in Monasterium missus est: vbi tàm religiosè vixit, quàm libens intrauit. Similiter & Theodo filius eius tonsus, & monasticæ conuersationi mancipatus est. Baioarij quoque, qui perfidiæ ac fraudis eorum conscij & consentanei fuisse perhibebantur, exilio per diuersa loca relegabantur. Huni verò, sicut Tassiloni promiserant, duobus exercitibus comparatis, vno marchiam Foroiuliensem, altero Baioariam aggressi sunt. sed frustrà. Nam in vtroque loco victi, fugatique sunt: & multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam iniuriam velut vindicaturi, Baioariam iterum maioribus copiis petierunt: sed in primo congressu pulsi à Baioariis, & innumera multitudo eorum cæsa, multi etiam ex iis, qui per fugam euadere conati, Danubium tranare voluerunt, gurgitibus fluminis absorpti sunt. Interea Constantinus Imperator propter negatam sibi Regis filiam iratus, Theodorum Patritium Siciliæ Præfectum, cum aliis Ducibus suis, fines Beneuentanorum C vastare iussit. Qui cùm imperata exequerentur, Grimoaldus, qui eodem anno post mortem patris Dux Beneuentanis à Rege datus est, & Hildebrandus Dux Spoletanorum, cum copiis quas congregare potuerunt in Calabria eis occurrerunt: habentes secum Legatum Regis VVinigisum, qui postea in Ducatu Spoletano Hildebrando successit. Commissóque prælio, immodicam ex eis multitudinem ceciderunt, ac sine suo suorúmque graui dispendio victores facti, magnum captiuorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Rex autem in Baioariam profectus, eandem prouinciam cum suis terminis ordinauit, atque disposuit: atque inde regressus, in Aquisgrano Palatio suo, vbi hyemauerat, & diem Domini Natalitium, sanctúmque Pascha more solenni celebrauit.

DCCLXXXIX. 789.

NATIO quædam Sclauonorum est in Germania, sedens super littus Oceani, qui propria linguâ VVeletabi, Francica autem VVilsi vocantur. Ea Francis semper inimica, & vicinos suos, qui Francis vel subiecti, vel fœderati erant, odiis insectari, bellóque premere ac lacessere solebat. Cuius insolentiam Rex longiùs sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit: comparatóque ingenti exercitu, Rhenum apud Coloniam traiecit. Inde per Saxoniam iter agens, cùm ad Albiam peruenisset, castris in ripa positis amnem duobus pontibus iunxit:

CAROLVS MAGNVS. quorum vnum ex vtroque capite vallo muniuit, & imposito præsidio firmauit. A
Ipse fluuio transito, quò constituerat exercitum duxit: ingressúsque VVilsorum terram, cuncta ferro & igne vastari iussit. Sed gens illa quamuis bellicosa, in sua numerositate confidens, impetum exercitus regij diu sustinere non valuit: ac proinde cùm primùm in ciuitatem Dragavviti ventum est, VViltzan (nam is ceteris VVilsorum regulis & nobilitate generis, & auctoritate senectutis præeminebat) extemplo cum omnibus suis ad Regem de ciuitate processit: obsides qui imperabantur dedit, fidem se Regi ac Francis seruaturum iureiurando promisit. Quem ceteri Sclauorum primores ac reguli secuti, omnes se Regis ditioni subdiderunt. Tum ille subacto illo populo, & obsidibus quos dare iusserat acceptis, eadem via qua venerat ad Albiam regressus est: & exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus secundum tempus dispositis, in Franciam reuersus est. Et in VVormacia ciuitate & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

790. DCCXC.

Hoc anno nulla expeditio à Rege facta est, sed in VVormacia residens Legatos Hunorum & audiuit, & suos vicissim ad eorum Principes misit. Agebatur de confiniis inter eos Regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Hæc contentio atque altercatio, belli, quod postea cum Hunis gestum est, seminarium & origo fuit. Rex autem ne quasi per otium torpere ac tempus terere videretur, per Mœnum fluuium ad Salæ Palatium suum in Germania iuxta Salam fluuium constructum nauigauit: atque inde iterum per eundem amnem secunda aquâ in VVormaciam reuersus est. Cúmque ibi hyemaret, ipsum Palacium in quo conuersabatur casu accidente nocturno incendio concrematum est. Ibi tamen permanens, & Natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit. B

791. DCCXCI.

Transacto vere, circa æstatis initium Rex de VVormacia mouens Baioariam profectus est, ea meditatione, vt Hunis factorum suorum vicem redderet, & eis quàm primùm posset bellum inferret. Compatatis igitur ad hoc ex omni Regno suo quàm validissimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cœpit. Cuius partem Thederico Comiti, & Meginfrido Cubiculatio suo committens, eos per Aquilonarem Danubij ripam iter agere iussit. Ipse cum parte, quam secum retinuit, Australem eiusdem fluminis ripam Pannoniam petiturus occupauit: Baioariis cum commeatibus exercitus, qui nauibus deuehebantur, per Danubium secunda aqua descendere iussis. Ac sic inchoato itinere, prima castra super Anesum posita sunt. Nam is fluuius inter Baioariorum atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum Regnorum limes habebatur. Ibi supplicatio per triduum facta, vt id bellum prosperos ac felices haberet euentus. Tum demum castra mota, & bellum genti Hunorum à Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum præsidiis, ac destructis munitionibus, quarum vna super Cambum fluuium, altera iuxta Comagenos ciuitatem in montem Cumeberg, vallo firmissimo erat extructa, ferro & igne cuncta vastantur. Cúmque Rex cum eo quem ducebat exercitu vsque ad Arrabonis fluenta venisset, transmisso eodem fluuio, per ripam eius vsque ad locum quo is Danubio miscetur accessit: ibíque statiuis per aliquot dies habitis, per Baioariam reuerti statuit. Alias verò copias, quibus Thedericum & Meginfridum præfecerat, per Behemannos * via qua venerant reuerti præcepit. Sic peragrata ac deuastata magna parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Francorum in Baioariam se recepit. Saxones autem & Frisones cum Thederico & Meginfrido per Behemannos, vt iussum erat, domum regressi sunt. Facta est autem hæc expeditio sine omni rerum incommodo, præter quod in illo, quem Rex ducebat, exercitu tanta equorum lues exorta est, vt vix decima pars de tot millibus equorum remansisse dicatur. Ipse autem cùm dimissis copiis Reginum ciuitatem, quæ nunc Reganesburg vocatur, venisset, & in ea hyematurus consedisset, ibi Natalem Domini & Pascha celebrauit. C

* Bohemos

792. DCCXCII.

Orgellis est ciuitas in Pyrenei montis iugo sita, cuius Episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti Episcopo per literas consultus,

A quid de humanitate Saluatoris Dei & Domini nostri IESV CHRISTI sentire deberet, vtrum secundum id quod homo est, proprius an adoptiuus Dei filius credendus esset ac dicendus: valdè incautè atque inconsideratè, & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptiuum non solùm pronunciauit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum Libris pertinacissimè prauitatem opinionis suæ defendere curauit. Huius rei causa ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Baioariæ ciuitatem, in qua & hyemauerat, residebat. Vbi congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse conuictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus: vbi etiam coram ipso in Basilica beati Petri Apostoli heresim confessus est atque abdicauit. Quo facto, ad ciuitatem suam reuersus est. Rege verò ibidem æstatem agente, facta est contra eum coniuratio à filio suo maiore nomine PIPINO, & quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastradæ Reginæ ferre non posse asseuerabant: atque ideò in necem Regis conspirauerant. Quæ cùm per Ardulfum Langobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei seruatæ Monasterio S. Dionysij donatus est. Auctores verò coniurationis vt rei læsæ maiestatis partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt. Rex autem propter bellum cum Hunis susceptum in Baioaria sedens, pontem naualem quo in Danu-
B bio ad id bellum vteretur ædificauit, ibique Natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit.

DCCXCIII. 793.

CVM Rex bellum à se inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere decreuisset, nunciatum est copias, quas Thedericus Comes per Frisiam ducebat, in pago Rhiustri iuxta VVisiram à Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cuius rei nuncio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter in Pannoniam intermisit. Persuasum tunc Regi erat, si inter Radantiam & Almonum fluuios fossa nauium capax duceretur, posse commodè è Danubio in Rhenum nauigari, quòd alter Danubio, alter Mœno miscetur. Confestim cum omni comitatu suo eò venit, congregatáque hominum multitudine totum autumni tempus in eo opere consumpsit. Ducta est fossa inter prædictos fluuios duûm millium passuum longitudine, latitudine ccc. pedum, sed in cassum. Nam propter iuges pluuias, & terram quæ palustris erat nimio humore suapte natura imbutam, cœptum opus consistere non potuit. Sed quantum interdiu terræ à fossoribus fuerat egestum, tantum noctibus humo iterum in locum suum relabente subsidebat. In hoc opere occupato duo valdè displicentia de diuersis terrarum partibus allata sunt. Vnum erat Saxonum omnimoda defectio: alterum quod Saraceni Septimaniam ingressi, prælióque cum illius limitis Custodibus atque Comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt.
C Quibus rebus commotus, in Franciam reuersus est: celebrauitque Natalem Domini apud sanctum Kilianum in VVirtziburgo iuxta Mœnum fluuium: Paschalis verò festi solennitatem super eundem fluuium in villa Franconofurt, in qua & hyemauerat.

DCCXCIV. 794.

REX ad condemnandam heresim Felicianam æstatis initio, quando & generalem populi sui Conuentum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus Regni sui Prouinciis in eadem villa congregauit. Affuerunt etiam in eadem Synodo Legati Romani Pontificis, Theophilactus ac Stephanus Episcopi, vicem tenentes eius à quo missi fuerant Adriani Papæ. In quo Concilio & heresis memorata condemnata est, & Liber contra eam communi Episcoporum auctoritate compositus: in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene & Constantino filio eius congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam vniuersalis erat appellata, vt nec septima nec vniuersalis haberetur diceretúrve, quasi superuacua in totum ab omnibus abdicata est. Mortua est ibi Fastrada Regina, & Moguntiaci apud sanctum Albanum sepulta. Quibus peractis, Rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, vt ipse cum dimidia parte copiarum ab Australi parte intraret, KAROLVS verò filius eius cum alia medietate Rhenum apud Coloniam traiceret, & in eandem regionem ab Occidente veniret. Quo facto, licèt Saxones in

CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS MAGNVS. campo, qui Sintfelt vocatur, quasi prælium cum Rege commissuri consedissent, A ibique aduentum eius operirentur, amissa victoriæ spe quam sibi paulò antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes conuersi sunt: victique sine prælio Regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur obsides, & iureiurando fidem se Regi velle seruare promiserunt. Sic omisso prælio & Saxones domum reuersi sunt, & Rex transmisso Rheno in Galliam se recepit. Et cum Aquasgrani venisset, ibidem hybernis habitis, & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

795. DCCXCV.

QVANQVAM Saxones æstate præterita & obsides dedissent, & secundum quod iussi erant sacramenta iurassent: Rex tamen illorum perfidiæ non immemor, Conuentum generalem trans Rhenum in villa Cuffenstein, quæ super Mœnum contra Moguntiacum vrbem sita est, more solenni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, penè totam populando peragrauit. Cúmque in pagum Bardengau peruenisset, & iuxta locum qui Bardenvvig vocatur positis castris, Sclauorum quos ad se venire iusserat expectaret aduentum: subitò ei nunciatum est, VVitzan Regem Abotritorum cùm Albim traiiceret, in dispositas à Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, & ab eis esse interfectum. Quod factum animo Regis ad Saxones ciriùs debellandos velut quosdam stimulos addidit, & in odium perfidæ gentis ampliùs excitauit. Terra igitur magna parte vastata, & obsidibus quos dare iusserat acceptis, in Franciam reuersus est. In hac expeditione, dum castra super Albim haberet, venerunt ad eum Legati de Pannonia, vnus ex primoribus Hunorum, qui apud suos vocabatur Thudun. Is & B suum aduentum, & se Christianum fieri velle promisit. Rex autem Aquasgrani veniens, sicut & anno priori, ibi temporibus suis & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

796. DCCXCVI.

ROMÆ Adriano defuncto, Leo Pontificatum suscepit. Et mox per Legatos suos claues confessionis sancti Petri, ac vexillum Romanæ vrbis cum aliis muneribus Regi misit: rogauitque vt aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subiectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus Abbas Monasterij sancti Richarij. Per quem etiam tunc ad S. Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus Dux Foroiuliensis spoliata Hunorum Regia, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, misit: reliquum verò inter optimates & aulicos, ceterósque in Palatio suo militantes, liberali manu distribuit. Atque iis expletis, ipse cum exercitu Francorum Saxoniam petiit. Pipinum verò filium suum cum Italicis ac Baioaricis copiis in Pannoniam ire iussit: & ipse quidem Saxonia magna ex parte vastata, ad hyemandum Aquasgrani Palatium reuertitur. Pipinus autem Hunis trans Tizam fluuium fugatis, eorúmque regia, quæ vt dictum est Ringus, à Langobardis autem Campus vocatur, ex toto destructa, direptis penè omnibus Hunorum opibus, ad patrem Aquisgrani hyberna habentem venit, C ac spolia Regni quæ secum detulit eidem præsentauit. Thudun etiam, de quo superiùs mentio facta est, fidem dictis suis adhibens, ibidem ad Regem venit: ibique cum omnibus, qui secum venerant, baptisatus ac remuneratus est. Post datum fidei seruandæ sacramentum domum rediit, sed in promissa fide diu manere noluit: nec multo pòst perfidiæ suæ pœnas dedit. Rex, vt dictum est, Aquisgrani in hybernis considens, ibi & Natalem Domini & Pascha celebrauit.

797. DCCXCVII.

BARCINONA ciuitas in limite Hispanico sita, quæ alternante rerum euentu, nunc Francorum, nunc Saracenorum dirioni subiiciebatur, tandem per Zatum Saracenum, qui tunc eam inuaserat, Regi reddita est. Nam is æstatis initio Aquasgrani ad Regem venit, séque cum memorata ciuitate spontanea deditione illius potestati submisit. Qua recepta, Rex filium suum LVDOVICVM ad obsidionem Oscæ cum exercitu in Hispaniam misit, & ipse more solito, ad contundendam perfidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intrauit. Nec priùs destitit, quàm omnes terminos eius peragrasset. Nam vsque ad vltimos fines eius, qua inter Albim & VVisiram Oceano abluitur, accessit. Indè regressus, cùm Aquasgrani venisset, ibique Abdellam Saracenum filium Ibinmauge *

* Aben-mauge

A Regis de Mauritania ad se venientem suscepisset, Legatúmque Nicetæ Patritij, qui tunc Siciliam procurabat, nomine Theoctistum, literas Imperatoris de Constantinopoli missas deferentem audisset: consilium iniit, vt ad conficiendum Saxonicum bellum, in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super VVisiram positis consedit, & locum castrorum Heristelli vocari iussit. Qui locus ab incolis vsque in præsens ita nominatur. Exercitum verò, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna diuisit. Illuc Pipinum de Italica & Ludouicum de Hispanica expeditione regressos, ad se venire iussit. Ibi Legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se missos audiuit, & absoluit. Ibi Legatum Adelfonsi Regis Asturicæ atque Galeciæ sibi dona deferentem suscepit. Inde iterum Pipinum ad Italiam, Ludouicum ad Aquitaniam misit: cum quo & Abdellam Saracenum ire iussit. Qui postea vt ipse voluit in Hispaniam ductus, & illorum fidei, quibus se credere non dubitauit, commissus est. Rex autem in Saxonia residens, ibi & Natalem Domini, & Pascha celebrauit. CAROLVS MAGNVS.

DCCXCVIII. 798.

CVM iam ver accederet, nondum tamen propter pabuli inopiam exercitus de hybernis produci potuisset, Saxones Transalbiani occasionem nacti, Legatos Regis, qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt, paucis eorum quasi ad nunciandum reseruatis: trucidantes cum ceteris & Godeschalcum Regis Legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigifridum Regem Danorum miserat. Is cùm Legatione functus reuerteretur, ab huius seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis, Rex grauiter commotus, congregato exercitu in loco cui Munda nomen, super VVisiram castra posuit, atque in fœdifragos ac desertores arma corripuit, & vltor necis Legatorum suorum, quicquid Saxoniæ inter Albiam ac VVisiram interiacet, totum ferro & igne vastauit. Transalbiani autem, qui Nordmanni vocantur, superbia elati, eò quòd Legatos Regis impunè occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos proficiscuntur. Quorum Dux Thrasico, cognito Transalbianorum motu, eis cum omnibus copijs suis in loco, qui Suentana vocatur, occurrit: commissóque prælio, ingenti eos cæde prostrauit. Nam in prima congressione quatuor milia eorum cecidisse narrauit Legatus Regis Eberwinus nomine, qui in eodem prælio fuit, & in Abotritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, & multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reuersi sunt. At Rex in Franciam regressus, cùm Aquasgrani venisset, primò Legatos Irenes Imperatricis ad se de Constantinopoli missos audiuit. Nam Constantinus filius eius propter morum insolentiam à suis comprehensus, & excæcatus est. Quibus petentibus Sisinium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi, olim in prælio captum, domum redire permisit. Legati fuêre Michaël cognomento Ganglianos, & Theophilus Presbyter de Blachernis. Post quorum absolutionem venêre de Hispania Legati Adelfonsi Regis, Basiliscus & Froia, munera deferentes, quæ ille de manubijs, quas victor apud Olisipponam ciuitatem a se expugnatam ceperat, Regi mittere curauit. Mauros videlicet septem, cum totidem mulis atque loricis: quæ licèt pro dono mitterentur, magis tamen insignia victoriæ videbantur. Quos & benignè suscepit, & remuneratos honorificè dimisit. Insulæ Baleares, quæ nunc ab incolis earum Maiorica & Minorica vocitantur, à Mauris piraticam exercentibus deprædatæ sunt. Rex verò Aquisgrani hyemauit, & ibi Natalem Domini & Pascha more solito celebrauit.

DCCXCIX. 799.

ROMÆ Leo Papa cùm litaniâ processurus de Lateranis ad Ecclesiam beati Laurentij, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias à Romanis positas iuxta eandem Basilicam incidit. Vbi equo deiectus, & erutis oculis, vt aliquibus visum est, lingua quoque amputata, nudus ac semiuiuus in platea relictus est. Deinde iussu eorum, qui huius facti auctores fuêre, in Monasterium sancti Erasmi Martyris velut ad curandum missus, Albini cuiusdam Cubicularij sui cura noctu per murum demissus, à VVinigiso Duce Spoletano, qui audito huiusmodi facinore Romam festinus aduenerat, susceptus, ac Spoletum

CAROLVS MAGNVS. deductus est. Cuius rei nuncium cùm Rex accepisset, ipsum quidem vt Vicarium sancti Petri, & Romanum Pontificem, cum summo honore ad se præcepit adduci. Iter tamen suum, quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit. Habito itaque generali Conuentu super Rhenum, in loco qui Lippenheim vocatur, ibique eodem amne transmisso cum toto exercitu suo, ad Padrabunnam accessit: ibique in castris considens, Pontificis ad se properantis præstolatur aduentum. Misit interea filium suum KAROLVM ad Albim cum parte exercitus, propter quædam negotia cum VVilsis & Abotritis disponenda, & quosdam Saxones de Nordluidis recipiendos. Cuius reuersionem eùm expectat, venit Pontifex, & valdè honorificè ab illo susceptus est: mansitque apud eum dies aliquot. Et cum ei cuncta propter quæ venerat intimasset, iterum Romam cum magno honore per Legatos Regis, qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est. Quo dimisso, Rex paucos dies ibidem moratus, Legatum Michaëlis Patritij de Sicilia nomine Danielem, ad se missum absoluit. Accepit etiam triste nuncium de Gerholti & Erici interitu: quorum alter, Gerholtus videlicet Baioariæ Præfectus, commisso cum Hunis prælio cecidit. Alter verò, id est Ericus, post multa prælia & insignes victorias apud Tarsatieam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum intereeptus atque interfectus est. Rebus itaque Saxonum pro rerum opportunitate dispositis, Rex in Franciam reuertitur. Et cùm Aquisgrani hyemaret, VVido Comes ac Præfectus Britanici limitis, qui eodem anno cum sociis Comitibus totam Britonum Prouinciam perlustrauerat, arma Ducum qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus, detulit. Videbatur enim ea Prouincia tum ex toto subacta, fuissétque nisi perfidæ gentis instabilitas citò id aliorsum more solito commutasset. Allata sunt & signa, quæ occisis in Maiotica Mauris prædonibus erepta fuerunt. Et Azan Saracenus Præfectus Oscæ claues vrbis cum aliis donis Regi misit, promittens eam se traditurum si opportunitas eueniret. Sed & Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem & reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ, quæ Patriarcha Regi miserat, detulit. Et Rex Natalem Domini in eodem Palatio residens celebrauit: ac Monachum reuerti volentem absoluens, Zachariam quendam Presbyterum de Palatio suo cum eodem ire iussit. cui & donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.

800. DCCC.

REDEVNTE verna temperie, medio ferè Martio Rex Aquisgrani digressus, littus Oceani Gallici perlustrauit: & in ipso mari, vbi tunc piraticam Nordmanni exercebant, classem instituit, præsidia disposuit, sanctum Pascha apud Sanctum Richarium celebrauit. Indè iterum per littus maris agens, Rotomagum ciuitatem venit: ibique Sequana amne transmisso, Turonos ad Sanctum Martinum orationis causa profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter aduersam Luitgardæ coniugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem prid. Non. Iun. Indè per Aurelianos ac Parisios Aquasgrani reuersus est. Et mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens, generalem Conuentum ibidem habuit, & iter in Italiam indixit: atque indè profectus cum exercitu Rauennam venit, ibique septem non amplius dices moratus, Pipinum filium suum cum eodem exercitu in terram Beneuentanorum ire iussit, mouénsque de Rauenna cum filio Anconam vsque peruenit. quo ibi dimisso Romam proficiscitur. Cui pridie quàm illò veniret Leo Papa apud Numentum occurrit, & cum magna veneratione ibidem susceptus est. Post cœnam qua simul refecti sunt, illo ibi manente, Pontifex ad vrbem processit, posteroque die in gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli cum Episcopis & vniuerso Clero consistens, aduenientem Regem equóque descendentem Deo laudes dicendo & gratias agendo suscepit, & cunctis psallentibus in Ecclesiam eiusdem beatissimi Apostoli Deum glorificans atque magnificans introduxit. Facta sunt hæc VIII. Cal. Decemb. Post septem verò dies Rex concione vocata cur Romam venisset omnibus patefecit, & exinde quotidie iis propter quæ venerat facienda operam impendit. In quibus vt maximum ita difficillimum erat, quod primò inchoatum est, de inuestigandis videlicet quæ Pontifici obiiciebantur criminibus. Qui tamen postquam nullus eorundem criminum probator esse voluit, coram omni populo in Basilica beati Petri

A Apostoli Euangelium ferens, ambonem conscendit, inuocatóque Trinitatis nomine, de obiectis se criminibus iureiurando purgauit. Eadem die Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymam miserat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit. Ij benedictionis gratia claues Sepulchri Dominici ac loci Caluariæ cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè susceptos per aliquot dies secum detinuit: & redire volentes, remuneratos absoluit. CAROLVS MAGNVS.

DCCCI. 801.

IPSE autem cùm die sacratissima Natalis Domini ad Missarum solennia Basilicam beati Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari vbi ad orationem se inclinauerat assisteret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, KAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Post quas laudes, à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est: ac deinde omisso Patritij nomine IMPERATOR & AVGVSTVS appellatus. Post paucos autem dies iubente ipso ij, qui eundem Pontificem anno superiore deposuerant, in iudicium adducti, & habita de eis quæstione, secundum legem Romanorum vt crimine læsæ maiestatis rei, capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio B affectu apud Imperatorem intercessit. nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. Ceterùm pro sui facinoris magnitudine exilio damnati sunt. Huius factionis fuere principes Paschalis Nomenclator, & Campulus Sacellarius, & multi alij Romanæ vrbis habitatores nobiles, qui simul omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis deinde Romanæ vrbis, & Pontificis, totiúsque Italiæ, non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis, & priuatis rebus (nam tota hyeme non aliud fecit Imperator) missáque in Beneuentanos iterum expeditione, cum Pipino filio suo post Pascha VII. Kalend. Maij Romà profectus Spoletum venit. Vbi dum esset prid. Kal. Maij hora noctis secunda terræmotus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concutiebatur. Nam & tectum Basilicæ diui Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit, & in quibusdàm locis vrbes montésque ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluuium, & in Gallia & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hyberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Rauennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nunciatum est ei Legatos Aaron Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obuiam mittens, inter Vercellas & Hipporhediam eos sibi fecit præsentari. Vnus eorum erat Persa de Oriente Legatus prædicti Regis (nam duo fuerant) alter Saracenus de Africa Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Hic Isaac Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Persarum cum Lantfrido & Sigimundo Legatis suis miserat, reuersum cum magnis muneribus C nunciauerunt. nam Lantfridus & Sigimundus ambo in eodem itinere defuncti sunt. Tum ille misit Erchenbaldum Notarium in Liguriam, ad classem parandum, qua elephas & ea quæ cum eo afferebantur subuehi possent. Ipse autem celebrato die Natalis sancti Ioannis apud Hipporhediam, Alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas in Hispania iam biennio obsessa: Zatus Præfectus eius & alij complures Saraceni comprehensi. Et in Italia Reate ciuitas similiter capta & incensa est, eiúsque Præfectus Roshelmus comprehensus, & castella quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant in deditionem accepta sunt. Zatus & Roshelmus vna die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobri Isaac Iudæus de Africa cum elephanto regressus, portum Veneris intrauit: & quia propter niues Alpinas illac transitum habere non poterat, in Vercellis hyemauit. Imperator Aquasgrani Palatio Natalem Domini celebrauit.

DCCCII. 802.

IRENE Imperatrix è Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatharium pacis confirmandæ gratia inter Francos & Græcos: & Imperator vicissim absoluto illo misit Iesse Episcopum Ambianensem & Helingaudum Comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Celebratum est Pascha Aquisgrani. Huius anni mense Iul. XIII. Cal. Aug. venit Isaac cum elephante,

CAROLVS MAGNVS. & ceteris muneribus quæ à Rege Persarum missa fuerunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. nomen elephanti erat Abulabaz. Orthona ciuitas Italiæ in deditionem est accepta. Nuceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit, præsidiúmque nostrorum in ea est positum. Imperator æstatis tempore in Arduenna venationi indulgens, misso exercitu Transalbianos Saxones vastauit. Grimoaldus Beneuentanorum Dux in Nuceria VVinigisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, aduersa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captúmque honorificè habuit. Imperator Aquisgrani Natalem Domini celebrauit. A

803. DCCCIII.

HAC hyeme circa ipsum Palatium & finitimas regiones terræ motus factus, & pestilitas subsecuta est. VVinigisus à Grimoaldo redditus est, & Legati Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt: & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc Rempublicam regebat, (nam Irenen post aduentum Legationis Francicæ deposuerant) quorum nomina fuerunt Michaël Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Candidarus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluuium Salam in loco qui dicitur Sels, & conditionem faciendæ pacis in scripto susceperunt: & indè dimissi cum epistola Imperatoris Romam regressi, atque Constantinopolim reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembri mense Aquasgrani reuersus est, ibíque Natalem Domini celebrauit. B

804. DCCCIV.

IMPERATOR Aquisgrani hyemauit, æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albim & in VVihmuodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abotritis dedit. Eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu Regni sui, ad locum qui dicitur Sliestorff, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum: sed consilio suorum inhibitus, propiùs non accessit. Imperator autem super Albim fluuium sedebat in loco qui dicitur Holdunstetin, & missa ad Godefridum Legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri Coloniam venit. Dimissóque exercitu primò Aquasgrani, deinde Arduennam venit: & venationi cùm indulsisset, Aquasgrani reuersus est. Medio Nouembri nunciatum est ei Leonem Papam Natalem Domini secum celebrare velle, vbicunque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad sanctum Mauricium KAROLO filio suo, honorificè suscipere iussit, ipse ad Remorum ciuitatem obuiam illi profectus est: ibique susceptum, primò Carisiacum villam, vbi Natalem Domini celebrauit, deinde Aquasgrani perduxit: & donatum magnis muneribus, per Baioariam ire volentem deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum fuerat ad Imperatorem æstate præterita, CHRISTI sanguinem in Mantua fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Langobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est, indéque arrepto itinere subitò ad Imperatorem vsque peruenit, mansitque apud illum dies octo, & sicut dictum est, Romam repedauit. C

805. DCCCV.

NON multò pòst Cacanus Princeps Hunorum propter calamitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infestationem Sclauorum qui Behemanni vocantur, in pristinis sedibus esse non poterant. Illi enim omnem terram Hunorum depopulantes, Lechonem tunc Ducem habuerunt. Hunc Imperator benignè (erat enim Cacanus Christianus, nomine Theodorus) suscepit, & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto, diem suum obiit. Et misit Cacanus vnum de optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum quem Cacanus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni iuxta priscum eorum ritum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo KAROLO in terram Sclauorum qui Behemanni vocantur, qui omnem

A omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum nomine Lechonem occidit: & inde regressus in Vogesum syluam ad patrem venit in loco qui dicitur Camp. Nam Imperator Iulio mense de Aquisgrani profectus, per Theodonis villam atque Metis transiens, Vogesum petiit, ibique venationi vacans, post reuersionem exercitus ad Rumerici castellum profectus, ibique aliquantum temporis moratus, ad hyemandum in Theodonis villa Palatio suo consedit. Ibi ambo ad eum filij sui Pipinus & Ludouicus venerũt. celebrauítque ibi Natalẽ Domini. CAROLVS MAGNVS.

DCCCVI. 806.

STATIM post Natalem Domini venerunt VVilharius & Beatus Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus, Legati Dalmatarum, ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ. Illisque absolutis, Conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & obseruanda inter filios suos, & diuisione Regni facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione est & testamentum factum, & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ: atque hæc omnia B literis mandata sunt, & Leoni Papæ vt ipse sua manu subscriberet per EGINHARDVM missa. Quibus Pontifex lectis & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperatot dimisso vtroque filio in Regnum sibi deputatum, Pippino scilicet & Ludouico, de villa Theodonis per Mosellam & Rhenum secunda aqua Nouiomagum nauigauit: ibíque Quadragesimale Ieiunium & sacratissimam Paschæ solennitatem celebrauit. Et indè post non multos dies Aquasgrani veniens, KAROLVM filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur Sorabi, & sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit. In qua expeditione Miliduoch Sclauorum Dux interfectus est: duóque castella ab exercitu ædificata, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albim. Sclauísque pacatis, KAROLVS cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Sili super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Baioaria & Alemania atque Burgundia sicut anno superiore, in terram Bebemannorum, vastatáque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa est. Eodem anno in Corsicam Insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est. Cuius aduentum Mauri non expectantes, abscesserunt. Vnus tamen nostrorum Hadumarus Comes ciuitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans, occisus est. In Hispania verò Nauarri & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patritius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et C Legati, qui ante quatuor ferè annos ad Regem Persarum missi erant, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad Taruisiani portus receptaculum nullo aduersariorum sæuiente regressi sunt. Imperator celebrauit Natalem Domini Aquisgrani.

DCCCVII. 807.

ANNO superiore IV. Non. Septemb. fuit eclypsis Lunæ. Tunc stabat Sol in XVI. parte Virginis, Luna in XVI. parte Piscium. Hoc autem II. Cal. Feb. fuit Luna XVII. quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III. Id. Feb. fuit eclypsis Solis media die, stante vtroque sydere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Cal. Mart. fuit eclypsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in XI. parte Piscium, & Luna in XI. parte Virginis. Nam & stella Mercurij XVI. Cal. April. visa est in Sole quasi parua macula, nigra paululum superiùs medio centro eiusdem syderis: quæ à nobis octo dies conspicata est. sed quando primùm intrauit vel exiuit, nubibus impedientibus, minimè notare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Cal. Sept. eclypsis Lunæ facta est, hora noctis III. Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembri vsque ad anni præsentis Septembrem ter Luna obscurata est, & Sol semel. Ratbertus Missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est. Et Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Ierusalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina

CAROLVS MAGNVS. fuere Georgius & Felix, ad Imperatorem peruenerunt, munera deferentes, quæ A prædictus Rex Imperatori miserat: id est papilionem & tentoria atrij miræ & magnitudinis & pulchritudinis. Erant omnia bissina, tàm tentoria quàm & funes eorum, diuersis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis pallia serica multa & preciosa, & odores, & vnguenta, & balsamum, nec non & horologium ex aurichalco, arte mechanica mirificè compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ priùs erant apertæ claudebant. Nec non & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuêre præterea inter prædicta munera candelabra duo ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia in Aquensi Palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator autem Legatum & Monachos per aliquantum tempus secum retinens in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expectare iussit. Eodémque anno Burchardum Comitem stabuli sui cum classe misit Corsicam, vt eam à Mauris qui superioribus annis illuc venire consueuerant defenderet. Hi iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi primò Sardiniam appulsi sunt: ibique cum Sardis prælio commisso, & multis suorum cæsis (nam tria millia ibi cecidisse perhibentur) indè in Corsicam recto cursu peruenerunt. Iterum ibi in quodam portu eiusdem Insulæ cum classe B cui Burchardus præerat prælio decertauere, victique ac fugati sunt, amissis XIII. nauibus, & plurimis suorum interfectis. Adeò illo anno in omnibus locis aduersa fortuna fatigati sunt, vt ipsi sibi hoc accidisse testarentur pro eo quòd anno superiore contra omnem iustitiam de Patelaria insula LX. Monachos asportatos in Hispania vendiderunt. Quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris iterum ad sua loca reuersi sunt. Niceta Patritius, qui cum classe Constantinopolitana in Venetia se continebat, pace facta cum Pipino Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator Pascha Aquis celebrauit, nec non & Natalem Domini.

808. DCCCVIII.

HYEMS mollissima ac pestilens fuit illo tempore. Veréque inchoante Imperator Nouiomagum profectus, ibi Quadragesimali ieiunio celebrato, ac sancto Paschate, iterum Aquas regressus est. Et quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abotritos cum exercitu traiecisse, KAROLVM filium suum ad Albim cum valida Francorum & Saxonum manu misit, iubens vt vesano Regi resisterent, si Saxoniæ terminos aggredi temptaret. Sed ille [illegible] per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus est. Nam licèt Thrasiconem C Ducem Abotritorum popularium fidei diffidentem loco pepulisset, Godolaibum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abotritorum duas partes vectigales sibi fecisset: optimos tamen militum suorum & manu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reginholdum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem Imperatoris KAROLVS Albim ponte iunxit, & exercitum cui præerat in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum defecerant, celerrimè transposuit: populatisque circumquaque eorum agris, transiróque iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclaui qui dicuntur VVilsi, qui propter antiquas inimicitias quas cum Abotritis habere solebant sponte se copiis eius coniunxerunt: ipsóque domum reuertente, cum præda quam in Abotritis capere potuerunt & ipsi domum regressi sunt. Godefridus verò priùs quàm domum reuerteretur, destructo emporio, quod in Oceani littore constitutum lingua Danorum Rerich dicebatur, & magnâ Regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat, translatisque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum qui Sliestorff dicitur cum vniuerso exercitu venit. Ibique per aliquot dies moratus, limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, vt ab

A Orientali maris sinu, quem illi Ostersalt dicunt, vsque ad Occidentalem Oceanum totam Egidoræ fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: vna tantùm porta dimissa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter duces copiarum, domum reuersus est. Interea Rex Nordhumbrorum de Britannia Insula nomine Ardulf, Regno & patria pulsus, ad Imperatorem dum adhuc Nouiomagi moraretur venit, & patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur: Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & domini Imperatoris in Regnum suum reducitur. Præerat ea tempestate Ecclesiæ Rom. Leo III. cuius Legatus ad Britanniam directus est: Adolphus Diaconus de ipsa Britannia Saxo, & cum ipso ab Imperatore missi duo, Abbates, Rutfridus * Notarius, & Nantharius Abbas de sancto Othmaro. Imperator verò ædificatis per Legatos suos super Albim fluuium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hyemauit, Natalémque Domini & Pascha celebrauit.

CAROLVS MAGNVS.

* Hruotfridus

DCCCIX. 809.

CLASSIS de Constantinopoli missa, primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit: cúmque ibi hyemaret, pars eius Comiaclum insulam accessit: commissóque prælio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa atque fugata
B Venetiam recessit. Dux autem qui classi præerat nomine Paulus, cùm de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud Pipinum Italiæ Regem agere moliretur, VVilhario & Beato Venetiæ Ducibus omnes conatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in Occiduis regionibus dominus Ludouicus Rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertusam ciuitatem in ripa Iberi fluminis sitam obsedit: consumptóque in oppugnatione illius aliquanto tempore, vbi eam tàm citò capi non posse vidit, dimissa obsidione, cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquàm Ardulfus Rex Nordhumbrorum reductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reuersi sunt: vnus ex eis, Adolphus videlicet Diaconus, à piratis captus est, ceteris sine periculo traiicientibus, ductúsque ab eis in Britanniam, à quodam Cœnulphi Regis homine redemptus est, Romámque reuersus. In Tuscia Populonium ciuitas magna à Græcis qui Ὀρόβιῶται vocantur, depræd ata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto Paschali Sabbatho ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum ac paucos senes atque infirmos, nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Rex Danorum per negotiatores quosdam significauit, se audisse Imperatorem sibi infensum, ob id quòd in Abotritos duxisset exercitum, & suas vltus esset iniurias: addens, velle se purgare ab eo quod ei obiiciebatur, fœderis irruptionem ab illis priùs fuisse inchoatam. Petebat etiam, vt conuentus
C Comitum Imperatoris atque suorum iuxta terminos Regni sui trans Albim fieret, in quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes enumerari potuissent. Non abnuit Imperator, colloquiúmque trans Albim habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur Badenfliet, multisque hinc & inde prolatis ac enumeratis rebus, negotio penitus infecto discessum est. Thrasicò verò Dux Abotritorum, postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos VVilsos aggressus, agros eorum ferro & igne vastauit. Regressúsque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem expugnat: atque iis prosperis successibus omnes qui ab eo defecerant ad suam societatem redire coëgit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquas reuersus, mense Nouembri Concilium habuit de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primò concitauit. Cuius definiendæ causa Bernhardus Episcopus VVormaciensis, & Adelhardus Abbas Monasterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conuersatione eorum qui in eis Deo seruire dicuntur: nec aliquid tamen definitũ est, propter rerum, vt videbatur, magnitudinem. Imperator autem, cùm ei multa de iactantia & superbia Regis Danorũ nunciarentur, statuit trans Albim ciuitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præsidium. Cúmque ad hoc per Galliam atq; Germaniam

CAROLVS MAGNVS. hominєs congregasset, armisque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructos A per Frisiam ad locum destinatum ducere iussisset, Thrasico Dux Abotritorum in emporio Rerich ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquam locus ciuitati construendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albim traiicere, & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis nomine Essesfelt, & occupatus est ab Egberto Comite & Saxonibus circa Id. Mart. & muniri cœptus. Aureolus Comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est: & Amaroz * Præfectus * al. Amoroz Cæsaraugustæ locum eius inuasit, & in castellis illius præsidia disposuit. Missaque ad Imperatorem legatione, se cum omnibus suis eius obsequio traditurum promisit. Eclypsis Lunæ facta est VII. Cal. Ian.

810. DCCCX.

AMAROZ Cæsaraugustæ Præfectus, postquam Imperatoris Legati ad eum venerunt, petiit vt colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis Custodes: promittens se in eodem colloquio cum omnibus in Imperatoris ditionem esse venturum. Quod licèt Imperator vt fieret annuisset, multis interuenientibus causis mansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata, primò Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt, nullóque præsidio in ea inuento, Insulam penè totam subegerunt. Interea Pipinus Rex perfidiâ Ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello terrâ marique statuit appetere. Subactáque Venetia, ac Ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cùm Paulus Cephalaniæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. Rotrudis filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Id. Iun. diem obiit. B Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit, classem ducentarum nauium de Nordmannia Frisiam appulisse, cunctásque Frisiaco littori adiacentes Insulas esse vastatas: iámque exercitum illum in continente esse, terrenáque prælia cum Frisonibus commisisse, Danósque victores tributum victis imposuisse, ac vectigalis nomine centum libras argenti à Frisonibus iam esse solutas: Regem verò domi esse. quod & reuera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora Palatio exiens, primò classi occurrere, deinde transmisso Rheno in loco qui Lippenheim vocatur, copias quæ nondum conuenerant statuit operiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei Aaron Rex Persarum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, celerrimè ad Alaram fluuium contendit: castrisque iuxta confluentem eius quo VVisiræ flumine coniungitur positis, minarum Godefridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore confligere velle iactabat. Sed dum Imperator in memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum C nuncij ad eum perferuntur. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum regressam, & Godefridum Regem à quodam suo satellite interfectum: Castellum nomine Hohbuchi Albi flumini contiguum, in quo Odo Legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à VVilsis captum: Et Pipinum Regem Italiæ VIII. Id. Iul. de corpore migrasse: Duásque Legationes de diuersis orbis partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causa aduentare nunciatur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum interirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas Prouincias in illius generis animalia mortalitas immanissimè grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobri, memoratas Legationes audiuit, pacémque cum Nicephoro Imperatore, & cum Abulaz Rege Saracenorum fecit. Nam Nicephoro Venetiam reddidit, & Heimrichum Comitem olim à Saracenis captum Abulaz remittente recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt: Sol VIII. Id. Iul. & II. Cal. Decemb. Luna autem XI. Cal. Iul. & XVIII. Cal. Ian. Corsica Insula iterum à Mauris vastata est. Amaroz ab Abdiraman filio Abulaz de

A Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. At Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit. CAROLVS MAGNVS.

DCCCXI. 811.

ABSOLVTO atque dimisso Arsaphio Spathario, (hoc erat nomen Legato Nicephori Imperatoris,) eiusdem pacis confirmandæ gratia Legati Constantinopolim ad Imperatorem mittuntur, Harto Episcopus Basiliensis, & Hugo Comes Turonicus, & Aio Langobardus de Foroiulij, & cum eis Leo quidam Spatharius natione Siculus, & VVillharius Dux Venetorum. Quorum alter ante annos decem Romam ad Imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens ad patriam remittitur: alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur. Indicta inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum iurata seruatur, donec redeunte veris temperie, & viis aperris, quæ immanitate frigoris clausæ fuerunt, congredientibus ex vtraque parte vtriusque gentis, Francorum scilicet & Danorum, XII. primoribus super fluuium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax firmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuere, VValach filius Bernhardi, Burchardus, Vnrochus, Vodo, Egbertus, Thedericus, Abbo, Ostdach, VVigman, omnes Comites. De parte Danorum in primis fratres Hemmingi Hancvvinc & Angandeo, deinde cæteri honorabiles inter suos viri, Osfred cognomento Turdimulo, & VVarsten, & Svvomi, & Vrm, & alius Osfred filius Heiligon, Osfred de Sconovve, & Hebbi, & Avvin. Imperator verò cum Hemmingo pace firmata, & placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni totidem exercitus misit: Vnum trans Albim in Hilinones, qui & ipsos vastauit, & castellum Hohbuochi superiore anno à VVilsis destructum in ripa Albis fluminis restaurauit: Alterum in Pannonias, ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas: Tertium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis incolumes regressi sunt. Ipse autem propter classem, quam anno superiore fieri imperauerat, videndam, ad Bononiam Gallicam, ciuitatem maritimam, vbi eadem naues congregaræ erant, accessit: farumque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui Ganda vocatur naues ad eandem classem ædificaras aspexit, & circa medium Nouembrem Aquas venit. Obuiarunt ei venienti Legati Hemmingi Regis, Avvin & Hebbi, munera Regis & verba pacifica deferentes. Fuere etiam Aquis aduentum eius expectantes, qui de Pannonia venerunt, Cani, Zauci, Principes Auarum, & Thudum, & alij primores Sclauorum circa Danubium habitantium, qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerunt, ad præsentiam Principis venire iussi erant. Interea KAROLVS filius Imperatoris, qui maior natu erat, II. Non. Decemb. diem obiit. Imperator Aquis hyemauit.

DCCCXII. 812.

NEC multo pòst Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cum Sigifridus nepos Godefridi Regis, & Anulo nepos Herioldi quondam Regis succedere voluissent, neque vterque regnare potuisset: comparatis copiis, & commisso prælio ambo moriuntur. Pars tamen Amulonis adepta victoria fratres eius Heriholrum & Reginfridum Reges sibi constituerunt: quam necessariò pars victa secura, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio X. millia DCCCCXL. viri cecidisse narrantur. Nicephorus Imperator post multas & insignes victorias, in Mæsia prouincia commisso cum Bulgaris prælio moritur: & Michaël gener eius Imperator factus, Legatos Imperatoris KAROLI, qui ad Nicephorum missi fuerunt, in Constantinopoli suscepit, & absoluit. Cum quibus & suos Legatos direxit, Michaëlem Episcopum & Arsaphium atque Theognistum Protospatharios, & per eos pacem à Nicephoro inceptam confirmauit. Nam Aquisgrani, vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in epistola suscipientes, more suo, id est Græca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem & βασιλέα eum appellantes: & inde reuersi Romam, in Basilica sancti Petri eundem pacti seu fœ-

CAROLVS MAGNVS.

deris libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, Imperator generali Conuentu Aquis solenniter habito, Bernhatdum filium Pipini nepotem suum in Italiam misit ptopter famam classis, quæ de Aftica & Hispania ad vastandam Italiam venit. VVallonem filium Bernhardi patruelis sui secum esse iussit, quousque terum euentus securitatem nostris affertet. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Satdiniam venit. Ea quidem pars, quæ in Sardiniam venetat, penè tota deleta est. Classis etiam Nordmannorum Hiberniam Scotorum Insulam aggressa, commissóque cum Scotis ptælio, parte non modica Nordmannorum intetfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Pax cum Abulaz Rege Satacenotum facta. Item cum Duce Beneuentanorum Grimoaldo, & tributi nomine xxv. millia solidorum auri à Beneuentanis soluta. Expeditio facta in VVilsos, & ab eis obsides accepti. Hetiholtus & Reginfridus Reges Danorum, missa ad Imperatotem Legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti togant. Hoc anno Id. Maij post meridiem Solis eclypsis fuit.

813. DCCCXIII.

IMPERATOR Aquisgrani hyemauit, & incipiente verno tempore Amalhatium Treuerensem Episcopum, & Petrum Abbatem Monastetij Nonantulæ, ptopter pacem cum Michaële Imperatote confitmandam Constantinopolim misit. Pons apud Moguntiacum mense Maio incendio conflagrauit. Post quod Imperator, cùm in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit, & conualescens B Aquisgrani reuersus est: ac deinde habito genetali Conuentu, euocatum ad se apud Aquasgrani filium suum LVDOVICVM Aquitaniæ Regem excipiens, coronam illi imposuit, & Impetialis nominis sibi consortem fecit: Betnhardúmque nepotem suum ex Pipino filio, Italiæ ptæfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius supet statu Ecclesiarum cortigendo per totam Galliàm ab Episcopis celebrata sunt: quorum vnum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quattum Cabilloni, quintum Arelati congregatum est. Et constitutionum, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo Conuentu habita: quas qui nosse voluetit, in suprà dictis ciuitatibus inuenire poterit. quanquam & in atchiuo Palatij exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc Conuentu quidam Francotum & Saxonum ptimores trans Albim fluuium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem Regum illotum facetent, & fratrem eis r[illegible]detent. Qui cùm pari numeto, (nam xvi. erant) de primatibus Danorum occurtissent, iutamentis vtrinque factis pax confirmata, & Regum frater eis redditus est. Qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad VVesterfœldam cum exercitu profecti. Quæ regio vltima Regni eorum intet Septentrionem & Occidentem sita, contra Aquilonatem Britanniæ summitatem respicit: cuius Princeps, ac populus eius subiici recusabant. Quibus petdomitis cùm reuertissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, C filij Godefridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relicta patria apud Sueones exulabant, comparatis vndique copiis bellum eis intulerunt. Et confluentibus ad se passim ex omni Danotum terra popularium turbis, commisso cum eis prælio, etiam Regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corsica Hispaniam cum multa præda tedeuntibus Irmingarius Comes Emporitanus in Maiotica insidias posuit, & octo naues eorum cepit: in quibus quingentos & eò ampliùs captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ ciuitatem, & Niceam Prouinciæ Narbonensis vastauerunt. Satdiniam quoque aggressi, commissóque bello cum eis, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt. At Michaël Imperator Bulgaros appetens bello, haud prospetis successibus vtitur: ac proinde domum reuersus, deposito diademate Monachus efficitur. In cuius locum Leo Papdæ Patritij filius Imperator constituitur. Crumas Rex Bulgatorum, qui Nicephorum Imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaëlem de Mœsia fugauerat, secundis rebus elatus, cum exercitu vsque ad ipsam Constantinopolim accessit. Quem mœnibus vrbis obequitantem Leo Imperator eruptione facta incautum excepit, ac grauiter vulneratum fugiendo sibi consulere, ac in patriam turpiter redire coëgit.

DCCCXIV. 814.

DOMINVS KAROLVS Imperator dum Aquisgrani hyemaret, anno ætatis circiter LXXI. Regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est XIIII. v. Cal. Feb. rebus humanis excessit. Cuius rei nuncium cùm LVDOVICVS filius eius in Aquitania apud Theodoadum villam, vbi & ipse tunc hybernabat, plurimis deferentibus accepisset, tricesimo postquam id acciderat die Aquasgrani venit: summóque omnium Francorum consensu ac fauore patri successit. Et ad suscepti Regni administrationem cura conuersa, primò Legationes gentium, quæ ad patrem venerant, auditas absoluit. Alias simili modo ad patrem ante quidem missas, ad se verò venientes suscepit. Inter quas præcipua fuit Legatio de Constantinopoli missa. Nam Leo Imperator, qui Michaëli successerat, dimisso Amalhario Episcopo & Petro Abbate, qui ad Michaëlem quidem missi, ad se tamen venerant, Legatos suos Christophorum Spatharium, & Gregorium Diaconum, cum eis ad dominum KAROLVM, & per eos descriptionem ac confirmationem pacti ac fœderis misit. Quibus susceptis atque dimissis, dominus LVDOVICVS Legatos suos, Nordbertum Rhegiensem Episcopum, & Richvvinum Pictauensem Comitem, ad Leonem Imperatorem ob renouandam secum amicitiam, & prædictum pactum confirmandum misit. Habitóque Aquisgrani generali populi sui Conuentu, ad iustitias faciendas, & oppressiones popularium releuandas, Legatos in omnes Regni sui fines misit. Bernhardum Regem Italiæ nepotem suum ad se euocatum muneribus donauit, & in Regnum remisit. Cum Grimoaldo Beneuentanorum Duce pactum fecit atque firmauit, eo modo quo & pater, scilicet vt Beneuentani tributum annis singulis VII. millia solidorum darent. Tunc duos ex filiis suis, LOTHARIVM in Baioariam, PIPINVM in Aquitaniam misit. Heriholtus & Reginfridus Reges Danorum, qui anno superiore à filiis Godefridi victi, & regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & Reginfridus, & vnus de filiis Godefridi qui maior natu erat interfectus est. Quo facto Heriholtus rebus suis diffidens ad Imperatorem venit, & se in manus illius commendauit. Quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare iussit, quo ei quemadmodum petierat auxilium ferre posset.

Marginal note: LVDOVICVS PIVS.

DCCCXV. 815.

IVSSVM est ab Imperatore vt Saxones & Abotriti ad hanc expeditionem præpararentur. Tentatumque est in illa hyeme duabus vicibus si Albiam transire possent. Sed mutatione subita aëris emolliti, ac glacie fluminis resoluta, negotium remansit infectum: donec tandem hyeme transacta circa medium Maium mensem opportunum proficiscendi tempus arrisit. Tunc omnes Saxonici Comites, omnésque Abotritorum copiæ, cum Legato Imperatoris Balderico, sicut iussum erat, ad auxilium Heriholto ferendum trans Egidoram fluuium in terram Nordmannorum in loco nomine Sinlendi perueniunt. Et inde profecti VII. tandem die in littore Oceani castra ponunt: ibíque statiuis triduo habitis, cùm filij Godefridi, contra eos magnis copiis, & ducentarum nauium classe comparata, in Insula quadam tribus millibus à continenti separata residerent, ipsique cum eis congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus XLI. ad Imperatorem in Saxoniam reuersi sunt. Ipse enim tunc temporis in loco qui dicitur Padrabrunna generalem populi sui Conuentum habebat. Ibi ad eum omnes Orientalium Sclauorum primores & Legati venerunt. Priusquam tamen illuc veniret, sed domi adhuc esset, allatum est ei quosdam de primoribus Romanorũ ad interficiendum Leonem Papam in ipsa vrbe Roma conspirasse: ac deinde cùm huius causæ indicium ad Pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores ipsius iussu fuisse trucidatos. Quod cùm molestè ferret, ordinatis tunc Sclauorum & Heriholti rebus, ipsóque in Saxonia dimisso, cùm ad Francopofurt Palatium venisset, Bernhardum Regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse secum in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nunciabatur Romam mittit. Is cùm eò venisset, ægritudine decubuit. Res tamen quas compererat per Gerholdum Comitem, qui ad hoc ei Legatus fuerat datus, Imperatori nunciauit. Quem Legati Pontificis, Ioannes Episcopus Syluæcandidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux subsecuti,

LUDOVICUS PIUS. de iis quæ domino suo obiiciebantur per omnia Imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali ciuitate venerunt, dona ferentes. Pax, quæ cum Abulaz Rege Saracenorum facta est, & per triennium seruata, velut inutilis rupta, & contra eum iterum susceptum est bellum. Nordbertus Episcopus & Richowinus Comes de Constantinopoli regressi, descriptionem pacti quam Leo Imperator eis dederat detulerunt. Qui inter cetera terræmotum grauissimum mense Augusto per continuos v. dies ibi contigisse retulerunt: quo & ipsius ædificia vrbis complura cecidisse, & aliarum ciuitatum populos ruinis oppressos esse testati sunt. Sed & in Gallia Santonis ciuitas Aquitaniæ mense Septembri dicitur tremuisse. Rhenus fluuius Alpinis imbribus auctus, vltra solitum exundauit. Cùm Romani Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent; collecta manu omnia prædia, quæ in singularum ciuitatum ditionibus nouiter extruxerat, primò diripiunt, deinde immisso igne cremant. Tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur violenter auferre. Quo comperto, Bernhardus Rex missa manu per VVinigisum Ducem Spoletanum & seditionem illam sedauit, & eos à cœpto desistere fecit: quæque erant gesta per Legatos Imperatori nunciauit. A

816. DCCCXVI.

HYEME transacta, Saxones & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclauos, qui dicto audientes non erant, facere iussi, imperata strenuè compleuerunt, & contumacium audaciam non magno labore compresserunt. Nam vna ciuitate expugnata, quicquid in ea gente rebelle videbatur, subiectione promissa, quieuit. B VVascones, qui trans Garonnam & circa Pyreneum habitant, propter sublatum Ducem suum nomine Sigvvinum, quem Imperator ob nimiam eius insolentiam ac morum prauitatem indè sustulerat, solita leuitate commoti, coniuratione facta omnimoda defectione desciuerunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur. Interea dominus Leo Papa anno Pontificatus sui XXI. circiter VIII. Cal. Iun. à seculo migrauit. Stephanúsque Diaconus in locum eius electus atque ordinatus est. Nondúmque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quàm maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit: missis interim duobus Legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod vbi Imperator audiuit, Remis ei occurrere statuit, missis obuiam iis qui eum illò deducerent: & aduentum eius præueniens, magno eum honore suscepit. Qui statim Imperatori aduentus sui causam insinuans, celebratis ex more Missarum solenniis, eum diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos muneribus datis & acceptis, conuiuiisque opimè celebratis, & amicitia vicissim fortissimo robore constituta, aliisque vtilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, Pontifex Romam, Imperator Compendium Palatium petiit. Ibi cùm moraretur, Legatos Aborritorum, & de Hispania Legatos Abdirachman filii Abulaz Regis ad se missos suscepit. Completisque ibi XX. vel C eò amplius diebus, Aquasgrani ad hyemandum profectus est.

817. DCCCXVII.

LEGATI Abdirachman filii Abulaz Regis Saracenorum de Cæsaraugusta missi, pacis petendæ gratiâ venerunt, & Compendio ab Imperatore auditi, Aquasgrani eum præcedere iussi sunt. Quò cùm peruenisset, Legatum Leonis Imperatoris de Constantinopoli, pro Dalmatarum causa missum, Nicephorum nomine, suscepit. Quem etiam, quia Cadolach, ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, & tamen breui venturus putabatur, aduentum illius iussit operiri. Quo veniente, ratio inter eum & Legatum Imperatoris de quæstionibus quas idem detulit habita est. Et quia res ad plurimos & Romanos & Sclauos pertinebat, neque sine illorum præsentia finiri posse videbatur, illò decernenda differtur. Missúsque ad hoc cum Cadolach & prædicto Legato in Dalmatiam Albigarius Vnrochi nepos. Legati etiam Abdirachman cùm tribus mensibus detenti essent, & iam de reditu desperare cœpissent, remissi sunt. Filii quoque Godefridi Regis Danorum propter assiduam Heriholti infestationem missa ad Imperatorem Legatione, pacem petunt, eámque à se seruandam pollicentur. Sed cùm hæc simulata magis quàm veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, & auxilium contra eos Heriholto datum. Luna Non. Feb. hora noctis II.

A defecit: & cometes in signo Sagittarij apparuit. Interea Stephanus Papa tertio postquam Romam venerat mense, sed nondum exacto, circiter VIII. Kal. Feb. diem obiit. Cui Paschalis successor electus, post completam solenniter ordinationem suam, & munera, & excusatoriam Imperatori misit epistolam, in qua sibi non solùm nolenti, sed etiam plurimùm renitenti, Pontificatus honorem velut impositum asseuerat. Missa tamen alia Legatione, pactum quod cum praecessoribus suis factum erat, etiam secum fieri ac firmari rogauit. Hanc Legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea quae petierat impetrauit. Feria quinta, qua Coena Domini celebratur, cùm Imperator ab Ecclesia peracto sacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cùm fragili materia esset aedificata, & iam marcida & putrefacta quae contignationem & tabulatum sustinebant transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper Imperatorem subita ruina cum XX. & eo ampliùs hominibus qui vnà ibant ad terram vsque depressit. Qui casus cùm plerosque ex iis qui simul deciderant grauiter affecisset, illi tamen nihil aliud laesionis intulit, quàm quòd capulo gladij quo accinctus erat imi pectoris pars sinistra contusa est: & auris dextera in parte posteriore vulnerata, femur quoque dextrum cuiusdam ligni pondere iuxta inguina collisum, Sed opera medicorum, qui ei curam adhibebant, summa celeritate conualuit. Nam vicesimo postquam id acciderat die Nouiomagum profectus, venatu sese exercebat. Vnde reuersus generalem populi sui Conuentum

B Aquisgrani more solito habuit: in quo filium suum primogenitum LOTHARIVM coronauit, & nominis atque Imperij sui socium sibi constituit. Ceteros Reges appellatos, vnum Aquitaniae, alterum Baioariae praefecit. Conuentu verò peracto cùm Vogesi saltum venandi gratiâ peteret, obuios habuit Legatos Leonis Imperatoris: quos cùm in Ingelheim Palatio iuxta Moguntiacum ciuitatem audisset, ac Legationem eorum non aliam esse nisi quam Nicephorus eiusdem Imperatoris Legatus proximè attulerat comperisset; celeriter absolutos dimisit, & quò tendebat proficiscitur. Nunciatáque defectione Abotritorum & Sclaomiri; Comitibus tantùm qui iuxta Albim in praesidio residere solebant, vt terminos sibi commissos tueantur, per Legatum mandauit. Causa defectionis erat, quòd regiam potestatem, quam Sclaomir eatenus post mortem Thrasiconis solus super Abotritos tenebat, cum Ceadrago filio Thrasiconis partiri videbatur. Quae res illum tàm grauiter exacerbauit, vt affirmaret se nunquam post haec Albim fluuium transiturum, neque ad Palatium venturum. Statim missa trans mare Legatione, iunxit amicitiam cum filiis Godefridi, & vt exercitus trans Albim mitteretur imperauit. Nam & classis eorum per Albim vsque ad Essesfeld castellum venit, quae totam Stutiae fluminis ripam deuastauit: & Gluomi Nordmannici limitis Custos pedestres copias ducens, simul cum Abotritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit. Quibus cùm nostri fortiter restitissent, omissa castelli oppugnatione discesserunt. Interea dum Imperator venatione

C peracta de Vogeso Aquasgrani reuerteretur, nunciatum est ei Bernhardum nepotem suum Italiae Regem quorundam prauorum hominum consilio tyrannidem meditatum, iam omnes aditus, id est Clusas, quibus in Italiam intratur, impositis firmasse praesidiis, atque omnes Italiae ciuitates in illius verba iurasse: quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos cùm ex tota Gallia atque Germania congregato cum summa celeritate magno exercitu Imperator ad Italiam festinasset, Bernhardus rebus suis diffidens, maximè quòd se à suis quotidie deseri videbat, armis depositis apud Cabillonem Imperatori se tradidit. Quem secuti sunt alij, & non solùm armis depositis se dediderunt, verùm vltrò & ad primam interrogationem omnia vt gesta erant aperuerunt. Huius coniurationis principes fuere Eggideo inter omnes amicos Regis primus, & Reginhardus Cubicularius eius, & Reginharius Meginharij Comitis filius, cuius maternus auus Hardradus olim in Germania cum multis ex ea Prouincia nobilibus contra KAROLVM Imperatorem coniurauit. Erant praeterea alij multi praeclari & nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt. Inter quos & aliqui Episcopi, Anshelmus Mediolanensis, & VVolfoldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis fuere.

LVDOVICVS PIVS.

DCCCXVIII.

818. DETECTA fraude, & coniuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquasgrani reuertitur. Transactóque Quadragesimali Ieiunio, paucis post Pascha diebus, coniurationis auctores qui superiùs nominati sunt, & Bernhardum Regem, iudicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminibus tantùm iussit orbari: Episcopos synodali decreto depositos Monasteriis mancipari: ceteros, prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio proscribi, vel detondi atque in Monasteriis conuersari. Atque iis ita dispositis, ipse cum maximo exercitu Britanniam aggressus, generalem Conuentum Venedis habuit. Inde memoratam Prouinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, breui totam in suam potestatem non magno labore redegit. Nam postquam Mormanus, qui in ea præter solitum Britonibus morem regiam sibi vendicauerat potestatem, ab exercitu occisus esset, nullus Britto inueniebatur qui resisteret, aut qui imperata facere, aut qui obsides qui iubebantur dare renueret. Qua expeditione completa, cùm Imperator dimisso exercitu Andegauos ciuitatem esset reuersus, IRMINGARDIS Regina coniunx eius, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus postquam ipse ad eam venit, morbo inualescente v. Non. Octob. decessit. Eclypsis Solis contigit VIII. Id. Iul. Imperator per Rotomagum & per Ambianos & Cameracum Aquasgrani ad hybernandum reuersus, cùm Haristallium venisset, obuios habuit Legatos Sigonis Ducis Beneuentanorum dona deferentes, eúmque de nece Grimoaldi Ducis antecessoris sui accusantes. Erant ibi & aliarum nationum Legati, Abotritorum videlicet ac Bornæ Ducis Guduscanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum societate desciuerant, ad fines nostros se contulerant: simul & Liudevviti Ducis Pannoniæ inferioris, qui res nouas moliens, Cadolaum Comitem & Marcæ Foroiuliensis Præfectum crudelitatis & insolentiæ accusare conabatur. Quibus ibi auditis atque dimissis, Imperator Aquasgrani ad hyemandum profectus est.

DCCCXIX.

819. SELAOMIR Abotritorum Rex, ob cuius perfidiam vlciscendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodem anno trans Albim missus fuerat, per Præfectos Saxonici limitis, & Legatos Imperatoris qui exercitui præerant, Aquasgrani adductus est. Quem cùm primores populi sui, qui simul aussi venerant, multis criminibus accusarent, & ille rationabili defensione obiecta sibi refellere non valeret, exilio condemnatus est, & Regnum Ceadrago Thrasiconis filio datum. Simili modo & Lupus Centulli VVasco, qui cum Berengario Tolosæ, & VVarino Auerni Comite eodem anno prælio conflixit, in quo & fratrem Garsimundum* singularis amentiæ hominem perdidit: & ipse nisi fugiendo sibi consuluisset, prope interitum fuit: cùm in conspectum Imperatoris venisset, ac de perfidia, cuius à memoratis Comitibus accusabatur, se purgare non potuisset, & ipse est temporali exilio damnatus. Conuentus Aquisgrani post Natalem Domini habitus, in quo multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt. Legibus etiam capitula quædam necessaria, quia deerant, conscripta atque addita sunt. Quo peracto, Imperator inspectis plerisque nobilium filiabus, VVelpi Comitis filiam nomine IVDITH duxit vxorem. Iterúmque Conuentus mense Iulio apud Ingelheim Palatium habitus, & exercitus de Italia in Pannoniam propter Liudevviti rebellionem missus: qui rebus parum prosperè gestis, infecto penè negotio regressus est. Liudevvitus verò superbia elatus, Legatos quasi pacem petendo ad Imperatorem misit: conditiones quasdam proponens, ad quarum concessionem ea quæ iuberentur se facturum pollicebatur. Quas cùm Imperator non reciperet, aliásque ei per suos Legatos proponeret, permanendum sibi in inchoata perfidia velut optimum iudicans, missis circumquaque Legatis, vicinas gentes ad bellum sollicitare curauit. Timotianorum quoque populum, qui dimissa Bulgarorum societate ad Imperatorem venire, ac ditioni eius se permittere gestiebat, ne hoc fieret ita intercepit, ac falsis persuasionibus illexit, vt omisso quod facere cogitabant, perfidiæ illius socius & adiutor existeret. Exercitu verò de Pannonia reuerso, Cadolach Dux Foroiuliensis febre correptus in ipsa Marchia decessit. Cui cùm

* Garsandū

A Baldricus esset subrogatus, & in Carantanorum regionem, quæ ad ipsius curam pertinebat, fuisset ingressus, obuium ibi habuit Liudevviti exercitum, quem iuxta Drauum fluuium iter agentem parua manu aggressus, pluribus interfectis & auertit, & de illa Prouincia fugauit. Borna verò Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Colapium fluuium Liudevvito ad se venienti occurrens, in prima congressione à Gudufcanis deseritur: auxilio tamen Prætorianorum suorum protectus euasit. Periit in eo prælio Dragomosus socer Liudevviti, qui in exordio defectionis relicto genero Bornæ se coniunxerat. Gudufcani domum regressi, iterum à Borna subiguntur. At Liudevvitus occasionem nactus cum valida manu mense Decembri Dalmatiam ingressus, ferro & igne cuncta deuastat. Cui cùm Borna se penitus imparem respiceret, omnia sua castellis inclusit, & ipse cum delecta manu nunc à tergo, nunc à latere insistens, Liudevviti copias & noctu & interdiu vbicunque poterat lacerauit, neque eum in sua Prouincia impunè versari permisit: ad extremum graui damno affectum, regione coëgit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & equi vel eo ampliùs caballis captis, præter sarcinas & spolia diuersi generis direpta. Quæ qualiter gesta fuerint, per Legatos suos Imperatori nunciare curauit. At in partibus Occiduis Pipinus Imperatoris filius iussu patris VVasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis, totam eam Prouinciam ita pacauit, vt nullus in ea rebellis aut inobediens remansisse videretur. Heriholtus quoque iussu Imperatoris ad naues

B suas per Abottritos reductus, in patriam quasi Regnum ibi accepturus nauigauit. Cui se duo ex filiis Godefridi, quasi vnà cum eo Regnum habituri, sociasse dicuntur, aliis duobus patria expulsis. Sed hoc dolo factum putatur. Imperator Conuentu dimisso, primò Cruciniacum, deinde Bingiam veniens, secunda aqua Confluentem vsque per Rhenum nauigauit. Inde Arduennam venandi gratia proficiscitur. Venatorio quoque exercitio more solenni ibidem exacto, Aquasgrani ad hyemandum reuertitur.

DCCCXX. 820.

MENSE Ianuario Conuentus ibidem est habitus, in quo de Liudevviti defectione deliberatum est, vt tres exercitus simul ex tribus partibus ad deuastandam eius regionem, atque ipsius audaciam coërcendam, mitterentur. Borna quoque primò per Legatos, deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur suggessit. In eo Conuentu Bero Comes Barcinonæ, qui iam diu fraudis & infidelitatis à vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus vincitur. Cumque vt reus maiestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordiâ Imperatoris, & Rotomagum exilio proscriptus est. Transacta hyeme, vt primùm herba pabulum iumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudevvitum mittuntur. Quorum vnus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum prouinciam, tertius per Baioariam & Pannoniam superiorem intrauit. Et duo quidem, id est dexter ac sinister,

C tardiùs ingressi sunt, eo quòd vnus Alpium transitu, hostium manu resistente prohibebatur: alter & longitudine itineris, & Drauo flumine quod traiiciendum erat impediebatur. Medius autem, qui per Carantanos intrabat, quanquam tribus in locis ei resisteretur, feliciore vsus fortuna, ter hoste superato, Drauo etiam trāsmisso, celeriùs ad destinata loca peruenit. Contra hæc Liudevvitus nihil molitus, munitione tantùm castelli, quod in arduo monte construxerat, se suósque continuit: & nec belli nec pacis, vel per semetipsum vel per Legatos, vllum sermonem habuisse dicitur. Exercitus verò postquam in vnum conuenerunt, totam penè regionem ferro & igne vastantes, haud vllo graui damno accepto domum reuersi sunt. Is tamen, qui per Pannoniam superiorem iter fecerat, in transitu Draui fluminis ex locorum & aquarum insalubritate soluti ventris incommodo grauiter affectus est, & pars eius non modica hoc morbo consumpta est. Hi tres exercitus de Saxonia, & Orientali Francia, & Alamannia, Baioaria quoque atque Italia congregati sunt. Quibus domum reuersis, Carniolenses, qui Carcasauum fluuium habitant, & Foroiuliensibus penè contigui sunt, Baldrico se dediderunt. Idem & pars Carantanorum, quæ ad Liudevviti partes à nobis defecerat, facere curauit. Fœdus inter nos & Abulaz Regem Saracenorum constitutum: & neutræ parti satis proficuum, consultò ruptum, bellúmque aduersus eum

LUDOVICUS PIUS. susceptum est. In Italico mari octo naues negotiatorum de Sardinia ad Italiam reuertentium à piratis captæ ac demersæ sunt. De Nordmannia verò XIII. piraticæ naues egressæ, primò in Flandrensi littore prædari molientes, ab iis qui in præsidio erant repulsæ sunt. Vbi tamen ab eis propter custodum incuriam aliquot casæ viles incensæ, & paruus numerus pecoris est abactus. In ostio Sequanæ similia tentantes, resistentibus sibi littoris Custodibus, quinque suorum interfectis irritæ discesserunt. Tandem in Aquitanico littore prosperis vsæ successibus, vico quodam qui vocatur Bundium* ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reuersæ sunt. Hoc anno propter iuges pluuias & aërem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum pestilentia tam immaniter longè latéque grassata est, vt vix vlla pars totius Regni Francorum ab hac peste immunis & intacta posset inueniri. Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & insuaue fiebat. In quibusdam verò locis ex inundatione fluminum aquis in plano stagnantibus autumnalis satio ita impedita est, vt penitus nil frugum ante vernum tempus seminaretur. Luna defecit VIII. Cal. Decemb. hora noctis II. Imperator post actum Carisiaci Conuentum, autumnalémque venationem ex more completam, Aquas reuersus est. A

* al. Buin

821. DCCCXXI.

CONVENTVS mense Febr. Aquisgrani habitus, & in eo de bello Liudevvitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æstate perfidorum agros per vices vastarent. Simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum est. Iterúmque Conuentus mense Maio Nouiomagi habendus condictus est, Comitésque qui illuc venirent deputati. Eo anno dominus Imperator post festi Paschalis expletionem per Mosam nauigauit, ibique constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos Regni partitionem recensuit, ac iuramentis optimatum qui tunc adesse poterant confirmauit. Susceptisque ibidem Paschalis Romani Pontificis Legatis, Petro videlicet Centumcellensi Episcopo, & Leone Nomenclatore, eisdémque celeriter absolutis, Comitibus etiam qui aderant ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus, Aquasgrani reuersus est. Et post paucos dies per Arduennam iter faciens, Treueros ac Metis venit: indéque Rumerici castellum petens, reliquum æstiui caloris & autumni dimidium exercitatione venatoria in Vogesi saltu atque secretis exegit. Interea Borna Dux Dalmatiæ atque Lyburniæ defunctus est: & petente populo, atque Imperatore consentiente, nepos illius nomine Ladasclauus successor ei constitutus est. Allatum est & de morte Leonis Constantinopolitani Imperatoris, quòd conspiratione quorundam optimatum suorum, & præcipuè Michaëlis Comitis, domesticorum insidiis in ipso Palatio sit interemptus. Qui suffragio ciuium, & Prætorianorum militum studio infulas Imperij suscepisse dicebatur. Fortunatus Patriarcha Gradensis, cùm à quodam Presbytero suo nomine Tyberio apud Imperatorem fuisset accusatus, quòd Liudevvitum ad perseuerandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eúmque ad castella sua munienda, artifices & murarios mittendo iuuaret, & ob hoc ad Palatium ire iuberetur, primò velut iussionem impleturus in Histriam profectus est. Inde simulato reditu ad Gradum ciuitatem, nullo suorum, præter eos cum quibus hoc tractauerat, suspicante, nactus occasionem clam nauigauit: veniénsque Iaderam Dalmatiæ ciuitatem, Ioanni Præfecto Prouinciæ illius fugæ suæ causas aperuit. Qui eum statim naui impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobri Conuentus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentiâ celebratur: in quo Lotharius primogenitus Imperatoris Ludouici IRMINGARDIM Hugonis Comitis filiam solenni more duxit vxorem. Illuc etiam Legati Romani Pontificis, Theodorus Primicerius ac Florus, cum magnis venêre muneribus. Affuêre & Comites in eodem Conuentu iam de Pannonia regressi, qui depopulata desertorum & Liudevvito adhærentium vniuersa regione, cùm nullus eis ibidem copiam pugnandi fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernhardo nepote suo in Italia contra caput B G

A ac Regnum suum coniurauerunt. Quibus sibi ad præsentiam venire iussis, non solùm vitam & membra concessit, verùm etiam possessiones iudicio legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit. Adelhardum quoque de Aquitaniâ vbi exulabat euocatum, Corbeiæ Monasterio, vt priùs fuerat, Abbatem ac rectorem esse iussit: & Bernarium fratrem eius reconciliatum eidem Monasterio reddidit. Complerisque iis quæ ad Regni vtilitatem inchoauerat, & sacramento quod apud Nouiomagum pars Optimatum iurauerat generaliter consummato, ipse Aquasgrani reuertitur. Filium autem Lotharium post nuptias ritu solenni celebratas, ad hyemandum VVormaciam misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt, & Heriholtus à filiis Godefridi in societatem Regni receptus. quæ res tranquillum inter eos huius temporis statum fecisse putatur. Sed quia Ceadragus Abotritorum Princeps perfidię & cuiusdam cum filiis Godefridi factæ societatis notabatur, Sclaomir æmulus eius in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit: perceptóque baptismatis sacramento, defunctus est. Autumnalis satio iugitate pluuiarum in quibusdam locis impedita est. Cui hyems in tantum prolixa successit & aspera, vt non solùm minores riui ac mediocres fluuij, verùm ipsi maximi amnes, Rhenus videlicet, ac famosissimi Danubius, Albisque, ac Sequana, ceteráque per Galliam atque Germaniam Oceanum petentia flumina adeò solida glacie stringerentur, vt xxx. vel eo ampliùs diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus vincta sustinerent. Cuius resolutio non modicum villis iuxta Rheni fluenta constitutis B damnum intulit.

LVDOVICVS PIVS.

DCCCXXII. 822.

IN regione Thuringorum quodam in loco iuxta quendam fluuium cespis longitudine pedum L. latitudine XIIII. altitudine sesquipedali, de terra sine manibus & præcisus & sublatus est, & ab eo loco in quo sumptus est xxv. pedum spacio distans inuentus est. Item in parte Orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco, iuxta lacum qui dicitur Arnseo, in modum aggeris terra intumuit, & limitem vnius leúcæ longitudine porrectum, sub vnius noctis spacio absque humani operis molimine ad instar valli sustulit. VVinigisus Dux Spoletanus iam senio confectus, habitu seculari deposito, monasticæ se mancipauit conuersationi; ac non multo post tactus corporis infirmitate decessit. In cuius locum Suppo Brixiæ Comes substitutus est. Dominus Imperator consilio cum Episcopis & Optimatibus suis habito, fratribus suis quos inuitos tonderi iussit reconciliatus est: & tàm de hoc facto, quàm & de iis quæ ergà Bernhardum filium fratris sui Pipini, nec non & iis quæ circa Adelhardum Abbatem & fratrem eius VValachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo Conuentu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in pręsentia totius populi sui peregit. In quo quicquid similium rerum vel à se vel à patre factum inuenire potuit, summa deuotione C emendare curauit. Exercitus de Italia propter Liudevviticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cuius aduentum Liudevvitus Siscia ciuitate relicta ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit, & vno ex Ducibus eorum, à quo receptus est, per dolum interfecto, ciuitatem eius in suam redegit ditionem. Missis tamen ad exercitum Imperatoris Legatis suis, ad eius pręsentiam se velle venire promisit. Saxones interea iussu Imperatoris castellum quoddam trans Albim, in loco cui Delbende nomen, ædificant, depulsis ex eo Sclauis qui illum priùs occupauerant: pręsidiúmque Saxonum in eo positum contra incursiones illorum Comites Marcæ Hispanicæ trans Sicorim fluuium in Hispania profecti, vastatis agris, & incensis compluribus villis, & capta non modica præda, regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale à Comitibus Marcæ Britannicæ in possessionem cuiusdam Britonis, qui rebellis tunc extiterat, nomine VVihomachus, expeditione facta; omnia ferro & igne vastata sunt. Peracto Conuentu qui Attiniaci habebatur, Imperator venandi gratia Arduennam petiit, Lotharium verò filium suum in Italiam misit. Cum quo VValachum Monachum propinquum suum, fratrē videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum Magistrum vnà misit: quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus vteretur. Pipinum

LVDOVICVS PIVS. autem in Aquitaniam ire præcepit. Eum tamen priùs filiam Thietberti * Comitis Matricensis in coniugium fecit accipere, & post nuptias celebratas ad occiduas regiones proficisci. Ipse verò peracta autumnali venatione trans Rhenum hyemarum ad Franconofurt profectus est: ibique generali Conuentu congregato, necessaria quæque & ad vtilitatem Orientalium Regni sui finium pertinentia, more soléni cum Optimatibus, quos ad hoc euocari iusserat, tractare curauit. In quo Conuentu omnium Orientalium Sclauorum, hoc est Abotritorum, Soraborum, VVilsorum, Behemannorum, Maruanorum, Predenecentorum, & in Pannonia residentium Auarum Legationes cum muneribus ad se missis excepit. Fuêre in eodem Conuentu & Legationes de Nordmannia tam de parte Heriholti quàm filiorum Godefridi. Quibus omnibus auditis, atque dimissis, ipse in eodem loco constructis ad hoc necessariis ædificiis nouis, quemadmodum secum statuerat, hyemauit. A

* al. Theodeberti

823. DCCCXXIII.

MENSE Maio Conuentus ibidem habitus est, in quo non vniuersæ Franciæ primores, sed de Orientali Francia atque Saxonia, Baioaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt. In quo inter ceteras barbarorum Legationes, quæ vel iussæ, vel sua sponte venerunt, duo fratres Reges videlicet VVilsorum controuersiam inter se de Regno habentes, ad Imperatoris præsentiam venerunt. Quorum nomina sunt Meligastus & Celeadragus. Erant enim filij Liubi Regis VVilsorum. Qui licèt cum fratribus suis Regnum suum diuisum teneret, tamen propterea quòd natu maior erat ad eum totius Regni summa pertinebat. Qui vbi commisso cum Orientalibus Abotritis prælio cecidisset, VVilsi filium eius Meligastum qui maior erat Regem sibi constituunt. Sed cùm is secundum ritum gentis commissum sibi Regnum parum dignè administraret, illo abiecto iuniori fratri regium honorem detulerunt. Quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt. Quos cùm audisset, & gentis voluntatem proniorem in iunioris fratris honorem agnouisset, statuit vt is delatam sibi à populo suo potestatem haberet. Ambos tamen muneribus donatos, & sacramento firmatos, in patriam remisit. Accusatus est in eodem Placito apud Imperatorem Ceadragus Abotritorum Princeps, quòd se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam iam diu venire dissimulasset. Propter quod ad eum Legati directi sunt. Cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus gentis suæ ad Imperatorem misit, pérque illorum verba promisit se ad proximum hyemis tempus ad illius præsentiam esse venturum. LOTHARIVS verò cùm secundum patris iussionem in Italia iustitias faceret, & iam se ad reuertendum de Italia præpararet, rogante Paschale Papa Romam venit: & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum Regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Iunio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de iustitia in Italia à se partim facta partim inchoata fecisset indicium, missus est in Italiam Adalhardus Comes Palatij: iussúmque est vt Mauringum Brixiæ Comitem secum assumeret, & inchoatas iustitias perficere curaret. Drogonem fratrem eius sub canonica vita degentem, Metensi Ecclesiæ, Clero eiusdem vrbis consentiente atque eligente, rectorem constituit, eúmque ad Pontificatus gradum censuit promouendum. In eodem Conuentu locus & tempus alterius Conuentus habendi indicta sunt: Nouembris videlicet mensis, & Compendium Palatium. Peracto itaque Placito, & dimissis Proceribus, cùm Imperator iam indè digredi statuisset, allatum est ei de interitu Liudevviti, quòd relictis Sorabis cùm in Dalmatiam ad Liudemullum auunculum Bornæ Ducis peruenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus. Nunciatum est etiam Theodorum Romanæ Ecclesiæ Primicerium & Leonem Nomenclatorem generum eius in Patriarchio Lateranensi primò excæcatos, ac deinde fuisse decollatos: & hoc ideò eis contigisse, quòd se in omnibus fideliter erga partes Lotharij iuuenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel iussu vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum ac diligenter inuestigandum missi sunt Adalungus Abbas Monasteri sancti Vedasti, & Hunfridus Comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt Legati Paschalis, Ioannes Episcopus

A Syluæcandidæ, & Benedictus Archidiaconus sanctæ Sedis Apostolicæ, rogantes Imperatorem vt illam infamiam à Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cùm ille iuxta quod ratio postulabat respondisset, eósque dimisisset, prædictos Legatos suos ad inuestigandam rei veritatem, sicut prius disposuit, Romam ire præcepit. Ipse reliquum æstatis tempus in pago VVormaciensi, ac deinde in Arduenna transigens, peracta autumnali venatione ad Cal. Nouemb. sicut condixerat, Compendium venit. Legati Romam venientes rei certitudinem assequi non potuête: quia Paschalis Pontifex se ab huius facti communione cum magno Episcoporum numero iureiurando purgauit: & interfectores prædictorum, quia de familia sancti Petri erant, summopere defendens, mortuos velut maiestatis reos condemnabat, iuréque cæsos pronunciabat. Atque ob hoc cum prædictis qui ad eum missi fuerant Legatis, Ioannem Syluæcandidæ Episcopum, & Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque Subdiaconum, ac Leonem Magistrum militum ad Imperatorem misit. Qui cùm tàm per illos quàm per suos Legatos de sacramento Pontificis & excusatióne reorum comperisset, nihil vltra in hoc negotio sibi faciendum ratus, memoratum Ioannem Episcopum & socios eius ad Pontificem dato conuenienti responso remisit. Ceadragus Abotritorum Princeps pollicitationibus suis fidem adhibens, cum quibusdam primoribus populi sui Compendium venit: dilatique per tot annos aduentus sui rationem coram Imperatore non improbabiliter red-
B didit. Qui licèt in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum non solùm impunitus, verùm muneribus donatus ad Regnum ire permissus est. Venerat & Heriholtus de Nordmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur. Ob cuius causam diligentiùs explorandam ad eosdem filios Godefridi Theotharius & Rodmundus * Comites missi fuerunt. Qui causam filiorum Godefridi, & statum totius Regni Nordmannorum diligenter explorantes, aduentum Heriholti præcesserunt, & Imperatori omnia quæ in illis regionibus comperire potuerũt patefecerunt. Cum quibus Ebo Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris, & Romani Pontificis auctoritate prædicandi gratiâ ad terminos Danorum accesserat, & æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptisauerat, regressus est.

LVDOVICVS PIVS.

* al. Ruthmundus

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt, in Aquensi Palatio terræmotus, & in territorio Tullensi iuxta villam Commerciacum puella quædam annorum ferè XII. ab omni cibo per X. menses abstinens. Et in Saxonia in pago qui vocatur Frihsazi * XXIII. villæ cœlesti igne concrematæ: & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia: & in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ: atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, itque ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ, hominésque ac cetera animalia passim fulminum ictu præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia, atque hominum mor-
C talitas; quę per totam Franciam immaniter vsquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diuersi sexus & ætatis grauissimè sæuiendo consumpsit.

* Frihsasi

DCCCXXIV. 824.

Rex Bulgarorum Omortag velut pacis faciendæ gratiâ Legatos cum literis ad Imperatorem misit. Quod ille cùm audisset, ac literas quę allatæ fuerant legisset, rei nouitate non immeritò permotus, ad explorandam diligentiùs insolitæ & nunquam priùs in Franciam venientis Legationis causam, Michelinum quemdam de Baioaria cum ipsis Legatis ad memoratum Regem Bulgarorum direxit. Interea hyems aspera valdéque prolixa est facta, quæ non solùm cetera animalia, verùm etiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Luna defecit III. Nonas Mart. hora noctis secunda. Suppo Dux Spoletanus decessisse nunciatur. Legati Romani Pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum & morti iam proximum inuenerunt: qui etiam paucis post aduentum eorum diebus vita decessit. In cuius locum cùm duo per contentiónem populi fuissent electi, Eugenius tum Archipresbyter tit. sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte subrogatus atque ordinatus est. Cuius rei nuncium cùm Quirinus Subdiaconus, vnus ex iis qui priori Legatione fungebantur,

* al. Machelmum

LUDOVICUS PIUS. ad Imperatorem detulisset, Conuentu circiter VIII. Cal. Iul. pronunciato, atque A Compendij habito, ipse ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento, Lothárium filium Imperij socium Romam mittere decreuit, vt vice sua functus ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur cum nouo Pontifice atque Romano populo statueret ac firmaret. Ille ad hæc exequenda post medium Augustum in Italiam profectus est. Imperator verò iter, quod in Britanniam facerẽ instituerat, propter famem, quæ adhuc prævalida erat, vsque ad initium autumni aggredi distulit. Tum demum adunatis vndique omnibus copiis, Redonas ciuitatem terminis Britanniæ contiguam venit. Et inde diuiso in tres partes exercitu, duabúsque partibus filiis suis Pipino & Ludouico traditis, tertiaque secum retenta Britanniam ingressus, totam ferro & igne vastauit. Consumptisque in hac expeditione XL. vel eo ampliùs diebus, acceptis quos perfido Brittonum populo imperauerat obsidibus, Rotomagum ciuitatem, vbi coniugem se operiri iusserat, ad XV. Cal. Decemb. reuersus est. Nam & illuc Legatos Michaëlis Imperatoris sibi occurrere iussit: cum quibus & Fortunatus Patriarcha Gradensis regressus ad eius præsentiam venit. Sed Legati Imperatoris literas & munera deferentes, pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt. Inter cetera tamen ad Legationem suam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire, atque Apostolicæ Sedis Præsulem consulere debere dixerunt. Quos cùm Legatione eorum audita, ac responso reddito, absolueret, vt se velle dicebant Romam ducere iussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percunctatus, Romam ire iussit, vt à Pontifice examinaretur. Ipse verò Aquasgrani, vbi hyemare statuerat, profectus est. Quò B cùm venisset, & ibi Natalem Domini celebrasset, allatum est ei quòd Legati Bulgarorum Regis essent in Baioaria. Quibus obuiam mittens, ipsos vsque ad tempus congruum ibidem manere præcepit. Ceterùm Legatos Abotritorum, qui vulgo Predenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui & ipsi aduentare nunciabantur, illicò venire permisit. Qui cùm à Bulgaris iniquè infestari se quererentur, & contra eos auxilium sibi fieri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis constitutum redire iussi sunt. Suppone apud Spoletum sicut dictum erat defuncto, eundem Ducatum Adelhardus Comes Palatij, qui minor vocabatur, accepit. Qui cùm vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui cùm Moringus Brixiæ Comes successor esset electus, nuncio honoris sibi deputati accepto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finiuit. Eblus & Asinarius Comites cum copiis VVasconum ad Pompelonem missi, cùm peracto iam sibi iniuncto negocio reuerterentur, in ipso Pyreneo perfidia montanorum in insidias deducti ac circumuenti, capti sunt: & copiæ quas secum habuere penè vsque ad internecionem deletæ: & Eblus quidem Cordubam missus, Asinarius verò misericordia eorum qui eum ceperant, quasi consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. Lotharius verò iuxta patris præceptum Romam profectus, C ab Eugenio Pontifice honorificè suscipitur. Cui cùm iniuncta sibi patefaceret, statum populi Romani iamdudum quorundam Præsulum peruersitate deprauatum, memorati Pontificis beneuola assensione ita correxit, vt omnes, qui rerum suarum direptione grauiter fuerant desolati, de restitutione bonorum suorum, quæ per illius aduentum Deo donante prouenerat, magnificè essent consolati.

HOC anno paucis ante solstitium æstiuale diebus in territorio Augustudunensi aëre in tempestatem subita mutatione conuerso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur: cuius longitudo XV. latitudo VII. crassitudo II. pedes habuisse dicitur.

825. DCCCXXV.

SACRO Paschali festo solenniter Aquisgrani celebrato, artidente iam verno tempore, Imperator venandi gratiâ Nouiomagum profectus, Legatos Bulgarorũ circa medium Maium Aquasgrani venire præcepit. Nam tunc illò reuerti statuit, habiturus ibidem Conuentum, quem de Britannia regressus eo se tempore ibidem habiturum Optimatibus indicauerat. Quò cùm peracta venatione fuisset reuersus, Bulgaricam Legationem audiuit. Erat enim de terminis ac finibus inter

A Bulgaros ac Francos constituendis. Affuerunt in eo Conuentu penè omnes Britanniæ primores. Inter quos & VVihormachus, qui perfidia sua & totam Britanniam conturbauerat, & obstinatione stultissima ad memoratam expeditionem illo faciendam Imperatoris animum prouocauerat; tandem saniori vsus consilio, ad fidem Imperatoris, vt ipse dicebat, venire non dubitauit. Cui cùm Imperator & ignosceret, & muneribus donatum cum ceteris gentis suæ primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem vt priùs consueuerat gentilicia perfidia commutauit, vicinos suos incendiis & direptionibus, inquantum potuit non cessans infestare; donec ab hominibus Lantberti Comitis in domo propria circumuentus atque interfectus est. Imperator verò audita Bulgarorum Legatione, per eosdem qui ad eum missi fuerant Legatos Regi eorum missis literis, prout videbatur respondit. Dimissóque Conuentu in Vogesum ad Rumerici arcem, venandi gratia profectus, filium suum Lotharium ex Italia regressum, ibique ad se venientem suscepit; ac peracta venatione Aquasgrani rediens, generalem populi sui Conuentum more solenni mense Augusto habuit. In quo Conuentu inter ceteras Legationes, quæ de diuersis regionibus venerunt, etiam filiorum Godefridi de Nordmannia Legatos audiuit, ac pacem, quam iidem sibi petebant, cum eis in Marca eorum mense Octobri confirmari fecit. Completis itaque omnibus negotiis, quæ ad illius Conuentus rationem pertinere videbantur, Nouiomagum cum filio maiore secessit; minorem verò Ludouicum in Baioariam direxit. Ipse autumnali venatione completa, circa hyemis initium Aquasgrani reuersus est.

B

In territorio Tullensi iuxta Commerciacum villam puella quædam annorum circiter XII. post sacram communionem, quam in Paschate de sacerdotis manu Christiano more susceperat, primò pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abstinendo, intantum ieiunasse perhibetur, vt nulla penitus corporis alimenta percipiens, sine omni victus desiderio integrum triennium compleuerit. Cœpit autem ieiunare anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. sicut in ipsius anni descriptione superiùs annotatum est: & hoc anno, id est DCCCXXV. circa Nouembris mensis initium peracto ieiunio escam sumere, ac more ceterorum mortalium manducando viuere cœpit.

DCCCXXVI. 826.

Cvm Regi Bulgarorum Legati sui quid egissent renunciarent, iterum eum quem primò miserat ad Imperatorem cum literis remisit: rogans vt sine mora terminorum definitio fieret, vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tuerentur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum Regem à suo quodam Optimate aut Regno pulsum aut interfectum, respondere distulit. Illo verò expectare iusso, propter famæ certitudinem comperiendam, Bertricum Palatij Comitem ad Baldericum & Gerholrum Comites & Auarici limitis Custodes in Carantanorum Prouinciam misit. Qui cùm reuersus nihil certi super iis quæ fama vulgauerat reportasset, Imperator Legatum ad se vocatum sine literis remeare fecit. Interea Pipinus Rex filius Imperatoris vt iussus erat cum suis Optimatibus & Hispanici limitis Custodibus circa Cal. Feb. Aquasgrani, (nam ibi tunc Imperator hyemauerat,) venit. Cum quibus vbi de tuendis contra Saracenos Occidentalium partium finibus esset tractatũ & conclusum, Pipinus in Aquitaniam regressus, ibidem totam sequentem æstatem transegit, Imperator verò medio Maio Aquisgrano egressus, circa Cal. Iun. ad Ingelheim venit: habitóque ibi Conuentu non modico, multas & ex diuersis terrarum partibus missas Legationes & audiuit & absoluit. Inter quas præcipua ceterisque præeminens erat Legatio Romani Pontificis, qua fungebantur Leo Centumcellensis Episcopus, & Theophilactus Nomenclator: & de regionibus transmarinis Dominicus Abbas de monte Oliueti. Legati quoque filiorum Godefridi Regis Danorũ pacis ac fœderis causa missi: & de Sclauorũ regionibus quidam Abotritorum principes Ceadragum Ducem suum accusantes. Accusabatur & Tunglo vnus de Soraborũ primoribus, quòd & ipse dicto audiens non esset. Quorum vtrique denunciatum est, quòd si medio Octobri ad Imperatoris generalem Conuentum venire distulerint, condignas perfidiæ suæ pœnas esse daturos. Venerunt & ex Brittonũ primoribus, quos illius limitis Custodes adducere voluerunt. Eodem tempore Heriholtus

C

Lvdovicvs Pivs.

LVDOVICVS PIVS. cum vxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguntiaci apud sanctum Albanum cum iis quos secum adduxit baptisatus est: multisque muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam qua venerat via reuersus est. In qua Prouincia Comitatus qui Rhiustri vocatur, eidem datus est, vt in eum se cum rebus suis si necessitas exigeret recipere potuisset. Affuerunt & in eodem Conuentu Baldericus & Getholtus Comites ac Pannonici limitis Præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum aduersum nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum Balderico Presbyter quidam de Venetia nomine Georgius, qui se organum posse facere asserebat. Quem Imperator Aquasgrani cum Thancolfo Sacellario misit, & vt ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur imperauit. Condictóque ac pronunciato ad medium Octobris generali Conuentu, ceteris omnibus more solenni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ Sels vocatur, cum comitatu suo profectus est. Ibi ad eum Legati Neapolitanorum venerunt, atque indè accepto responso ad sua regressi sunt. Ibi ad eius notitiam perlatum est de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Ausonam ingressus, & à populo illo quem dolo deceperat receptus, totam ciuitatem destruxisset: castella eiusdem regionis quæ firmiora videbantur muniuisset: missóque ad Abdirachman Regem Saracenorum fratre suo, auxilium quod petebat contra nostros accepisset. Sed Imperator licèt huius rei nuncium grauiter ferret, nihil tamen inconsultè gerendum iudicans, Consiliariorum suorum aduentum statuit operiri. Transactâque autumnali venatione, circa Cal. Octob. per Mœnum fluuium vsque ad Franconofurt secunda aqua nauigauit. Indè ad Ingelheim medio Octobri veniens, generalem ibi vt indictum erat populi sui Conuentum habuit: in quo & Ceadragum Abotritorum Ducem, nec non & Tunglonem, qui apud eum perfidiæ accusabantur, audiuit. Et Tunglonem quidem, accepto ab eo filio eius obside, domum redire permisit: Ceadragum verò ceteris Abotritis dimissis secum retinuit, missisq; ad populum Abotritorũ Legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere iussit. Ipse autẽ Aquasgrani, vbi hyemare constituerat, profectus est. Cúmque Legati, quos ad Abotritos miserat, reuersi nunciassent variam gentis illius super Rege suo recipiendo sententiam, optimos tamen ac præstantissimos quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo quos imperauerat obsidibus, in Regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, Hilduinus Abbas S. Dionysij Martyris Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio sanctæ Sedis Apostolicæ tunc Præsule, ossa beatissimi Martyris CHRISTI Sebastiani accepit, & ea apud Suessioniam ciuitatem in Basilica sancti Medardi collocauit. Vbi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerunt, iuxta tumulum sancti Medardi iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi Martyris emicuit, vt à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, pro quo idem passus est, omnia quæ vult per diuinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra subiecta est.

827. DCCCXXVII.

IMPERATOR Helisachar Presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildebrandum atque Donatum Comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit. Ante quorum aduentum Aizo Saracenorum auxilio fretus, multa eiusdem limitis Custodibus aduersa intulit, eósque assiduis incursionibus adeò fatigauit, vt quidam illorum relictis quæ tueri debebant castellis recederent. Defecit ad eum filius Beronis nomine VVillemundus, & alij complures nouarum rerum gentilitia leuitate cupidi, iunctique Saracenis Cerritaniam & Vallensem rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cúmque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos, Helisachar Abbas cum aliis ab Imperatore missis multa & propria industria & sociorum consilio prudenter administraret, Bernhardus quoque Barcinonæ Comes Aizonis insidiis, & eorum qui ad eum defecerant calliditati ac fraudulentis machinationibus pertinacissimè resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à

A Rege Saracenorum Abdirachman ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nunciatur. Super quem Abumaruan Regis propinquus Dux constitutus, ex persuasione Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Impetator filium suum Pipinum Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens, Regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni Ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardiùs quàm rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad Marcam venisset exercitus. Quæ tarditas intantum noxia fuit, vt Abumaruan, vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis etiam quę extra vrbes inuenerat direptis, cum incolumi exercitu Cęsaraugustam se reciperet, priùs quàm à nostro exercitu vel videri potuisset. Huius cladis presagia credita sunt visę multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnę coruscationis in aëre discursus. Impetator autem duobus Conuentibus habitis, vno apud Nouiomagum propter falsas Horici filij Godefridi Regis Danorum pollicitationes, quibus se illò ad Impetatoris pręsentiam venturum promiserat: altero apud Compendium, in quo & annualia dona suscepit, & iis qui ad Marcam Hispanicam mittendi erant quid vel qualiter agere deberent imperauit. Ipse inter Compendium & Carisiacum, ceteraque iis vicina Palatia vsque ad hyberni temporis initium conuersatus est. Interea Reges Danorũ, filij scilicet Godefridi, Hetiholtum de consortio Regni eiicientes, Nordmannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari
B quoque Sclauos in Pannonia sedentes misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igne vastauerunt: & expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos eis rectores constituerunt. Eugenius Papa mense Augusto decessit. In cuius locũ Valentinus Diaconus à Romanis electus & ordinatus, vix mensem in Pontificatu compleuit. Quo defuncto, Gregorius Presbyter sancti Marci electus, sed non priùs ordinatus est quàm Legatus Impetatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret. Legati Imperatoris Michaëlis de Constantinopoli quasi propter fœdus confirmandum missi Septembri mense Compendium venerunt. Quos Impetator benignè receptos ibi audiuit, & absoluit. Corpora beatissimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma sublata, & Octobri mense in Franciam translata, ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt.

DCCCXXVIII. 828.

CONVENTVS Aquisgrani mense Febr. factus est. In quo cùm de multis aliis causis, tùm præcipuè de iis quæ in Marca Hispanica contigerunt ratio esset habita, & Legati qui exercitui præerant culpabiles fuissent inuenti, iuxta merita honorum amissione multati sunt. Baldericus etiam Dux Foroiuliensis, cùm propter eius ignauiam Bulgari fines Pannoniæ superioris impunè vastassent, honoribus priuatus, & Marca inter quatuor Comites diuisa est. Halidgarius Cameracensis Episcopus, & Ansfridus Abbas Monasterij Nonantulæ, Constantinopolim missi, & à Michaële Imperatore honorificè suscepti sunt. Imperator Iunio
C mense ad Ingelheim venit, ibique per aliquot dies Placitum habuit. In quo cùm de filiis suis Lothario & Pipino cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium inisset, & id quomodo fieret ordinasset, Legatos etiam Romani Pontificis Quirinum Primicerium ac Theophilactum Nomenclatorem, qui ad eum illò venerant, audita eorum Legatione dimisisset, ad villam Franconofurt profectus est. Ibique aliquamdiu moratus, VVormatiam venit, & indè Theodonis villam perrexit. De quo locò Lothatium filium cum magnis Francorum copiis ad Hispanicam Marcam direxit. Qui cùm Lugdunum venisset, consedit, nuncium operiens, qui se de Saracenorum aduentu faceret certiorem. In qua expectatione cum Pipino fratre colloquitur. Et comperto quòd Saraceni ad Marcam venire aut timerent aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquisgrani reuertitur. Interea cùm in confinibus Nordmannorum tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, quàm de Hetiholti rebus tractandum esset, & ad hoc penè totius Saxoniæ Comites simul cum Marchionibus illò conuenissent, Heriholtus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam & per obsides firmatam pacem rupit, incensis ac direptis aliquot Nordmannorum villis. Quod audientes filij Godefridi, contractis subitò copiis ad Marcam veniunt, & nostros in ripa Egidoræ fluminis sedentes, ac nihil tale opinantes, transito flumine adorti, castris

LVDOVICVS PIVS.

exuunt, eísque in fugam actis cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra recipiunt. Deinde inito consilio vt vltionem huius facti præuenirent, missa Legatione ad Imperatorem, quàm inniti & quanta necessitate coacti id facerent exposuerunt: se tamen ad satisfactionem esse paratos; & hoc in Imperatoris esse arbitrio, quatenus ita fieret emendatum, vt de reliquo inter partes pax firma maneret. Bonifacius Comes, cui tutela Corsicæ Insulæ tunc erat commissa, assumpto secum fratre Berethario, & aliis quibusdam Comitibus, de Tuscia Corsicam atque Sardiniam parua classe circumuectus, cùm nullum in mari piratam inuenisset, in Africam traiecit, & inter Vticam & Carthaginem egressus, innumeram incolarum multitudinem subitò congregatam offendit. Cum qua & prælium conseruit, & quinquies vel eò amplius fusam fugatámque profligauit. Magnáque Afrorum multitudine prostrata, aliquot etiam sociorum suorum per temeritatem amissis, in naues suas se recepit. Atquo hoc facto, ingentem Afris timorem incussit. Luna Cal. Iun. primò diluculo in occasu suo defecit. Similiter & VIII. Cal. Ianuar. id est in Natali Domini media nocte obscurata est. Imperator circa solemnitatem S. Martini Aquasgrani ad hyemandum venit, ibíque totum hyberni temporis spacium diuersis Conuentibus ob necessaria Regni negotia congregatis impendit.

829.

DCCCXXIX.

POST exactam hyemem, in ipso Quadragesimali Ieiunio paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræmotus noctu factus, ventúsque tam vehemens coortus est, vt non solùm humiliores domus, verùm etiam ipsam sanctæ Dei Genitricis Basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret. Imperator diuersis occupationibus vsque ad Cal. Iul. Aquisgrani moratus, tandem ad generalem Conuentum VVormatiæ habendum cum comitatu suo mense Aug. statuit proficisci. Sed priusquàm indè moueret, nuncium accepit Nordmannos velle Transalbinam Saxoniæ regionem inuadere, atque exercitum qui hoc facturus esset nostris finibus appropinquare. Quo nuncio commotus, misit in omnes Franciæ regiones, & iussit vt summa festinatione tota populi sui multitudo in Saxoniam veniret, indicans simul velle se apud Nouesium medio Iulio Rhenum transire. Sed vbi vanam esse comperit quæ de Nordmannis fama dispersa erat sicut constituerat medio Augusto VVormatiam venit. Ibique habito generali Conuentu, & oblata sibi annua dona suscepit, & Legationes plurimas, quæ tam de Roma & Beneuento, quàm de aliis longinquis regionibus venerant, & audiuit & absoluit. Lotharium quoque filium finito Conuentu in Italiam misit, ac Bernhardum Comitem Barcinonæ, qui antea in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populóque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnale venationis exercitium ad Franconofurt villam profectus est. Qua transacta, ad hyemandum Aquasgrani reuersus, ibidem sancti Martini atque Andreæ Apostoli, nec non & ipsum sacrosanctum Dominicæ Natiuitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebrauit.

Hucusque Eginhardus Ludouici Pij gesta stilo deduxit. Quæ enim in editione Iusti Reuberi subsequuntur, ex ipsius LVDOVICI *Vita, quam infra producemus, descripta sunt.*

DE THEGANO AVCTORE SEQVENTIS OPERIS.

Ex Lib. VIII. *Annalium Treuerensium Christophori Brouueri.*

CETERVM, quia Amalherio per publicæ legationis & alia Regno debita obsequia, non facile fuit assiduam Ecclesiæ sui facere copiam, adlegit in muneris sui consortium præter Adalmatum & Herilandum, rara vt in paucis doctrinæ & probitatis opinione virum, THEOANVM Chorepiscopum, qui nobili satus ortu Francorum, flagrantis sapientiæ studio, & acres ad virtutem stimulos per hoc tempus huic Ecclesiæ subiecit, & præclara scientiæ suæ ornamenta Treuirensi populo pro concione impertiit. In magno is honore apud Augiensis Monasterij Cœnobitas extitit, quorum prædicatione, & ingeniorum monumentis, ab obliuione certè vindicatus est. Et si Opusculum eius recens exiit, quo LVDOVICI PII res gestas, æqualis ipse descripsit: cuius elogium, vt ne rarescat, VValafridus Strabo familiaris ipsius, præfatione cauet. Nam quòd in quibusdam sententiis videatur effusior & ardentior, id dolori adscribit, quem amor iustitiæ, & in optimum Principem affectus expresserit. Virum quippe nobilem & acris animi, vilium personarum iniurias nesciisse concoquere. Addit VValafridus: *Nouimus & nos virum, multa lectione instructum, sed prædicationis & correctionis studiis occupatum.* Extat Poëma eiusdem VValafridi Strabi, quod oppido adolescens, vt apparet, Tattonis Magistri sui iussu, quem in Augia Præceptorem habuit, in gratiam THAGANI lusit. Tom. VI. Antiq. Lect. Henrici Canisij.

B

AD DEGAN CHOREPISCOPVM TREVIRENSEM, in persona Tattonis.

His tibi versiculis Doctor sanctissime DEGAN,
Tatto humilis mittit verba salutis ouans.
Artor in ambiguis vario moderamine rebus,
Vtrum pauca loquar, an potius sileam.
Scribere cogit enim dilecto mutua memet,
Sed vereor ne non dem tibi digna Pater.
Tullius inferno quamuis repedauerit imo,
Exerat aut magnus ora faceta Plato,
Liuius aut Titus secum ferat ipse Catonem,
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret:
Non poterunt vnquam laudum miranda tuarum
Dignè proferri, sunt quia multa satis.
Miramur meritò sapientis munera mentis,
Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
C *Nec minus exteriùs miramur sancta staturæ*
Incrementa tua, membra, manus, faciem.
Nos paruos humiles, morem sibi forma subegit:
Vósque gygantem esse, gloria molis habet, &c.



A

OPVS THEGANI CHOREPISCOPI TREVIRENSIS, DE GESTIS LVDEVVICI PII IMP.

Cum Præfatione VValafridi Strabonis Abbatis Augiensis.

VVALAFRIDI STRABONIS PRÆFATIO.

Ex editione P. Pithœi.



HOC Opusculum in morem Annalium, THEGAN natione Francus, Treuirensis Ecclesiæ Chorepiscopus, breuiter quidem & verè, potiùs quàm lepidè, composuit. In cuius quibusdam sententiis, quòd effusior & ardentior in loquendo videatur, vt vir nobilis & acris animi, quod de indignitate vilium personarum dolor suggessit, tacere non potuit. Præterea nimius amor iustitiæ & executoris eius Christianissimi Imperatoris, zeli naturalis exaggerauit dolorem. Vnde, quantum sit Opus eius pro bona voluntate, non fastidiendum pro quantulacumque rusticitate. Nouimus & nos virum multa lectione instructum, sed prædicationis & correctionis studiis occupatum. Huic opusculo ego STRABO quasdam Incisiones & Capitula inserui, quia sanctæ memoriæ LVDEVVICI Imperatoris gesta & laudes sæpiùs audire cupio vel proferre, vt faciliùs volentibus scire, singula pateant titulorum compendio. B

Expliciunt Capitula.

INCIPIT OPVS THEGANI CHOREPISCOPI TREVIRENSIS,

DE GESTIS DOMNI LVDEVVICI PII IMPERATORIS.

REGNANTE Domino nostro Iesu Christo, anno Incarnationis eius 1.
octingentesimo tredecimo, qui est annus Regni gloriosi & ortho- 813.
doxi Imperatoris KAROLI quadragesimus quintus, illius Karoli qui de prosapia sancti Arnulfi Pontificis Christi ortus est, sicut paterno relatu didicimus, & multæ testantur historiæ: Sanctus Arnulfus cùm esset in iuuentute Dux genuit Ansgisum Ducem. Ansgisus Dux genuit

LVDOVICVS PIVS. Pippinum seniorem & Ducem. Pippinus senior & Dux genuit Karolum seniorem & Ducem. Karolus senior & Dux genuit Pippinum, quem Stephanus Pontifex consecrauit & vnxit in Regem. Pippinus Rex genuit Karolum, quem Leo Papa Romanus consecrauit & vnxit ad Imperatorem in Ecclesia vbi beatissimum corpus Principis Apostolorum Petri requiescit, die Natalis Domini nostri Iesu Christi. A

II. Qui cùm in iuuentute erat, supradictus Imperator sibi iunxit nobilissimi generis Sueuorum puellam nomine HILTEGARDAM, quæ erat de cognatione Gothefridi Ducis Alamannorum. Gothefridus Dux genuit Houchingum, Houchingus genuit Nebi, Nebi autem genuit Immam, Imma verò peperit Hiltheg ardam beatissimam Reginam. Postquam eam supradictus Imperator in matrimonio assumpsit, genuit ex ea tres filios, quorum vnus vocabatur nomine patris sui Karolus, alter verò Pippinus qui erat Rex super Italiam: tertius verò vocabatur Ludeuuicus, qui erat Rex super Aquitaniam. Dum viuebat pater eorum cum eis, feliciter & vtiliter instruebat eos liberalibus disciplinis & mundanis legibus.

III. Sed ille qui iunior natu erat, semper ab infantia sua timere Deum & amare didicerat, & quicquid super se habebat, propter nomen Domini pauperibus distribuebat. Erat enim optimus filiorum eius, sicut ab exordio mundi frequenter iunior frater seniorem fratrem meritis præcedebat. In filiis primi parentis generis humani primò declaratum est, quòd Dominus in Euangelio suo Abel iustum nominauit. Abraham duos filios habuit, sed iunior melior seniore effectus est. Iesse multos filios habuit; sed nouissimus qui erat pastor ouium, ad Regni gubernacula super omnem Israëlem Domino iubente in Regem electus & vnctus est. De cuius semine olim Christus promissus incarnari dignatus est. Talia & similia enumerare prolixum est. B

IV. SVPRAFATVS verò LVDEVVICVS postquam ad ætatem peruenit, desponsauit sibi filiam nobilissimi Ducis Ingorammi, qui erat filius fratris Ruthgangi sancti Pontificis. Supradicta verò virgo IRMINGARTA vocabatur, quam consilio & consensu patris Reginam constituit, atque ex ea tres filios habuit adhuc patre viuente, quorum vnus vocabatur Lotharius, alter Pippinus, tertius æquiuocus eius Ludeuuicus.

V. IMPERATOR autem magnus Karolus benè & vtiliter regebat & diligebat Regnum suum. Anno Regni eius quadragesimo secundo obiit Pippinus filius eius, anno ætatis suæ XXXIII. Sequenti verò anno Karolus primogenitus eius, & Regina supradicta Hiltegarda obiit, solus Ludeuuicus ad Regni gubernacula remansit.

VI. SVPRADICTVS verò Imperator cùm iam intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui (senuerat enim valde) vocauit filium suum Ludeuuicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Loco-positis: habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani Palatio, pacificè & honestè ammonens vt fidem erga filium suum ostenderent. Interrogans omnes à maximo vsque ad minimum, si eis placuisset vt nomen suum, id est Imperatoris, filio suo Ludeuuico tradidisset. Illi omnes responderunt, Dei esse admonitionem illius rei. Quo facto, in prima die Dominica ornauit se cultu Regis, & coronam capiti suo imposuit, incedebátque clarè vestitus, & ornatus, sicut eum decuerat. Perrexit ad Ecclesiam, quam ipse à fundamentis construxerat, peruenitque ante altare in eminentiori loco constructum ceteris altaribus, & consecratum in honorem Domini nostri Iesu Christi: super quod coronam auream aliam quàm ipse gestabat in capite suo, iussit poni. Postquam diu orauerunt ipse & filius eius, locutus est ad filium suum coram omni multitudine Pontificum & Optimatum suorum, ammonens eum inprimis omnipotentem Deum diligere & timere, eius præcepta seruare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare & defendere à prauis hominibus. Sororibus suis & fratribus, qui erant natu iuniores, & nepotibus & omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere præcepit. Deinde Sacerdotes honorare vt patres, populum diligere vt filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, Cœnobiorum consolator & pauperum esse. Fideles ministros & Deum timentes constitueret, qui munera iniusta odio habe- C

A haberent. Nullum ab honore suo sine causa discretionis eliceret, semetipsum LVDOVICI PIVS.
omni tempore coram Deo & omni populo irreprehensibilem demonstraret. Postquam hæc verba & alia multa coram multitudine filio suo ostenderat, interrogauit si obediens voluisset esse præceptis suis. At ille respondit: Libenter obedire, & cum Dei adiutorio omnia præcepta, quæ mandauerat ei pater, custodire. Tunc iussit eum pater, vt propriis manibus coronam quæ erat super altare eleuaret, & capiti suo imponeret ob recordationem omnium præceptorum quæ mandauerat ei pater. At ille iussionem patris impleuit. Quo facto, audientes Missarum solemnia ibant ad Palatium. Sustinuit enim filius patrem eundo & redeundo, quamdiu cum eo fuerat filius. Non post multos dies magnificis donis honorauit eũ pater suus, & dimisit eum ire in Aquitaniam. Antequam diuisi essent, amplexantes se & osculantes propter gaudium amoris flere ceperunt. Ille perrexit in Aquitaniam, & dominus Imperator tenuit Regnum & nomen suum honorificè sicut dignum erat.

POSTQVAM diuisi fuerant, dominus Imperator nihil aliud cœpit agere nisi VII.
in orationibus & eleemosinis vacare, & Libros corrigere. Nam quatuor Euangelia Christi, quæ intitulantur nomine Matthei, Marci, Lucæ, & Iohannis, in vltimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optimè correxerat. Sequenti verò anno, qui est annus regni eius XLVI. mense Ianuario accepit dominum Imperatorem febris post balneum. Cúmque per singulos dies laboribus ingrauesceret, nihil comedens neque bibens, nisi modicum aquæ ad recreationem corporis, septimo die postquam laborare cœpit, iussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, vt ei sacramenta Dominici corporis & sanguinis
B tribueret, vt exitum suum confirmaret. Quo facto, laborauit in infirmitate diem illum & noctem sequentem. In crastinum verò luce adueniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera virtute qua poterat signum sanctæ crucis fronti imprimens, super pectus & omne corpus consignauit. Nouissimè autem colligens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus, clausit oculos, psallens hunc versum leniter: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Statim post hæc in senectute bona plenus dierum perrexit in pace, ipsóque die humatum est corpus eius in Ecclesia quam ipse construxerat Aquisgrani Palatio anno ætatis suæ LXXII. Indict. VII.

POST obitum gloriosissimi Imperatoris Karoli, perrexit LVDEVVICVS de partibus VIII.
Aquitaniæ, & venit Aquisgrani Palatium, & suscepit omnia Regna quæ Deus tradidit patri suo sine vlla contradictione. Qui est annus Incarnationis Domini octingentesimus decimus quartus, qui est primus annus regni eius. Post patrem sedit in supradicto Palatio, & in primis cum maxima festinatione iussit ostendere sibi omnes thesauros patris in auro, in argento, in gemmis preciosissimis, & in omni supellectili. Dedit sororibus suis partem earum legalem, & quic-
C quid remanserat dedit pro anima patris. Maximam partem thesauri misit Romam temporibus beati Leonis Papæ, & quicquid super hoc remanserat, sacerdotibus & pauperibus, aduenis, viduis, orphanísque omnia distribuit, nihil sibi reseruans præter vnam mensam argenteam, quæ triformis est in medio quasi tres clipei in vnum coniuncti: ipsam sibi retinuit ob amorem patris, & tamen eam alio precio redemit quod pro patre tradidit.

HOC facto, Legati venerunt ad eum ex omnibus Regnis & Prouinciis, & ex IX.
ceteris nationibus, & omnes qui sub ditione erant patris sui, nuntiantes pacem & fidem erga eum obseruare, & spontaneum obsequium non coacti obtulerunt. Inter eos venerunt Legati Græcorum cum Amalhario Treuirensi Episcopo, qui erat Legatus piæ memoriæ Karoli ad Principem Constantinopolitanum, cuius nomen modò non occurrit. Illi venientes, in solio patris collocatum dominum Ludeuuicum inuenerunt, quia sic Deus ordinauit. Ille eos benignè suscipiens, & dona eorum cum gratiarum actione accipiens, & colloquium familiare interim quousque cum eo erant, habebat. Non post multos autem dies magnis honoribus decorauit eos, & dimisit ire ad propria, & ante eos misit Missos suos præparare eis quicquid desiderabant ad opus eorum, quousque forent in Regno.

EODEM anno iussit supradictus Princeps renouare omnia Præcepta, quæ sub X.
temporibus patrum suorum gesta erant Ecclesiis Dei, & ipse manu propria ea cum subscriptione roborauit.

LVDOVICVS PIVS.

XI. INTERIM venerunt Legati Beneuentanorum, qui omnem terram Beneuenti suæ potestati tradiderunt, & multa milia aureorum per annos singulos ad censum tradere promiserunt. quod ita perfecerunt vsque in hodiernum diem. A

XII. EODEM tempore venit Bernhardus filius fratris sui Pippini, & tradidit semetipsum ei ad procerem, & fidelitatem ei cum iuramento promisit. Suscepit eum libenter dominus Ludeuuicus, & magnis eum ac honorificis donis honorauit, & permisit iterum ire in Italiam.

XIII. EODEM tempore supradictus Princeps misit Legatos suos supra omnia Regna sua inquirere & inuestigare si alicui aliqua iniustitia perpetrata esset, & si aliquem inuenissent qui hoc dicere vellet, & cum verissimis testibus hoc probare potuisset, statim cum eis in Prouinciam eius venire præcepit. Qui egressi inuenerunt innumeram multitudinem oppressorum aut ablatione patrimonij, aut exspoliatione libertatis. quod iniqui Ministri, Comites, & Loco-positi, per malum ingenium exercebant. Omnia supradictus Princeps destruere iussit acta, quæ impiè in diebus patris sui per iniquorum Ministrorum ingenia facta fuerant. Patrimonia oppressis reddidit, iniustè ad seruitium inclinatos absoluit, & omnibus Præcepta iussit facere, & manu propria cum subscriptione confirmauit. Fecit hoc diu tempore.

XIV. ALTO anno Regni sui habuit generale Placitum suum in partibus Saxoniæ, & ibi multa bona constituit, & Legatio Danorum ad eum venit postulans pacem, & omnes qui in circuitu erant paganarum nationum ad eum venerunt, & supradictus Bernhardus ibi ad eum venit, quem dimisit ire iterum in Italiam. Dominus Ludeuuicus, postquam confirmauit confinia Regni sui illis in partibus, rediit ad sedem suam Aquis, ibique hiemem transegit. B

XV. ANNO sequenti misit exercitum suum contra Sclauos in Oriente positos, qui valdè oppresserunt eos, & victores Deo donante exierunt. Hoc facto vnusquisque rediit ad propria.

XVI. EODEM anno Leo Papa Romanus obiit, & Stephanus post eum successit. Qui statim postquam Pontificatum suscepit, iussit omnem populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludeuuico: & dirigens Legatos suos ad supradictum Principem, nunciauit ei vt libenter eum videre voluisset in loco vbicunque sibi placuisset. Quod audiens, magno tripudio repletus cœpit gaudere, & confestim iussit Missos suos obuiam ire sancto Pontifici cum salutationibus maximis, & seruitia præparare. Perrexit post Missos dominus Ludeuuicus obuiam supradicto Pontifici, obuians ei in campo magno Remensium. Descendit vterque de equo suo, & Princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutauit Pontificem istis verbis dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & illuxit nobis.* Et respondit Pontifex: *Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum Dauid Regem videre.* Amplexantes enim se & osculantes, pacificè perrexerunt ad Ecclesiam. qui cùm diu orauerunt, erexit se Pontifex, & excelsa voce cum Clero suo fecit ei laudes regales. C

XVII. POSTEA Pontifex honorauit eum magnis honoribus & multis, & Reginam Irmingardam, & omnes Optimates & Ministros eius. Et in proxima die Dominica in Ecclesia ante Missarum solemnia coram Clero & omni populo consecrauit eum, & vnxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & preciosissimis gemmis ornatam, quam secum apportauerat, posuit supra caput eius. Et Irmingardam Reginam appellauit Augustam, & posuit coronam auream super caput eius. Quamdiu ibi erat beatissimus Papa, quotidie colloquium habebant de vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ. Post quod dominus Imperator eum honorauit magnis & innumeris donis tripliciter & amplius quàm suscepisset ab eo, sicut semper solebat agere, magis dare quàm accipere, dimisit eum ire Romam cum Legatis suis, quibus præcepit vbique in itinere suo honestum exhibere seruitium.

XVIII. POSTQVAM Romam venit, non post multos dies supra modum claruit Dei manifestatione in nonnullis miraculis, quòd ipse verus erat viuens Dei cultor. Post eum successit Paschalis Papa.

XIX. INDE reuertens dominus Imperator venit Aquisgrani Palatium ad sedem

A suam. Pollebat enim de die in diem virtutibus sacris, quod prolixum est enumerare. Erat enim statura mediocri, oculis magnis & claris, vultu lucido, naso longo & recto, & labris non nimis densis nec nimis tenuibus, forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis, ita vt nullus ei in arcu vel lancea sagittando æquiparari poterat: manibus longis, digitis rectis, tibiis longis & ad mensuram gracilibus, pedibus longis, voce virili. Lingua Græca & Latina valde eruditus, sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui, Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus scripturis spiritalem, & moralem, nec non & anagogem optimè nouerat. Poëtica carmina gentilia, quæ in iuuentute didicerat, respuit, nec legere nec audire nec docere voluit. Erat fortis in membris suis, agilis & impiger, tardus ad irascendum, facilis ad miserandum. Quotiens manè in cottidianis diebus ad Ecclesiam perrexerat causa orationis, flexis genibus fronte tetigit pauimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lachrimis: & omnibus moribus bonis semper ornatus. Intantum largus, vt antea nec in antiquis Libris nec in modernis temporibus auditum est, vt villas regias, quæ erant sui & aui & tritaui, fidelibus suis tradidit eas in possessiones sempiternas & Præcepta construxit, & annuli sui impressione cum subscriptione manu propria roborauit. Fecit enim hoc diu tempore. Erat in cibo potúque sobrius, & indumentis suis moderabilis. Nunquam aureo resplenduit indumento, nisi tantùm in summis festiuitatibus, sicut patres eius solebant agere. Nihil illis diebus se in- LVDOVICVS PIVS.

B duit præter camisiam & feminalia nisi cum auro texta, lembo aureo, baltheo præcinctus & ense auro fulgente, ocreas aureas & clamidem auro textam, & coronam auream auro fulgentem in capite gestans, & baculum aureum in manu tenens. Numquam in risu exaltauit vocem suam, nec quando in festiuitatibus ad lætitiam populi procedebant themolici, scurræ, & mimi cum coraulis & citharistis ad mensam coram eo. tunc ad mensuram coram eo ridebat populus, ille numquam vel dentes candidos suos in risu ostendit. Quotidie ante cibum eleemosinarum largitionem exhibuit, & vbicumque erat Xenodochia secum habebat. In mense autem Augusto quando cerui pinguissimi sunt, venationi vacabat vsque dum aprotum tempus aduenerat.

OMNIA prudenter & cautè agens, nihil indiscretè faciebat, præterquàm quòd Consiliariis suis magis credidit quàm opus esset: quod ei fecit psalmodiæ occupatio & lectionum assiduitas, & aliud quod ille non incipiebat. Quia iamdudum illa pessima consuetudo erat, vt ex vilissimis seruis summi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano, sicut testatur Regum historia de Ieroboam filio Nabath, qui erat seruus Regis Salomonis, & post eum principatum habebat super decem tribus filiorum Israël. Refert enim Scriptura de eo in hæc verba: *Non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, sed econtrario fecit de nouissimis populi Sacerdotes excelsorum, & propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.* Postquam ta- XX.

C les culmen accipiunt, numquam sunt sicut antea tam mansueti & sic domestici, vt non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, iniuriosi, & minas omnibus subiectis promittentes, & per huiusmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpissimam cognationem eorum à iugo debitæ seruitutis nituntur eripere, & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus studiis instruunt, alios nobilibus feminis coniungunt, & propinquas eorum filios nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter viuere potest, nisi hi soli qui talem coniunctionem habent: ceteri verò cum maxima tristitia, gemendo, flendo, ducunt dies suos. Propinqui autem supradictorum postquam aliquid intelligunt, senes nobiles derident atque despiciunt, sunt elati, instabiles, inuerecundi. vnicuique tamen paruum bonum remanet, postquam à se sanctam verecundiam proicit. Domini eorum nolunt intelligere Scripturam canonicam, quod Apostolorum concilium nominatur, ibi enim præcipit dicens: *Quod si Episcopus pauperes parentes habuerit, tribuatur eis quasi pauperibus, vt non res Ecclesiastica pereat.* Librum sancti Gregorij, qui prætitulatur Pastoralis, nolunt audire. Nullus enim credere potest quomodo se continens, nisi hi soli qui hoc malum sine vlla intermissione patiuntur. Propinqui verò eorum postquam aliquid intelligunt, quod maximum periculum est dantibus & accipientibus, ad sacrum

LVDOVICVS PIVS. Ordinem pertrahuntur. Et licèt aliqui sint periti, tamen superat eorum do- A
ctrinam criminum multitudo: sic plerumque vt Pastor in Ecclesia aliquos negligentes noxios ausus non est canonica iustitia prouocare propter crimina propinquorum, & illud factum ministerium plerumque à nonnullis valde despicitur, propter quod à talibus exhibetur. Et ideo omnipotens Deus cum Regibus suis & Principibus hanc pessimam consuetudinem amodo & deinceps eradicare & suffocare dignetur, vt amplius non fiat in populo Christiano. Amen.

XXI. SVPRADICTVS verò Imperator denominauit filium suum LOTHARIVM, vt post obitum suum omnia Regna quæ ei tradidit Deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet nomen & Imperium patris. & ob hoc ceteri filij indignati sunt.

XXII. IPSO eodémque anno Bernhardus filius Pippini, & ex concubina natus, per exhortationem malorum hominum extollens se aduersus patruum suum, voluit eum à Regno expellere, habebátque impios Consiliarios hinc indè. Quod audiens dominus Imperator, perrexit Aquisgrani Palatio, & peruenit Cauillonis, vbi obuiam venit Bernhardus cum Consiliariis suis impiis, & commendati sunt. Imperator verò celebrauit ibidem Natalem Domini, & inde reuertens venit ad sedem suam Aquis, & post Pascha habuit magnum Conuentum populorum, & omnes inuestigauit infidelium nequissimas conspirationes huius rei. Inuenti sunt autem nonnulli in hac seductione esse lapsi ex vtraque parte Francorum atque Longobardorum, qui omnes iudicati sunt ad mortem, præter Episcopos qui postmodum depositi in confessione eorum facti sunt. Hoc fuit Anshelmus Mediolanensis, & VVoluodus Cremonensis, & Theodulfus Aurelianensis. Illud iudi- B
cium mortale, quod ceteris factum est, Imperator exercere noluit, sed Consiliarij Bernhardum luminibus priuarunt, similiter & exhortatores suos Egiterum,
* Hardrati Reinhardum, & Reginharium, qui erat filius filiæ Hardiati *, qui erat Dux Austriæ infidelissimus, qui iamdudum insurgere in dominum Karolum voluit, & ei Regnum minuere, qui eodem supplicio deputatus est, sicut filiæ suæ filius sustinuit cum consentaneis suis.

XXIII. TERTIO die post amissionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator, magno cum dolore fleuit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & iudicio eorum pœnitentiam suscepit propter hoc tantum quia non prohibuit Consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.

XXIV. EODEM tempore iussit fratres suos tonsurari, Drugonem, Hugonem, & Theodoricum, ad discordiam mitigandam, & liberalibus disciplinis iussit instrui: quos postmodum honorificè constituit. Drugoni Episcopatum dedit, & Hugoni Cœnobialia Monasteria.

XXV. TVNC perrexit dominus Imperator in partes Brittanniæ cum exercitu, & ibi Murmannus Dux eorum interfectus est, & omnem terram eorum suæ ditioni subegit. Inde regrediens inuenit Irmingardam Reginam febricitantem, quæ non C
post multos dies obiit in pace.

XXVI. SEQVENTI verò anno accepit filiam VVelfi Ducis, qui erat de nobilissima stirpe Bauarorum, & nomen virginis IVDITH, quæ erat ex parte matris nobilissimi generis Saxonici, eámque Reginam constituit. Erat enim pulchra valdè. Eodem anno Ingulenheim villa Regia generale Placitum suum habuit.

XXVII. SEQVENTI anno exercitum suum misit aduersus Orientales Sclauos, quorum Dux nominabatur Liduit, quem in fugam verterunt, & terram illam vastauerunt. Inde regredientes venerunt domum.

XXVIII. SEQVENTI anno habuit Placitum suum generale *, & ibi Lotharius filius suus primogenitus ex Regina suscepit in coniugium filiam Hugonis Comitis, qui erat de stirpe cuiusdam Ducis nomine Edith, qui erat timidus super omnes homines. Sic enim cecinerunt ei domestici sui, vt aliquando pedem foris sepem ausus ponere non fuisset. Iam tunc imminebat ei infidelitas, quam per suggestionem supradicti soceri sui & aliorum iniquorum multorum ostendit in patre. Inde regrediens Lotharius venit VVormaciam cum vxore.

XXIX. SEQVENTI anno habuit generale placitum suum Attiniaco Palatio. Inde direxit filium suum Lotharium cum coniuge IRMINGARDA in Italiam. Do-

A minus verò Imperator perrexit indè, & venit ad Franconofurt, ibique Natalem Domini celebrauit. LVDOVICVS PIVS.

POSTEA misit Legatos suos Adalungum venerabilem Abbatem & Presbyterum, & Hunfridum qui erat Dux super Rethiam, in partibus Romæ, propter quandam insolentiam quam Romanorum populus super Romanum Pontificem Paschalem dixit, imputantes ei quòd nonnullorum homicida fuisset. Qui supradictus Pontifex cum iuramento purificauit se in Lateranensi Patriarchio coram supradictis Legatis, & populo Romano, cum Episcopis XXXIII. & Presbyteris & Diaconibus quinque. Illis Missis abeuntibus, statim supradictus Papa obiit, cuius funus Romanus populus in Ecclesia beati Petri Apostoli humari noluit, antequam Eugenius Papa post eum successit, & ipse iussit sepelire corpus eius in loco quem ipse viuus construxerat. XXX.

ANNO sequenti Imperator perrexit alia vice in Britanniam, & omnem terram illam plaga magna vastauit propter infidelitatem eorum. XXXI.

ALIO anno erat Aquisgrani Palatio cum magno exercitu, & ibi venerunt Legati Bulgarorum ferentes dona: quos benignè suscipiens dimisit ire ad propria. XXXII.

SEQVENTI verò anno erat in Palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit Erioldh de Danis, quem dominus Imperator eleuauit de fonte baptismatis, & B vxorem eius eleuauit de fonte domina Iudith Augusta. Tunc dominus Imperator magnam partem Frisonum dedit ei, & donis honorificis ornauit eum, & cum Legatis suis dimisit eum ire in pace. XXXIII.

ALIO anno direxit exercitum obuiam Sarracenis. Sequenti verò anno perrexit de Ingulenheim, & post generale placitum peruenit ad Commerciacum. XXXIV.

ALIO anno venit VVormaciam, vbi & Karolo filio suo, qui erat ex Iudith Augusta natus, terram Alamannicam, & Rethicam, & partem aliquam Burgundiæ, coram filiis suis Lothario & æquiuoco suo Lodeuuico tradidit, & inde illi indignati vna cum Pippino germano eorum. XXXV.

ALIO verò anno perrexit Dominus Imperator de Aquisgrani Palatio, & peruenit ad Compendium, ibique venit ei obuiam Pippinus filius eius cum magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano, & Iesse Ambianensi Episcopo, Hugone, & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt dominum Imperatorem de Regno expellere. quod prohibuit dilectus æquiuocus filius eius. Supradicti impij obiicientes ei multa contraria, dixerunt Iudith Reginam violatam esse à quodam Duce Bernhardo, qui erat de stirpe regali, & domini Imperatoris ex sacro fonte baptismatis filius: mentientes omnia, suscipientes Reginam Iudith, eámque vi velantes, & in Monasterium mittentes, & fratres eius Conradum & Rudolfum tondentes, & in Monasterium mittentes, &c. XXXVI.

IPSO anno peruenit dominus Imperator ad Nouiomagum castrum, quod situm est super fluuium quod dicitur * Valum, & multitudo hominum ex omni- XXXVII. * Vahalia.
C bus Regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt supradicti aduersarij eius, & superauit eos dominus Imperator, & dimisit eos atque commendauit. Et Lotharius filius eius cum iuramento fidelitatem promisit, vt posthac nunquam talia committere debuisset. Et ibi Iesse iusto iudicio Episcoporum depositus est. Ibi fuit æquiuocus filius eius, qui in omnibus laboribus patris adiutor eius extitit. Indè venit dominus Imperator Aquis ad sedem suam, & supradicta coniux venit ibi obuiam ei, quam honorificè suscepit iubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum iusto iudicio.

SEQVENTI verò anno in Palatio Theodonis erat cum filiis suis Lothario & Lodeuuico, & ibi supradictus Dux Bernhardus purificauit se de obiecto stupro, postquam nullus inuentus est qui ausus fuisset cum armis iam dictam rem ei imponere. XXXVIII

ALIO verò anno post Pascha auditum est, quòd æquiuocus filius eius cum consilio Lotharij voluisset visitare patrem inhonestè, & venit vsque ad Monasterium sancti Nazarij, & modico tempore ibi residens vsque dum pater eius Moginciam veniens, & coadunato exercitu secutus est eum. Filius verò eius supradictus reuertens domum expectauit aduentum patris, & voluit se defendere. Pater itaque veniens, iussit eum venire ad se: quem benignè suscipiens, habuerunt colloquium pacificum, & non post multos dies cum gaudio magno amore diuiserunt se. Filius domi sedebat, & pater reuersus est in Franciam. XXXIX.

LVDOVICVS PIVS

XL. CVM ergo venit ad Palarium Franconofurr, ibi obuiam ei venit Lotharius filius eius, postulans patrem vt semetipsum purificare licuisset, quòd nec per voluntatem eius, nec per exhortationem frarer eius vllas molestias patri fecisset. sed quod verum hoc sir, nonnullis est cognitum. A

XLI. INTERIM quo Rex ibi manebar, audirum est quòd Pippinus filius eius aliquam commotionem patri facere voluisset. Qui concitè perrexit Lemouicam ciuirarem obuiam ei, iussitque filium ire cum vxore & liberis in Franciam. In primis audiens imperium patris, incipiebat ire vsque ad Theotuuadum Palarium: indè reuerrens perrexit in Aquiraniam, & Imperator rediens venit ad Aquis sedem suam, & fuit ibi non multum tempus. Inde digrediens venit VVormatiam ante sanctum rempus Quadragesimale.

XLII. POST Pascha audiuit quòd iterum filij sui ad eum venire voluissent non pacificè. qui congregauit exercitum, & perrexit obuiam eis vsque in campum magnum qui est inrer Argenrariam & Basileam, qui vsque hodie nominatur Campus mendacij, eò quòd ibi plurimorum fidelitas extincta sit. Filij aurem eius perrexerunt ei obuiam cum Gregorio Romano Pontifice, & quicquid postulabant nihil erat eis parer consentiens Non post mulros dies venerunr ad colloquium Imperator & iam dictus Pontifex: qui non diu loquenres, honorauit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Postquam vterque rediir ad tabernaculum, misit Imperaror dona regalia per Adalungum venerabilem Abbarem & Presbyterum supradicto Pontifici. Tunc consiliati sunr nonnulli, vt Imperatorem derelinquerenr, & ad filios eius peruenirenr, in primis illi qui eum antea offenderanr, cereris sequentibus. Quadam nocte maxima pars dimisit eum, & tenroria eorum derelinquentes peruenerunt ad filios. In crastinum verò aliqui, qui remanserant, venerunt ad Imperatorem: quibus præcepit dicens: Ire ad filios meos. Nolo vt vllus propter me vitam aur membra dimittat. Illi infusi lachrymis recedebant ab eo. Iam tunc separaram ab eo habebant vxorem suam, cum iuramento cõfirmans vt nec ad mortem nec ad debilirarem eam habere desiderarenr. Quam statim miserunt partibus Italiæ in ciuirarem Dartonam, ibi eam habentes. Non multo rẽpore postea susceperunt patrẽ, & duxerunt eum cum illis. quo facto diuiserũt se ibi. Pippinus perrexit in Aquiraniã, Lodeuuicus in Bauuariã. B

XLIII. LOTHARIVS verò duxit secum parrem ad Compendium Palatium, & ibi valde afflixit eum cum Episcopis & cereris nonnullis. Iusserunr enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus viræ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Omnes enim Episcopi molesti fuerunt ei, & maximè hi quos ex seruili conditione honoratos habebat, cum his qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sunt.

XLIV. ELEGERVNT tunc vnum impudicum & crudelissimum, qui dicebatur Hebo Remensis Episcopus, qui erat ex originalium seruorum stirpe, vt eum immaniter afflixisset cum confinctionibus cererorum. Inaudita locuti sunt, inaudira fecerunt, cottidie improperanres ei. Abstulerunt ei gladium de femore suo, iudicio seruorum suorum induentes eum cilicio. Tunc impletum est elogium Ieremiæ Prophetæ dicentis: *Serui dominati sunt nostri*. O qualem remunerationem reddidisti ei! Fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post libertatem. Vestiuit te purpura & pallio, & tu eum induisti cilicio. Ille perrraxit te immeritum ad culmen Pontificale: tu eum falso iudicio voluisti expellere à solio patrum suorum. Crudelis, cur non inrellexisti præcepta Domini, *Non est seruus supra Dominum suum?* Quamobrem contempsisti præcepta Apostolica illius qui ad rertium cœlum raprus erat, vt inter Angelos disceret quod hominibus ille sic præciperet? *Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti estote. Non est potestas nisi à Deo.* Et iterum alius dicit, *Deum timete, Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, hoc est enim gratia.* Tu verò Deum non timuisti, nec Regem honorasti. Si vnusquisque gratiam Dei adipisci poterit talia faciendo, profectò iram Dei habebit talia contemnendo. Crudelis, quis Consiliarius tuus fuir, aut ductor tuus? Nonne ille, qui est Rex super omnes filios superbiæ? qui dicebar Creatori suo, *Hac omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me?* O Domine Iesu, vbi erat Angelus tuus, qui omnia primogenita Egypti vna nocte deleuit: & ille qui in castris Assyriorum sub Sennacherib Rege C

A iniquo centum octoginta quinque milia perfidorum extinxit, testante Esaia Propheta? Aut ille qui Herodem iuuenem concionantem percussit, & statim scatere cœpit vermibus? Et tu terra, quæ eum sustinuisti illo in tempore, quare non aperuisti os tuum, vt deuorares eum, sicut iam olim fecisti Dathan & Abiron? Tu non intellexisti triformem legem tuam quæ dicit, *Cibaria & virga & onus asino, panis & disciplina & opus seruo?* Tibi vaticinauit Zacharias Propheta, *Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini.* Deus manifestauit malitiam tuam, & conseruauit illi Regnum & gloriam suam. Crudelis, adhuc imperfectum est canonicum iudicium tuum. Necesse est enim vt perfectum fiat iudicium ad maiorem ignominiam tuam. Patres tui fuerunt pastores caprarum, non Consiliarij Principum. Tu cum ceterorum iudicio Iesse à sacerdotio deposuisti. Nunc iterum reuocasti eum in gradum pristinum. Aut tunc, aut nunc falsum iudicium exhibuisti. Imitator eius fuisti, de quo Poëta in Libro VI. Æneidos canit: LVDOVICI PII.

Infelix Theseus, Flegyásque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti & non temnere Diuos.
Vendidit hic auro patriam, Dominúmque potentem
Imposuit, fixit leges precio atque refixit.

Quid possum tibi amplius dicere? Nam si linguam habuissem ferream, & labra ænea, omnes nequitias tuas explicare nec enumerare potuissem. Sed si aliquis B poëtico carmine facinora tua rimari voluisset, forsitan Smyrneum vatem, vetustum Homerum, Mincianúmque Maronem cum Ouidio superare potuisset. Sed temptatio piissimi Principis, quam pertulit à nequissimis, nihil ob aliud creditur fuisse, nisi vt probaretur eius bonitas, sicut & patientia beati Iob. Sed magna discretio erat in persecutoribus vtriusque. Qui beato Iob insultabant, Reges fuisse leguntur in Libro beati Thobiæ. Qui istum verò affligebant, legales serui eius erant ac patrum suorum.

De Compendio postea duxerunt piissimum Principem ad Aquisgrani Palatium. Hoc audiens æquiuocus filius eius, recessit à Bauuaria magno dolore compulsus ob iniuriam patris. Qui veniens ad Palatium Franconofurt, statim inde direxit Legatos suos Gozbaldum Abbatem, & Morhardum Palatinum Comitem, postulans & imperans vt erga patrem humaniorem exhiberet sententiam. Quod frater eius Lotharius benignè non suscepit. Postquam illi Legati reuersi sunt, statim alios destinauit ad patrem, qui prohibiti sunt ne eum viderent. XLV.

Postea perrexit Lotharius de Aquisgrani Palatio, & peruenit Mogontiam, vbi obuiam venit ei frater, & colloquium inæquale habuerunt ibi propter hoc, quia omnes quos Lotharius habebat secum aduersarij erant patris sui iniustè: quos autem Lodeuuicus habebat secum fideles erant patri suo ac sibi. Indè reuertens Lotharius venit Aquis Palatium, celebrauitque ibi Natalem Domini adhuc clauso patre. XLVI.

C Post sanctum diem Epiphaniæ iterum Lodeuuicus misit Legatos suos ad patrem, Grimoldum venerabilem Abbatem atque Presbyterum, & Gebehardum nobilissimum atque fidelissimum Ducem. Qui venientes Aquis, consensit eis Lotharius vt viderent patrem eum insidiatoribus, quorum vnus vocabatur Otgarus Episcopus, alter verò Richardus perfidus. Venientes Legati ad conspectum Principis, & humiliter prosternentes se pedibus suis, salutauerunt eum ab æquiuoco filio suo. Secreta verò noluerunt ei indicare propter insidiatores præsentes, sed aliquo motu signorum fecerunt eum intelligere quòd æquiuocus eius hoc consentire noluisset, scilicet supplicium patris. XLVII.

Illis Missis abeuntibus, statim Lotharius compulit patrem, vt cum eo veniret ad Compendium. Qui consentiens filio perrexit cum eo. Hoc audiens Lodeuuicus, coadunata multitudine secutus est eos. qui cùm non longè abesset ab eis, Lotharius dimisit patrem, & recessit ab eo cum Consiliariis suis impiis. Lodeuuicus verò filius eius peruenit ad eum, & honestè suscepit, & reduxit iterum ad Aquis sedem suam, & Deo iubente restituit eum in Regnum & locum suum. Et ibi simul sanctum Pascha Domini celebrarunt. Hoc audiens Hebo statim fugam iniit, sed comprehensus coactus perductus est ad præsentiam Principis, qui commendauit eum ad custodiendum. XLVIII.

LVDOVICVS PIVS. XLIX. EODEM anno, qui est annus Regni eius XXI. omnibus indulgentiam præstitit, qui eum coacti reliquerunt. Et hoc non fuit ei onerosum vel graue, qui est piissimus Imperatorum, quod antea pepercit inimicis suis, implens Euangelicum præceptum quo dictum est: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Præmium bonum & magnum præparat ei Deus, qui hoc præceptum implet. Quem enim diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit: & qui sponte correptiones eius non suscipit, filius eius fieri non potest. A

L. SED summopere cauendum est, ne amplius fiat vt serui sint Consiliarij sui: quia si possunt, hoc maximè construunt, vt nobiles opprimant, & eos cum vilissima propinquitate eorum exaltare studeant. Hoc non condecet sanctæ dignitati suæ, quoniam hoc raro contigerat temporibus sanctæ memoriæ genitoris sui, vt aliquis de talibus ad honorem conscenderet: quin eum maxima cum disciplina regebat, ne superbire inciperet. Hoc exemplum nunc exercere opus est, quando in temptatione erat mitissimus Principum. Si tales tam molesti ei fuerunt, qui eis immeritis omnem benignitatem exhibuit, quid subiectis faciant, nulli interrogare opus est.

LI. POSTQVAM præualuit Imperator, misit fideles Legatos suos partibus Italiæ, vt reducerent coniugem suam sæpè mendaciis afflictam. Qui venientes, susceperunt eam honorificè, & perduxerunt eam cum iocunditate & lætitia ad præsentiam Principis, qui erat tunc temporis Aquisgrani Palatio.

LII. LOTHARIVS verò residens in ciuitate Cabullonum, vbi multa mala commiserat exspoliando Ecclesias Dei, fideles patris sui vbicumque comprehendere potuerat, præter Legatos tantum, martyres exhibuit. Insuper & sanctimonialem feminam, quæ erat soror Ducis Bernhardi nomine Gerbirch, iussit in vase vinatico claudere, & proiicere in flumen Ararim, de quo Poëta canit: B

Aut Ararim Parthus bibat, aut Germania Tigrim.

Ibi eam diu affligens extinxit iudicio impiorum Consiliariorum, implens psalmodicam prophetiam: *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*

LIII. POST hoc misit Imperator Legatos suos ad Lotharium, Marcuuardum venerabilem Abbatem, cum ceteris fidelibus suis, cum epistolis exhortatoriis, quibus admonuit eum imprimis vt recordaretur omnipotentis Dei & mandatorum eius, vt auerteret se à via sua praua, & intelligeret quàm districtum iudicium esset Deum contemnere in præceptis suis. Dicit enim Deus inter alia præcepta, *Honora patrem & matrem*. &, *Qui maledicit patri vel matri, morte moriatur.* Hoc præceptum non per Prophetas mandauit, neque per Apostolos, sed ipse Deus scribendo obseruare præcepit, & quàm graue sit hoc prætermittere in Libro Deuteronomij postmodum ostendit, dicens: *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuio: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur vt auferatur malum de medio vestri.* C

LIV. POSTQVAM Lotharius locutus fuisset cum supradictis Missis, Legationem eorum grauiter ac durè suscepit, & minas eis promisit. quod adhuc non est impletum, neque postmodum fiet. Illi redeuntes ab eo venerunt ad Imperatorem, nunciantes ei omnia quæ viderant & audiuerant. Inde pater eius ingemiscens congregauit multitudinem copiosam, & perrexit post eum vbi audierat eum esse. Venerunt eius filij obuiam ei, Pippinus ab Occidente, & Lodeuuicus ab Oriente, vterque cum magna multitudine ad obsequium patris. Cúmque appropinquarent ad Aurelianensium ciuitatem, vbi erat Lotharius prope cum seductoribus suis impiis, de quibus superiùs mentio facta est, acquiescere exhortationibus patris noluit, sed quadam nocte elongauit se ab eo quasi fugiendo. Tunc Imperator misit Legatos suos post eum, Baradadum Episcopum Saxonicum *, & Gebehardum nobilissimum Ducem, & Berengarium sapientem propinquum suum. Qui venientes ad eum, statim iam dictus Episcopus præcepit ei sub edicto omnipotentis Dei & Sanctorum eius, vt alienaret se à societate impiorum seductorum eius, vt licuisset fidelés Imperatoris ostendere, si voluntas Dei esset, vt discordia eorum permaneret an non. Post Legationem Episcopi supradicti, Duces pro-

* Suessionicum

A tulerunt quod eis imperatum fuerat. Quos statim rogauit ad modicum tempus egredi foras, & statim reuocauit: deprecans eos vt ei consilium darent de omnibus actibus suis. At illi instruxerunt eum vt veniret ad præsentiam patris cum ceteris seductoribus suis, promittentes pacem. Et ille cum illis promisit venire. Inde reuertentes Legati venerunt ad Principem, nuntiantes ei quicquid gestum erat. LVDOVICVS PIVS.

POSTQVAM venit Lotharius vbi erat Imperator pater eius sedens in papilione suo, qui erat extensus valde in altum in campo magno, vbi eum exercitus omnis contemplabatur, & filij ejus fideles steterunt juxta eum, Tunc veniens Lotharius cecidit ad pedes patris, & post eum socer eius Hugo timidus. Tunc Mathfridus, & ceteri omnes qui primi erant in facinore illo, postquam surrexerunt de terra, confessi sunt se valde deliquisse. Post hæc Lotharius iurauit patri suo fidelitatem, & vt omnibus imperiis suis obedire debuisset, & vt iret in Italiam, & ibi maneret, & inde non exiret nisi permissione patris. Tunc iurauerunt & ceteri. Post hæc piissimus Princeps indulgentiam dedit eis si hoc iuramentum conseruarent. Dimisit eos habere patrimonia, & omnia quæ habebant, præter quod ipse manu propria tradidit eis. Diuiserunt se ibi, & Lotharius perrexit in Italiam cum consentaneis suis, & statim Mathfridus, qui erat maximus inceptor omnium illorum malorum, mortuus est, & ceteri nonnulli. Hi verò qui remanserant, febre correpti sunt. LV.

IMPERATOR verò inde regrediens, venit ad Palatium Theodonis, & ibi totam hiemem peregit. Post Natalem Domini altero anno habuit Conuentum magnum populorum, & ibi Hebo turpissimus rusticus venit, quem alij Episcopi firmiter amouere non ausi sunt, timentes quod eorum proditor existere debuisset. Et ideo suaserunt ei, vt sibi ostenderet ministerium sacerdotale minimè posse habere. quod ita fecit, & ideo sic planè dimissus est. Quod adhuc omnino emendare opus est, quia melius est iustum iudicium sanctorum Patrum exercere in eo, quàm falsam pietatem sub obtentu Religionis demonstrare. LVI.

B

IPSO anno perrexit Imperator ad partes Lugdunensium, vbi obuiam ei venerunt filij sui Pippinus & Lodeuuicus, qui natu iuniores erant. Ibi sedebat Imperator cum filiis suis, quoadusque Legati sui in Italiam venirent ad Lotharium. Indè reuersus est Imperator, & venit ad Aquis sedem suam. & Pippinus reuersus est in Aquitaniam, Lodeuuicus perrexit ad partes Austriæ. LVII.

EODEM anno in ipso itinere obiit Berengarius Dux fidelis & sapiens, quem Imperator cum filiis suis luxit multo tempore. Iste est annus XXIII. regni Domini Lodeuuici piissimi Imperatoris, quem conseruare & protegere diu in hoc seculo feliciter commorantem, & post hæc discurrentia tempora perducere dignetur ad societatem omnium Sanctorum eius, ille qui est Deus benedictus in secula. Amen. LVIII.



A

VITA HLVDOVVICI PII IMP. KAROLI MAGNI F.

Incerto Auctore, ſed qui ſe profeſſione Aſtronomum, & in Palatio ipſius Imperatoris verſatum teſtatur.

Quæ ſcripſit hic Auctor vſque ad tempora Imperij LVDOVICI, *profitetur in Prologo ſe* ADEMARI *nobiliſſimi ac deuotiſſimi Monachi relatione didiciſſe, qui eidem* LVDOVICO *coæuus & connutritus fuit. Poſteriora autem, per ſeipſum vidiſſe atque comperiſſe ſignificat, dum rebus intereſſet Palatinis. Ceterùm editio iſta nunc recognita, variiſque in locis emendata eſt, ad fidem duorum Mss. Codd. quorum vnum antiquiſſimum ſubminiſtrauit Bibliotheca Thuana, alter paulò recentior ſeruatur in Bibl. Alex. Petauy.* B

PROLOGVS.

QVVM gesta priſcorum bona, maláve, maximè Principum, ad memoriam reducuntur, gemina in eis vtilitas legentibus confertur. Alia enim eorum vtilitati & ædificationi proſunt, alia cautelæ. Quia enim primi in ſublimi veluti ſpecula conſiſtunt, & ideò latere nequeunt: eò fama eorum latiùs propagatur, quò & diffuſius cernitur; & tantò quique illorum bono plurimi alliciuntur, quantò prominentiores ſe imitari gloriantur. Hæc ita ſe habere maiorum produnt monumenta, qui relatione ſua poſteritatem inſtruere ſtuduerunt, quiſque Principum quo calle mortalium iter triuerit. Quorum nos ſtudium imitantes, nolumus eſſe vel præſentibus inofficioſi, vel futuris inuidi, ſed Actus Vitámque Deo amabilis atque orthodoxi Imperatoris LVDOVVICI, ſtilo licèt minus docto, contradimus. Fateor enim, & abſque fuco adulationis dico, C quia ſuccumbit cuiuſque, non dico meum quod perexiguum eſt, ſed magnorum ingenium, materiæ tantæ. Etenim auctoritate diuina diſcimus, ſanctam Sapientiam docere ſobrietatem, ſapientiam, & iuſtitiam, & virtutem, quibus nihil eſt dulcius in vita hominibus: quarum ille ita comitatui indiuiſè adhæſit, vt neſcires potiùs, quam in eo ammirari deberes. Quid enim eius ſobrietate ſobrius? quæ alio nomine frugalitas ſiue temperantia nominatur. Ita enim ea vſus eſt, vt illud vetuſtiſſimum prouerbium, & ad cœlum vſque celebratum, ei fuerit familiariſſimum, quo dicitur: *Ne quid nimis.* Sapientia verò delectabatur ea, quam ſcripturæ auctoritate didicerat dicente: *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia.* Iuſtitiam porro quanto coluerit affectu, teſtes ſunt, qui eius nouere ſtudium quo flagrabat, vt quiſque hominum ordo ordini ſuo iuſta perſolueret, & Dominum ſuper omnia, proximum verò tanquam ſe diligeret. Iam verò virtus adeò ei coaluerat, vt tot ac tantis pulſatus malis, laceſſitus tam priuatis, quàm externis iniuriis, nullo tamen, Deo cuſto-

A de, pectus eius inuincibile potuit iniuriatum pondere frangi. Vni tantummodo ab æmulis ascribebatur culpæ succubuisse, eo quòd nimis clemens esset. Nos autem cum Apostolo dicamus talibus: *Dimitte illi hanc iniuriam.* Sed hæc verum vera sint necne, perlegens quisque scire poterit. Porrò quæ scripsi vsque ad tempora Imperij, ADHEMARI nobilissimi & deuotissimi Monachi relatione didici, qui ei coæuus & connutritus est. Posteriora autem, quia ego interfui rebus Palatinis, quæ vidi & comperire potui, stilo contradidi.

LVDOVICVS PIVS.

INCIPIT NARRATIO VITÆ.

FAMOSISSIMVS Regum, nullique suo tempore postponendus CAROLVS, quum post obitum paternum, fratrisque Carlomanni infaustum occubitum, populi Regnique Francorum suscepisset vnicum gubernaculum: inuincibile sibi arbitratus est affore saluris prosperitatisque suffragium, si Ecclesiæ paci concordiæque adminiculans, pacificos quidem sub vnione fraterna arctiùs vinci-
B ret, rebelles autem æqua seueritate percelleret, nec non & oppressis à paganis opem ferret: sed & ipsos Christiani nominis inimicos ad agnitionem confessionémque veritatis quoquo modo perduceret. His igitur conatibus Regni sui auspicia dedicans, & Christo tuenda & corroboranda committens, postquam res Franciæ, prout libuit & vtile iudicauit, Deo annuente, composuit, ad Aquitaniam transiit, recidiua bella meditantem: & Hunoldo quodam tyranno auctore, iam iamque in arma ruentem, bello aggressus est. Eius ergo terrore coactus est idem Hunoldus & Aquitaniam linquere, & fugæ subsidio vitam delitescendo atque oberrando seruare. His peractis, & rebus tam publicis quàm priuatis pro opportunitate dispositis, reliquit Hildegardam nobilissimam piissimámque Reginam in villa regia, cuius vocabulum est Cassinogilus, gemina grauidam prole, & transiit Garonnam fluuium Aquitanorum & Vasconum conterminum: quam regionem iamdudum in deditionem susceperat, Lupo Principe se & sua eius nutui dedente. Ibidem etiam quæ opportunitas vtilitásque dictauit expletis, statuit Pyrinæi montis superata difficultate ad Hispaniam pergere, laborantique Ecclesiæ sub Sarracenorum acerbissimo iugo Christo fautore suffragari. Qui mons cùm altitudine cœlum penè contingat, asperitate cautium horreat, opacitate syluarum tenebrescat, angustia viæ vel potiùs semitæ commeatum non modò tanto exercitui, sed paucis admodum penè intercludat, Christo tamen fauente prospero emensus est itinere. Neque enim Regis animus Deo nobilitante gene-
C rosissimus, vel impar Pompeio, vel segnior esse curabat Hannibale, qui cum magna sui suorúmque fatigatione, & perditione, iniquitatem eius loci olim euincere curarunt. Sed hanc felicitatem transitus, si dici fas est, fœdauit infidus incertúsque fortunæ ac vertibilis successus. Dum enim quæ agi potuerunt in Hispania peracta essent, & prospero itinere reditum esset, infortunio obuiante, extremi quidam in eodem monte regij cæsi sunt agminis. Quorum quia vulgata sunt nomina, dicere supersedi. Rediens ergo Rex, reperit coniugem Hildegardam binam edidisse prolem masculam. Quorum vnus immatura morte præreptus, antè penè mori, quàm sub luce viuere cœpit. Alter prospero euentu, materno fusus vtero, infantilibus nutriebatur impendiis. Nati sunt autem anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi septingentesimo septuagesimo octauo. 778.
Sed eum qui viuidam promittebat qualitatem, quum per baptismatis sacramentum renasci contigisset, LVDOVICVM vocitari patri placuit: eique Regnum, quod sibi nascendo dicauerat, contradidit. Sciens porro Rex sapientissimus atque perspicacissimus Carolus, Regnum esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc illo incommodo iactari, nisi consilio & fortitudine, velut quibusdam medicis, sanitas accepta tueretur: Episcopos quidem modo quo decuit sibi deuinxit. Ordinauit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatésque, nec non alios plurimos, quos vassos vulgò vocant, ex gente Francorum; quorum prudentiæ & fortitudini, nulla calliditate, nulla vi obuiare fuerit tutum: eisque com-

LVDOVICVS PIVS. misit curam Regni, prout utile iudicauit, finium tutamen, villarúmque regiarum ruralem prouisionem. Et Biturigæ ciuitati primò Humbertum, paulò post Sturbium præfecit Comitem: porrò Pictauis Abbonem, Petragoricis autem VVidbaldum, sed & Aruernis Iterium, nec non VVallagiæ Bullum, sed & Tholosæ Chorsonem, Burdigalis Siguinum, Albigensibus verò Aimonem, porrò Limouicis Rotligarium. A

779. QVIBVS ritè peractis, Ligerim cum reliquis transmeauit copiis: & Lutecias, quæ alio nomine Parisius vocatur, sese recepit. Post non multum sane tempus incidit ei desiderium, dominam quondam Orbis videre Romam, principísque Apostolorum atque doctoris gentium adire limina, seque suámque prolem cis commendare: vt talibus nitēs suffragatoribus, quibus cœli terræque potestas attributa est, ipse quoque subiectis cōsulere, perduellionúmque, si emersissent, proteruiam protetere posset. Ratus etiam non mediocre sibi subsidium conferri, si à Vicario eorum, cum benedictione sacerdotali, tam ipse, quàm & filij eius, regalia sumerent insignia. Quæ res Deo prosperante pro voto cessit. Ibidem LVDOVVICVS eius filius, cunarum adhuc vtens gestatorio, benedictione regnaturo congrua,

780. & regali insignitus est diademate, per manus Adriani venerandi Antistitis. Peractis igitur omnibus quæ Romæ agenda visa sunt, Rex Carolus cum filiis & exer-

781. citu pacificè Franciam repetiit: filiúmque suum Ludouuicum Regem regnaturum in Aquitaniam misit, præponens illi baiulum Arnoldum, aliósque ministros ordinabiliter decentérque constituens tutelæ puerili congruos. Qui vsque Aurelianam ciuitatem cunali est euectus gestamine. Sed ibi congruentibus eius

782. ætati armis accinctus, equo impositus, & in Aquitaniam est, Deo annuente, B

783. transpositus. Vbi dum non multis moratur annis, id est quatuor, gloriosus Rex

784. Carolus assiduos durósque Saxonibus inferebat referebátq; cōflictus. Inter quos

785. cauens, ne aut Aquitanorum populus propter eius longū abscessum insolesceret, aut filius in tenerioribus annis peregrinorum aliquid disceret morum, quibus difficulter expeditur ætas semel imbuta, misit & accersiuit filium iam benè equitantem, cum omni populo militari: relictis tantum Marchionibus, qui fines Re-

786. gni tuentes, omnes, si fortè ingruerent, hostium arcerent incursus. Cui filius Ludouuicus pro sapere & posse obedienter parens, occurrit ad Patrisbrunam, habitu Vasconum cum coæuis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo, manicis camisiæ diffusis, cruralibus distentis, calcaribus caligulis insertis, missile manu ferens. hæc enim delectatio voluntásque ordinauerat paterna. Mansit ergo cum patre inde vsque ad Herisburg cum eo vadens, vsquequo sol ab alto declinans axe, ardorem æstiuum autumnali condescensione temperaret. Cuius extremo tempore licentia à patre accepta, hiematum in Aquitaniam rediit.

787. EA tempestate Chorso Dux Tholosanus dolo cuiusdam Vasconis, Adelerici nomine, circumuentus est, & sacramentorum vinculis obstrictus: sicque demum ab eo absolutus. Sed huius næui vlciscendi gratia, Rex Ludouuicus & proceres, quorum consilio respublica Aquitanici Regni administrabatur, Conuentum generalem constituerunt in loco Septimaniæ, cuius vocabulum est Mors-Gothorum. Accitus autem idem Vasco, conscius facti sui venire distulit, donec obsidum interpositione fretus, tandem occurrit. Sed eorundem obsidum periculo nihil passus, insuper muneribus donatus, nostros reddidit, suos recepit, & ira re- C

788. cessit. Æstate verò subsequente iussu patris Ludouuicus Rex VVormaciam simpliciter, non expeditionaliter venit: & cum eo in hibernis perstitit. Vbi iam dictus Adelericus ante Reges dicere causam iussus, atque auditus, purgare obiecta volens, sed non valens, proscriptus, atque inreuocabili est exilio deportatus.

789. Chorsone porro à Ducatu Tholosano submoto, ob cuius incuriam tantum dedecus Regi & Francis acciderat, VVillelmus pro eo subrogatus est. Qui Vasconum nationem, vt sunt natura leues, propter euentum supradictum valde elatos, & propter multationem Adelerici nimis repperit efferatos. Quos tamen tam actu

790. quàm viribus breui subegit, illique pacem imposuit nationi. Rex verò Ludouuicus eodem anno Tholosæ placitum generale habuit, ibique consistenti, Abutaurus Sarracenorum Dux, cum reliquis Regno Aquitanico conlimitantibus, ad eum Nuntios misit, pacem petens, & dona regia mittens. Quibus secundum voluntatem Regis acceptis, Nuntij ad propria sunt reuersi.

INTEREA

A INTEREA anno hunc ſequente, patri Regi Rex Ludovvicus Ingelnheim oc- LVDOVICVS
currit, inde Reneſburg cum eo abiit. Ibique enſe, iam appellens adoleſcentiæ PIVS.
tempora, accinctus eſt, ac deinde patrem in Auares exercitum ducentem vſque 791.
ad Chuneburg comitatus, iuſſus eſt reuerti, & vſque ad reuerſionem paternam,
cum Faſtrada manere Regina. Itaque cum ea hiemem exegit imminentem, patre
in expeditione cœpta permanente. At verò ipſo ab expeditione Auarica remean-
te, accepit ab eo mandatum in Aquitaniam redire, & fratri Pipino ſuppetias, cum
quantis poſſet copiis, in Italiam pergere. Cui obediens, Aquitaniam autumni
tempore rediit, omnibúſque quæ ad tutamen Regni pertinent ordinatis, per
montis Ciniſij aſperos & flexuoſos anfractus in Italiam tranſuehitur, atque Nata-
lem Domini Rauennæ celebras ad fratrem venit. Cui coniunctus, iunctis viribus 793.
Beneuentanam prouinciam ingrediuntur, cuncta obuia populantur, caſtro vno
potiuntur. Hieme autem tranſacta, vnà ad patrem proſperè regrediuntur, vno ta-
men audito offuſcante eorum plurimam alacritatem, eò quòd compererunt, fra-
trem ſuum naturalem Pipinum contra communem patrem rebellionem medita-
tum, pluréſque nobilium huius ſceleris conſcios atque irretitos & peſſundatos.
Concitè ergo pergentes ad patrem in Baioaria agentem, venerunt in locum cui
eſt vocabulum Salz, & ab eo gratiſſimè ſunt recepti. Quicquid autem ſuperfuit
æſtatis, autumni, & hiemis, cum patre Rege Rex Ludouuicus exegit. Magnopere 794.
enim curabat Rex pater, ne Regem filium aut nutrimenta honeſta laterent, aut
externa inhæreſcentia in aliquo dehoneſtarent. Qui quum primo vere à patre di- 795.
B mitteretur, interrogatus eſt ab eo, cur Rex quum eſſet, tantæ tenuitatis eſſet in
re familiari, vt nec benedictionem quidem, niſi ex poſtulato ſibi offerre poſſet, di-
dicitque ab illo, quia priuatis ſtudens quiſque primorum, negligens autē publico-
rum peruerſa vice, dum publica vertuntur in priuata, nomine tenus Dominus fa-
ctus ſit omnium penè indigus. Volens autem huic obuiare neceſſitati, ſed cauens
ne filij dilectio apud Optimates aliquam pateretur iacturam, ſi illis aliquid per pru-
dentiam demeret, quod per inſcientiam contulerat, miſit illi Miſſos ſuos, VVille-
bertum ſcilicet, Rotomagenſis poſtea vrbis Archiepiſcopum, & Richardum Co-
mitem, villarum ſuarum prouiſorem, præcipiens, vt villæ quæ catenus vſui ſeruie-
rant regio, obſequio reſtituerentur publico, quod & factum eſt.

QVIBVS receptis, Rex & prudentiæ ſuæ monſtrauit continuò documentum, 796.
& miſericordiæ, quæ illi genuina probatur, patefecit affectum. Nam ordinauit,
qualiter in quatuor locis hiberna tranſigeret, vt tribus annis exactis, quarto de-
mum anno hiematurum ſe quiſque eorum ſuſciperet locus, Tehotuadum ſcilicet
Palatium, Caſſinogilum, Andiacum, & Eurogilum. Quæ loca, quando quartum
redibatur ad annum, ſufficientem regio ſeruitio exhibebant expenſam. Quibus
prudētiſſimè ordinatis, inhibuit à plebeiis vlterius annonas militares, quas vulgo
foderum vocant, dari. Et licet hoc viri militares ægrè tulerint, tamen ille vir miſe-
ricordiæ, conſiderans & præbentium penuriam, & exigentium crudelitatem, ſi-
mul & vtrorumque perditionem, ſatius iudicauit de ſuo ſubminiſtrare ſuis, quàm
C ſic permittendo copiam rei frumentariæ, ſuos irretiri periculis. Quò tempore Al-
bigenſes tributo, quo in dando vino & annona grauabantur, ſua liberalitate rele-
uauit. Habebat autem tunc temporis Meginarium ſecum, miſſum ſibi à patre, vi-
rum ſapientem & ſtrenuum, gnarúmque vtilitatis & honeſtatis regiæ. Intantum
autem Regi patri hæc placuiſſe dicuntur, vt hac imitatione ſtipendiariam in Fran-
cia interdiceret annonam militarem dari, & alia plurima corrigi iuberet, congra-
tulans felicibus filij profectibus. Sequente porro tempore Toloſam venit Rex, &
Conuentum generalem ibidem habuit. Adefonſi Galletiarum Principis Miſſos,
quos pro amicitia firmanda miſerat cum donis, ſuſcepit, & pacificè remiſit. Nec-
non & Bahaluc Sarracenorum Ducis, qui locis montuoſis Aquitaniæ proximis
principabatur, Miſſos pacem petentes, & dona ferentes ſuſcepit, & remiſit. Quo
tempore verens, ne corporis natiuo ſuperatus calore, in multimodos luxuriæ ra-
peretur anfractus, cum conſilio ſuorum, HERMENGARDAM futuram Reginam,
claris ortam natalibus, vtpote filiam Ingrammi Comitis, ſibi ſociauit. Ordinauit
autem illo tempore in finibus Aquitanorum, circumquaque firmiſſimam tute-
lam. Nam ciuitatem Auſonam, caſtrum Cardonam, Caſtamſerram, & reliqua op-
pida olim deſerta, muniuit, habitari fecit, & Burtello Comiti cum cōgruis auxiliis

LVDOVICVS PIVS. tuenda commisit. Hieme transacta misit ad illum pater Rex, vt ad se contra Saxones euntem, cum populo, quo posset, veniret. Qui ire non differens, ad eum Aquasgrani venit: & eum ipso ad Fremetsheim, vbi placitum generale habuit, super ripam Reni perrexit. In Saxonia cum patre vsque ad Missam sancti Martini perdurauit. Indè à Saxonia cum patre exiit, & in Aquitaniam, magna hiemis exacta parte, concessit. Succedente verò æstate, Rex Carolus ad eum misit, mandans vt secum in Italiam proficisceretur: sed mutato consilio iussus est domi manere. A

REGE autem Romam pergente, ibidémque infulas Imperatorias suscipiente, Rex Ludouuicus Tolosam abiit iterum, atque inde in Hispaniam contendit. Cui Barzinnonæ appropinquanti, Zaddo Dux eiusdem ciuitatis tanquam subiectus occurrit, nec tamen ciuitatem dedidit. Quam transgrediens Rex, & Hilerdæ superueniens, subegit illam, atque subuertit. Qua diruta, & ceteris municipiis vastatis ac incensis, ad Oscam vsque processit. Cuius agros segetibus plenos manus militaris secuit, vastauit, incendit, & quæcunque extra ciuitatem sunt reperta, incendio depascente sunt consumpta. Quibus expletis, imminente iam hieme, ad propria rediit. Redeunte porrò tempore æstiuo, Imperator gloriosissimus Carolus Saxoniam petiit, mandans filio, vt & ipse, tamquam in eadem terra hiematurus, se subsequeretur. Quod ipse agere festinans, ad Neuseiam venit, Renum ibidem transiit, & patri concurrere accelerabat. Sed antequam ad eum veniret, nuntio obuiauit paterno in loco, cuius vocabulum est Ostfaloa, cum mandatis ne plus in ambulando fatigaretur, quin potiùs loco sibi opportuno castra metaretur, & se redeuntem ibidem operiretur. Tota enim gente subacta Saxonum, victor Carolus Imperator iam redibat. Cui cùm filius occurrisset, multo eum amplexatu deosculans, plurima illum gratiarum actione & laude extulit, vtilitatémque obsequelæ illius, sæpè iterando felicem se tali filio prędicauit. Finito tandem diutino atque cruentissimo Saxonico bello, quod, vt ferunt, triginta trium annorum tempus occupauit, Ludouuicus Rex à patre dimissus, in Regnum proprium ad hiberna sese cum suis collegit. B

802. HIEME porro transacta, Carolus Imperator tempus oportunum nactus, vtpotè ab externis quiescens bellis, cœpit circumire loca sui Regni mari contigua. Quod dum Ludouuicus Rex comperisset, Rothomagum misso Legato Hademaro, petiit eum in Aquitaniam diuertere, & Regnum quod sibi dederat inuisere, & ad locum qui Cassinogilus vocatur venire. Cuius petitionem pater honorabiliter suscepit, & filio gratias egit: petita tamen negauit, & vt sibi Turonum occurreret mandauit. Quò filius veniens, gratulabundè nimis ab eo susceptus, & in Franciam redeuntem Vernum vsque prosecutus est. A quo digrediens, in Aquitaniam regressus est. Æstate hanc sequente Zaddo Dux Barcinonensis suasus est à quodam sibi, vt putabat, amico, Narbonam vsque procedere. Qui comprehensus, Ludouuico Regi est adductus: & patri Carolo itidem perductus. Ipso tempore Ludouuicus Rex coacto populo Regni sui Tolosæ, de his quæ agenda videbantur tractans deliberabat. Burgundione namque mortuo, Comitatus eius Fedentiacus Liutardo est attributus. Quam rem Vascones molestè ferentes, in tantam erupere petulantiam, vt etiam homines illius alios ferro perimerent, alios igni comburerent. Qui vocati dum primum venire detrectarent, quoquo modo ad causam dicendam venerunt, & pœnas debitas pro talibus ausis dederunt, ita vt C
804. quidam talionis lege igni conflagrarent. His peractis, succedente tempore, visum est Regi & Consiliariis eius, vt ad Barcinonam oppugnandam ire deberent: diuisóque in tres partes exercitu, vnam quidem Ruscellioni ipse permanens secum retinuit: alteri obsidionem vrbis iniunxit, cui Rostagnus Comes Gerundæ præfuit: tertiam autem, ne fortè obsidentes vrbem improuisè ab hostibus occuparentur, vltra vrbem sedere præmisit. Obsessi interea intra vrbem, Cordubam miserunt, auxiliúmque poposcerunt. Rex verò Sarracenorum protinus auxiliatus eis exercitum direxit. Venientibus porrò his, qui missi fuerant Cæsaraugustam, relatum est eis de exercitu in via sibi obuiam constituto. Erat autem ibi VVilielmus primus signifer, Hademarus, & cum eis validum auxilium. Quod illi audientes, in Astures sese verterunt, cladémque eis improuisè importauerunt, sed multò grauiorem reportauerunt. Quibus recedentibus, nostri ad socios vrbem

A obsidentes reuersi sunt, & illis iuncti tamdiu vrbem obambientes, & nullum ingredi aut egredi permittentes, vexarunt, donec famis acerbitate coacti sunt etiam vetustissima ostiis coria detrahere, & in cibum infelicissimum vertere. Alij autem mortem infelicissimæ præponentes vitæ, è muris semet præcipites mittebant, aliqui verò spe animabantur inani, cogitantes quòd Franci hiemis asperitate à ciuitatis cohiberentur obsidione. Sed hanc illorum spem abscidit prudentium virorum consilium. Aduecta enim vndecunque materia, cœperunt extruere casas, veluti in hibernis ibidem mansuri. Quod cernentes ciuitatis habitatores, à spe deciderunt, & ad desperationem vltimam versi, suum principem Zaddonis cognatum tradiderunt, quem pro eo constituerant, nomine Hamur, & se & ciuitatem, concessa facultate secedendi, dediderunt hoc modo. Quum enim longa fessam obsidione nostri tenerent vrbem, & iam iam capiendam aut tradendam crederent, honesto vt decebat vsi consilio, Regem vocant, vt vrbs tanti nominis gloriosum nomē Regi propagaret, si illam eo præsente superari contingeret. Suggestioni huic admodum honestæ Rex assensum præbuit. Venit ergo ad exercitum suum vrbem vallantem, atque indesinenti oppugnatione sex hebdomadibus perdurauit, & tandem superata victori manus dedit. Tradita ergo & patefacta ciuitate, primo quidem die custodes Rex illuc destinauit, ipse autem ab eius ingressu abstinuit, donec ordinaret, qualiter cum digna Deo gratiarum actione cupitam

B atque susceptam victoriam eius nomini consecraret. Antecedentibus ergo eum in crastinum & exercitum eius Sacerdotibus & Clero, cum solenni apparatu & laudibus hymnidicis portam ciuitatis ingressus, & ad Ecclesiam sanctæ & victoriosissimæ Crucis, pro victoria sibi collata, gratiarum actiones Deo acturus, progressus est. Porro post hęc Bera Comite ibidem ad custodiam relicto cum Gothorum auxiliis, hiemandi gratia ad propria remeauit. Cui pater, comperto quod ei imminere videbatur à parte Sarracenorum periculo, fratrem Carolum suffragaturum mittebat: eique Lugduni agenti, & ad fratris adiutorium properanti, nuntius Regis fratris occurrit, captam ciuitatem nuntiauit, & ne longiùs fatigaretur, edixit. Qui ab eodem loco regrediens, ad patrem est reuersus. Rege porro Ludouuico in Aquitania hibernum agente tempus, pater Rex eum mandauit venire ad suum colloquium Aquisgrani, in Purificatione sanctæ Mariæ genitricis Dei. Cui occurrens, & quousque placuit cum eo commorans, Quadragesimę tempore rediit. At succedente æstate, cum quanto visum est ei, bellico apparatu in Hispaniam proficiscitur, profectúsque per Barcinonam, & veniens Tarraconam, quos ibidem repperit, cepit, alios fugauit, vniuersaque loca, castella, municipia, vsque Tortosam vis militaris excidit, & flamma vorax consumpsit. Interea in loco, cuius vocabulum est Sanctæ Columbæ, diuisit copias suas in duo, quammaximam quidem partem secum contra Tortosam ducens: porro Isembardum, Hadematum, Beram, Burrellum cum reliquis expeditissimè ad superiora diri-

C gens, vt Hibero flumine transito, dum hostes in sedibus securi residerent, ab istis insidiis ex improuiso eos aggrederentur, aut certè turbata regione, in pauorem soluerentur. Igitur Rege Tortosam tendente, memorati viri tamdiu superiores in Hiberi partes noctibus euntes, diebus syluarum lustra sectantes, obambulauerunt, vsquequo Cingam & Hiberum natando pariter transierunt. In quo itinere sex dies transigentes septima transierant. Qui vbi omnes incolumes euaserunt, terram hostium latissimè vastauerunt, & vsque villam eorum maximam, quæ Villa-Rubea vocatur, peruenerunt. Vnde nimis magnam prędam sustulerunt, vtpote improuisis hostibus, & nihil tale vnquam suspicantibus. Quibus gestis, iis qui euadere potuerunt hāc plagam longè latéque nuntiantibus, collecta est Sarracenorum Maurorúmque multitudo non minima, & eis obuia constitit ad ostiū vallis, quæ dicitur Vallis-Ibana. Cuius vallis natura est, vt ipsa in profundo iacens hinc indè prępruptis atque altis cingatur montibus. Quam nisi Dei prouisio interire prohibuisset, nostri absque vllo penè hostium labore lapidum ictibus poterant interire, vel in manus inimicorum deuenire. At dum illi viam præstruunt, nostri autem aliorsum viam apertiorem planiorémque petunt, reputantes Mauri hæc nostros non ob sui tantum custodiam, sed metu potiùs eorū facere, à tergo eos insequuntur. Porrò autem nostri prędam retrò relinquentes, facies hostibus nudauerunt, acriter restiterunt, Christóq; iuuante ipsos terga vertere compulerūt. Quos

Marginalia: LVDOVICVS PIVS. — 805. — 806. — 808 — 808

LVDOVICVS PIVS. autem apprehenderunt, necauerunt, & læti ad prædam quam reliquerant redierunt: ac tandem post dies viginti suæ digressionis, ad Regem alacres, paucissimis suorum amissis, redierunt. Rex autem Ludouuicus suos lætantes recepit, & terra hostili vsquequaque vastata domum rediit. A

SEQVENTI verò tempore iterum Rex Ludouuicus expeditionem in Hispaniam parauit. Sed pater ne per semetipsum illuc pergeret, eum impediuit. Præceperat namque tunc temporis fabricari naues contra Nordomannicas incursiones, in omnibus fluminibus quæ mari influebant. Quam curam etiam filio iniunxit super Rodanum & Garonnam & Silidam. Attamen misit ei Missum suum Ingobertum, qui filij præsentiam præferret, & vice amborum contra hostes exercitum duceret. Rege autem in Aquitania remanente ob supradictam causam, exercitus eius itinere prospero Barcinonam venit, ibique habito inter se consilio, quomodo hostibus clandestina possent superuenire irruptione, inuenerunt hunc modum: scilicet, vt naues transuectorias fabricantes, vnamquamque earum in quaternas partirentur partes, quatenus pars quaterna cuiusque duobus equis vel mulis vehi posset, & præparatis clauis & marculis facilè coaptari valerent: pice verò & cera ac stupa præparatis, mox vt ad flumen veniretur, compagum iuncturæ obcludi possent. Sic itaque instructi, maxima pars eorum cum prædicto Misso Ingoberto Tortosam petierat. At verò ij, qui ad opus suprà dictum sunt deputati, Hademarus scilicet, Bera, & reliqui, trium dietum emenso itinere (erant enim sine sagmatibus) cœlo pro tecto vtentes, igni * ne fumo deprehenderentur renuntiantes, syluis se die occulentes, nocte, quantum posse dabatur, iter agentes, quarto die Hibeto compactis nauibus ipsi quidem sunt transpositi, equos autem natatui commiserunt. Quod factum magnum voto eorum pepererat effectum, nisi fuisset acerrimè deprehensum. Quum enim Abaidun Dux Tortosæ littora Hiberi obsideret fluminis, & illi quos suprà diximus superiora illius modo prædicto transmitterent; Maurus quidam lauandi gratia flumen ingressus, fimum à flumine vidit ferri equinum. Quo viso, sicut sunt nimiæ callidiratis, adnatans, fimumque comprehendens, & naribus admouens, exclamauit; Cernite, inquiens, ô socij, moneo quàm cauete. Nam hoc stercus non onagri est, vel cuiuscunque animantis herbidis assueti pastibus. Enimuero equina esse hæc egesta constat: quæ certum est fuisse hordeum, & ob hoc equorum vel mulorum pabula. ideóque cautius vigilate. Nam in superioribus fluminis huius, vt cerno, nobis parantur insidiæ. Extemplo duos suorum conscensis equis speculatum dirigunt. Qui hostris visis, quod verum erat, Abaiduno renuntiant. At illi timore coacti, omnibus, quæ castrensis habitatio habuit, posthabitis atque dimissis, fugæ se commiserunt: omniúmque relictorum nostri potiti, in illorum papilionibus illa sunt nocte hospitati. Sed Abaidun collecta multa manu hostium, eis in crastinum præliaturus occurrit. Nostri tamen diuino freti auxilio, licèt impares, multóque numero inferiores, tamen hostes fugere compulerunt, multáque eorum strage viam fugientium impleuerunt. Et eò vsque manus ab eorum cæde non continuerunt, donec solis dieique lumine recedente, & vmbra noctis terram occupante, lumina stellarum noctem solatura succederent. His gestis, Christo fauente, ad suos sese magno cum gaudio & opibus collegerunt. Diu etiam simul obsessa vrbe domum repedarunt.

* al. foco

B

C

808. PORRO anno huic proximo Ludouuicus Rex per semetipsum Tortosam repetere statuit, habens secum Heribertum, Liutardum, Isembardum, validúmque Franciæ supplementum. Quò perueniens, adeò illam arietibus, mangonibus, vineis, & ceteris instrumentis lacessiuit & protriuit muralibus, vt ciues illius à spe deciderent, infractósque suos aduerso marte cernentes, claues ciuitatis traderent. Quas ille rediens cum multo fauore patri retulit. Quæ res magnum Sarracenis & Mauris pro talibus gestis incussit metum, verentibus, ne singulas ciuitates par sors inuolueret. Reuersus est igitur Rex à ciuitate post quadraginta dies inchoatæ obsidionis, & In proprium se contulit Regnum. At post anni

809. instantis excursum, exercitum ordinauit, & Oscam cum Misso patris Heriberto mittere statuit. Quò peruenientes qui missi fuerant, ciuitatem obsederunt, obuios quosque aut viuos comprehenderunt, aut in fugam coactos compulerunt,

A Sed dum circa vrbem sedentes, ignauiori se quàm decuit studio resoluunt, imprudentes ac leues aliqui iuuenum propiùs muros accedentes, verbis quidem eos qui propugnaculis præsidebant, primùm lacessere, deinde missilibus incessere tentant. Oppidani porro contemnentes præsentium paucitatem, absentium metientes seram occursionem, apertis portis prosiliunt. Pugnatum hinc inde est: cæsi sunt ab vtraque parte, & tandem illi sese in ciuitatem receperunt, isti autem ad castra mansuri redierunt. Protracta igitur obsidione, peracta vastatione, & quæcunque visa sunt contra inimicos agenda pro iræ satisfactione, ad Regem sunt reuersi, qui eo tempore in syluis venationum occupabatur studiis. Erat enim tempus autumni perextremum. Receptis ergo suis ab expeditione præmissa redeuntibus, Rex hiemem sequentem, in suis consistens, pacificè exegit. At succedente æstate accito populi sui generali Conuentu, retulit eis sibi delatum rumorem, quòd quædam Vasconum pars iam pridem in deditionem suscepta, nunc defectionem meditata, in rebellionem assurgeret, ad quorum reprimendam peruicaciam ire publica vtilitas postularet. Hanc Regis voluntatem omnes laudibus prosequuntur: nec talia in subditis contemnenda, sed potiùs seuerissimè resecanda testantur. Moto igitur & disposito prout oportuit exercitu, Aquas villam peruenit, & vt ad se venirent, qui infidelitatis insimulabantur, iussit. Sed illis venire detractantibus, ad eorum vicinia deuenit, cunctáque eorum depopulari manu militari permisit. Ad vltimum cunctis, quæ ad eos pertinere videbantur, consumptis, ipsi supplices venerunt, & tandem veniam perditis omnibus magno pro munere meruerunt. Superato autem penè difficili Pyrinæarum transitu Alpium, Pampalonam descendit: & in illis quam diu visum est moratus locis, ea quæ vtilitati tam publicæ quàm priuatæ conducerent ordinauit. Sed quum per eiusdem montis remeandum foret angustias, Vascones natiuum assuetúmque fallendi morem exercere conati, mox sunt prudenti astutia deprehensi, consilio cauti, atque cautela vitati. Vno enim eorum, qui ad prouocandum processerat, comprehenso atque adpenso, reliquis penè omnibus vxores aut filij sunt erepti, vsquequo eò nostri peruenirent, quò fraus illorũ nullam Regi vel exercitui posset inferre iacturam.

LVDOVICVS PIVS.

810. Nota bene

B

HIS gestis, in propria Rex populúsque eius Deo propitio concessit. Et Regis quidem ab ineunte ætate, sed tunc quammaximè, circa diuinum cultum & sanctæ Ecclesiæ exaltationem piissimus incitabatur animus; ita vt non modò Regem, sed ipsius opera potiùs eum vociferarentur sacerdotem. Nam totius Aquitaniæ qui videbatur Clerus, antequam ei crederetur, vtpote sub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, missilium librationi, quàm diuino cultui operam dare nouerat. Regis autem studio vndecunque adductis magistris, tam legendi, quàm cantandi studium, nec non diuinarum & mundanarum intelligentia literarum, citiùs quàm credi poterat coaluit. Præcipuè tamen affectu illorum ducebatur, qui cuncta sua pro Domini amore relinquentes, speculatiuæ vitæ curabant fieri participes. Nam antequam Aquitania sub eo regeretur, collapsus erat in ea huiuscemodi ordo: at sub eo adeò conualuit, vt etiam ipse fraternum aui Carlomanni imitari gestiens memorabile exemplum, ipse quoque theoricæ vitæ culmina niteretur comprehendere. Sed huius voti ne compos fieret, obicem se præbuit refragatio patris, vel potiùs diuinæ voluntatis nutus, qui tantæ pietatis virum noluit sub cura suæ solius salutis delitescere: sed potiùs per eum, & sub eo, multorum salutem adolescere. Et quidem multa, vt dictum est, ab eo sunt in eius ditione reparata, imo à fundamentis ædificata Monasteria, sed præcipuè hæc: Monasterium sanctæ Mariæ & sancti Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethleem vocabatur, in cuius curia pater eius Pipinus occidit Leonem, & ipsemet à Stephano Papa Romano in Regem honorificè consecratus est in eadem Ecclesia: Monasterium sancti Filiberti, Monasterium sancti Florentij, Monasterium Carroffi, Monasterium Concas, Monasterium sancti Maxentij, Monasterium Menatæ, Monasterium Magniloci, Monasterium Musciacum, Monasterium sancti Sauini, Monasterium Masciacum, Monasterium Nouiliacum, Monasterium sancti Theofridi, Monasterium sancti Pascentij, Monasterium Dosora, Monasterium Sollemniacum, Monasterium puellare sanctæ Mariæ, Monasterium puellare sanctæ Radegundis, Monasterium de Vera, Monasterium de Vtera in pago Tolosano, Monasterium Valada in

811.

C

LVDOVICVS PIVS. Septimania, Monasterium Anianæ, Monasterium Galunæ, Monasterium sancti Laurentij, Monasterium sanctæ Mariæ quod dicitur in Rubine,* Monasterium Caunas, & cetera plurima: quibus veluti quibusdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ Regnum. Hoc eius exemplum non modò Episcopi multi, sed & Laici quamplurimi æmulati, collapsa restaurabant, & noua Monasteria certabant instituere. quod cernere oculis est. In tantam denique felicitatem respublica Aquitanici Regni profecerat, vt proficiscente quolibet Rege, vel in Palatio residenre, vix aliquis reperiretur se conquerens aliquid ab iure perpessum. Tribus enim diebus Rex per singulas hebdomadas rei iudiciariæ intererat. Nam quadam tempestate misso Archambaldo Commentariensi Imperij, dum ei quædam ferenda filio referendáque commisisset, & ille ordinationem hanc, vt viderat, rediens patri retulisset: adeo exultasse dicitur, vt præ nimia alacritate lachrymis fluxerit, & circumstantibus, *O*, inquit, *socij, vincamus nos gratulemur ab huius iuuenis senili sagacitate.* Vnde quia seruus fuit Domini fidelis in commisso, prudens in augmentando sibi tradito talento, constitutus est potestatem habens in cuncta patrisfamilias domo.

*Orbione A

813. PER idem autem tempus mortuo iampridem Pipino Italiæ Rege, nuperrimè autem Carolo itidem fratre res humanas relinquente, spes vniuersitatis potiundæ in eum assurgebat. Misso enim pro quibusdam necessariis patrem consulendis Gerrico Capis prælato, quum in Palatio moraretur, prestolans perlatorum responsum, monitus est tam à Francis, quàm à Germanis, vt ad patrem Rex veniret, eique propter adsisteret: videri sibi, dicentes, quòd cùm pater iam in senilem vergeret ætatem, & acerbè ferret liberorum infortunatam defectionem, citam illius hæc portenderent corpoream solutionem. Quod Gerricus cùm Regi, Rex verò Consiliariis retulisset, quibusdam vel penè omnibus visum est salubre suggestum. Sed Rex altiori consilio, ne fortè per hoc se patri suspectum redderet, agere distulit. Hæc tamen diuinitas, pro cuius timore & amore facere noluit, vt sibi moris est amatores sui sublimiùs quàm cogitari potest nobilitare, prudentius ordinauit. Pacem porrò petentibus his, quos bello fatigare solitus erat, Rex articulo duorum annorum præstituto, libenter indulsit. Interea Imperator CAROLVS considerans suum in senectutem adclinem deuexum, & verens ne fortè subtractus rebus humanis, confusum relinqueret Regnum, quod erat donante Deo, nobiliter ordinatum: scilicet ne aut externis quateretur procellis, aut intestinis vexaretur scissionibus, misit ad filium, eúmque ab Aquitania euocauit. Quem venientem clementer suscepit, tota æstate secum tenuit, de his quibus eum indigere putauit instruxit: qualiter videlicet sibi viuendum, regnandum, Regnum ordinandum, & ordinatum tenendum foret, monuit, & tandem imperiali eum diademate coronauit, & rerum summam penes eum futuram esse Christo fauente innotuit, & hoc peracto negotio reditum ad propria concessit. Qui mense Nouembri à patre regrediens, Aquitaniam repetiit. Pater verò veluti morti propinquus, crebris & peregrinis incommodis vrgeri cœpit. Nam mors veluti quibusdam nuntiis aduentum suum iam iámque futurum, talibus prænunciabat indiciis. Tandem itaque vitiis passionum inter se compugnantibus, & valentiam eius impugnantibus, naturæ imbecillitas cessit, & lecto decubuit: & indies atque in horas propinquior morti, prout voluit suis scripto distributis, diem vltimum clausit, Fräcorúmque Regno penè ineluctabilem luctum reliquit. At verò in eius successore veridica probata est Scriptura, quæ in talibus tribulantium consolans animos dicit: *Mortuus est vir iustus, & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit filium heredem.* Obiit autem quinto Kalendas Februarias idem piissimus Imperator Carolus, anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo decimo quarto. Quo in tempore Ludouuicus Imperator Concilium populo generale quasi quodam indixerat præsagio, in Purificatione sanctæ Dei genitricis Mariæ, in loco cuius vocabulum est Tehotuadus.

B

C

814.

DEFVNCTO autem patre piæ recordationis, missus est Rampo ad eum ab eis qui sepulturam eius curarunt, liberis scilicet & Proceribus Palatinis, vt & mortem eius maturè cognosceret, aduentúmque suum nullo modo comperendinaret. Qui quum Aurelianam deuenisset ad vrbem, Theodulfus eiusdem vrbis Episcopus, vir vndecumque doctissimus, causam eius aduentus præsensit: &

A velocissimè misso perlatore Imperatori innotescere studuit, hoc tantummodò ei suggerendum iubens, vtrum præstolaretur venientem in vrbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad vrbem. Quam causam ille protinus commentatus agnouit, & ipsum venire ad se iussit. Inde alium atque alium huiusce rei tristes suscipiens nuntios, post quintum diem ab eodem loco pedem mouit: & cum tanto, quantum passa est angustia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quàm maximè VVala, summi apud Carolum Imperatorem habitus loci; ne forte aliquid sinistri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citissimè ad eum venit, & humillima subiectione se eius nutui; secundum consuetudinem Francorum, commendans subdidit. Post cuius ad Imperatorem aduentum, æmulati eum omnes Francorum Proceres, certatim gregatimque ei obuiam ire certabant. Tandémque ad Haristallium prospero itinere peruenit, & die tricesimo, postquam ab Aquitania promouit, Palatio Aquisgrani pedem feliciter intulit. Mouerat autem eius animum iamdudum, quanquam natura mitissimum, illud quod à sororibus illius in contubernio exercebatur paterno: quo solo domus paterna inurebatur næuo. Cui incommodo mederi volens, simul & cauens, ne quod per Odilonem & Hiltrudem olim acciderat, reuiuisceret scandalum, misit VValam & VVarnarium, necnon & Lantbertum, sed & Ingobertum: qui Aquasgrani B venientes talibus, ne accidere possent, cautela prospicerent, & quosdam stupri immanitate & superbiæ fastu reos maiestatis cautè ad aduentum vsque suum adseruarent. Nam aliqui eorum cùm supplices veniam inter iter agendum poposcissent, emeruerunt. Simul & præcipiens, vt populus ibidem consistens absque metu semet ibidem opperiretur venturum. At verò VVarnarius Comes, inscio VVala & Ingoberto, accito nepote Lantberto, Hodoinum iam dicto obnoxium crimine, ad se venire mandauit quasi comprehendendum, & regiæ vindictæ obiectandum. Cuius ille insidias, vt pote admordente acriter conscientia, monitus præuidit, & quia declinare detrectauit, & ipse experiri meruit, & ipsi VVarnario vltimam cladem importauit. Nam ad eum, sicut ille mandauerat, veniens, & ipsum VVarnarium confecit, & Lantbertum cruris læsione non paruo tempore debilem reddidit; & ad vltimum ipse confossus gladio, interiit. Quæ quum nuntiata Imperatori fuissent, animum illius ad misericordiam exitium flexit amici, in tãtum vt Tullius* quidam talium, qui penè iam Imperatoris clementia venia dignus videbatur, luminum amissione mulctaretur. Venit ergo Imperator Aquasgrani Palatium, & à propinquis, atque multis Francorum millibus, cum multo fauore est receptus, Imperatórque secundò declaratus. Quibus explotis, studiosis sepulturæ paternæ gratias egit, ac propinquis luctus acerbitate confectis, consolationis congruæ contulit leuamen. Sed & quod deerat inferiis genitoris, promptissimè suppleuit. Nam recitato paterno Testamento, nihil relictum est C paternorum bonorum, quin secundum eius sectionem partiretur. Nihil enim ab eo intestatum est relictum. Sed quod Ecclesiis Metropolitanorum distribuendum censuit, subdiuisit superscriptione nominum, quarum partes fuere viginti & vna. Quod autem ornatui regio conducebat, posteriori reliquit ætati. Statuit etiam quid, secundum morem Christianorum, filiis filiorúmque filiis & filiabus, necnon & seruis ancillísque regalibus, sed & in commune omnibus pauperibus distribueretur. Quæ cuncta dominus Imperator LVDOVVICVS, vt scripta relegit, executione operis compleuit. His peractis, Imperator omnem cœtum femineum, qui permaximus erat, Palatio excludi iudicauit præter paucissimas, quas famulatui regali congruas existimauit. Sororum autem quæque in sua, quæ à patre acceperat, concessit. Quæ autem nec dum tale quid consecutæ erant, ab Imperatore meruerunt, & ad imperata sese verterunt. Post hæc Imperator Legationes ad patrem destinatas, ad se autem venientes & susceptas diligenter audiuit, dapsiliter curauit, sumptuosè muneratas remisit. Inter quas vel præcipua fuit Imperatoris Constantinopolitani, nomine Michaëlis, cui dominus Carolus Missos miserat Amallarium Treuerorum Episcopum, & Petrum Nonantulæ Abbatem, pacis confirmandæ gratia. Qui reuertentes Missos supra dicti Michaëlis secum adduxerunt Christophorum Protospatharium, & Gregorium Diaconem, ad Imperatorem Carolum directos, super omnibus quæ scripta fuerant respondentes. Quos quum Imperator remitteret, simul cum eis misit Missos

LVDOVICI PII.

* illius

* o l i

LVDOVICVS PIVS suos Leoni substituto Imperatori, Notrbertum Regiensem Episcopum, & Richoinum Pictauum Comitem: petens amicitiarum societarem, & renouarionem antiquarum, simul & pacti confirmationem. Eodem anno generalem Conuentum Aquisgrani habuit, & per vniuersas Regni sui partes fideles ac creditarios à latere suo misit: qui æqui iuris tenaces existentes peruersa corrigerenr, omnibúsque ius congruum æquo libramine penderenr. Bernardum etiam neporem suum iamdudum Regem Italiæ ad se euocatum, & obedienter parentem, amplis muneribus donatum, ad proprium Regnum remisit. Beneuenranorum iridem Principem Grimoaldum non quidem venienrem, sed Missos suos mittentem, pacto & sacramentis constrinxit: vt singulis annis seprem millia solidorum auri arcæ publicæ inferret. Eodem eriam anno duorum suorum filiorum, LOTHARIVM in Baioariam, PIPPINVM in Aquitaniam misit, terrium verò LVDOVVICVM adhuc puerilibus consistenrem in annis secum tenuir. Eodem etiam tempore Herioldus, ad quem summa Regni Danorum pertinere videbatur, & qui pridem à filiis Godefridi Regno pulsus fuerat, ad Imperarorem Ludouuicum confugium fecit, & iuxta morem Francorum manibus illius se tradidit. Quem Rex susceptum in Saxoniam ire iussit, & tempus, quo ei auxilium ferre posset ad recuperationem sui Principatus, ibidem operiri. Quo etiam tempore Saxonibus atque Frisonibus ius paternæ hereditatis, quod sub parte ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria clementia restituit. Quod alij liberalitati, alij improuidentiæ assignabant, eò quòd hæ gentes naturali feritati assuefactæ, talibus habénis deberent coërceri, ne scilicet effrænes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eò sibi arctiùs eos vinciri ratus, quò eis beneficia largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes semper sibi deuotissimas habuit. A B

815. Hoc anno cursum vertente, perlatum est Imperatori, quòd Romanorum aliqui potentes contra Leonem Apostolicum prauas inierint coniurationes. Quos detractos atque conuictos, idem Apostolicus supplicio addixerit capitali, lege Romanorum in id conspirante. Imperator autem audiens ægrè hæc tulit, velut à primo orbis Sacerdote tam seuerè animaduersa. Ideóque Bernardum Italiæ Regem illuc misit, vt ipse resciens quid verum quidve falsum de hac re rumor sparserit, per Geroldum sibi renuntiaret. Ipse autem Bernardus Rex Romam venit, quæ visa sunt per Missum supra dictum renunriauit. Sed mox subsecuti Missi eiusdem Apostolici Leonis, Iohannes Episcopus Siluæcandidæ, & Theodorus Nomenclator, nec non Sergius Dux, Leonem Apostolicum criminibus obiectis purgauere. Iusserat porrò Imperator vt Herioldo suppediraren rur Saxonici Comites & Abotriti olim domino Carolo subiecti, quatenus Regno proprio restitueretur, misso in hoc ipsum Baldrico Legato. Qui cùm Egidoram fluuium transissent, deuenerunt in terram Nortmannorum, in locum cuius vocabulum est Sinlendi. Sed filiis Godefridi, licèt magnis abundantibus copiis & nauibus ducentis, nolentibus cominus venire, & pugnę se credere, ab inuicem secessum est: direptis incensisque omnibus, quę occurrere potuerunt, insuper & obsidibus quadraginta ab eodem populo susceptis. His gestis ad Imperatorem in locum, qui dicitur Patrisbruna, redierunt: quò omnis populus ad eius generalem Conuentum coierat. Quo in loco Principes Sclauorum Orientalium omnes, primoresque venerunt. Eodem anno Abular Sarracenorum Rex triennem ab Imperatore petiit pacem. Quæ quidem primum impertata est, sed postea tanquam inutilis reiecta, & bellum Sarracenis est indictum. Quo tempore Nortbertus Episcopus & Ricoinus Comes à Constantinopoli regressi sunt, fœderisque pactum inter ipsum & Francos detulere gratissimum. Eadem etiam tempestate Romani, quum Leo Apostolicus grauaretur aduerso incommodo, prædia omnia, quæ illi domocultas appellant, & nouiter ab eodem Apostolico instituta erant, sed & ea quę sibi contra ius querebantur direpta, nullo Iudice expectato, diripere & sibi conati sunt restituere. Quorum cœptus restitit Bernardus Rex per VVinigisum Ducem Spoleti, certúmque rerum nuntium de his omnibus direxit ad Imperatorem. C

816. Postquam Imperator hyemis inclementiam, serena valetudine, & tranquillo successu transegit, succedente æstiui temporis gratissima blanditie, missi sunt ab

A eo qui dicuntur Orientales Franci, sed & Saxonici generis Comites, contra Sorabos Sclauos, qui ab eius Imperio dicebantur defecisse. Quorum conatus quàm breuissimè ac facillimè, Christo donante, compressus est. Sed & Vasconum citimi, qui Pyrinæi iugi propinqua loca incolunt, eodem tempore iuxta genuinam consuetudinem leuitatis, à nobis omninò desciuerunt. Causa autem rebellionis fuit, eo quòd Siguuinum eorum Comitem propter morum prauorum castigationem, quibus penè erat importabilis, ab eorum remouit prælatione Imperator. Qui tamen adeo sunt duabus expeditionibus edomiti, vt serò pœniteret eos incœpti sui, deditionémque magno expeterent voto. Inter hæc domini Leonis Romani Antistitis dormitio nuntiatur Imperatori, quæ euenit octauo Calendas Iunij, anno vicesimo primo Episcopatus sui: Stephanique Diaconi in locum eius subrogatio, qui post sui consecrationem ad dominum Imperatorem venire non distulit. Vix enim duobus exactis mensibus, summa cum festinatione ei occurrere festinauit. Præmisit tamen Legationem, quæ super ordinatione eius Imperatori satisfaceret. Imperator autem eius aduentu præcognito, Bernhardo quidem nepoti eum comitari iussit. Sed & adpropinquanti alios Missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem aduentum eius Remis sustinere statuit. Cui etiam obuiam Hildebaldum Archicapellanum sacri Palatij, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Iohannem Arelatensem, aliorúmque ministrorum Ecclesiæ copiam, procedere iussit, infulis indutos sacerdotalibus. Ad vltimum Imperator miliario processit à Monasterio sancti Confessoris Remigij, & tanquam beati Petri Vicarium honestissimè suscepit, descen-

B dentem ex equo excepit, & Ecclesiam intrantem manu propria sustentauit: præcinentibus pro tanta exultatione variis Ecclesiæ ordinibus, *Te Deum laudamus*, & reliqua. Quo hymno finito, laudes Imperatori debitas Clerus Romanus conclamauit, quarum finem dominus Apostolicus oratione compleuit. His expletis, intra domus penetralia concessum est, expositisque causis sui aduentus, & benedictione panis ac vini simul participata, Imperator ad ciuitatem rediit, dominus Apostolicus ibidem remansit. Sed in crastinum dominus Imperator dominum Apostolicum euocauit, conuiuio opulentissimo procurauit, donísque maximis honorauit. Similitérque die tertio à domino Apostolico dominus inuitatur Imperator, & multis variísque est donatus muneribus. Et in crastinum, quæ fuit dies Dominica, Imperator imperiali diademate coronatur, & benedictione inter Missarum celebrationes insignitur. Et tandem his completis, dominus Apostolicus, cunctis, quæ poposcerat, impetratis, Romam rediit. Imperator verò ad Compendium secessit, ibique Missos Abdirahman filij Abulat Regis suscepit & audiuit. Moratus autem ibidem viginti vel eo amplius diebus, Aquisgrani hiematurus petiit.

C IVSSERAT sane Imperator Missos Sarracenorum Regis, semet præcedere illuc venturum. Quò quum peruenissent, fermè tribus detenti sunt mensibus. 817.
Post hæc autem, quum eos iam tæderet aduentus sui, permissu Imperatoris redierunt. In eo etiam commorans Palatio, ad se venientem Missum suscepit Leonis Constantinopolitani Imperatoris, nomine Nicephorum. Legatio autem, excepta amicitia & societate, erat de finibus Dalmatarum, Romanorum, & Sclauorum. Et quia nec hi præsentes erant, nec Chadalo finium Præfectus, neque sine illis hæc dirimi poterant, missus est in Dalmatiam ad hæc pacificanda & componenda Albigarius cum Chadalo earundem finium Principe. Ipso anno filij Godefridi quondam Regis Nortmannorum, quum ab Herioldo premerentur, miserunt Legatos petentes ab Imperatore pacem. Quæ Legatio tamquam inutilis & simulata ab eo reiecta est, auxiliúmque Herioldo contra eos datum. Eo anno Luna Nonis Februarij defecit hora noctis secunda. Cometarum sidus portentuosum apparuit in signo Agitatoris. Stephanus Papa tertio mense postquam è Francia Romam rediit, vltimum diem clausit: & Paschalis pro eo cathedram Romani Pontificatus subiit. Qui post expletam consecrationem solemnem, Legatos cum epistola apologetica & maximis muneribus Imperatori misit: insinuans non se ambitione, nec voluntate, sed electione & populi acclamatione, huic succubuisse potiùs quàm insiluisse dignitati. Huius Legationis baiulus fuit Theodorus Nomenculator, qui negotio peracto, & petitis impetratis, super confirma-

Lvdovicvs Pivs.

LVDOVICVS PIVS. tione scilicet pacti & amicitiæ more prædecessorum suorum, reuersus est. Sub A eodem anno Quadragesimæ pene exacto tempore, vltimæ hebdomadis quinta feria, qua Dominicæ Cœnæ celebratur memoria, dum peractis omnibus, quę tanti diei solemnitas exigebat, Imperator ab Ecclesia in Regiam se recipere vellet, porticus lignea, per quam redeundum erat, carie senioque confecta, & humectatione continua putrefacta, fatiscentibus inferioribus, sub Imperatoris pedibus comitúmque illius collapsa, magnum fragore sui omni Palatio incussit metum, verentibus singulis, ne ruinę illius euentus Imperatorem oppressisset. Sed à Deo, cui erat dilectus, à præsenti discrimine est protectus. Nam quum viginti vel eo amplius comitum cum eo ad terram vsque deciderint, variásque incurrerint calamitates, ille nil tristioris incurrit iacturæ, præter imi pectoris locum, cui illisus est capulus ensis, vltimáque auris cutis paululum expoliata, sed & crus illius iuxta inguina cuidam ligno impactum, cui tamen citissimè est subuentum. Adhibito enim medicorum studio, quambreui pristinę saluti est restitutus. Viginti namque peractis diebus Nouiomagum venatum petiit. Quo peracto negotio, Imperator generalem habuit Conuentum Aquisgrani, in quo quantum feruoris circa diuinum cultum in arca pectoris gestaret, toto adnisu declarauit. Congregatis enim Episcopis, nobilissimóque sanctæ Ecclesię Clero, fecit componi ordinaríque Librum, Canonicę vitę normam gestantem, in quo totius illius Ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri iussit cibi potúsque atque omnium necessariorum summam, vt B omnes tam viri quàm sanctimoniales, sub hoc Ordine Christo seruientes, nullis præpediti necessitatibus, libera seruitute Domino omniũ militare meminissent. Quem Librum per omnes ciuitates & Monasteria Canonici Ordinis sui Imperij misit per manus Missorum prudentium, qui illum in omnibus suprà dictis locis transcribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum Ecclesiæ contribuit exultationis tripudium, & piissimo Imperatori debita cum laude immortale monimentum. Iridémque constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia Monasteria Monachorum euntes redeuntésque, vniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris quàm sanctimonialibus feminis, viuendi secundum Regulam sancti Benedicti incommutabilem morem. Considerans etiam idem piissimus Imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ seruituti: sed & multorum auaritiam abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit, vt quicunque ex seruili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris asciscerentur, primùm manumittantur à propriis dominis, vel priuatis, vel Ecclesiasticis: & tunc demum gradibus altaris induantur. Volens etiam vnamquamque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per eiuscemodi inopiam cultus diuini negligerentur, inseruit prædicto edicto, vt super singulas Ecclesias mansus tribueretur C vnus cum pensatione legitima, & seruo atque ancilla. Hæc erat sancti Imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo eius vita in sancta doctrina & operatione clariùs eniteret, qui in pompatum sublimitate constitutus imitando Christum humilitate, altiùs eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab Episcopis & Clericis cingula balteis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus, conaretur aspirare ad secularis gloriæ ornamenta. At verò non tulit hanc sanctam Deóque dignam Imperatoris deuotionem humani generis inimicus; vndique se impetentem, & ab omnibus Ecclesiæ ordinibus sibimet bella indicentem: sed cœpit totis virium copiis se expugnantem oppugnare, & per membra sua, Christi fortissimum bellatorem vi & astu, quo potuit, lacessere. Nam his ritè ordinatis, postquam Imperator in eodem placito filium primogenitum LOTHARIVM Imperatorem appellari & esse voluit, & duorum filiorum suorum Pippinum in Aquitaniam, Ludouicum in Baioariam misit, vt scilicet sciret populus, cuius deberet potestati parere: statim ei Abodritorum defectio nuntiatur, qui cum filiis Godefridi amicitias iungentes Saxoniam Transalbianam vexabant. Contra quos Imperator sufficientes copias dirigens, eorum motus Deo fauente com-

A pressit. Ipse autem Vosagi lustra sectaturus, venatum periit. Interea venatione ibidem iuxta morem Francorum expleta, quum hiemem exacturus Aquisgrani reuerteretur, nuntiatum est ei Bernardum nepotem suum Italiæ Regem, cui ipse maxima, vt Rex fieret, apud patrem causa fuerat, consiliis quorundam prauorum hominum adeo dementatum, vt ab eo discuerit, omnésque ciuitates Regni & Principes Italiæ in hæc verba coniurauerint: sed & omnes aditus, quibus in Italiam intratur, positis obicibus & custodiis obserarint. Quod quum certis nuntiis referentibus, maximeque Rathaldo Episcopo, & Suppone, certissimè cognouisset, contractis vndique copiis, tam ex Gallia, quàm ex Germania, cum maximo exercitus robore Cabillonum vsque peruenit. At Bernardus quum se cerneret viribus imparem, & ad cœpta inefficacem, vtpote à quo plurimi suorum quotidie deficerent, desperatis rebus ad Imperatorem venit: armísque depositis, pedibus se eius prostrauit, confessus perperam se egisse. Cuius exemplum primores eius sunt secuti, & armis depositis se eius potestati & iudicio subdiderunt. Sed & concinnationes, quomodo cœptam rebellionem, & quare inchoauerint, & ad quem finem inchoata perducere voluerint, quósve complices sibi allexerint, ad primam prodiderunt interrogationem. Fuerunt sanè huius conspirationis auctores, Eggiddeo regalium primus amicorum: Reginherius olim Comes Palatij Imperatoris, filius Reginherij * Comitis: sed & Reginhardus Præpositus Cameræ regalis. Erant autem huius sceleris conscij quamplures *Meginhe-rij, in MS. Cod.
B Clerici, seu Laici: inter quos aliquos Episcopos huius tempestatis procella inuoluit, Anselmum scilicet Mediolanensem, VVulfoldum Cremonensem, sed & Theodulfum Aurelianensem. Postquam verò defectionis propalati sunt principes, & custodiæ mancipati, Aquisgrani Imperator, sicut decreuerat, hiematum regreditur, ibique vsque dum sacram Paschæ solemnitatem celebraret, temoratur. Post cuius festiuitatis transactam celebritatem, Bernardum hactenus Regem, eiúsque fautores in supra dicto scelere, quum lege iudicióque Francorum deberent capitali inuectione feriri, suppressa tristiori sententia, luminibus orbati consensit: licèt multis obnitentibus, & animaduerti in eos tota seueritate legali cupientibus. At verò licèt Imperator indulgentiùs ageret, vltio tamen eliminata ad effectum in aliquos est perducta. Etenim Bernardus & Reginherius dum impatientiùs oculorum amissionem & ablationem tulerunt, mortis acerbitatem sibi consciuerunt. Episcopos porro hac constrictos immanitate, ab Episcopis reliquis depositos, Monasteriis mancipauit. Ceterorum autem nullum vel vita priuari iussit, vel membrorum amputatione multari: sed secundum quod exigente culpa visum est, alios exiliari, alios iussit attondi. Post quæ hunciatur Imperatori proteruia inobedientium Brittonum, qui in tantam insolentiam eruperant, vt vnum suorum Marmonium * nomine Regem appellare ausi sint; sub- 818.
C iectionémque omnimodis recusarint. Ad quorum insolentiam vlciscendam Imperator vndequaque aggregata militari manu, fines Brittonum aggrediens, proficiscitur, habitóque Venedis generali Conuentu, Prouinciam ingreditur, & paruo tempore & labore cuncta populatur, donec interfecto Marcono *, dum sarcinis castrensibus immeditatur, à quodam regiorum equorum custode, nomine Chosso, tota cum eo Britannia victa succubuit, & manus dedit: ad quascunque conditiones Imperator vellet, denuo seruitura. Nam & obsides qui & quanti iussi sunt, dati atque suscepti, & omnis terra secundum suam voluntatem disposita est. *Mamionum *Marmonio, suprà.

A QVIBVS finibus Brittanniæ ita pacatis Imperator pedem retulit, & Andegauorum vrbem repetiit. Vbi dum Hermengardis Regina longo fatigaretur incommodo, duobus diebus post regresionem Imperatoris superuixit, & tertio die obiit, quinto Nonas Octobris. Quo anno eclypsis contigit Solis VIII. Idus Iulij. Curata autem Reginæ sepultura, Imperator per Rotomagum & Ambianorum vrbem recto itinere se Aquisgrani ad hiberna contulit. Cui reuertenti & Heristallium Palatium intranti, occurrere Misi Sigonis Beneuentani Ducis dona quammaxima deferentes, dominum suum à morte Grimoaldi prædecessoris sui purgantes. Præterea aliarum nationum Misi aderant, Abodritorum videlicet, & Coduscanorum, & Timotianorum, qui Bulgarum societate relicta, nostris se nuper sociauerant. Sed & Leuteuiti rectoris inferioris Pannoniæ Misi

LUDOVICUS PIUS. Ibidem aderant, accusantes Cadalum falsò, vt post patuit: eò quod immanitas A
illius importabilis sibi foret. Quibus auditis, compositis ac dimissis, in eodem
Palatio Imperator secundum suam dispositionem ad hiemandum se contulit.

819. Vbi cùm moratur, exhibitus est ei Sclaomirus Abodritorum Rex à Ducibus
Saxonum. Qui quum insimularetur defectionis, nec obiectis obuiare quiuisset,
exilio est deportatus, Regnúmque eius Ceadrago filio Trasconis traditum. Eo-
dem itidem tempore quidam VVasco Lupus, Centulli cognomento, in rebel-
VVerinum lionem assurgens, VVerimum Aruernorum Comitem, & Berengarium Tolosa-
num prælio lacessiuit. Ibidémque cum aliis plurimis fratrem quoque germa-
* Gersandum num* amisit. & tunc quidem fugæ subsidio euasit. Post autem Imperatori dedu-
ctus, & causam dicere iussus, atque ratione victus, exilio est damnatus. Qua hie-
me Imperator in eodem Palatio Conuentum publicum populi sui celebrauit: &
renunciantes sibi Missos de omni suo Regno, quos pro statu sanctæ Ecclesiæ re-
staurando deiecto, vel confirmando stante miserat, audiuit: & quicquid vtile
iudicauit, sancta impellente deuotione superaddidit, nihilque intactum reli-
quit, quicquid ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ proficere posse visum fuit. In-
terea Capitula quædam Legibus superaddidit, in quibus causæ forenses clau-
dicare videbantur, quæ hactenus veluti pernecessaria seruantur. Qua tempesta-
te monitu suorum vxoriam copulam meditabatur inire. Timebatur enim à mul-
tis, ne Regni gubernacula vellet relinquere. sed compellebatur. Tandémque
eorum voluntati satisfaciens, & vndequaque adductas Procerum filias inspiciens,
Iudith filiam VVelfonis nobilissimi Comitis in matrimonium iunxit. Æstate sub-
sequente in Ingelenheim Palatio populus eius conuenit ad eum. Ibidémque sui B
exercitus nuntios recepit, qui contra Liudeuiti apertam perduellionem compri-
mendam missi fuerant. Sed idem negotium remansit penè infectum. At verò pro
his typho arrogantiæ inflatus Liudeuitus, quasdam condiciones Imperatori per
Missos suos mandauit: quas si Imperator impleret, ipse quoque eius præceptis
vt pridem pareret. Sed hæc tanquam inutilia ab eo sprera atque reiecta sunt. Liu-
deuitus autem in sua perfidia remanere ratum ducens, ad perfidiam quoscunque
poterat sibi sociabat. Post reuersionem sanè exercitus à Pannoniæ finibus, Liu-
* Cadolh deuito in perfidia sua permanente, Cadolach* Dux Foroiuliensis in febrem in-
cidit, & diem vltimum clausit, ac Baldricus eius loco successit. Qui quum pri-
mùm in Prouinciam venisset, & Carantanas ingrederetur partes, copias Liude-
uiti iuxta Drauum fluuium cum paucis suorum fudit, & reliquos proturbans,
omnes à suis finibus secedere compulit. Fugatus à Baldrico Liudeuitus, Bornæ
occurrit Dalmatiæ Duci ad Calapium fluuium consistenti. Sed Borna Goduscа-
* Dunscanorum norum* perfidia, an timore desertus, incertum, suorum tamen iutus auxilio
domestico discrimen imminens tutus euasit, sed & desertores suos postea sube-
git. Interea Liudeuitus sequenti hieme Dalmatiam iterum ingressus, cuncta po-
pulari nititur: ferro quæ animata erant perimens, inanimata verò igni contra-
dens. Cuius vi quum Borna obuiare nequiret, astu viam nocendi quæsiuit. Ne- C
que enim apertum ei bellum indixit, sed improuisis irruptionibus adeò & illum
& exercitum eius protriuit, vt puderet ac pœniteret eum talia molitum. Nam
tribus millibus interfectis de illius exercitu, equisque ac varia sibi supellectile
plurima direpta, regione sua eum excedere compulit. Quæ cuncta Imperator
Aquis consistens lætus audiuit. Interea Vascones natiua seditionis peste discor-
dantes, à Pippino Imperatoris filio ipso anno ita sunt edomiti, vt nullus eorum
rebellare auderet. Pater enim eum ad hoc destinauerat. His peractis, Imperator
Conuentum dimisit. Venationi congruo tempore operam dedit in Arduenna,
820. atque hiematurus ad Palatium Aquense est reuersus.

In eodem Palatio hieme superueniente, Imperator coadunari populi frequen-
tiam fecit. Quo tempore Borna de infestatione Liudeuiti conquestus, magnas
adiutorij copias ab Imperatore suscepit, quæ terram illius atterere possent. Quæ
trina partitione diuisæ, primo vere terram ditionis illius ferro & igne pene om-
nem vastauerunt, ipso Liudeuito castelli cuiusdam altitudine se protegente, &
nec ad pugnam nec ad colloquium procedente. Quibus reuersis domum, Car-
niolenses & quidam Carantanorum, qui ad Liudeuitum se contulerant, Bal-
drico Duci nostro manus dederunt. In Palatio quoque Bera Comes Barcino-
nensis,

A nensis, quum impeteretur à quodam vocato Sanila, & infidelitatis argueretur, cum eodem secundum legem propriam, vtpote quia vterque Gothus erat, equestri prælio congressus est, & victus. Sed qunm lege in eum animaduertendum esset, vt capitali sententia tanquam reus maiestatis feriretur, Imperatoris tamen clementia vitæ reseruatus est, & Rotomagum consistere iussus. Ipso tempore nuntiatum est naues piraticas tredecim à Nortmanniæ sedibus mare conscendisse, & prædatum nostros fines appellere. Contra quas Imperatoris circumspectio custodiam fieri quum imperasset, à Flandrensi solo simul & ostio Sequanæ repulsæ, in Aquitaniam sese verterunt, & vastato vico cuius vocabulum Buin, multáque oneratæ præda reuersæ sunt. Hoc anno dominus Imperator hiberna tempora Aquisgrani peregit. In eadem hieme mense Februario, Aquis Conuentus est celebratus, & tres cunei ad Liudeuiti terram vastandam directi; irruptáque imaginaria pace, quæ cum Abulat Rege Sarracenorum pacta videbatur, bellum ei indictum est. In eodem anno Kalendis Maij Conuentum alterum habuit Imperator Nouiomagi, in quo Regni partitionem, quam inter filios suos iamdudum fecerat, coram recitari fecit, & à cunctis Proceribus qui tunc affuere confirmari. Ibidem etiam Missos Paschalis Apostolici, Petrum Centumcellensem Episcopum, & Leonem Nomenclatorem suscepit, audiuit, remisit. Atque indè digrediens Aquasgrani repetiit, & inde per Arduennam vsque ad Rumerici montis altitudinem, Vosagique latissimam vastitatem, totum quod superfuit dimidium æstiui & autumni temporis transegit. Inter hæc Borna vita priuato, successorem ei constituit Imperator nepotem suum nomine Ladas-

Ludovicus Pius.

821.

B deum. Quo tempore nuntium suscepit mortis Leonis Imperatoris Constantinopolitani, qui à domesticis suis, & præcipuè à Michaële interfectus est: qui etiam in loco eius substitutus est, conspiratoribus suis, & maximè Prætorianis militibus ei annitentibus. Eodem anno medio Octobri Conuentus publicus in Theodonis villa celebratur. Vbi denique dominus Imperator primogenito filio suo Lothario ERMENGARDAM filiam Hugonis Comitis vxorem cum solemni iunxit apparatu. Vbi etiam adfuere Legati Papæ Romani, Theodorus Primicerius, ac Florus, cum magnis variisque muneribus. Imperatoris porro clementia, quum in aliis rebus semper admirabilis claruit, in hoc Conuentu quammaximè, quanta in eius esset pectore, manifestissimè patuit. Nam reuocatis omnibus, qui contra vitam suam Regnúmque coniuráuerant, non modo vitam membraque donauit, sed & possessiones, quibus legaliter fuerant priuati, cum magno liberalitatis testimonio restituit. Adalhardum etiam Abbatem quondam Corbeiæ Monasterij, sed tunc in sancti Filiberti Monasterio consistentem, Magisterio priori reddidit. Itidémque fratrem eius Bernarium, à Monasterio sancti Benedicti euocatum & reconciliatum, eidem cum fratre restituit loco. His completis, ceterísque quæ vtilitas poscebat expliditis, filium quidem Lotharium hiematum VVormaciam misit, ipse autem Aquasgrani reuersus est.

C ANNO hunc sequenti dominus Imperator Conuentum generalem coire iussit in loco, cuius vocabulum est Attiniacus. In quo conuocatis ad Concilium Episcopis, Abbatibus, spiritualibúsque viris, nec non & Regni sui Proceribus, primò quidem fratribus reconciliari studuit, quos inuitos attonderi fecerat; deinde omnibus quibus aliquid læsuræ intulisse videbatur. Post hæc autem palam se errasse confessus, & imitatus Theodosij Imperatoris exemplum, pœnitentiam spontaneam suscepit, tam de his, quàm quæ in Bernardum nepotem proprium gesserat: & corrigens si quid talium vel à se, vel à patre suo gestum reperire alicubi potuit, etiam plurimarum eleemosynarum largitione, sed & seruorum Christi orationum instantia, nec non propria satisfactione, adeò Diuinitatem sibi placare curabat, quasi hæc quæ legaliter super vnumquemque decucurrerant, sua gesta fuerint crudelitate. Exercitum sanè eodem tempore misit de Italia contra Liudeuitum in Pannoniam. Quo ille consistere non valens, propriam reliquit ciuitatem, & ad quendam Principem Dalmatiæ veniens, ab eo susceptus est intra ciuitatem. Qui tamen versa vice susceptorem suum dolo confecit, & ciuitatem suo dominatui subiecit, Et quamquam nostris nec pugnam intulerit, nec collocutus fuerit, tamen missis Legatis & errasse se dixit, & ad dominum Imperatorem venire promisit. Nuntiatum est eodem tempore Imperatori, 822.

quod Custodes limitis Hispanici Sicorim fluuium transierint, Hispaniæ interio- A
ra penetrauerint, & cum magna præda prosperè redierint, vastatis incensisque
omnibus quæ obuiam se præbuerunt. Nec non & hi, qui fines tuebantur Britan-
nicos, Britanniam ingressi vastarunt regionem tam ferro quàm igne, propter
cuiusdam Britonis rebellionem, cuius nomen VViomarchus fuit. Quibus per-
actis, prosperè sunt regressi. Finito hoc Placito, Lotharium filium suum domi-
nus Imperator in Italiam misit, & cum eo VValam affinem suum Monachum,
sed & Geruntium * Ostiarium: quorum consilio res Italici Regni componeret,
erigeret, tueretur, tam publicas quàm priuatas. Pipinum autem filium quum
in Aquitaniam mittere statuisset, prius illi coniugem filiam Theotberti Comi-
tis iunxit: & sic demum ad memoratas partes regendas direxit. Quibus dispo-
sitis, iuxta morem Francorum Regum autumnale tempus venationibus insum-
psit, hiemandique gratia trans Renum, locum, cuius vocabulum est Franco-
noford, petiuit. Ibique Conuentum iussit fieri circumiacentium nationum,
omnium scilicet qui trans Reni consistentes fluenta ditioni Francorum obe-
diunt. Cum quibus de omnibus, quæ vtilitati conducere visa sunt, pertra-
823. ctans, singulorum rebus congruè prospiciebat. In eodem Conuentu Austrum
Legatio munera afferens affuit. Missi Norrmannorum pacem renouantes &
confirmantes non defuerunt. Quos auditos quum congruè remisisset, in eodem
loco præparatis, vt dignum erat, & tempori congruebat, nouo opere ædificiis,
hiemauit. In eadem villa, Franconoford scilicet, Imperator hieme exacta, Maio B
mense Conuentum habuit Australium Francorum, Saxonum, aliarúmque
gentium eis collimitantium. In quo duorum fratrum certamen, quod de Re-
gno magna altercatione inter se vertebant, congruo fine diremit. Erant au-
tem VVilzi genere filij Liubi quondam Regis. Nomina eorum fuere, Mile-
guastus & Celeadragus. Quorum pater Liubi dum Abodritis bellum indixis-
set, ab eis interemptus est, Regnúmque primogenito contraditum. At quum
nimis segniorem se, quàm res posceret, in regia administratione exhiberet:
circa iunioris honorem fauor populi declinauit. In qua altercatione ante præ-
sentiam Imperatoris venientes, requisita atque reperta voluntate populi, iu-
nior quidem Princeps declaratur: ambos tamen Imperator muneribus amplis
donatos, & sacramentis deuinctos, & inter se & sibi dimisit amicos. Interea
Lotharius filius domini Imperatoris, quum sicut supra dictum est à patre in
Italiam missus esset, & secundum virorum qui cum eo missi erant consilium
opportunitates negotiorum ordinasset, & quibusdam perfectis, quibusdam ad-
huc infectis, de singulis respondere, & ad patrem de reditu cogitaret: roga-
tu Paschalis Papæ Romam, imminente sancta Paschæ solemnitate adiit, at-
que ab eodem Papa clarissima ambitione susceptus, ipso sancto die apud bea-
tum Petrum diadema Imperiale cum nomine Augusti suscepit. Post hæc quum
Papiam venisset, aliquantisper necessitatibus semet impedientibus, ibidem
moratus est, & sic ad patrem mense Iunio peruenit, perfecta nuncians, de C
incohatis interrogans. Ad supplenda autem quæ minus perfecta erant, missus
est Adalhardus Comes Palatij, adhibito sibi socio Mauringo. Gundulfo porro
Metensi Episcopo eodem tempore defuncto, Clerus omnis populúsque eius-
dem Ecclesiæ, veluti vno spiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem sub
Canonico habitu nobilissimè viuentem, sibi poscunt dari Sacerdotem: mi-
rúmque in modum tam Imperatoris, quàm Procerum eius, sed & totius po-
puli consensus, quasi quodam coagulo in vnum coniurauit, vt omnes id velle,
nullus nolle reperiretur. Ideò Imperator cum summo gaudio petitioni Eccle-
siæ annuit, eisque quem petebant Pontificem dedit. In eodem Conuentu mors
nunciatur Liudeuiti tyranni, à quodam dolo interfecti. Imperator hoc Placitum
soluit, & alium Conuentum Compendio tempore autumnali indixit. Sub hoc
etiam tempore perlatum est Imperatori, Theodorum Primicerium sanctæ Eccle-
siæ Romanæ & Leonem Nomenclatorem luminibus priuatos, ac deinde decol-
latos in domo Episcopali Lateranensi. Inuidia porrò interfectoribus innasceba-
tur, eò quòd diceretur ob fidelitatem Lotharij, eos qui interfecti sunt, talia
fuisse perpessos. In qua re fama Pontificis quoque lædebatur, dum eius consen-
sui totum adscriberetur. Imperator autem dum ad hanc rem enucleatissimè in-

* Gerũcum

A uestigandam, Adalungum Abbatem Monasterij sancti Vedasti, & Hunfridum Comitem mittere curaret: Paschalis Papæ Missi superuenerunt, Iohannes Episcopus Siluæcandidæ, & Benedictus Archidiaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, accusationi opponentes excusationem, & super ista Imperatori examinationem offerentes. Quibus auditis, & cum congruo responso remissis, Missos destinatos, vt iussum fuerat, Romam ire præcepit, inuestigaturos de dubiis veritatem. Ipse autem, prout visum est, singulis in locis moratus, constituto tempore, id est Kalendis Nouembr. ad Compendium venit. In quo Placito Legati Romam missi redierunt, nunciantes quòd Paschalis Papa ab interfectorum nece se cum plurimis Episcoporum sacramento purgauerit, interfectores autem nequaquam exhibere potuerit: sed & eos qui interfecti sunt, meritis exigentibus talia perpessos asseuerauerit. Simúlque secum præsentabant Missos ab Apostolico directos, similia perferentes. Nomina Legatorum sunt, Iohannes Episcopus Siluæcandidæ, Sergius Bibliothecarius, Quirinus Subdiaconus, & Leo Magister militum. Imperator ergo natura misericordissimus, occisorum vindictam vltro persequi non valens, quamquam multum volens, ab inquisitione huiuscemodi cessandum existimauit: & cum responsis congruis Missos Romanos absoluit. Eodem tempore quædam prodigiosa signa apparentia animum Imperatoris sollicitabant, præcipuè terræ motus Palatij Aquensis, & sonitus inauditi
B nocturno tempore, & puellæ cuiusdam ieiunia duodecim mensibus omni cibo penitus abstinentis, crebra & insufata fulgura, lapidum cum grandine casus, pestilentia hominum & animalium. Propter quæ singula piissimus Imperator crebro fieri ieiunia, orationúmque instantia, atque eleemosynarum largitionibus, Diuinitatem per Sacerdotum officium monebat placandam: certissimè dicens, per hæc portendi magnam humano generi futuram cladem. Quo etiam anno, mense Iunio, natus ei est filius ex Iudith Regina: quem tempore baptismi CAROLVM vocitare placuit. Eodem anno Eblus atque Asenarius Comites, trans Pyrinæi montis altitudinem iussi sunt ire. Qui quum magnis copiis vsque ad Pampilonam issent, & inde negotio peracto redirent, solitam loci perfidiam, habitatorúmque genuinam fraudem experti sunt. Circumuenti enim ab incolis illius loci, omnibus amissis copiis, in inimicorum manus deuenere. Qui Eblum quidem Cordubam Regi Sarracenorum miserunt: Asenario verò tamquam qui eos affinitate sanguinis tangeret, pepercere. n.

INTEREA quum Lotharius, vt prædictum est, à patre missus Romam venisset, libentissimè ab Eugenio Papa susceptus est. Cúmque de his quæ accesserant quereretur, quare scilicet hi qui Imperatori & Francis fideles fuerant iniqua nece perempti fuerint, & qui superuiuerent ludibrio reliquis forent & haberentur: quare etiam tantæ querelæ aduersus Romanorum Pontifices Iudicésque sonarent: repertum est, quòd quorundam Pontificum vel ignorantia vel 824.
C desidia, sed & Iudicum cæca & inexplebili cupiditate, multorum prædia iniustè fuerint confiscata. Ideóque reddendo quæ iniustè erant sublata, Lotharius magnam populo Romano creauit lætitiam. Statutum est etiam iuxta antiquum morem, vt ex latere Imperatoris mitterentur, qui iudiciariam exercentes potestatem, iustitiam omni populo facerent, & tempore quo visum foret Imperatori æqua lance penderent. Quæ quum rediens filius patri retulisset, tamquam amator æquitatis, & cultor veritatis, magno gaudio perfusus est, eò quòd oppressis iniquè releuario pietatis occurrerit.

TEMPORE subsequenti dominus Imperator Conuentum à populo suo celebrari iussit tempore Maij mensis Aquisgrani. Quo consistenti Legatio Bulgarum, qui diu in Baioaria, secundum præceptum eius, substiterant, ei adducta est audienda. Quæ maximè post pacis constitutionem de terminis fuit terrarum inter Bulgaros Francósque custodiendis. Affuerunt etiam Brittonum primores non pauci, subiectionem obedientiámque multis verbis prosequentes: inter quos & VVinemarchus *, qui ceteris auctoritate præstare videbatur, quique insana temeritate atque stultissimis ausis in tantum processerat, vt etiam Imperatorem propter suam insolentiam comprimendam, ad expeditionem in illas partes faciendam prouocauerit. Is ergo quum diceret pœnitere se facti sui, & Imperatoriæ fidei se commisisset, ab eo iuxta morem suum, qua clementia semper vti 825.

* supra, VViomarchus.

LVDOVICVS PIVS. consueuit, misericorditer susceptus, & cum ceteris ciuibus muneribus donatus, atque ad natiuum solum est permissus redire. Qui tamen postea consuetæ perfidiæ non immemor, dum eunctorum, quæ promiserat & quę expertus fuerat, bonorum oblitus, vicinos suos domini Imperatoris fideles incursare atque afsiduis malis lacessere non obmitteret, ad id peruenit, vt oppressus à Lantberti hominibus, in propria domo cum omnium malorum fine terminum vitę sortiretur. Dimissis ergo tam Bulgarorum Missis quàm Brittannis, Imperator exercitio venandi se commisit Vosagi secretis: iterum id agendum credens, vsque quo mense Augusto iuxta condictum generalem populis Aquasgrani reuersus est. Quo tempore pacem, quæ à Nortmannis petebatur, mense Octobri iussit confirmari: factisque omnibus quæ in eodem placito & peragi & definiri visa sunt, ipse quidem cum filio Lothario Nouiomagum concessit, minore Ludouuico in Baioariam dimisso: factáque autumni temporis venatione in Aquense Palatium rediit. Ab hoc Conuentu regredientibus Bulgarorum Missis, literásque Imperatoris deferentibus, Rex eorum minus gratè quæ scripta sunt tulit, eo quod petita non impetrarit. Cum quadam ergo stomachatione eundem nuncium remittens mandauit, vt aut communis finium terminus statueretur, aut quacunque poterat virtute tueretur limites suorum finium. Sed quum fama rumorem sparsisset, Regem talia mandantem Regno caruisse, Imperator tamdiu Legatum tenuit, quousque misso Bertrico Comite Palatij, falsa esse quæ iactabantur comperisset. Rescita autem veritate, Missum infecto negotio remisit. A

826. IPSO anno, Kalendis Februarij, Pipinus filius Imperatoris, ad patrem Aquis hiemantem peruenit. Cui ab Imperatore cura commendata, vt paratus esset, si quid ex partibus Hispaniæ noui oriretur, qualiter obuiare posset, regressus est. Imperator verò Kalendis Iunij mensis ad Ingelheim venit, ibidémque illi Conuentus populi sui, secundum quod præceperat, occurrit. In eodem placito secundum morem suum multa quæ Ecclesiæ essent vtilia, admonuit, statuit ac definiuit, Legationésque tam à sancta Sede Romana, quàm à monte Olíueti, per Dominicum Abbatem perlatas suscepit, audiuit, absoluit. Nec non duos Duces, Ceadragum Abodritorum, & Tunglonem Soraborum, quum accusarentur, & probatio satis clara emineret, castigatos ad propria remisit. Nec non Herioldus à Nortmannię partibus cum vxore veniens, Danorúmque non parua manu, Magontiaci apud sanctum Albanum, cum suis omnibus, sacri baptismatis vnda est perfusus, plurimísque muneribus ab Imperatore donatus. Verens autem piissimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio soli naturalis, dedit ei quendam Comitatum in Frisia, cuius vocabulum est Riustri: quò se suósque, si necessitas exigeret, tuto recipere posset. Interea quum Baldricus, & Geraldus, ceterique Pannoniarum Custodes finium adessent, adduxit Baldricus domino Imperatori Presbyterum quendam nomine Gregorium, bonę vitę hominem, qui diceret organum more Gręcorum posse componere. Quem Imperator grataneer suscepit: & quia Deus illi quę ante se inusitata erant in Regno Francorum attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac Tanculfo sacrorum Scriniorum pręlato commendauit, publicisque stipendiis curare iussit: & ea quę huic operi necessaria forent, præparare mandauit. Ipso interea anno medio Octobri cœtum populi Germanicum coire iussit trans Renum, in villa, cuius vocabulum est Salz. In qua consistenti, perfidia atque defectio Aizonis nunciata est, qui de Palatio domini Imperatoris fugiens, ad ciuitatem Ausonam venit, ibique receptus, Rodam subuertit: sed & resistere nitentibus non parum incommoditatis intulit. Castella quę irrumpere potuit custodibus impositis fortiter communiuit. Sed & misso fratre suo ad Regem Sarracenorum Abdiraman nomine, validum contra nos exercitus robur accepit. Quę quidem Imperatoris animum commouerunt. Nil tamen properè gerendum ratus, Consiliariorum suorum sententiam, quid tali facto opus esset, statuit operiri. Per idem tempus Hilduinus Abbas Monasterij beati Dionysij Romam Monachos petitionis suę baiulos ad Eugenium sanctæ Romanæ Sedis Presulem misit, flagitans ossa beati Sebastiani Martyris sibi transmitti. Huius desiderio dominus Apostolicus satisfaciens, per prædictos Missos sacratissimi militis Christi exuuias misit. Quæ religiosissimè à prædicto B C

Lvdovicvs Pivs.

A viro susceptæ, atque interim cum loculo vectatorio, vt allatæ sunt, iuxta cor-
pus beati Medardi positæ. Quibus ibi consistentibus, tantam Deus per præsen-
tiam aduentus eorum mortalibus attribuit virturum copiam, vt multitudo nu-
merum excedat. Porro qualitas fidem superet, nisi eis auribus credatur, qui-
bus persuasum est nihil repugnare diuinæ iussioni, sed & omnia possibilia esse
credenti.

Præterea Aizone infestante eos qui in nostris finibus consistebant, & 827.
præcipuè Ceritaniam Vallensémque regionem vsquequaque vastante: eo vsque
immanitas illius processit, annitentibus Maurorum & Sarracenorum auxiliis, vt
aliqui nostrorum castella & municipia quæ hactenus tenuerant relinquere coge-
rentur, plurimíque etiam à nobis deficerent, & eorum se societari conferrent.
Inter quos VVillemundus Beræ filius, eorum perduellioni cum plurimis fœde-
ratorum se iunxit. Ad quos motus comprimendos, nostrósque roborandos, dum
Imperator exercitum illuc mittendum ordinat, præmisit Elisachar Abbatem,
& Hildebrandum Comitem, nec non & Donatum. Qui præcedentes, iunctis
sibi Gothorum Hispanorúmque copiis, illorum proteruiæ pertinaciter restite-
runt, Bernardo quammaximè Barcinonæ Comite conatus eorum in irritum de-
ducente. Quod cernens Aizo, exercitum à Sarracenis petitum abiit prætoria-
num. Quem impetratum cum Duce suo Abumarum * Cesaraugustam, & inde * Amaruan
B vsque ad Barcinonam perduxit. Porro Imperator Pippinum filium suum Aquita-
niæ Regem contra eos misit, simúlque Missos ex latere suo Hugonem & Matfridū
Comites. Quibus meticulosiùs quàm decuit occurrentibus, tamdiu moræ innexæ
sunt moris, quousque illi vastata Barcinonæ atque Gerundæ regione, Cesarau-
gustam sese receperunt. Præcesserunt sanè hanc cladem terribiles illæ sub tem-
pore nocturno acies, humano sanguine rutilantes, ignisque pallore flagrantes.
Imperator * porro venationi in saltibus Compendio & Catisiaco contiguis insti-
tit. Eodem anno mense Augusto Eugenius Papa diem vltimum clausit. Valenti-
nus Diaconus loco eius successit. Quo vix vno mense superstite, loco illius
Gregorius Presbyter tituli sancti Marci electus est, dilata consecratione eius
vsque ad consultum Imperatoris. Quo annuente, & electionem Cleri & popu-
li probante, ordinatus est in loco prioris. Legati Imperatoris Michaëlis eodem
anno mense Septembrio Compendium venerunt, munera attulerunt: nobiliter
suscepti, opulentissimè curati, liberaliter munerati, & prosperè sunt regressi.
Ipso anno Heinardus * virorum sui temporis prudentissimus, sanctæ deuotionis
ardore incitatus, Romam misit, & corpora sanctorum Marcellini & Petri, an-
nuente Papa, in Franciam fecit transuehi; & valde decenter in proprio territo-
rio propriisque sumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi multa vir-
tutum miracula operatur Dominus.

*Imperator porrò Cōpendio annua suscipiēs dona, his compertis, ad supra dictam Marcam tuendā auxilia destinauit, & vsque ad hiberna tempora vcationi, &c.

* Einardus

C Mense Februario sequentis hiemis Conuentus habitus publicus Aquisgra- 828.
ni, vbi quum in aliis, tum maximè feruebat res in Marca Hispanica nuper dam-
nosè ignominioséque peracta. Qua ventilata, & enucleatissimè inuestigata, hi
reperti sunt huius culpę auctores, qui ab Imperatore præfecti sunt Duces. Hos
ergo solummodò honoribus ademptis luere iussit Imperator culpam huius igna-
uię. Itidémque Baldrico Duci Foroiuliensi dùm obiiceretur, & probatum esset
eius ignauiâ & incuria vastatam à Bulgaris nostram regionem, pulsus est Duca-
tu, & inter quatuor Comites eiusdem potestas diuisa. Equidem Imperatoris ani-
mus natura misericordissimus semper peccantibus misericordiam prærogare stu-
duit. At verò ij, quibus talia præstita sunt, quomodo clementia illius abusi
sunt in crudelitatem, post pauca patebit, quum claruerit quomodo pro vi-
tæ beneficio, summam ei, quantum in se fuit, importauerint cladem. Ipso
tempore Halitcarius Cameracensis Episcopus, & Auffridus * Nonantulæ * Ansfridus
Monasterij Abbas, à transmarinis partibus redeuntes, humanissimè se susce-
ptos à Michaële retulerunt. Imperator sanè æstate sequenti in Ingelheim Con-
uentum publicum habuit. Ibique Missos Papæ Romani, Quirinum Primice-
rium, & Theophylactum Nomenclatorem, cum magnis muneribus venien-
tes, & suscepit & remisit. Et quum in Theonis villam deuenisset, famáque
venturos in nostros fines Sarracenos peruulgasset, misit filium Lotharium ad
eandem Marcam, adiunctis illi Francorum validis multisque copiis. Qui

LVDOVICVS PIVS. quum præceptis paternis parens Lugdunum deueniſſet, & nuntium præſtolaretur partium Hiſpaniearum, Pipinus eius frater collocuturus aduenit. Ibidémque illis morantibus, Miſſus rediit, dicens: mouiſſe quidem Saracenos Mauróſque exercitum quammaximum; ſed pedem continuiſſe, nec illo tempore longiùs in noſtros fines proceſſuros. Quibus auditis, Pipinus in Aquitaniam, Lotharius autem ad parrem proſperè rediit. Interea filij Godefridi Danorum quondam Regis, Herioldum Regno expulerant. Sed quum Imperator & Herioldum iuuare vellet, & cum filiis Godefridi fœdus pacis iniiſſet, miſſis in hoc ipſum cum ipſo Herioldo Comitibus Saxonicis, præcepit, vt agerent cum prædictis, quatenus eum in ſocietatem, vt pridem habuerant, ſuſciperent. Herioldus autem harum morarum impatiens, inſciis noſtris, aliquas villarum illorum igne iniecto concremauit, prædámque abduxit. At illi putantes hæc voluntate noſtrorum geſta, improuiſis & nihil tale ſuſpicantibus noſtris ſuperueniunt, tranſiróque Egidora flumine, caſtris pellunt, in fugam compellunt, potitíque omnium in caſtra propria ſe recipiunt. Sed his geſtis, cognoſcentes rei veritatem, & verentes debitam vltionem, mittentes ad eos quibus talia intulerant primùm, deinde ad Imperatorem, profeſſi ſunt errorem. Deinde obtulerunt congruam vindictæ ſatisfactionem: modum autem ſatisfactionis conferentes in Imperatoris voluntatem, dummodò firmitas pacis inconuulſa maneret. Quibus Imperator pro voto & petitione annuit. Bonifacius Comes ab Imperatore Corſicæ præfectus inſulæ, cum fratre Beraldo aliiſque adiunctis ſibi conſcenſa parua claſſe, dum piratas peruagando maria requirit & non inuenit, Sardorum amicorum ſibi inſulam appulit: indéque alios gnaros marini itineris ſibi aſſumens, in Africam profectus eſt, & tranſuectus inter Vticam & Carthaginem. Contra quem multitudo Afrorum conueniens, quinquies conflixit, inter quos & quoſdam corrigit oppetere noſtrorum, quos aut multa alacritas, aut inconſulta leuitas ad nimis audendum impulit. Bonifacius tamen ſociis receptis ad naues ſe collegit, patriam repetiuit, inexpletúmque atque inauditum metum priùs Afris reliquit. Hoc anno bis deliquium Lunæ contigit in Kalendis Iulij, & nocte Natalis Domini. Sed & annona quædam Imperatori delata eſt à regione VVaſconiæ, breuior frumento, nec tamen teres vt piſa, quam dixerunt deſcendiſſe de cœlo. Hiberna Domnus Imperator Aquis exegit.

829. HIEME tranſacta quum Quadrageſimæ ſacrati dies celebrarentur, & inſtaret Paſchæ veneranda ſolennitas, intempeſta nocte terræ motus adeo validus extitit, vt ædificiis cunctis ruinam minaretur. Porro venti violentia ſubſecuta, non modò minora, ſed etiam ipſum Palatium Aquenſe, vehementia ſui ita agitauit, vt etiam laterculis plumbeis, quibus tecta erat Baſilica ſanctæ Dei genitricis Mariæ, maxima ex parte deregeret. Moratus eſt in eo Palatio plurimis cogentibus neceſſitatibus, & publicis vtilitatibus. Statuit Kalendis Iulij indidem proficiſci, & VVormaciam ad celebrandum generalem populi Conuentum properare. A qua diſpoſitione eum mutare aliquantiſper coëgit rumor, qui ſederat: Normannos velle tranſgredi ſtatuta pacti & proprios fines, & Tranſalbianam regionem populari. Sed his aliter ſe habentibus, Imperator ſecundum diſpoſitionem loci & temporis aduenit, de his quæ viſa ſunt ſtudioſè tractauit, annua dona ſuſcepit, filiúmque ſuum Lotharium in Italiam dimiſit. In eo etiam Conuentu, comperiens clandeſtinas circa ſe eorum quos vitæ reſeruauerat machinationes more cancri ſerpere, & multorum animos quaſi per quoſdam cuniculos ſollicitare; ſtatuit ſibi contra eos quoddam propugnaculum erigere. Nam Bernardum, cateņus Hiſpaniarum partium & limitum Comitem, Cameræ ſuæ præfecit. Quæ res non ſeminarium diſcordiæ extinxit, ſed potiùs augmentum creauit. Sed quum necdum ij, qui tali peſte tabeſcebant, vulnus ſuum deregere poſſent: vtpote quibus nulla copia ad peragendum quæ concupierant ſuppeteret, in aliud tempus hæc differre ſtatuerunt. Imperator autem his, vt opportunitas dictabat, explicitis, Renum tranſiit, Franconoford villam petiit, ibique quamdiu bonum viſum eſt, & hieme propinquantia frigora ſiuerunt, venationi indulſit: ac deinde circa Miſſam ſancti Martini, ad Aquaſgrani ſe vertit, ibique & ipſam feſtiuitatem, & ſancti Andreæ, nec non Natiuitatis Dominicæ, cum reliquis, vt decebat, peregit celebriter.

Ludovicus Pius.

A Circa tempus porro Quadragesimale, quum Imperatot loca mati circumiacentia peragraret, factionis iniquæ principes vltra ferre non valentes occultatum diu vulnus detegunt. Nam primum inter se primores fœdure quodam coniutant, deinde minores sibi aggregant. Quorum pars mutationis semper cupida, more canum auiúmque rapacium, quæ alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis augmentum. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris Pipinum adeunt, prætendentes abiectionem sui, Bernardi insolentiam, & ceterorum despectionem: asserentes etiam eum, quod dictu nefas, thori paterni incestatorem; porro patrem adeo quibusdam præstigiis elusum, vt hæc non modò non vindicare, sed nec aduertere posset. Oportere ergo, dicebant, bonum filium indignè ferre dedecus paternum, ablatisque è medio restituere patrem & menti & dignitati; & hoc agentem non solùm fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio Regni terrestris, hoc nomine prætexentes culpam. His ergo incitamentis allectus iuuenis, cum eis & multis copiis suorum per Aurelianensem vrbem, sublato inde Odone, & restituto Matfrido, VVerimbriam vsque venerunt. At verò Imperaror vt eorum conspirationem contra se & vxorem Bernardúmque obstinatissimè comperit feraliter armatam, Bernardum quidem fugæ præsidio se committere permisit; vxorem autem Lauduni esse, & in Monasterio sanctæ Mariæ consistere voluit. ipse autem Compendium petiit. Porro ij qui cum
B Pipino VVerimbriam venerunt, misso VVerino * & Lantberto, aliisque quam plurimis, Iudith Reginam ex ciuitate Monasteriique Basilica eductam, ad se perduci fecerunt. Quam vsque adeo intentata per diuersi generis pœnas morte adegere; vt promitteret se, si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram quatenus Imperator abiectis armis, comisque recisis, Monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quam rem quantò plus cupiebant, tantò faciliùs crediderunt. Missis enim cum ea aliquibus suorum, ad Imperatorem vsque deduxerunt. Cui cùm ille secretiùs secùm loquendi licentiam præstitisset, permittente illo vt mortem euadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit: de attonsione porro sua Imperator tempus deliberandi poposcit. Tanto enim Imperator, aliis benignè semper viuens, iniusto odio laborabat, vt tæderet eos vitæ ipsius: cuius beneficio nisi illi viuerent, iustè & legaliter vita caruissent. Redeunte ergo ad se Regina, aliis quidem malis temperarunt, adclamationi autem vulgi consentientes, exilio eam deportari, & in Monasterio sanctæ Radegundis retrudi iusserunt. Circa mensem Maium porrò filius Imperatoris Lotharius ex Italia venit, eúmque in Compendio repperit. Ad quem venientem se contulit tota illa factio inimica Imperatoris, ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probauit autem quæ gesta erant. Denique Heribertus Bernardi frater, luminum amissione mulctatus est contra votum Imperatoris, Odo consobrinus illius armis ablatis exilio deportatus; tam-
C quam eorum, quæ Bernardo & Reginæ adclamabantur, conscij & fautores. In talibus ergo consistens, solo nomine Imperator, æstatem transegit. Quum autem instaret autumnalis temperies, ij qui Imperatori contraria sentiebant alicubi in Francia Conuentum generalem fieri volebant. Imperator autem clanculo obnitebatur, diffidens Francis, magisque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, vt Neomagum populus conueniret. Verens porrò ne multitudo contrariorum superaret paucitatem suorum fidelium, iussit vt vnusquisque ad idem placitum veniens, simplici vteretur commeatu. Præcepit etiam Comitem Lambertum finium sibi deputatorum custodiam habere. Helisachar Abbatem iustitias facturum eò quoque direxit. Tandem ergo Niumagum ventum est, omnisque Germania eò confluxit, Imperatori auxilio futura. Imperator autem volens adhuc vires aduersariorum attenuare, Hilduinum Abbatem culpans, interrogauit: cur, quum simpliciter venire iussus sit, hostiliter aduenerit. Qui quum negare nequiret, continuò ex Palatio exire iussus est: & cum paucissimis hominibus iuxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hiemare. VValach Abbas iussus est ad Monasterium redire Corbeiæ, ibique regulariter obuersari. Hæc quum ij, qui Imperatori aduersaturi conuenerant, prouiderent, ad desperationem vltimam infracti viribus sese verterunt. Denique per totam noctem coëuntes, atque ad habitaculum Lotharij Imperatoris filij conuenientes,

* infrà, VVarino

LVDOVICVS PIVS. hortabantur aut bello confligendum, aut aliquo secedendum absque Imperatoris voluntate. In qua deliberatione quum totam expendissent noctem, mane Imperator filio mandat, ne inimicis communibus credat, sed ad se tamquam ad patrem filius veniat. Quibus ille auditis, licet dehortantibus qui circa illum erant, ad patrem venit. A quo non est aspera increpatione inuectus, sed modesta lenitate correctus. Ingresso autem illo intra penita regiæ domus, diaboli instigatione vulgus contra se cœpit furere, processissetque furor vsque ad mutuam cædem, nisi Imperatoria prudentia prospexisset. Dum enim illi inter se tumultuantes, pene in vesanum furorem ruerent, Imperator ad cunctorum aspectum cum filio processit, Quo facto, omnis illa feralis commotio conquieuit. Imperatoria enim oratione audita, omnis popularis tumultus facessit. Post hæc Imperator omnes illorum huius impiæ conspirationis principes sub priuata custodia adseruari præcepit. Quos postea ad iudicium adductos, quum omnes iuris censores filiique Imperatoris iudicio legali, tanquam reos maiestatis, decernerent capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi: sed vsus, vt multis visum est, leniori quàm debuit pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis adtonderi: Clericos verò in conuenientibus itidem Monasteriis custodiri. A

831. HIS peractis ad hiemandum Imperator Aquasgrani secessit. Habuit autem per idem tempus secum semper Lotharium filium suum. Misit interea in Aquitaniam, coniugémque reuocauit, fratrésque illius Conradum & Rodulfum iamdudum attonsos. Quam tamen coniugis honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab obiectis purgaret. Quod postquam gestum est, in Purificatione sanctæ Mariæ, cunctis diiudicatis ad mortem vitam concessit. At Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludouicum in Baioariam ire permisit: ipse verò Quadragesimale tempus Paschæque solemnitatem in eo loco celebrauit. Paschalibus ergo peractis solemniis, ad Ingelheim Imperator perrexit. Ipso denique tempore consuetæ misericordiæ non immemor, quæ, sicut de se ait Iob, ab initiis creuit cum illo, & de vtero matris videtur cum ipso egressa: eos, quos dudum exigentibus meritis per diuersa loca deputauerat, euocatos, bonis propriis restituit, & si qui adtonsi fuerant, vtrum sic manere, an in habitum pristinum redire vellent, facultatem contribuit. Dehinc Imperator in partes Rumerici montis per Vosagum transiit: ibique piscationi atque venationi, quamdiu libuit, indulsit, & filium Lotharium in Italiam direxit. Porro autumni tempore in Theodonis villam conuenire generaliter suum populum præcepit. In quo loco tres Legati Sarracenorum à transmarinis partibus venere (quorum duo Sarraceni, vnus fuit Christianus) afferentes grandia munera suæ patriæ, odorum scilicet diuersa genera & pannorum. Qui pace petita & accepta, remissi sunt. Affuit etiam Bernardus, qui modo prædicto, fugiendo se saluans, diu in finibus Hispaniæ exulauerat. Is ergo Imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat, more Francis solito, scilicet crimen obiicienti semet obiicere volens, armisque impacta diluere. Sed quum accusator, licèt quæsitus, deesset: cessantibus armis purgatio facta est iuramentis. Præceperat porro Imperator, vt huic placito filius eius Pipinus interesset. Sed ille Conuentui semet subtraxit, post placitum autem aduenit. Imperator autem volens & hanc inobedientiam, plurimámque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari iussit, & vsque Natalem Domini secum Aquis renuit. Sed ille vltra suum se velle teneri grauatus, fugam capessit: & inscio patre in Aquitaniam concessit. Imperator verò in hibernis vt cœperat, Aquisgrani permansit. B C

832. HIEMIS sanè rigore transacto, & vernali successu reducto, nunciatum est Imperatori quosdam motus excitatos in Baioaria. Ad quorum compressionem festinus abiit, ad Ausburgum vsque peruenit, insurgentia sedauit, continuò rediit, Conuentúmque publicum Aurelianis fieri iussit, ibique sibi Pipinum occurrere mandauit. qui licet inuitus occurrit. Sed considerans Imperator quorundam malorum hominum consilia, filij animum tam minis quàm promissionibus ad deteriora festinantium peruertere: maximéque Bernardum verens, cuius consilio, vti tunc dicebatur, Pipinus (qui & ipse tunc in Aquitania morabatur) Ligeri transmeato, cum suo commeatu ad Iocundiacum Palatium venit, in territorio

A Lemouico situm. Quo ventilata vtriusque causa, Bernardus quidem quum insimularetur infidelitatis, nec tamen vsque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus priuatus est. Pipinum verò ob prauorum morum corruptionem, sub custodia priuata Treuetos perduci iussit. Quò quum duceretur, & indulgentiùs habeteetur, à suis custodiæ noctu subducitur, & vsque ad Imperatoris reditum ab Aquitania, quaqua versum valuit & voluit, peruagatur. Et tunc quidem Imperator inter filios suos Lotharium atque Carolum, quandam diuisionem Regni constituit. Quæ tamen ingentibus impedimentis, quæ dicenda sunt, pro voto minimè cessit. Eo porro tempore visum est Imperatori ab Aquitania secedere, sed post paucum tempus idem ad Missam sancti Martini populum conuocauit: filiúmque Pipinum fugientem ad se quoquo modo reuocare voluit. Sed illo id refugiente, asperrima hiemis incubuit inclementia, primò quidem pluuiarum plurimarum inundantia: deinde humectationem terræ glaciali rigore astringente: quæ adeo noxia fuit, vt subtritis pedibus equinis, rarus quisque foret, qui vectione equorum vteretur. Fracto ergo exercitu multo laboris incommodo, & improuisos excursus Aquitanorum subinde & molestè ferente, statuit Imperator ad villam, cuius vocabulum est Restis, venire, ibique Ligeris amne transmeato, in Franciam hiematum redire. Quod & fecit, licèt minus honestè quàm decuit. Ludouici Pius.

HVMANO porro generi pacique contrarius diabolus, nequaquam ab infestatione Imperatoris feriabatur: sed per satellitum suorum versutias filios sollicitabat, persuadens illis, quòd pater illos vltrò perdere vellet. Non considerantes, quòd qui mitior hominibus externis esset, immanis non poterat effici suis. Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, & lapidum etiam duritiam mollis aquæ guttula sæpiùs illisa terebrare solet: tandem ad id ventum est, vt filios Imperatoris in vnum cum copiis quibus poterant coire facerent, Gregoriúmque Papam aduocarent, sub ornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet & posset. rei tamen veritas pòst claruit. Imperator porrò è contrario mense Maio VVormaciam venit cum valida manu, ibique quid agendum sibi foret diu deliberauit. Missisque destinatis, Bernardo scilicet Episcopo cum reliquis, filios hortabatur ad se veniendum & redeundum. Sed & Papam Romanæ Sedis conueniebat: vt si more prædecessorum suorum adetat, cur tantas necteret moras non sibi occurrendo. Quum verò rumor vsquequaque diffusus ferret de ceteris quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideò adesset, vt tam Imperatorem quàm Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorúmque Imperatoris voluntati: parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus nullo modo se velle eius voluntati succumbere. Sed si excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret: quum aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. Tandem ergo conuentum est festiuitate sancti præcursoris Christi Iohannis in locum, qui ab eo quod ibi gestum est, perpetua nominis ignominiâ notatus est, vt vocetur Campus-mentitus. Quia enim ij, qui fidem Imperatori promittebant, mentiti sunt, locus in quo id contigit testis nequitiæ in suo nomine remansit. Quum autem haud procul indè aciebus ordinatis consisterent, iam iámque ruendum in arma putaretur, nuntiatum est Imperatori aduenire Papam Romanorum. Quem venientem Imperator in ipsa acie consistens suscepit, licèt indecentiùs quàm debuit: imputans ei quòd ipse sibi talem susceptionem præparauerit, qui inusitato modo ad se venerit. Ductus autem Papa in habitationem castrensem, multis assertionibus perdocuit, non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur, quòd inexorabili discordia contra filios laboraret, ideóque pacem in vtramque partem serere vellet. Audita verò parte Imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios, vt pacem mutuam necteret: quum pene omnis populus partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus, ad eos populúmque cum eis consistentem more torrentis difflueret, nequaquam vt fueras iussus, est permissus redire. Tot ergo copiis inibi adductis, & Imperatori subductis, adeo defectio indies inualuit, vt in festiuitate sancti Pauli, plebeij contra Imperatorem, adulando filiis eius, irruptionem facere minarentur. Quibus viribus Imperator obniti non valens,

Marginal notes: 833. (beside "HVMANO porro generi…"); B (beside "tabat, persuadens illis"); C (beside "cetur Campus-mentitus")

LVDOVICVS PIVS. filiis mandauit, ne se populati direptioni exponerent. Cui remandant, vt castris relictis ad se veniat: se autem maturtimè obuiam ipsi processuros. Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis desilientes, & sibi occurrentes, vt promissionis suæ memores, tam sibi quàm filio & vxori, illibata quæ olim promiserant conseruarent. Quos congruè respondentes osculatus; & ad castra illorum est profectus. Quò peruenienti vxor subducitur, & ad Ludouici tabernacula conuertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit: & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem iam populo iuramentis obstricto, Imperium inter fratres terna sectione partitur. Vxor patris à Ludouico Rege recepta, exilio iterum deportatur in ciuitatem Italiæ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens, cum maximo mœrore Romam regreditur: & duorum fratrum Pipinus in Aquitaniam, Ludouicus in Baioariam reuertitur. Porro Lotharius patre assumpto, & seorsum cum deputatis equitante atque priuatim manente, Merlegium villam deuenit, ibique provt libuit commorans, & quæ visa sunt ordinans, ac populum absoluens, sed & Conuentum populo Compendij indicens, Vosagum per Mauri-Monasterium transiit, & Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur, peruenit. Qua relicta ciuitate, Viridunum appulit, & Suessionum vrbem adiit. Ibique in Monasterio sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit: & Carolo Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit, donec autumni tempore, id est Kalendis Octobris, sicut erat constitutum, patrem secum ducens, Compendium venit. B

IBIQVE consistenti Legatio Constantinopolitani Imperatoris, Marcus Archiepiscopus Ephesi, & Protospatharius Imperatoris, ad patrem missa, occurrit, munera sibi deputata obtulit, patri missa subtraxit. Quam ille, licèt ad patrem missa, ad se tamen venientem suscepit, audiuit, tragœdiámque reportantem penè inauditam remisit. In eodem Conuentu quum multi insimularentur deuotionis in patrem, defectionis in filium: quidam verbis simplicibus, quidam iuramentis obiecta diluerunt. Miseratio tamen huiuscemodi rei, & talis rerum permutatio, exceptis auctoribus, omnes habebat. Vndè verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur gesta quæ erant, callido, vt sibi visum est, cum aliquibus Episcoporum vtuntur argumento: vt pro his, de quibus iam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publica pœnitentia, armis depositis, irreuocabiliter quodammodo Ecclesiæ satisfacere iudicaretur: quum ne forenses quidem leges contra vnam culpam semel commissam, bis inuehant vindictam: & nostra lex habeat non iudicare Deum bis in idpsum. Cui iudicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars, vt assolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere. Adiudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque conuictum, ante corpus sancti Medardi Confessoris, & sancti Sebastiani Martyris, arma deponere, & ante altare ponere cogunt: pullàque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt. Expleto hoc negotio, Missâ sancti Martini, populus licentia accepta pro talibus gestis mœstus ad propria reuertitur. Lotharius autem patrem suum ducens, Aquisgrani hiematum regreditur. Intra huius hiemis durationem, gregatim populi tam Franciæ, quàm Burgundiæ, necnon Aquitaniæ, sed & Germaniæ coeuntes, calamitosis querelis de Imperatoris infortunio querebantur. Et quidem in Franciam Eggebardus Comes, & VVillelmus Comes stabuli, quos poterant sibi in vnione voluntatis restituendi Imperatoris coadunabant. A Germania porro Hugo Abbas in Aquitaniam missus à Ludouico, & ab eis qui illuc confugerant, à Drogone scilicet Episcopo & reliquis, Pipinum in hoc ipsum instigabat. Porrò Bernardus & VVarinus in Burgundia consistentem populum suasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, iuramentis astringebant, & in vnum velle fœderabant. C

834. HIEMS autem exacta, & vere iam roseam faciem prætendente, Lotharius patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, & Parisiorum vrbem petiit, vbi obuiam sibi fore cunctos fideles præcepit. Cui Eggebardus Comes, & alij illius pagi Proceres cum magna coacta manu, obuiam pro liberatione Imperatoris pugnaturi processerunt: perueníssétque res ad effectum, nisi piissimus

A Imperator cauens & multorum periculum simul & proprium, ab hoc incœpto praecepto & obtestatione eos inhibuisset. Tandem ergo peruentum est ad Monasterium sancti Dionysij Martyris. LVDOVICVS PIVS.

PIPINVS verò ab Aquitania cum maxima manu exiens, & ad Sequanam vsque veniens, quum pontes dissipati, nauésque alto demersæ, transitum prohibuissent, substitit. Porro VVarinus & Bernardus Comites, plurimis sociorum ex Burgundiæ partibus coactis, & ad Matronam fluuium vsque peruenerunt, & ibi partim asperitate & intemperie aëris retardati, partim pro colligendis sociis suspensi, in villa Bonogilo, & iis prædiis quæ circumiacent, aliquot diebus consedere. Instabat sanè sanctæ Quadragesimæ tempus. Cuius hebdomada prima, feria quinta, missi sunt ab illis Legati, Rebaldus Abbas & Gautselmus Comes, ad Lotharium filium Imperatoris, postulantes vt eis absolutus custodiæ vinculis Imperator redderetur. Quorum si pareret postulationi, ipsi quoque ei causa apud patrem salutis & honoris olim dispositi forent. Sin aliter, etiamsi necesse esset, cum sui periculo eum requisituri: & resistentibus sibi in hac re cum armis, Deo iudice, essent obuiaturi. Sanè huic mandato respondit Lotharius, nullum plus se vel compati paternæ calamitati, vel congaudere prosperitati: nec debere sibi imputari culpam Senioris sibi oblati, quum ipsi eum destituissent ac prodidissent: neque carceralis custodiæ næuum sibi iure inuri, quum constaret hoc actum iu-
B dicio Episcopali. Cum hac ergo satisfactione præmissi Legati remissi sunt ad eos qui se miserant. Commandati sunt Guerinus Comes, & Odo, nec non Fulco & Hugo Abbates, ad se venirent: quatenus cum eis deliberaretur, quomodo petitio eorum impleri posset. Præcepit etiam filius eiusdem Imperatoris Lotharius, vt Missi sibi in crastinum dirigerentur, qui tempus aduentus prædictorum virorum ab eo cognoscerent: & sic ad condictum diem sibi occurrerent, de causa supradicta tractaturi. Etenim verò mutato consilio, cum his qui eius fauore ducebantur, relicto patre in Monasterio sancti Dionysij, ipse Burgundiam petiit, Viennam vsque peruenit, ibidémque statiua facere delegit. At verò ij, qui cum Imperatore remanserant, cum ad recipiendas Imperatorias infulas hortabantur. Sed Imperator, quamquam modo quo prædictum est Ecclesiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præproperæ voluit acquiescere sententiæ: sed Dominica, quæ in crastinum aduenit, in Ecclesia sancti Dionysij, Episcopali ministerio voluit reconciliari: & per manus Episcoporum armis accingi consensit. In qua re tanta exultatio populi excreuit, vt etiam ipsa elementa viderentur iniuriam patienti compati, & releuato congratulari. Etenim vsque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluuiarúmque vehementia, vt extra solitum aquarum superabundantia excresceret, flatúsque ventorum imperuiabiles fluminum alueos redderet. Sed in illius absolutione ita quodammodo visa
C sunt coniurasse elementa, vt mox & venti sæuientes mitescerent, & cœli facies in antiquam, & multo tempore inuisam serenitatem rediret. Imperator ergo ab eo loco iter cœpit: sed nequaquam filium abeuntem persequi, licèt multis hortantibus, voluit. Inde ergo Nantogilum, ac post venit Carisiacum villam regiam; vbi consistens operiebatur filium Pipinum, & eos qui trans Matronam residebant: sed & eos qui trans Renum ad Ludouicum filium eius confugium fecerant, sed & ipsum filium, qui ad eum veniebat, Ludouicum. Quo consistenti, medio Quadragesimæ tempore, arridente etiam lætitia ipsius diei, & officij exhortante cantilena Ecclesiastica, ac dicente: *Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes, qui diligitis eam;* maxima multitudo fidelium suorum ibidem occurrit, congratulans communi lætitiæ. Quos Imperator benignè suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, Pipinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitia dimisit: ceteros autem ad loca sibi congrua redire lætos permisit. Ipse autem Aquasgrani peruenit: ibique Iudith Augustam ab Italia reducentibus Rataldo Episcopo, & Bonifacio, sed & Pipinum filium recepit. Porro Carolum iam dudum secum habebat. Ibidémque Paschæ solemnitatem cum solita deuotione peregit. Post cuius celebritatem per Arduennam siluam venatione se exercuit: & post sanctæ Pentecostes festiuitatem, in partes Romerici montis, venationi atque piscationi operam dedit. Sanè recedente filio Imperatoris Lothario à patre, & in partes prædictas abeunte, remanserant in Neustriæ partibus Lantbertus

LVDOVICVS PIVS. Comes, & Matfridus, ceterique quamplurimi, qui easdem partes propria vi A retinere nitebantur. Quam rem ægrè ferens Odo Comes, & alij multi, Imperatoris partibus fauentes, contra eos arma corripiunt, eósque pellere illis locis nitebantur, aut certè cum eis congredi. Quæ res cùm segniùs quàm decuit administraretur, & minus cautè circumspiceretur, non minimam calamitatem eis intulit. Dum enim ex insperato illis hostes superuenerunt, illi autem minori quàm res postulabat cautela vterentur, insistentibus hostibus terga nudauerunt. Ibique & ipse Odo cum fratre VVillelmo interiit, plurimisque aliis: cæteri salutem in fugæ subsidio posuerunt. Quo negotio peracto, ij qui victoria potiti sunt, quum neque ibi consistere posse satis tutum videretur, neque Lothario se iungere valerent, verentes ne aut ibi consistentibus Imperator superueniret, aut certè ad suos properantibus in itinere obuiaret: ad Lotharium quantociùs mittunt, vt eis suppetias ferret, quos tanti discriminis metus circumuallaret. Qui audito eorum periculo, & rebus gestis, deliberauit eis succurrere. Qua tempestate VVarinus Comes cum plurimis sociis castrum Cabillonum vtcumque muniuit; vt si aliquid ab aduersarum partium studiosis moliretur noui, sibi suisque foret receptaculo ac munitioni. Quod quum Lothario compertum foret, improuisus illuc aduenire disposuit, quod tamen facere nequiuit. Aduenit tamen, & oppidum circundedit, quæ in circuitu ciuitatis erant incendio conflagrans. Pugnatum est acriter diebus quinque: & tandem ad deditionem primum vrbs recepta est, post autem versa vice crudelium victorum more, primùm quidem direptionibus Ecclesiæ vastatæ, thesauri deprædati, & communes copiæ direptæ: ad vltimum verò ciuitas voraci incendio depasta est, præter vnam paruam Basilicam, quæ stupendo miraculo, quum hinc indè cincta fuerit sæuientibus & lambentibus flammis, tamen non potuit aduri. Fuit autem consecrata Deo in honorem beati Georgij Martyris. Nec tamen Lotharij voluntas fuit, vt ciuitas succenderetur. Adclamatione porrò militari post vrbem captam, Gotselinus Comes, itémque Sanila Comes, nec non Madalelmus Vasallus Dominicus, capite plexi sunt. Sed & Gerberga filia quondam VVillelmi Comitis, tamquam venefica, aquis præfocata est. Quæ dum geruntur, Imperator cum filio Ludouico Lingonum ciuitatem aduenerat, in qua vrbe huiuscemodi suscepit nuncium, qui eum valde mœstum reddidit. Et Lotharius quidem eius filius à Cabillono iter suscepit ad Augustodunum, indéque Aurelianam vrbem peruenit, deinde in pagum Cenomannicum, in villam cuius vocabulum est Matualis, deuenit. At Imperator cum suis maximis copiis, simul & Ludouico filio, eum sequitur. Quo audito, filius eius Lotharius, iámque suis receptis, non multo interuallo à patre castra fixit. ibique quatuor diebus Legatis intercurrentibus moratum est. Quarta sanè nocte Lotharius cum suis hominibus referre pedem ad posteriora cœpit. Contra quem pater compendioso itinere obambulabat, vsque quò peruentum est ad fluuium Ligerim prope castrum Blesense, quo Ciza fluuius Ligeri confluit. Positis hinc inde castris, occurrit etiam patri Pipinus filius cum quanto C potuit militari apparatu. Infractus ergo viribus Lotharius, supplex ad patrem venit. Quem ille coërcitum verbis, & obligatum tam ipsum, quàm Proceres eius, quibus voluit sacramentis, in Italiam remisit, oppilatis angustiis itinerum, quæ in Italiam transmittunt, ne quis transire posset nisi licentiâ custodientium. Quibus peractis, Aurelianis vsque peruenit cum filio Ludouico, ibique tam filio quàm aliis reditu ad propria indulto Parisius ipse peruenit. Habuit autem eo tempore circa Missam sancti Martini Conuentum generalem in Attiniaco Palatio, vbi quum multa perperam inolita purgare decreuisset, tam in Ecclesiasticis quàm publicis rebus, tunc præcipuè fuerunt ista. Mandauit filio Pipino per Ermoldum Abbatem; res Ecclesiasticas, quæ in Regno eius erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitui. Missos etiam per ciuitates & Monasteria transmisit, statúmque Ecclesiasticum penè collapsum in antiquum statum erigi iussit. Itémque præcepit, vt Missi per singulos Comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerserant, cohiberent, & vbi eorum maior vis incubuerat, etiam Comites vicinos & Episcoporum homines, ad tales euincendos & proterendos sibi adsciscerent, & de his singulis sibi in proximo Placito generali VVormaciam tenun-

A renunciarent, quod futurum transacta hieme & suadente vernali gratia indixit. LVDOVICVS PIVS.

TRANSEGIT ergo Imperator maximam partem hiberni temporis Aquisgrani. Indeque profectus est ad Theodonis villam ante Natalem Domini, vbi etiam populus, cui præceptum fuerat, aduenit. Vbi consistens, contra quosdam Episcopos de sui deiectione conquerebatur. Sed quum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati obedire noluissent; solus Ebo eorum, qui impetebantur, affuit. Qui quum rationis reddendæ causa super talibus vrgeretur, causabatur se solum relictis omnibus, in quorum præsentia hæc facta fuerant, vrgeri. At verò ceteri Episcopi, quum obtenderent necessitatem præsentiæ, excusarent autem voluntatem innocentiæ, idem Ebo tandem molestè ferens talibus exrædiari, consilio petito aliquorum Episcoporum, ipse in se quandam confessionem prædicauit, confirmauitque se & indignum sacerdotio, & irreuocabiliter eo abstinere iudicauit. quod & Episcopis, & per eos Imperatori contradidit. Quo facto, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui euocatus ad satisfactionem venire distulit, quum ter esset euocatus, ab Ecclesiæ Præsulatu semotus est. ceteris vt diximus in Italiam fugientibus. Sequenti verò Dominica, quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedebat, in Metis ciuitatem dominus Imperator, sed & Episcopi, & populus vniuersalis illius Conuentus venit: & inter Missarum celebrationem, septem Archiepiscopi septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt. Atque omnes populi hoc viso, pro plenaria restitutione Imperatoris multas Deo gratias reddiderunt. Post quæ omnia, B Theodonis villam tam dominus Imperator, quàm qui eius populus erant, reuersi sunt: & Dominico sacro Quadragesimæ tempore inchoante, vnumquemque ad propria redire præcepit. Ipse autem Quadragesimæ tempus ibidem exegit, sed & Paschæ sollemnitatem Metis celebrauit. Post sollemnitatem porro Paschalem, atque Pentecostes venerabilem diem, ciuitatem Vangionum, quæ nunc VVormacia vocatur, secundum condictum ad celebrandum Conuentum generalem abiit. vbi ei etiam filius Pipinus occurrit, nec Ludouicus alter eius filius defuit. More autem suo Imperator nequaquam Conuentum istum à publica vtilitate vacare passus est. Diligenter namque in eo examinare studuit, quid quique Missorum in diuersas partes directi egerint. Et quia aliqui Comitum in repressione & exterminatione latronum segnes reperti sunt, diuersis sententiis eorum segnitiem condigna inuectione castigauit: filiósque & populum admonuit, vt æquitatem diligerent, raptorésque opprimerent, bonos quósque & eorum possessiones ab oppressione releuarent. interminatus etiam seueriorem in eos se libraturum sententiam, qui huic admonitioni non essent obtemperaturi. Quúmque ab hoc Placito populum dimitteret, & sequens in Theodonis villa post Pascha constituisset, ad hiemandum Aquisgrani se contulit: filióque suo Lothario mandauit, vt nobiles quosque suorum ad eundem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutuæ inter se & illum ratio inuestigaretur. Augusta Iudith cum Consi- C liariis Imperatoris consilio inito, eò quòd valentia, vt videbatur, Imperatoris corpus mox destitueret, & mors ingrueret, & sibi & Carolo periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi asciscerent: coniectantésque nullum filiorum Imperatoris tam conuenientem huic rei, sicut Lotharium: hortati sunt Imperatorē, vt ad eum Missos pacificos mitteret, & ad hoc ipsum inuitaret. Qui, vt paci semper studens, sempérque dilector pacis, atque amator firmitatis, quærēbat non modò filios, sed & inimicos sibi charitate vniri, libenter assensus est. In condicta porro villa, & tempore præfinito, affuere Missi à filio, quos ipse præcepit, plurimi: inter quos etiam VVala primus affuit. Causa autem prædicta ventilata, atque ad calcem perducta, Imperator cum coniuge reconciliari voluit; primum ipsi VValæ, dimissis, quæcunque in eos commiserat, delictis, multa alacritate & benignitate cordis; mandauitque per eum & ceteros filio missos, vt quantociùs veniret. Quod si faceret, consultissimè sibi futurum sciret. Qui redierunt, & filio rem retulerunt. Sed ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrisque intercessit, & VValam quidem rebus humanis abduxit, Lotharium verò lectulo deiiciens, maximo tempore languere fecit. Imperator verò clementissimus natura, vt filium aduersa valetudine correptum audiuit, per Missos

LVDOVICVS PIVS. fideliſſimos, ſcilicet Hugonem fratrem ſuum, & Adalgarium Comitem, eum viſitauit, atque omnia eius incommoda reſcire ſtuduit: imitatus videlicet beatum Dauid, qui multis inſectationibus laceſſitus à filio, mortem tamen eius ægerrimè tulit. At verò poſtquam deſæuiente languore conualuit, nunciatum eſt Imperatori, eò quòd conditiones ſacramentorum dudum promiſſas irrumperet, maximéque Eccleſiam ſancti Petri, quam tam auus eius Pipinus, quàm pater eius Carolus, nec non ipſe in tutelam ſuſceperant, homines eius crudeliſſima clade vexarent. Quæ res animum illius mitiſſimum adeo exaſperauit, vt quodammodo extraordinariè, vt videbatur, Miſſos dirigeret, nullum penè ad tantum iter conficiendum ſpatium tribuens. Miſit Legatos ad Lotharium, commonens ne talia fieri permitteret: monens vt memor eſſet, quia quando ei Regnum Italiæ donauit, etiam curam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſimul commiſit, & quam ab aduerſariis defenſandam ſuſceperat, nequaquam à ſuis diripi permitteret. Commonens etiam ſacramentorum nuper ab eo ſibi promiſſorum, ne forte obliuiſcens atque paruipendens ea Diuinitatem offenderet. Quod ſibi impunè non futurum, non ignoraret. Simul etiam iubens parare ſibi ſtipendiarias annonas, ſtatiuáſque congruas per omne iter, quod Romam tranſmittit. Dicebat enim ſe limina beatorum Apoſtolorum inuiſere velle. Quod ne fieret, irruptio Nordmannorum in Friſiam impediuit. Ad quorum inſolentiam comprimendam pergens, miſit Miſſos ad Lotharium, Fulconem ſcilicet Abbatem, & Richardum Comitem, nec non Adrebaldum Abbatem. Quorum Fulco & Richardus reſponſum ſibi à Lothario referrent: Adrebaldus porrò Romam pergeret, Gregorium Papam de neceſſariis conſulturus, & voluntatem Imperatoris, ceteráque ſibi iniuncta perlaturus. Sed Lotharius de his conuentus, nec non de rebus quarundam Eccleſiarum ablatis, quæ in Italia ſunt, quibuſdam annuit, quædam ſe non poſſe ſeruare reſpondit. Et Fulco quidem atque Richardus Imperatori à Friſia poſt fugam Nordmannorum reuertenti, talia nunciant in Franconoford Palatio: vbi ipſe autumnalem exercens venationem, hiematum Aquaſgrani ſeſe conuertit. At verò Adrebaldus Romam, vt iuſſum ſibi fuerat, perueniт, dominum Gregorium Papam ægrotantem repperit, & maximè fluxu ſanguinis, qui licet ſenſim, continuè tamen ex naribus defluebat. Sed tanta alacritate & gaudio ad verba Imperatoris & compaſſiones eius recreatus eſt, vt profiteretur ſe penè incommoditatis propriæ oblitum. Itaque & Miſſum ad ſe opulentiſſimè curauit apud ſe conſiſtentem, & ditiſſimè munerauit recedentem: mittens cum eo duos Epiſcopos, Petrum Centumcellenſis vrbis, & Georgium Regionarium Romanæ vrbis ſimul Epiſcopum. Lotharius porrò vt audiuit memoratorum Epiſcoporum ad dominum Imperatorem aduentum, miſit Leonem, qui tum apud illum magni loci habebatur, Bononiam: qui magno intentato terrore, vltra progredi Epiſcopos prohibuit. Adrebaldus tamen Epiſtolam Imperatori deſtinatam, ab eis occultè ſuſcepit: & cuidam ſuorum ſub obtentu mendici, quouſque Alpes tranſiret, ferendam commiſit, ac pòſt Imperatori porrexit. Ea tempeſtate quanta lues mortalis populum, qui Lotharium ſecutus eſt, inuaſerit, miſerabile eſt dictu. In breui enim, id eſt à Calendis Septembris vſque ad Miſſam ſancti Martini, hi primores eius vita exceſſerunt: Ieſſe olim Ambianenſis Epiſcopus, Helias Trecaſſinæ vrbis Epiſcopus, VVala Corbeienſis Monaſterij Abbas, Marfridus, Hugo, Lambertus, Godofridus, itémque filius eius Godofridus, Albertus Comes Pertenſis, Burgaretus quondam Præfectus venatoribus regalibus, ſed & Richardus vix euaſit. Non poſt multum & ipſe moritur. Hi enim erant, quorum deceſſu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine quaſi neruis ſuccisis euirata, prudentia his obeuntibus annullata. Sed his ſubrutis oſtendit Deus, quàm ſalubre, quàm laudabile ſit obſeruare, quod ex ore eius probatur procedere: *Non glorietur*, inquiens, *ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis.* Sed & Imperatoris animum quis miretur dignè, quanta hunc temperantia diuina gubernauerit clementia? Etenim hoc ſuſcepto nuncio, nec in ſe exultauit, nec morti inimicorum inſultauit; ſed pugno pectore tunſo, lachrymiſque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus eſt. Hoc tempore Brittonnum impetus emotus eſt, ſed tam facile conquieuit, quàm Imperator in eum ſpem poſuit: cui veraciſſimè dicitur: *Subeſt enim tibi Domine quum volueris, poſſe.*

A IN ipsis etiam diebus, in quibus Purificatio beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, Conuentus quidem magnus, sed præcipuè Episcoporum, Aquisgrani conuenit. In quo quum de aliis vtilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipuè de his rebus questum est, quas Pipinus & sui multis Ecclesiis abstulerunt. Ob quam rem Imperialis auctoritas & communis concilij commonitorium ordinatur: quibus commoneretur Pipinus & sui, cum quanto periculo res Ecclesiasticas peruaserint. Quæ res prosperum suscepit exitum. Nam Pipinus monita pij patris sanctorúmq; virorum libenter suscipiens, obedienter paruit: & omnia inuasa restitui, etiam per anuli sui impressionem constituit. Proximum huic Placito Conuentum Imperator in pago Lugdunensi habuit, tempore æstiuo, in loco qui vocatur Stramiacus, cum Pipino & Ludouico filiis. Nam quòd Lotharius non affuit, inualentia ægritudinis supra dictæ obfuit. In quo causam Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quòd Episcopi dudum illarum, Agobardus quidem iussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, vt prædictum est Episcoporum. Sed & causa Gothorum ibidem ventilata est, quorum alij partibus Bernardi fauebant: alij ducebantur fauore Beringarij Hunroci* quondam Comitis filij. Sed Beringario B immatura morte prærepto, apud Bernardum potestas Septimaniæ quam maxima remansit, Legatis illuc missis, qui ea quæ indigebant correctione in meliorē componerent statum. His peractis, & iam filiis populóque dimissis, Imperator autumnali venatione peracta, ad Missam sancti Martini Aquisgrani rediit, & hiemem ibidem exegit, Natalem quoque Domini, itémque Paschalem solemnitatem, iuxta morem debitum & sibi semper familiarissimum, ibidem celebrauit.

Ludovicus Pius. 836.

** Hunroci*

AT verò mediante festiuitate Paschali dirum semper ac triste portentum, id est cometæ sidus, in signo Virginis apparuit, in ea parte eiusdem signi qua penulam eius subtus, caudam verò serpentis simúlque coruum constringit. Quod quum non more errantium septem siderum Orientem versus peteret: per viginti quinque dies, quod mirum est dictu, idem sidus & Leonis ac Cancri, nec non Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub Aurigæ pedes, igneum globum, iubarúmque prolixitatem deposuit, quas vsquequaque porrexerat antea. Quam rem quum primùm Imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quendam, itémque me, qui hæc scripsi, & qui huius rei scientiam habere credebar, percontari studuit, quid super hoc mihi videretur. A quo quum tempus peterem, quò faciem sideris considerarem, ac per hæc rei veritatem inuestigarem, & cognitam in crastinum nuntiarem: Imperator ratus, quòd erat verum, tempus me redimere velle, ne cogerer triste aliquid respondere: Perge, inquit, in mœnia huic domui contigua, & nobis quæ perspexeris nuntia. Noui enim à me hanc stellam C nequaquam præterita vespera visam, vel à te monstratam: sed scio hoc signum cometarium esse, de quo iam præteritis diebus locuti sumus. Quid autem portendere tibi videatur, edicito. Quúmque aliqua dicerem, & aliqua tacuissem: Vnum est, inquit, quod adhuc silentio premis. Mutationem enim Regni, mortémque Principis hoc portento monstrari dicunt. Quúmque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quo dicitur, *A signis cæli ne timueritis quæ pauent gentes*, ille solita vsus magnanimitate & prudentia; Non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui nostri & huius sideris creator est. Sed eius clementiam non satis laudare & mirari possumus, qui nostram inertiam, quum simus peccatores & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo & me & omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse & sapere ad meliora festinemus, ne fortè misericordiam illo prærogante, & nostra impœnitudine impediente, nos illa inueniamur indigni. His dictis, & ipse paulisper mero indulsit, & omnibus id facere iussit, & vnumquemque ad sua se colligere præcepit. Noctem inque illam, vt nobis perlatum est, peruigilem duxit, ac Dei laudibus & obsecrationibus oneratam, luci superuenienti præsentauit. In cuius crepusculo ministros aulicos vocauit, & eleemosynas quā largissimè pauperibus ac seruis Dei, tam Monachis, quàm Canonicis porrigi iussit. Missarúmque solemnia per quoscunque potuit celebrari fecit: non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi credi-

837.

LVDOVICVS PIVS.

tæ prospiciens. Quibus ritè dispositis vti ordinauerat, venatum in Arduennam A
perrexit. Quod vt dicebant, vltra solitum ei prosperrimè cessit: omniáque,
quæ illo tempore illi placuere, prospero euentu cucurrerunt. Præterea insisten-
te Augusta, & Ministris Palatinis, quandam partem Imperij Imperator filio suo
dilectissimo Carolo Aquisgrani tradidit, sed quia inofficiosa remansit, à nobis
quoque silentio premitur. Quam rem auditam quum fratres eius ægrè tulissent,
mutuum iniere colloquium. Sed nil se contraire posse intuentes, & cœptum dis-
simulantes, motus patris, qui ex hoc accidisse videbatur, facillimè composue-
re. In his Imperator tota æstate consistens, indixit generalem Conuentum, au-
tumni tempore, id est Septembri mediante, in Carisiaco. In quo loco & tempore
filius eius Pipinus ab Aquitania ad eum venit, & ipsi Conuentui interfuit. Vbi
dominus Imperator filium suum Carolum armis virilibus, id est ense cinxit, co-
rona regali caput insigniuit, partémque Regni quam homonymus eius Caro-
lus habuit, id est Neustriam, attribuit. Itaque dominus Imperator inter filios,
quantum sibi possibile fuit, coagulo beneuolentiæ firmato, Pipinum in Aquita-
niam, Carolum autem in portionem Regni ipsi attributam dimisit. Et præsentes
quidem Neustriæ prouinciæ Primores, Carolo manus dederunt, & fidelitatem
sacramento obstrinxerunt: absentium autem quisque postea itidem fecit. In
eodem loco & tempore penè omnes Septimaniæ nobiles affuerunt, conqueren-
tes aduersus Bernardum Ducem illarum partium, eò quòd illius satellites tam
rebus Ecclesiasticis quàm priuatis, absque vllo respectu diuino humanóque, pro
libito abuterentur. Vnde petierunt, vt dominus Imperator sub suæ protectionis
munimine eos susciperet, & post hæc tales Missos in eandem terram dirigeret, B
qui & potestate & prudentia de ablatis æquo libramine penderent, & antiquam
eis legem conseruarent. Ad quod peragendum missi sunt, secundum postu-
lationem eorum, & domini Imperatoris electionem, Bonifacius Comes, &
Donatus itidem Comes: sed & Adrebaldus Flauiniacensis Monasterij Abbas.
His ritè peractis, Imperator ab eo loco diuertit, & venationi autumnali iux-
ta morem operam dedit, & ad tempora hiemalia exigenda se Aquisgrani col-
legit.

QVA hieme transacta, Kalendis Ianuarij sæuus cometæ ignis in signo Scorpio-
nis apparuit, non multò post Solis occubitum. Cuius minacem vultum non mul-
tò post excessus Pipini est subsecutus. Interea Iudith Augusta consilij, quod pri-
dem cum Consiliariis aulicis, cæterisque Regni Francorum nobilibus inierat, ne-
quaquam immemor, persuasit Imperatori, quatenus ad Lotharium filium suum
Missos mitteret, qui eum ad patrem inuitarent: ea conditione, vt si fratris sui CA-
ROLI dilector & adiutor, tutórque & protector esse vellet, veniret ad patrem, &
838. sciret se ab eo omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum; simul &
medietatem Imperij, excepta Baioaria, consecuturum. Quæ res tam Lothario
quàm suis per omnia vtilis visa est. Venit ergo iuxta condictum ad VVorma-
ciam post Paschæ solemnitatem. Quem pater cum multa alacritate suscepit, C
& dapsiliter suos curare præcepit, & sicut mandauerat vniuersa peregit, intan-
tum vt ei datis triduo induciis, vniuersum Imperium suum cum suis ipse diui-
deret, si ita liberet: ita tamen, vt partium electio penes Imperatorem & Ca-
rolum maneret. Sin aliter verò, partitionem Imperij Imperatori & Carolo fa-
ciendam magis censeret. Itaque Lotharius cum suis diuisionem Regni domino
Imperatori pro suo libitu committunt, affirmantes se hanc diuisionem nequa-
quam exequi posse propter ignorantiam locorum. Igitur Imperator cum suis, æ-
quo vt sibi suisque visum est libramine, omne suum diuisit Imperium: præter Ba-
ioariam, quam Ludouico reliquit, atque ideo in partem eorum nemini cessit. His
peractis, & filiis vniuersóque populo euocatis, data sibi optione, Lotharius à flu-
uio Mosa Australem sibi partem tenendam delegit: Occiduam verò Carolo fra-
tri habendam reliquit, & vt haberet coram cuncto populo se velle verbo signa-
uit. Imperator verò lætabatur in his, & cunctus populus talibus factis applau-
dens, omnia sibi placere dicebat. At vero Ludouici animum non parum hæc
gesta læserunt. Imperator porrò pro his gestis Deo gratias agebat, filiósque
monebat, vt vnanimes essent, & se alterutro tuerentur: & Lotharius quidem
iunioris fratris curam gereret, cuius se spiritualem esse patrem meminisse,

A deberet: Carolus autem tanquam patri spirituali, & fratri seniori debitum honorem deferret. Quúmque hoc tanquam veræ pacis amator peregisset, & inter fratres mutuam dilectionem, & inter vtriusque filij populum, quantùm sibi posse datum est, alternum seuisset amorem, lætus Lotharium in Italiam lætum dimisit, multis muneribus ditarum, donatum benedictionibus paternis, & monitum ne obliuisceretur saltem nuper sibi promissorum. Egit ergo Natalis Domini atque Paschæ solemnitatem celeberrimè Aquis. Lvdovicvs Pivs.

Lvdovicvs verò audiens huiusmodi patris erga fratres suos voluntatē, & Regni inter eos diuisionē, non tulit. Ideóque quicquid Regni trans Renum fuit, sibi adscribendū putauit, & vindicandum statuit. Quod quum Imperatori delatū esset, in transactam festiuitatem Paschalem differendū iudicauit. Qua peracta, nequaquam procrastinandum in talibus ratus, cum multis viribus Renum quidem apud Mogontiacum transiit & Triburas venit, ibique aliquamdiu ad colligendū exercitum consedit. Quo coacto, vsque * Bedonniam pertexit, ibique filius quanquam inuitus, supplex venit, & increpatus ab eo, malè se egisse confessus, emendaturúmque se perperam gesta professus est. At Imperator consueta & sibi semper amica vtens mansuetudine, & filio indulsit, & eum verbis primum, vt dignum fuit, paululum asperis increpauit: post autem lenioribus demulctum, in Regno reliquit. Atque in redeundo Renum in loco, qui Confluens dicitur, 839. *Hódomil

B transmeauit, in Arduenna venationem solitam peracturus. In qua quum exerceretur, nuncij ad eum certissimi venerunt, affirmantes quod verum erat, aliquos Aquitanorum suam sententiam expectare, qualiter res Aquitanici Regni ordinaretur: aliquos item indignè ferre, quòd audierint Carolo à patre idem Regnum traditum. Nam Imperatore de talibus sollicito, Ebroinus nobilissimus Pictauensis Episcopus Flateram aduenit, nuncians tam se quàm ceteros primores eiusdem Regni expectare Imperatoris voluntatem, & imperantis exequi velle iussionem. Erant enim in hac voluntate conspirantes maximi quippe Procerum: quorum eminentes erant, scilicet ipse Ebroinus venerabilis Episcopus, Reginardus Comes, Gerardus itidem Comes & gener quondam Pipini, nec non Hiratarius * similiter Comes Pipini gener, sed & alij quamplures horum sequentes voluntatem, nullo poterant pacto seiungi. At verò altera pars populi, quorum vel maximus fuit Emenus quidam, assumentes filium quondam Pipini Regis, Pepinvm itidem nomine, quaquauersum poterant, vagabantur, sicut moris talibus est, prædationibus atque tyrannidi operam dantes. Precabatur ergo præfatus Antistes Ebroinus Imperatorem, ne in longum differret hunc morbum serpere, sed maturè mederetur per suum aduentum tali incommodo, antequam tanta lues plurimos inficere posset. Imperator porrò præfatum Episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, *Ratharius

C sit, & quæ visa sunt suis fidelibus mandauit: & vt sibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillono occurrerent imperauit. Ibi enim generalem indixit Conuentum. Nullus porrò succenseat Imperatori, quòd dictante crudelitate, nepotem suum Regno priuare voluerit: quum ipse morem gentis natiuum nouerit, vtpote connutritus illis, & quia leuitati atque aliis studentes vitiis, grauitati atque stabilitati penitus renunciarunt; & vt talem Pipinum fratrem eius facere possent, penè omnes, qui ob custodelam ei missi erant, sicut sibi olim à patre Carolo dati fuerant, ab Aquitaniæ finibus eliminauerunt. Post quorum abscessum quanta & qualia emerserint malorum vitiorúmque monstra & publica & priuata in eodem Regno, moderna quoque præsentium studia repræsentant. Volebat piissimus Imperator piè & rationabiliter educari puerum, ne vitiis prostitutus nec sibi nec aliis præesse & prodesse postea posset: cogitans illud, quòd quidam, qui filiis in teneriori ætate adhuc positis tradere Regnum nollet, taliter se excusasse legitur: Ego enim non quòd inuideam ex me genitis, honorificè eos haberi veto, sed quia noui adolescentibus hæc studia ferociæ nutrimenta suggerere. Itaque Imperator vti condixerat, tempore autumnali Cabillonensem vrbem petiit, & tam Ecclesiastica quàm publica suo more dispsuit. Deinde ad Regni Aquitanici ordinationem se conuertit. Nam cùm Regina mouit ab eodem loco, & filio suo Carolo, & valida manu: & Ligeris amne transmisso, Aruernorum vrbem petiit. Ibique fideles suos sibi occurrentes benignè iuxta morem

LVDOVICI PII. folitum fufcepit, & fuo filio Carolo cum folitis facramentis commendari fecit. Quofdam, qui occurfum debitum fidelitatémque fibi impendere denegarunt, fed infuper latrocinando exercitui obambulabant, & quafcunque poterant prædas exercebant, comprehenfos legali quæftioni iuffit fubdere. A

840. HÆC eo agente, Natalis Domini feftiuitas rediit, eandémque folemnitatem Pictauis cum debito & folito honore celebrauit: ibidémque moranti, & quæ vtilitas pofcebat, difponenti, nuncius illi aduenit, dicens Ludouicum filium fuum affumptis quibufdam Saxonibus atque Thoringis fecum, Alamanniam inuafiffe. Quæ res maximum incommodum ei peperit. Etenim quum iam fenili ætate grauaretur, & phlegmatis abundantia, quæ hieme augmentatur, vltra folitum pulmo eius grauaretur, pectúfque quateretur, acceffit etiam hic triftis nuncius. Cuius relatu adeo affectus eft amaritudine; quamuis effet pene vltra humanum modum natura mitiffimus, fortitudine magnanimus, pietate cautiffimus: vt in apoftema pituita excrefcens durefceret, & intra vitalia vlcus letale concrefceret. Inuictus tamen illius animus, dum turbari tali pefte Ecclefiam Dei, populúmque Chriftianum vexari comperit, nec faftidio ceffit, nec dolori fractus fuccubuit. Sed poftquam fanctum Quadragefimale Ieiunium cum vxore & filio Carolo inchoauit, aducrfus hanc tempeftatem fedandam fe obiecem tulit. Et qui folitus erat hoc tempus Pfalmorum decantatione, orationum inftantia, Miffarum celebratione, eleemofynarum liberalitate, cum fumma deuotione totum folemne reddere, ita vt vix vno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret: nunc propter difcordiam fugandam, pacémque reuocandam, nullum diem habere feriatum voluit. Paftoris enim boni exemplum fequens, pro vtilitate gregis fibi commiffi non refugiebat etiam proprij corporis iacturam ferre. Vnde non ambigendum eft ei redditum præmium, quod ita laborantibus fe daturum promifit maximus Pater, princépfque Paftorum. Cum maxima igitur fatigatione impugnantibus valentiam illius præmiffis cafibus, peruenit imminente facratiffima Pafchali folemnitate Aquafgrani, ibique eam cum folita deuotione celebrauit. Qua explicita, cœptum negotium accelerauit explere. Nam Reno transfmeato, Toringiam continuato itinere penetrauit: vbi Ludouicum morari per id tempus didicit. In qua quum eum confcientia morari non pateretur, vtpote iam patre propinquante, rebus etiam diffideret, falutem in fugæ fubfidio pofuit. Redempto enim itinere, per Sclauorum terram in propria rediit. Quò illo redeunte, Imperator generalem Conuentum in vrbe Vangionum, quæ nunc VVormatia dicitur, congregari præcepit. Et quia res Ludouici taliter fe habebant, Carolus autem filius eius cum matre in Aquitania verfabatur, Imperator ad filium fuum Lotharium in Italiam mifit, iubens vt eidem Placito interesset, quatenus cum eo & aliis de hac re deliberaret. Quo in tempore deliquium Solis contigit, tertia die Letaniæ maioris, infolito modo. In tantum enim lucis receffu tenebræ præualuerunt, vt nihil à noctis veritate differre videretur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, vt nullum fidus lucis folaris hebetudinem pateretur; quin potiùs Luna, quæ fe ei aduerfam præbuerat, paulatim Orientem petendo primùm corniculatum illi lumen à parte Occidentali reftitueret, in morem fui, quando prima vel fecunda cernitur, & fic per augmenta totam venuftatem tota rota Solis reciperet. Quod prodigium licèt naturæ adfcribatur, tamen lamentabili exitu confummatum eft. Portendebatur enim per hoc maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei fupra candelabrum pofitum omnibus lucebat, piiffimæ recordationis Imperatorem dico, maturrimè rebus humanis fubtrahendum, mundúmque eius deceffu in tenebris tribulationum relinquẽdum. Cœpit ergo faftidio tabefcere, & naufeanti ftomacho ad cibum potúmque intendere, crebris fufpiriis vrgeri, fingultibus quati, ac per hoc virtute deftitui. Natura enim fuis deferta comitibus, neceffe eft vt victa fatifcat. Quod cernens, iuffit fibi parari habitacula æftiua atque expeditionalia, in infula quadam contigua Mogontiacæ ciuitati: ibique viribus defertus, lectulo fefe committit. B C

PORRO quis explicet eius pro Ecclefiæ ftatu follicitudinem, vel pro eius concuffione mœrorem? quis enarrare lachrymarum flumina, quas pro accelleratione diuinæ clementiæ fundebat? Non enim fe receffurum dolebat, fed

A quod futurum nouerat gemebat, dicens se miserum, cuius extrema clauderentur talibus inferiis *. Aderant autem eius consolationi venerabiles Antistites, & alij serui Dei quamplurimi. Inter quos erant Hethi venerabilis Treuerorum Archiepiscopus, Otgarius Mogontiæ similiter Archiepiscopus: sed & Drogo frater domini Imperatoris Metensis Episcopus, nec non sacri Palatij Archicapellanus. Quem quantò sibi propinquiorē nouerat, tantò ei familiariùs sua omnia, & semet credebat. Per eundē quotidie confessionis suæ munus, sacrificium spiritus contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat. Cibus eius erat solummodo per dies quadraginta Dominicum corpus, laudante eo iustitiam Dei & dicente: Iustus es Domine, vt quia Quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus idem ieiunium tibi exsoluam. Iussit autem eidem venerabili fratri suo Drogoni, vt ministros Cameræ suæ ante se venire faceret, & rem familiarem, quæ constabat in ornamentis regalibus, scilicet coronis, & armis, vasis, libris, sacerdotalibúsque vestibus, per singula describi iuberet. Quiprout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postremò quid filiis elargiri deberet, edixerat, Lothario scilicet & Carolo. Et Lothario quidem coronam, ensem, sceptrum auro gemmísque redimitum, eo tenore habendum misit, vt fidem Carolo & Iudith seruaret, & totam Regni portionem illi consentiret & tueretur,

Ludouicus Pius.

** miseriis*

B quam Deo teste, & Proceribus Palatij, ille secum & ante se largitus ei fuerat. His ritè peractis, gratias Deo egit, quia nihil sibi superesse proprium cognouit. Inter hæc tam venerabilis Antistes Drogo, quàm ceteri Pontifices, dum in cunctis quæ agebantur Deo grates persoluerent: vt pote qui videbant quòd eum, quem chorus virtutum semper comitatus fuerat, nunc perseuerantia subsequens, quasi cauda hostiæ, totum eius vitæ sacrificium Deo prorsus acceptum reddebat: vnum erat quo gaudium eorum obfuscabatur. Verebantur enim ne fortè filio Ludouico implacabilis esse vellet, scientes quòd vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum, acerbiorem dolorem sustinenti propagaret; sed tamen de eius inuicta patientia qua semper vsus est, per Drogonem fratrem eius, cuius verba spernere nolebat, animum illius leniter pulsant. Qui primùm quidem amaritudinem sui animi demonstrat. At verò parumper deliberans, & viribus quantuliscunque collectis enumerare conabatur, quot & quantis incommodis ab eo afflictus sit, & quid contra naturam & Domini præceptum talia agendo commeruerit. Sed quia ipse, inquit, ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus, & Deo, omnia quæ in me peccauit illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, vt si ego illi toties perperam gesta indulsi, ille tamen sui non obliuiscatur, qui canos paternos deducit cum dolore ad mortem. & in talibus communis patris Dei præcepta minásque contempsit. His peractis & dictis, (erat enim vespere Sabbati) præcepit, vt ante se celebrarentur Vigiliæ nocturnæ, & ligno sanctæ Crucis pectus suum muniretur: & quamdiu valebat, ma-

C nu propria tam frontem, quàm pectus eodem signaculo insignibat. Si quando lassabatur, per manus fratris sui Drogonis nutu id fieri poscebat. Mansit ergo tota illa nocte omnis virtutis corporeæ inops, solius sobrietatis animi compos. In crastinum, quæ erat Dominica, iussit ministerium altaris præparari, & per officium Drogonis Missarum solemnia celebrari: nec non per manus eius, iuxta morem, communionem sacram sibi dari, & post hæc cuiusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi. Quo perpaululum prælibato, precatus est fratrem, & simul astantes, vt curandis corporibus operam darent, se tamdiu præstolaturum quamdiu illi refici possent. Instante autem migrationis eius articulo, iuncto pollice cum articulis (hoc enim facere consueuerat, si quando fratrem nutu vocabat) Drogonem accersiuit. Quo veniente, & reliquis Sacerdotibus, verbis quibus potuit & nutibus, se commendans, benedici petiuit, & quæ solent agi in egressu animæ, fieri postulauit. Quibus id agentibus, sicut plures mihi retulerunt, conuersa acie in sinistram partem, indignando quodammodo, virtute quanta potuit dixit bis: *Hutz, Hutz.* quod significat, Foras, Foras. Vnde patet, quia malignum spiritum vidit, cuius societatem nec viuus nec moriens habere voluit. At verò eleuatis ad cœlum oculis, * quantò huc minaciùs intuebatur, tantò illuc lætiùs intendebat: ita vt nihil à ridente differre videretur. In talibus ergo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem feliciter, vt credimus, commigrauit:

** MS. Cod. Angelorum agmina ad se intuens conspexit venientia: illa lætiùs sic intendebat, &c.*

Lodovici Pii. quia, vt veraciter dictum est à veridico doctore: *Non potest malè mori qui benè vixerit*. Decessit autem XII. Kalendas Iulij, anno vitæ suæ sexagesimo quarto. Et Aquitaniæ quidem præfuit per annos triginta septem, imperauit verò viginti septem. Anima porro recedente, Drogo frater eius & Episcopus Mettensis, cum aliis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vassis dominicis, plurimáque frequentia tam Cleri quàm populi, sumptis Imperatoris reliquiis cum magno honore Metis transportari fecit: & in Basilica sancti Arnulfi, quo & mater eius condita est, nobiliter sepeliuit. A

Finiunt Vita & Actus gloriosi Principis inuicti & orthodoxi Imperatoris Hludouici Pij.

EPITAPHIVM LODOVVICI REGIS ET IMPERATORIS, filij Karoli Magni, qui iacet in Monasterio S. Arnulfi Metensis.

Imperij fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à seclo conditur hoc tumulo.
Rex LODOVVICVS *pietatis tantus amicus,*
Quòd PIVS *à populo dicitur & titulo.*
Hildegard soboles, Karoli Magni pia proles, B
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quicquidve refertur ad illam,
Arnulfo sancto contulit, huicque loco.
Stirps à qua Procerum, Regúmque, vel Imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.

Epitaphium DROGONIS Archiepiscopi Metensis, filij Karoli Magni, qui ibidem iacet.

Conditur hoc busto Præsul DROGO *marmore sculpto,*
Spiritus in requie latus ouat Abrahæ.
Filius hic Magni KAROLI *fuit Imperatoris,*
Vir pius & prudens, vir probitate cluens,
Aulæ Regalis moderator, Pastor ouilis,
Metis & Ecclesiæ iure pater patriæ.
Hic Præsul, præses, dominus, Primásque cis Alpes,
Eius indicio pacæ fuit regio.
Iste Glodesindis sollemniter ossa leuauit,
Condignéque loco condidit eximio.

CARTAE PRIVILEGIORVM A LVDOVICO PIO IMP. CONCESSORVM HISPANIS,

Qui ad ipſum Sarracenorum metu confugerant.

Ex Archiuis Metropolitanæ Narbonenſis Eccleſiæ.

Præceptum primum remiſſionis ſiue conceſſionis.



N NOMINE DOMINI Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. 815.
LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Auguſtus. Omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Prouinciæ, & Hiſpaniæ conſiſtentibus.

B SICVT nullius veſtrûm notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum iugum, quod eorum ceruicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Sarracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hereditario iure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania, atque in ea portione Hiſpaniæ, quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit, ſeſe ad habitandum contulerunt, & à Sarracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes noſtro dominio libera & prompta voluntate ſe ſubdiderunt: ita ad omnium hominum notitiam peruenire volumus, quòd eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſeruare decreuimus, eo videlicet modo, vt ſicut cæteri liberi homines cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in Marcha noſtra iuxta rationabilem eiuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem, explorationes & excubias, quod vſitato vocabulo vvactas dicunt, facere non negligant, & Miſſis noſtris aut filij noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut Legatis, qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubuectionem eorum veredas donent. Alius verò cenſus ab eis neque à Comite, neque à Iunioribus & Miniſterialibus eius exigatur. Ipſe verò, qui pro maioribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum inuaſiones, & vndecunque à vicino ſuo aut criminaliter aut ciuiliter fuerit accuſatus, & ad Placitum venire
C iuſſus, ad Comitis ſui mallum omnimodis venire non recuſet. Ceteras verò minores cauſas more, ſicut hactenus feciſſe noſcuntur, inter ſe mutuo definire non prohibeantur. Et ſi quiſpiam eorum in partem, quam ille ad habitandum ſibi occupauerat, alios homines vndecunque venientes attraxerit, & ſecum in portione ſua, quam adportionem vocant, habitare fecerit, vtatur illorum ſeruitio abſque alicuius contradictione vel impedimento, & liceat illi eos diſtringere ad iuſtitias faciendas, quales ipſi inter ſe definire poſſunt. Cetera verò iudicia, id eſt criminales actiones, ad examen Comitis reſeruentur. Et ſi aliquis ex his hominibus, qui ab eorum aliquo attractus eſt, & in ſua portione collocatus, locum reliquerit: locus tamen qui relictus eſt, à domino illius, qui eum prius tenebat, non recedat. Quòd ſi illi propter lenitatem & manſuetudinem Comitis ſui, eidem Comiti, honoris & obſequij gratia, quippiam de rebus ſuis exhibuerunt, non hoc eis pro tributo vel cenſu aliquo computetur: aut Comes ille vel ſucceſſores eius hoc in conſuetudinem præſumant, neque eos ſibi vel hominibus ſuis aut manſionaticos parare, aut veredas dare, aut vllum cenſum, vel tributum, aut obſequium, præter id quod iam ſuperiùs comprehenſum eſt, præſtare cogant. Sed liceat tam iſtis Hiſpanis, qui præſenti tempore in prædictis locis reſident,

LVDOVICVS PIVS. quàm his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, & in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam consedentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, iuxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in libertate residere, & nobis ea quæ superiùs diximus tam cum Comite suo, quàm cum Missis eius, pro temporum opportunitate alacriter atque fideliter exhibere. Nouerint tamen iidem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam, vt se in vassaticum Comitibus nostris more solito commendent: & si beneficium aliquod quispiam eorum ab eo, cui se commendauit, fuerit consequutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent. Idcirco has nostræ auctoritatis Literas eis dare decreuimus, per quas decernimus atque iubemus, vt hæc nostræ liberalitatis & mansuetudinis Constitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inuiolabiliter conseruetur. Cuius Constitutionis in vnaquaque ciuitate vbi prædicti Hispani habitare noscuntur, tres descriptiones esse volumus. Vnam quam Episcopus ipsius ciuitatis habeat, & alteram quam Comes & tertiam ipsi Hispani qui in eodem loco conuersantur. Exemplar verò earum in Archiuo Palatij nostri censuimus reponendum, vt ex illius inspectione, si quando, vt fieri solet, aut ipsi se reclamauerint, aut Comes vel quislibet alter contra eos causam habuerit, definitio litis fieri possit. Hanc quippe Constitutionem, vt per diuturna tempora à fidelibus sanctæ Ecclesiæ Dei & nostris & veriùs credatur & diligentiùs conseruetur, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari iussimus.

SIGNVM domni LVDOVICI serenissimi Imperatoris.

DVRANDVS Diaconus ad vicem Helisachar recognouit.

DATVM Kalend. Ianuarias anno Christo propicio II. Imperij domni Ludouici piissimi Augusti, Indict. VIII.

ACTVM Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Aliud Præceptum concessionis.

816. IN NOMINE DOMINI Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris tam præsentibus quàm & futuris, seu etiam successoribus nostris, quia postquam Hispani, qui de potestate Sarracenorum se subtraxerunt, & ad nostram seu genitoris nostri fidem se contulerunt, & Præceptum auctoritatis nostræ, qualiter in Regno nostro cum suis Comitibus conuersari, & nostrum seruitium peragere deberent, scribere & eis dare iussimus: querimoniam aliqui ex his Hispanis nostris auribus retulerunt duo capita continentem. Quorum vnum est, quòd quando iidem Hispani in nostrum Regnum venerunt, & locum desertum, quem ad habitandum occupauerunt, per Præceptum domini & genitoris nostri ac nostrum sibi ac successoribus suis ad possidendum adepti sunt, hi qui inter eos maiores & potentiores erant ad Palatium venientes, ipsi Præcepta regalia susceperunt. Quibus susceptis, eos qui inter illos minores & infirmiores erant, loca tamen sua benè excoluisse videbantur, per illorum Præceptorum auctoritatem aut penitus ab eisdem locis depellere, aut sibi ad seruiendum subiicere conati sunt. Alterum est, quòd simili modo de Hispania venientes, se ad Comites, siue Vassos nostros, vel etiam ad Vassos Comitum commendauerunt, & ad habitandum atque excolendum deserta loca acceperunt. Quæ vbi ab eis exculta sunt, ex quibuslibet occasionibus eos indè expellere, & ad opus proprium retinere, aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum iustum aut rationabile nobis esse videtur. Et ideò per hanc nostræ Præceptionis auctoritatem decernimus atque iubemus, vt hi qui vel nostrum, vel domini & genitoris nostri Præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Ceteri verò, qui simul cum eis venerunt, & loca deserta occupauerunt, quicquid de incerto excoluerunt, absque vllius inquietudine possideant tam ipsi quàm illorum posteritas: ita duntaxat vt seruitium nostrum cum illo, qui ipsum Præce-

A ptum accepit, pro modo possessionis quam tenet, facere debeat. Hi verò qui postea venerunt, & si aut Comitibus, aut Vassis nostris, aut paribus suis se commendauerunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub tali forma eas in futurum & ipsi possideant, & suæ posteritati derelinquant. Hoc nostræ auctoritatis Decretum non solùm erga præteritos & præsentes, verùm etiam erga futuros, qui adhuc ex illis partibus ad nostram fidem venturi sunt, conseruandum statuimus: ac de cōstitutione nostra septem Præcepta vno tenore conscribere iussimus. Quorum vnum in Narbona, alterum in Carcassona, tertium in Rosciliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, & exemplar eorum in Archiuo Palatij nostri: vt prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere & habere possint; & per exemplar quod in Palatio retinemus, si rursum querela nobis delata fuerit, faciliùs possit definiri. Et vt hæc nostræ auctoritatis Constitutio firmiorem obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ pleniùs per tempora conseruetur, manu propria subterfirmauimus, & anuli nostri impressione signari iussimus. LVDOVICVS PIVS.

DATA IV. Id. Februarij anno Christo propitio III. Imperij domni LVDOVICI piissimi Augusti, Indict. IX.

ACTVM Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

ARNALDVS ad vicem Helisachar recognouit.

B CONSTITVTVM DE MONASTERIIS REGNI FRANCORVM,

Quæ Regi militiam, dona, vel solas orationes debent.

Ex Veteri Codice Monasterij sancti Egidij apud Septimanos.

ANNO Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. LVDOVICVS serenissimus Augustus diuina ordinante prouidentiâ Conuentum fecit apud Aquis sedem regiam, Episcoporum, Abbatum, seu totius Senatus Francorum. 817.
Vbi inter ceteras dispositiones Imperij statuit, atque Constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Regno vel Imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum eius, ac stabilitate Imperij.

Hæc sunt quæ dona & militiam facere debent, numero XIV.

Monasterium sancti Benedicti.
Monasterium Ferrerias.
Monasterium Nigelli.
Monasterium sanctæ Crucis.
Monasterium Corbeia.
Monasterium sanctæ Mariæ Suessionis.
Monasterium Stablaus.
Monasterium Fariniacum.
Monasterium sancti Eugendi.
Monasterium Noualicium.

VLTRA RHENVM.

Monasterium sancti Nazarij.
Monasterium Offunuularij.

IN BAVARIA.

Monasterium Manauser †.
Monasterium Tegnauser.

Hæc sunt quæ tantùm dona dare debent sine militia, numero XVI.

Monasteriū S. Michaëlis marescí † primi.
Monasterium Balma.
Monasterium sancti Sequani.
Monasterium Natuadis.

VLTRA RHENVM.

Monasterium Suarisaha.
Monasterium sancti Bonifacij.
Monasterium sancti VVigberti.

IN ALEMANNIA.

Monasterium Clehenuuanc.
Monasterium Fruelinuuanc.
Monasterium Nazarecda.
Monasterium Campita.

IN BAVARIA.

Monasterium Altemburc.
Monasterium Alcane.
Monasterium Creauza *.
Monasterium Mathasco.
Monasterium Buria.

Hæc sunt quæ nec dona, nec militiam dare debent; sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum eius, & sta-

* al. Creuza.
† Mauauser.
† Marisporiepli.

Ludovicus Pius.

bilitate Imperij, numero XVIII.
Monasterium Melatedum.
Monasterium Fossatus.
Monasterium Ludra.
Monasterium sancti Gregorij.
Monasterium Mauri.
Monasterium Eborreheim.
Monasterium Clinga.
Monasterium Sauiniciaco.
Monasterium Erudatis.
Monasterium Dusera.
Monasterium Loruuim.

VLTRA RHENVM.

Monasterium Sceuuanc.
Monasterium Scultzurburna.

IN BAVARIA.

Monasterium Berch.
Monasterium Mechema.
Monasterium Scouenauua.
Monasterium Aloseburch.
Monasterium VVeizzenbrunico.

IN AQVITANIA.

† al. Suricinum. Monasterium sancti Philiberti.
† al. Mansi Asilli. Monasterium sancti Maxentij.
Monasterium Carroffinij.
Monasterium Brantosmurij *.
* al. Brantosmense. Monasterium sancti Sauini.
Monasterium sanctæ Crucis puellarũ.
Monasterium sanctæ Mariæ in Lemouicas.
Monasterium Mastraeurij.
Monasterium Menadiuij. A
Monasterium Magnilocum.
Monasterium Conquas.
Monasterium sancti Antonij.
Monasterium Musciacum.

IN SEPTIMANIA.

Monasteriũ S. Egidij in valle Flauiana.
Monasterium Psalmodium.
Monasterium Anianum.
Monasterium sancti Tiberij.
Monasterium Villa magna.
Monasterium S. Petri in Lunate.
Monasterium Caunas.
Monasterium Castelli-Malasci.
Monasterium S. Mariæ Capariensis.
Monasterium S. Mariç ad Orubionem.
Monasterium sancti Laurentij.
Monasterium sanctæ Eugeniæ.
Monasterium sancti Hilarij.
Monasterium Valle-Asperij.

IN TOLOSANO.

Monasterium sancti Papuli.
Monasterium Suricinium †. B
Monasterium Asilo †.
Monasterium Venercha.

IN VVASCONIA.

Monasterium Cella Fraxilij.
Monasterium Cimorra.
Monasterium Piciano.
Monasterium Altum-fagitum.
Monasterium sancti Sauini.

His prædictis Monasteriis præfatus Imperator, sicut suprà dictum est, Statutum scribi fecit, atque manu sua firmauit, & annulo suo Imperiali sigillare fecit.

DE EXPEDITIONE LVDOVICI PII IN BRITANNIAM,

Et de fundatione Monasterij Rothonensis. C

FRAGMENTVM

Ex antiqua Membrana MS. eiusdem Monasterij.

818. COVOIONVS ex Cambliciaco vico origine clara editus, ob facundiæ affluentiam, & castitatis pærogatiuam Venetensis Diaconi arcem exhortante Kermarico eiusdem vrbis Pontifice meruit conscendere. Decursis aliquot annorum spaciis, mundi gloriam fugiens, & veræ Philosophiæ operam gliscens; in Venetensi territorio solitudinis locum Rothonem * nuncupatum infra signum duorum milium situm petiit. Ipse verò locus adeo naturali positione insignis habetur, vt amœnitate sua ceteris Britanniæ Gallicanæ locis præstet, & omnium deliciarum gratiam præferat gratissima tellus. Hunc ergo locum, paucis è Venetensi Clero secum assumptis Dei famulis, elegit expetendum. Venientes verò ad locum ab çterno vt domus orationis fieret à Deo destinatum, cùm hæsitarent vbinam castra figerent, & Oratorium construerent, conscenso Bellimontis vertice, dum preces ad Dominum fudissent pro huiusmodi ostẽsione, erectis in cœlum luminibus, circa tertiam

* vulgò, Rhedon.

A tertiam ferè horam visum est nostræ Redemptionis signum corusco splendens lumine descendere, vbi nunc Saluatoris veneratur altare. Signis multis & prodigiis compertis, NOMINOIVS armis & sensu potens Iudex Prouinciæ à LVDOVICO Pio & Imperatore Augusto Caroli Magni filio declaratus ad beatum tēdit virum. Cuius eloquio torrētis instar profluente delectatus, atq. instructus, probara ipsius vitæ puritate, multa munera ad releuandum Monasterij indigentiam sanctis Dei tribuit, seque eorum orationibus committens ad propria remeauit. Postea Britannis in terra more suo inardescentibus, & aduersus Imperatorē prædictum eleuato sibi in Regem quodam MARCONO Tyranno, conspirantibus, negociis cunctis augustis obmissis, ipse Ludouicus cum insuperabili armatorum agmine Britanniam properat. Et fugatis Britānis, atque perempto eorum pseudorege, patriam suis legibus subdit. Peracto igitur triumpho, in Venetia vrbe generale Principum atque Pontificum celebrat Concilium, vbi ordinatis Regni negociis, & causis discussis Ecclesiasticis, cùm iam in Gallias redire disponeret, oraculo admonitus diuino, vt ad beatum virum in heremo degentem, & Angelicam vitam ducentem, conuerteret Couoium, atque in eius veneraretur imagine Christum. Ingentes verò Deo referens gratias pro responso diuino, locum adiit, & cōsideratis Patris Monasterij & Monachorum Deo placita conuersatione, benigno eos amplexatur affectu. Cernens denique vir Dei deuorum erga se Principis animū, supplici eum deprecatur prece, vt illis pro æterna remuneratione locum tribueret Rothonensem, sicut à B fluminibus cingitur duobus, Dutulo scil. & Vndoennensi, & termino Spicucensi diuiditur fundum. Cùm autem Nominoius, qui intimus secretorum erat regalium, precibus instaret vt vir Dei exaudiretur, petitioni cedens Imperator, obtulit pro sua suorúmque salute & æterna remuneratione locum Rothonensem ab omni onere liberum & immunem, proprio confirmans donationem annulo, annó Imperij sui XXI. Incarnati verò Verbi DCCCXXXIII *. Postea se commendans orationibus Abbatis & Fratrum, per Andegauim Gallias petens, regressus est ad suos.

LVDOVICVS PIVS.

*DCCCXVIII

Rhegino expeditionem hanc Ludouici Imp. in annum DCCCXXXVI. *reiicit. Sed Auctor Vitæ eiusdem Ludouici refert ad annum* DCCCXVIII.

DE MISSIS A LVDOVICO IMP. PER EPISCOPATVS & Comitatus Regni sui ordinatis,

FRAGMENTVM

Ex Libro II. *Capitulorum Karoli M. & Ludouici Pij, Cap.* XXV.

IN Vesontio, quæ est Diœcesis Bernoini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus, & Monogoldus Comes.

In Mogontia, quæ est Diœcesis Heistulfi Archiepiscopi, idem Heistulfus Episcopus, & Rhuotbertus Comes.

In Treueris, Hetti Archiepiscopus, & Adalbertus Comes.

In Colonia, Hadaboldus Archiepiscopus, & Eemundus Comes.

In Remis, Ebo Archiepiscopus quando potuerit, & quando ei non licuerit Rhuothadus Episcopus eius vice, & Rhuotfridus Comes, sint super sex videlicet Comitatus: id est Remos, Cathalaunem, Suessionem, Siluanectem, Beluacum, & Laudunum. Super quatuor verò Episcopatus, qui ad eandem Diœcesim pertinent, id est Nouiomacensem, Ambianensem, Teruanensem, & Cameracensem, Rangarius Episcopus, & Berengarius Comes.

Super Senones, Hieremias Archiepiscopus, & Donatus Comes.

Super Rothomagum, VVillebertus Archiepiscopus, & Ingobertus Comes.

Super Turonem, Landrannus Archiepiscopus, & Rhuotbertus Comes.

Super Lugdunum, Tarentasiam, & Viennam, Alberieus Episcopus, & Richardus Comes.

LVDOVICVS PIVS. A

DE TRANSLATIONE DIVINORVM LIBRORVM in Theudiscam linguam, iussu LVDOVICI PII facta.

Præfatio in Librum antiquum linguâ Saxonica scriptum.

CVM plurimas Reipublicæ vtilitates HLVDOVICVS piissimus Augustus summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat: maximè tamen quod ad sacrosanctam Religionem, æternámque animarum salubritatem attinet, studiosus ac deuotus esse comprobatur. Hoc quotidie sollicitè tractans, vt populum sibi à Deo subiectum sapienter instruendo, ad potiora atque excellentiora semper accendat, & nociua quęque atque superstitiosa comprimendo compescat. In talibus ergo studiis suus iugiter beneuolus versatur animus, talibus delectamentis pascitur: vt meliora semper augendo multiplicet, & deteriora vetando extinguat. Verùm, sicut in aliis innumetabilibus infirmioribúsque rebus eius comprobari potest affectus, ita quoque in hoc magno Opusculo sua non mediocriter commendabatur beneuolentia. Nam cùm diuinorum Librorum solummodò litterati atque eruditi priùs notitiam haberent, eius studio, atque Imperij tempore, sed Dei omnipotentiâ atque inchoantia mirabiliter actum est nuper, vt cunctus populus suæ ditioni subditus, Theudisca loquens linguâ, eiusdem diuinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Pręcepit namque cuidam vno de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis vates habebatur, vt vetus ac nouum Testamentum in Germanicam linguam poëticè transferre studeret: quatenus non solùm litteratis, verùm etiam illitetatis sacra diuinorum præceptorum lectio penderetur. B Qui iussis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eò faciliùs, quò desuper admonitus est priùs, ad tam difficile támque arduum se statim contulit opus: potiùs tamen confidens de adiutorio obtempetantiæ, quàm de suæ ingenio paruitatis. Igitur à mundi creatione initiũ capiens, iuxta historiæ veritatẽ quæque excellentiora summatim decerpens, & interdum quędam, vbi commodum duxit, mystico sensu depingens, ad finẽ totius veteris ac noui Testamenti, interpretando more poëtico, satis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucidè támque eleganter iuxta idioma illius linguę cõposuit, vt audientibus ac intelligẽtibus non minimam sui decoris dulcedinem præstet. Iuxta morẽ verò illius Poëmatis, omne Opus per vitteas distinxit, quas nos lectiones vel sententias possumus appellare.

VERSVS THEODVLPHI EPISCOPI AVRELIANENSIS,

DE LVDOVICO PIO IMP.

In Tom. VI. Antiq. Lect. Henrici Canisij.

INCLITE Cesar aue LVDOVICE serene, valéque,
Et tibi cunctipotens det bona cuncta pius. C
Orbis te totus laudat, veneratur, amátque,
Et monitus paret sedulus vnde tuis.
Primus in orbe micas, nulli es virtute secundus,
Viribus armipotens te, scio, nemo præit.
Arma es Pontificum, venerandi culmina iuris
Tu vigil instanter ad meliora leuas.
Tu decus es Cleri, populi, seu norma salutis,
Iudicij callem arbiter æquus amas.
Hæc facis, & facienda doces, quæ ad sidera tollunt,
Quæ mergunt solers semper ad ima caues.
Es quoque pacificus sapiens Salomonis ad instar,
In specie es Ioseph, viribus inque Dauid.
Est & scripturis patulus tibi sensus in almis,
Lectio te quarum pascit alitque frequens.
Corporeis epulis satiaris corpore parcè,
Sed tua diuina mens alimenta sitit.
Nam cibus illatus satiat tua viscera parcus,
Sed cibus æternus mentem animúmque cibat.

A Plus epulas animæ quàm carnis diligis ipse,
Has capis ad tempus, has sine fine sitis.
Es quoque tu multum proprio laudandus in actu,
Quod caro vult parcè, mens quid & optat amas.
Quæ mala sunt refugis, bona quæque amplecteris vltrò:
Inde Deus tecum, Rex benedicte, manet.
Ecclesiæ sanctæ dilectus filius extas,
Quam tibi commisit Vnicus ipse Patris.
Hanc tu constanter doctrinis imbuis aluus,
Incolis, augmentas, instruis, ædificas.
Nemo fide Christi nam te præstantior extat,
Plus orthodoxus est tibi nemo super.
Est tibi nemo super similis pietate vel actu;
De te vera loqui me tua facta probant.
Diuitias mundi cauto sectaris amore,
Queis tibi constanter regna beata paras.
Non temet, mi Rex, lanbus * non aureus inflat;
Non diadema micans mentis in arce sedet.
B Regius hæc fastus tua non deuotio quærit,
Cui semper dulcis gloria Christus inest.
Moribus eximius, rutilus, bonitate coruscus;
Semper adhærere est tibi velle Deo.
Téque tuas laudes liquidò depromere nulla
Vox potis est, quas nunc nostra camœna tacet.

LVDOVICVS PIVS.

* limbus

PRÆCEPTVM DOMINI LVDOVICI IMP.

De diuisione Regni sui inter filios.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi. LVDOVVICVS diuina ordinante prouidentiâ Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & cuncto Catholico populo, præsenti scilicet & futuro, gentium ac nationum quæ sub imperio ac regimine nostrô constitutæ sunt. Notum fieri volumus omnium vestrûm solertiæ; quòd inter dilectos filios nostros, PIPINVM, LVDOVVICVM, KAROLVM, Regni nobis à Deo commissi talem diuisionem facere decreuimus, vt post nostrum ab hac mortalitate discessum vnusquisque illorum scire valeat, si eos diuina pietas nobis superstites esse voluerit, quæ portio sibi ad tenendum adque gubernandum à nobis adsignata sit. Quam diuisionem eo modo describere ac designare volumus, vt singuli iuxta ordinationem nostram & fines
C Regni sui, qui in alienigenas extenduntur, cum Dei adiutorio defendere studeant, & pacem ac fraternam caritatem inter se custodire valeant. Cuius diuisionis modum atque ordinationem talem nobis facere placuit.

I. HÆC autem tali ordinatione disposuimus, vt si post nostrum de hac luce discessum aliquis eorum, priusquam fratres sui, diem obierit, & talem filium reliquerit, quem populus ipsius eligere velit, vt patri suo succedat in Regni hereditate: volumus vt hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in eo Regno, quod pater eius frater eorum habuit. Quòd si talem filium non habuerit, tunc volumus vt illa pars Regni, quam idem habebat, diuidatur æqualiter inter illos fratres qui superstites remanserunt.

II. PLACVIT etiam inter prædictos filios statuere atque præcipere propter pacem & concordiam, quam inter eos perpetuò permanere desideramus, vt nullus eorum fratris sui terminos vel Regni limites inuadere præsumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum eius, vel Marcas minuendas: sed potiùs adiuuet vnusquisque illorum fratrem suum, prout temporis opportunitas permiserit, & auxilium ei ferat contra inimicos eius iuxta rationem & possibilitatem.

III. NEC aliquis vllum hominum fratris sui pro quibuslibet causis vel culpis ad se confugientem suscipiat ad intercessionem pro eo faciendam, quia volumus vt quilibet homo peccans, & intercessione indigens, intra Regnum domini sui, vel

LVDOVICVS PIVS. ad loca sancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde iustam intercessionem mereatur. A

IV. Similiter præcipimus, vt quemlibet liberum hominem, qui dominum suum contra voluntatem eius dimiserit, & de vno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat vt talem hominē recipiant, vel iniustè retinere præsumant. Nec solùm de illis, sed etiam de seruis fugitiuis statuimus obseruandum, vt nulla discordiis relinquatur occasio. Sed & hoc præcipimus, vt nullus ex his tribus fratribus nobis in corpore consistentibus, vel nostrum vel cuiuslibet alterius hominem sacramentum fidelitatis sibi promittere faciat, & per hoc eum vel à nobis vel ab altero domino suo per huiusmodi sacramentum auertat, & ad se adtrahat.

V. Qvin etiam præcipiendum nobis videtur, vt post nostrum ex hac mortalitate discessum homines vniuscuiusque eorum accipiant beneficia, vnusquisque in Regno domini sui & non alterius: ne quando per hoc, si aliter fuerit, scandalum aliquod possit accidere. Hereditatem autem suam habeat vnusquisque hominum illorum absque contradictione in quocunque Regno hoc eum legitimè habere cognouerit.

VI. Et vnusquisque liber homo post mortem domini sui licentiam habeat se commendandi inter hæc tria Regna ad quemcunque voluerit, similiter & ille qui nondum alicui commendatus est.

VII. De traditionibus autem atque venditionibus, quæ inter partes fieri solent, præcipimus vt nullus ex his tribus fratribus suscipiat de Regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rei immobilis, hoc est terrarum, B vinearum atque syluarum, seruorúmque qui iam casati sunt, siue cęterarum rerum quæ hereditatis nomine censentur: excepto auro, argento & gemmis, armis ac vestibus, nec non & mancipiis non casatis, & iis speciebus quæ propriè ad negotiatores pertinere noscuntur. Ceteris verò illis hominibus hoc minimè interdicendum iudicamus.

VIII. Si autem feminæ, sicut fieri solet, inter partes & Regna legitimè fuerint ad coniugium postulatæ, non denegentur iustè poscentibus: sed liceat eas vicissim dare & accipere, & adfinitatibus populos inter se sociare. Ipsæ verò feminæ potestatem habeant rerum suarum in Regno vnde exierint, quanquam in alio propter mariti societatem habitare debeant.

IX. De obsidibus autem, qui propter credentias dati sunt, & à nobis per diuersa loca ad custodiendum destinati sunt, volumus vt ille Rex, in cuius Regno sunt, absque voluntate fratris sui, de cuius Regno sublati sunt, ad patriam eos redire permittat. Sed potiùs in futuro in suscipiendis obsedibus alter alteri mutuum ferat auxilium, si frater fratrem hoc facere rationabiliter postulauerit. Idem iubemus & de iis, qui ob sua facinora in exilium missi vel mittendi sunt.

X. Si causa vel intentio & controuersia talis inter partes propter terminos aut confinia Regnorum orta fuerit, quæ hominum testimonio declarari vel definiri non possit, tunc volumus vt ad declarationem rei dubiæ vexillo crucis Dei voluntas & rerum veritas inquiratur: ne vnquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad exterminationem iudicetur. Si verò quislibet homo de vno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem domini sui apud dominum suum accusauerit, mittat eum dominus eius ad fratrem suum, vt ibi comprobet quod de homine illius dixit. C

XI. Svper omnia autem iubemus atque præcipimus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam à proauo nostro Karolo, & auo nostro Pipino, & beatæ memoriæ genitore nostro Karolo Imperatore, & à nobis postea suscepta est: vt etiam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulauerit, habere faciant. Similiter de ceteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus vt iustitiam suam & honorem habeant, & Pastores atque rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocunque de his tribus fratribus illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.

XII. Qvod si de his statutis atque consentiis aliquid casu quolibet, vel igno-

A [...]titia, quod non optamus, inrutum fuerit, præcipimus vt quam citissimè secundum iustitiam emendare studeant, ne quando propter dilationem maius damnum possit adcrescere. LVDOVICI PII.

XIII. Hæc autem omnia ita disposuimus, atque eo ordine adfirmare decreuimus, vt quamdiu diuinæ Maiestati placuerit hanc corporalem nos agere vitam, potestas nostra sit super à Deo conseruatum Regnum atque Imperium istud, sicut hactenus fuit, in regimine, atque ordinatione, & omni dominatione regali atque imperiali: & vt obedientes habeamus prædictos filios nostros, atque Deo amabilem populum nostrum, cum omni subiectione quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur. Et si aliquis ex his tribus filiis nostris per maiorem obedientiam ac bonam voluntatem imprimis Deo omnipotenti, ac postea nobis placere cupiens, morum probitate promeruerit vt ei maiorem honorem ac potestatem conferre delecter: & hoc volumus vt in nostra maneat potestate, vt illi de portione fratris sui, qui non placere curauerit, & Regnum & honorem ac potestatem augeamus, & illum talem efficiamus, qualiter ille propriis meritis dignus ostendetur.

XIV. Hoc postremò statuendum nobis videtur, vt quicquid adhuc de rebus & conuentionibus, quæ ad profectum & vtilitatem eorum pertineant, his nostris decretis atque præceptis addiderimus, volumus sic à prædictis dilectis filiis nostris obseruetur atque custodiatur, sicut ea quæ in his iam statuta & descripta sunt,

B custodire & conseruare præcipimus.

Ad Aquitaniam totam inter Ligerim & Sequanam, & vltra Sequanam pagis XXVIII. id est Catalonis, Meltianum, Ambiensis, & Pontium vsque in mare.

Ad Baiuuariam totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias, Saxoniæ, Frisiæ, Ardenna, Asbania, Bragbento, Franderes, Menpiscon, Medenenti, Amau, Austerban, Adertensis, Teruuanensis, Bolensis, Quentouuico, Camalecensis, Virdomadensis.

Ad Alamaniam totam Burgundiam, excepto quod Pipino datum est, totam Prouinciam, & totam Gotiam: & de ista media Francia VVarensis, Vngensis, Castrensis, Portiano, Remegensis, Laudunensis, Mosellis, Treueris. * * *

Hic vetustissima membrana deficit.

DE DIVISIONE IMPERII FRANCORVM inter heredes LVDOVICI Imperatoris,

AGOBARDI *Archiepiscopi Lugdunensis flebilis Epistola.*

DOMINO LVDOVICO gloriosissimo Imperatori. CVM vnusquisque fidelis omni fideli fidei sinceritatem debeat, dubium non est quòd præcipuè fideli Prælato, cui Respublica ad gubernandum commissa est, fides seruanda sit ab omnibus qui diuinæ dispositioni fideliter subiecti sunt; sicut Apostolus docet: *Omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* quanquam circa nullum infideliter agendum sit. Propter quod & alius Apostolus dicit, *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Et docemur, *orare pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Et in alio loco dicitur, *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed propter conscientiam.* Cùm autem hæc ita sint, & omnes vobis fideles esse debeant; quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit, si videns aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit quantum potest vt vobis indicet, & cognitum faciat: si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium & renum, quia nulla alia extat causa, pro qua hæc scribere præsumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis quæ vobis imminere videntur, & maximè animæ. Nam quantò excellentior substantia est anima corpore, tantò excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus quàm corporis, ita Domino docente in Euangeliis, sicut ipse optimè nosti. Anno itaque præsenti, in attritione & commotione, agitatione & afflictione

Extat inter Agobardi Opera. Tit. c. 3. & Rom. c. 13. 1 Petr. c. 2. 1. Tim. c. 2. Rom. c. 13.

Lvdovicvs Pivs. Terræ, & habitantium in ea, quanta mala increbruerint, nemo hominum est qui A enumerare possit: nulla exigente causa, nulla compellente necessitate, vt ita fieri oporteret certamina, quæ tenemus. quia si voluissetis, tranquillam & quietam vitam ageretis cum filiis vestris, non minus quàm pater, & auus. Adsit omnipotens & misericors Deus, qui habitator est pectoris vestri, adsit etiam patientia vestra, qua ceteros homines præcellitis: vt hæc, quæ suggero, tranquillè audire, & perpendere dignemini. In illo tempore, quando filium vestrum participem nominis vestri facere curastis, ita in publicum vestros interrogando hoc inchoastis, „ dicentes: Quod ad stabilimentum Regni pertinet, & ad robur regiminis, debet „ homo differre, an non? Cúmque omnes respondissent, quod vtile & necessarium est non esse differendum, sed potiùs accelerandum: statim vos quod cum paucissimis tractaueratis omnibus aperuistis, & dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui inserta est mors, vt dum valeretis nomen Imperatoris vni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo volũtatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam iniunxistis, vt facerent omnes ieiunium triduanum, offerrent Sacerdotes sacrificia omnipotenti Deo, qui suauis, & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus inuocantibus se: exiret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior, vt omnipotẽs Deus, qui summa benignitate regit corda in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, & non sineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide & spe, vt B hoc à Deo vobis infusum & inspiratum nemo dubitaret. Ceteris filiis vestris designastis partes Regni vestri, sed vt vnum Regnum esset, non tria, prætulistis eum illis, quem participem nominis vestri fecistis. Ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consortem nominis vestri factum Romam misistis, à summo Pontifice gesta vestra probãda & firmanda. Ac deinde iurare omnes iussistis, vt talem electionem & diuisionem cuncti sequerentur ac seruarent. Quod iuramentum nemini visum est spernendum, aut superfluum, sed potiùs opportunum atque legitimum: eò quòd ad pacem & concordiam pertinere videretur. In processu quoque temporis quotiescumque aut quocumque Imperiales Litteræ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant. Postea verò mutata voluntate, conuulsa sunt statuta, & de Litteris nomen omissum est, & in omnibus contraria attentata sunt: cùm neque per seipsum Deus, neque per Angelum, neque per Prophetam vobis dixerit: *Pænitet me ita constituisse*. Sicût de Saüle dixit Samuëli, *Adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consiliis definitum sit*. Et ecce, sine vlla ratione & consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis: & cuius voluntatem in eligendo quæsistis, non expectato exitu voluntatis eius rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quòd sequendus est Deus, non præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat, quod non est ex fide, dicẽre ipso Domino, Matth. c. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Oro, Domine mi, adsit benignissima pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis, sed potiùs ingredimini sacrarium mentis vestræ C cum Deo, & loquimini cum eo mediante fidei pietate, & inuenietis vos dixisse „ Deo non verbis, sed rebus: Domine, rogauimus & deprecati sumus faciem respe„ctus tui suppliciter, vt tua illuminatione & gubernatione eligeremus participem „ Imperij: sed quia tecum benè non fecimus, sine te melius consilium inuenimus. Absit, absit. Auertat Deus à vobis, vt inspirationem Dei repudietis, & voluntates hominum carnalia tantùm sapientium statuatis, vt in errorem inducamini, & deducamini. Obsecro clementiam vestram, vt secundum à Deo vobis collatam prudentiam perpendatis, quomodo beatus Iacobus Apostolus reprehendat eos, qui propriis animorum motibus proponunt aliquas effecturas sine prospectu diuinæ permissionis, dicens: Iacob. c. 4. *Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit crastinum. Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur*. Pro eo vt dicatis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. &, Cauete ab hominibus qui sequuntur spiritum suum: quia non omnium est fides. Cognouit Dominus qui sunt eius, & quicumque eius sumus, quantulacumque veritatis luce fruimur, & veritate illuminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam felicitatem exoptamus.

A Et idcirco tanta mala, tanta scelera isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, & timemus valdè ne in vos furor Dei concitetur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quem cognouimus semper in assiduitate orationum, in Psalmis & Hymnis, & Canticis spiritalibus cantantem & psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in solicitudine misericordiarum, & omnium bonorum strenuitate. Et ideò, vt dictum est, timendum nobis videtur ne tepescat, ne frigescat: optandum verò vt feruescat, perseuerando vsque in finem, vt salus sempiterna sequatur. Et quia superiùs de legitimo & opportuno iuramento mentio facta est, videtur mihi non celandum Excellentiæ vestræ, quòd multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria & diuersa iuramenta: & non sola murmuratio, sed tristitia, & detractio aduersum vos. quod mihi vsquequaque displicet. Quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur, quod beatus Hieronymus in expositione Hieremiæ dicit in illo loco, vbi Propheta ait: *Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio & iustitia.* Ait ergo prædictus Doctor, simúlque animaduertendum, quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium. LVDOVICVS PIVS.

B

ACTA IMPIAE AC NEFANDAE EXAVCTORATIONIS LVDOVICI PII IMP.

Quæ sequuntur gesta sunt apud Compendium palatium anno DCCCXXXIII. *contra Christianissimum Imperatorem* LVDOVICVM, *postquam Regno ad tempus priuatus est. Acta sunt autem studio non imitandæ defectionis eius ab Hebone auctore eiusdem mali, & ceteris Episcopis vel errore annitentibus, vel timore consentientibus. Non sunt autem hæc vt salubris Concilij decreta amplectenda, sed vt exitialis commenti molimina respuenda.*

OMNIBVS in Christiana Religione constitutis scire conuenit, quale sit ministerium Episcoporum, qualisque vigilantia atque sollicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse vicarios Christi & clauigeros regni cœlorum: quibus à Christo tanta collata est potestas, vt quodcunque ligauerint super terram, sit ligatum & in cœlo, & quodcunque soluerint super terram, sit solutum & in cœlo. Et in quanto sint ipsi periculo constituti, si ouibus Christi pabulum vitæ ministrare neglexerint, & errantes ad viam veritatis arguendo obsecrando reducere pro viribus non studuerint, iuxta illud Propheti- 833.
C cum, *Si non annuntiaueris*, inquit, *iniquo iniquitatem suam, & ipse in impietate sua mortuus fuerit, sanguinem eius de manu tua requiram.* & multa his similia ad magisterium pastorale pertinentia, quæ in diuinis Scripturis sparsim continentur. Quapropter eisdem Pastoribus Christi summoperè studendum est, vt erga errata delinquentium moderationem discretissimam teneant, vt sint iuxta beati Gregorij doctrinam documentum benè agentibus per humilitatem socij, contra delinquentium verò vitia per zelum iustitiæ erecti: quatinus posthabito torpore, aut segnitie, vel humano fauore, aut mundiali timore, sic exerceant ministerium suum, vt & præsentibus salubriter consulant, & futuris sint exemplum salutis. Verùm quia in agro Dei, qui est Ecclesia Christi, noxia quæque instinctu hostis antiqui pullulare non cessant, quæ necesse est vt adhibito surculo pastorali radicitus extirpentur, & propter maleuolos quosque, qui benè acta aut intelligere nolunt, aut maleuola intentione potiùs intelligere, quàm ipsam veritatem delectantur amplecti, oportet eosdem Pastores, vt quandocunque de generali vtilitate, vel publica correctione quippiam in Conuentibus suis decreuerint, id iuxta morem Ecclesiasticum scriptis committant. videlicet vt posteris omnem ambiguitatem & occasionem iustè detrahendi vel reprehendendi penitus amputent. Proindè notum esse necessarium duximus omnibus filiis sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos Episcopi super Imperio domini & gloriosissimi Ezech. 3. 18

LVDOVICVS PIVS.

LOTHARII Imperatoris constituti, anno Incarnationis Domini Iesu Christi A DCCCXXXIII. Indictione XII. anno siquidem eiusdem Principis primo, in mense videlicet Octobri, apud Compendium Palatium generaliter conuenimus, & memoratum Principem humiliter audiuimus, & hoc quidem illi siue optimatibus illius, seu omni generalitati populi quæ vndique illuc confluxerat, manifestare iuxta iniunctum nobis ministerium curauimus: qualis sit vigor & potestas siue ministerium sacerdotale, & quali meretur damnari sententiâ, qui monitis sacerdotalibus obedire noluerit. Deinde tam memorato Principi quàm cuncto eius populo denunciare studuimus, vt Domino deuotissimè placere studerent, & in quibus eum offenderant placare non differrent. Examinata quippe sunt multa, quæ per negligentiam in hoc Imperio contigerunt, quæ ad scandalum Ecclesiæ, & ruinam populi, vel Regni interitum manifestis indiciis pertinebant: quæ necesse erat vt citò corrigerentur, & in futuro omnibus modis vitarentur. Inter cetera etiam commemoratum est à nobis, & omnibus ad memoriam reductum, qualiter Deus Regnum istud per administrationem bonæ memoriæ KAROLI præstantissimi Imperatoris, & per prædecessorum suorum laborem, pacificum & vnitum atque nobiliter dilatatum fuerit, & domino LVDEVVICO Imperatori à Deo ad regendum sub magna pace commissum, Dominóque protegente sub eadem pace, quandiu idem Princeps Deo studuit, & paternis exemplis vti, ac bonorum hominum consiliis acquiescere curauit, conseruatum manserit. Et quomodo in processu temporis, sicut omnibus manifestum erat, per eius inprouidentiam vel negligentiam, in tantam venerit ignominiam & vilitatem, vt non solùm amicis in mœstitiam, sed etiam inimicis venerit in derisionem. Sed quia idem Princeps ministerium sibi commissum negligenter tractauerit, & multa quæ Deo & hominibus displicebant & fecerit & facere compulerit, vel fieri permiserit, & in multis nefandis consiliis Deum irritauerit, & sanctam Ecclesiam scandalizauerit: & vt cetera quæ innumera sunt omittamus, nouissimè omnem populum sibi subiectum ad generalem interitum contraxerit, & ab eo diuino iustóque iudicio subitò Imperialis sit subtracta potestas. Nos tamen memores præceptorum Dei, ministeriíque nostri, atque beneficiorum eius, dignum duximus vt per licentiam memorati Principis Lotharij Legationem ad illum ex auctoritate sacri Conuentus mitteremus, quæ eum de suis reatibus admoneat: quatenus certum consilium suæ salutis caperet, vt quia potestate priuatus erat terrena, iuxta diuinum consilium & Ecclesiasticam auctoritatem, ne suam animam perderet, elaborare in extremis positus totis viribus studeret. Quorum Legatorum consiliis & saluberrimis admonitionibus libenter assensum præbuit, spacium poposcit, diémque constituit, qua de salubribus eorum monitis certum eis responsum redderet. Cùm autem suprascriptus instaret dies, sacer idem Conuentus vnanimiter ad eundem venerabilem virum perrexit, eúmque diligenter de quibus Deum offenderat, & sanctam Ecclesiam scandalizauerat, ac populum sibi commissum perturbauerat, admonere, & cuncta illi ad memoriam reducere curauit. Ille verò eorum salutiferam admonitionem, & dignam congruámque exaggerationem libenter amplectens, promisit se in omnibus illis acquieturum salutari consilio, & subiturum remediale iudicium. Porrò de tanta salubri admonitione hilaris ilicò dilectum filium suum Lotharium Augustum sibi festinato affuturum supplicauit, vt ille ruptis quibuslibet morulis cum suis Primatibus veniret: quatinus primùm inter eos mutua reconciliatio secundum Christianam doctrinam fieret, vt si quid in cordibus eorum næui aut discordiæ inerat, pura humilisque postulatio veniæ expiaret, ac deinde coram omni multitudine iudicium sacerdotale more pœnitentis susciperet. quod & non multò pòst factum est. Veniens igitur idem dominus Lodeuuicus in Basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, vbi Sanctorum corpora requiescunt, Medardi videlicet Confessoris Christi atque Pontificis, necnon Sebastiani præstantissimi Martyris, astantibus Presbyteris, Diaconibus, & non parua multitudine Clericorum, præsente etiam præfato domino Lothario filio eius, eiúsque Proceribus, atque totius populi generalitate, quotquot videlicet intra sui septum eadem continere potuit Ecclesia: & prostratus in terram super cilicium ante sacrosanctum altare, confessus est coram omnibus ministerium sibi commissum satis

A indignè tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse, & Ecclesiam Christi scandalizasse, populúmque per suam negligentiam multifariè in perturbationem induxisse. Et ideo ob tantorum reatuum expiationem publicam & Ecclesiasticam se expetere velle dixit pœnitentiam, quo miserante Domino per eorum ministerium & adiutorium percipere mereretur absolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi ac soluendi intulerat potestatem. Quem etiam iidem Pontifices, vtpote medici spiritales, salubriter admonuerunt, asserentes ei quòd puram & simplicem sequeretur vera remissio peccatorum, vt apertè confiteretur errata sua in quibus maximè se Deum offendisse profitebatur, ne fortè interius aliquid tegeret, aut in conspectu Dei quippiam dolosè ageret, sicut iampridem in Compendio Palatio ab alio sacro Conuentu correptus coram omni Ecclesia eum fecisse omnibus notum erat, ne sicut tunc, ita & nunc per simulationem & calliditatem duplici ad Deum corde accedendo, ad iram potiùs quàm ad veniam suorum peccatorum prouocaret: quoniam Scriptura testante, simulatores & callidi prouocant iram Dei. Verùm post huiusmodi admonitionem professus est se in omnibus iis præcipuè deliquisse, vnde à memoratis Sacerdotibus fuerat familiariter siue verbis siue scriptis admonitus, vt digna increpatione correptus, super quibus cartulam summam reatuum suorum vnde illud specialiter redarguerent continentem ei dederunt, quam ille in manibus gestabat. LVDOVICI PII.

B CAP. I. Videlicet sicut in eadem cartula pleniùs continetur, reatum sacrilegij incurrendo & homicidij, eò quod paternam ammonitionem & terribilem contestationem sub diuina inuocatione ante sacrum altare in præsentia Sacerdotum & maxima populi multitudine sibi factam secundum suam promissionem non conseruauerit, eò quòd fratribus & propinquis violentiam intulerit, & nepotem suum quem ipse liberare potuerat, interficere permiserit, & quòd immemor voti sui signum sanctæ Religionis propter vindictam suæ indignationis fieri postea iusserit.

II. Quòd auctor scandali, & perturbator pacis, ac violator sacramentorum existendo, pactum quod propter pacem & vnanimitatem Imperij Ecclesiæque tranquillitatem communi consilio & consensu cunctorum fidelium suorum fuerat inter filios suos factum, & per sacramentum confirmatum, super illicita potestate, corruperit, & in eo quod fideles suos in contrarietatem eiusdem primi pacti & iuramenti aliud sacramentum iurare compulerit, in periurij reatum præstatorum violatione sacramentorum inciderit; & quantum hoc Deo displicuerit, liquidò claret, quia postea nec ipse nec populus sibi subiectus pacem habere meruit, sed omnes in perturbationem, pœnam peccati sustinendo, iusto Dei iudicio postea inducti sunt.

III. Quia contra Christianam Religionem & contra votum suum sine vlla vtilitate publica aut certa necessitate prauorum consilio delusus in diebus Quadragesimæ expeditionem generalem fieri iussit, & in extremis Imperij sui finibus in Cœna Domini, quando Paschalia sacramenta ab omnibus Christianis ritè sunt celebranda, Placitum generale se habiturum constituit. in qua expeditione quantum in ipso fuit, & populum in magnam murmurationem protraxit, & Sacerdotes Domini à suis officiis contra fas amouit, & pauperibus grauissimam oppressionem irrogauit.

C

IIII. Quòd nonnullis ex suis fidelibus, qui pro eius suorúmque filiorum fidelitate & saluatione, Regníque nutantis recuperatione, humiliter eum adierant, & de insidiis inimicorum sibi præparatis certum reddiderant, violentiam intulerit, & quòd contra omnem legem, diuinam videlicet & humanam, eos & rebus propriis priuauerit, & in exilio tradi iusserit, atque absentes morti adiudicari fecerit, & iudicantes proculdubio ad falsum iudicium induxerit, & Sacerdotibus Domini ac Monachis contra diuinam & canonicam auctoritatem præiudicium irrogauit, & absentes damnauit, & in hoc reatum homicidij incurrendo, diuinarum seu humanarum legum violator extitisset.

V. De diuersis sacramentis sibique contrariis atque perniciosis à filiis, siue à populo eo præcipiente & compellente, irrationabiliter sæpè factis, pro quibus non modicam in populo sibi commisso peccati maculam induxit, reatum periurij nihilominus incurrisse, quoniam hæc proculdubiò in auctorem, per quem facti

LVDOVICVS PIVS. compulsa sunt, iure retorquentur. Sed in mulierum purgatione, in iniustis iudiciis, in falsis testimoniis atque periuriis, quæ eo permittente coram se perpetrata sunt, quantum Deum offenderit ipse nouit. A

VI. De diuersis expeditionibus, quas in Regno sibi commisso non solùm inutiliter, sed etiam noxiè sine consilio & vtilitate fecit, in quibus nimirum multa & innumerabilia sunt in populo Christiano flagitia perpetrata, in homicidiis & periuriis, in sacrilegiis, in adulteriis, in rapinis, in incendiis siue in Ecclesiis Dei siue in aliis diuersis locis factis, in direptionibus & oppressionibus pauperum miserabili & penè apud Christianos inaudito parratu: quæ omnia ad auctorem, sicut præmissum est, reflectuntur.

VII. In diuisionibus Imperij ab eo contra communem pacem & totius Imperij salutem ad libitum suum temerè factis, & in sacramento etiam quod iurare compulit omnem populum, vt contra filios suos sicut contra inimicos suos agerent, cùm ipse eos paterna auctoritate consultúque fidelium suorum pacificare potuisset.

VIII. Quòd non suffecerint ei tot mala & flagitia per suam negligentiam & improuidentiam in Regno sibi commisso perpetrata, quæ enumerari non possent, pro quibus & Regni periclitatio & Regis dehonestatio euidenter prouenerat: Sed insuper ad cumulum miseriarum nouissimè omnem populum suæ potestatis ad communem interitum traxerit, cùm debuisset esse eidem populo dux salutis & pacis, cùm diuina pietas inaudito & inuisibili modo, ac nostris seculis prædicando, populo suo misereri decreuisset. B

Igitur pro his vel in his omnibus quæ supra memorata sunt, reum se coram Deo, & coram Sacerdotibus vel omni populo cum lachrymis confessus, & in cunctis se deliquisse protestatus est, & pœnitentiam publicā expetiit, quatinus Ecclesiæ, quam peccando scandalizauerat, pœnitendo satisfaceret, & sicut fuerat scandalum multa negligendo, ita nimirum se velle professus est esse exemplum dignam pœnitentiam subeundo. Post hanc verò confessionem, cartulam suorum reatuum & confessionis ob futuram memoriam Sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerunt, ac deinde cingulum militiæ deposuit, & super altare collocauit, & habitu seculi se exuens habitum pœnitentis per impositionem manuum Episcoporum suscepit: vt post tantam talémque pœnitentiam nemo vltra ad militiam secularem redeat. His itaque gestis, placuit vt vnusquisque Episcoporum, qualiter hæc res acta fuerit, in propriis cartulis insereret, eámque sua scriptione roboraret, & roboratam memorato Principi Lothario ob memoriam huius facti offerret. Ad extremum omnibus nobis, qui interfuimus, visum est, omnium cartularum, immò tanti negotij summam in vnum breuiter strictimque congerere, & congesta propriis manuum nostrarum subscriptionibus roborare, sicut sequentia factum esse demonstrant.

* * * C

DEVOTIO ET MVNIFICENTIA

Quam LVDOVICVS PIVS erga S. Sebastianum Martyrem exhibuit, cùm in Monasterio S. Medardi Suessionensis à Lothario filio suo detineretur.

Ex Libro Translationis ac Miraculorum eiusdem Sancti, quorum Ms. Codex extat in Bibl. D. Michaëlis Subleti Abbatis Vindocinensis.

Auctore incerto S. Medardi Monacho, sed tamen coætaneo.

CAP. XLIII. PRÆTEREA memorandi Cæsaris CHLVDOVVICI qualis quantáve circa Sanctum deuotio fuerit, largissima operis patefecit executio. Comperto

A namque, diuini numinis præsentiâ per Martyrem Christi incircumscripta inibi patrari miracula, regali exutus purpurâ, calciamentisque tertio ferè lapide rejectis, cum coniuge nudis ad Monasterium, quo iam locatus fuerat, processit planris. Et quia aliquos flagitiosos audierat Imperatrix IVDITH vi quadam inpræfocabili in Conuentu publico crimina sua detexisse, & odij liuore interiùs perustos, palam exteriùs meruendo nimis examine ignibus atrocibus concremari, pro eo quòd priùs quàm loco deuenirent, suorum criminum appetitus dignis confessionum ac pœnitentiæ remediis coercere neglexissent; anxietatis nimiæ procellis elisa, cùm præcognouisset illuc Cæsarem iter disponere, nec se ab eo absque sui rubore dirimi posse, totàm se ad propitiam Redemptoris contulit omnipotentiam. Agénsque cum venerabilibus Sacerdotibus culparum suarum secreti mysterij munus, cum Psalmista orabat, vt abòccultis suis mundari, & ab alienis mereretur absolui. Elemosynarum interea impendiis, ceterorúmque bonorum operum exhibitionibus, per spacium interiecti temporis, quod præscierat, incunctanter operam dedit. Sicque demum religiosæ Maiestati votiua comes effecta, ad sancti Martyris limina præclaris meritis præcipua præparauit. Cúmque Abba reuerentissimus HILDVINVS, & Fratrum cohors tantæ Celsitudini assurgens, festiuo apparatu, vtriusque eorum præ foribus seruans aduentum, veniret, & tandem susceptos ad tumbam Martyris canòris vocibus concre-
B pando deduceret: in humili quo erant habitu solo tenus cum multa nobilium falange, substratis comminus sibi palliis, antequam margines adtingerent altaris, extemplo in faciem ruentes, gemebundas, ac lacrymarum rore madidas preces, militis ipsius merita recolentes, piúmque intercessorem inuocantes, vniuersali Domino protractis suspiriis effudêre. Indè ab oratione surgentes, versu congruo, omnium assistentium voto, eorum commendatur oratio. Igitur aulam tantæ sublimitati prouisam introgressi, Imperialia, & ea quæ tunc cultiora fuêre ornamenta reinduti, & diademate compti, Missarum sollemnia Cæsar consistorium scandens in honore Martyris fecit decantari. Qui, cùm ad Euangelium ventum est, calicem aureum cum patena patris sui Magni KAROLI monogrammate insignita manibus propriis inter legendum ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione sacranda eidem dicauit. Post expletionem quoque celebrem ad vestigia eius cum coniuge accessit. Vbi eùm sese prolixa oratione Deo per Sanctum commendauissent, complexiua & omni æuo reminiscenda deuotione, singillatim à stemmate vsque subuculam cultu regali exuti, vterque Martyri inibi reposuêre. Textum deinceps sacrorum Euangeliorum aureis caracteribus exaratum, laminisque metalli eiusdem absque admixtione cuiusque materiei inclusum, timiamateriúmque XL. & VIII. syclorum eiusdem speciei, & vastam olei amphoram ad luminaria concinnanda mente promptissima obtulit. Monetam
C etiam publicam, cum incudibus, & trapezeta perpetuo famulatu, sacris ipsius deseruitura subdidit. Abbatiam quoque prothomartyris Stephani Cauciaeum, quæ septingentarum familiarum esse perhibetur, ad Templi fabricam spaciandam dedit, & Præcepto regiæ auctoritatis, ne à quolibet temerariè abriperetur, cum obtestatione, & anathematis innodatione, anuli sui impressione signato roborauit. Quod eùm sæpiùs Monasterium inuiseret, tanta deuotioni pristinæ postmodum incrementa adiecit, vt cùm quadam die ad sanctæ Sophiæ Capellam, quæ Palatio inhærebat, oraturus procederet, ad limen substiterit, eámque à foris intuitus, optatiuum illud Dauidis, quo in construendo Domini tabernaculo anhelabat, baculo flauentis auri innixus; decantauerit, dicens: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Mirum dictu! veluti assistentis Martyris hæc essent auribus data, ipsius eiusdem Solis vesperi prodiêre magnifica triumphatoris egregij signorum trophea. Nam decem & octo sexus vtriusque sanatorum curationes, præsens sub eadem nocte, priusquam cubitum pergere disposuerit, cernere promeruit. Contuebatur itaque istorum glaucomina, fugatis tenebris iubare rutilantis luminis splendentia, aliorum vncas manus, & arentia brachia laxa, suras eneruès, & vestigia retorta, vigore magis datò quàm reddito, directiùs protensa. Quorumdam aures sanguine fluentes, quas surditas diutina damnauerat, nunc lenis & tenuis sonus approbabat valdè perspicua. Pessimum in quodam, sed deuictum & exclusum potenter sinistrum spiritum,

LVDOVICVS PIVS. lepræ maculas abolitas, furentium insipientes citè demutatas mentes. His ad votum fruitus Cęsar, nullo incredulitatis errore eius pectore mouente, amotis supremi & incomparabilis affectum erga Martyrem sanctum sollicitè in posterum, se deuouet conseruaturum. Inenarrabiles gemitus & suspiria fletuum nimbis respersa multiplicans, eum, velúti carne præsentem cerneret, excolebat, venerabatur, deprecabatur. Et quia sine hæsitatione quod expostulabat donari ab eo sibi posse credidit, voti compos effectus id ipsum adeptus est salubriter. Quid autem fuerit, quod ita eum rogasse præmisimus, series subsequens, immò idem in serie, secretissimum suum enarrat sacramentum. A

Inscriptio haec desumpta est ex autographo, quod extat in Bibl. D. Al. Petauij.

CONQVESTIO DOMNI CHLVDOVVICI IMPERATORIS ET AVGVSTI PIISSIMI,

De crudelitate & defectione, & fidei ruptione Militum suorum, & horrendo scelere filiorum suorum, in sui deiectione & depositione patrato.

Ex eodem Codice Miraculorum S. Sebastiani. B

XLIIII. FRACTVS robusti olim brachij vires ego CHLVDOVVICVS Cęsar Imperator Augustus, Dei dispensante gratiâ Orbi Romano imperans, cùm latè in populos iuris habenas immoderatiùs relaxauissem, indulgentiâ nostra quidam dissoluti, impugnando pietatem, in infidelitatum prorupêre crudelitatem. Quod malum eò vsque incanduit, vt ipsos quoque prædulces natos meos in me sæuire compulerint, & secum de nece sui genitoris tractare fecerint. Ad locum sic fortè venitur, qui ex euentu ruptæ fidei, pacis, & sacramentorum, Mentitus-Campus extunc appellatur. Hic me omnis penè meorum Militum manus deserens, eo vt retuli perduellio filios meos horrendum facinus inuoluit, & præfices sceleris esse delegit: insonti mihi multa morti obnoxia imputantes. A nunquam læsis multipliciter læsus & delusus, nefandorum actuum meorum non immemor, æquissimo Dei iudicio hæc me dignè perpeti comminiscens, casus æquanimitèr ferebam. Suessionis ciuitate deinde inimica cohorte vallatus, ad Sanctorum dominorum meorum Medardi & Sebastiani Cœnobium perductus sum. Et quia sciebant me illum locum diligere plurimum, consiliabantur mihi me fortuitu post desperationem spontè arma positurum. Quo cùm me publica custodiâ arctauissent, quatenus quod callidè tractauerant opere consummarent, quosdam submiserunt qui vxorem meam in Monasterium Virginum Sanctimonialem factam, vel (quod verius) audissent mortuam, mihi nunciarent. Filium quoque meum paruulum & innocentem KAROLVM, bonæ indolis puerulum, quem nouerant præ omnibus mihi amantissimum, adtonsum, & Monachorum firmarent cœtui addictum. Quod ego audiens, & me continere non valens, (quippe qui Regni decore spoliatus, coniuge priuatus, filióque essem orbatus) diebus non paucis eiulans, nullo consolatore fruitus: languoris violentissimi paulatim me persentiebam tristitiæ magnitudine æstibus aduri. Et quia præter Deum consolatorem neminem habere poteram, quoniam quidem aditus & colloquium negabatur omnibus, ad Ecclesiam verò tantùm & ad Fratres raro via, & ipsa cum summa prospectione custodum patebat; insedit animo illuc ire. Quò cùm deuenissem, omnium vestigiis prouolutus, morbi quo afficiebar plagam medicis sapientibus retuli*. Quibus, vt aliquantum leuaminis apud propitios dominos obtinerent, supplicaui: & vt pro requie coniugis, quam exemptam vitâ arbitrabar, Missas celebrarent, & attentiùs orarent, venerabilem religiositatem eorum obnixè efflagitaui. Qui afflictionibus & miseriis meis prudenter compassi, per merita & interuentum Sanctorum, quibus deseruiebant, veluti futurorum præscij, proximam polliciti sunt ab omnipotente mihi adfuturam medelam, si tamen fidei sacramentis animum accommodarem. Sic ab eis benè confortatus, post orationem ab illis deductus, noctis ergastuli antris ita demum sum restitutus. Sequente C

* *expostulat.*

noctis

A noctis vmbra, cogitatu sedulo lucicomum desiderabam cernere sidus. Ingressúsque sanctæ Trinitatis vicinum carceris Oratorium, post matutinalem expletionem solus inibi pernoctans, cùm per fenestram intuitum extrà dirigerem, quendam custodum vltra vires, immeritò tamen, mihi infestum *, sub imbriee comminus video iacentem: & ne vel per modicum maceriei foramen elaberer, ipso statu seruare cupientem. Quem somno & mero sopitum deprehendens, inter alta cordis suspiria ridiculum mihi omen melius aspectans oboritur. Enimuerò eùm ita diffusum solo tenus, & eius ensem frequenti ceruicalis, super quo fuerat expositus, repulsu viderem penes fundamina Basilicæ impexum, scalam concitè, quæ ad accendendas faros angulo fuerat reposita, funiculum otio torpentem super à laquearibus solui. Communísque hastas, quibus vexilla tempore Letaniarum ferenda aptantur, conspiciens, vni earum funiculum eum laqueo subnexui, pérque eandem fenestram ieci. Hac comprehensum arte mucronem sustuli, inque altas & squallentes feci iactari latrinas. Vocatóque eius nomine, aio ad eum: O cũstos peruigil, tuorum spes fidissima, vigilásne? Ad hæc ille: Vigilo, & benè vigilo. Cui iterum ego: Et quid struis? Et ille: Quid de his, inquit, tibi? Rursus ego: Si tibi fortè repentina necessitas occurreret, forsitan gladius manu abesset. Illo verò ad caput brachia conuertente, & eum hic illicque quæritante: Si me, dixi, sic custodisses, hodie nequaquam me hîc habuisses. Ille autem, Quicquid, inquit, sit, quod de B mucrone actum est, satis superque te vt iussus sum seruaui, & seruare curabo. At ego: Vade ergo, & pro munere fidelitatis huius, & vigiliarum tuarum, illo in loco, competenti sanè armamentario, quem turpiter amisisti tecollige mucronem. Eadem ipsa die, quidam Fratrum explorantes totius causæ veritatis tenorem, per Harduinum, qui cotidiano ministerio ante me Missas psallere cõsueuerat, scripto miserunt. Cúmque de more ei oblationes Deo mactandas, maximè pro coniugis meæ absolutione, quam humanis exemptam rebus credebam, offerrem: ille meam cautiùs stringens manum, Secus altare est, dixit. Post consummatam hostiam, omnes cùm foras egressi fuissent, substiti solus, & sacello protectam colligens totulam, viuere vxorem, & nihil in filium meum sinistri operatum cognoui: & per plures iam pœniteri quòd taliter fidem ruperint, & à me discesserint, ferocibúsque animis certatim restitutionem Regni moliri. Quod, Deo fauēte, résque in melius per obtentum Sanctorum suorum transfundente *, ad perfectum deduxêre. Verùm quanquam augustiùs Regni recuperato fastigio pristinæ dignitatis perfruerer gloriâ, meorum artamen non immemor votorum, ac precationum, quibus excellentissimum Martyrem Sebastianum rogaueram, & me incunctanter acceptu- rum credebam: insurgente rursus perduellio, cùm passim Regni quietudo propugnaretur, & pacis tranquillitas confunderetur, pro his Sanctum supplicaturus ad prædictum accessi locum. Et quia sæpenumerò in huiuscemodi priuatis seu publicis eius præpotens auxilium fueram expertus, super his quoque solitum quo C impartiri dignaretur precabar enixiùs. Proxima ruente nocte, illud quod ante dies rogaueram nocturno visu accipio, euidentissimis indiciis ab eo cœlitus, vt reor, mihi condonatum. Et cùm ingruentium cladium ruina nulla pateretur ratione optatas inibi duplicare moras, hinc digressus, discrimini me pro commissis à Deo populis temptabam impẽdere, & certamini si res exegisset viriliter exhibere. Hinc me proficiscẽtem Præpositus huius almi Collegij Teutherus nomine prosecutus, nostri comes efficiebatur itineris. Cúmque penes me equitaret, & procul à sancto loco diuelleremur, caput retorquens, & in eundem, proh dolor! vltimum aspectũ cohuertens, in timidi cordis mœrore turbatus, superexcrescentes profundæ mœstitiæ fluctus inhibere vltrà non valui. Tristis & mœrens amaras fundere lacrimas, lethaliter conclusus, quid agendum mihi potiùs foret, valde suspensus: votum Sancto deuoueram, cuius operandi diem præfixum videbã. Vitæ ab eo finem perceperam, cuius me transgredi metas non licere sciebam. Deniq; commissum mihi regendi Christianum à Deo Imperium, haud ignorabam, cuiúsque adeò eùm omnem labefactari Orbem considerarem, & vicinam desolationem quam præscieram formidarem, reum me super hoc inueniri, próque hoc æternis supplicils damnari ab illo metuebam, qui vniuersorum auctor extaret, & Dominus Iudéxque venturus vnicuique secundum opera esset redditurus. Ille taliter me tristari conspiciens, diutiùs quidem consultum tenuit. Erat enim vir in omnibus fidelissi-

Ludovicus Pius.

* infensum

* commutante, Hucvsque D. Petauij Antigraphum.

LVDOVICVS PIVS. mus. Et cùm iam vberrimũ meorum fletuum imbrem ferre nequiret, ipse quoque ex hoc permotus in lacrymas ruit. Quid, inquit, optime Cęsar, tibi & tuis grauiter » destitutis hæc prodesse poterunt? Per te consolabantur vniuersi. Hilaritas tua, si » mœstis parcebat, dolorem omnem euacuabat. Noli, Domine & gloriosissime Impe- » rator, noli hoc seruis tuis, lethalis tristitiæ vulnus, in te, cui summa semper iocũdi- » tas, vultus serenissimi obnubilationem talem obstentare. Hoc tuorum Militum » corda brachiáque dissoluentur, hostium vires robora concipiẽt. Singulare id dun- » taxat tuis debet esse secretum, quod ita tui pectoris turbare potuit lætissimũ sem- » pérque quietissimum statum. His fortasse, si fideliter tibi compassi fuerint, dabi- » tur, vt consolationis remedia valeant reperire. Et si secus fieri nequibit, leuiùs de- » inceps, eùm huius rei plures cœperint effici participes, feres. Tum ego quæ fideli noueram persuasione edita, consolatoris mei verbą suscipiens, ei causam reddidi, & quid lateret corde detexi protinus ore. Sanctum illum locum me amauisse plurimum dixi, quem me non vltra videre sancti Martyris agnoueram reuelatione, Votum insuper vouisse, cuius effectum prohibuisset fluctuatio conlati Imperij. Et nisi formidini ab hostibus imputaretur, aut eius, quod supra modum pertimescendum erat, ab Omnipotente ruina exigeretur: arma, purpuram, & stemmata quamlibentissimè ibidem deponere voluisse. Inde ab eo cùm salubrius consilium expetij dari, tale perecepi. Bonum, inquit, votum tuum, gloriosissime Cæsar: sed sicut » docet beatus Gregorius, Deo nihil bona voluntate ditius. Magnum quidem est » quod optas, renunciare seculo, & omnibus quæ possides. Siquidẽ per hoc Christi » imitator esse posses. Verùm multorum salus à quibus perficitur, multiplicia in sin- » gulis præmia pollicetur. Illud tibi, istud omnibus consulit. Magnum illud, sed ma- » ximum est istud. Hoc si non potest operari voluntas, in isto poterit remunerari. » Denique in Deo id fuit mirabile magis, quòd dignatus est mori pro seruis. Carita- » tis augmentum maius idem ipse commendauit esse, si quis pro fratre non dubitas- » set animam ponere. Fecit quod docuit, pro nobis animam posuit. Pertulit Domi- » nus mortem, vt seruus reciperet dignitatem: non necessitati succumbens, sed » plasmati suo ineffabiliter subueniens. Quod sequamur exemplum in se se osten- » dit, & danti operam palmam victoriæ promisit, & permanens præmium reposuit. » Quia ergo gregem suum regimini vestro commisit, pro eo, si necesse sit, vsque ad » mortem decertandum vobis insigne erit, atque laudabile. His luculenter à prædicto viro instructus, & fortiter in agendum animatus, me iterum iterúmque sanctitati illius & Fratrum attentiùs commendans, tametsi non vt antè tristis, non tamen adeò discedere hinc præualui lætus. Quippe qui quos dilexeram vnicè, supremum me sciebam transmittere vale.

XLV. IGITVR cùm hæc Fratribus ætatis & religionis merito primoribus relata fuissent, Martyrem sanctum vnanimiter exorandum constituerunt: quatinus eius oracula, si quomodo fieri posset, eorum in salutem verterentur in alia. Quod cùm sollicitè peractum sit, digni attamen nullatenus super hoc auditi fuêre: quoniam quidem hac prædestinationis nunquam immutandæ constitit Dei. Nam eodem itinere contra filium legitimum & omonymum ducens exercitum, in quadam insula Rheni vitâ corporali functus, perennem, vt reor, cum Sancto, quem incomparabili fuerat amore complexus, eius meritorum obtentu est adeptus. Cuius exuuiæ Mettis in Basilica sancti Arnulphi, à quo genus duxerat, celebratæ, tam opum preciosarum, quámque fiscorum regalium ditatione sunt insigniter commendatæ. Et quoniam, vt eo manifestante cognouimus, votum explere renuit, nec totiens præoptatum sepulturæ locum in fundo Martyris habere promeruit.

VERSVS VVALAFRIDI STRABONIS
ABBATIS AVGIENSIS,

Ad Ruadbernum Laicum.

Ex Lib. vi. Antiq. Lect. Canisii.

EX quo fama tui celebrem mihi nominis auram
Attulit, & fides robur, rerúmque tuarum

A Cognoui seriem, magno te pronus amore
Amplectens, iugi mecum venerabar honore.
Et quia quæsitum merui cognoscere tandem,
Creuit auit, quantò propiùs pia notio creuit.
Quis numerabit enim, quantos persæpè labores
Sustuleris? quantisque tuam RODBERNE periclis
Credideris vitam, dominorum damna gemendo?
Dum fraus sæua pium premeret sibi noxia Regem,
Reginámque humilem Ligurum clausisset in vrbem,
In manibus posuisti animam, nec grande putabas
Exitium, casúsque tui discrimina, si quem
Moliri posses iuris pro patre vigorem.
Quando horum cauta mecum sub mente recordor,
Miror, & in lacrimas commoto pectore soluor:
Et quantum accipio, Domini solatia vires
Has tribuisse tibi certo pro munere credo.
Heu! quibus insidiis artissima septa viarum
Alpibus in mediis sollers custodia cinxit?
Quanta per ingentes fluuiorum angustia cursus
Terruit, & quotiens trepidum tenuêre latebræ?
B Pauperies pressit, præsens motus, omnia dura.
Nullum tempus erat securo munere plenum.
Nox obscura diem, noctem lux ipsa timebat.
Nulla domo campóve quies, timor vndique pulsans.
Sola fides rectique sibi mens conscia tantum
Suasit opus, docuitque aliquam sperare salutem.
Cetera sed nimio terrore pericla furenti
Sæuitiæ cessere hominum; qua sæpe coactus
Commutasti habitum, famulíque vice apta per artem
Seruitia explesti supplex, & mille gerebas
Ingeniis quòd præcipua virtute nequires.
Sed mens plena fide, nullo defessa labore
Non ante assumptum, qnia vim formidinis vnus
Deseruit, requiémve habuit, quàm prima potentum
Corda per Hesperiam scriptis verbóque coegit
Sacrilegum genuisse nefas. His deinde peractum est
Consiliis, vt fessa diu & compressa malorum
Ponderibus Regina, feris educta tenebris,
Non sine honore foret. Tandémque occultus, & arte
Vsus adumbrata, venisti, & dulcia coram
C Suscipiens mandata, pio celer ipse libénsque
Cęsari, & adiunctis portasti primus amicis.
Nec minus illud iter recidiuo horrore molestum,
Insidiisque dolisque tibi fuit vndique plenum,
Cumanum quando arta lacum custodia nisa est
Præclusisse tibi. Domini sed dextra secundos
Immittens ventos inimico à littore vexit.
Rursus in aëriis niuium vis Alpibus altas
Fecit habere moras, requiei inamabile tempus.
Has quoque decutiens studiis iniuncta benignis
Nuntia sollicito retulisti ex ordine Regi.
His tibi pro causis, & tam felicibus, inquam,
Ausibus ille redux Rex, & Regina soluta,
Et cuncti pariter plena pietate fideles,
Altiùs ascribent laudes, & nomen honestum.
Insuper Omnipotens, statuit qui iura fidémque,
Qui dominos famulósque vna radice creatos
Non æqua ditione facit, sed amore & honore

LVDOVICVS PIVS.

Concordare sibi, reddet tibi præmia vera A
Haud dubiæ fidei, quæ non cum laude volantis
Temporis intereant, sed in omnia secla redundent,
Hæc ætate quidem inualida dum tempora nondum
Pube sua teneris florerent tincta sub annis,
Æmula paupertas, dum grandia facta vetaret
In probitate sua, temet potuisse volentem
Miramur, quæ posse dedit Deus ordine certo.
Ergo quis in reliquum de te dubitare sineret,
Quantum pro dominis, quantum pro iure fidéque,
Si locus affuerit melior, maiórque facultas,
Desudare velis? qui prima incommoda forti
Sustinuisti animo, rebus non victus amaris.
Spémque metúmque inter dubio discrimine pendens
Ante oculos duro versabas pondere mortem.
Ergo age, fer Domino grates, & munera laudum,
Iustitiámque simul dominorum attende merentum,
Tristia desetere, & rursus in læta redite.
Nam quid erat mœsto tam desperabile Regno,
Quàm sua depositis iterato posse venire
Sceptra, statúmque illos adipisci posse priorem? B
Sed Deus occulti iudex, atque arbiter æquus,
Hos illósque sua iuuit virtute fideles.
Lætare, exulta mecum. Nam gaudeo tecum,
Hoc quia compleri, & completum parte videmus,
Ipse quod optaui, saltimque audire cupiui,
Quódque per ingentem quæsisti tiré laborem.
Felix participem qui se cognoscit honesti
Et consortem operis, quantum sibi conscius ille
Perfidiæ confusa globis per pectora tabet.
Tantum, vel potiùs multò magis, omnia secum
Lætitiæ fomenta habeant, qui fida reseruant
Corda suis dominis, casúsque inuicta per omnes.
Iam videor nimium fortasse loquacibus vsus
Exametris, dum magna meos extendit amores
Materies, breuitétque pudet dixisse quod alto
Sit dignum ingenio, dignúmque poëmate longo.
Dat decies denos vilis tibi denique versus
Strabo, rogans solito vt tecum mediteris amore
Iussa Dei, valeásque simul per secula cuncta. C

NARRATIO CLERICORVM REMENSIVM,

Qualiter Ebbo Remorum Archiepiscopus, quòd in LVDOVICVM PIVM Imp. conspirauerat, ab Episcopis depositus anno DCCCXXXV. & post ipsius Ludouici mortem Sedi suæ restitutus, ac deinde iterum deiectus est.

Ex Ms. Codice Atrebatensi.

DESERENTE omni populo LVDOVICVM Imperatorem, & transeunte ad filium eius LOTHARIVM, EBBO etiam Episcopus inter eos ad eundem se contulit Lotharium. Qui scilicet Lotharius veniens per Imperialia Palatia, adduxit secum patrem suum vsque Suessionis ad Monasterium S. Medardi. Ibíque hortantibus & iubentibus ceteris Episcopis, seu Primoribus Regni, coactus est EBBO, quia in diocesi eius erat, illi imponere publicam pœnitentiam. Vnde nimiam & perpetuam eius incurrit offensam. Inde verò plurima pars Procerum

A ac populi verterunt se iterum ad iam dictum Imperatorem, deserentes eius filium Lotharium, & restituerunt eum in Imperium apud Monasterium S. Dionysij. Morabatur autem tunc temporis Ebbo Episcopus in Monasterio S. Basoli, infra parrochiam Remensem, claudus vtroque pede, & nimia afflictus infirmitate. Timens verò quia nec cum Lothario exire poterat, nec animum Imperatoris aduersum se quicquam emollitum habebat, ne, sicut tali turbine furoris fieri solet, à leuibus & indisciplinatis hominibus, quasi pro fidelitate domni Imperatoris perderetur: iussit se deportari ad quendam fluuium nomine Matronam, qui propius erat, & mitti in nauim, atque Parisius ad quandam deduci Cellulam cuiusdam Reclusi, sperans ibi tutè posse manere, vsque dum aut animum Imperatoris quoquomodo placare potuisset, aut recepta sanitate ire post Lotharium valeret. Audiens verò domnus Imperator eum illuc transfugisse, misit, & iussit eum deduci sub custodia ad VOLDAM Monasterium S. Bonifacij, ibique seruari, & post biennium adduci ad Teotonis-villam in parrochia Mettensi, vbi erat Placitum Imperatoris publicum. Præsentatus autem Concilio Episcoporum, accusatus est ab Imperatore, atque diu nimiis terroribus maceratus, inito tandem consilio cum cæteris Coepiscopis, & fratribus suis, quia Episcopus nec Archiepiscopus suis omnibus bonis expoliatur, sub que custodia tentus, & ab Ecclesia sua sequestratus, in Synodo Apostolica auctoritate non conuocata, neque eius Legatione roborata, damnari nullatenus

LVDOVICVS PIVS.

B iuxta decreta sanctorum Patrum potuisset, nec diutius in talibus torqueretur, & etiam sanus corpore iram maximi Principis quocumque modo declinaret, coactus scripsit libellum hunc: Ego EBBO indignus quondam Episcopus recognoscens fragilitatem meã & pondera peccatorum meorũ, testes & confessores, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Bradaradum Episcopum, necnõ & Modoinum Episcopum, constitui mihi Iudices delictorum meorum, & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, vt recederem ab officio & ministerio Pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens, pro reatibus meis, in quibus me peccasse secretò illis cõfessus sum, eo scilicet modo, vt ipsi sint testes alium succedendi & consecrandi subrogandique in loco meo, qui dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. & vt inde vltra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmaui. Quorum testium vel Confessorum testimonium in successione & in consecratione alterius nullus vnquam requisiuit. cùm etiam vnus eorum, Badaradus scilicet, in restitutione Ebbonis fuerit.

FINITO autem Concilio, reductus est sub arta custodia ad eundem, sancti scilicet Bonefacij, Monasterium. Post aliquantum verò temporis, commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Luxouiensi Episcopo, inde etiam Bosoni C Abbati in Monasterium sancti Benedicti, sub cuius manu exulabat quando dominus Imperator viam totius ingressus est carnis. Defuncto autem Imperatore, reductus est à iamdicto Bosone Abbate ad Lotharium, & obuiauit ei apud Ingelenhaim. Vbi congregata Synodo auctoritate Apostolica & præceptione Lotharij Imperatoris, apud eam restitutus est ab his Episcopis, Drogone Episcopo, Hecti Archiepiscopo, Othgario Archiepiscopo, Dauid Archiepiscopo, Amaluuino Archiepiscopo, Ioseph Archiepiscopo, Andaux Archiepiscopo, Adalulpho Episcopo, Erminio Episcopo, Badarado Episcopo, Aganone Episcopo, Samuel Episcopo, Rodingo Episcopo, Frothario Episcopo, Gisleberto Episcopo, Adone Episcopo, Hramperto Episcopo, Ratulfo vocato Episcopo, Harcarrio vocato Episcopo, Amalrico vocato Episcopo, Bosone Abbate ex Monasterio S. Benedicti, cum aliis quampluribus Abbatibus, Presbyteris, atque Diaconibus. Remissus est autem à iamdicto Imperatore Lothario, seu à præfato Concilio, ad Sedem propriam, Remensem scilicet Ecclesiam. Ad quam veniens VIII. Idus Decembris, receptus est ab Episcopis suffraganeis suis, Rothado Episcopo, Simeone Episcopo, Lupo Episcopo, Erpuino Episcopo, vna cum Legatis omnium aliorum Episcoporum Remensis diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentiã occurrere non valentes, suam tamen per Ecclesiasticos Legatos & excusatorias litteras illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam à Canonicis & Monachis, atque corregionalibus litteris totius diœcesis, cum infinita multitudine

Lvdovici Pii. vtriusque sexus, qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudésque A
Deo intimis ex cordibus & excelsissimis vocibus proclamantes, longè ei ab Ec-
clesia obuiauerunt, & vsque ad Ecclesiam indefinenter psallentes eum perduxe-
runt. Tunc oratione completa, silentióque imposito, ascendit Rothadus Episco-
pus ambonem, ducens secum Ingobertum Monachum, & primò allocutus est
gaudenti plebe de desiderabili reuersione proprij Pastoris, & qualiter restitutus
à sancto Concilio, seu ab Imperatore Lothario, eis remittebatur. Et iussit Ingo-
bertum Monachum alta voce ipsam eius restitutionem legere. Dederunt etiam
præsente omni Ecclesia Legati Episcoporum vnusquisque assensum proprij sui
Episcopi & plebis scriptum. qui omnes Ecclesiæ ab Ingoberto Monacho publi-
* Vitaus cè relecti sunt. Ad vltimum dedit Iutaus * Corepiscopus & Vicarius Theoderici
Episcopi assensum infrà scriptum. Quem idcirco hîc præ ceteris inseruimus, qua-
tinus in eo & res gesta licèt breuiter comprehensa liquidiùs cognosci possit, &
consensus eorum qui præsentes adesse non valuerunt in restitutione eius, mani-
» festiùs intelligi. Dum non habetur incognitum, quod à pluribus videtur esse
» compertum, qualiter Ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum
» diuersis perturbationibus ac discordiis Principum indignatione violenta istis
» temporibus agitata vexatur. Vnde & plurimi Episcoporum à propriis Sedibus ex-
» pulsi, aut timore derelictis gregibus diuersis in partibus exulantur. Inter quos
» etiam Ebbo Archiepiscopus Remensis Ecclesiæ raptus à propria Sede, Princi-
» pum indignatione violenta in exilio ductus est. Vnde & reductus sub custodia, vt B
» periculum imminens euaderet, & furores persequentium mitigaret, redimen-
» do tempus vt meliori se tempori reseruaret, cum consensu Episcoporum Ponti-
» ficali secessit à ministerio, dum inter terrores & discordias ratio non finit immo-
» lare victimas, dicente Domino: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fue-*
» *ris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum*, & cetera. Post-
» quàm verò Deus Ecclesiæ suæ tranquilliora tempora reddidit, placuit Principi-
» bus & Magistratibus Ecclesiasticis, vt isdem Pastor ad debitum ouile reuertere-
» tur, & oues quas, compulsus reliquerat, tuendas idem reciperet. Quibus & Ec-
» clesiasticis debitis negociis, ego Theodericvs Camaracẽsis Episcopus assen-
» sum Canonicis præbens, sicut priùs de illius discessu compatiendo dolui, ita mo-
» dò de ipsius reuersione congaudens, constitutiones has seniorum vel fratrum ro-
» borando subscripsi: quia talia sæpè contigisse & in aliis gestis Ecclesiasticis legi.
His ita peractis, iterum reboantibus signis, & vociferante omni Ecclesia, *Te Deum*
laudamus, ductus est iam sæpè dictus Ebbo Episcopus in vestiarium, & indutus
Episcopalibus vestimentis, similiter etiam alij Episcopi, & processerunt cum eo
ad celebrationem Missæ. Nam Rorhadus Episcopus dextera manu eum susten-
tans, habuit suæ partis Lupum Catalaunensis Ecclesiæ Episcopum, & Hirminfre-
dum Presbyterum, postea verò Beluacensis Ecclesiæ Episcopum. Sinistra autem
manu sustinens eum Simeon Episcopus, similiter suæ partis Erpuinum Episcopũ, C
* Iutaum & Vitaum * Camaracensis Ecclesiæ Corepiscopum. Et sic ad sanctum altare cum
eo procedẽtes, ad propriam Sedem eum deduxerunt, atque cum eo cuncti seden-
tes, in omni Pontificali officio ipsa die ei communicauerunt. Fuerunt autem per
longum spacium eius exulatus ordinati Episcopi eo absente, Simeon Episcopus,
Lupus Episcopus, Erpuinus Episcopus. quod omnimodis sanctissimis prohibetur
Canonibus. Qui completa cum omni gaudio & lætitia consecratione & solemni-
tate sacrificij, præsente omni Ecclesia deprecati sunt eum, vt ipsius auctoritate co-
rum statueretur ac roboraretur ordinatio. Qui benignissimè eorum preces obau-
diens, dedit eis publicè coram sacrosancto altari anulos & baculos suæ auctorita-
tis in confirmatione eorum ordinarionis, & allocutus est de eis omni Ecclesiæ, vt
scirent vniuersi se in caritate, quæ ex Deo est, eorum ordinationi consentire, abs-
que subsistere.

Postea verò accipiens auxilium & Legationem iam sæpè fati Lotharij Impe-
ratoris, ad limina beatorum perrexit Apostolorum, non satis habens in restitutio-
ne sua sine Apostolicæ Sedis auctoritate, consensu tantorum Episcoporum, &
aliorum bonorum hominum. Vbi à piissimo ac spiritali patre Gregorio, domno
videlicet Apostolico, benignissimè est receptus, & Apostolica auctoritate plenissi-
mè restitutus, sicuti penes nos habemus. Postremum deniq; functos pacificè plus

A quàm biennio omnibus Episcopalibus officiis, vocauit nos iam sæpè fata mater Remensis Ecclesia ad gradus Ecclesiasticos, ad quos, Deus nouit, non importunè nos gessimus, sed electione ministrorum Ecclesiæ, Magistrorúmque nostrorum acclamatione, etiam atque oblatione totius Ecclesiæ delati sumus. Post hæc verò diuidentes inter se Regna paterna, LOTHARIVS Imperator ac dominus noster KAROLVS gloriosissimus Rex, deuenit iam sæpè dicta mater nostra Remensis Ecclesia in partem & ditionem gloriosissimi Regis Karoli, cum quo erat gratissimus ac potentissimus FVLCHO Abbas, qui ipsam Ecclesiam domni Ludouici Imperatoris antea Presbyter obtinuerat, & gratiâ eiusdem Regis, cum quo erat, iterum adeptus est eam. Cuius impetum atque furorem metuens iam sæpè dictus Ebbo Episcopus, quippe qui nedum cum eodem Rege pacificatus erat, cum Lothario, cui primitus adhæserat, remanendo, secessit, & cum eo moratus, timens quia nullatenus suam adipisci posset pacificè Sedem, Apostolicâ auctoritate & consensu Episcoporum, dono etiam Ludouici Regis Germaniæ, adeptus est pro tempore ipse vacans vacantem Sedem Hiltinesheim, adspirans semper ad propriam Sedem. Quam siquidem à domno Karolo Rege, licèt validâ pedũ infirmitate grauaretur, repetisse multorum testimonio comprobatur. Vnde necessitate compulsus, ad prædictam Sedem Hiltinesheim reuertens, secundum B restitutionem Apostolicæ Sedis Episcopali officio functus vsque in finem vitæ immutabiliter fuisse conuincitur. Vbi inter cetera multa bona, diuersas etiam fecit ordinationes, quæ absque vlla vmquam reprehensione ab omnibus Deo amabilibus gaudentet amplexantur.

INTEREA verò vnusquisque nostrũm in suo ordine pacificè ministrauit, atque cum omnibus ad eandem matrem Ecclesiam confluentibus, tam Episcopis quàm etiam Regibus, atque cunctis potentibus, communicauit: donec iam supradictus KAROLVS Rex eandem Ecclesiam longo pòst tempore reuerendo viro HINCMARO gubernandam commisit. Qui statim post ordinationem suam nobis infestus ministrare prohibuit. Cui cùm humiliter culpam nostram abiectionis quærendo interrogassemus, nullam nobis culpam obicere voluit, sed tamen à propriis officiis cessare præcepit. Qui autem ab Ecclesia Remensi ex nobis recedere pro hac eadem interdictione noluerunt, absque vlla contradictione postea semper ministrauerunt. Vnde quanta iurgia & contentiones inter eum & nostrum ordinatorem iam sæpissimè dictum Ebbonem extiterint, longum est literis comprehendere, quia quod expetierat consequi nequiuit. Obtinuit enim tandem apud piissimum LEONEM Papam, vt daret ei Iudices suæ vicissitudinis, Drogonem Episcopum, Otgarium Archiepiscopum, Hetti Archiepiscopum, & Gunbaldum Archiepiscopum. Vnde & litteris iam dicto Hincmaro mittens præcepit, vt eis suam vicissitudinem habentibus ad causas reddendas contra Ebbonem se Treueris præsentaret. Quod minimè, variis interuenientibus occasionibus, ad C effectum peruenit. Ista quæ inter hæc duo signa habentur, ab ipso Monacho & ab his qui interfuerunt audiuimus. nos tamen ipsi non vidimus. † Similiter etiam « vt fertur, sicut audiuimus quando pallium ab Apostolicâ auctoritate isdem « Hincmarus petiit, non antea impetrare potuit, quàm ab Ermenardo quodam « Orbacensi Monacho eidem sanctæ Romanæ Sedi sacramento firmatum est, Ebbonem iam seculo decessisse; cùm adhuc, licèt senectute & variis infirmitatibus « grauatus, superstes tamen, sedem Hiltinesheim pacificè regeret ac gubernaret. « Sed tamen in ipsis Apostolicæ auctoritatis litteris, quibus eidem Hincmaro vsus « pallij concessus est, cautè, vt in scriniis sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ inueniri « potest, insertum legitur: Concedimus tibi vsum pallij, salua tamen contentione, « quæ inter te & Ebbonem habetur. † Ad quã contentionis litem finiendam, nullo Imperio, nulla vmquam auctoritatis præceptione isdem Ebbo peruenire meruit. Illis autem ita contendentibus, nos semper humiliter & pacificè nostram sustinendo portauimus ignominiosam deiectionem.

DEFVNCTO autem iamdicto ordinatore nostro mense Martio, statim obtinuit dominus noster Hincmarus apud Karolum Regem, vt conuocaret Synodum Suessionis apud Monasterium S. Medardi, & iussit nos ferè tunc temporis XIV. numero Presbyteros & Diaconos illuc ire, promittens se de nobis misericorditer tractaturum. Qui renuentes, & humiliter deprecantes, ne nos illuc ad maiorem

LVDOVICVS PIVS. nostram confusionem ire faceret & deiectionem, non audiuit, sed potiùs Magistris nostris præcepit, vt omnimodis nos illuc ire facerent. quod & fecerunt. Venientes autem illuc, præcepit nobis dare libellum proclamationis. quod minimè volebamus. Scientes iam ex parte, sicut & postea manifestiùs cognouimus, quid de nobis tractabatur. Tamen licèt coacti, dedimus ceteri, excepto vno, qui, priusquam Ebbo remoueretur, literis Canonicis traditus est Liutado Vincensensi Episcopo, & postea licentiâ & deprecatione ipsius nobiscum ordinatus. Ipse enim erat cum Karolo Rege, & nullatenus ad Synodum venit. quippe cuius proprius Episcopus ibi non erat. Sed nec ipse, sicuti & nos, ad Synodum canonicè vocatus aduenerat. Ideóque suum nomen illuc scriptum non misit, licèt dicatur sese ipsisse in libello à nobis volenti præceptione subscripto, & per Sigloardum, & Leutonem, atque Isaac, illuc transmisisse. quod minimè fecit. Dato autem libello, surgens dominus noster Hincmarus Archiepiscopus elegit sibi Iudices, VVenilonem Archiepiscopum, Amalricum Archiepiscopum, Pardulum quoque Episcopum suum Suffraganeum, commendans ei etiam locum suum. Iussit autem nos eligere, qui iam ab ipso solo, si fas est dicere, non canonicè excommunicati eramus. Manentes autem in hac maxima tribulatione, timentes quòd si non eligeremus, superbiæ & arrogantiæ deputaretur; si autem eligeremus, nullatenus nobis profuturum sciebamus, cùm omnia violenter nobis extorquebantur, quia scilicet nos proloqui nequaquam cedebat, vel condemnationis præiudicium, vel euocatio non legalis ad Synodum. Iudices etiam, qui erant nobis eligendi, quoniam non interposita temporis dilatione, verùm subitæ necessitudinis interpellatione essent eligendi; cùm secundum legum constituta per temporis spacium eligi Iudices debeant, vt possint diligenter edoceri quibus de rebus sint iudicaturi.

DE CONSTRVCTIONE MONASTERII NOVÆ CORBEIÆ IN SAXONIA,

Quæ cum imperio ac voluntate LVDOVICI Pij Imp. facta est,

Libellus antiqui Scriptoris.

POST Saluatoris nostri Iesu Christi passionem & resurrectionem, post triumphos Apostolorum, ac memorias Martyrum, tandem ipse Rex Regum, & Dominus virtutum, superatis pacis inimicis, pacem Ecclesiæ suæ restituit, adeò vt ipsi Reges ad tumulos Martyrum prostrati adorent, & gloriosiùs in frontibus suis crucem Christi, quàm diadema Regium portare se gaudeant, simúlque pro fide atque statu Ecclesiæ decertare contendant: honore quoque maximo eorum, quos antecessores sui trucidarant, sepulchra ambiant. Quæ victoria Christi cùm primùm apud Romanos tripudiaret, Longobardorum gentem penetrauit, atque in Francia gloriosiùs triumphare cœpit: Hispanos adiit, Britannos conclusit, Anglorum gentem subegit: &, licet compulsi, ipsi Saxones, qui Anglorum socij fuerant, deuotâ mente colla submittunt. Laus igitur soli Christo, & gloria inenarrabilis, qui nomen suum vsque in terminos vniuersæ terræ notum fieri voluit. Qualiter denique Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis conuerti potuerint, breuiter in sequenti annectere huic Opusculo curaui.

Eo igitur tempore, quo gloriosus Rex Pipinus Francorum regebat Imperium, fuit vir venerabilis FVLRADVS nomine, qui Monasterium beatissimi Martyris Dionysij ad regendum sanctorum cœtum Monachorum susceperat. Hic cùm magno desiderio æstuaret, qualiter beatissimis Martyribus honorem debitum impendere potuisset, non est contentus eorum corpora sola amplecti, quibus sedulum exhibebat officium: sed præfatum Principem adiit, periuitque vt eum Romam ire permitteret, quatenus inde Sanctorum corpora ad præfatum Monasterium aliqua, sicut cupidus erat, transferre potuisset. Quod Princeps piissimus libenter accipiens, non solùm licentiam dedit, sed & gratias pro tali desiderio

A retulit. At verò venerabilis Abba strenuos ac deuotos sibi adiutores & socios ad hoc opus peragendum quærebar. Erat interea vir laïcus, sed deuotus, eiusdem Abbatis consanguineus, qui multam habens hereditatem ac familiam, filium non habebat. Vnde cogitare cœpit quomodo hereditatem suam Domino dicaret. Audiens verò iam dicti Abbatis desiderium, petiuit ab eo, vt secum eum ire permittat. Cui cùm præfatus vir omne desiderium suum aperuisset, diuina comitante gratiâ tale repererunt consilium, vt corpusculum beatissimi pueri ac sacratissimi Martyris Viti à loco, quo positum erat, tolleret, atque in prædio suo diligentissimè poneret: Ecclesiam quoque eius nomini fabricaret. quæ donante sibi Domino omnia compleuit. Quo in loco, diuina largiente clementiâ, per beati Viti Martyris merita multæ hactenus ostenduntur virtutes atque signa. Præfatus verò Abba transtulit corpora beatorum Martyrum Alexandri, & Ipolyti. Post hæc cùm viri deuotissimi, qui in præfato Monasterio degebant, beati Viti reliquias apud præfatum virum esse didicissent, & qualiter pro Christi nomine sanguinem fudisset, in eius passione perlegissent; totius viribus hoc agere decreuerunt, vt cum reliquorum Martyrum reliquiis in Basilica S. Dionysij ponerentur. Sed ille, qui eas transtulerat, omnem hereditatem suam, séque cum ipsis reliquiis sancto Dionysio tradi promittens, tandem obtinuit vt in loco, quo posita erant, eas manere permitterent. Mansit autem in eodem loco corpus beatissimi Martyris vsque ad annum XXIII. piissimi Imperatoris LVDOVICI, & octingentesimum tricesimum sextum Incarnationis Dominicæ. LVDOVICI PIVS.

B SED priusquam ad hoc qualiter corpus sancti Martyris partibus Saxoniæ translatum sit, & qualiter virtutes per eum Dominus in ipso itinere ostendere dignatus est, verba vertamus; dignum duximus, vt de eius Monasterij constructione, vbi ad præsens quiescere videtur, aliquid breuiter dicamus. Post obitum namque nobilissimi Regis Pippini, KAROLVS filius eius Regnum obtinuit Francorum vniuersum. Cui Dominus tantam contulit virtutem, atque potentiam, vt non solùm Francorum Regnum strenuè gubernaret, sed etiam multas barbarorum gentes circumquaque subiugaret. Vnde factum est, vt gentem Saxonicam, quæ olim contra Francos rebellabat, non solùm suo dominio subegisset, sed & mellifluo Christi nomini dicare meruisset. Nam & hunc ideo præ omnibus Christianis Regibus potentissimum in bellis fuisse credimus, quia quos suo dominio subiugabat, Christi nomini dedicabat. Quum autem requiem præstitisset ei Dominus à compluribus inimicis suis, conuocauit omnes qui sub ditione sua erant, maiores, Sacerdotes, & Principes: atque studiosissimè quæsiuit, quomodo veram fidem, verámque Religionem in vniuerso Regno suo firmaret. Quæsiuit etiam nihilominus Sacerdotes bonæ spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipsos secundum Ecclesiasticam fidem docerent, domos Episcoporum atque Ecclesias constituerunt. Sed cùm omnem Ordinem Ecclesiasticum in illa regione tradidisset,

C qualiter ibidem Monasticam Religionem instituere potuisset, inuenire nequiuit: in tantùm quòd illius gentis homines, quos obsides & captiuos tempore conflictionis adduxerat, per Monasteria Francorum distribuit, legem quoque sanctam atque monasticam institui præcepit. Denique, quia in Corbeio Monasterio laudabilis eo tempore Religio Monachorum habebatur, multos inibi eiusmodi viros fore constituit. Erat igitur eodem tempore in præfato Monasterio Abba, vir vitæ venerabilis, meritóque eximius, ADALHARDVS nomine, nobilis genere, sed nobilior fide, feruens in disciplina, plenus caritate, studiosus in legè diuina, & plenus discretione. Hic cùm esset inter Primores Palatij, atque Consiliarius Regis, scilicet quia erat consanguineus eiusdem, voluntas suprà dicti Regis ei abscondi minimè potuit. Sed quia non erat inferiòr illo deuotione, regressus ad Monasterium, ab eis, qui ibidem erant è gente Saxonica, sciscitari cœpit, si possit illa in patria inueniri locus vbi Monachorum Monasterium construi rationabiliter posset. E quibus vnus Theodradus nomine ait: Scio, inquit, in patris mei « possessione esse locum, vbi ex vtraque parte fons viuus emanat, & multum aptus « ad hoc opus mihi esse videtur. Cuius responsione delectatus venerabilis Pater, « eum statim illas in partes direxit, vt diligenter rem prolatam inuestigaret, & vtrum pater & reliqui consanguinei hoc consentire vellent, inquireret. Qui cùm isset, patris, matrísque, auunculi atque patruelis voluntatem cognouisset,

LVDOVICVS PIVS. reuersus ad Monasterium, vt hoc fieret desiderare potiùs, quàm resistere velle A nunciauit.

SED iam dicto Abbati illo in tempore commissa erat cura maxima, videlicet vt Regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippiui BERNHARDVS nomine cresceret. Nam ipse Pippinus, Karoli Regis filius, ante triennij tempus obierat, & ideò prædictus Abba non potuit perficere quod cupierat, & per sexennij tempus tardatum est opus. Factum est autem postquam præfatus puer creuit, accepit ei vxorem, & constituit secundum iussionem Principis super omne Regnum. His ita gestis, perrexit Romam, non solùm orationis causâ, sed etiam, vt cum venerabili viro Leone Papa conferret de necessitate regia & plebis. Vbi cùm moraretur, atque simul de profectu adolescentis gauderent, subitò venit nuncius pennigero volatu, afferens epistolam luctuosam nimis de morte Karoli Imperatoris. Qua perlecta, mœstus nimis venerabilis Pater illo de loco abscessit, statimque ad Monasterium proprium perrexit. LVDVVICVS autem, qui vsquequaque VVasconum Regnum tenuit, super omne Francorum Regnum est sublimatus. Tunc accesserunt ad eum viri pestilentes, & accusauerunt venerabilem Adhalardum, & eiecerunt eum de honore suo absque culpa, & exiliauerunt sine causa. Interea verò Luduuicus Imperator iussit, vt Corbeienses Monachi alium de suis Abbatem sibi eligerent. Illi verò tandem post mœstitiam consolari, elegerunt sibi eiusdem nominis virum æquè sanctissimum. Hoc enim ita futurum B vtrisque quidam Eremita diu prædixerat, quando hi duo viri eiusdem nominis, eiusdemque propositi, anachoritæ fieri voluerunt, & seculi gloriam & occupationes terrenarum rerum fugientes Beneuentum vsque peruenerunt.

HIC itaque ADHALARDVS Monasterium ad gubernandum cùm suscepisset, satis egit, vt omnia quæ prior Adhalardus secundum voluntatem Dei facere proposuerat, instanter impleret: scilicet quia eorum semper in bonum vna fuerat voluntas, & eosdem vt prior habebat in consilio adiutores, adiunctum sibi etiam venerabilem virum VVALONEM, qui frater erat prioris Adhalardi, & in diebus Karoli Imperatoris magnæ fuerat potestatis, omnibus, qui erant in Palatio, venerabiliores, & omni prouincia Saxonica prælatus. Sed vt præsciuit, quòd eum quidam infestare vellent, vt accusarent, portum Monasterij petiit, ibique cum multo studio Domino seruire decreuit.

HVNC præfatus Abba familiarissimum habuit. Interea recordatus ipse Abba, qualem prior Adhalardus habuit voluntatem de constructione Monasterij in Saxoniæ partibus, habuit consilium cum senioribus Fratribus, & cum his, qui ab illis partibus venerant, ad extremum cum omni congregatione, qualiter hoc ad perfectum adduceretur. Visúmque est omnibus iustum esse, vt hanc rem indicaret Imperatori, vt cum eius fieret imperio & voluntate. Factum est autem eodem tempore, vt serenissimus Imperator LVDVVICVS haberet Placitum in Saxonia, in loco, qui dicitur Patherbrunna, in secundo anno regni sui, Incarnationis C
815. verò Domini octingentesimo decimoquinto. Tunc accessit præfatus Abba ad eum, & locutus est ei, cum consilio, suadens, vt ad profectum Christianæ Religionis in eadem Prouincia Monasterium Monachorum construere iuberet. Quod cùm piissimus Princeps benignè suscepisset, placuit accersere Episcopum nomine Hathumarum, ad cuius diœcesim pertinebat locus, vbi construendum erat Monasterium, vt cum eius fieret imperio & voluntate. Sicque factum est, vt ab ea die & deinceps, Religio Monachorum etiam in regione Saxonica succresceret atque proficeret. Eodem die remisit dominus Imperator eidem Abbati omne seruitium, quod ad se pertinebat, vt liberiùs sanctum opus implere quiuisset. Cœpit autem ædificare in loco qui dicitur Hethi, vbi cùm per sex & eo ampliùs annos laborassent, nihil proficere potuerunt, nisi quòd Religio sancta in loco deserto tradebatur. Nam locus ita aridus erat, vt nec victum, nec vestimentum ibidem inuenire possent: nisi quantum præfatus Abba à Monasterio proprio deferri faciebat. Augebatur tamen eotidie numerus Monachorum ex nobilissimo Saxonum genere: pueri quoque bonæ indolis nutriebantur optimè: & licèt opibus essent pauperes, religione sancta pollebant.

ERAT eo tempore Adalbertus vir religiosus præfato in loco Præpositus, qui cùm æstuaret angustiâ, eo quòd non haberet ad opus Fratrum stipendia, cœpit

A de mutatione loci cogitare: sed vbi, vel qualiter, inuenire nequibat. Sed cùm magna habitatoribus ingrueret necessitas, ad hoc ventum est, vt se in tres partes diuiderent, cum Prioribus singulis. Interim necessitas vertitur in voluntatem, omnes pariter de mutatione loci tradere cœperunt. Affuit interea etiam eis in tanta necessitate positis diuina clementia. Ascendit enim in cor Regis, vt reuocaret venerabilem virum Adhalardum senem, & restitueret ei omnem priorem honorem, & multò eum ampliùs, quàm vnquam anteà fuerat, sublimaret. Qui cùm iam dictos Monachos in tanta cognouisset penuria esse, cum omni festinatione misit dans precium, iussitque vt sicubi inuenirentur carra onusta, & tam annonam, quàm boues compararent, & cum festinatione laborantibus subuenirent. Post hæc accessit ad Imperatorem, & rogauit vt daret licentiam quærere inter illa loca, quæ ad se pertinebant, si fortè posset alicubi locum inuenire, vbi Monasterium ritè fieri posset. Quod à pio Principe statim concessum est. Tum venerabilis Abba, accepta licentiâ, peruenit in partes Saxoniæ, vnà cum VValone fratre suo. Quò cùm peruenissent, didicerunt à Fratribus, quia erat locus situs super fluuium VVisera, in pago Auguensi, qui pertinebat ad villam, cui vocabulum est Huxere. quod & anteà quidam audiuerant, & idipsum Imperatori indicauerant. Ierunt ergo, & quidam ex Fratribus cum eis, & inuenerunt locum, quia erat optimus, & habitationi Monachorum congruus. Tunc inierunt consi-
B lium cum Episcopis & Comitibus, & cum nobilissimis viris eiusdem gentis, vt instanter eundem locum excolerent, & Monasterium ibidem collocarent.

Venervnt ergo anno octingentesimo vicesimo secundo Dominicæ Incarnationis, sub die octauo Idus Augusti, regnante Luduuico serenissimo Augusto vndecimo anno, ad locum memoratum: circumspectóque ex omni parte, & vndique circuientes, prostrati in orationem decantauerunt Psalmos ad hoc officium pertinentes. Et postquam compleuerunt Letaniam & orationem, iactauerunt lineam, & infixerunt paxillos, & cœperunt mensurare, priùs quidem Templum, indè habitationes Fratrum. Quod cùm peregissent, constituentes qui quædam habitacula initiarent, ad propria sunt reuersi. Sed primùm petierunt Episcopum, vt veniret, & sanctificaret locum, vexillúmque sanctæ Crucis in loco altaris poneret, noménque, vt Corbeia vocaretur, aptaret. Quod factum esse octauo Kalend. Septembris constat. Et eadem die cœperunt qui aderant ædificia erigere. erant tamen pauci numero, vsque ad diem sextam Kalend. Octobris. Septimo Kalend. namque eiusdem mensis surrexerunt à loco, quo vsquequaque habitauerant, cum omni supellectili sua, senes & pueri, & alia die venerunt ad locum destinatum, & celebrauerunt Missarum solemnia cum omni gratiarum actione, laudantes Dominum, & benedicentes Domino. Sequenti autem anno venit iterum venerabilis Abba, & plures ex Fratribus cum eo, & conuocans
C omnem Congregationem, instruxit eos de omnibus quæ ad cultum diuinum & Religionem sanctam pertinebant: quomodo, & qualiter, qui scire voluerit, in Libello, qui de vita eius dictus est, pleniùs inuenire potest. Cùm autem appropinquare cerneret diem mortis suæ, misit venerabilem virum VValonem ad Palatium, vt talem libertatem & tuitionem ex parte Imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque sublimia Monasteria per Franciam habebant. Quod ille fideliter egit, & domnus Imperator benignè concessit. Quæ postquam gesta sunt, iterum cœpit cogitare, quemadmodum loco patris Abbatem præferret, qui secundum voluntatem Domini regere posset Monachorum gregem, qui cotidie augebatur atque crescebat.

Erat eodem tempore in Corbeiensi Monasterio quidam adolescens Monachus, qui ex nobilissimo Francorum atque Saxonum genere fuerat ortus, nomine VVarinvs. Hic à tanta perfectione cœpit, vt cùm esset iuuenis, atque magna potestate præditus, haberétque sibi desponsatam virginem pulchram atque nobilissimam, & iam iamque inter primos Palatij consisteret, elegit potiùs seruire Domino æterno, quàm Regi mortali: relictisque omnibus, portum Monasterij petiit. Hunc venerabilis Pater in noua Corbeia iuuenem Abbatem facere cogitabat, confidens scilicet de Domini misericordia: vt qui à tanta perfectione cœpisset, perfectiùs consummaret. Fratres autem agebant, vt venerabilem virum VValonem sibi in Patrem eligerent. Interim cùm iam iámque diem egressionis

Lvdovicvs Pivs.

822.

823.

LVDOVICVS PIVS. suæ adesse sentiret, misit vt quem vellent eligerent, accepta licentia Imperatoris. Interim dum electio protelatur, religiosus Abba diem finiuit extremum. Quo nuncio omnes mœrore concussi. VValo, qui tunc ibi electionis gratiâ morabatur, iussus pergit ad Palatium, indè ad proprium Monasterium, statimque ibi ab omnibus eligitur ad Abbatem. At verò hi, qui in Saxonia habitabant, Monachi, de electione Abbatis sui beatæ memoriæ meriti Adhalardi confisi, eligunt sibi Abbatemiam dictum virum venerabilem VVarinum: quique proficiebat cotidie, & acceptus erat tam Deo quàm hominibus. His verò gestis, post aliquod temporis spacium accidit quædam disceptatio inter Luduuicum Imperatorem & Principes, qui erant in Regno. Pro qua re in tantum indignatio Principis excreuit, vt & VValo, quem olim antè omnes dilexerat, in exilium mitteretur, & Hilduvvinum virum æquè deuotissimum in Saxoniæ partibus, scilicet in Monasterio Corbeia, tanquam in exilium collocaret. Interim venerabilis Abba VVarinus maiori honore apud Imperatorem habebatur. A

AT verò memor, quod sibi commissum erat, scilicet vt inter barbarorum gentes Monasterium ædificaret, petiit, vt de corporibus Sanctorũ, quorum plurimi habebantur in Francia, sibi aliquod transferre in proprium licuisset Monasterium; statimque Imperator vt fieret iussit. Qui cùm multùm eodem anno laborasset, vt S. Victoricium de Ambianis ciuitate transferret, hoc implere nequiuit, quia accolæ terræ illius hoc grauiter ferebant. Tunc reuersus est ad propria, multorum tamen Sanctorum reliquias secum adferens. Illo verò in tempore venerabilis Abba Hildvvinus, in eodem Monasterio iussu habitabat Imperatoris, erátque omnibus carus atque dilectissimus. Quis enim se continere posset ab amore eius, qui Dominum summo desiderio amabat, & in eiusdem cultu assiduus erat? Hic cùm cognouisset desiderium præfati Abbatis & Fratrum, quia volebant ob augmentum Christiani cultus aliquem Sanctorum in Monasterium suum transferre; promisit, quod si se Dominus in honorem pristinum collocaret, absque retractatione aliquem eorum, qui sub ditione sua erant, eis daret. Statimque post aliquot dies honori pristino restitutus est. Post hoc Imperator etiam venerabilem Abbatem VVarinum ampliauit honore, eique Monasterium Rasbacis cognomento Hierusalem ad gubernandum tradidit. Tunc accessit ad venerabilem virum Hilduvvinum, & rogauit eum vt memor esset promissionis suæ, & daret ei corpus beatissimi pueri & Martyris Viti. Qualiter autem, vel quo tempore, hoc corpus sancti Viti in Saxoniam translatum sit, & in Monasterio, quod Corbeia noua dicitur, collocatum, intimare curabimus. Anno Incarnationis B
836. Domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo sexto, Indictione quartadecima, anno autem Imperij sacratissimi Imperatoris Ludouici vicesimo tertio VVarinus Abba Monasterij Rasbacis cognomento Hierusalem, sed & Corbeiensis noui, à cuius fundatione annus vertebatur decimus quartus, consulens salutem patriæ, salutem etiam gentis suæ, & exaltationem loci ipsius ob causam fidei & Religionis, expetiuit à viro religioso & venerabili Abbate Hilduvvino Monasterij S. Dionysij, vt de sanctis Martyribus venerabilibus, quorum corpora in loco præfato humata quiescebant, aliquem ei ad confirmandam fidem gentis suæ tribueret, atque licentiam portandi concederet. C

QVAM petitionem Hilduvvinus Abba cum voluntate & licentia piissimi Imperatoris Luduvvici, consensu etiam Episcopi Parasiacæ vrbis, ceterorúmque nobilium virorum, in supra dicta diœcesi commorantium, libenter annuens, dedit ei, vt supra dictum est, corpus S. Viti pueri & Martyris Lucani, qui sub Valeriani & Diocletiani temporibus passus esse, & à quodam viro religioso regnante Pippino translatus ab Italia in Franciam, & in diœcesi Parasiaca locatus narratur. Cuius merito in loco, vbi positum fuerat corpus ipsius, vt supra dictum est, multas Dominus virtutes operatus est. Fertur enim ab incolis loci illius, vbi beatissimus Martyr in corpore quieuit, quòd à tempore, quo ipso in loco positum fuerat, nunquam ibi tempestates aut fulgura nocuissent. Hoc corpus S. Viti magna cum veneratione & testificatione religionis, ab Hilduvvino venerabili Abbate, VVarino religioso Abbati, in Ecclesia S. Dionysij coram innumerabili multitudine populorum, tam Monachorum, quàm Canonicorum, virorum ac mulierum, post peracta die Dominico Missarum solemnia, decimo quarto Kalend. Aprilium,

A Aprilium commẽdatum ac traditum est. Suscipiens autem corpus S. Viti religiosus vir VVarinus Abba, habens secum turbam copiosam, tam suorum Monachorum, quàm aliorum virorum, cum summa veneratione & ornatu, atque omni decore Ecclesia exiit, tam ipse & sui, quàm Hilduvvinus Abba cum suis Monachis, & omnis populus qui ad diem festum conuenerat, à Monasterio S. Dionysij iter tendens Monasterio Rashacensi cognomento Hierusalem. Vbi perueniens, cum suis omnibus & multa turba populi comitante, honorificè custodiuit ipso in loco corpus S. Viti Martyris vsque in diem duodecimum Kalend. Iulij. Virtutes denique & sanitates, quas Dominus meritis & precibus Martyris Viri, antequam ad memoratum Monasterium peruenissent, operatus est, scire cupientibus intimare dignum duximus.

IGITVR factum est, cùm egrederentur ex Monasterio S. Dionysij, die Dominico, cùm ex diuersis locis plurimi conuenirent, & obuiam sancto Martyri properarent, mulier quædam, Ermegardis nomine, iam annis duodecim cœca, in itinere cum multis obuiam procedens visum recepit, & sine adminiculo alterius vsque ad proximam mansionem, quæ fuit in villa vocabulo Mintriacus, prosecuta est. In crastinum autem cùm iter agerent, plurimis occurrentibus, mulier quædam Framildis nomine, cuius digiti manuum incurui mediis palmis affixi videbantur, coram feretro curata est.

INDE pergentes ad Monasterium Rasbacis, ibi persteterunt vsque in diem duodecimum Kalend. Iulij. Igitur egressi duodecimo Kalend. Iulij die Monasterio Rasbacis VVarinus Abba cum suis omnibus, recto tramite in partes Saxoniæ pergentes, fecerunt mansionem in villa, cuius nomen est Cella Gislefridi. Vbi in crastinum post Missarum celebrationem mulier quędam Haravvillis nomine cœca iam annis quinque sanata est. Indè ad Cellam venerunt nomine Augia, vbi biduo demorati sunt. Ibi duæ mulieres, quarum vna Baltrudis cœca annis quinque, altera Gertrudis cæca mensibus tribus fuerat, sanitatem receperunt. Puer etiam quidam nomine VVarinus ferè octennis, ex omni parte claudus, ibidem mox vt accessit ad feretrum curatus est. Postera die iter agentibus mulier quædam occurrit ferens puerum quinquennem, iam à mensibus quinque claudum. Quæ cùm linteum super feretrum expandisset, eodem linteo tactus puer conualuit. Inde mouentes peruenerunt in villam, quæ dicitur Alnidus. Deinde transito fluuio, cui vocabulum est Matrona, diuerterunt in villam cui nomen Salices, post hoc in vicum Summahatna. Postea in vigilia Pentecostes in villa quæ dicitur ad S. Matulum. Inde per Aquasgrani vsque ad Regnum Saxonum. Post dies aliquot in villam, quæ dicitur Soset, siue Sosatum, vbi multam phalangem Saxonum obuiam habuerunt, adeo vt incredibilis videretur exercitus vtriusque sexus. Ab ea villa mouentes ad aliam venerunt nomine Brechal. In his mansionibus singulariter dierum viginti spacio Domino per beatum Vitum operante virtutes plurimas in vtroque sexu, præter eos quos suprà memorauimus, duo viri cæci, C vnus mutus, vnus claudus, adolescens vnus manum habens aridam, curati sunt. Sed & mulieres quinque cæcæ, quinque debiles, paruula contracta, alia gibbosa & incurua, alia brachium contractum, altera manum habens aridam, omnes sanatæ sunt. Tandem igitur Christo propitio finito cœpto itinere, Monasterium quod Corbeia noua dicitur, multitudine populi vtriusque sexus de nobilissimo Saxonum genere nobiscum comitante, peruenimus pridie ante Vigiliam S. Viti, quod est Idus Iunias, vbi ipsum sanctissimum corpus in loco congruo, vt dignum est, collocatum & positum est. Ibi summa & ineffabilis Trinitas ad confirmandam & corroborandam fidem gentis ipsius, multas virtutes & sanitates operari dignata est. Fit enim ipso in loco conuentus magnus, magna cum deuotione atque alacritate, adeo vt per miliarium & eo amplius in circuitu Monasterij tabernaculis nobilium virorum ac mulierum replerentur campi atque agri, qui ex omni Regno Saxonum propter religionem & reuerentiam beatissimi Martyris Viri, aliorúmque Sanctorum Martyrum reliquias, in ipso loco habentium, conuenerant. Inter ipsam denique multitudinem tam deuotissimè & humiliter concurrentem nullum ibi turpe verbum auditur, nullus iocus aut scurrilitas inuenitur: sed die noctúque Deo laudes & grates referuntur, sempérque in ore ipsorum Kyrielei-

LVDOVICVS PIVS. ſon habetur. Ab hac die & deinceps Dominus per beatum Vitum in eodem Monaſterio virtutes multas, & ſanitates operatus eſt. A

EXPLICIT.

VERSVS ANTIQVI DE TRANSLATIONE S. Viti in Saxoniam per VVarinum Abbatem Corbeienſem.

Felix Saxonia, gaude per pignora cara
Viti ditata, quæ dat tibi Francia grata.
Abbas VVarinus regali ſemine primus,
Francorum natus, Viti venerabile corpus
Tranſtulit è Francis Corbeiam, ceu patet iſtis.
Romano fretus Pius Imperio Luduvvicus
Hoc, Hilduvvine donat te patre fauente,
Quando Dionyſij texiſti limina clauſtri.
Quo tam præclaro gaudebas ante patrono.
Ex tunc tranſlatum fuit à te Francia ſacrum
Imperium, diui quo nunc gaudent Alamanni.
Chronica Martini dant hæc, veteres quoque Libri.
Ex qua re ſanctum veneremur carmine Vitum, B
Octingentenus dum vicenúſque ſecundus
Annus erat Chriſti, clauſtro fundum dedit iſti
Filius iſte pius Magni Karoli Luduvvicus.
Quos ſeptenne puer fouens ſancta prece ſemper,
Et benefactores, omnéſque tibi famulantes
Conſerues, Vite, duc nos ad pabula vitæ.

A

DE NITHARDO CAROLI MAGNI NEPOTE, AC TOTA EIVSDEM NITHARDI PROSAPIA,

BREVE SYNTAGMA

E Pauli Petauij in Franc. Curia Consiliarij bimestri Rerum Prolatarum otio.

NITHARDVS (*quem nostratum aliqui Vitaldum, quidam VVithardum, alij Guithardum, nominarunt*) *Angilberto patre, matre verò Bertha Caroli Magni filia, natus est. Angilbertus autem* [a] *gentis nobilitate illustris, animique industria ac probitate præcipuus, sub Pipino Rege Caroli Martelli filio, Palatinis atque Regalibus negotiis præfuit. Quod apto & aperto magis* B *sermone dixit Alcuinus,* [b] *Primicerius fuit Palatij Pipini Regis. Nam vt illud Alcuini de Pipino Pio Franciæ, non de Pipino Italiæ Rege, illius nepote, interpretarer, & præmissa & multa alia induxerunt. Nec quemquam ipsa series & connexio Epistolarum Alcuini moueat, quæ (vt aliorum pleræque) temerè congestæ, nec digestæ vnquam* [c] *fuerunt. Etsi autem summa illa esset Palatij dignitas, data tamen Angilberto in minori adhuc ætate agenti. Idque vult vitæ ipsius Angilberti auctor, vbi monuit, Carolum, & Carlomannum, ipso viuente Pipino, Angilbertum filij vel fratris loco habuisse. Quibus etiam aptari debent quæ postea Carolo Magno Regi rescripsit Adrianus Romanus Pontifex* [d]: Directus, *inquit*, nobis est à vestra præcelsa regali potentia, fidelis familiaris vester, Angilbertus Abbas & Minister Capellæ, qui penè ab ipsis infantiæ rudimentis in Palatio vestro enutritus est; & in omnibus consiliis vestris receptus est. *Ceterum* [e] *aui & proaui illius clarissimi, Francorum Regibus carissimi, primisque in dignitatibus, ac magnatum affines & propinqui, omnes fuere. Is certè, staturæ elegantiâ, vultûsque venustate, cunctis gratus, cùm liberalibus studiis adprimè eruditus esset, parentum* C *suasu, Principúmque assensu, Clericatus titulo insignitus, magnum piæ conuersationis lumen Palatiis præbuit. Pipino mortuo, Carolus Angilbertum habuit* [f] *præ omnibus familiarissimum, omnium secretorum conscium, & Primatem Capellanorum fecit, sibi quoque eumdem Silentiarium statuit, vt eius consilio Regnum totum componeret, atque eidem Bertham filiam suam coniugem dedit; ad augmentum Palatini honoris, illi totius maritimæ terræ Ducatu commisso. Hincque Nithardus noster, & Harnidus, procreati. Post aliquod verò tempus, cùm Angilbertus graui affectus infirmitate, Monastici Ordinis subeundi votum Deo nuncupasset, valetudini restitutus, primo Bertham coniugem, sacro velamine consecratam, loco congruenti intra Cœnobium Centulense, vigiliis & ieiuniis vacaturam collocauit. Ibidémque mox ipse Monachi indumentum à Simphoriano ipsius loci Abbate suscepit: ac eodem Abbate intra breue tempus decedente, omnium suffragiis (Carolo Rege annuente) suffectus, Centulense illud Monasterium (quod in Pontiuo, Ambianensi diœcesi situm, Sanctóque Richario dicatum est) restaurare constituit, & ædificiis, rebus, Monachorúmque numero ampliare. Verùm cui anno adscriberem Symphoriani obitum, initium-*

[a] Autor vitæ domni Angilberti, M.S.

[b] Alcuini enim Epistola, quæ in excusis à Canisio est 12. in M.S verò XLII. est ad Angilbertum Primicerium Palatij Pipini Regis.

[c] Ac ne quidem in vnum corpus redactæ, vt è variis scriptis Libris obseruare est, & præmonuit Trithemius.

[d] Edita est hæc Epistola Romæ inter Epistolas summorum Pontificum Tom. 2. p. 714. Et in parte 2. Tom. 3. Conciliorum anni 1606. p. 263.

[e] E vita domni Angilberti.

[f] Ab autore vitæ domni Angilberti; & ab Hariolfo in Historia Centulensis Monasterij lib. 2. cap. 2.

que ab Angilberto Abbatitium illud officium, nondum sum assequutus. Constat certè anno DCCXCII. Felicem * Vrgelitanum Episcopum, per Angilbertum a Abbatem in præsentia Adriani Apostolici deductum, heresim suam, facta confessione, damnasse. Et fortè fuerit eiusdem anni, Epistola * Alcuini XXVIII. ad Adrianum Pontificem Magnum, qua Alcuinus, (in scriptis libris,) ita Angilberti meminit: Quia electissimus domni mei Regis Missus, filius equidem meus carissimus Angilbertus, ad beatissimam, summæ autoritatis vestræ, dirigitur paternitatem, non esse necesse putaui, literis exarare, quod ille vir fidelis & prudens melius viua voce secundum mandatum domni Regis auribus Excellentiæ vestræ poterit intimare, &c. Eumdémque vocat Regiæ voluntatis Secretarium, ac omnibus amicis valde fidelem asserit. Quamquam nescius non sim, quod & hæc ipsa Alcuini Epistola in annum DCCXCIV. commodè reiici possis, quo ipse Adrianus Papa Capitulare Caroli Magni aduersus Synodum, quam Græci septimam vocari voluêre, per Angilbertum transmissum sibi esse, literis * ad Carolum ipsum Regem, monuit. Sed inest mihi hoc loco hic scrupulus, quòd in scripto Codice (è quo b Elias Philiras, id est Ioannes Tilius, notissimus ille patrum ætate Briocensis, dein Meldensis Episcopus, opus illud Caroli Magni, libris quatuor absolutum, aduersus Graciæ Synodum de adorandis imaginibus, anno 1549. edidit) hæc in calce habentur; Ingelrannus Abbas iussu Caroli Magni hunc librum scripsit, & ad Adrianum Papam tulit. Quomodo enim quadrare ista possint cum Adriani prædicta * Epistola, non video. Nec certè hic Ingelrannus potest esse Metensis Archiepiscopus, qui sub Carolo Magno sanctæ Capellæ Primicerius fuit. Obierat enim ille anno c DCCXCI. At dum Engilramni memini, aliud, quod penè exciderat, memoriæ recurris; qui fieri possit, vt cùm Angilbertus sub Carolo Magno Archicapellanus fuerit (quod illius vitæ autor, & iam laudata Epistola Adriani indicant) tam præcisè tamen Adalhardus (maioris Corbeiæ Abbas, apud Hincmarum Epistola 3. *) sub Carolo Magno hosce * tres tantùm, Fulradum scilicet, Engelramnum, d Hildiboldum Apocrisiarios fuisse asserat. Nec enim Archicapellanus alius ab Apocrisiario. Nam & * Apocrisiarium nostrates, inquit ipse Adalhardus, Capellanum appellans. Inde etiam Alcuinus e huncce Engilramnum, sanctum Capellæ Primicerium; Et Episcoporum Metensium Chronicum, eumdem, Palatij Archicapellanum nuncupant. Verùm de his alias. Ad Angilbertum redeo; f Anno quippe DCCXCVI. cùm Leo Papa post Adrianum ordinatus claues confessionis Sancti Petri (seu, vt ait Poëta Saxo, Claues quibus est confessio sancti Conseruata Petri) & vexillum Romanæ vrbis ad Regem Carolum cum aliis muneribus misisset, & vt mitteret aliquem de optimatibus suis, ad confirmandum * sibi per sacramentum, Romanum populum, rogasset; missus est ad hanc rem Angilbertus Abbas Monasterij sancti Richarij, per quem etiam magnam partem thesauri, quem Henricus Dux Foroiuliensis, spoliata Hunorum Regia, quæ Hringus vocatur, eodem anno Regi de Pannonia attulerat, misit, &c. Tum verò detulit Angilbertus & Alcuini g litteras ad Leonem III. & Paulinum Aquileiensem Patriarcham.

INTEREA surgunt prædicti sancti Richarij, siue Centulensis Monasterij ædificia, & tres tandem illic erectæ Ecclesiæ à XII. venerabilibus Episcopis dedicatæ sunt, Meginhardo scilicet Rothomagensi Episcopo, Georgio, Absalo-

a Annales enim Moguntini (quos primum P. Pithœo debemus, quósque denuo Marq. Freherus Palatinus Consiliarius cum continuatore, Fuldensi Monacho edidit) Angilbertum Abbatem vocāt.
b Sāctus enim Ioannes Baptista dictus Elias alter; & φιλύρα Tilia arbor, nostris vocata Tillet.
c Annales Frācici (apud Canisium Tom. 3.) p. 275. vbi tamen corruptè Angilrannus nominatur, scripturæ vitio.
d Ab Anastasio in Leone III. Hildiualdus vocatur.
e Epistola 21. apud Canisiū, quæ in scripto libro est 79.
f Ipsissima verba exhibeo Godefridi Monachi S. Panthaleonis ad Coloniam M. S. quæ desumpsit ipse ab autore Annalium Regum, Pipini, Caroli Magni & Ludouici, quos Hermanno Nuenario debemus: quósque Poëta Saxo, de Gestis Caroli Magni, studio Reineccij editus, metricè vertit.
g Hæ sunt in excusis 27. & 59. At in optimæ notæ MS. 72. & 73.

A
* Corruptè editi libri Adonis Viennensis Aureliauum vocant.
* In MS. est 63.
* Iam harum meminimus sup.
B
* Cuius Codex scriptus nō aliud quidem Angilberti nomenhabet.
* p. 37.
* Habuere quarūdā pronunciarum Præsides ac Prætores suos, vt ter multitu ad responsos, siue Apocrisiarios.
C
N. ipse. 24. c. 4. & 25. c. 1.
* Id est Carolo Magno: Videatur Theganus ad ann. 816. p. 306. Et Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

A *ne, Gerfridò, Pleone, Hildigardo, Teodoino, Ydelmaro, Benedicto, Kellano, Ioanne praeterea & Pasiuo sanctae Romanae Ecclesiae Legatis. Quod contigit paulo ante adeptum à Carolo Magno Imperium. Quem & huic dedicationi interfuisse quis fortè coniiceret, ex his quae Nivelungus, Annales editi, Regino,[a] [b] Ademarus in vita Caroli Magni, Poëta Saxo, & alij annotarunt, Carolum anno Domini* DCCC *Sanctum Pascha apud Sanctum Richarium celebrasse. Sed stare id non potest, cùm apud Centulam Kal. Ianuarius istius dedicationis * Ecclesiae solemnitas fiat. Quo verò ornatu, quibusque Sanctorum pignoribus Ecclesiam ille suam ditauerit, in breuiculum hoc nec potuit, nec debuit congeri; Vti aliquot illius versus, sparsim & varie collectos, addere, eadem mente, non visum. Eumdem porro Carolum mox futurum Imperatorem, Angilbertus quoque Romam comitatus est, & à domno Leone III. priuilegio* [b] *obtinuit, vt totius Centulae villae curam Ecclesiasticam solus haberet Abbas, nec quidquam Episcopus Ambianicae Sedis de Ecclesiis aut Clericis eiusdem loci constituere posset. Idque* suggestione (*praedicti priuilegij verba*

B *ista sunt*) fratris & coepiscopi nostri Ambianensium Antistitis Iesse, simúlque Angilberti Abbatis, quamquidem in praesentia gloriosi atque excellentissimi filij nostri Caroli (quem autore Deo in defensionem & prouectum sanctae vniuersalis Ecclesiae in Augustum hodie sacrauimus) nobis intimarunt, &c. *Fitque ibidem mentio Centulensis Monasterij* nuper, *inquit*, restaurati & in nobilem statum redacti. [c] *Libellum verò de Vita Sancti Richarij rudi sermone digestum, euocato ad se Alcuino Magistro, comptiùs atque lucidiùs componi & transcribi * curauit Angilbertus, Hymnósque nocturnos & diurnos ac Antiphonas, super vita ipsius, idem Alcuinus composuit. Tandem testanti Carolo adfuit Angilbertus, Eginardo teste: Eodémque penè tempore decessit quo & Carolus Magnus, nempè* XII. *Kalend. Martij, anni* DCCCXIV. *cùm dies* V. *ante Kalend. Februar. eiusdem anni, ipsius Caroli vitae vltimus fuisset.* [d] *Angilbertus autem corpus suum sepeliri voluit ante portam Sancti Saluatoris, ac Sancti Richarij Ecclesiae. Cuius loci septum, ideo graue fortè non fuerit, si ab illius vitae autore*

C *(qui illud ipsum ab Angilberti testamento mutuatum se dicit) addidero.* Ipsa, *inquit*, moenia, quae vocantur * Paradisus, turrita mole surgentia, tribus altaribus, consecrata sunt: videlicet in porta occidentali Altare sancti Michaëlis: In porta australi Altare sancti * Gabrielis, quae venerabilis Hildiuardus Episcopus consecrauit. In porta autem Septemtrionali Altare sancti Raphaëlis dedicauit religiosus Ambianorum Episcopus Iesse, II. Non. Septemb. &c. *Eo verò è loco* * XXVIII. *post decessum anno Nonis Nouembris* [e] *Angilbertus leuatus, corpore absque aromatibus indissoluto repertus est, & à Ribbodone Abbate intra Ecclesiam translatus, inque ingressu Chori à parte occidentali eiusdem maioris Ecclesiae collocatus. Cùm Abbas Ribbodo diutius ferre noluisset tanti viri reliquias ingredientium Ecclesiam pedibus calcari. Mox enim pluribus claruit miraculis, Sanctorúmque consors factus, Laetaniam auxit* [f] *Gallicam. Cuius miracula aliquot, tribus contenta Libris, eiusdem Coenobij Abbas Anscherus* [g] *Radulfo Remorum Archiepiscopo, longos post annos, transmisit. Frustra tamen Angilbertum quaeras, ve & innumeros tutelares nostros Sanctos, inter moderna Sanctorum syntagmata. Hacque de Nithardi patre dicta sint.*

* 3 vet. libri.

* Edita Tom. 2. Sury p. 982.

* Le Paray.

* Oratorij sancti Gabrielis dedicatio facta est VIII. Kal. Aprilis: Capella verò sancti Michaelis III. Kal. Octob. & observata altare, Oratorium & Capellam idem esse.

* Id. p. Anno 982.

[a] Corruptè hoc in Chronico Reginonis legitur, Apud sanctum Richardum.

[b] Quod Zacharias Diaconus Regionarius, & sanctae atque Apostolicae Romanae Ecclesiae Bibliothecarius VIII. Kalend. Ianuar. Indict. IX. scripsit, recognouit, & subscripsit.

[c] Autor Vitae domni Angilberti.

[d] Autor Hariulfus, qui Pontiuo natus, historiam Centulensis Monasterij sui, a domno Saxonallo ante plures annos inchoatam, anno 1088. quatuor libris absoluit. Is & est qui *Aldenburgensis tertius Abba fuit*, cuique Aub. Miraeus in Originibus Coenob. Belg. adscribit vitam sancti Arnulphi Suess. Ep. quae Lisiardo tribuitur apud Surium Tom. 4. p. 174.

[e] Nithardus lib. 4. p. 372. & Hariulfus.

[f] Erant enim tum Laetaniae diuisae, erat Gallica, erat Italica, erat & Romana, quarum veteres nostri Scriptores separatim meminere.

[g] Sedem Remensem obtinuit Radulfus anno 1107. è Catalogo MS Archi. Remens. non vt vulgo creditur 1114.

MATER *Bertha fuit, filiáque illa Caroli Magni & Hildegardæ. De Carolo verò, hoc vnum minus notum puto, quod illi etiam Dauid nomen fuit; Quo nomine sæpiùs Alcuinus in Epistolis, aliique illius æui illum interpellant; propriúmque hoc ei fuisse nomen, non adscititium, comprobant ista ad illum eiusdem Alcuini verba.* [a] Clarissimis (*inquit*) vestræ nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta adcrescat, sicut per solius homonymi tui Dauid Deo dilectissimi Regis sanctitatem, omnibus (*vt legitur*) nepotibus suis, regalis throni potestas conseruata fuit, &c. *Nec enim Dauid homonymum vocaret, si ab illius similitudine tantum & imitatione, mens Alcuini fuisset Carolum hoc nomine donare. Et fortè immutatum illi nomen, cùm vel baptisatus, vel in Regem vnctus est. Nam de Pipino Italiæ Rege, illius filio, hoc idem* [*] *factitatum. Mirórque è tot autoribus, qui gesta Caroli Magni scripsêre, tam paucos id obseruasse. Nibelungo etenim, Childebrandi Comitis, Pipini Francorum Regis auunculi, filio, & Geruasio Tilleberiensi, Regni Arelatensis Marescallo, Othonis IV. propinquo, hoc debemus. Nibelungi certè ad annum* DCCLXXXI. *hæc verba sunt;* Perrexit Carolus Rex Romam, & baptisatus est ibi filius eius, qui vocabatur [b] ei Carlomannus, quem [*] Adrianus Papa, mutato nomine, vocauit Pipinum, & vnxit in Regem super Italiam, & fratrem eius Hludouicum super Aquitaniam. & ibi desponsata est [*] Rotarud filia Regis, Constantino Imperatori. *Hæc ille. Nec quid amplius de Carolo addam.* B

CVIVS *vxor Hildegarda, seu Hildegardis, Berthæ mater, Sueuorum præcipua* [c] *nobilitatis femina, parentes habuit* [d] *Esnerium dominum Campidonensem, & Regardam natione Bauaram; fratrem verò* [e] *Vdalricum. Fundatrixque ipsamet fuit Cœnobij Campidonensis (Germanis hodie* Kemptem) *quod adhuc vnum est è quatuor Romani Imperij Monasteriis, illicque anno* DCCLXXXIII. *sepultam quidam volunt; cùm tamen autor Chronici Episcoporum Metensium, in Ecclesia Sancti Ioannis Euangelistæ Metis: at veriùs Vita Ludouici Pij, in Basilica Sancti Arnulfi, cum Ludouico Imperatore, filio suo, & Drogone Archiepiscopo, quiescere eam asserant. Ceterum, matri Nithardi Berthæ inditum nomen, ab auia sua, matre scilicet Caroli Magni, quæ etsi alienigena, habuit tamen nomen longè antè vsurpatum Francis, imò notatione planè Francicum, si Vitæ* [f] *Sanctæ Berthæ vetusto autori fides.* Bertha, *inquit,* Francicum nomen, quod Latino eloquio, fulgida seu splendida, sonat. C

HIS *ergo de Nithardi natalibus præmissis, Quid & vbi ille egerit, bellorum inter Lotharium, Ludouicum, & Carolum fratres, sæuiente turbine, ab illius Historiæ lectione elicere facile est. Ea certè ad Carolum directa, iussu etiam illius conscripta est. Sub Carolo etenim Nithardus militauit, vt pote Ducatus siue Comitatus Franciæ maritimæ, à patre hæres. Cúmque bona alia, quæ illi hereditario iure contigerant, vltra & cis Mosam haberentur (qui* [g] *limes erat Regnorum Lotharij & Caroli) etsi longi tædio belli otium vndequaque quæreret, nullibi haberi posse credidit, cùm illum (vt ait ipse initio Lib. 4.) de vniuersis rebus, hinc inde fortuna iunxisset. Ceterùm, etsi ex illis fuerit, quibus anno* DCCCXLII. *cùm Lotharius à Regno fugisse putaretur, Regni illius* [h] *inter Ludouicum & Carolum partitio commissa & mandata*

[a] In Epistola quæ incipit, Domino in Domino Dominorum dilectissimo Dauid Regi, Flaccus fidelis orator. Reuertenti me de Vuicus, &c. Ea est in vno codice 22. In alio 15. necdum edita est.

[*] *Sic & Leoni III. ex baptismo Conon nomen fuit. Hist. Misc. lib. 21.*

[b] Legit, Francis, pro, ei, Geruasius Tilleberiensis, libro, cui nomen Otia Imperialia. cap. de Regno Francorum & eius ortu.

[*] *Malè à Geruasio dicitur Vrbanus.*

[*] *Aliàs dicitur Ruodtrudis.*

[c] Eginardus.

[d] E Munstero lib. 3. Cosmograph p. 562. sed patrem illius Gasp. Bruschius de Monaster. German p. 25. Hildebrādum: Vassemburgius Virduoensis Hist. lib. 3. f. 248. Godefridum nominant.

[e] Sancti Galli Monachus de Gestis Caroli Magni apud Canisium Tom. 1 p 371. quem doctissimus Franc. Pithœus Clementem Scotum nominare subdubitat.

[f] Quæ circa annum 685. Blangiacum Monasterium construxit, quod hodie Bolonensis Galliæ diœcesis est.

[g] Nithardus lib. 1. p 352.

[h] Nithardus lib. 4. p. 360.

A *est; Pacis tamen inter fratres componendæ auidus semper fuit. At fraternis odiis nusquam detumescentibus, mens tandem illi fuit omnimodo à Republica secedere (quod & ipse libri 4. initio profitetur.) Itaque cùm à scribenda historia destitit, agebatur annus domini* DCCCXLIV. *& tum, ex nupera translatione Sancti Angilberti per Ribbodonem Abbatem, secessus, & solitariæ vitæ, maius innatum illi desiderium est. Obierat verò eo ipso anno apud Centulam Abbas Ribbodo. Ribbodoni mortuo successit Hludouicus, vir (vt ait autor Vitæ sancti Angilberti) Regiæ stirpis; quique dicitur ab alio eiusdem loci Monacho*[a] *(cuius nobis adhuc ignotum nomen)* Regali semine natus. *Isque ipsus est, quem Lupus Abbas Ferrariensis, in ipso Cœnobio Ferrariensi mansisse, & haud procul ab eo*[b] *educatum fuisse, dein* * *Epistolare in Palatio Caroli Calui gessisse officium, notat: Quique postremò ab eo, Abbatum* * *summus &* * *clarissimus appellatur. Hunc & Carolus Rex, diplomate* * *suo apud Compendium Palatium regium* v. *Kalend. Octob. anno regni* v. *Indict.* VII. *vocat* venerabilem & dilectum propinquum suum.

* Epist. 25. * Epist. 82. * Epist. 92. * Epist. 113. & 114.

NITHARDVS *ergo, & eo ipso tempore relicto seculo, Deo sese mancipauit. At quo se Monasterio primum contulerit haud ita certò asserere valeo. Centulum enim abiisse, & Sancti Angilberti eius parentis memoria, & Hludouici Abbatis affinitas, facilè persuaserint. Sed dubium me & ancipitem agunt, quæ legi apud Lupum Ferrariensem, ad Marcuuardum*[c] *Prumiensem Abbatem* (tertium) *Epistol. 55.* Nithardi (*inquit*) aduentus ad[d] Siluacum, quo me Monasterij necessitas traxerat, vehementer lætificauit: cuius præsentia factum est, vt hæ litteræ vestræ paternitati redderentur, cùm vos esse sospites, & communem filium[e] Egilem ex validissima infirmitate, opitulante fauore diuino, reualuisse ostendit, &c. *Et præterea quæ idem Marcuuardus Prumiensis Abbas ad Didonem*[f] *Abbatem, Medicum peritissimum, scripsit, Epistol. 72.* Artis vestræ (*ita enim lego*) singularis peritia multorum oratione peruulgata, fratris Nithardi potissimum relatione nobis innotuit: quo etiam referente comperimus passim vos accessum indigentibus aperire, &c. *Ista enim Prumiensem potiùs Monachum, quàm Centulensem, Nithardum fuisse relinquunt. Vt vt sit, ab Hariulfo & aliundè certum est, Centulam illum Abbatem habuisse. Sed fefellit Hariulfum, Centulensis Historiæ scriptorem, memoriola, cùm patri suffectum dixit; vt & vitæ domni Angilberti autor malè post Ribbodonem Abbatem constituit. Etenim Angilberto, Hericus; huic,*[g] *Helysachar; ei, Ribbodo; illi, Hludouicus successit; tum, Nithardus; dein Hruodulfus auunculus Caroli Calui, frater scilicet Iudith Imperatricis, &c. Idque monuit me notatiuncula hæc, margini codicis Hariulfi ab antiquo adscripta.* Post domnum, *inquit*, Hludouicum præfectus dicitur domnus Nithardus: Et quoniam tum persequutio grauis insistebat pagnanorum, etiam maritimæ (*terræ*) Comitatum suscepit. *Fuit igitur post Hludouicum Nithardus Abbas & Comes, vti & eius pater Angilbertus fuerat; mansitque eadem*

B * Extat apud Hariulfum. lib. 3. c. 7.

C

[a] Scripsit metricè ante annos DL. libros tres de Miraculis sancti Richarij, & quartū de relatione eiusdem per Hugnoem Capet tūm Francorum Ducem.

[b] In Monasterio scilicet, sancti Petri Viui Senonensis, vti mihi multa persuasere, sed & inibi eumdem etiā sepultum.

[c] Marcuuardus illi nomē, nō Marcuuardos, Abbásque ille fuit Prumiensis anno 829. Obiit 853 Regino.

[d] Huius loci mentio fit aliquot locis apud Hincmarum Remensem, contra Hincmarum Laudunensem Episcop. & alibi. Forte, *Saulnoy*, Abbatia Lugduno Clauato proxima. (*pres Laon*)

[e] Monachus fuit primò Ferrariensis, dein Prumiēsis (non etiam sancti Petri Viui Senonensis) postea Marcuuardo apud Prumiā successit anno 853. Dein à Carolo Caluo Flauiniensis Abbas constitutus, tandem Senonum Archiepiscopus factus, in Monasterio sancti Petri Viui quiescit. Lupus varus locis, Regino, Iac. Tauellus (vir in historia & sagax & peritus) in Archiepisc. Senonensium Gestis.

[f] Scripta est hæc Marcuuardi Epistola anno 848. Tum enim Dido Abbas sancti Petri Viui Senonensis, cui, paucis annis præfuit. Autor Gaufridus in Historia istius Monasterij sui.

[g] Aduertere Helysacharem Centulensem fuisse Abbatem iuuabit, si Agobardum legeris. illius enim meminit, p 94. 160. & alibi. Et eum quoque ferunt Gemmetici Monasterij fuisse rectorem. Hariulfus lib. 3 cap. 4.

dignitas successoribus aliquot eiusdem Cœnobij [a] *Archimandritis. At cùm Comitatus iste maritimæ Franciæ, ab Hariulfo, & ab illius æui authoribus, promiscuè etiam Ducatus nominetur, hoc obiter inseram: Haud magni apud me ponderis fuisse, quod & in Ambaziensium* [b] *Dominorum Historia, & in Andegauorum* [c] *Consulum Gestis, aliquando legi: Hugonem Ducem Burgundiæ, Carolo Simplici, adhuc puerulo, tutorem datum, accepta potestate, quæ tum Abbacomitatus dicebatur, & à successoribus, in arrogantius vocabulum, quod est Ducamen, mutata est. Verùm Nithardus paucissimis* [d] *diebus Centulensi Monasterio præfuit, bello ipse peremptus, anno, vt è multis coniicio,* DCCCLIII. *cùm Dani,* [e] *Sueuique, quos Theotisci* Nortman, *id est Aquilonares, appellant, sua habitationis finibus egressi, iam per viginti annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis, omnique crudelitatis genere afficerent. Atque eodem in loco, quo primùm quieuerat Angilbertus, sepultus ipse est; in aditu nempè, seu porticu maioris Ecclesiæ, quæ Sancto Saluatori, Sanctóque Richario dicata erat. Quod Hariulfus* [f] *his, & prolixioribus etiam verbis, enarrauit.* Tempore, *inquit,* Geruini, [g] huius nominis primi, Centulensis Abbatis, domni ac Sancti Angilberti tumulus ignorabatur, nec vllo, ob hoc, terreno honore potiebatur, quamuis eius celeberrima memoria in ore vniuersorum Franciscorum, vel Pontiuorum, atque aspectu egregij Templi, quondam ab eo fundati, resplenderet. Cùm itaque aliquando venerabilis Geruinus Cœnobium Gorziam, quod est situm in confinio Metensis ciuitatis, iuisset, inuentum ibi codicem, (vbi de eiusdem sancti viri, aliorúmque nostratum Abbatum gestis, quædam continebantur) ab illius loci fratribus mutuatum, Centulam detulit: in quo repertum est, quòd Sanctus Abbas Angilbertus XII. Kal. Martij transisset ad gloriam. Et inde Centulenses Monachi, quoniam ab eo tempore, quo sub Guaramundo pagano combustum fuerat Monasterium, vsque ad hæc tempora, eos dies transitus eius latuerat, plurimum exhilarati fuere. Igitur Geruinus (qui vir desideriorum meritò dici potest) ad fores Ecclesiæ, quo compererat illum primò tumulatum, perquirere cœpit: nec illius quidem corpus ibi inuenit, sed in eodem, quo quondam pausauerat, sarcofago, inuenit lecticam ligneam coriatam, domni Nithardi filij eius Abbatis & Comitis corpus continentem, sale perfusum; in cuius capite videbatur illa percussura, qua euentu prælij fuit occisus. Recludens itaque eundem tumulum, aliorsùs sanctam corporis Angilberti glebam quærere proposuit, &c. *Nec enim te, Lector, pluribus morabor, & properante calamo irrepsêre multa, quæ intertexere initio non erat animus. Hoc vnum de Nithardi libri titulo addam: Etiamsi in scripto* [h] *libro, è quo, seculi sui honor P. Pithæus illum in publicum dedit, nulla habeatur & libri & autoris inscriptio: Et è Centulensis Historiæ* [i] *codice,* Chronicum *seu* Gesta Francorum *dici debere videatur; non abs re tamen esse, quod ab illo, Opus istud,* Historia de discordia, *seu dissensionibus filiorum Ludouici Pij, appelletur. Huic etenim Nithardi Opusculo, hunc fuisse titulum, planum erit ab autore* [k] *incogniti nominis, qui anno* 1214. *Latinè tribus libris, Francorum scri-*

A

B

C

[a] Hariulfus lib. 3. Hist. Centul. cap. 10.

[b] Incipit; *Sæpenumero postulauisti vt Ambaziensium Dominorum, &c.*

[c] Quorum autor Monachos Maioris Monasterij, eaque sic incipiunt; *Historiam siue gesta Andegauorum Consulum, &c.*

[d] Hariulfus lib. 3. cap. 5. & lib. 2. cap. 17. eadem de re agens, *Paucis,* inquit, *diebus in regimine expletis, Nithardus prælio interemptus est.*

[e] Verba sunt Chronici Monasterij sanctorum Sergij & Bacchi ad Andegauim vrbē; atque etiam Historiæ Imperatorum, Regum Francorum, & Comitum Andegau. quæ incipit, *Adâ, &c.* & in Ludouico Grosso desinit.

[f] Lib. 4. c. 32.

[g] Obiit Geruinus iste V. Non. Mart. anno Dom. 1074. autor Hariulf.

[h] Hic olim fuit Monasterij sancti Maglorij Parisiensis, & quidem (si benè coniicio, Hugonis Magni, patris Hugonis Capet Francorum Regis beneficio. Qui primus illud construxit.

[i] Duo extant planè dissimiles: Huius de quo hic sermo, autor est Hariulfus.

[k] Huius præfationis initium, est: *Cùm animaduerterem quamplurimos & ferè omnes homines de gestis Regum Francorum dubitare, &c.* At liber primus sic incipit: *Inter annos illos quibus Hebræorum populus, &c.*

A *psit Historiam: quamquidem post L. annos, alius Equitania oriundus, Gallicam fecit, & Alfonso Pictaui & Tolosæ Comiti Sancti Ludouici Regis fratri, dicauit. E cuius præfatione quæ subsunt, exscripsimus.* Sumpta, inquit, sunt hæc à gestis Sanctorum Remigij, Lupi, * Indicelli; à vita etiam Sancti Lamberti, quæ sic incipit, Gloriosus vir Lambertus æterno Regi martyr acceptus, &c. à Chronicis Hugonis * Floriacensis, Roberti ª Autisiodorensis; quædam autem à libro Isidori, qui Etymologiarum dicitur: à Chronicis ᵇ Sancti Petri Viui Senonensis; ab historia Longobardorum: à libro Guertini, qui se alumnum Caroli Magni fatetur: à quadam historia, quæ nomine Turpini intitulatur: à quodam libello, qui de gestis Regum Francorum loquitur, qui apud Sanctum Germanum de Pratis iuxta Parisius reperitur: à libro etiam Nithardi, qui de discordia filiorum Ludouici Pij agit; à Chronicis de Caritate: ab historia Hierosolymitana; quædam autem de Operibus Ludouici Pij, & Philippi, qui modò regnat, &c. *Hæc ille. Totum autem hoc hîc adscripsi, vt historiæ Franciæ plures necdum vulgati Scriptores tibi, Lector, innotescerent. Vtque Gallia nostra (cui Catholici Reges omnes & Principes hoc debent, quòd Christiani sunt) illustranda, desiderium aliquod aut inijcerem, aut quod mauelim, aliquatenùs augerem.*

* al. Ven.

* Floriacus, villa ad Ligerim cœnobio sancti Benedicti celebris. Miorque veterem Gallicū Interpretem id locensis.

ª Is est sancti Mariani Monachus, cuius Chronicum anno 1608. edi voluit Nic. Camusat Trecass. Canonicus, literato cuique abūdè notus.

ᵇ Eorum autor Gaufridus de Coilonos. eiusdem loci Monachus, & desinunt in anno 1294.

B

ADDITIO.

Pag. 4. v. 12. ad illud, Silentiarium statuit: vt eius consilio Regnum totum componeret. *in interiori margine addita hæc erant. Ipsissima verba veteris vitæ Sancti Angilberti enarratoris hæc sunt:* Sibi Karolus eumdem Silentiarium statuit; vt in quo compererat prudētiæ altitudinem, eius consilio componeret totius Regni vtilitatem. *Quibus addo. Ideo me verba ipsa veteris Scriptoris subiicere, vt, si fortè in huius Silentiarij officium inquirere velis, non sit quod arguas, verborum à me immutatum quidquam. Mihi certè in facili non est, quæ munia illius essent, certò constituere. Nec adducar, vt credam, fuisse vnum è schola Silentiariorum, de quibus est Tit. 16. Libri 12. Cod. Iustinian. Hi siquidem, ad sacri Consistorij limina excubias agentes, non nisi quietem, & silentium imperabant. Rectéque Zonaras, huice Collegio adscribens, quod legerat Anastasium Dicorum ante adeptum Imperium Silentiarium fuisse, addit* χαμηλῶν τῶν τῶ ἀξιωμάτων *(inter minores dignitates esse.) Nam opera ista seruilis fuit. Et fuere inter seruos Silentiarij. Ac scitè Saluianus, lib. 4. de Prouidentia (dum ostendere vult, heris peiora multò imputari posse quàm seruis.)* Ad fugam, *inquit,* seruos non miseriæ tantùm, sed & supplicia compellunt: pauent quippè actores, pauent silentiarios, pauent procuratores: propè vt, inter illos omnes, nullorum minus serui sint, quàm dominorum suorum, &c. *Hinc fit, vt non nisi inuitus, ad illos quoque referam, quod de Anastasio dictum (quódque è Cedreno (p. 291.) Suida, aliisque constat) ante delatum illi Imperium Silentiarium fuisse: vti & quod lib. 4. de Ædifie. Iustiniani monuit Procopius; Theodorum Iustiniani Silentiarium fuisse. Ego enim Silentiarium Principis, ab his, qui è Silentiariorum fuere schola, seiungo. Idque produnt hæc, huiusce autoris veteris de Karolo verba:* Sibi Silentiarium statuit. *Deinde, eum ei*

C

totius Regni vtilitas cura sit, & Angilberto summis iam honoribus perfun- A
cto, addita illa sit dignitas, paulò antequam Bertham, Regis filiam, coniugem acciperet; longè ab excubitore, Regis Silentiarium abesse, nemo inficias iuerit. Fortè verò Silentiarius is fuerit, qui Silentio praeerat. Dictum enim illa aetate Silentium, Paucorum congregatio, qui, seorsim à populo, de grauioribus negotiis inuicem disceptarent. Inter quos Imperator in ambone, seu tribunali, sublimis sedebat; Cuius erat, oratione persequi, quae in concilio agitanda essent. Idque fortè, Imperatoris vice, peragebat Silentiarius. Nam & διάλεξις ista, σιλέντιον vocabatur, testibus Zonara Tom. 3. Niceta & aliis. At ipsum quoque conuentum, ἢ τὴν σύγκλητον βουλὴν (vt verbis Zonarae vtar) Silentium dici, Historiae Miscellae autor docuit. Qui lib. 21. Impius Leo (*inquit*) Silentium contra sanctas & venerabiles celebrauit iconas (*in tribunali decem & nouem cubituum*) aduocato quoque Germano Patriarcha, &c. *Nec enim eo loci aliud vult, quàm quod lib. 22. de Constantino Copronymo, istius Leonis III. filio, retulit.* Impius (*inquit*) Constantinus contra sanctas & venerabiles imagines Concilium iniquum triginta octo Episcoporum congregauit. *Et i.* Qui cùm in Blachernas conuenissent, ascendit Constantinus Imp. in ambonem, tenens Constantinum Sylei B
Episcopum. Et cùm orasset, voce magna pronuntiauit, dicens: Constantino vniuersali Patriarchae multos annos, &c. *Haec verò, neutiquam à me pro veris plenè asserta noueris, Lector. Quinimò, si hanc literaturam calles (quae in forensi quidem palaestra desudantibus perutilis, at in republica versantibus planè necessaria est) tibique, quid meliùs istis, occurrerit; me eruditionis tuae praeconem, tuique sequacem inuenisti.* Fruere interea, & viue.

Sapienti, pauca sufficiunt.

C



NITHARDI ANGILBERTI FILII, CAROLI MAGNI IMP. EX BERTHA FILIA NEPOTIS,

De Dissensionibus filiorum Lodhuuici Pij ad annum vsque DCCCXLIII.

LIBRI QVATVOR, AD CAROLVM CALVVM FRANCORVM REGEM.

Recens à mendis & corruptionibus innumeris expurgati, partim ope vetustissimi Ms. Codicis, qui extat in Bibl. D. Alexandri Petauij S. P. partim coniecturis à sensu historiæ desumptis.

PRÆFATIO LIBRI I.

A CVM, vt optimè, mi Domine, nosti, iam penè annis duobus illatam à fratre vestro persecutionem vos vestrique haud quaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introissemus ciuitatem, præcepistis, vt res vestris temporibus gestas stili officio memoriæ traderem. Oportuna quidem placidáque res, fateor, fuerat præcepta, si otium tanti negotij vt dignè exsequeretur, fuisset concessum. Nunc autem si quid minus, vel incultiùs quàm oportuerit, pro rerum magnitudine huic Operi inueneritis insertum, tantò facilior venia à vobis vestrísque mihi debetur, quantò me nostis eodem turbine quo & vos, dum hoc Opus peregerim, esse agitatum. Præterire autem ea quæ temporibus pij patris vestri gesta sunt, disposueram, sed faciliùs cuilibet legenti altercationum
B vestrarum veritas patebit, si quædam, quæ suo in tempore contigisse nouimus, summo tenus prælibauero. Aui quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minimè videtur. Ac per hoc textus hinc sumat exordium.

INCIPIT LIBER I.

KAROLVS bonæ memoriæ, & meritò Magnus, Imperator ab vniuersis nationibus vocatus, hora videlicet plus minus diei tertia, in senectute bona decedens, omnem Europam omni bonitate repletam reliquit. Vir quippe omni sapientia & omni virtute, humanum genus suo in tempore adeo præcellens, vt omnibus Orbem inhabitantibus terribilis, amabilis paritérque & admirabilis videretur: ac per hoc omne Imperium omnibus modis, vt cunctis manifestè claruit, honestum & vtile effecit. Nam super omne quod ammirabile fateor fore, Francorum, Barbarorúmque ferocia ac ferrea corda, quæ nec Romana potentia domare valuit, hic solus moderato terrore ita repressit, vt nihil in Imperio moliri

LVDOVICVS PIVS. præter quod publicæ vtilitati congruebat, manifestè auderent. Regnauit feliciter per annos duos & triginta. Imperiique gubernacula nihilominus eum omni felicitate per annos quatuordecim possedit. A

HERES autem tantæ sublimitatis LODHVVICVS filiorum eius iusto matrimonio susceptorum nouissimus, ceteris decedentibus, successit. Qui vt pro certo
815. patrem obiisse comperit, Aquas ab Aquitania protinus venit: quò vndique ad se venientem populum, absque quolibet impedimento suæ ditioni addixit; de ceteris, qui sibi creduli videbantur, deliberaturus. Initio quidem Imperij suscepti pecuniam ingenti numero à patre relictam trifariam diuidere iussit, & vnam partem in causam funeris expendit, duas verò inter se & sorores suas à patre iusto matrimonio susceptas diuisit, quas & instanter à Palatio ad sua Monasteria abire præcepit. Fratres quoque adhuc tenera ætate, Drogonem, Hugonem, & Theodericum, participes mensæ effecit, quos & in Palatio vna secum nutriri præce-
818. pit: & Bernardo nepoti suo filio Pippini Regnum Italiæ concessit. Qui quoniam ab eo paulò pòst defecit, capitur, & à Bertmundo Lugdunensis prouinciæ Præfecto luminibus pariter & vita priuatur. Hinc autem metuens ne post dicti fratres
819. populo sollicitato eadem facerent, ad Conuentum publicum eos venire præcepit, totondit, ac per Monasteria sub libera custodia commendauit. Quo peracto, filios suos iusto matrimonio iunxit, & vniuersum Imperium inter eos ita diuisit,
821. vt Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuvvicus autem Baioariam, Lodharius verò post discessum eius vniuersum Imperium haberet. cui & vna secum Imperatoris nomen habere concessit. Interea Irmengardis Regina materque illorum de- B
823. cessit, ac paulò pòst Lodhuvvicus Imperator Iudith in matrimonium sumpsit, ex qua Karolus creatur.

KAROLO quidem nato, quoniam omne Imperium inter reliquos filios pater diuiserat, quid huic faceret, ignorabat. Cùmque anxius pater pro filio filios rogaret, tandem Lodharius consensit, ac sacramento testatus est, vt portionem Regni, quam vellet, eidem pater daret, tutorémque ac defensorem illius se fore contra omnes inimicos eius in futuro, iurando firmauit. Instigante autem Hugo-
829. ne, cuius filiam in matrimonium Lodharius duxerat, ac Mathfrido, ceterisque, serò se hoc fecisse pœnituit, & quemadmodum illud quod fecerat annullare posset, quærebat. Quod patrem matrémque minimè latuit. ac per hoc, hinc inde quod pater statuerat, Lodharius diruere, etsi non manifestè, occultè studebat. Ad quod Bernardum quendam Ducem Septimaniæ pater in supplementum sibi sumens, Camerarium constituit, Karolúmque eidem commendauit, ac secundum à se in Imperio præfecit. Qui dum inconsultè Republica abuteretur, quam solidare debuit, penitus euertit. Per idem tempus Karolo Alamannia per edictum traditur. Tum tandem Lodharius, quasi iusta querimonia reperta, tam fratres quàm & vniuersam plebem veluti ad restaurandum Reipublicæ statum anima-
830. bat. Quamobrem pariter cum omni populo patri ad Compendium superueniũt. Reginam velauerunt, fratres eius Cunradum & Rodulfum totonderunt, atque in Aquitaniam seruandos Pippino commiserunt. Bernardus quoque fuga lapsus in Septimaniam se recepit. Eribertus frater eius captus, ac luminibus priuatus, in C
831. Italiam custodiendus traditur. Et Lodharius quidem eo tenore Republica adepta, patrem & Karolum sub libera custodia seruabat: cum quo Monachos, qui eidem vitam monasticam traderent, & eandem vitam illum assumere suaderent, esse præceperat. Res autem publica, quoniam quisque cupiditate illectus sua quærebat, cotidie deteriùs ibat. Quamobrem tam Monachi, quos suprà memorauimus, quàm & ceteri, qui quod factum fuerat dolebant, illum percuntari cœperunt, si Respublica eidem restitueretur, an eam pro viribus erigere ac fouere vellet, maximéque cultum diuinum, quo omnis ordo tuetur ac regitur. Quod quia facilè confessum, in restauratione eius ociùs consensum est: assumptóque Guntbaldo quodam Monacho, sub specie religionis in hoc negotio ad Pippinum Ludouicúmque filios eius occultè direxit: promittens, si in sua restitutione vna cum his, qui hoc cupiebant, adesse voluissent, Regnum vtrisque se ampliare velle. Ac per hoc perfacilè cupidéque paruêre, Conuentúque condicto, Regina & fratres eius eidem restituuntur, ac plebs vniuersa ditioni eius se subdidit. Hinc hi, qui eum Lodhario senserunt, in concilium deducti, & ab ipso Lodhario ad mortem

A mortem diiudicati, aut, vita donata, in exilium retrusi sunt. Lodharium quoque solâ Italiâ contentum, ea pactione abire permisit, vt extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret. Cumque se hæc ita haberent, & Respublica paululum respirare videretur, confestim Guntbaldus Monachus, quem supra memorauimus, quia multum in restitutione eius laborauerat, secundus in Imperio esse volebat. Quod quoniam Bernardus, vt præmissum est, olim fuerat, summa industria iterum esse certabat. Pippinus quoque & Lodhuvvicus, quanquam eis Regna, sicut promissum fuerat, aucta fuissent, tamen vt in Imperio post patrem primi essent, vterque laborabat. At illi, per quos tunc Respublica tractabatur, voluntati eorum obsistchant. LVDOVICVS PIVS.

Per idem tempus Aquitania Pippino dempta Karolo datur, & in eius obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, iurat. Quod quidem hi, quos suprà retulimus, grauiter ferêtes, vt Respublica inutiliter tractaretur, diuulgant, populúmque quasi ad iustum regimen sollicitant. VValanam, Elisachar, Mathfridum, cæterósque, qui in exilium retrusi fuerant, custodiâ emittunt: Lodharium, vt Rempublicam inuadat, compellunt. Insuper autem & Gregorium Romanæ summæ Sedis Pontificê, vt sua auctoritate liberiùs quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt. Quamobrem Imperator, vna cum omni quod habebat Imperio, tres Reges, filiique eius, aduersus eum cum ingenti exercitu, insuper Papa Gregorius cum omni 833.
B comitatu Romano, Elisatam confluunt, iuxtáque montem Siguualdi castra ponunt, ac variis affectionibus populum vt à patre deficeret, filij compellunt. Nouissimè, quibusdam fugâ lapsis, cum perpaucis pater capitur. Vxor ab eo dempta in Langobardiam exilio mittitur, ac Karolus vna cum patre sub magna custodia seruatur. Gregorius siquidem Papa itineris pœnitudine correptus, tardiùs quàm vellet Romam reuertitur. Et Lodharius quidem iterum eo tenore Imperium adeptū, quod iniustè tam facilè iteratò obtinuit, iteratò faciliùs iustè amisit. Nam Pippinus & Lodhuvvicus videntes, quòd Lodharius vniuersum Imperium sibi vindicare, illósque deteriores efficere vellet, grauiter ferebant. Insuper autê dum huc Lambertus atque Mathfridus, quis illorum secundus post Lodharium in Imperio haberetur, ambigerent, diffidere cœperunt. Et quoniam quisque eorum propria quærebat, Rempublicam penitus negligebant. Quod quidem populus cernens, molestus erat. Occurrebat insuper etiam filiis verecundia & pœnitudo, quod patrem bis honore priuauerant; vniuersæ plebi, quòd bis Imperatorem dimiserant. ac per hoc hinc inde in restitutione eius consentiunt, & vndique ad sanctum Dionysium, vbi tunc Lodharius patrem & Karolum seruabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequam conueniant, arma sumit: patrem ac Karolum dimittit, itineréque arrepto Viennam petit. Plebs autem non modica, quæ præsens aderat, etiam etiámq; Lodhario pro patre vim inferre volebat. Rege recepto, Basilicâ sancti Dionysij vna cum Episco- 834.
C pis & omni Clero confluunt, laudes Deo deuotè referunt, coronam & arma Regi suo imponunt, & ad cetera deliberaturi contendunt. Lodharium pater persequi distulit, sed Legatos, qui eum citra Alpes festinare iuberent, post illum direxit. Pippinum ad se venientem benignè excepit, gratias in eo, quòd pro sua restitutione laborauerat, egit: ac reuerti eum in Aquitaniam, vti petiuerat, permisit. Hinc indè fideles, qui euaserant, & Rempublicā regēre consueuerant, confluunt: cum quibus itinere arrepto, Aquis hiematum petit, tandémque Lodhuvvicum venientem gratanter excepit: quem & vna secum causâ præsidij esse præcepit. Interea hi, qui Iudith in Italia seruabant, audientes quòd Lodharius fugam inierat, & pater Imperium regebat, arrepta Iudith fugam ineunt, Aquis prosperè perueniunt, gratum munus Imperatori deferunt. Verumtamen haud est thoro regio recepta, donec se criminibus obiectis innoxiam, quia criminator deerat, sacramento vna cum propinquis coram plebe effecit.

Per idem tempus Mathfridus & Lambertus, ceterique à parte Lodharij, penes Marcam Britannicam morabantur. Ad quos pellendos missus est Vodo, & omnes inter Sequanam & Ligerim degentes. Qui manu valida collecta, hinc atq; indè conuenerunt. Et hos quidem paucitas, ac per hoc summa necessitas, vnanimes effecit. Vodonem autem & suos maxima multitudo securos, discordes, & 835.

LVDOVICVS PIVS. inordinatos reddidit. Quapropter prælio commisso, fugerunt. Cecidit Vodo, & Odo, Viuianus, Fulbertus, ac plebis innumera multitudo. Quod quidem citato cursu victores Lodhario notantes, mandant vt quantociùs posset illis cum exercitu occurrat. Qui libenter paruit, & Cauillonum collecta manu valida venit, ciuitatem obsidione cinxit: præliando triduum obsedit, & tandem vrbem captam vna cum Ecclesiis incendit. Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit. Gozhelmum & Senilam* capite puniuit. VVarino autem vitam donauit, & vt se deinceps pro viribus iuuaret, iureiurando constrinxit. Hinc autem Lodharius & sui duobus præliis feliciter gestis magnanimes effecti, vniuersum Imperium perfacilè inuadere sperantes, ad certa deliberaturi Aurelianensem vrbem petunt. Quod pater audiens, è Francia manu valida collecta, insuper Lodhuvvico filio suo, cum vniuersis, qui trans Renum morabantur, in auxilium sibi assumpto, tantum facinus à filio in Imperium commissum vindicaturus pertexit. Lodharius quoque eadem spe, qua Francos abducere consueuerat, animatus, ire obuius ratum duxit. Ac per hoc hinc inde confluunt, supráque fluuium, iuxta villam quæ Caluiacus dicitur castra ponunt. Sed Franci, eò quòd Imperatorem bis reliquerant, pœnitudine correpti, & vt deinde tale quid committerent turpe iudicantes, ad defectionem impelli dedignati sunt. Quamobrem cùm nec fugæ, nec prælij locum videret, ea pactione nouissimè prælium diremit, vt infra dies statutos Alpibus excederet, ac deinceps, sine patris iussione, fines Franciæ ingredi non præsumeret, & extra patris voluntatem in eius Imperio deinceps nihil moliri temptaret. Quod & ita se & suos seruaturos, tam is quàm & sui sacramento firmauerunt.

* Gauzelinum & Sanilam.

838. His ita compositis, pater, vti & cum quibus consueuerat, Imperium regebat. Videns autem quòd populus nullo modo diebus vitæ suæ illum relinquere, vti consueuerat, vellet, Conuentu Aquis hieme indicto, portionem Regni his terminis notatam Karolo dedit: id est à mari per fines Saxoniæ vsque ad fines Ribuariorum, totam Frisiam, & per fines Ribuariorum Comitatus Moilla, Halt, Trahammolant, Masagobbi*. Deinde verò quicquid inter Mosam & Sequanam vsque Burgundiam vna cum Viridunensi consistit: & de Burgundia, Tullensem, Odornensem, Bedensem, Blesensem, Parthensem, vtrosque Barrenses, Brionensem, Tricasinum, Autissioderensem, Senonicum, VVastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrensem, Parisiacum: & deinde per Sequanam vsque in mare Oceanum, & per ipsum mare vsque in Frisiam. omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, Fiscos, & omnia infra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistebant, & sui iuris esse videbantur: vna cum auctoritate diuina atque paterna, præfato filio suo Karolo dedit, firmúmque vt permaneret Dei omnipotentis clementiam exorauit. Hilduinus autem Abbas Ecclesiæ sancti Dionysij, & Gerardus Comes Parisius ciuitatis, cæterique omnes prædictos fines inhabitantes conuenerunt, fidémque sacramento Karolo firmauerunt. Quod quidem Lodharius & Lodhuvvicus audientes, grauiter ferebant. vnde & colloquium indixerunt. Ad quod venientes, cùm nihil ex his indignari se posse viderent, callidè dissimulantes quippiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt. Veruntamen ob id colloquium commotio non modica exorta est, sed facilè quieuit. Hinc autem Carisiacum mediante Septembrio venit, seditionémque quandam similiter perfacilè sedauit, ac præfato Karolo arma & coronam, necnon & quandam portionem Regni inter Sequanam & Ligerem dedit, Pippinum ac Karolum, vt videbatur, vnanimes effecit: ac deinde Pippinum in Aquitaniam abire cum gratia permisit: Karolum verò in partem Regni, quam ei dederat, direxit. Quò veniens, omnes hos fines inhabitantes ad illum venerunt, & fidem sacramento commendati eidem firmauerunt. Eodem tempore nuntiatur quòd Lodhuvvicus à patre suo desciuisset, & quicquid trans Renum Regni continebatur, sibi vindicare vellet. Quod pater eius audiens, indicto Conuentu, Magontiam conuenit, ac traiecto exercitu fugere illum in Baioariam compulit. Post Aquis exultans rediit, quoniam, quocumque se verterat, nutu diuino victor erat. Veruntamen ingruente senili ætate, & propter varias afflictiones penè decrepita imminente, mater ac primores populi, qui in voluntate patris pro Karolo laborauerant, metuentes, si infectis rebus

* Masagouui

A decederet, odia fratrum vsque ad internetionem sibi insurgere, tatum duxerunt vt quemlibet è filiis pater in supplementum sibi assumeret: & si post discessum eius ceteri concordes esse nollent, saltem hi duo vnanimes effecti, valerent resistere inuidorum factioni. Cúmque necessitate instante, ac per hoc assiduis meditationibus in hac electione versarentur, vniuersorum sententia consensit, si Lodharius certum se in hoc negotio præbere vellet, eum eo fœdus iniri debere. Nam, vti præmissum est, idem olim patri matrique ac Karolo iurauerat, vt partem Regni quam vellet pater, ei dem daret, & eandem se consentire & protegere illi contra omnes inimicos omnibus diebus vitæ suæ deberet. Quamobrem Missos deligunt, & in Italiam ad Lodharium mittunt: promittentes, si patris voluntatem deinceps erga Karolum conseruare vellet, omnia quæ in illum hactenus deliquerat, remitti, & omne Regnum, absque Baioaria, inter illum & Karolum diuidendum. Quæ quoniam Lodhario & suis rata videbantur, vtraque ex parte sic velle, ac sic se perficere, iurauerunt.

LVDOVICVS PIVS.

Ergo ad vrbem Vangionum Conuentu indicto conuenerunt, in quo Lodharius humillimè ad pedes patris coram cunctis procidit, dicens: Noui me coram « Deo & te, Domine pater, deliquisse. Non Regnum, sed indulgentiam, & vt gra- « tiam tuam merear, quæso. Idem autem, vt pius ac clemens pater, & delicta postu- « lanti indulsit, & gratiam roganti concessit: eo scilicet pacto, vt deinceps nihil quo- B libet modo contra suam voluntatem nec in Karolum, nec in Regnum alicubi egisset. Dein benignè illum excepit, ac deosculans, gratias Deo pro filio quem auersum reconciliauerat, egit. Ad prandium deinde conuersi sunt, crastinum de ceteris, quæ sui iurauerant, deliberaturi. Die autem altera concilium ineunt. Hinc pater, vt sui iurauerant, perficere cupiens: Ecce, fili, vt promiseram, Regnum om- « ne coram te est: diuide illud prout libuerit. Quod si tu diuiseris, partium electio « Caroli erit. Si autē nos illud diuiserimus, similiter partium electio tua erit. Quod « idem cùm per triduum diuidere vellet, sed minimè posset, Iosippū atque Richardum ad patrem direxit, deprecans vt ille & sui Regnum diuiderent, partiúmque electio sibi concederetur. Insuper verò, in ea fide, quā illis iurauerant, testati sunt, quòd pro nulla re alia, nisi sola ignorantia regionum, id peragere differret. Quamobrem pater, vt æquiùs valuit, Regnum omne absque Baioaria cum suis diuisit: & à Mosa partem Australem Lodharius cum suis elegit: quinimmò & accepit. Occiduam verò, vt Carolo conferretur, consensit, & vnà cum patre coram omni populo ita se velle annuntiauit. Hinc autem pater fratres, prout valuit, vnanimes effecit: rogans ac deprecans vt inuicem se diligerent, & vt alter ab altero protegeretur adhortans, exorat, & quod fieri desiderat, optat. Quibus peractis, benignè & pacificè Lodharium in Italiam ditatum remissionis gratia, ac Regni muneribus, remittens, sacramenta quæ sæpè iurauerat, quotiens in illum deliquerat, quo- C tiens delicta eidem donauerat, in memoriam reducens, ac piis visceribus monens, contestabatur ne saltem id quod nunc nouissimè peregerant, corámque cunctis ita se velle confirmauerat, frustrari quolibet modo permittat. 839.

Eodem tempore, vt Pippinus decessisset, pater nuntium acceperat, & pars quædam populi, quid auus de Regno vel nepotibus iuberet, præstolabatur: pars autem, arrepto filio eius Pippino, quia natu maximus erat, tyrannidem exercebat. Quapropter his ita, vt præfatum est, cum Lodhario perfectis, collecta manu valida, per Cauillonem, Clarummontem vna cum Carolo ac matre pater petit, ac partem populi, quæ illum præstolabatur inibi, benignè recepit. Et quoniam olim Regnum Aquitaniæ Carolo donauerat, vt illi se commendarent, hortando suasit, iussit. Qui omnes commendati, eidem sacramento fidem firmauerunt. Post quod quomodo tyrannos compesceret, contendit. Per idem tempus Ludhouvvicus à Baioaria solito more egressus, Alamanniam inuasit, cum quibusdam Toringis & Saxonibus sollicitatis. Quamobrem pater eius ab Aquitania reuocatus, dimisso videlicet Carolo vna cum matre eius Pictauis: ipse verò sanctum Pascha Aquis celebrauit, & sic vno eodémque itinere Toringam petiit. A qua Lodhuvvico filio eius pulso, per Sclauos itinere redempto, eum in Baioariam fugere compulit. Quo peracto, Kal. Iulij ad Vangionum vrbem Conuentum indixit, ad quod Lodharium filium suum ab Italia venire præcepit: cum eo, ceterisque sibi credulis de Lodhuvvico deliberaturus. Cúmque se hæc ita haberent, & 840.

CAROLVS CALVVS. 840.

Lodharius in Italia, Lodhuvvicus trans Renum, & Karolus in Aquitania essent, A
Lodhuvvicus Imperator, patérque illorum, in insula quadam iuxta Magonciacum XII. Kal. Iulij obiit. Quem Drogo frater, & Episcopus, atque Archicapellanus eius, Metis ciuitate sua apud sanctum Arnulfum, vna cum Episcopis, Abbatibus, Comitibúsque congruo honore sepulturæ tradidit. Vixit per annos IIII. & LX. Rexit Aquitaniam per annos VII. & XXX. Imperiale verò nomen per annos VII. & XX. & per menses sex obtinuit.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.

EXPLICITIS pro tempore ac viribus dissensionum vestrarum initiis, è quibus quique Lector scire cupiens quamobrem post obitum patris vestri, Lodharius vos fratrémque persequi statuerit, decernat, colligat, & si iustè egerit, cognoscat: hinc iam qua virtute ac industriâ hoc exsequutus sit, prout memoria viresque suppleuerint, notare curabo. B
Vos verò difficultates, quæ ex eadem molestia paruitati meæ obstiterint, inspicere deposco. Et si quid in hoc Opere neglexero, vt ignoscatis quæso.

AVDIENS Lodharius patrem suum obisse, confestim nuntios vbique, præsertim per totam Franciam, mittit, qui se venturum in Imperium, quod olim fuerat illi datum, affirment: promittens vnicuique honores à patre concessos se concedere, & eosdem augere velle. Dubios quoque fide, sacramento firmari præcepit. Insuper autem iussit, vt quantotiùs possent, obuiam illi procederent. Nolentibus verò, capitale supplicium vt prædiceretur, indixit. Ipse autem pedetemptim, quò se res verteret, antequam Alpes excederet, scire volens. * Ergo cupiditate terroréque illecti vndique ad illum confluunt, & hoc cernens spe viribúsque magnanimus effectus, quibus artibus vniuersum Imperium liberiùs inuadere posset, deliberare cœpit. Lodhuvvicum quoque, quem itineri suo contiguum esse prospexit, vt primum in illum manum mitteret, rarum duxit; & vt eundem viribus annullaret, operam omni virtute adiecit. Interea ad Karolum in Aquitaniam Legatos callidè dirigens, mandat se erga illum, sicut pater statuerat, & sicut erga filiolum ex baptismate oportebat, beniuolum esse. Verumtamen, vt nepoti suo filio Pippini, donec cum eo loqueretur, parceret, deprecatus est. C
Et his ita compositis, ad vrbem Vangionum iter direxit. Eodem tempore Lodhuvvicus partem exercitus inibi causâ custodiæ reliquerat, & Saxonibus sollicitatis obuiam illis perrexerat. Quamobrem Lodharius paruo conflictu custodes fugere compulit. Renum cum vniuerso exercitu transiens, Franconofurth iter direxit, quo insperato hinc Lodharius, inde Lodhuvvicus confluunt: pacéque sub nocte composita, alter inibi, alter verò quo Moin in Renum confluit, castra haud fraterno amore componunt. Cúmque Lodhuvvicus viriliter resisteret, & Lodharius illum absque prælio sibi subigere diffideret, sperans Karolum faciliùs superari posse, ea pactione prælium diremit, vt III. Idus Nouemb. eodem loco rursum conueniant, & ni concordia statutis interueniat, quid cuique debeatur, armis decernant. Et his ita omissis, Karolum sibi subigere contendit.

PER idem tempus Karolus Bituricas ad Placitum, quò Pippinum sui iurauerant venturum, venerat. Qui quidem ex omnibus nuntio recepto, Missos, videlicet Nitardum & Adelgarium, delegit, & vti ociùs valuit, ad Lodharium direxit: mandans ac deprecans, vt memor sit sacramentorum quæ inter se iurauerant,

A & seruet quæ inter illos pater statuerat. Insuper etiam fraternæ, filiolique conditionis meminerit. haberet sua sibi, & quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu illum habere permittat. Promittens si hoc faceret, fidelem se illi & subiectum fore velle, ita vt primogenito fratri esse oporteret: Insuper etiam quicquid hactenus in illum deliquerat, pollicitus est se ex corde remittere, deprecatus ne amplius suos sollicitet, nec Regnum sibi à Deo commissum perturbet. Cederent vndique paci atque concordiæ, & hoc se sua suorúmque ex parte ratum videre, ac per hoc conseruare velle, mandauit. Quod, etsi alter hoc ita esse non crederet, quocunque vellet modo, ex his illum certum se efficere promisit. Quæ quidem Lodharius simulans se benignè suscipere, Legatos tantum salutationis causâ redire permisit, ac per suos se responsurum de ceteris esse, respondit. Insuper etiam, quoniam ad ipsum se vertere frustrata fide noluerunt, honoribus, quos pater illis dederat, priuauit. Ita quid fratri facere cogitaret, nolens indicium dabat. Interea omnes inter Mosam & Sequanam degentes ad Karolum miserunt, mandantes, vt antequam à Lodhario præoccuparentur, veniret: aduentum eius se præstolaturos promittentes. Quamobrem cum perpaucis Karolus hoc iter accelerans, ab Aquitania Carisiacum venit, & à Carbonariis & infra ad se venientes benignè suscepit. Extra verò Herenfridus, Gislebertus, Bouo, ac ceteri ab Odulfo decepti, firmatam fidem negligentes defecerunt.

EODEM tempore Missus ab Aquitania venit, nuntians quòd Pippinus cum B his, qui parti suæ fauebant, super matrem Karoli irruere vellet: ac per hoc Karolus Francos inibi omittens, mandat, si illos frater suus donec reuerteretur opprimere vellet, obuiam sibi procederent. Insuper ad Lodharium, Hugonem, Adelhardum, Gerhardum, & Hegilonem direxit, cuncta quæ tunc nuper illi mandauerat replicans: nec non & pro Deo deprecatus est, ne suos sibi subtrahens, Regnum, quod Deus, patérque suo consensu illi dederat, ampliùs dissipet. Et his ita compositis, in Aquitaniam festinus perrexit, supérque Pippinum & suos irruens, fuga illos abire compulit. Per idem tempus, cùm Lodharius à Lodhuvvico reuerteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa traiecta, tatum duxit vt Sequanam vsque procederet. Quò dum tenderet, Hilduinus Abbas sancti Dionysij, & Gerardus Comes Parisij ciuitatis, à Karolo deficientes, fide frustrata ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi Regis Langobardorum, ceterique cernentes, elegerunt potiùs more seruorum fidem omittere, iuraméta contemnere, quàm ad modicum tempus facultates relinquere. Ac per hoc, fide relicta, quos suprà memorauimus secuti, eidem se dederunt. Hinc quoque Lodharius magnanimus effectus Sequanam excessit, præmittens more solito qui ad defectionem inter Sequanam & Ligerim degentes, partim minis, partim blanditiis subducerent. Ipse quoque vti consueuerat lento itinere subsecutus, Caremtenam ciuitatem tendebat. Cúmque Theodericum, Ericum & hos, qui illum se-C qui deliberauerant, ad se venturos didicisset, spe multitudinis suæ fretus, Ligerim vsque vt produceret, deliberauit. Karolus quoque à fuga, qua Pippinum & suos dispersèrat, reuersus; & quoniam matrem vbi tutò relinqueret non habebat, pariter ad Franciæ partes properabat.

AVDIENS autem Karolus interea, quòd hi omnes, quos suprà memorauimus, ab eo defecissent, & Lodharius cum ingenti exercitu persequi illum vsque ad internitionem statuisset, hinc autem Pippinus, & hinc Brittones infesti erant, quid facerent, concilium conuocant, ineunt, déque his omnibus facilè deliberaturi, facile consilium perfacilè inuentum est. Et quoniam nihil præter viram & corpora reliquum habebant, elegerunt potiùs nobiliter mori, quàm Regem proditum derelinquere. Quamobrem obuiam Lodhario pergunt, atque Aurelianensem vrbem hinc indè petunt, castra ponunt, distantes ab inuicem plus minus leuas vi. Legatos inuicem dirigunt. Et Karolus quidem sola iustitia pacem petebat: Lodharius verò, quo astu absque prælio illum decipere ac superare posset, operam dabat. Quod cùm peragere, strenuè resistentibus, diffideret, sperans vires suas, vti cœperant, cotidie accrescere, quàm cum Karolo decreuissent, faciliùs illum subiugari posse arbitrabatur. Hac autem spe deceptus, ea pactione prælium diremit, vt cederet Karolo Aquitania, Septimania, Prouincia, & decem Comitatus inter Ligerim & Sequanam: eo videlicet modo, vt his contentus interim

CAROLVS CALVVS. 841. inibi esset, donec Attiniacum VIII. Id. Maias conueniant: qua siquidem communi consensu vtrorumque vtilitatem præuidere ac statuere velle promisit. Primores quoque partium Karoli cernentes negotium vires suas excedere, maximéque timebant, ne fortè prælio commisso in tanta paucitate Regem suum saluare difficilè possent. Erat enim spes cunctis non modica indolis eius. Quamobrem statutis eo tenore consentiunt, vt deinceps Lodharius Karolo ita fidus amicus sit, sicut frater per iustitiam fratri esse debet; & Regna, quæ illi deputabat, quieta habere faceret; ac interim super Lodhuvvicum hostiliter ire dedisset: aliter autem, iure quod iurauerant absoluti esse deberent. Qua quidem arte & Regem suum à periculis subtrahunt, & se mox à sacramento absoluunt. Nam antequam iidem, qui hæc iurauerant, domo egrederentur, aliquos ex his qui aderant subducere ab illo temptauit, & in crastinum quosdam suorum recepit. Insuper & in Regna, quæ illi deputauerat, statim direxit, & in quantum potuit, ne illi se subderent, perturbauit: & vt è Prouincia ad se venientes exciperet, pertexit, & quemadmodum Lodhuvvicum dolo an vi superare posset, intendit. A

INTEREA Karolus Aurelianensem vrbem veniens, Teotbaldum & VVarinum cum quibusdam è Burgundia ad se venientes gratanter ac benignè excepit. Hinc autem obuiam Bernardo, sicut mandauerat, Niuernensem vrbem petit. Sed Bernardus, more solito, ad illum venire distulit, dicens se cum Pippino suisse sacramento firmasse, vt neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcunque pactum inire deberet. Quamobrem testatus est, ad illos se ire velle, & si efficere posset vt vna secum sui deuenirent, benè; sin aliter, soluto iuramento, infra dies quindecim ad illum reuersurum, suæque ditioni se commissurum esse promisit. Quamobrem Karolus Bituricas iterum obuiam illi venit. Quò Bernardus veniens, cùm neutrum fecisset, grauiter Karolus ferens seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat, timens ne aliter illum comprehendere posset, subitò in illum irruere statuit. Sed hoc Bernardus, quanquam tardè, præsensit, fugam iniit, ac vix euasit. Karolus autem quosdam è suis strauit, quosdam saucios ac semiuiuos reliquit: quosdam verò inlæsos cepit, ac more captiuorum custodiri præcepit: supellectilem autem vniuersam diripere permisit. Hinc quoque Bernardus humilior effectus, paulo pòst supplex ad Karolum venit, dicens, & fidelem se illi fuisse, & tunc, si liceret, esse voluisse; & deinceps, quanquam hac contumelia affectus esset, in futurum fore minimè diffideret. Quod, etsi quilibet aliter dicere vellet, armis se obpropulsurum promittit. Quibus Karolus credulus effectus, ditatum muneribus & gratiâ in societatem amicitiæ suscepit: & vt Pippinum ac suos, vti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Et his ita compositis, Cenomannicam vrbem adiit, Lantbertum, Ericúmque, vna cum ceteris recepturus. Cúmque ille illos inibi perhumanè reciperet, protinus ad Nomenoïum Ducem Brittannorum mittit, scire cupiens si suæ se ditioni subdere vellet. Qui adquiescens consiliis plurimorum, Karolo munera mittit, ac sacramento fidem deinceps seruandam illi firmauit. Quibus peractis, quoniam tempus Placiti, quod Attiniacum condixerant, appropinquare videbatur, quid consultè ac solida fide sibi suisque agere oporteret, Karolus anxius erat. Ergo participes secretorum conuocat, rem omnibus notam replicat, ac quemadmodum à tanta calamitate congruentiùs se suósque exsui posse existimarent, vt aperiretur, deposcit, séque in omnibus publicæ vtilitati parere velle: insuper etiam, si oporteret pro ea mortem subire, minimè differre fatetur. Quibus cùm vndique vires creuisse viderentur, reminiscentes insidiarum, quas Lodharius temporibus patris sui patri & Karolo inferre studuerat, quas etiam post obitum patris fratribus suis absque remedio struebat. Occurrebant insuper sacramenta, quæ tunc nuper fefellerat. Aiebant se omnem iustitiam ab eo libenter consequi velle, sed his indiciis nil boni sperare posse. Idcirco sibi vndique consultum videri, quocumque modo posset, ad condictum Placitum venire minimè differret. Quòd si frater suus, vti promiserat, communem vtilitatem quæreret ac statuere vellet, hoc omnibus nostris placere, & vt gratanter reciperetur, congruum esse. Sin aliter, fretus iusticia, ac per hoc auxilio diuino, suorúmque fidelium, & quicquid Regni pater suus amborúmque fidelium consensu illi dederat, obtinere omni virtute non negligat. B C

ERGO omnes Aquitanos qui suæ parti fauebant, vna cum matre post se venire præcepit: insuper quicumque è Burgundia, nec non & inter Ligerim & Sequanam sui iuris esse vellent, similiter fecit. Idem autem ipse vna cum his, qui per præsens aderant, quamquam difficilè videretur, præfatum iter arripuit. Cúmque ad Sequanam venisset, repperit Guntboldum, VVarnarium, Arnulfum, Gerardum, necnon & omnes à Carbonariis & infra, Comites, Abbates, Episcopos, ob hoc videlicet à Lodhario inibi relictos, vt si absque suo consensu transire vellet, minimè posset. Accedebat insuper, quòd amnis inundans vada vbique denegauerat. Custodes autem fluminis omnes naues aut contriuerant, aut certè submerserant. Gerardus quoque pontes quoscunque repperit, destruxit. Igitur supra modum transitus difficilis effectus, non modicam transire cupientibus importabat molestiam. Cùm autem tot difficultatibus animi multimodis agitarentur, consiliis tandem mercatorum, naues ab ostio, quo Sequana mare influit, feruenti æstu abductæ, proptérque Rotomacensem vrbem expositæ nunciantur. Quò veniens, harum duas minùs de triginta Karolus armato milite complet, idémque ingressus præmittit qui se venturum prænuntient, vnicuique volenti delicta cedens: nolentibus autem, vt abeant, Regnúmque à Deo sibi datum illi relinquant. Quæ dum spreuissent, classísque appropinquare videretur, crucem, in qua iurauerant, & Karolum, vt cognouerunt, relicto litore protinus fugerunt. Quos, quoniam, quòd in traiiciendo equi moram fecerant, consequi nequibat, ad Sanctum Dionysium laudis obsecrationisque causa iter direxit. Quò veniens, comperit quòd hi, quos fuga dispersérat, in vnum vna cum Arnulfo & Gerardo ceterisque coissent, & super Teutbaldum, VVarinum, Otbertum, ceterósque, qui, vti mandatum fuerat, ad Karolum veniebant, irruere vellent. Quamobrem ad Sanctum Germanum causa orationis perrexit, ac per totam noctem iter faciens, aurora dilucescente, vbi Luua Sequanæ confluit, VVarinum cum sociis saluum recepit: ac sic vno eodémque itinere Senonicam adiit vrbem. Hinc noctu consurgit, per Vttam iter faciens, sperânsque, vti nuntiatum illi fuerat, quos suprà memorauimus in eodem saltu consistere. Disposuerat enim vbicumque & qualitercumque posset, supra illos irruere. Quod & vtique fecisset, nisi sollicitis vitæ mors imminens pro foribus nunciaretur. Quamobrem penè cuncti supra modum exterriti, quò quisque valuit, fugam iniit. Quos quoniam Karolus consequi non potuit, sociis equisque fessis, post Cœnam Domini quieti indulget, ac Tricasinorum ciuitatem in crastinum adiit.

EODEM tempore dum hæc, quæ præmisimus, à Karolo exsequerentur, Lodharius, vti præfatum est, dolo an vi Lodhuvvicum aut subdere, aut, quod mauult, perdere posset, tota mente tractabat. In quo negotio congruè Otgarium Magontiæ sedis Episcopum, & Adhelbertum Metensium Comitem conuocat. Habebat enim vterque Loduvvicum ad mortem vsque exosum. Iam enim Adhelbertus ex infirmitate, qua penè per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidij respirauerat. Erat enim eo in tempore ita prudens consilio, vt sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cuius instinctu Lodharius collectam hinc indè infinitam multitudinum Renum traiecit, præmittens more solito, qui minis blanditiisque pendulam plebem subducere temptarent. Timens autem populus, qui cum Lodhuvvico erat, ne tantum exercitum ferre valeret, partim defecti ad Lodharium transeunt, partim fugam ineunt, ac Lodhuvvicum desolatum relinquunt. Qui, quoniam omne suffragium aliud vndique deerat, cum perpaucis abiit, & in Baioariam se recepit. Quod quoniam Lodhuvvico contigit, minimè deinceps Lodharius aliquid illum præualere putauit. Igitur Adhelbertum Ducem, quem suprà modò memorauimus, ob hoc inibi reliquit, vt & populum sacramentis sibi firmaret, & si Lodhuvvicus ad Karolum ire vellet, nullo modo posset. Ipse verò, quoniam Karolum Sequanam transire reppererat, obuiam ire parabat. Velociter quidem præmittit, rei veritatem, vbi & cum quibus esset, scire cupiens, Aquis Pascha celebraturus.

MIRA sanè ac meritò notanda res Karolo in eodem sancto Sabbato contigit. Nam neque ipse, neque quilibet in suo comitatu quicquam, absque quod corpore gerebant, & absque armis & equis, habebant. Cúmque de balneo quidem egrederetur, & eadem vestimenta, quæ exuerat, induere pararet, repentè ab

CAROLVS CALVVS. 842. Aquitania missi pro foribus adstiterant, qui coronam & omnem ornatum tam regium, quàm & quicquid ad cultum diuinum pertinebat, ferebant. Quis non miretur paucos & penè ignotos viros, tot terrarum spatia, dum vbique omnes rapinæ insisterent, tot talenta auri gemmarúmque infinitam multitudinem ferre inlæsos valuisse? &, quod maximè mirandum fateor fore, qualiter ad definitum locum, vel certè ad statutam diem & horam venire poterant: cùm nec idem Karolus, vbi se suósque oporteret, sciebat? Quem quidem euentum haud aliter quàm munere ac nutu diuino visum est euenire potuisse. Ac per hoc commilitonibus stuporem iniecit, omnésque maximam ad spem salutis erexit. Hinc verò Karolus, cunctáque cohors exultans, ad festa celebranda sese conuertit. Expleto autem quod cœperat, Missos Lodharij benignè excipiens, conuiuari vna secum præcepit. Quibus & vt in crastinum redirent, iniunxit, per suos se responsurum de eo, quod frater suus illi mandauerat, promittens. In Legatione verò Lodharij querebatur, cur absque suo consensu terminos, quos illi statuerat, excederet: & quia fecerat, saltem vbique illum reperirent, mandat vt interim eo loco quiescat, donec illi mandaretur, si ad statutum locum, an aliò, vbi congruentius illi videretur, venire deberet. Karolus per suos è contra se ob hoc statutos terminos excessisse respondit, quoniam de omnibus bonis sua ex parte illis promissis ac iureiurando firmatis nihil stabile esse permisit. Nam suorum hominum, vltra quod firmatum fuerat sollicitatos quosdam suo iuri adiecit, quosdam verò vita priuauit. Insuper Regna, quæ subiecta illi efficere debuit, in quantum valuit, perturbauit, &, quod maximum est, in fratrem hostiliter irruit: nec non & suffragium à paganis illum quærere compulit. Verumtamen, quamquam se hæc ita haberent, in Conuentum, quod communi consensu statuerant, venire se velle mandauit: vbi si communem vtilitatem, vti promiserat, quærere ac statuere vellet, sibi placere: sin aliter, de Regno, quod Deus paterque suus suorum consensu illi dederat, consiliis suorum fidelium in omnibus, secundum Dei voluntatem, parere se innotuit. Et his ita compositis, idem iter arripuit, atque ad præfatum locum pridie quàm venerat, præuenit. Quò quidem Lodharius, veluti ex consulto, venire distulit. Veruntamen Missos variis querimoniis refertos frequenter mittebat, & ne fortè ex improuiso Karolus supra illum irruere posset, cauebat.

INTEREA Legati à Lodhuvvico venerant, nunciantes, quòd si sciret quomodo fieri posset, in illius adiutorium venire vellet. Quo se Karolus & indigere respondit, gratias congruæ voluntati egit, & vt hoc accelerare studerent, protinus præfatos Missos remisit. Cúmque quatuor vel eò ampliùs dies inibi aduentum Lodharij præstolaretur, & ille venire differret, concionem aduocat, concilium iniit, quidnam consultius deinceps illi agendum videretur, deliberaturus. Quidam autem aiebant, quoniam mater sua vna cum Aquitanis veniebat, obuiam illi ire debere. Sed maxima pars aut obuiam Lodhario iter arripere suadebant, aut certè, vbicunque vellet, aduentum illius præstolari debere dicebant: ob hoc quidem maximè, quoniam si quomodo aliorsum iter flectere cœpisset, cuncti fugam illum iniisse iactarent. & hinc Lodharium & suos audentiores fieri debere. Atque hi, qui adhuc causa timoris neutri sese copulauerant, ad illum affluere vndique sperabant. quod & euenit. Quanquam difficile, præualuit tamen sententia priorum. Quamobrem Cadhellonicam Karolus adiit vrbem, ibique matre vna cum Aquitanis recepta, repente nunciatur quòd Lodhuvvicus cum Adelberto Duce Austrasiorum prælio commisso vicisset, Renóque traiecto ob illius adiutorium, quantociùs posset, veniret. Quod cùm ociùs vniuersis castris omnibus notum fieret, cuncti alacri animo vt illi obuiam irent, suadebant. Lodharius quoque hæc ita se habere vt deprehendit, circumfusæ plebi Karolum fugam iniisse, persequique illum quantociùs posset, velle denuntiat. Quo quidem nuncio fidos sibi alacriores reddidit, dubiis autem quibusque & affluendi audaciam iniecit, & firmiores suæ parti reddidit. Cúmque Karolus à Lodhario persequi se didicisset, quoniam in difficili loco aquis paludibúsque circumfusis castra posuerant, vt absque qualibet difficultate, si Lodharius vellet, congredi possent, protinus obuiam illi perrexit. Quæ quidem Lodhario vt nunciata sunt, castra posuit, ac veluti fessis equis biduo requiem dedit. Iterato itaque cùm hæc eadem

A fecissent, Missósque inuicem frequenter mitterent, sed nihil proficui deliberare possent, tandem appropinquantes Lodhuvvicus & Karolus conueniunt, déque his omnibus in eodem Conuentu quæ Lodharius absque quolibet moderamine erga se suósque sæuiebat, dolendo conferunt: quid verò deinceps agendum oportunius videretur, in crastinum deliberaturi. Aurora si quidem delucescente conueniunt, concilium ineunt, in quo multum de tanta calamitate conqueruntur*. Cúmque alteruter quæ, quantáve & qualia passi à fratre fuerant, referre desiissent, vniuersis visum vnanimiter parique consensu, tam ex sacrosancto ordine Episcoporum, quàm & laicorum, viros nobiles, prudentes, beniuolos deligant, per quos, quæ pater inter illos statuerat, & quæ post obitum patris ab illo passi sint, mandent: insuper obsecrent, vt memor sit Dei omnipotentis, & concedat pacem fratribus suis vniuersæque Ecclesiæ Dei: cederet cuique, quod patris fratrúmque consensu iustè debebatur. Insuper etiam, vt iustis precibus acquiesceret, offerant illi quicquid absque equis & armis in vniuerso exercitu habere videbantur. Et si his monitis obsecrationibúsque acquiescere vellet, placere: sin aliter, aiebant se diuino ex munere suffragium absque dubio sperare posse, si omne quod iustum est, vellent, & hoc fratri offerre humiliter studerent. Quæ quoniam meritò rata videbantur, protinus expleta sunt.

CAROLVS CALVVS. 842.

* conquirunt.

SED hæc veluti pro nihilo ducta Lodharius spreuit: per suos, se nihil absque prælio velle, mandauit. Confestimque obuiam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, iter arripuit. Quod cùm ociùs didicissent Lodhuvvicus & sui, supra modum rem grauiter ferentes (erant enim vndique grauiter tam itineris longitudine, quàm & præliis, variisque difficultatibus, & maximè equorum inopia attriti) veruntamen quamquam se hæc ita haberent, timentes ne fortè si ab auxilio fratris frater deficeret, posteris suis indignam memoriam reliquissent. Quod quidem ne facerent, elegerunt omni penuriæ, etiam si oporteret, morti potiùs subire, quàm nomen inuictum amittere. Quamobrem ex eadem magnanimitate mœstitia oppressa, inuicem se adhortantes, gaudentes velociterque vt Lodharium citò consequi possent, ibant. Cúmque insperatè propter vrbem Alciodorensem vterque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius verens, ne fortè fratres sui absque dilatione supra se irruere vellent, armatus castra aliquantulum excessit. Quod quoniam fratres sui facere illum cognouerunt, quosdam castrametantes relinquunt, quosdam secum armatos assumunt, & absque dilatione obuiam procedunt. Missos inuicem mittunt, pacémque sub nocte componunt. Castra autem ab inuicem distabant plus minus leuuas tres, & intererat paucula palus saltúsque: ac per hoc erat vtrique ad alterum difficilis accessus. Quapropter aurora delucescente, Lodhuvvicus & Karolus ad Lodharium mittunt: mandant sibi valde displicere, quòd illis pacem absque prælio denegauerat. Quod etiam, quoniam vellet, & absque qualibet fraude, si fieri deberet, esset. Et primum quidem ieiuniis ac votis Deum inuocent. Deinde si ille transire ad illos voluisset, locum transeundi se daturos promittunt: vt omni impedimento sua suorúmque ex parte ablato, absque qualibet occulta deceptione congredi possent. Quæ & si vellet, sacramento firmare præceperunt. At si nollet, vt eadem illis concederet atque firmaret, rogant & petunt. Is autem more solito per suos se responsurum promisit, & vt Legati regressi sunt, protinus obuiam iter arripuit, ac locum quo castra poneret, Fontaneum petit. Eadem autem die fratres sui post Lodharium iter accelerantes, antecesserunt illum, & propter vicum, qui Tauriacus dicitur, castra posuerunt. Crastina die exercitus præparati ad prælium, castra aliquantulum excesserunt. Præmittentes Lodhuvvicus ac Karolus Lodhario mandauerunt, vt memor esset fraternæ conditionis, sineret Ecclesiam Dei & vniuersum populum Christianum pacem habere, concederet illis Regna à patre suo consensu concessa, haberet sua sibi, non merito, sed sola misericordia à patre illi relicta. Et in munere offerebant illi quicquid in vniuerso exercitu absque armis & equis habere videbantur. At si id nollet, cedebant illi vterque portionem Regni, alter vsque Carbonarias, alter verò vsque Renum. Quod & si tenueret, vniuersam Franciam æqua lance diuiderent, & quicquid horum vellet, suæ ditionis esset. Ad quod Lodharius, more solito, per suos se quicquid placeret notare respondit, mittensque per præsens Drogonem, Hugonem, &

CAROLVS CALVVS. 842. Hegibertum, mandat, non illos aliquid tale antea illi mandasse: ad quod considerandum, spatium habere se velle aiebat. Re autem vera Pippinus non venerat. illum hac dilatione expectare volebat. Verumtamen Ricuinum, Hirmenaldum, & Fredericum sacramento firmare præcepit, quòd pro nulla re alia has inducias peteret, præter quàm quòd commune profectum tam illorum quàm & vniuersæ plebis, sicut iustitiam inter fratres & populum Christi oportebat, quærere volebat. Quo quidem sacramento Lodhuvvicus & Karolus creduli effecti, eadem die, & in crastinum, insuper etiam vsque in horam secundam diei tertiæ, quod euenit VII. Kalend. Iulij, pace vtrorumque ex parte iureiurando firmata, ad castra redeunt, Missam verò sancti Ioannis in crastinum celebraturi. Pippino quoque eadem die Lodharius in supplementum recepto, mandat fratribus suis, quoniam scirent illi Imperatoris nomen magna auctoritate fuisse impositum: vt considerent quatenus eiusdem nominis magnificum posset explere officium. Insuper autem haud se libenter vtrorúmque quærere profectum. Interrogati autem, si quiddam horum quæ mandauerant recipere vellet, vel si quamlibet finitiuam sententiam illis mandasset, nihil sibi horum fuisse iniunctum responderunt. Quamobrem eùm omnis spes iustitiæ ac pacis sua ex parte ablata videretur, mandant illi, si meliùs non inuenisset, aut reciperet vnum horum quæ illi mandauerant, aut nosset illos in crastinum (quod contigit, sicut præfatum est, VII. Kalend. Iulij. hora videlicet diei secunda,) ad omnipotentis Dei iudicium, quod illis absque illorum voluntate mandauerat, esse venturos. Quæ quidem Lodharius solito more insolenter spreuit, & visuros se quid agere deberet, respondit. Dum hæc super Ligerim iuxta sanctum Fludualdum consistens scriberem, eclypsis solis hora prima, prima feria, XV. Kal. Nouembris in Scorpione contigit. His ita omissis, diluculò Lodhuvvicus & Karolus consurgunt, verticem montis castris Lodharij contigui cum tertia, vt videtur, exercitus parte occupant: aduentúmque eius, & horam secundam, vt sui iurauerant, exspectant. Cúmque vtrumque adesset, prælium super Riudam * Burgundionum magno certamine committunt. Et Lodhuvvicus quidem ac Lodharius in loco, qui Brittas dicitur, strenuè confligunt. Quo superatus Lodharius, terga vertit. Pars autem exercitus, quam Karolus in loco, qui Fagit vulgò dicitur, excepit, protinus fugit. Pars verò, quæ in Solennat Adhelardum, ceterósque, quibus haud modicum supplementum, Domino auxiliante, præbui, appetiit. strenue conflixit. Quo & vtrique vicerunt. Sed nouissimè omnes à parte Lodharij fugerunt. Quo finem primi certaminis dedit Lodharius, terminetur Liber secundus.

* Riuolum

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO.



QVONIAM sinistrum quiddam me ex genere nostro vt audiam, pudet, referre præsertim quàm maximè piget. Quamobrem impetio haud quaquam maliuolè contempto, vt finis optatus Libri secundi affuit, per omnia finire hoc Opus animus decreuit. Sed ne fortè quilibet quocunque modo deceptus, res nostro in tempore gestas, præter quàm exactæ sunt, narrare præsumat, ex his quibus interfui, tertium Libellum vt adderem, acquieui.

PRÆLIO quidem, vti præfatum est, strenuè peracto, quid de palantibus peragere deberetur, Ludhuvvicus & Karolus in eodem campo deliberare cœperunt. Et quidam ita correpti, persequi hostes suadebant: quidam autem, & maximè Reges, miserantes fratris plebisque, & vt iudicio Dei, & hac plaga re-

A pressi, ab iniqua cupiditate resipiscerent, & Deo donante, deinceps vnanimes in vera iustitia deuenirent, piis visceribus, solito more, optabant. In quo negotio Dei omnipotentis misericordia vt præstolaretur, suadebant. Quibus cetera multitudo assentientes, à prælio & præda discesserunt, & ferè mediante die ad castra redeunt: quid deinceps consultius acturum videretur, deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus prædæ, & ingens cædes: insuper admirabilis, immò & merito notabilis misericordia, tam Regum quàm & vniuersorum. Nam diuersis pro rebus diem Dominicum inibi acturos se deliberarunt. In quo, Missa peracta, amicos & inimicos, fideles & infideles pariter sepulturæ tradebant: plaga correptos, ac semiuiuos, eodem modo pro viribus ex animo refouebant. Post hos, qui fuga euaserant, miserunt offerentes, si reuerti sana fide vellent, omnia delicta remitti. Post hæc Reges, populique, super fratre populóque Christiano dolentes, percontari Episcopos cœperunt, quid agere super hoc negotio deberent. Quamobrem vnanimes ad concilium omnes Episcopi confluunt, inuentúmque in Conuentu publico est, quòd pro sola iustitia & æquitate decertauerint, & hoc Dei iudicio manifestum effectum sit: ac per hoc immunis omnis Dei minister in hoc negotio haberi, tam suasor quàm & effector, deberet. At quicunque conscius sibi aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certè quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset verè confessus secretè, secreti delicti, & secundum modum culpæ diiudicaretur. Veruntamen in veneratione ac laude
B tantæ declarationis iusticiæ, pro remissione, delictis mortuorum fratrum suorum (in eo quòd imperfecti peccatis interuenientibus se nouerant, vt in multis volentes nolentésque delinquebant) vti suo adiutorio ab his exuti liberarentur. Insuper autem, vti hactenus in iustitia adiutor & protector illis Deus extitit, ita & deinceps vbique existeret. Proque his omnibus triduanum ieiunium iniunctum, immóque libenter ac celebre celebratum est.

His ita rebus peractis, Lodhuvvicus vt Renum peteret, decreuit: Karolus autem diuersis pro rebus, & maximè propter Pippinum, vt illum sibi subdere studeret, in Aquitaniam vt proficisceretur, ratum duxit. Nam Bernardus Dux Septimaniæ, quamquam à loco prædicti prælij plus minus leuuas tres defuerit, neutri in hoc negotio supplementum fuit. Victoriam autem vt Karoli esse didicit, filium suum VVillelmum ad illum direxit. Et si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, vt se illi commendaret, præcepit. Insuper iactabat se posse, nec non & aiebat, quòd Pippinum vna cum suis Karolo fœdere quo valeret subdere vellet. Quam Legationem benignè excepit, & sicut postulauerat per omnia concessit: monens vt de Pippino & suis, quod promiserant, in quantum posset, vt perficeretur, operam daret. Cúmque aduersa vndique propulsa viderentur, ac spes prosperitatis cuique hinc indè faueret, Lodhuvvicus cum suis Renum petiit, Karolus verò vna cum matre Ligerim adiit. Res autem publi-
C ca incosultiùs quàm oporteret omissa, quò quemque voluntas rapuit, perfacile omissus abscessit. Quod quidem Pippinus audiens, paulò antè desideratum cum illo fœdus inire distulit. Bernardus quidem ad illum venit, sed vt illi se commendaret, minimè acquieuit. Quidam tamen à Pippino desciuerunt: & hoc tantùm præfata expeditio Karolo profuit, quòd illos sibi fœderatos recepit. Interea Adhelardus, ceterique, quos Karolus ad Francos direxerat, scire cupiens si ad illum reuerti vellent, Carisiacum venientes, quò illi vt Missos dirigeret mandauerant, perpaucos obuiam habuerunt: qui hoc dicebant, si idem Karolus ad præsens esset, ad illum venire minimè differrent. Aliter autem nescire aiebant, vtrum viueret an non. Iactauerant enim hi, qui parti Lodharij assentiebant, in prælio Karolum cecidisse, Lodhuvvicum vulneratum, & fugâ lapsum abisse. Quapropter inconsultum aiebant, in incertis rebus aliquod fœdus cum quolibet inire debere. At Guntboldus, ceterique coadunati, supra præfatos Karoli Missos irruere se simulabant: & vtique fecissent, si ausi essent. Quapropter ad Karolum Adhelardus & ceteri miserunt, mandantes, vt quantocius posset, venire satageret, quatinus & illis adiutorium præberet: & si Franci, vti aiebant, ad illum venire vellent, scire posset. Ipsi verò Parisiacam ciuitatem adeunt, aduentum Karoli præstolaturi. Quod cùm Karolo nunciaretur, protinus his in partibus iter direxit. Ad Sequanam autem vt peruenit, Adhelardum vnà cum ceteris in Spe-

CAROLVS CALVVS. 842. donna obuiam habuit. Et quamquam propter Conuentum, quod cum fratre in Lingonicam vrbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminebat, anxius esset; ratum duxit, vt saltem citato cursu per vrbem Beluacensem, ac deindè per Compendium & Suessiones, hinc per Remensem & Cadelonensem, Lingonicam peteret vrbem: quatinus eo tenore id, quod cum fratre statuerat, obseruare studeret, & si quilibet è Francis ad illum venire vellet, posset. Franci verò eandem paucitatem, quam & Aquitani spreuerant, spernentes, variis fictionibus illi se per præsens subdere distulerunt. Quod vt Karolus cognouit, præfatum iter accelerare cœpit. Cúmque Suessonicam peteret vrbem, Monachi de sancto Medardo occurrerunt illi, deprecantes vt corpora sanctorum Medardi, Sebastiani, Gregorij, Tiburcij, Petri & Marcellini, Marij, Marthæ, Audifax & Abacuc, Honesimi, Meresinæ & Leocadiæ, Mariani, Pelagij, & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni, & domini Remigij Rotomagorum Archiepiscopi, in Basilicam, vbi nunc quiescunt, & iam tunc maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens, inibi remansit, & vti postulauerant, Beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit. Insuper & villam, quæ Bernacha dicitur, rebus eiusdem Ecclesiæ per edictum addidit. His ita peractis, Remensem vrbem petiit. Quò cùm venisset, nuncium recepit, quòd Lodhuvvicus ad Conuentum, quod in Lingonicam vrbem condixerant, venire non posset, eò quòd Lodharius in Regnum illius hostili manu irruere vellet. Mandauerant etiam huc auunculus eius, nec non & Gislebertus Comes Mansuariorum *, si in illis partibus esset, ad illum se vna cum ceteris esse venturos. B

* Mansuariorum.

Ergo tam pro fratris adiutorio, quàm & vt hos, si ad illum venire vellent, recipere posset, ad Sanctum Quintinum iter direxit. Quò quidem Hugonem, sicut mandauerat, obuiam habuit: & indè in partes Traiecti iter direxit. Lodharius autem vt hæc audiuit, omisso Lodhuvvico, quem paulò antè persequi statuerat, à VVarmacia ad Conuentum, quod ad Teotonis villam indixerat, iter arripuit: & qualiter super Karolum irrueret, intendit. Quod cùm Karolus in VVasiticum didicisset, Hugonem, & Adhelardum, & Gislebertum, vna cum ceteris, vt eum fœdere quo valerent sibi adnecterent, direxit. Rabanonem etiam ad Lodhuvvicum dirigens, mandat qualiter pro suo adiutorio illis in partibus esset. Quod Lodharius audiens, illo omisso, supra se cùm omnibus copiis ire pararet, ad Pipinum dirigit: monétque ac deprecatur, vt quantociùs posset, solito more adiutorium illi præbere studeret. Insuper autem Karolus Exemenonem venerabilem Episcopum ad Lodharium direxit: solito more humiliter præcepit, vt roget, vt obsecret, meminerit quod frater filiolúsque eius sit. Meminerit quæ pater inter illos statuerat, quæ tam is quàm & sui inter illos iurauerant. Meminerit quòd nouissimè iudicio Dei inter illos volunras eius declarata sit. Et si horum omnium recordari nolit, cesset à persecutione sanctæ Dei Ecclesiæ: misereatur pauperum, viduarum, orfanorúmque: & Regnum à patre suo consensu sibi datum vt ingrediatur, omittat, ne fortè iterato populum Christianum ad cædem mutuam confluere compellat. Et his ita compositis, idem ipse Parisiacam vrbem adiit, tam fratris sui Lodhuvvici aduentum, quàm & ceteros fideles suos, quos vndique conuocauerat, præstolaturus. Quod cùm Lodharius didicisset, ad eandem vrbem iter direxit. Habebat enim tam Saxonum quàm & Austrasiorum, necnon & de Alamannis partem haud modicam secum: horúmque auxilio præmaximè confisus, ad Sanctum Dionysium venit. Repererat autem inibi naues plus minus xx. Insuper quoque Sequana, vti mense Septembrio solet, exigua erat, transitumque perfacilem præstabat. Quamobrem iactabant se sui facilè transire posse: & hoc vtique simulabant se maximè velle. Ergo Karolus quosdam Parisium & Milidonem custodire præcepit: quosdam verò vbicumque vada vel nauigia esse nouerat, residere fecit: ipse verò è regione Sancti Dionysij iuxta Sanctum Fludualdum castra in meditullio posuit: vt & Lodhario, si ita oporteret, transitum prohibere, aut si alicubi super suos irruere vellet, illis succurrere posset. Et vt perfacilè dignosceretur, quo in loco adiutorium præberi deberet, more maritimo signa in locis congruis atque custodias deputauit. Insuper autem Sequana, mirabile dictu! dum nos nusquam eo in tempore infra duos menses pluuias esse nouimus, repentè aëre sereno tumescere cœpit, ac sponte his in locis vada vbique prohibuit. C

A buit. Cúmque hæc ita haberent, cernens Lodharius transitum inibi vndique sibi prohibitum, eo tenore cum Karolo pacem inire se velle mandauit, vt fœdus, quod Karolus cum fratre suo Lodhuvvico sacramentis firmauerat, omisisset. Et ille econtra fœdus, quod cum Pipino nepote suo similiter sacramentis firmauerat, omitteret: & haberet Karolus à Sequana partem Occiduam absque Prouincia & Septimania, essentque quasi pace perpetua fœderati. Re autem vera sic se vtrosque faciliùs decipere posse putabat, omnéque Imperium hac arte inuadere sperabat. At Karolus respondit, se fœdus, quod cum fratre suo necessitate coactus inierat, minimè violare velle. Insuper vt à Mosa vsque Sequanam Regnum, quod pater illi dederat, nequaquam congruum videretur vt illi omitteret: præsertim cùm tanta Nobilitas illum secuta de his regionibus esset, quos in sua fide deceptos esse minimè oporteret. Quamobrem quoniam hiems aderat, haberet quique honores quos pater illis dederat, si vellet, mandauit, donec veris tempore vel cum paucis, vel etiam cum omni comitatu, omnes conueniant: & ni statutis aut statuendis concordia concurrat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quæ quidem Lodharius more solito spreuit, & à Sancto Dionysio obuiam Pipino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, Senones iter direxit. Karolus autem econtra, qualiter Lodhuvvicum in adiutorium suum recipere posset, intendit.

B INTEREA nunciatum est Karolo, quòd soror sua Hildigardis Adelgarium quendam ex suis captum haberet, & in vrbe Laudunensi vnà secum custodiri fecisset. Qua pro re expeditos ad hoc opus Karolus sibi delegit, ac protinus decedente iam die, his in partibus festinus perrexit. Distabat enim vrbs eadem plus minus leuuas xxx. Per totam siquidem noctem iter faciens, impediente gelu prævalido, hora ferè diei tertia, insperatè subitò sorori & ciuibus cum infinita multitudine nunciatur Karolus adesse, omnisque vrbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuncio exterriti, quoniam nec euadendi, nec aderat spes mœnia tuendi, pacem sub vna eadémque nocte petunt: Adelgárium confestim reddunt, & vt se vrbémque absque conflictu in crastinum dedant, cùm omni subiectione promittunt. Dum hæc agerentur, milites moram huius rei grauiter ferentes, insuper laboris tædio præteritæ noctis, quod passi fuerant, permoti, in excidium vrbis ruere vndique cœperunt. Essétque proculdubiò protinus flammis rapinisque tradita, ni idem Karolus misericordiâ insuper Ecclesiarum Dei sororisque, nec non & populi Christiani permotus, minis atque blanditiis horum animos maximo labore compescere studuisset. Quos cùm abscedere fecisset, vt soror postulauerat, concessit, & Salmonciacum ab vrbe discessit. Crastina quoque die Hildigardis ad fidem suam, sicut spoponderat, venit, vrbémque inlæsam & absque conflictu suo iuri restituit. Sororem suam siquidem Karolus benignè excepit, & omnia quæ hactenus erga illum deliquerat, illi donauit. Multísq; C verbis blandè illam allocutus, omnem benignitatem, quam frater sorori debet, si deinde beniuola erga illum esse vellet, ei perhumanè promisit, ac quò voluit illam abire concessit. Vrbi sua iura statuit, & ad suos, quos circa Parisium omiserat, his ita peractis rediit. Senones autem Lodharius Pipino recepto, quid agere deberet, anxius erat. Nam Karolus partem exercitus Sequanam traiecit, & in saltum, qui Pertica vulgò dicitur, direxit. Quos quoniam Lodharius vel se, vel suos, impedire timuit, primùm insectari statuit. Qua quidem re sperabat se & hos facilè dedere, & hoc terrore sibi residuos subiugare, maximéque Nomenoium Britannorum Ducem suo subdere dominatui posse. Sed frustra hæc omnia expleturus adiit, dum nihil horum ad effectum perduxit. Nam exercitus Karoli omnis ab eo saluus euasit, insuper ex suis neminem recepit: & Nomenoius omnia, quæ illi mandauerat, insolenter spreuit. His ita se habentibus, repentè nuntium accepit, quòd Lodhuvvicus & Karolus vna cum ingenti exercitu alter alteri studeret. Cúmque se vndique rebus aduersis circumseptum videret, maximo ambitu inaniter expleto, à Turonis redire cœpit, & fatigato exercitu tandem fessus Franciam peruenit. Pipinus autem, quòd se illi sociauerat, pœnitudine correptus, Aquitaniam se recepit. Interea audiens Karolus, quòd Otgarius Maguntiæ sedis Episcopus, vna cum ceteris, Lodhuvvico fratri suo transi-

CAROLVS CALVVS. 842. tum ad se prohibuisset, iter per Tullensem vrbem accelerans, Elisazam *, ad Zabarnam introiit. Quod cùm Otgarius didicisset, vna cum ceteris litore relicto abiit, & quò quisque valuit ocius se abdidit. A

* Elizatam

ERGO XVI. Kalend. Marcij Lodhuvvicus & Karolus in ciuitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgò dicitur, conuenerunt, & sacramenta quæ subter notata sunt Lodhuvvicus Romana, Karolus verò Teudisca lingua iurauerunt. Ac sic ante sacramenta circumfusam plebem altet Teudisca, alter Romana lingua alloquuti sunt. Lodhuvvicus autem, quia maior natu, prior exorsus sic cœpit. Quotiens Lodharius me & hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando vsque ad internecionem delere conatus sit, nostis. Cùm autem nec fraternitas, nec Christianitas, nec quodlibet ingenium, salua iusticia, vt pax inter nos esset, adiuuare posset: tandem coacti rem ad iudicium omnipotentis Dei detulimus, vt suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus. In quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores extitimus. Is autem victus, vna cum suis, quò valuit, secessit. Hinc verò fraterno amore correpti, nec non & super populum Christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus: sed hactenus, sicut & antea, vt saltem deinde cuique sua iusticia cederetur, mandauimus. At ille post hac non contentus iudicio diuino, sed hostili manu iterum & me & hunc fratrem meum persequi non cessat. Insuper & populum nostrum incendiis, rapinis, cædibúsque deuastat. Quamobrem nunc necessitate coacti conuenimus. Et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro iurare decreuimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed vt certiores, si Deus nobis vestro adiutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum quod fratri meo iurauero violare præsumpsero, ab subditione mea, necnon & à iuramento, quod mihi iurastis, vnumquemque vestrûm absoluo. Cûmque Karolus hæc eadem verba Romana linguâ perorasset, Lodhuvvicus, quoniam maior natu erat, prior hæc deinde se seruaturum testatus est. *Pro Deo amur, & pro Christian poblo, & nostro commun saluamento dist di in auant, in quant Deus sauir & podir me dunat, si saluareio cist meon fradre Karlo, & in adiudha, & in cadhuna cosa, si cùm om per dreit son fradre saluar dist, in o quid il mi altre si fazet. Et abludher nul plaid numquam prindrai, qui meon vol cist meon fradre Karle, in damno sit.* Quod cùm Lodhuvvicus explesset, Karolus Teudisca lingua sic hæc eadem verba testatus est. *In Godes minna induithes * Christianes folches ind unser bedhero gealt nist * fon thesenioda ge frammor desso fram so mir Got geuuiz ei indi madh furgibit so hald ihtes an minan bruodher soso manmit rehtu sinan bruher scal inthi utha zermigsoson maduo. in dimit luheren in nothe in uit hinc nege gango zheminam uuillon imo ces cadhen uuerhen.* Sacramentum autem quod vtrorumque populus quique propria lingua testatus est, Romana lingua sic se habet: *Si Lodhuuigs sagrament que son fradre Karlo iurat, conseruat, & Karlus meos sendra de suo part non lo stanit, si io returnar non lint pois, ne io ne veuls cui eo returnar int pois in nulla aiudha contra Lodhuvvig nun li iuer.* Teudisca autem lingua: *Oba Karl then eid then er sineno bruodher Ludhuvvige gesuor geleistit, ind Ludhuvvig min herro then er imo gesuor forbrih chit. obi hina nes iou ven denne mag, noh ih, noh thero, noh hein thenihes iruuenden mag vuidhar Karle imo ce folus tine vuirdhu.* Quibus peractis Lodhuvvicus Reno tenus per Spiram, & Karolus iuxta VVasagum per Vuizzumburg, VVarmaciam iter direxit. Æstas autem, in qua præfatum exactum est prælium, fuit frigida nimis, & omnes fruges perserò collectæ sunt. Autumnus verò & hiems naturalem ordinem peregerunt. Ac eadem die, qua prædicti fratres, necnon & primores populi, præfatum pepigerunt pactum, subsequente gelu nix multa cecidit. Stella cometis mense Decembrio & Ianuario, nec non & Februario, vsque prælatum Conuentum apparuit. Per Pisces centrum ascendit, & inter signum, quod à quibusdam Lyra, à quibusdam verò Andromeda vocatur, & Arcturum obscuriorem, hoc concilio expleto defecit. His paucis de temporum siderisque serie delibatis, ad historiæ tramitem reuertamur. Cûmque VVarmatiam venissent, Missos deligunt, quos protinus ad Lodharium, & in Aquitaniam * mittunt: & horum, necnon & Karlemanni aduentum, inter VVarmatiam & Magonciam cùm præstolaretur, statuunt.

B C

* indiuthes
* iusi
* Saxoniam

A HIC quoque haud quaquam ab re, quoniam iocunda ac meritò notanda videntur de qualitate horum Regum, & vnanimitate qua interea degerint, pauca referre libet. Erat quidem vtrisque forma mediocris, cum omni decore pulchra, & omni exercitio apta. Erat vterque audax, largus, prudens pariter & eloquens, omnemque præmissam Nobilitatem excedebat fratrum sancta ac veneranda concordia. Nam conuiuia erant illis penè assidua, & quodcunque precium habebant, hoc alter alteri perhumanè dabat. Vna domus erat illis conuiuij, & vna somni. Tractabant tam pari consensu communia, quàm & priuata. Non quicquam aliud quilibet horum ab altero petebat, nisi quod vtile ac congruum illi esse censebat. Ludos etiam hoc ordine sæpè causa exercitij frequentabant. Conueniebant autem quocumque congruum spectaculo videbatur: & subsistente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonorum, VVasconorum, Austrasiorum, Brittannorum, ex vtraque parte, veluti inuicem aduersari sibi vellent, alter in alterum veloci cursu ruebat. Hinc pars terga versa protecti vmbonibus, ad socios insectantes euadere se velle simulabant. At versa vice, iterum illos, quos fugiebant, persequi studebant: donec nouissimè vtrique Reges cum omni iuuentute ingenti clamore, equis emissis hastilia crispantes exiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus insistunt. Erátque res digna pro tanta Nobilitate, nec & moderatione, spectaculo. Non enim quispiam in tanta multitudine ac diuersitate generis, vti sæpè inter paucissimos & notos contingere B solet, alicui aut læsionis aut vituperij quippiam inferre audebat.

HIS ita se habentibus, Karlemannus cum ingenti exercitu Baioariorum & Alamannorum ad patrem suum Mogontiam venit. Bardo verò, qui in Saxoniam missus fuerat, similiter fecit, nuntians quòd Saxones mandata Lodharij spreuissent, & quicquid Lodhuvvicus & Karolus illis præciperent, libenter id facere vellent. Lodharius quoque Missos, qui ad se directi fuerant, inconsultè audire distulit. Quod tam Lodhuvvicus quàm & Karolus, nec non & vniuersus exercitus, ægrè tulerunt: & qualiter iidem ipsi ad illum peruenire possent, intendunt. Ergo XVI. Kalend. Aprilis illis in partibus viam dirigunt, & Karolus quidem per VVasagum iter difficile ingressus, Lodhuvvicus verò terra Renóque per Bingam, Karlemannus autem per Einrichi ad Conflentum in crastinum hora ferè diei sexta venerunt, protinúsque ad Sanctum Castorem orationis causâ pergunt. Missam audiunt, ac deinde iidem Reges armati naues conscendunt, & Mosellam ociùs traiiciunt. Quod cùm Orgarius Mogontiæ sedis Episcopus, Hatto Comes, Herioldus, ceterique viderunt, quos Lodharius ob hoc inibi reliquerat, vt illis transitum prohibuissent, timore perterriti, litore relicto fugerunt. Lodharius quoque vt fratres suos Mosellam transisse in Sinciaco didicit, confestim & ipse abire & Regno & sede non destitit, donec C se super ripam Rodani cum paucis, qui se sequi deliberauerunt, ceteris omissis, excepit. Qua finem secundi certaminis dedit Lodharius, terminetur Liber tertius.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.



INCIPIT LIBER QVARTVS.

PRÆFATIO.

NON solùm me, vti præfatum est, ab hoc Opere narrationis quiescere delectat, verùm etiam quo ab vniuersa Republica totus secedam, mens variis querimoniis referta, assiduis meditationibus anxia versat. Sed quoniam me de rebus vniuersis fortuna hinc inde iunxit, validísque procellis mœrentem vehit, qua

CAROLVS CALVVS. 843. portum ferar, immò verò penitus ignoro. Interim autem si aliquod A tempus otiosum reperero, quid oberit, si vti iussum est, facta Principum Procerúmque nostrorum stili officio memoriæ mandare curabo? Ergo huic rerum Operi quarto insistam *, & si in ceteris rebus futuris prodesse nequiuero, saltem in his erroris nubeculam proprio labore posteris detergam.

* assistam

VSQVE Lodhuvvicus & Karolus Lodharium à Regno suo abiisse certis indiciis cognouere, Aquis Palatium, quod tunc sedes prima Franciæ erat, petentes, sequenti verò die quid consultius de populo ac Regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primùn quidem visum est, vt rem ad Episcopos Sacerdotésque, quorum aderat pars maxima, conferrent: vt illorum consultu, veluti numine diuino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam meritò ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Lodharij considerantibus, quomodo patrem suum Regno pepulerit, quoties populum Christianum periurum sua cupiditas effecerit: quoties idem ipse hoc, quod patri fratribúsque iurauerat, frustrauerit: quoties post patris obitum fratres suos exhereditare atque delere temptasset: quanta homicidia, adulteria, incendia, omnigenáque facinora vniuersalis Ecclesia, sua nefandissima cupiditate perpessa sit: Insuper autem neque scien- B tiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet inuenire posse, ferebant. Quibus ex causis non inmeritò, sed iusto Dei omnipotentis iudicio, primùm à prælio, & secundò à proprio Regno fugam illum inisse aiebant. Ergo omnibus vnanimiter visum est, atque consentiunt, quòd ob suam nequitiam vindicta Dei illum eiecerit, Regnúmque fratribus suis melioribus se iustè ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, vtrum illud per vestigia fratris eiecti, an secundum Dei voluntatem regere voluisset. Respondentibus autem, in quantum nosse ac posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se & » suos gubernare & regere velle, aiunt: Et auctoritate diuina vt illud suscipia- » tis, & secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque » præcipimus. Hinc autem vterque illorum duodecim è suis ad hoc opus elegit, quorum vnus extiti, & sicut illis congruum, vt inter illos hoc Regnum diuideretur, visum est, contenti sunt. In qua diuisione non tantum fertilitas aut æqua portio Regni, quantum affinitas & congruentia cuiusque aptata est. Euenítque Lodhuvvico omnis Frisia, * * *

Sic vet. ex. quod nuper admodum quidam sic supplere tentauit.

Et Orientalia Regna cesserunt, omnis scilicet Germania vsque ad Reni fluenta, & aliquæ ciuitates trans Renum cum adiacentibus pagis. C

Karolo verò * * * *

Sic vet. quod & idem nuper sic supplere conatus est.

Karolus verò accepit Occidentalia Regna à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium, in qua parte ex tunc & modò nomen Franciæ remansit.

QVIBVS peractis, quique illorum è populo, qui se sequutus est, suscepit, ac sibi, vt deinceps fidelis esset, sacramento firmauit. Et Karolus quidem Mosam Regnum suum ordinaturus traiecit: Lodhuvvicus verò, Saxonorum causa Coloniam petiit. Quorum casus quoniam maximos esse perspicio, prætereundos minimè puto. Saxones quidem, sicut vniuersis per Europam degentibus patet, Karolus, Magnus Imperator ab vniuersis nationibus non inmeritò vocatus, ab idolorum vana cultura multo ac diuerso labore ad veram Dei Christianámque Religionem conuertit. Qui ab initio tam nobiles, quàm & ad bella promptissimi, multis indiciis persæpè claruerunt. Quæ gens omnis in tribus ordinibus diuisa consistit. Sunt enim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum linguâ dicuntur. Latina verò lingua hoc sunt, Nobiles, Ingenuiles, atque Seruiles. Sed pars illorum, quæ nobilis inter illos habetur, in duabus partibus

A in dissensione Lodharij ac fratrum suorum diuisa; vnaque eorum Lodharium, altera verò Lodhuvvicum secuta est. His ita se habentibus, cernens Lodharius quòd post victoriam fratrum, populus qui cum illo fuerat deficere vellet, variis necessitatibus astrictus, quocumque & quomodocumque poterat, subsidium quærebat. Hinc rem publicam in propriis vsibus tribuebat, hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem post victoriam se daturum promittebat. Hinc etiam in Saxoniam misit, Frilingis Lazzibúsque, quorum infinita multitudo est, promittens, si secum sentirent, vt legem, quam antecessores sui tempore quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Qua supra modum cupidi, nomen nouum sibi, id est Stellingua imposuerunt: & in vnum conglobati, dominis è Regno penè pulsis, more antiquo, qua quisque volebat lege viuebat. Insuper autem Lodharius Nortmannos causa subsidij introduxerat, partémque Christianorum illis subdiderat: quibus etiam, vt ceteros Christianos deprædarent, licentiam dabat. Igitur metuens Lodhuvvicus, ne iidem Nortmanni, necnon & Sclaui, propter affinitatem Saxonibus, qui se Stellinga nominauerant, coniungerent, Regnúmque sibi vindicaturi inuaderent, & Christianam Religionem his in partibus annullarent. Quamobrem, vti prætulimus, præmaximè * * adiit, & in quantum valuit simul & cetera Regni sui scandala, ne hoc nefandissimum malum sanctæ Dei Ecclesiæ deueniret, CAROLVS CALVVS. 843. *Colonia
B præcauit. Quibus expletis, Viridunensium ciuitatem Lodhuvvicus per Teotonis villam, Karolus autem per Remensem vrbem adeunt: quid deinceps agendum videretur, deliberaturi.

PER idem tempus Nortmanni Cotuuig deprædati sunt, inibique mari traiecto, Hamuuig & Nodhunnuuig similiter depopulati sunt. Lodharius autem vt se supra ripam Rodani recepit, nauigio eiusdem fluminis fretus inibi resedit, quò vndique quos valuit sibi in subsidium adtraxit. Veruntamen Legatum ad fratres suos dirigens mandat, si sciret, qua fieri posset, primores suos ad illos dirigere vellet de pace deliberaturos. Responsum est, Mitteret quos vellet: facilè quemlibet scire posse, qua illis deueniret esse. Ipsi verò vno eodémque itinere per Tricasinensium, Cadhellonensem adeunt vrbem. Cúmque Miliciacum venissent, Iosippus, Eberhardus, Egbertus, vnà cum ceteris à parte Lodharij, ad illos venerunt, dicentes, quòd Lodharius cognouisset se in Deum & illos deliquisse, nollétque ampliùs vt altercatio inter illos & Christianum populum esset. Si vellent, aliquid illi supra tertiam partem Regni propter nomen Imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, & propter dignitatem Imperij, quam auus Regno Francorum adiecerat, augere facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius absque Langobardia, Baioaria, & Aquitania, illi concederent: regerétque quisque illorum, Deo fauente, portionem Regni sui prout melius posset.
C Et vteretur alter alterius subsidio ac beneuolentia, concederent pacem & leges inuicem sibi subiectas, esséque inter illos, Deo auctore, pax pacta perpes. Quod cùm Lodhuvvicus & Karolus audissent, & illis plebique vniuersæ perplacitum esset, in vnum vnà cum primoribus coëunt, ac quid de talibus acturi essent, gratanti animo conferunt. Aiebant se hoc in exordio dissensionis voluisse, & quamquam peccatis interuenientibus proficuum esse non posset, sæpè hoc illi mandatum fuisse. In eo tamen omnipotenti Deo gratias referebant, cuius tandem ope adiuti hoc promeruerant, vt frater illorum, qui semper pacem atque concordiam spreuerat, Deo largiente tunc illam petebat. Verumtamen solito more ad Episcopos Sacerdotésque rem referunt, vt quocunque diuina auctoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenti animo præstò adessent. Quibus cùm vndique vt pax inter illos fieret melius videretur, consentiunt, Legatos conuocant, postulata concedunt. Cúmque in diuisione Regni quatuor dies vel eo amplius morarentur, tandem visum est vt inter Renum & Mosam vsque ad exortum Mosæ, ac deinde ad exortum Saugonnæ, & sic per Saugonnam vsque ad Confluentum Rodani, & sic deinde per Rodanum vsque in Mare Tyrrenum omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, fisca cis Alpibus consistentia, absque * * illi in parte Regni tertia offerrent. Et si hanc recipere renuat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quod quidem quamquam vltra quòd iustum ac congruum, vt quibusdam videbatur, inuentum fuerit, per Conradum,

CAROLVS CALVVS. 843. Abbonem *, Adelhardum, & ceteros mandatum est. Ipsi verò interim, donec A qui missi fuerant reuerterentur, in eodem loco esse se decernunt, responsum Lodharij præstolaturi. Qui cùm ad Lodharium venissent, repererunt illum paululum minus solito more animatum. Aiebat enim se non esse contentum in eo, quod fratres sui illi mandauerant, quia æqua portio non esset: querebatúrque insuper suorum, qui se sequuti sunt, causam, quòd in præfata parte, quæ illi offerebatur, non haberet vnde illis ea quę amittebant restituere posset. Quamobrem, ignoro qua fraude decepti, hi qui missi fuerant, augent illi suprà definitam partem vsque in Carbonarias. Insuper si hoc vsque ad tempus, quod illis pariter conueniret, reciperet, iurant illi, quòd tunc fratres sui iureiurando, prout æquiùs possent, Regnum omne absque Langobardia, Baioaria, & Aquitania, in tribus partibus diuiderent, essétque super his sua electio, vt quam vellet harum acciperet, ac diebus vitæ suæ eandem illi concederent, in eo, quod ille illis similiter faceret. Et hæc omnia si aliter non crederet, sacramento sic se facturos promitterent. Iurat etiam Lodharius sic se velle, ac sua ex parte sic perficere, in eo quod fratres sui, vti Missi illorum tunc illi iurauerant, adimplessent.

* Cobbonem.

IGITVR mediante Iunio, feria videlicet quinta propter ciuitatem Madasconis, in insula quæ Ansilla dicitur, cum æquo numero priorum Lodharius, Lodhuvvicus, & Karolus conueniunt, & hoc sacramentum mutuò sibi iurauerunt. Videlicet vt ab ea die & deinceps inuicem sibi pacem conseruare deberent, & ad Placitum, quod fideles illorum inibi statuissent, Regnum omne absque Langobardia, Baioaria, & Aquitania, cum sacramento, prout æquiùs possent, in tribus partibus sui diuiderent, electióque partium eiusdem Regni esset Lodharij: B & quique illorum partem, quam quisque acciperet, cuique deinde omnibus diebus vitæ suæ conseruare deberet, in eo, si aduersus fratrem & suos frater suus similiter faceret. Quo expleto, adhibitisque verbis pacificis, pacificè discedunt, ad castra redeunt, in crastinum de ceteris deliberaturi. Quamquam & ægrè, vix tamen effectum est, vt vsque ad Conuentum, quod in Kalend. Octobris condixerant, pacificè quisque in sua portione, quam vellet, esset. Et Lodhuvvicus quidem Saxoniam, Karolus verò Aquitaniam ordinaturi, adeunt. Lohdarius autem iam, vt sibi videbatur, de electione Regni partium securus, Arduennam venatu petit, omnésque primores suæ portionis populi, qui à se, dum à Regno abiret, necessitate coacti desciuerant. honoribus priuauit. Lodhuvvicus etenim in Saxonia seditiosos, qui se, vti præfatum est, Stellinga nominauerant, nobiliter, legali tamen cæde, compescuit. Karolus verò in Aquitaniam Pippinum fugauit. Quo latitante, nihil aliud notabile efficere valuit, præter quòd VVarinum quendam Ducem, ceterósque, qui sibi fidi videbantur, ob custodiam eiusdem patriæ inibi reliquit. Insuper Egfridus Comes Tolosæ è Pippini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cepit, quosdam strauit. Idémque Karolus ad Placitum, quod cum Lodhuvvico fratre suo VVarmatiam condixerat, iter direxit. Cúmque Metis, pridie Kal. Octobris venisset, Lodharium in C villa Theotonis repetit, quò ante condictum Placitum venerat, ac aliter quàm statuerat, residebat. Quamobrem his, qui à parte Lodhuvvici, necnon & Karoli, propter diuisionem Regni Metis residere debuerant, tutum minimè videbatur, vt dum seniores sui in VVormatia, & Lodharius in Theotonis villa essent, illi Metis Regnum diuiderent. Distat enim VVarmatia à Metis leuuas plus minus LXX. Teotonis autem villa plus minus octo. Occurrebat etiam, quòd Lodharius in fratrum deceptione sæpè perfacilis promptúsque extiterat. Ideóque suam salutem illi credere haudquaquam, absque qualibet securitate, audebant. Ergo Karolus horum saluti consulens, ad Lodharium dirigit: mandat, quoniam aliter quàm conuenisset, venerat, & erat, si vellet vt Missi fratris sui, nec non & sui, inibi vna cum suis remanerent, daret illi obsides, vt de salute illorum fidus esset. Sin aliter, mitteret ille Missos suos VVarmatiam ad illos, & illi quos vellet obsides illi darent: sin aliter, recederent à Metis pari spatio. Sin etiam & hoc nollet, in meditullio qua vellet, Missi eorum conuenissent. Non enim se tot nobilium virorum salutem negligere debere, dicebat. Erant quidem octoginta electi ex omni multitudine, omni nobilitate præstantes, quorum interitus ni præcaueretur, maximam sibi fratrique suo posse inferre iacturam aiebat. Tum tandem pro

A commoditate omnium hinc indè visum est, vt Confluentum Missi illorum, centum decem videlicet, absque obsidibus conuenirent, inibique Regnum, prout æquiùs possent, diuiderent.

Qvo scilicet XIIII. Kal. Nouembris conuenientes, ne fortè quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur, pars illorum, quæ à Lodhuvvico, nec non & Karolo venerat, Orientalem ripam Reni metantes, quæ autem à Lodhario, Occiduam, cotidiéque ob commune colloquium Sanctum Castorem petierunt. Cúmque ad Regni diuisionem, hi qui à Lodhuvvico & Karolo missi fuerant, variis querimoniis accessissent, quæsitum est, si quis illorum totius Imperij notitiam ad liquidum haberet. Cùm nullus reperiretur, quæsitum est, cur Missi illorum illud in transacto spatio non circumiissent, & illorum industria inbreuiatum esset. Cùm & hoc vt fieret, Lodharium nolle reperissent, aiebant impossibile esse ignoranti quiddam æqualiter diuidere posse. Nouissimè autem quæsitum est, quoniam sacramento illud, prout æquiùs ac meliùs possent, nossenque, diuidere deberent, si hoc sincerè iurare possent, dum scirent quòd nemo ignoranter id facere valeret. Et hoc quoque ad conferendum Episcopis commissum. Qui hinc inde in Basilicam sancti Castoris conuenientes, à parte Lodharij aiebant, si in sacramento quilibet deliquisset, hoc expiare posse, ac per hoc melius esset vt hoc facerent, quàm diutiùs tot rapinæ, incendia, homicidia,

B adulteria Ecclesia Dei pateretur. At contra hi, qui à parte Lodhuvvici, nec non & Karoli erant, aiebant, dum neutrum necesse esset, cur in Deum peccare deberent: meliùs esse vt firmaretur pax inter illos, mitteréntque pariter per vniuersum Imperium, & imbreuiaretur, ac tùm tandem iurare quod certum est absque periculo, æqualitérque diuidere posse censebant. Sic quoque periuria, ceteráque facinora deuitare, ni cæca cupiditas impediret, posse firmabant. Ac per hoc nec se lædere in sacramento velle, nec cuipiam vt faceret licentiam dare, testabantur. Qua dissentientes, quique quà venerat, ad suos secesserunt. Hinc omnes in eadem domo conuenerunt, à parte Lodharij dicentes, quòd parati ad sacramentum & ad diuisionem, vti iurarum fuerat, essent. At contra à parte Lodhuvvici & Karoli similiter se velle, si possent, aiebant. Nouissimè autem, quoniam neuter quod alter volebat, absque seniorum suorum auctoritate, assentire audebat, statuunt vt pax inter illos esset, donec scire possent quid seniores sui horum recipere vellent. Et hoc fieri posse in Non. Nouemb. visum est, vsquequo pacis termino constituto discedunt. Qua quidem die terræ motus magnus per omnem penè hanc Galliam factus est. Eadémque die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum eius XXVIII *, corpore absque aromatibus indissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, & hic, ex vna progenie fue- * XXVIIII.

C re: & apud Magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex eiusdem Magni Regis filia nomine Berchra Harnidum fratrem meum, & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Ricarij construxit: Familiam sibi commissam mirificè rexit. Hinc vitâ cum omni felicitate defuncta Centulo, in pace quieuit. His paucis de origine mea delibatis, ad historiæ seriem redire libet.

Cvm autem, vt præfatum est, reuersi quique Regi suo quæ inuenerant nunciassent, hinc inopia, hinc hieme instante, hinc etiam quod primores populi degustato semel periculo iterum prælium nolebant, ac per hoc vt pax inter illos vsque in vigesimo die post Missam sancti Iohannis firmaretur, assentiunt. Ad quam statuendam hinc inde primates populi Teoronis villam confluunt. Iurant, vt ipsi Reges inter se interim mutuam pacem seruare deberent. Et vt nequaquam quolibet modo omitteretur, ni in eodem Conuentu, vt æquius possent, omne Regnum diuiderent, essétque Lodharij, vti iuratum fuerat, partium electio eiusdem Regni. Hinc quique, qua libuit, discessit: & Lodharius Aquis hiematum petiit, Lodhuvvicus Baioariam. Karolus autem vxorem ducturus Carisiacum venit. Eodem tempore Mauri à Sigenulfo fratre Sigihardi sibi causa subsidij inducti Beneuenrum inuadunt. Eodem etiam tempore Stellinga in Saxonia contra dominos suos iterum rebellarunt: sed prælio commisso, nimia cæde prostrati sunt. Ac sic auctoritate interiit, quod sine auctoritate surgere præsum-

KAROLVS CALVVS. 843. psit. Accepit quidem Karolus, vti præfatum est, in coniugio Hirmentrudem Vodonis & Ingeltrudis filiam, & neptem Adelhardi. Dilexerat autem pater eius suo in tempore hunc Adelhardum adeò, vt quod idem vellet in vniuerso Imperio, hoc pater faceret. Qui vtilitati publicæ minus prospiciens, placere cuique intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis vsibus disttibuere suasit: ac dum quod quique petebat vt fieret, effecit, Rempublicam penitus annullauit. Quo quidem modo effectum est, vt in hac tempestate populum, qua vellet, facilè diuertere posset. Et hac de re Karolus præfatas nuptias maximè iniit, quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putauit. Nuptiis quidem XVIIII. Kal. Ianuarij expletis, Natalem Domini ad Sanctum Quintinum celebre peregit. Valentianas quoque, qui de fidelibus suis inter Mosam Sequanámque causâ custodiæ remanere deberent, ordinauit. Idem verò partibus Aquitaniæ vna cum coniuge anno DCCCXLIII. Incarnationis Domini in hieme iter direxit. Fuit autem eadem hiems præfrigida nimis ac diuturna. Langoribus insuper abundans, nec non & agriculturæ, pecorique, apibúsque satis incongrua. A

Hic quique colligat, qua dementia vtilitatem publicam negligat, priuatisque ac propriis voluntatibus insaniat, dum ex vtrisque Creatorem adeò offendat, vt etiam omnia elementa eius vesaniæ contraria reddat: quódque huiuscemodi exemplis penè adhuc omnibus notis perfacilè probaturus accedam. Nam temporibus bonæ recordationis Magni Karoli, qui euoluto iam penè anno XXX. decessit, quoniam hic populus vnam eandémque rectam, ac per hoc viam Domini publicam incedebat, pax illis atque concordia vbique erat. At nunc è contra, quoniam quique semitam, quam cupit, incedit, vbique dissensiones & rixæ sunt manifestæ. Tunc vbique abundantia atque lætitia, nunc vbique penuria atque mœsticia. Ipsa elementa tunc cuique Regi congrua, nunc autem omnibus vbique contraria, vti Scriptura diuino munere prolata testatur; *Et pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Per idem tempus eclypsis Lunæ XIII *. Kal. Aprilis contigit. Nix insuper multa eadem nocte cecidit, mœrorémque omnibus, vti præfatum est, iusto Dei iudicio incussit. Id propterea, inquam, quia hinc indè vbique rapinæ & omnigena mala sese inferebant, illinc aëris intemperies spem omnium bonorum eripiebat. * * * B

Sap. 5. * al. XV.

EXPLICIT LIB. IIII.

A 

FORMVLÆ FOEDERIS
LVDOVICI GERMANIÆ ET KAROLI GALLIAE REGVM,
PII FILIORVM, MAGNI NEP.

Quod apud Argentoratum anno DCCCXLII. percussum est.

Vtriusque linguæ monumentum, vt vnum omnium, quæ hodie supersunt, ætate antiquissimum, ita obscurissimum hactenus habitum: nunc verò demùm ex archetypis restitutum, & ἀδημήλως Notis expositum,

STVDIO MARQ. FREHERI.

B Accedit elegans Quæstio,

Quâ propriè linguâ Francorum Reges vsi.

N. V.

IACOBO BONGARSIO REGIO CONSILIARIO S. P. D.



IVIDIÆ mihi esse solet, deploratum aliquem locum offendere, in quo cùm alios operam lusisse doleam, me quoque nec curâ nec ingenio quidquam assequi ringar. Quod mihi dudum peracerbum accidit in isto vernaculæ vtriusque nostrûm linguæ fragmento, horridæ sanè vetustatis, & quo nihil retrosius ad hocce æuum peruenerit; sed vel eo magis æstimandi, & curiosiorem nostram operam efflagitantis. Complures sanè pro memorabili cascæ illius simplicitatis, & desiti sermonis monumento scriptis suis inseruerunt, Bodinus, Massonus, Falcetus, Pascasius, Lipsius, Vulcanius, Taubmanus: sed sincerum repræsentare nullus potuit, primum Nithardi editorem, vt ille Codicis sui fidem, sequi contenti. Et quidem næuos labésque
C iamdudum notare, quàm medicinam afferre, faciliùs potui. Tu perplexum extricasti, quum meo rogatu archetypum ipsum penes Ampliss. V. Paulum Petauium Consil. Reg. intenta luminum acie consuluisti, omnes ordine litterulas ad vnguem exegisti, déque tota re ad me oculata fide retulisti: non magis hoc facto de me, quàm de Nithardo, imo ipsis Regibus, atque adeo vtriusque genre benè meritus. Cuius officij gratiam à me quidem accipe, Notas hasce breues & leues, perfunctoriè chartis illitas, dum altius pleraque indagare omitto, & mea mihi præripere caueo. Nosti enim, quid super vtraque lingua dudum laboratæ Mineruæ in promptu habeam; non fratribus Gallorum magis quàm ipsis studia mea inseruire affectans. Ad cuius editionem quæso stimulos satagenti admouere, isto ceu præcidaneo quodam specimine delinitus, parce: & dum communibus votis satisfacio, interim hancce regij fraternique apud Argentinam antiquitùs icti fœderis exegesin, tu Regio nomine inter coniunctissimas gentes fide felixque interpres, tu laudatissimæ eius vrbis grate nec noue hospes, tu antiquitatis omnis non minùs peritissime quàm studiosissime, sed magis antiquæ virtutis & fidei cultor perpetue, tu denique nostræ fœdus amicitiæ pro insigni humanitate hactenus non aspernate, boni rogo consule. Heidelbergæ Kalend. Ian. MDCXI.

MARQVARDVS FREHERVS.

NITHARDVS HISTORIÆ LIB. III.
SVB ANNO DCCCXLII.

ERGO XVI. *Kal. Martij Hloduuicus & Karolus in ciuitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgò dicitur, conuenerunt, & sacramento quæ subter notata sunt, Hloduuicus Romanâ, Karolus verò Teudiscâ linguâ iurauerunt. Ac sic ante sacramenta circumfusam plebem alter Teudiscâ, alter Romanâ allocuti sunt. Hloduuicus autem quia maior natu, prior exorsus sic cæpit:* Quoties Lotharius me & hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando, *&c. Cùmque Karolus hæc eadem verba Romanâ linguâ perorasset, Hloduuicus quoniam maior natu erat, prior hæc deinde se seruaturum testatus est:* Pro Don amur, & pro Christian poblo, *&c. Quod cùm Hloduuicus explesset, Karolus Teudiscâ linguâ sic hæc eadem verba testatus est:* In Gotes minna, induithes Christianes folches, *&c. Sacramentum autem, quod vtrorúmque populus, quique propria lingua testatus est, Romanâ linguâ sic se habet:* Si Lodhvvigs sacrament que son fradre Karlo iurat, *&c. Teudiscâ autem lingua:* Oba Karl then eid, den er sinemo bruodher, *&c.*

Hoc loco illud primùm obseruatu suaue est, fratres vt in ordine loquendi & testandi primogenituræ rationem habere, ita vtrumque eorum suos quidem homines sua lingua affatum, in dando alteri iureiurando autem non sua, sed alterius lingua vsum. quare? nisi quia in fide danda fratri potissimum atque adeo eius exercitui circumfuso satisfaciendum erat, à quo vt rectè perciperetur, & omnia sincerè germanéque gesta viderentur, eius sermone quàm suo vernaculo exaudiri maluit. Ex quo simul & illud colligere licet, vtrumque sermonem vtrique fratrum peræquè notum & familiarem fuisse. Fraternas vèrè linguas, quæ Regibus fratribus inter se vsurpatæ. Quòd si vnquam Gallorum fratres haberi Germani potuerunt, tunc cum fratribus germanis vtrique paruerunt, & fraterna fide coniunctissimis. B

Vt autem ad formulas ipsas exponendas accedam, quandoquidem in vtraque eadem omnino verba, diuerso idiomate expressa, contineri Nithardus testatur, commodissimum factu videtur, vtramque integram verbis ferè singulis παραλλήλοις inter se respondentibus, sic oculis exhibere, vt vna alteri apti fidique interpretis vicem esse possit. Tu Lector attende.

FOEDVS REGVM.

KAR. Pro Don amur, & pro Christian poblo & nostro
LVD. *In Godes minna, ind durh tes Xristianes folches ind vnser*

commun saluament, dist di en auant, in quant Deus
bedhero gehaltnissi, fon thesemo dage frammordes, so fram so mir Got C

sauir & potir me dunat, si saluarai eo cest meon fradra
gevvizei indi mahd furgibit, so hald ih tesan minan bruodher

Karlo, & in adjudha & in cadhuna cosa, si cum hom per dreit son
. . . . so so man mit rehtu sinan

fradra saluar dist, ino quid il imi altre si faret, & ab Ludher
bruoder scal, in thiu thaz er mig so so ma duo, indi mit Lutherem

nul plaid nunquam prindrai, qui meon vol cist meon fradre
inno theinni thing ne gegango, zhe minan vvillon imo

Karle in damno sit.
ce scadhen vverhen.

HÆC quidem fratres Reges, sermonem inter se (vt dixi) certo pióque consilio alternantes, non itidem populus & militia vtriusque, cui satis fuit propriâ & natiuâ linguâ (& quis in legionariis alienæ linguæ peritiam exigeret?) testari, Domino suo fidem frangente non se perfidiæ participes futuros, neque ei in fratrem opem laturos: à qua necessitate ipsi eos vtrinque Domini liberassent. Id

A enim volunt horum in allocutione verba: *Si autem (quod absit) sacramentum, quod fratri meo iuraui, violare præsumsero, à subditione mea, nec non & à iuramento, quod mihi iurastis, vnumquemque vestrum absoluo.*

SACRAMENTVM POPVLI.

Si Lodhuvvigs sacrament, que son fradre Karlo iurat,
Oba Karl then eid, then er sinemo bruodher Ludhuvvige gesuor,
conseruat, & Karlus meo sendra de suo part non los tanit,
geleistit, inde Ludhuvvig min herro then er imo gesuor, forbrichchit,
si io returnar non lint pois, ne io, ne neuls cui eo returnar nit
ob ih ina nes arvvenden nemag, noh ih, noh thero thein hes irrvvenden
pois, in nulla adjudha contra Lodhuvvig nun li iuer.
mag, imo, ce follusti vvidhar Karle ne vvirdhit.

TAM enixæ fratrum & populorum coniunctioni nos & hoc dabimus, vt non seorsim vnius & alterius linguæ formulam excutiamus, sed coniunctim & permixtè vtramque. Atque vtinam vel sic omnia assequi, & nobis ipsis satisfacere possemus. Verùm sit *aliquid prodire tenus.* Et fortè cum tempore meliora & perfectiora sperabimus. Et vt sit *à Ioue principium*-----

B *Pro* DON *amur*] Per Domini Dei amorem, inquiunt. quod est in veteri formula, *Ita me Deus amet.* Grandis & solemnis obtestatio, graue votum, quo nullum sanctius Nemesis audit & agnoscit. Itaque de hoc ipso fœdere capiendus est locus in Fuldensi Annali DCCCXLVIII. *Hludouuicus verò memor pacti, quod cum Karlo dudum cum adtestatione Diuini nominis inierat.* Hæc nimirum est illa religiosa attestatio, *Per Dei amorem:* qua & in petendo aut iubendo nulla imperrabilior visa: vt hodiéque, *Pour l'amour de Dieu.* Ermoldus Nigellus lib. III. de gestis Ludouici Pij, in expeditione Britonica.

Sed pius induperans custodes ponit opimos,
Omnibus & mandat hec in amore Dei:
Ecclesias seruate viri, nec tecta sacrata
Tangite, & Ecclesiis pax sit amore Dei. —

In Godes minna] Notgerus in paraphrasi Psal. LXXXVI. verbis *amator Dei*, interlineariter superscriptum habet: *Cotis minnare.* Et omnino Teutonibus *Minna* est amor, affectus, charitas; *Minnen*, amare: *Vnminna*, discordia, dissidium: *Minnelich*, amabilis, lepidus: *Minnohaft*, amans; *Minnalust*, & *Minnasami*, dilectio. Et quod nobis superioribus Germanis iam inter verba nupta relatum, Belgis intemeratum manet *Beminte, VVelbeminte*, dilecta, præcara. Neque aliunde nata Gallica, *Mignon, Mignonne, Mignard, Mignarde, Mignardise.* Ipsa Dea amoris olim nostris MINNE; & alicubi lego, *Mérminne*, Siren, quasi quædam Venerilla marina. Plura quid attinet?

Ind durh] Mirare nostrum. Et per omnes ordine vocales variatum. Saxonibus enim est *And*, & Anglis hodiernis: Belgis *Ende*: Francis veteribus *Ind*, & *Inde*, & *Inthi*, totmodis vel hoc vno loco scriptum videmus: Teutonibus & Alemanis hodie *Vnd*, quod & *Ond* quidam efferunt.

C *Nostro saluament*] Ita & in fœdere Confluentino horum Principum cum Lothario nepote anno DCCCLX. *Ad Dei voluntatem, & S. Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi saluamentum & pacem, & ad legis ac iustitiæ & rectæ rationis conseruationem*, &c.

Gehaltnissi.] Conseruationem, *Halten* est tenere, seruare, custodire. Vnde Notgerus Christum Seruatorem semper vertit *Haltare*, & *Haltende*, quod est Σωτῆρα. Atque ita mox quod sequitur in fœdere, *si saluarai eo*, redditur, *so hald ih.*

dist di] de isto die. Hodie diceretur, *De ce iour.*

en auant] In antea, pro eius æui stylo: vnde natum & Italicum. *Inanzi.* In Sacramento generali fidelium, apud eundem Pithœum: *Promitto, quia de isto die inantea isti Seniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens*, &c.

Frammordes] Kero Glossis: *De catero, Frammert. Reliqua, Frammert.* Subinde legas idem & apud Otfridum. Pro eo hodie dicimus, *Forthin*, & *Hinfort.*

So fram so mir] Ita in veteri Confessione, ab eodem hoc æuo, præposita Otfrido: *So bin ih es Gote almahtigen bigehtig, inti thir Gotes manne: inti gerno buoz ziu framort, so fram so mir Got almahtigo mahti inti givvizzi forgibit.*

Sauir & potir] In eisdem formulis: *Ego ille ab ista die in ante fidelis ero secundum meum sauirum.* quod in alius est: *Quantum sciero & potuero, Domino adiuuante*, &c.

& in adiudha] Hæc in Theotisco desiderantur.

cadhuna] manet vocula in Italico & Hispanico hodierno, Gallis *chascune*, inuersè ex *Vnaquaque.*

Cosa] Causam pro Re dixerunt Franci, capitulo 208. lib. II. *Si quis causam alterius tulerit de loco suo.* A

Per dreit] Hodie scriberemus, *Par droict*. In formulis iisdem: *sicut homo Francus per recte esse debet.* in aliis, *per rectum*. Legas etiam alibi *per drictum*. E directo factum est: sicut eius contrarium è torto, *Tort*, iniuriam, nefas notat. Gallis frequens, *A tort & à trauers*. Apud Turonensem bis lego: *Desistite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.* quod hodie diceretur: *car nous n'auons point de droict.* Inde etiam est *Droicture*, recta cura, & *Droicturier*, iusti rectique colonus Tertulliano.

Vta Zermig soso] Hic aque hæret, nec quidquam expedio. Et quî possim, in loco manifestè corrupto?

Et ab Ludher] Bodinus, qui has formulas primus edidit lib. v. de Repub. cap. VI. non animaduertens nomen Lotharij, malè reddidit: *Et à luy n'auray querelle, que mon vouloir soit, si mon frere Charles ne me fait tort.* Neque aliter illum secutus Feulchetus & alij. Notari etiam hîc velim orthographiam nominis Lotharij, quem hodiéque non aliter efferimus quàm *Luther*. De quo infra in Ludouico.

Plaid] à Placito est, à quo Placitare, *plaider*: quod è πλακιτζειν suauiter deducit Perionius. Hoc in Teutonico hîc est *Thing*: vt in Glossis antiquis: *Placitum, Plait vel gedinge. Placitare, Dengen.*

thein] nullum, quod & *dehein* scribitur. Vnde nescio quomodo hodiernum *khein* procusum.

Gegango] ita est in manuscript. Malim autem equidem *gefango*, vt respondeat Gallico *prindray*.

In damno sit.] Quo verbo omne genus incommodi & nocui excluditur, ne damnum detur in corpore, bonore, bonis. Id quod in formula Fidelitatis sequentibus temporibus latiùs & expressiùs cautum videmus, quæ legitur apud Fulbertum Carnotensem Episcopum Epistolæ CI. vnde id postea in libros Feudorum relatum, & nescio cui Philiberto adscriptum.

DENIQVE hanc promissionem verè Germana fide seruauit postea Ludouicus, cùm in colloquio apud Confluentem castellum habito, Lotherius maximè moliretur, vt posthabita Karoli amicitia, sibi germanitatis iure sociaretur: ille autem memor huius pacti cum attestatione diuini nominis initi, suasoria machinamenta declinans, colloquium abrumperet. Verba sunt optimorum illorum Annalium à Pithœo primo editorum, in anno DCCCXLVIII. B

SACRAMENTVM POPVLI.

Ludvvighs] In Theotisco scribitur *Ludhuuig*, & rectiùs. Ex illo hodiernum Gallorum *Louys* & *Clouys* natum; hoc apud nos mansit, *Ludvvig* inquam. Atque ita etiam scripsit Otfridus in Odatio, eóque Acrostichide, huic ipsi *Ludouuico Orientalium Regnorum Regi* inscripto: *Ludovvic ther snello*, &c. Neque aliter vetustissimi Francorum ipsum Chlodoueum scripserunt quàm *Ludovvicum*, vt in testemento B. Remigij obseruemus. Et de recenti victoria Alemanica illi gratulans Theodericus Italiæ Rex, *Ludouico Regi Francorum* (pro quo minus benè *Luduuin* quædam exemplaria habent) scribit apud Cassiodorum. Nominis etymologias vt alij alias comminiscuntur, ita nobis satis sit hoc loco omnium antiquissimam indicare, quem ipsi Ludouico Pio, huius nostri patri, adscribit an affingit Panegyristes eius, Hermoldus Nigellus lib. I.

Prodigium fuerat sic hunc vocitasse parentes,
Quod foret insignis Marte, poténsque pius.
Nam Hludovicus enim Ludi de nomine dictus,
Ludere subiectos pacificando monet.
Seu quis Franciscam mauult reserare loquelam,
Nominis vt possit noscere noticiam;
Nempe sonat HLVTO *preclarum*, VVIGCH *quoque Mars est.*
Vnde suum nomen composuisse patet. C

ATQVE sic Ludouicus (qui fortè Litauicus apud Iulium Cæs.) idem foret Francis, quod Stratocles vel Cleostratus Græcis. Neque aliunde igitur petende etiam Lotharij originatio: qui cùm vtroque loco hic *Luther* scribatur, quomodo hodiéque pronunciatur, quid nisi clarum, inclitum, gloriosum sonare videtur? Sed de his alibi plura.

Sagrament] Inde contractum *Serment*. Quod video & Car. Bouillo obseruatum.

Gesuor] firmauit, stabiliuit, sanciuit. Id enim antiquitus est *Sueren*, quod nos iam κατ' ἐξοχὴν pro sola firmitate iurisiurandi (quæ & compositè *Aidsvvuer*) vsurpamus. Lege Baioeriæ cap. XX. Tit. XII. De Firmetione: *Si firmare promiserit emptori, id est Suuiron, & non potuerit.* Et cap. XXXIII. §. 2. *Iniustè territorium meum alteri firmasti, id est Farsvviroti.* Et apud veterem interpretem legis Mosaicæ, *Hingeschvvorene* est virgo desponsate, fiduciata, *ein Iunfravv einem Man geschvvoren.* Et in patrie mea, *ein Hinschvvoren*, sponsalia, connubiale pactum: quod est *Firmata fabula* in lege Lombarda.

Geleistit] Conseruat. *Folleistida cuotis vverchis*, perseuerantia boni operis, lego apud Notgerum in Psal. CXXII.

Meo sendra] Senior meus, quod Dominum eo æuo sonabat. Nithardus noster lib. IIII. *Quoniam neuter quod alter volebat, absque seniorum suorum auctoritate assentire audebat, statuunt, vt pax inter illos esset, donec scire possent, quid seniores sui horum recipere vellent.*

returnar] Diuertere, reflectere, *Ervvenden* est in Theotisco. Mirare verbum infeliciter translatum à torno, & omnino malè tornatum: quo tamen hodie vtitur Galliæ & Italiæ. Neque enim Perionio assentior, qui à Latino *reuertor* ductum esse non dubium putat: cùm significet non tantùm reuerti,

sed

A sed etiam inuertere, circumagere, veluti trocho aut torno. Vnde & *Tour, retour, Faire son tour. Ritorno.* Hinc Tornatrices, sunt saltatrices, mimæ, in cap. 35. Dist. 5. de consecrat. *qui font des tours.* Et nescio an non & Torneamentum inde ductum, *Tournoy.* In Mauritij Imp. Strategicis inter voces, quibus Duces ad milites in acie vterentur, etiam hæc occurrit: *Seque, cade,* TORNA, *mena depone----*

Nemag] Iodiuisè scribendum, vt supra: *Negegange*, vel *negefango.* vt apud Notgerum Psalmo 1. *Qui non abiit. &c. Ter in dero argon râs negegieng.* ita perpetuo ille, & VVilleramus, æmuli & hac parte Latini vsus, *Nequeo, nescio,* &c.

neh thero, noh] Neque hæc satis liquent.

adiudha] Contractiùs hodie Gallis, *ayde.* Quod heic Theotiscè redditur, *follusti.* Vbiis & Belgis hodie magis quàm nobis in vsu, *zu follest vnd steur,* id est, ad opem, iuuamen, supplementum. Glossæ veteres à CL. V. Paulo Petauio aliàs nobis commodatæ: *Solamen, subsidia, Follazuth.* Eædem: *Suffragia, Follazuchida. Patrocinia siue auxilia, Helpha.* Quod vltimum Chilperico Regi (quem nos Hilfrichum aut Richulfum dixissemus) nomen dedit Fortunatus.

> CHILPERICE *potens, si interpres barbarus extet,*
> *Adiutor fortis hoc quoque nomen habes.*

QVA PROPRIE' LINGVA PRISCI FRANCORVM REGES VSI.

QVVM *notatum sit superius, vtrumque sermonem vtrique fratrum peraquè notum & familiarem fuisse; non abs re subit quarere, Quis igitur Francorum Regum Gallia potientium proprius & naturalis sermo fuerit? Nam prater Latinum (quem & ipsos, non minus quàm nos hodie, arumnabili labore addiscere conueniebat) peculiare patrium & natiuum idioma eos habuisse, dubitare nos non sinit vel*

B *vnus Fortunati de Chariberto Rege locus:*

> Cùm sis progenitus clara de gente Sicamber,
> Floret in eloquio lingua Latina tuo.
> Qualis es in propria docto sermone loquela?
> Qui nos Romanos vincis in eloquio.

Et Theganus de Ludouico Pio scribens: Lingua Græca & Latina valdè eruditus: sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui, Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. *Iam verò preter veram illam puram putámque Ausoniam linguam, tunc temporis vnà cum Imperio inclinatam, suborta etiam erat prouincialis quadam multo inquinatior Latina, vel potius Gallo Latina lingua: quam iam tum Sidonius* squamam Latini sermonis, *& alibi* rubiginem triuialium barbarismorum, *iocabundus appellat. Franci ipsi nonnisi* Rusticam Latinam *dixere: ea ferè quam Nithardus hoc loco* Romanæ *nomine dignatur, quia nimirum in Romanis prouinciis vulgo vtcunque terebatur, quas* Romaniam *Franci vocabant, eodem Fortunato teste ad Chilpericum:* Hinc tibi Barbaries, illuc Romania plaudit: *& à prouincialibus, qui Francis victoribus intermixti* Romani *in veteribus legibus subinde dicuntur, vsurpabatur. Reges verò ipsos, origine nimirum Sicambros, vt vt in subacta Gallia sermonis Latini illa relliquia superessent, patria & originaria sua lingua è Sicambria siue Francia à maioribus allata, potius quàm populari illa & rusticana semilatina, denique victrice sua (vt credibile est) potius quàm captiua subditorum lingua vsos, eámque diu constanter retinuisse, dum genus Merouingiorum & Carolingorum vigebat; cùm infinitis argumentis possem, iuuat illustrioribus tantùm quibusdam ipsorum vtriusque prosapia Regum effatis confirmare.*

DE *Chlodoueo igitur, qui primus per baptismi gratiam à B. Remigio accepit fidem salutarem, in eius testamenteo locus extat:* cum duabus villis, quas mihi Dominus illustrisque memoriæ Ludouicus Rex piissimúsque Princeps, à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei PISCOFESHEIM

C suâ linguâ vocatas, mihi tradidit. *Quo nomine per mediam Germaniam complures villa occurrunt,* Bischofsheim *dicta: eadem forma qua B. Nicetij castellum supra Mosellam extructum, & Fortunati versibus nobilitatum,* Bischofstein *hodiéque vocatur. Porro apud Turonensem quatuor locis legimus Gundobaldum quendam è Gracia profectum Clotharij Regis se filium mentientem, à Gunthramno Rege per indignationem aut contemtum* BALLOMEREM *vocatum, conuicio (sine dubio) acerbo & graui, sed heic modo fusius non explicando. Sufficiat scire, Pseudo-regem significare, vt* Balmond *falsum & improbum tutorem. Ad Carolos venio, de quorum primo continuator Turonensis cap. 103.* Igitur prefatus Pippinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocauitque nomen eius lingua propria CAROLVM. *quod equidem nomen nihil omnino cum Caro aut Carino commune habere, sed merissimè Germanum esse, certo certius probarem in continenti, nisi Onomatotheram meum (id nomen singulari* De Germanis nominibus propriis *libro indidimus) vel leuiter deflorare mihi cautio esset. Quis etiam nescit, qua Mensibus, Ventisque nomina ipse Magnus imposuerit? Filius eius & successor Ludouicus Pius, quum in agone mortis obuersantes malignos spiritus virtute fidei repelleret,* HVZ HVZ, *ingeminasse (quod nobis significet Foras, Foras) Scriptor vita eius testatur. Claudam insigni loco Frodoardi, de Synodo apud Ingelheim anno* DCCCCXLIX. *habita:* Post quarum litterarum recitationem, & earum propter Reges iuxta Teotiscam linguam interpretationem, *&c. Quo quis quid clarius requirat? Quapropter rectè faciunt cordatiores Gallorum, qui linguam Teutonicam (quam vulgus insulsum ceu barbaram & inconditam contumeliosè* Barragouin, *voce plusquam barbarâ vocat) quum suis maioribus, ipsisque adeo primis & laudatissimis Regibus gentilem & vernaculam fuisse agnoscant, si non ipsi addiscunt, & libenter vsurpant, certè ob antiquitatem, copiam & maiestatem admirantur; ipsámque Germaniam in ea, qua olim Romani Ilium, veneratione habent.*

 A

DE BELLO BRITANNICO INTER RAINALDVM CAROLI REGIS DVCEM, AC LAMBERTVM COMITEM, & de direptione vrbis Nanneticæ per Normannos.

FRAGMENTVM

Ex veteri Registro Monasterij S. Sergij Andegauensis.

843.

Bertr. Argentraeus Lib.3. Hist. Britannicæ, cap.xi.

NNO ab Incarnatione Saluatoris DCCCXLIII. ab vrbe verò condita DXCV*. qui est annus CAROLI Trierarchæ III. RAINALDVS eximius Caroli Dux, genere Aquitanus, Nannetis vrbis Comes, contra Britones multa amicorum & propinquorum manu collecta, super fluuium Vicenoniam, in loco qui dicitur Meciacus, dimicat. Et primò quidem congressu Britones fortiter pressi terga vertunt, demum LAMBERTO suppetias ferente adeò persequentibus acriter resistunt, vt ante quos priùs fugiebant fugere compellerent: tantáque in eos cæde bacchantur, vt ingenti multitudine cum Duce prostrata, copiosas domum manubias reportarint, non modica ob commercium turba seruata. Præfuit autem Britannorum bello HERISPOGIVS, patre NOMENGIO graui languore detento, habens secum prædictum Lambertum transfugam: qui in Nanneticæ vrbis Comitatum inhians, stragis huius ductor & incentor extitit. Quibus patratis, Lambertus exoptato doni potitur voto, non diu. Nam exortis vtrimque simultatibus, idem mox vrbe ac regione pellitur. Triginta tribus autem post hæc elapsis diebus, mense Iunio, Normannorum ferox natio numerosa classe aduecti, Ligerim fluuium, qui inter nouam Britanniam & vltimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur. Demum dato classibus zephiro ad vrbem Nanneticam, impiissimo Lamberto crebro exploratore præcognitam, celeri carbasorum volatu, pariter remorum impulsu contendunt. Quam mox nauibus egressi vndique vallant, & sine mora nullo propugnatore capiunt, vastant, diripiunt. Alij quippe scalis murum subeunt, alij oppilatum olim aditum offendentes infringunt & penetrant. Porrò ciuitatis Episcopus vocabulo Guihardus, vir innocens, & omni pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis, qui ex vicino Cœnobio, cuius vocabulum est Antrum, quod antefati amnis ictifero gurgite vndique cingitur, ad vrbem copiosum Ecclesiæ thesaurum habentes confugerant; cúmque reliqua vulgi multitudine, quos vel metus hostis incluserat, vel Præcursoris quæ inerat Natiuitas, non solùm ex vicinis regionibus & vicis, sed etiam ex procul positis vrbibus attraxerat: cernentes intra mœnia hostem, certatim cuncti ad Templum Apostolorum Petri & Pauli, quod in vrbe nobilius & pulchrius erat, vtpote ignari certaminis, concurrerunt, obseratísque ostiis Ædis, solum quod supererat cœlitus auxilium anxiè flagitabant. At gentiles effractis ostiis, fenestrísque propulsis, Templum feraliter irrumpunt, imbellem pariter & inermem multitudinem gladio feriunt, tantáque crudelitate in Christi sæuiunt gregem, vt præter quos siue captiuandi siue distrahendi gratiâ in naues transtulerunt, omnem multitudinem Sacerdotum, Clericorum, atque laicorum, cum prædicto Antistite intra Ecclesiam gladio sternerent. Monachorum verò quosdam extra, alios intra Ecclesiam, plerosque autem super ipsam Templi aram instar hostiæ trucidant: reliquos verò noctis crepusculo secum abducunt, classique imponunt. Quis, proh dolor! illius diei dolorem explicare, quis explicando à lacrimis valeat temperare? quando mortuarum matrum cruorem pro lacte suggentes pendebant ad vbera nati: quando sanctorum sanguine hostili mucrone fuso Templi pauimenta madent, altaria sacra innocentium cruore oblita fluunt. Post hæc erasis omnibus opibus, cum gregibus captiuorum vtrius-

A que ordinis & ætatis ad naues remeant. Ad quorum postmodum redemptionem plurimùm à cladis superstitibus collatum est. Quibus peractis, Cœnobium Insularum, de quibus suprà meminimus, natalitio Apostolorum Petri & Pauli, scaphis adeunt, vastant, incendunt. Quos extunc, præter intestinos, vsque in præsentem antedicti Regis annum, nullo propugnatore, vt pote studiis in diuersa, imò peruersa tendentibus, terra marique externos hostes assiduè patimur. ** CAROLVS CALVVS.

FRAGMENTVM CHRONICI FONTANELLENSIS, SIVE SANCTI VVANDREGISILI.

Ab anno Christi DCCCXLI. vsque ad annum DCCCLVI.

Ex duobus Mss. Cod. quorum vnus extat in Bibliotheca Rubeæ-Vallis apud Bruxellas, alter est in Collegio Tornacensi Societatis Iesu.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLI. Indictione IV. quarto Idus Maij venerunt Normanni, Oscheri quoque Dux. Pridie Idus Maij incensa est ab eis vrbs Rothomagus. XVII. Kal. Iunij regressi sunt à Rothomago. IX. Kal. Iunij Gemmeticum Monasterium igne cremarunt. VIII. Kal. Iunij redemptum est Fontinellense Cœnobium libris VI. V. Kal. Iunij venerunt Monachi de sancto Dionysio, redemerúntque captiuos sexaginta octo libris viginti sex. Pridie Kal. Iunij Pagani mare petierunt. Obuiúsque illis factus est VVLFARDVS Regis homo cum populo, sed pagani minimè ad pugnam se præparauerunt. 841.

B

EODEM anno pridie Kal. Aprilis feria sexta CAROLVS Rex in Sequanam transijt, ad locum hunc accessit. Pridie Nonas Aprilis cum fratribus locutus est. Ipso anno VII. Kal. Iulij bellum plus quã ciuile gestum fuit in territorio Autisiodorẽsi.

EODEM anno, regẽte huius Cœnobij IOSEPH Archiepiscopo, IV. Kal. Martij huc Domino miserante accessi. Deinde post annorum curricula expleta decem & nouem propitio Christo Diaconatus ordinẽ suscepi per manus venerabilis Archiepiscopi VVENILONI, anno Verbi Incarnati DCCCLXI. Indictione IX. XII. Kal. Octobris Sabbato. Nec multò post obiit in Domino idem Pontifex. Cui succedit venerandus ADELARDVS in Pontificatu, per cuius manus sacrum gradum Presbyteratus suscepi anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXII. Indictione V. octauo Idus Martij sabbato.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLII. Indictione V. apparuit in cœlo stella cometa à plaga Occidentali, à septimo Idus Ianuarij vsque die Idus Februarij dies XXXVII. Kalendis Martij apparuerunt acies in cœlo prima horã noctis feria IV. Tertio Idus Martij feria secunda iterum apparuerunt, acies in cœlo horã noctis secunda horribiles à parte Orientis in modum albi coloris nigri & rubei siue viridis. Erant autem aliæ maiores, aliæ minores, ac sine intermissione aut occidebant, aut oriebantur. Inter Orientem verò & Occidentem claritas erat summa. Sed hæ acies maximè totam plagam Aquilonarem repleuerunt. Inter Occidentem verò & Aquilonem apparuit in medium * vix latissimæ claritas quædam vsque prope medium cœli centrum ad meridiem quasi tendens. Perdurauit autem vsque mediam noctem. Et cùm esset Luna vigesima, tam mira claritas erat, vt intuentibus miraculo esset. 842. *Sequentia non sunt in Cod. Tornac. sed eorũ loco alia, quæ infra annotantur.*

C

*medium

TERTIO Kalend. Aprilis ipso die Cœnæ Domini antequam Aurora finem daret, Luna defectionem passa est, à summo incipiens.

CLOTHARIVS de Aquis exiit. Guntbaldus, hic erat decimus-septimus. Kalend. Maij acies iterum in cœlo isto visæ sunt.

IPSO anno IX. Kalend. Nouembris feria tertia, hora noctis prima, terræ motus validus extitit, & perseuerauit huius sonus per septem dies. Dabat autem mugitum aut hora diei prima aut nona, aut noctis mediæ, aut initio auroræ. Secuta est tussis validissima, de qua multi mortui sunt.

ANNO DCCCXLIII. iterum terræmotus magnus, aurora surgente, VIII. Idus Septembris. Item media nocte similiter. VII. Idus Septembris horã diei prima simi- 843.

CAROLVS CALVVS. liter. Ipso die hora secunda similiter. Eodem anno Nannetes vrbem depopulati sunt, & Guntbardum Episcopum martyrizauerunt. A

EODEM anno REGINOLDVS Dux occisus fuit à Brittonibus.

844. ANNO DCCCXLIV. Quentavvich portum miserabili clade deuastauerunt Nortmanni.

845. ANNO DCCCXLV. Indictione VIII. Ragneri Dux Nortmannorum venit cum classe sua, & vsque Parisius accessit, ac in vigilia sancti Paschæ, id est XV. Kalend. Aprilis, eandem vrbem intrauit.

846. ANNO DCCCXLVI. Franci Britanniam ingressi, propter difficultatem locorum, & loca palustria X. Kal. Decembris commisso cum Brittonibus prælio, Brittones superiores effecti sunt.

847. ANNO DCCCXLVII. ad Bacinum * Palatium perreximus pro quibusdam prædiis. Ibi Missi ad dominum Regem venerunt, interitum MANGILI Brittonis & sociorum eius nunciantes, qui à GAIRFRIDO Comite interfecti sunt. Ipso anno perreximus Bonolium pro prædiis recipiendis. Ipso anno obiit dominus ADELARDVS Archiepiscopus *.

* Bacium

* Hæc non conueniunt.

848. ANNO DCCCXLVIII. CAROLVS Rex cum Francis Aquitaniam ingressus, super fluuium Dordonia nouem naues Danorum cepit, interfectis pyratis earum, in diebus Quadragesimæ. Eodem anno Nortmanni Burdegalim vrbem ceperunt, & Ducem eiusdem GVILHELMVM noctu. Ipso anno dominus Rex CAROLVS iterum Aquitaniam ingressus est contra PIPINVM qui tyrannidem meditabatur. Eodem anno acies visæ in cælo, V. Kalend. Decembris media nocte. Ipso anno VI. Kalend. Ianuar. iterum acies terribiles visæ sunt igneæ inter Aquilonem & Orientem, & in media plaga Orientali visuntur. Aurora..... Gundebaldus Episcopus obiit Nonis Ianuarij. B

849. ANNO DCCCXLIX. Paulus ordinatur Episcopus in vrbe Rothomago VIII. Idus Ianuarij. Ipsis diebus gelu magno fluuius Sequana glacierúmque densitate superueniente tegebatur: ita vt per eam quasi super pontem populus transiret. Eodem anno mense Ianuario CLOTARIVS & dominus CAROLVS Rex ad Peronam Palatium accedunt, ibíque iure amicitia sese constringentes, datis inuicem muneribus, vnusquisque in proprium sibi Regnum ingressus est. Isto anno mense Martio cepit VIVIANVS Comes CAROLVM fratrem Pipini, qui ad auxilium fratri ferendum Aquitaniam destinabat, aliósque complices eius.

ISTO anno VVILHELMVS filius BERNARDI Ducis Barcinonam vrbem Hispaniæ munitissimam cepit per dolum, expulso ALEDRANNO custode illius vrbis & limitis Hispanici. Ipso namque tempore Placitum habuit Rex CAROLVS generale cum Francis in vrbe Carnotensi. In quo loco Carolus prædicti Pipini frater tonsoratur, & in Monasterio Corbeia continuò dirigitur. Indè disposito itinere Ligere alueo transmisso ad Lemouicam vrbem accedit, occurrẽtibus sibi obuiam Principibus Aquitanorum, & cum summo fauore suscipientibus. Inde recto itinere Tolosam rebellem aggreditur vrbem, præmissis ante se quibusdam primoribus populi sui, qui eandem obsiderent vrbem. In qua obsidione commissa est porta, quæ vocatur Narbonensis, venerabili viro HERIBERTO Abbati Fontinellensis Monasterij, simúlque ODONI viro illustri, ad custodiendum. Homines quoque Heriberti Abbatis, iniecto igne, prædictam portam igni cremauerunt maxima ex parte. Quo metu custos eiusdem vrbis FRIDOLO nomine in crastino in deditionem venit. Datisque sacramentis, pòst Rege vrbem ingresso, reddita est illi ciuitas ad custodiendum. Inde dominus Rex Carolus ad Bituricas ciuitatem mense Decembri venit. C

EPISCOPI in Parisio Synodum generalem tenuerunt. Autumnale tẽpus imbribus inundantissimum fuit. Tertio Nonas Iauuar. fulgura & tonitrua extiterunt. Pluuiæ quoque largissimæ in mense Febr. Domnus Rex CAROLVS de Aquitania regressus est. Et Aquiranici promissam fidem fefellerunt, & iterum PIPINO se coniunxerunt. NOMENOCVS * Tyrannus Brittonum ad Andegauis vrbem accessit, & LAMBERTO Comiti reddita est Marka. ISEBARDVS filius VVARINI & ALEORANNVS per dolum pacis fictæ capti sunt à VVILHELMO inuasore vrbis Barcinonæ. Sed non multò pòst isdem VVilhelmus bellum contra nostros instaurans ictus * est, amissa infidelium copiâ: fugáque arrepta, dum Barcino-

* Nomenoivs

* victus

A næ se recipi posse confideret, factione Aledranni & quorumdam Gothorum capitalem subiit pœnam. Sicque filius iniquitatis periit. CAROLVS CALVVS.

ANNO DCCCL. CAROLVS Placitum in Vermeria Palatio tenuit in mense Iunio. Ibi ad eum Legati venerunt INDVONIS & MITIONIS * Ducum Nauerrorum, dona afferentes. Paceque....... & impetrata, reuersi sunt. LAMBERTVS Comes & VVARNARIVS frater eius tyrannidem meditantes, à fide defecerunt, & NOMENOIO Tyranno Brittonum se coniunxerunt. Sed non multò pôst VVarnerius à Gausberto Comite captus est, Regique præsentatus. Rex Carolus cum exercitu vsque ad Redonas oppidum peruenit, ibique custodiam disposuit. Sed eo ab vrbe recedente, Nomenoius & Lambertus cum fidelium copia eandem vrbem oppugnare moliti sunt. Quo metu terriri custodes nostri in deditionem venerunt, in Brittanniámque exiliati sunt. Dum hæc in Brittannicis finibus geruntur, classis Danorum in Regnum CLOTHARII appulit, Ducibus Rorico & Godefrido. Nec mora de VValo fluuio recedentes absque vlla præda, Flandrensem adorsi regionem, variis deprædationibus populati sunt. Ipsis diebus AMALRICVS Comes & alij plures, à Nomenoio Duce Brittonum, & Lantberto Tyranno, in Nannetis vrbe capiuntur. Indéque ad Cinomannis cum indicibili furia peruenerunt, Lantberto Tyranno proditore...... hæc cooperante. Seniores verò capti in Britanniam directi sunt, reliquis populis inermibus reuersis. 850. * Nvtio-nis

B ANNO DCCCLI. Indictione XIV. NOMENOIVS Dux Brittonum diuino iudicio malæ intentioni finem * dedit. sicque in finibus Francorum mortuus est. Sed nec sic Lantbertus ad fidem flexus est, sed propriam gentem, in qua natus est, Brittones eohortans insecutus est infeliciter, non tamen sine suorum hominum ac Brittonum damno. 851. * finem

ISTO anno Placitum magnum & generale factum est à tribus gloriosissimis fratribus, CLOTHARIO, CAROLO, & LVDOVICO, magnis Regibus, in loco quodam iuxta flumen Mosam. Indè cum pace reuersus Rex Carolus, placitum suum in Rauziaco tenuit, & dona annua suscepit. Inde in Brittanniam iter suum indixit. Commissóque cum Brittonibus bello, fugaci more suorum plurimi Franci perierunt: Nobiles, Comites, & Duces, seu reliqua manus. Inter quos GAVSBERTVS iuuenis, necnon & HILMERADVS Comes Palatij, & alij quamplures: multique capti Brittanniam perducti sunt. Paceque cum RESPOGIO filio NOMENOI Tyranno Brittonum assecurata, ad proprias Regni sedes Carolus Rex reuersus est.

EODEM tempore classis Nortmannorum fluuium Sequanam ingressa est ipso die tertio Idus Octobris, Duce Hoseri, qui aliquot ante annos Rothomagum vrbem depopularat, ac incendio cremarat, id est anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLI. & per annos vndecim multas regiones latrocinando occuparat. Inter quas & vrbem Burdegalim munitissimam, caput regionis Nouempopulanæ, de C qua tunc progressus fuerat, historiam in te meorúmque infelicitatis...... primitus Fontinellam Monasterium aggressi, cuncta eius depopularunt. Ad extremū etiam post dies ingressus sui Sequanam LXXXIX. ipso die V. Idus Ianuarij ad solum vsque cremauerunt, cùm stetisset à primo ædificationis suæ die ducentis octodecim annis, mense vno, & dies tredecim. Belloacus interea vrbem cremarunt, & Flauiacum Monasterium. De qua cùm reuerterentur, in loco nuncupato VVardera à Francis excepti, plurimi interfecti sunt. reliqui siluis se occuluerunt. Sicque noctu aliqui ad naues reuersi sunt. Fuerunt autem in Sequana à tertio Idus Octobris vsque Nonis Iunij dies ducentos octoginta septem. Sicque onustis nauibus ad Burdegalim reuersi sunt. Testantur regiones Sequanæ adiacentes, quia ex quo gentes esse cœperunt, nunquam tale exterminium in his territoriis auditum est. Tanta enim egerunt, quanta nemo prudentium Chronographorum enarrare sufficeret. Idcirco multa reliqui, quia sub breuitate narrare disposui.

IPSO tempore LANTBERTVS à GAVSBERTO iuuenculo interimitur, & frater eius VVARNARIVS iussu Regis capitalem excepit pœnam.

ANNO DCCCLII. Classis Sydroc & Godefridi Ducum Danorum vir. Idus Octobris Sequanam ingreditur, & vsque Augustudunas accedit. Contra quos CLOTHARIVS & CAROLVS Reges gloriosi obsidiones ponunt. Sed Nortmanni aquâ freti deputatam sibi hiemem exegerunt in loco qui vocatur Ghiuoldi fossa, & in mense Iunio recedunt, mare petentes. 852.

Carolvs Calvvs.

855. Anno dccclv. Indictione iii. ipso die xv. Kalend. Augusti, maxima classis Danorum fluuium Sequanę occupat, Duce item Sydroc. & vsque Pistis castrum, quod olim Petremamulum* vocabatur, venire contendunt. Deinde post dies xxxiii. id est xiv. Kalend. Septembris, Berno Nortmannus cum valida classe ingressus est. Deinde iunctis viribus, vsque Particum saltum plurimam stragem ac depopulationem fecerunt. Quo in loco Carolus Rex eis cum exercitu occurrens, A

856. maxima eos strage percussit. Sequenti anno Sydroc egreditur de fluuio. Berno in quadam insula castrum ædificat, vbi à Carolo Rege nauali obsidione obsessus est anno dccclix. sed factione Lvdovici fratris & quorumdam seditiosorum ab eo repellitur.

** fort. Petromantalum Itiner. Antonini.*

---

841. Anno Incarnationis Dominicæ dcccxli. obiit VVenilo Archiepiscopus Rothomagensis. Cui successit Adelardvs.

Quæ sequuntur sunt in solo Cod. Tornacensi, & abbreuiata, vt videtur, ex superioribus.

Anno dcccxlii. apparuit Cometa à plaga Occidentali.

Ipso anno ix. Kalend. Nouembris hora noctis prima terræmotus validus extitit, & perseuerauit hic sonus per dies septem. Dabat autem mugitum. Secuta est tussis validissima, de qua multi mortui sunt.

Anno dcccxliii. extitit iterum terræmotus magnus, aurorâ ascendente.

842. Eodem anno Namnetem vrbem depopulati sunt Nortmanni, & Guntbar-

843. dum Episcopum interfecerunt.

Eodem anno Raginoldus Dux occisus fuit à Brittonibus. B

844. Anno dcccxliv. Quentavvich portum miserabili clade deuastauerunt Nortmanni.

845. Anno dcccxlv. Indictione viii. Ragnerus Dux Nortmannorum venit cum classe sua, & vsque Parisius accessit, & in vigilia Paschæ v. Kalend. Aprilis eandem vrbem intrauit.

846. Anno dcccxlvi. Franci Britanniam ingressi propter difficultatem locorum & paludes x. Kalend. Decembris commisso cum Britonibus prælio, Britones superiores inuenti sunt.

848. Anno dcccxlviii. Carolus Rex cum Francis Aquitaniam ingressus, super fluuium Dordonia nouem naues Danorum cepit, interfectis pyratis earum, in diebus Quadragesimæ.

Eodem anno Nortmanni Burdegalim vrbem ceperunt, & Ducem eiusdem vrbis VVillelmvm.

Ipso anno dominus Rex Carolus iterum Aquitaniam ingressus est contra Pipinvm, qui tyrannidem meditabatur.

EXCERPTA LIBRI REVELATIONVM, C

Quas Avdradvs Modicvs scripsit anno Christi dcccliii.

Ex Ms. Cod. eruditiss. Viri Jacobi Sirmondi.

Cap. viii. Et ecce descendens Dominus, & cum eo omnes Sancti. Et sedit in confinio ætheris & aëris. Tunc Sol obscuratus est tribus continuis diebus, & Luna tribus eisdem noctibus, & nullum radium in hoc spacio fuderunt in terram, cùm nulla nube tegerentur. Iussitque Dominus ante se venire omnes Principes Ecclesiarum. Qui mox adfuerunt, & adorauerunt. Cùmque benedixisset eos, dixit: Cuius culpæ est, fratres amantissimi, quòd sic atteritur & vexatur hereditas mea, quam redemit Pater sanguine meo? At quidam eorum dixerunt: Domine, culpa Regum est. Dixit igitur Deus: Qui sunt hi Reges? Non cognoui, non constitui. Responderunt, & dixerunt ei: Lvdovicvs pater eorum. Dixitque Deus: Vbi est ille? Et adduxerunt eum, & dixerunt: Ecce adest. Et dixit Dominus ad eum: Quare posuisti inter filios tuos tantam discordiam, vt ob hoc tam acriter fideles mei vexentur? Respondit ille, & dixit: Domine, ego putans quòd

A filius meus maior HLOTARIVS tibi vellet obedire, & secundum tuam voluntatem Ecclesiam tuam regere, constitui illum loco meo ad regendum populum tuum. Sed postea videns eum in superbia contra te erectum, & nolle adquiescere vt secundum te gubernaret plebem tuam, submoui eum, & paruulum quem dedisti mihi nomine KAROLVM videns humilem & obedientem, intellexi dona misericordiæ tuæ in eo esse, & ideo constitui eum loco maioris: vt humilis semper & obediens secundum tuam voluntatem seruiret tibi in ministerio gubernationis populi tui. Respondit Dominus, & adstantibus sibi dixit: Certè verum dicit, maiorem propter superbiam à regno remouere voluit, minorem propter humilitatem & obedientiam regnare constituit. Vbi sunt? inquit. Qui protinus adducti sunt ante eum. Et ait Dominus: Hlotharius quia dixit, ego sum, deiiciatur. Karolus propter obedientiam & humilitatem stabiliatur. Quid, inquam, de tertio? Et dixerunt quidam de adstantibus: Domine, arma mouit in patrem. Cúmque grauis sententia de illo iam immineret, alij de adstantibus dixerunt: Domine, opus bonum inuentum est in eo. Nam licèt multi eius causa de tuo sint absumpti seruitio, tamen ille studet vt de alienigenis loco eorum tibi alios adquirens subroget. Et ait ad hæc Dominus Hl. Quia opus bonum inuentum est in eo, stabiliatur & ipse. CAROLVS CALV.

VENIANT igitur ante me, & inibo fœdus cum eis, quod non liceat violari. Tunc iussu Dei adductus est & HLVDOVICVS Italorum Rex filius Hlotharij, & statuti sunt hi tres ante Deum. Et dixit Dominus Karolo. Tu puer meus, si humilis & obediens fueris, & permanseris coram me, & Ecclesias meas restitueris in statum suum quo ordinaui eas, & vnicuique ordini congruum suæ religionis restitueris caput, & ordini vnicuique propriam legem tenere feceris, & à rapinis & deprædationibus & Ecclesiarum violationibus omnem populum qui tibi committitur cessare feceris, & vnicuique homini iustitiam seruaueris, & corde bono & optimo voluntatem meam semper sequutus fueris, ecce do tibi sceptrum Regni & coronam: & vt inter te & fratrem tuum HLVDOVICVM Germanorum Regem pax sit perpetua, & ipsa, qua partitum est Regnum inter vos cùm fugarem ante faciem vestram HLOTARIVM, erit diuisio Regnorum vestrorum, nec tuus in partem HL. nec eius in partem tuam processus. Et tu HLVDOVICE in sermonibus istis eundem habeas mecum pactum firmatum. Similiter & tu alter HLVDOVICE Italorum Rex. Et inter vos tres pax perpetua in his verbis & in hoc pacto maneat. Et ob hoc quòd mihi in hunc modum seruieritis, do tibi KAROLE, vt Hispanias duce beato Martino Principe liberes ab infidelibus, & tuo Regno ad honorem nominis mei secundum libertatem fidelium meorum consocies. Nec gens Scytarum, quæ Regnum tuum immodicè affligit, contra te tuúmque Regnum præualeat, & falsi fratres ac rebelliones tui Regni ante faciem tuam velut fumus ante faciem venti deficiant. Tibíque tui filij & nepotes, si hoc pactum seruauerint, succedendo feliciter, donec in eo coram me steterint, in Regnum succedant. Veruntamen quia Ecclesias de suo statu submouere non timuisti, & propter te tantum malum affligit Ecclesiam meam, scias te sequenti anno in hoc ipso mense qui nunc est, BRITTANNIAM venturum, ibíque ita ab inimicis tuis dehonestandum, vt viuus euadas. Ibíque morietur perfidus & nefandus VIVIANVS, qui non extimuit conculcare nobilitatem Ecclesiarum mearum, Abbatem se glorians Monasterij beati Martini, & ceterorum. Deuorabunt enim idcirco carnes eius feræ syluarum. Similiter & ceteri multi corruent, & tu vt dixi difficulter euades. Si quidem noli tunc desperare de recuperanda salute, sed quascumque Ecclesias eo bello deliberauero, restitue in statum suum, & ego tibi omnes alias, quæ sunt in Regno tuo deordinatæ, consequenter delibetabo. Vide tu omnimodis, vt neque pro aliqua ambitione, aut pristina temeritate, iterum à suo ordine vel statu eas ampliùs remoueas, si pactum meum quòd hodierna die tecum pepigi vis inuiolabile permanere. Quòd si hoc tu non seruaueris, nec verba pacti mei tibi se conseruabunt. Et tu HLVDOVICE Germanorum Rex, accipe sceptrum Regni & coronam hanc in firmamento pacti huius. Quod si conseruaueris, duce beato Paulo Principe erit in gentes, quæ sunt adhuc infideles apud Germanias, felicissima dilatatio tua. Si autem tu hoc non conseruaueris, nec pactum meum quod ego tecum pepigi stabile manebit. Tu autem HLVDOVICE CAP. IX.

B (margin letter beside "statuti sunt hi tres") C (margin letter beside "fumus ante faciem venti")

CAROLVS CALVVS. Italorum Rex, accipe sceptrum Regni & coronam hanc in firmamento pacti A huius. Quod si seruaueris, duce beato Petro Principe erit contra gentes, quæ opprimunt Regnum tuum, felicissima extensio tua. Sin autem, mutabitur & istud. Hi enim tres Principes, quos Duces & adiutores cum exercitibus suæ societatis vobis dedi, ab immiuenti damnatione mundum suis inæstimabilibus precibus modò eripuerunt. Sine quorum vt ordinaui ducatu & protectione, nulla vestris congressibus cedet prosperitas. Seruantibus quoque vobis, vt dixi, pactum hoc, quod hodie solenniter vobiscum pepigi: tunc hi duces & coram me vestram vestrorúmque Regnorum causam semper peragent, & quocunque siue ad bellum siue ad pacem processeritis, vestri vestrorúmque duces optatissimi & inuicti protectores erunt. Hæc complens Dominus ordinauit in omnibus Ecclesiis Principes siue Pastores suæ bonæ voluntatis, dans finem his qui falso vocabulo censentur pastores. Similiter capita plebium vniuersorum Christianorum. Et benedixit mundum dicens: Quia pro iniquitatibus hominum modo quasi iam damnatus omnibus elementis appares, nunc accipe benedictionem meam & esto fecundissimus hoc anno sequenti, vt nulli dubium maneat, quin ego his tribus diebus, quibus Solis & Lunæ radij se absconderunt, visitauerim Ecclesiam meam, eiúsque causam disposuerim. Factúmque est. Et hæc percomplens Dominus, ascendit super omnes cœlos in dextera patris. Venit quoque anniuersarij dies, & sermo Domini completus est in KAROLVM & exercitum eius. Namque VIVIANVM ab hostibus interfectum deuorauerunt feræ syluarum, & multæ Ecclesiæ ab oppressoribus suis, vt Dominus prædixerat, eo bello sunt deliberatæ. Mandauerat hoc Legatus Ecclesiarum Karolo Regi per ROTHBERNVM quendam Cubicularium Regis, & omnem textum narrationis exposuerat. quod Rex obedire neglexit, sed inhonestissimè à Brittannia reuersus non restituit Ecclesias in ordine suo. Quamobrem adduxit NORMANNOS in Gallias Deus, qui eas terra maríque vastarent, & immanitas omnium malignantium velut ira Dei cœpit vndique in partem horum Regum efferuescere. Tunc Legatus Ecclesiarum tribus diebus & noctibus continuis tertio sine cibo & potu coram Deo permansit, orans vt misereretur populo suo, & non subtraheret inducias datas. Qui iterum flexus ad pietatem misertus est, & vtcumque ex parte mitigauit iram furoris sui, sustinens adhuc induciarum spacium. B

CAP. XV. 853. ET factum est anno DCCCLIII. hoc est Induciarum IX. tertio mense, iterum euocauit me Rex KAROLVS ad se. Et cum Principibus Ecclesiarum, testibus VVanilone, Hincmaro, Amalrico, Leopardulo, venerabilibus Archiepiscopis, præsente Christianissima Regina ERMENTRVDE, cœpit percontari de his omnibus, vel si in aliquo potuissem deprehendi mendacio sciscitari. At ego in sermone Domini iterum illi vt suprà scripta sunt omnia enarraui. Qui cœpit iterum atque iterum promittere, quòd infra duos menses sancti Martini Ecclesiam, seu ceteras, quæ videbantur apertæ, in suo ordine restituisset. quod non adimpleuit. Sed ad prouocandam adhuc iram Omnipotentis, accersiuit quendam Diaconum nomine BVRCHARDVM, qui erat partibus HLOTHARII Regis. Et commendauit illi Ecclesiam Carnutensium, vt esset in ea Pontifex. Ac si nullum in Regno dignioris nominis Clericum inuenire potuisset. Et dixit VVeniloni Senonum Archiepiscopo, vt eum ordinaret Episcopum. Vocauit autem me idem Archiepiscopus, & dixit. Scio ad iram Dei prouocandam Regem nostrum KAROLVM egisse, vt Burchardū à partibus Hlotharij euocaret, & Pastorem Ecclesiæ constitueret. Nam de eo per vniuersas Regni huius Ecclesias .... fama & dictu horribilis diuulgata est. Sed si esse posset, vt Dei iracundia non prouocaretur, quia apud seculi causam strenuus esse dinoscitur; rogo te omnimodis vt ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit vllo modo vt secundum eius voluntatem idem Burchardus fieri mereatur Episcopus. Nam ego, si esse posset, satis hoc vellem. Est enim mihi consanguineus. Ago ergo vt moneo, & si aliquid indè dignatus fuerit ostendere tibi Deus, non abscondas à me illud, in fide Dei te obtestor. Cúmque orarem solitò pro fratrum salute, etiam & pro supradicto negocio, ecce Dominus dignatus est me audire, & descendens de cœlo lumine suo circunfulsit me in loco quo eram orans, & dixit: Maledicta dies qua erit Burchardus Episcopus. Et hæc dicens, in cœlum rediit. Vnus autem ex Angelis, qui cum eo vene- C

A tant, ad dexteram mihi remansit, & ait: Nosti quid dixerit Dominus? Et aio: Domine apertiùs scire vellem. At ille dixit: Omnibus diebus, quibus fuerit Burchardus Episcopus, stillabit ira Dei super omnes Ecclesias vsque ad ruinam illarum. Idcirco excommunicando prohibet ordinatorem eius Altissimus, ne imponat illi manus in benedictione Episcopali. Et hæc dicens, Dominum sequutus est. Ego autem adorans & gratias agens, retuli vniuersa Archiepiscopo meo, qui mox scriptum misit oraculum istud Regi KAROLO. Et ego Conuentui Episcoporum, qui ob hoc Senonas conuenerunt, monente iamdicto Archiepiscopo retuli illud. Qui primo quidem noluerunt ordinare Episcopum eundem Burchardum, tam euidens Dei oraculum pauescentes. Sed imperium Regis postea, & multorum Episcoporum ac Principum Regni consensus præualuit, & mense quarto anni Induciarum noni ordinatus est Episcopus. Cuius ordinationem aperte ira Dei mox sequuta est, & sequenti mense per totum mundum vento vrente percussæ sunt vineæ, tempestates & tonitrua & pericula cœlitus vltra quàm dici possit emissa. Eodémque anno NORTMANNI per Ligerim alueum ascendentes, Monasterium sancti Martini Turonense, & Basilicam eius toto orbe venerabilem nullo obstante mense IX. incendunt. Corpus autem beati domni Martini Clerici eius indè fugientes secum portauerunt in Monasterium Monachorum, quod dicitur CORMARICUS, eidem Sancto subiectum. Tunc pactum quod pepigerat Christus eum Regibus irritum factum est, quia non ad emendationem se B vllomodo, sed apertissimè ad prouocandam super se magis iram Dei omnipotentis conuerterunt. Idcirco & omnis pax rupta est, & omne malum iterum ceu reuiuiscens super omnes Ecclesias velut intolerabilis maris procella, superinundauit, vt nulli dubium esse posset fideli aut infideli irâ Dei cælitus Ecclesias omnes & totum mundum vndique & vbique conquassari. Tunc maxima pars Legationis meæ irrita facta est, & omnis confusio & maledictio cœpit superinundare.

CAROLVS CALVVS.

AVDI me frater. Hic est fons, de quo multo labore & studio edidisti venerabilem Librum, quem benè titulasti de Fonte vitæ. Et dixit mihi doctor: Recognosce scyphum istum. de eo quidem carmina clara in memorato Libro vitæ fontis composuisti. CAP. XVIII.

ET tunc cœpit (Deus Pater scil.) à principio vniuersa dolendo repetere, dicens: In die, Fili, qua secundum tuam humanitatem resurrexisti à mortuis, postulasti à me omnipotente Patre tuo, omnipotens Fili mihi per omnia coæqualis, & consubstantialis, & dedi tibi gentes in hereditatem. Et nunc vides quomodo quos redemisti te deserunt, & contra te, qui te cognouerunt & adorare didicerunt, arma tyrannica cum sacramento militari patris aduersæ sumere non sunt veriti. Ego quidem, Fili, multas inducias te volente, vt ab hac nequitia pœnitendo resipiscerent, pro eis me æquè & te, ac Spiritum nostrum à te méque æquè procedentem, nobísque per omnia coæquum & consubstantialem, exorantibus C Sanctis tuis illis concessi. quas neglexerunt, & in superbia omnia hæc pro nihilo duxerunt. Auxerúntque potiùs sibi opera nequitiæ, & absque vlla pœnitentia in eis perdurant. Cúmque in hoc crebro ab illis dispectus afficerer tædio, euaginaui gladium meum vt interficerem eos, & quantæ infelicitatis essent, ac quantæ apud me deiectionis, ostendens, diem sanctissimum & celeberrimum Paschæ ritu pagano in medio eorum apud vrbem Parisiacam maculari permisi. vt vel sic experirentur mortem sibi instare viciniùs, qui Pascha sacrum in celeberrimis suorum locorum Basilicis digni celebrare minimè viderentur. Sed illi mente superba in suis sceleribus obstinatissimè obdurauerunt, & ego exsurrexi in ira vt delerem eos omnes. Sed tu continuisti me, & has decennes inducias voluisti illis mecum inseparabilis voluntas ad pœnitentiam adhuc dare, &c. CAP. XXIV.

A

FRAGMENTA
DE REBVS LOTHARII ET LVDOVICI II. IMPP. IN ITALIA.

Ex Historia Pontificia Anastasij Bibliothecarij.

844. *In Vita Sergij II. Papæ.*

HVIVS sacratissimæ consecrationis (Sergij scil. Pontif.) cùm ad aures inuictissimi Augusti LOTHARII rumor peruenisset Imperatoris, Drogonem videlicet Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum, cum excellentissimo HLVDOVVICO filio suo, magnóque cum Francorum exercitu Romam direxit. Cum quibus etiam Archiepiscopos, pluresque Episcopos, Abbates, & Comites proficisci
* teligeris præcepit. Ipse verò, à quo in oras Bononiæ ciuitatis cum belligeris * suis exercitibus sunt ingressi, tantas cædes tantásque strages in populo peregerunt; vt qui per vrbes & agros erant tyrannica crudelitate perterriti, relictis propriis rebus & locis, per loca abdita & latebras se absconderent. Cùm verò hæc per omnem locum, singulásque per vrbes, atque vicos & agros, sæua operarentur nequitiâ, B
* fontem ad pontem * peruenerunt Capellæ. Tantáque erat tunc cœli serenitas, vt toto in aëre nubes aut pluuiæ signum quisquam vidère non potuisset. Subitò verò atrarum non modica densitas nubium facta est, nimbosisque procellis & coruscationibus circundati, quidam de primatibus Drogonis Consiliarij fulminis ictu percussi, ac interempti sunt. Hoc videntes horribile signum, nimio omnes timore Franci correpti sunt. Sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes, atroci voluntate ad vrbem velociter properabant.

QVORVM aduentum antedictus beatissimus Papa Sergius fieri propiùs cùm cognouisset, in eius excellentissimi HLVDOVVICI Regis occursum vniuersos Iudices ad ferè nouem milliaria ab hac Romana vrbe direxit. Quem cum signis, & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum vrbi penè vnius milliarij spatio appropinquasset, vniuersas Militiæ Scholas vnà cum patronis direxit. Dignas nobilissimo Regi laudes omnes canentes, aliósque militiæ doctissimos Græcos Imperatorias laudes decantantes, cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum Regem gloriosè susceperunt. Obuiam illi eius Sanctitas dirigens venerandas cruces, item signa, sicut mos est Imperatorem aut Regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse verò Hludovvicus Rex qua hora sibi sacratissimas cruces ac signa obuiam aduenisse conspexit, alacris factus valde lætatus est. Tunc suo vniuerso cum populo, omnibus Romanis Iudicibus & Scholis antecedentibus, ad beatum Petrum studuit properare. Quem antedictus almificus C Pontifex in gradibus ipsius Apostolicæ Aulæ eundem Regem in ipso die Dominico post Pentecostem suo cum Clero expectauit. Coniungente verò eodem Rege, vniuersósque gradus eiusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ ascendente, ad prænominatum propinquauit Pontificem, vbi in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiæ cum vniuerso Clero & populo Romano assistebat.

TVNC mutuò se amplectentes, tenuit idem HLVDOVVICVS Rex dexteram antedicti Pontificis, & in interius ingressi atrium, ad portas peruenerunt argenteas. In quo atrio vnus de exercitibus à dæmonio arreptus in conspectu Francorum omnium, valde vexatus est. Tunc almificus Præsul claudi faciens omnes ianuas beati Petri, atque serari præcepit, & Regi, sancto Spiritu admonente, sic
„ dixit: Si pura mente, & sincera voluntate, & pro salute Reipublicæ, ac totius
„ vrbis, huiúsque Ecclesiæ, huc aduenisti, has mea ingredere ianuas iussione: sin
„ aliter, nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur. Statim Rex ille respondens, dixit, quòd nullo maligno animo, aut aliqua prauitate vel malo ingenio aduenisset. Tunc eodem Præsule præcipiente, appositis manibus prædictas ianuas patefecerunt. Et ita in eandem venerandam Aulam beati Petri ingressi sunt, laudem Deo, & eiusdem Excellentiæ decantantes vniuersus Cle-

A rus, & cuncti religiosi Dei famuli, extensâque voce adclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Sicque cum eodem Pontifice ipse Rex, simúlque omnes Episcopi, Abbates, & Iudices, & vniuersi Franci, qui cum eo aduenerant, ad concessionem beati Petri appropinquantes, seséque pronos ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et data à prædicto almo Pontifice super populum oratione, ab Ecclesia pariter omnes egressi sunt. Postea verò continuis diebus sequentibus omnia suburbana pestifera deuastatione compresserunt, agrósque & segetes, atque prata quasi fulmineus impetus decerpserunt. Dum hæc gerebantur, ipse verò à Deo protectus Pontifex à quibusdam audierat, quòd in famosissimam vrbem hospitalitatis causâ introire voluissent. sed munitis clausisque portis, vt fieret, minimè concessit. LOTHARIVS IMP.

DOMINICO verò die sequente, in eadem Principis Apostolorum Basilica omnes Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, omnésque qui cum eo venerant Franci sunt congregati, omnésque pariter Romanorum nobiles & præclari. Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum HLVDOVVICVM Lotharij Imperatoris filium oleo sancto perungens, Regali ac preciosissima coronauit coronâ, Regémque Longobardis præfecit. Cui regalem tribuens gladium, illum subcingere iussit. Deinde Missarum celebratione finita, ab Ecclesia omnes cum Rege lætan-
B tes egressi sunt. Deinceps verò per dies singulos conflictum summi certaminis cum sanctissimo Præsule, omnibúsque Episcopis, & Optimatibus nostris atque Proceribus, ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superiùs memoriam fecimus, commouebat, tam ipse, quàm omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui cum eo contra hanc vniuersalem & caput cunctarum Ecclesiarum Dei, sine Metropolitani concessione atque vocatione conuenerant. Id est Gregorius* Archiepiscopus Ecclesiæ Rauennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis, Ioseph Episcopus Ecclesiæ Eporediensis, Aginus Episcopus Ecclesiæ Veronensis*, Almaricus Ecclesiæ Cumensis Episcopus, Nortchaudus Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus Episcopus Ecclesiæ Regiensis, Toringarius Episcopus Ecclesiæ Concordiensis, Odeluertus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Lucensis, Ioannes Episcopus Ecclesiæ Pisensis, Petrus Episcopus Ecclesiæ Vollaterrensis, Gausprandus Episcopus Ecclesiæ Pistoriensis, Cantio Episcopus Ecclesiæ Senensis, Lupus Episcopus Ecclesiæ Textinæ, Sisimundus Episcopus Ecclesiæ Aprutiensis, Pico Episcopus Ecclesiæ Scolanensis, Fratellus Episcopus Ecclesiæ Camerinensis, Gisus Episcopus Ecclesiæ Firmanæ, Racipertus Episcopus Ecclesiæ Nucerinienſis, Amadeus Episcopus Ecclesiæ Pinnensis, Donatus Episcopus Ecclesiæ Fesolanæ, & ceteri. Cum quibus etiam Boso Comes, Adalgisus Comes, Ioannes Comes, Vuldo* Comes,
C Bernardus Comes, Vuifridus Comes, atque Maurinus Comes, & ceteri pariter contendebant. Sed diuina gratiâ inspirante, nec sermones ipsius almi Pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantáque ei superna aderat virtus, vt nullus sermone eum concludere, vel constringere potuisset. Et ab eodem superati pudore, & operti confusione discesserunt. Quod videntes omnes, iram atque ferocitatem, quam mentibus obseruabant, omni modo deposuerunt.

* Georgius

* Bergomensis,

* Vuido

HIS igitur peractis, à prædicto postulauerunt Pontifice, vt omnes Primates Romani fidelitatem ipsi Hludouuico Regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis: Quia si « vultis, domno LOTHARIO magno Imperatori hoc sacramentum vt faciant, so- « lummodò consentio, atque permitto. Non Hludouuico eius filio vt hoc perage- « tur, nec ego, nec omnis Romanorum Nobilitas consentit. Tunc demum in ea- « dem Ecclesia sedentes pariter, tam beatissimus Pontifex, quàm magnus Rex, & omnes Archiepiscopi atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum ac Francorum Optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori semper Augusto promiserunt. Post hæc verò Ebbo quidam & Bartholomeus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis priuato honore ab Ecclesia fuerant expulsi, à sanctissimo Pontifice postulabant, vt eos reconciliare, ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem Præsul nec communionem inter Clerum* dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.

* Clericos

LOTHARIVS IMP. PER idem tempus cùm Rex ipse HLVDOVVICVS Romæ degeret, Siginolfus* Beneuentanorum Princeps magno cum exercitu Romam venit. Quem cùm prædictus Rex honorificè suscepisset, omnia, pro quibus venerat, ipsi indicauit. Cui Rex gratanti animo quicquid quæsierat tribuit, atque concessit. Et cùm simul Franci, Longobardi, ac Beneuentani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita vt ex omni parte Roma circumdata videretur. quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse verò Siginolfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre Pontificem, & ab eo benedictionem recipere. Quem Præsul cùm suscepisset, solo prostratus, preciosos ipsius pedes humiliter osculatus est: & ab eo benedictione suscepta, ab eius conspectu alacriter Deo gratias referens regressus est. His omnibus finitis, ipse excellentissimus Rex Hludouuicus ampla cum lætitia Papiam reuersus est, vbi ab exordio Principatus sui culmen regebat. A

* Siconulfus.

847. *In Vita Leonis III.*

QVAMOBREM dum vniuersa Romanorum nobilitas, pro illa, quam iamdudum deprædationem nefandi ac maleuoli Saraceni intulerant, in nimia lamentatione consisteret, ne deinceps (nisi Ecclesia beati Petri Apostoli muris vndique munita citiùs foret) peiora valuissent committere, isdem amabilis Pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam: & quo modo vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset rancorem siue timorem auferre, anxius cogitare. Cùmque in his diuturnis crebro laboribus desudaret, Deo reuelante, huiusmodi protinus consilium sumpsit, vt hoc ipsum suo dilecto ac speciali filio domno LOTHARIO luce clariùs indicaret Augusto, quatenus per illius, Domino annuente, adiutorium atque consilium, ciuitatem illam, quam prædecessor eius Leo Papa III. erga Ecclesiam prænominati Apostoli ædificare cœperat, & cuius multis iam in locis fundamenta posuerat, (licet post suum transitum à quibusdā ablata fuissent hominibus, ita vt nec aditus appareret, vbi priùs inchoationem præfatus habuerat murus) si vita comes adesset, desideratum opus Christo solaciante ad effectum posset perducere. Hoc denique piissimus ac serenissimus Cæsar agnoscens, magna est illico lætitia & exultatione repletus: rogánsque iam factum summoperè Præsulem, Patrémque per omnia spiritalem, vt quantociùs tanti operis fabricam sedulo labore perficeret. Ad quam ipse cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit, vt, sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum minimè remaneret. Ex quo nuncio præoptato Præsul præcipuus vltra modum hilaris est effectus. B

855. *In Vita Benedicti III.*

HIS itaque peractis, Clerus & cuncti Proceres decretum (electionis Benedicti) componentes, propriis manibus roborauerunt, & consuetudo prisca vt poscit, inuictissimis LOTHARIO ac HLVDOVVICO destinauerunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant Legati decretum, fuerunt hi: Nicolaus videlicet Anagninæ Antistes Ecclesiæ, & Mercurius Magister Militum. Arsenio Eugubino Episcopo obuiantes, ad inuicem confabulari cœperunt. Qui callidis eos sermonibus liniens, corda eorum mollire cœpit, beatíque fidelitatem iam fari declinauerunt Electi. Cum quibus etiam consilium studuit confirmare, vt depositum anathematizatúmque Anastasium (quod diuina nullatenus permittebat clementia) Pontificatus infulâ perornarent. Euntes itaque HLODOVVICO decretum benignissimo Cæsari dantes, duplici quam mentibus gerebant intentione Romam reuersi sunt, aduentúmque Missorum nunciantes Imperialium, Epistolas eidem insigni obtulerunt Electo, quibus Augusti continebantur responsa. Post aliquot quoque dies ipsi, quos prænunciauerunt, Missi Hortam, quæ quadragesimo milliario à Roma distat, properauerunt. Ex quibus in eam Adelbertus Bernardúsque ingressi Comites, &c. C

858. *In Vita Nicolai I.*

LVDOV. II. IMP. EO autem tempore (scil. cùm Benedictus III. obiit) inuictissimus Româ HLVDOVVICVS Cæsar discesserat. Qui eius cùm transitum cognouisset, condolens, & concitus ad eam reuersus est. Romani quippe, tanto Pastore amisso, mœsti-

A moestissimo gemitu lacrimas suffundebant. Cúmque Clerus & Proceres, & Optimatum genus congregarentur, vnanimes Nicolaum Apostolicæ Sedis Præsulem esse sanxerunt. Postmodum verò à nobilissimorum cœtibus, cunctóque etiam populo, in Basilicam beati Petri deductus Apostoli, præsente Cæsare consecratus est, Apostolicáque sublimatus in Sede factus est Pontifex. LVDOVICVS II. IMP.

TERTIO igitur consecrationis eius die Augusto conuescens, ophistico * famine resplendebat, claritatéque plenus epulabatur in Christo. Finitóque conuiuij apparatu consurgit, Cæsarémque specialem & veluti carissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore. His itaque gestis, serenissimus Imperator indè discessit, sedémque in loco, qui Quintus dicitur, conlocauit. Beatissimus autem Præsul hoc audiens, dilectionis eius compulsus plenitudine atque amoris, ad eundem cum Proceribus & Optimatibus Romani nominis locum properauit. Excellentissimus quem cùm vidisset Augustus, obuius in aduentum eius occurrit, frenúmque Cæsar equi Pontificis suis manibus adprehendens pedestri more, quantum sagittæ ictus extenditur traxit. Imperiali cum quo ingressus tentorio, salubribus ab inuicem fruebantur eloquiis. Mensísque epulis perornatis, pariter cibum speciali sumpserunt alacritate, satiati scilicet. Mensísque remotis, plura serenissimus Cæsar beato Præsuli contulit dona. Quibus susceptis, equum conscendens, vnde discesserat conabatur reuerti Augustus. Cuius amore frenum Imperialis equi superscandens cathedram ob antiquam eò incedebant

* id est, prudenti

B animi * voluntate. ad quendam quidem cùm peruenissent spatiosissimum itineris locum, Imperator equo descendit, equúmque Pontificis iterum, vt meminimus suprà, traxit. dulcissimísque osculis ad inuicem perornantes luciflue gratulati sunt. Cæsar verò ad tentorium remeans, cœptum arripuit iter. Præsul autem nobilissimorum cœtibus, quibus profectus fuerat, septus, Romam ingressus, almificáque est conuersatione magnificatus, &c.

HLOTHARIVS Rex relicta Theutberga Regina, & VValdrada concubina in matrimonium sumpta, licèt carnaliter superhis Romanam Sedem, eundémque pium consuluisset Pontificem, in putredine luxuriæ carnísque petulantia voluebatur. Cúmque hoc summus Pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei pelleret, ne alios huius morbi peste Rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissimè cœpit affligi: & intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus. Præsertim cùm Theutgaudum Treuerensem, & Guntherum Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopos, cum Haganone Bergomensi, & ceteris Episcopis, talem eidem Regi auctoritatem dedisse audierit, vt Theutbergam liberiùs posset reiicere, & VValdradam concubinam in matrimonium legitimè copulare. Et quos debuerat ante Dominum adiutores habere atque ductores, ipsos habere, Præsul beatissimus compererat, hanc dando pro auctoritate perpetuo igni, traditores. Vnde, sine mora continuò Missos suos in Franciam destinauit, præcipiens & monens, vt in Metensium vrbe aggregato Synodali Conuentu, requirerent, cur

C idem Rex Theutbergam reiceret, aut VValdradam sibi in coniugium copularet? Quo requisito, & inuento, legitimum finem imponerent.

SED peruenientes illuc Sedis Apostolicæ Legati, scrutari cœperunt huiuscemodi causam & id ab LOTHARIO inter cetera audierunt: Quicquid ego feci, " istorum Episcoporum consilio vsus feci. Erant autem ibi præcipui, prædicti " Theutgaudus & Guntherius Archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus iam Papa compererat, astruentes, & dicentes legitimum illud fuisse connubium, quod de VValdrada concubina Rex construxit Lotharius. Et quæ dicebant, coram domino eximio Papa venientes se defendere posse spondebant. Cúmque Legati Apostolicæ Sedis, licèt in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ à Rege, ac à Theutgaudo & Gunthario Archiepiscopis audierant, ac cognouerant, summo retulerunt Pontifici. Piissimus autem Præsul aduentum Archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementiâ iidem Theutgaudus & Guntharius Archiepiscopi Romanam vrbem adeuntes, vestigiis huius Præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benignè Præsule à præstantissimo susceptis, Libellum ei obtulerunt, dicentes, se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut Libellus ipse cantabat. Quo diligentissimè scrutato, non pauca in eo reperta sunt, prophani & multis inauditi sermonis turpitudinis

Ludovici Imp. habentia, quæ Episcopalem excedentes Ordinem ipsos sicut phreneticos ligauerunt Archiepiscopos. Denique conuocata Synodo in Lateranensi post hæc Palatio sub Apostolis, inuenti sunt iidem, vt dictum est, Archiepiscopi, vndè damnationis notam incurrerent. Præcipuè, quia auctores se tanti diuortij fuisse clamabant, & sententiam, (quam in Ingiltrudim vxorem Bosonius Papa tulerat, quæ eundem virum suum Bosonem per septenne tempus reliquerat, atque excommunicata etiam, & à summæ Sedis pio Papa ligata, & anathematizata exti- A

*deesse videtur, non terat, & ad eum reuerti * curauerat, communicantes, ac conuersantes cum ea, imò loquentes) dissoluisse se non negabant, sed altisonè publicabant, & Epistolam pij Pontificis, sicut in illis malè compositis gestis in scrinio huius Sedis repositis declaratur, ad libitum falsauerant. Tunc iudicante & eodem sancto Præsule cum Synodo decernente sacerdotali honore priuati sunt, & depositionis censuram meritò incurrerunt. In hac quidem Synodo benignus Præsul Metensem Synodum, vbi gesta illa contra voluntatem Dei & suam digesta fuerant, illicò cassauit, & quædam necessaria in sancta Ecclesia Capitula promulgauit, &c.

Interea Carolus Rex sancto Apostolo obtulit ex purissimo auro & gemmis constructam vestem, habentem gemmas prasinas, hyacinthinas, & albas.

EPITAPHIA LOTHARII IMP. ET IRMINGARDIS AVGVSTÆ, B

Auctore Rhabano Mauro.

Epitaphium Lotharij Imperatoris.

Continet *hic tumulus memorandi Cæsaris ossa*
 Lotharii *magni Principis, atque pij.*
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipsis,
 Omnia sed spreuit, pauper & hinc abiit.
Nam bis tricenos Monachus sic attigit annos,
 Et se mutauit, ac benè post obiit. II. Cal. Octob.

Epitaphium Irmingardis.

Ingrediens *quisquis hanc Aedem ritè reuisas,*
 Noscere te libeat quid tumulo hoc lateat.
Femina hîc pausat Augusta, & nobilis ortu,
 Irmingarda *cui nomen erat deditum.*
Quæ hoc opus incipiens, hîc Aulam condere iussit, C
 Ad Christi laudem, atque sui requiem.
Nam pia Relliquias Sanctorum ex vrbe receptans
 Romana, huc vexit, hîcque locauit eas.
Ipsorum caperet meritis vt gaudia vitæ,
 Delicti ac veniam perciperet precibus.
Castè conuersans, mundana hæc gaudia spreuit,
 Pauperibus larga, & omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, aliis exempla reliquit
 Virtutum, sibimet præmia læta parans.
Hæc quoque dum expleret iuuenile hîc tempus, & annos
 Matura ætatis inciperet, iam obiit.
Linquens Regna soli, penetrauit regna polorum,
 Cum Christo & Sanctis gaudia vera tenens.
Hanc rogo tu lector commenda ritè Tonanti
 Assiduis precibus, Christus eam vt habeat.
Cum quo congaudens viuat feliciter ipsa,
 Angelicis semper mixta beata choris.

A *Has ego Rhabanus confeci versibus odas,* LVDOVICVS II. Imp.
Ex obitu mæstus, ex requie & gratulans.
Obiit autem Irmingarda Imperatrix anno Dominicæ Incarnationis DCCCLI. Indictione XIV. XIII. Cal. Aprilis in die Parasceue hora quasi sexta, & requieuit in pace.

EPITAPHIVM HLVDOVVICI II. LOTHARII IMP. F. HLVDOWICI IMP. N.

Quod in Ecclesia S. Ambrosij Mediolani extare dicitur.

D. P. M.

HIc *cubat aeterni* HLVDOVICVS *Cæsar honoris,*
Aequiparat cuius nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies Regno solióque vacaret,
Hesperia genito Sceptra reliquit auus.
Quam sic pacifico, sic forti pectore rexit,
Vt pueri breuitas vinceret acta senum.
B *Ingenium mirêrne, fidem, cultúsve sacrorum,*
Ambigo, virtutis, an pietatis opus.
Huic, vbi firma virum mundo produxerat ætas,
Imperij nomen subdita Roma dedit:
Et Saracinorum crebras perpessa secures,
Libera tranquillam vexit vt ante togam.
Cæsar erat cælo, populus non Cæsare dignus.
Composuêre breui stamine fata dies.
Nunc obitum luges infelix Roma patroni,
Omne simul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite. nam viuus meruit hæc præmia. gaudet
Spiritus in cælis, corporis extat honos.

EXCERPTVM EX EPISTOLA EVLOGII PRESBYTERI CORDVBENSIS,

C *Quam ad VViliesindum Pampilonensis Sedis Episcopum scripsit* XVII. *Kalend. Decembr. Æra* DCCCLXXXIX. 851.

OLIM, beatissime Papa, cùm dira seculi fortuna, quæ fratres meos Aluarum & Isidorum à gentili solo abducens, penè in vlteriores Togatæ Galliæ partes apud HLVDOVICVM Regem Baioariæ exulare fecit: cùm me etiam propter eos diuersas adire regiones, & ignota atque laboriosa itinera subire compelleret (quoniam stipata prædonibus via, & funeroso quondam VVILHELMI tota Gothia perturbata erat incursu, qui aduersum CAROLVM Regem Francorum eo tempore, auxilio fretus Habdarraghmanis Regis Arabum, tyrannidem agens, inuia & inadibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses deuersus, putaueram me indè citò migraturum. Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem & Seburicos limitat, Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli contumaciores ceruices factionibus Comitis SANCIS SANCIONIS erigens, contra ius præfati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit * *. CAROLVS CALVVS.

EXCERPTVM ALIVD EX LIBELLO MIRACVLORVM,

Quæ in Translatione reliquiarum Sanctæ Faustæ V. & M. à territorio Fidenciaco ad Solemniacense Monasterium contigerunt.

Ex MS. Cod. Ecclesiæ Lemouicensis.

864. TEMPORE quo post Domini nostri Iesu Christi Incarnationem DCCCLXIV. annus impletus est, obtinenre Regnum Francorum CAROLO Rege filio LVDOVICI magni Imperatoris, grassara ingens persecutio in Ecclesia Christi in regionibus Aquitaniæ seu Gasconiæ. Siquidem Paganorum barbaries, quos vsitato sermone Danos seu Normannos appellant, à suis sedibus cum innumerabili exeuntes nauali gestamine, ad Sanctonicam siue Burdegalensem vrbes sunt aduecti. Indéque passim in præfatis discurrentes Prouinciis, depopulando Monasteria, Ecclesias, necnon & cunctas hominum ædes igne cremantes, non paruas hominum strages occidendo dederunt.

Eo tempore apud Gascones, quibus montes Pyrenæi vicini sunt, Ducatus apicem ARNALDVS vir illuster obtinebat. Hic etenim filius cuiusdam Comitis Petragoricensis vocabulo YMONIS fuerat, & auunculo suo SANCTIONI, qui eiusdem Gentis Dux fuerat, in Principatum successerat. Denique idem Arnaldus sæpiùs cum præfaris barbaris ob defensionem sanctæ Ecclesiæ præliando certauerat, & multos ex tetra illa atque spurcissima Natione interficiens, maximam ad vltimum sui nobilissimi exercitus partem amiserat. B

ERAT autem tunc in pago Lemouicino à præfatis paganis incensum Monasterium, quod Solempniacum more antiquo vocant, vbi memoratus ARNALDVS maxima caritatis deuotione erat astrictus, ob hoc videlicet, quia nouerat eum à sancto Eligio Nouiomagensi Episcopo in honore sancti Petri Apostoli nobiliter fuisse constructum, & maximam habitatorum illius Cœnobij fuisse Regulæ sanctæ obseruationem. Tantam etenim erga ipsum Architerium habebat deuotionem, vt spondens voueret se in eodem pro Christi amore comam capitis sui depositurum, & monasticis semetipsum subdendum disciplinis. Postea verò adimplesset, nisi inopinata morte præuentus fuisset.

HIC verò dum incolumis adhuc in suo statu persisteret, curam ferens memorati Cœnobij, admonebat sæpiùs Monachos eiusdem loci, vt partes Gasconiæ, quas regebat, pro adipiscendis sanctorum Martyrum reliquiis penetrarent. Ipséque illis hoc spondebat prouisurum, ne inanem paterentur itineris laborem. Visum est autem Abbati eiusdem Monasterij, & omni ipsius Congregationi, vt aliquem ex Fratribus pro prælibato negocio illò mittere deberent. Miserunt autem quendam Monachum, religiosum scilicet Sacerdotem, nomine Aldarium, cum nepote eiusdem Ducis Arnaldi nomine GOTAFRIDVM, qui in illis partibus tunc iter carpebat C

QVALITER NORMANNI CIVITATEM ANDEGAVENSEM ceperunt, & ab ea per CAROLVM CALVVM Regem expulsi sunt,

FRAGMENTVM

Ex Chronico Monasterij S. Sergij Andegauensis.

872. Argentraus Lib. 3. Hist. Brit. Cap. XXVII. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXII. Rex CAROLVS CALVVS Andegauensem obsedit vrbem. Namque Normanni postquam Robertum Andegauorum Comitem, Ranulphum Pictauorum Comitem, & alios multos generosæ stirpis viros, qui patriæ terminos armis tuebantur, Deo habitatoribus Terræ aduersante, occiderunt, cùm nemo inueniretur, qui eorum violentiæ

A resisteret, sollicitati paucarum ciuitatum vel regionum direptione, ex præda singularum quantæ essent opes vniuersarum animo prospicientes, Andegauiæ ciuitatem, ciuibus fugâ dilapsis, vacuam reperientes ingrediuntur. Quam cùm munitissimam, & situ loci inexpugnabilem esse vidissent, in lætitiam effusi, hanc suis suorúmque copiis tutissimum receptaculum aduersus lacessitas bello gentes decernunt. Protinus nauibus per Meduanam fluuium deductis, cum mulieribus & paruulis suis, veluti in ea habitaturi intrant, diruta reparant, fossas vallósque renouant, & ex ea exilientes repentinis incursibus circumiacentes regiones deuastant. Quòd cùm CAROLO tam perniciosa pestis in visceribus Regni inclusa nunciata esset, illicò ex omnibus Regnis, quæ suæ ditioni parebant, veluti ad commune incendium extinguendum exercitum colligit, atque castris in circuitu positis ciuitatem obsidione cinxit, & qua Meduana fluuius à partibus Britanniæ murum alluebat, SALOMONI Britonum Regi mandat, vt contractis auxiliis citiùs aduentaret, vt communem hostem communibus viribus expugnarent. Qui assumptis secum multis Britonum millibus, super Meduanæ fluuij ripas tentoria fixit. Igitur ex omnibus partibus vrbs obsidione circundata, multis diebus vndique summa virtute dimicatur, noua & inexquisita machinamentorum genera applicantur. Sed conatus Regis prosperitatis effectum non obtinuit, quia & loci facies non facilem præbebat assensum. & Paganorum valida manus, quia

CAROLVS CALVVS.

B pro vita eis res erat, summo conamine resistebat. Exercitus autem immensæ multitudinis cum longo obsidionis tædio & graui pestilentiæ morbo attereretur, cernentes Britones vrbem inexpugnabilem esse, conati sunt fluuium à suo alueo deuiare: vt exsiccato naturali meatu naues Normannorum inuadere possent. Cœperunt itaque fossam miræ magnitudinis ac latitudinis aperire. Quæ res tantę formidinis metum Normannis iniecit, vt absque dilatione ingentem pecuniam CAROLO pollicerentur, si soluta obsidione ex suo Regno liberum præberet egressum. Rex turpi cupiditate superatus pecuniam recepit, & ab obsidione recedens hostibus viam fecit. Illi conscensis nauibus in Ligerim conuertuntur, & nequaquam sicut spoponderant ex Regno eius recesserunt: sed in eodem loco manentes, multò peiora & immaniora quàm antea perpetrarunt. Eodem anno inæstimabilis locustarum multitudo totam penè Galliam peruastauit.

FRAGMENTVM HISTORIÆ FRANCICÆ.

A morte LVDOVICI PII vsque ad LVDOVICVM II. dictum BALBVM.

Ex MS. Codice Bibliothecæ Thuanæ.

C LOTHARIVS Imperator filius piissimi LVDOVICI Imperatoris annis xv. regnauit. Huic pater Imperium post mortem suam decreuerat. sed sinistris Consiliariis isdem vsus, animum patris non parum lædens, pro integritate vix partem Regni obtinere meruit. Siquidem inter filios iterum pius pater memor inflicti vulneris, Imperium diuidens, iuniori KAROLO maiorem partem, primoribus sacramento firmatis, dispoluit. Lotharius itaque post humationem gloriosi patris, sequenti anno ab Italia egressus, totum Imperium arripere molitur. Ob id aduersus fratribus, in prælium Fontaneticum eos concitat. Iuncti duo aduersus vnum. Heu! omnibus Christianis lamentabile bellum, & sociale, ac ciuile, conserunt. Non armis dissimiles, non habitu gentis distincti. Solùm castris obuersi. Francorum innumerus populus acie gladij feritur. & olim gentibus ceteris formidabilis, in vulnere suo bacchatur. Cruenta victoria. duobus tamen fratribus inscribitur. Tertius elabitur, atque Aquisgrani in Regia tandem se recepit. Gloriosus denique Rex, atque inclytus iuuenis Karolus, non longè post impigrè vnà cum fratre Ludouico rem cœpti accelerat, atque Lotharium fratrem Imperatorem ab Aquisgrani terrent. Qui nimia celeritate vna cum vxore ac filiis vsque Lugdunum ac Viennam progreditur. Ibi receptis copiis, aliquantulum substitit, & discurrentibus Legatis, ad colloquium tres fratres in insula quadam Sequanæ conueniunt. ibi sub quodam pacto Imperium inter se diuidere

Fragmentum hoc ex Adonis Chronico, Hist. Aimoini, & quibusdam aliis est consarcinatum.

LOTHARIVS IMP. statuunt. Sic Lotharius Imperator in superiori Francia reuertitur. Diuiso postmodum Imperio, vnusquisque eorum ad partem suam regendam & disponendam progreditur. Non multò post Lotharius filium suum LVDOVICVM, quem in Italia Regem fecerat, vt Imperij nomen sortiretur, per Drogonem patruum Romam misit. Cui Sergius iam tunc Pontifex coronam imponens, acclamante vniuerso populo, vt Imperator & Augustus est salutatus. Lotharius Imperator infirmari se conspiciens, Regnum inter filios diuidit. KAROLO minori Prouinciam & partem Burgundiæ, LOTHARIO medio filio sedem suam, LVDOVICO Imperatori Italiam consignari iubet. Ipse verò Promiæ Monasterium, Regno temporis se exuens, ingreditur. Tonsoratus, ac Monachus effectus, aliquibus diebus interpositis defungitur, anno ab Incarnatione Domini DCCCLV. Imperij verò XXX. atque ibi in Basilica sancti Saluatoris à Fratribus reuerenter humatur. Huius Imperatoris tempore ossa beatissimi Andeoli Martyris, ipso reuelante, reperta in loco, qui antiquitus Gentibus dicitur, in Viuariensi parochia sito. Bernardus Viennensis Episcopus sub huius Imperio moritur. Et Agilmarus Viennensem suscepit Episcopatum. Amulo quoque Lugdunensis Episcopus efficitur. Et Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque eius loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit. Quo obeunte, Benedictus in Sede Apostolica substituitur, iam tamen defuncto Lothario Imperatore. Sub huius Imperatoris tempore Segart Beneuentanorum Dux à suis interficitur, & ab interfectoribus Sarraceni à Beneuentanis euocati intra ciuitatem Beneuentum recipiuntur. A B

855.

LVDOVICVS II. IMP. LVDOVICVS Imperator in Italia. Hic post obitum patris VIII. anno, mortuo fratre suo CAROLO minore, & Lugduni sepulto, in Monasterio sancti Petri, in Ecclesia sanctæ Mariæ semper Virginis, cum fratre LOTHARIO Regnum fratris mortui partitur. Accepit autem partem Transiurensis Burgundiæ, simul & Prouinciarum. Reliquam partem Lotharius Rex sibi retinuit. Anno Incarnationis Domini DCCCL. iubente patre LVDOVICVS Imperator in Ducatum Beneuentanorum contra præsidia Sarracenorum exercitum mouet. Et interfecto Duce Sarracenorum, Beneuentum recepit. At Lotharius Rex frater eius, à prauis Consiliariis deceptus, diu de duarum feminarum connubio vacillando, penè totam Ecclesiam contra se concitauit. Ob id duo metropolitani Episcopi, Treuericus & Colonicus, Teutgaudus & Guntharius, sententiâ Apostolica damnati sunt. Cœtus Synodales subinde euocati. Patruus eius præclarissimus in Regibus CAROLVS, cùm ei saniori consilio semper consulere vellet, nihilominus iuuenilis animus ad voluptatem præceps resisteret, tandem vincere volens, extra consilium Italiam ingressus, ad fratrem Imperatorem ire Beneuentum aggreditur. Piissimus Rex Carolus in hoc itinere eius assensit, si fortè vel consilio Pontificis Romani superatus, tandem à re illicita quiesceret: plurimis tamen Episcopis Gallorum contradicentibus, qui Spiritu Dei tacti periculum generale in Ecclesia Dei oriri timebant, ne Pontifex Romanus fauoribus inclinatus, ab ædificationibus pietatis exorbitando, Romanæ Ecclesiæ vulnus erroris infligeret. Perrexit secundum libitum suum, egit apud Ecclesiam Romanam quod ei pro tempore iustum visum. Sed cùm rediret, falsis spebus incitatus, diuino iudicio infirmatus, vsque Placentiam ciuitatem peruenit: ibique C

862. defunctus, in Ecclesia sancti Antonini Martyris sepelitur anno DCCCLXII. Regnum eius gloriosi patrui eius inter se diuidunt. At Ludouicus Imperator ingressus Beneuentum anno Incarnationis Domini DCCCLXVIII. penè omnia castella & oppida Beneuentanorum, quæ à Francis recesserant, Sarracenisque se iunxerant, sub ditione sua recepit, & loca Sanctorum, quæ impij Sarraceni ac perfidi Christiani contaminauerant, Deo adiutore instaurando & restaurando purgauit. Nicolaus Papa, vir religione præcipuus, moritur, ac in atrio ante portas beati Petri, non longè à membris Benedicti prædecessoris sui sepelitur. Huius temporibus apud Constantinopolim, præsidentibus Romanæ Ecclesiæ Legatis, sancta octaua Synodus celebrata est. Huic Adrianus in Episcopali ordine successit. Qui, secundum quod Nicolaus decessor eius disposuerat, Missos suos, Donarum scilicet Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum, & Marinum Diaconum S. Romanæ Ecclesiæ, ad Basilium Imp. & ad filios eius Constantinum

A & Leonem Augustos, Constantinopolim direxit. Cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Sedis Romanæ, vtriusque linguæ, scilicet Græcæ & Latinæ, peritus perrexit. Et Synodo congregata, quam octauam vniuersalem Synodum illuc conuenientes appellauerunt, exortum scisma de Ignatij depositione, & Focij ordinatione, sedauerunt: Focium anathematizantes, & Ignacium restituentes. In qua Synodo de imaginibus adorandis aliter quàm orthodoxi Doctores antè diffinierant, & quædam pro fauore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quędam contra antiquos canones, sed & ipsam contra suam Synodum constituerunt: sicut qui eandem Synodum legerit patenter inueniet.

Pius verò & inclytus Rex Carolus aliquot annos aduersus Danos atque Northmannos variis euentibus dimicans, pontem miræ firmitatis aduersum impetum eorum super fluuium Sequanam fieri constituit: positis in vtriusque capitibus castellis artificiosissimè fundatis, in quibus ad custodiam Regni præsidia disposuit. Huius pij Regis studium penè in disponendis causis Ecclesiasticis hactenus viguit. Hic ex Regina Ermentrvde quatuor filios suscepit, Ludouicum, Carolum, Carlomannum, & Lotharium. Ex his Deo in Clericali habitu duos obtulit, Carlomannum, & Lotharium. Sed Lotharius, puer bonæ indolis, immatura morte præreptus est. Carolvs quoque vir satis honestæ formæ iuuenis, Rex Aquitanis iam constitutus, aduersa primùm molestatus & dehoB nestatus iniuriâ, moritur. Anno itaque Incarnationis Dominicæ DCCCLXVI. regnante eodem Carolo Ludouici filio, duo filij eius, vt dictum est, moriuntur, Lotharius Abbas, & Carolus Rex Aquitanorum. Auunculus quoque eius Rodulphus Consiliarius, primúsque Palatij, hominem exit. Necnon & Rodulphus Archiepiscopus Aquitanorum. Et duo Principes Aquitanici, Landricus & Imino, inter se dimicantes, semet interimunt. Robertvs quoque, atque Ranulphus, viri miræ potentiæ, armisque strenui, & inter primos ipsi priores, Northmannorum gladio necantur.

Carolvs Calvvs.

866.

Denique Lotharivs ante obitum patris sui Lvdovici Imperatoris XVIII. anno vnctus ad Imperatorem, tres filios ex Ermengarde Hugonis filia habuit. Qui diuidens Regnum patris cum fratribus suis, accepit Regnum Romanorum, & totam Italiam, & partem Franciæ Orientalem, totámque Prouinciam. Lvdovicvs verò pręter Noricam, quam habebat, tenuit Regna quæ pater suus illi dederat, id est Alamanniam, Thoringiam, Austrasiam, Saxoniam, & Auarorum, id est Hunorum, Regnum. Carolvs quoque medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neustriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gotiam, VVasconiam, Aquitaniam, submoto indè Pippino filio Pippini, & in Monasterio sancti Medardi attonso. Qui postea indè per fugam elaC psus, in Aquitaniam regressus, multo tempore fugiendo latuit. Iterumque à Ranvlpho præfato per fidem deceptus est, & ad Carolum adductus, Siluanectum perpetuo est exilio detrusus. Ludouicus autem Rex Noricorum, id est Baioariorum, Ludouici Imperatoris filius anno Incarnationis Domini DCCCLXXVI. Regnum inter filios suos diuisit, Carlomannum videlicer, Ludouicum, & Carolum. Ipse tamen super filios principatum tenens, anno Incarnationis Domini DCCCLXXVIII. ex hac vita decessit, & mortuo iam filio eius Carolo, reliqui filij Regnum eius sequenti anno inter se apud Ambianensem vrbem * æqua sorte partiuntur. Quorum alter Ludouicus post tres annos moritur. 876.

** Confundit hic partitionem factam inter filios Ludouici Germaniæ Regis, cum ea quã Ambiani fecerunt filij Ludouici II. Regis Franciæ filij Caroli Calui.*

Eo tempore, postquam defuncti sunt cuncti nepotes Karoli Regis, conuenerunt ad eum de diuersis Prouinciis, afferentes ei coronas singulorum Regnorum, quę obtinuerant nepotes eius. Vnde Hymarus Remorum Archiepiscopus dixit, Quia pater Karoli Regis domnus Ludouicus Pius Imperator à Stepha- „
no Papa ante sanctæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ altare Remis in Im- „
peratorem est coronatus, & demum factione quorundam terreno Imperio desti- „
tutus, in prędictam Regni partem vnanimitate Episcoporum & fidelis populi an- „
te sepulcrum sancti Dionysij eximij Martyris Ecclesię sanctę est redditus. & in „
hac domo, ante hoc altare Prothomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum „
resonat coronatus, per Domini Sacerdotes acclamore fidelis populi, sicut vidi- „
mus qui assuimus, coronâ Regni est Imperio restitutus. Et quia, vt in Historiis „

CAROLVS CALVVS. sacris legimus, Reges quando Regna obtinuerunt, singulorum Regnorum sibi diademata imposuerunt: non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, A
" si vestræ vnanimitati placet, vt in obtentu Regni, vnde vos ad illum sponte con-
" uenistis, & vos ei commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc corone-
" tur, & sacra vnctione consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus con-
" sonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus er-
" go Domino vnanimiter gratias, decantantes *Te Deum laudamus*. Et post hæc ab
" Episcopis cum benedictione sacerdotali est idem Rex coronatus.

ITEM KAROLVS certo nuncio comperto, obiisse Ermentrudem vxorem suam, sororem Bosonis nomine RICHILDEM mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni Abbatiam sancti Mauricij cum aliis honoribus dedit. Item, in die festiuitatis Septuagesimæ prædictam concubinam suam Richildem desponsatam atque dotatam in coniugem duxit.

VNDECIMO Kal. Iulij, Indict. IX. Episcopis & ceteris quibusque Clericis vestibus Ecclesiasticis indutis, & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi, & prospectu Imperialis Sedis, lecto superpositis sacrosanctis Euangeliis apud Ponticonem, venit domnus Imperator Karolus in vestitu deaurato habitu Francico, cum Legatis Apostolicæ Sedis, in Synodum. Et Cantoribus Antiphonam, *Exaudi nos Domine*, cum Versibus & *Gloria*, cantantibus, post *Kyrie eleyson* data oratione à Ioanne Tusculanensi Episcopo, resedit domnus Imperator in Synodo. & legit Iohannes Tusculanensis Episcopus Epistolas à domno Apostolico missas. Cum quibus & legit Epistolam de Primatu Ansegisi Senonensis Episcopi, vt quotiens vtilitas Ecclesiastica dictauerit, siue in euocanda Synodo, siue in aliis negociis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur, & decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint, eius relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & maiora negocia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Tunc Imperator responsum quæsiuit ab Episcopis, quid de his Misso Apostolici responderent. Quorum responsio talis fuit, vt seruato singulis Metropolitanis iure priuilegij, secundum sacros canones, & iuxta decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgata, domni Iohannis Papæ Apostolicis iussionibus obedirent. Et cùm Imperator & Legati Apostolici satis egerint, vt absolutè Archiepiscopi responderent se obedituros, de Primatu Ansegisi sicut Apostolicus scripsit aliud responsum ab eis extorquere non potuerunt. Tunc iussit Imperator sellam poni plectilem ante omnes Episcopos Cisalpini Regni sui, iuxta Ioannem Tusculanensem, qui ad dexteram eius sedebat. Et præcepit Ansegiso, vt supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella: Remensi Archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris Regulis obuiare. B

ITEM, pridie Idus Iulij lecta est iterum Epistola, iubente Imperatore, pro Primatu Ansegisi, & quæsita ab Episcopis denuò indè responsio. Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quoniam veluti eorum antecessores illius antecessoribus obedierunt regulariter, ita eius decretis vellent obedire. Item, iubentibus Legatis Apostolici, vt XVII. Kal. Augusti conuenirent Episcopi manè, & circa horam nonam, venit Imperator Gręcico more paratus, & coronatus, deducentibus eum Apostolicæ Sedis Legatis more Romano vestitis, ad Episcopos Ecclesiasticis vestimentis indutos. Et ceteris, secundum modum primæ horæ diei, quando inchoata est Synodus, præparatis: & vt priùs cantata Antiphona *Exaudi nos Deus*, cum Versibus & *Gloria*, post *Kyrie eleyson* data oratione à Leone Episcopo, resederunt omnes. Et legit Iohannes Aretinus quandam scedulam ratione & auctoritate carentem. Post quem legit Odo Beluagorum Episcopus quædam capitula à Missis Apostolici, & ab Ansegiso, & ab eodē Odone sine conscientia * Synodi dictata, inter se dissona, & nullam vtilitatem habentia, verum & ratione & auctoritate carentia. & iccirco hic non habentur subiuncta. Iterum mota est interrogatio de Primatu Ansegisi, & tantum in nouissima, quantum & in prima die Synodi Ansegisus obtinuit. C

*fort. consensu

ITEM, nunciauit Adalgarius Episcopus Imperatori Karolo, quoniam Iohannes Papa obuiam illi Papiam veniret. quem tamen obuium habuit apud Vercel-

A lum. Et perrexerunt simul vsque Papiam, vbi eis nunciatum est KARLOMANNVM Ludouici filium cum maxima multitudine bellatorum super eos venisse. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam, & consecrata Richildi à Papa Iohanne in Imperatricem, mox retrorsum fugam arripuit. CAROLVS CALVVS.

ITEM, KARLOMANNVS Regis Karoli filius, & plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus, quoniam insidias erga patrem suum infideliter moliretur, Abbatiis priuatus, in ciuitate Siluanectis est custodiis mancipatus. Item, quia multi erant in Regno Karoli, qui expectabant vt per Karlomannum filium eius rediuiua mala remergerent, Karolus apud Siluanectim Episcopos cònuocauit: quatinus secundum Canones, à quibus nulla, vt Leo dicit, aut neglegentia, aut præsumptione licet eis discedere, Episcopale ministerium de illo exequerentur. Quod & fecerunt, deponentes illum ab omni gradu Ecclesiastico. Post quod factum diabolus excitauit illum, quasi liberiùs ad nomen & potestatem Regiam conscendere posset, quia Ordinem Ecclesiasticum non haberet. Vnde complices eius cœperunt se iterum reconiungere, & alios de aliis Regnis adducere: quatenus illum de custodia educerent, & sibi Regem constituerent. Quapropter necesse fuit, secundum sacrarum Legum decreta, iudicio mortis addictum, mitiori sententiâ luminibus acclamatione cunctorum orbari.

PORRÒ, frater Ludouici KAROLVS, Ludouici Imperatoris filius, anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXVII. moriens, reliquit filium LVDOVICVM, LVDOVICVS II.
B qui eodem anno Regnum suscepit paternum. Quo tempore Iohannes Papa in Gallias venit, & apud ciuitatem Trecas diu moratus est. Habuitque Synodum Episcoporum, in qua Hymarus Lauduni Clauati Episcopus post auulsionem oculorum suo Episcopatu est donatus. Lecti sunt autem in Synodo apud Trecas coram Iohanne Papa Canones Sardicensis Concilij, & decretum Papæ Leonis, de Episcopis sedes suas mutantibus. Sed & Affricani Canones, vt non fiant Episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes, vel reordinationes. pro Frotario Burdegalensi Episcopo, qui de Burdegala Pictauis, & indè ad Bituricensem vrbem exiluisse dicebatur. Post coronatus Ludouicus à Iohanne Papa VII. Idus Septembris, inuitauit eundem Papam in domum suam: & opiparè pascens, honorauit eum multis donis ipse & vxor sua. Item, Frotarius & Adalgarius Episcopi attulerunt in Conuentu Episcoporum Papæ Iohanni Præceptum, per quod pater suus Ludouico Regnum tradiderat: petentes ex ipsius parte, vt priuilegio suo ipsum Præceptum confirmaret. Tunc Papa Iohannes protulit exemplar quasi facti Præcepti à Karolo Imperatore de Abbatia sancti Dionysij Romanæ Ecclesiæ. Quod compilatum consilio præfatorum Episcoporum, & aliorum Consiliariorum Ludouici Regis, à plurimis credebatur: vt à Gosleno ipsam Abbatiam velut ex ratione tollere, & sibi habere posset. Et dicente Papa Iohanne, vt si vellet Rex Ludouicus, vt super illius Præceptum priuilegium faceret, suo Præcepro illud patris sui Præceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio, &
C non ratio, imperfectum remansit.

Sequentia vsque ad annum MCIX. *desumpta sunt ex Chronico Hugonis Floriacensis Monachi, quod suo loco dabitur.*

A

CAROLI CALVI FRANCORVM
REGIS ET IMPERATORIS
CAPITVLA,
IN DIVERSIS SYNODIS, AC PLACITIS GENERALIBVS EDITA.

Non omnia quidem, nec integra, sed ea dumtaxat, quæ ad eiusdem Regis Historiam pertinere visa sunt: aliquibus etiam aliundè adiectis.

Ex Capitulorum Caroli Calui Volumine, quod Iac. Sirmondus in lucem emisit.

B

CONVENTVS IN VILLA COLONIA.

844. Capitvla *quæ acta sunt anno* IV. *regni domni Karoli gloriosi Regis, domni Hludonnici Imperatoris filij, in Conuentu habito in villa quæ dicitur Colonia. quæ etiam subscriptione eiusdem Principis & Episcoporum, ac ceterorum fidelium Dei confirmata fuere, consensu VVarini, & aliorum Optimatum, Indictione* VI.

Synodi ad Teudonis villam.

845. Capitvla *quæ acta sunt in Synodo secus Teudonis villam habita, in loco qui dicitur Iudicium, quando tres fratres gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludouuicus, & Carolus, simul conuenerunt anno* V. *regni Caroli. cui Synodo Drogo Mettensis Episcopus præsedit consensu eorumdem Regum. quæ & ipsi Principes ante se, fideléſque eorum relecta Capitula adprobauerunt, & se eadem seruaturos auxiliante Domino promiserunt, mense Octobr. Indictione* VII.

Concilij in Verno Palatio.

C

Canones *Concilij in Verno Palatio habiti, vbi præsedit Ebroinus Pictauorum Episcopus, & VVenilo Senonum Archiepiscopus, necnon & Hludouuicus sancti Dionysij Abbas, & Hincmarus post Remorum Episcopus, anno* V. *regni Domini nostri Karoli filij Hludouuici Imperatoris, mense Decembrio, Indictione* VII.



Ratias omnipotenti Deo referimus, inclyte Rex Carole, nos Episcopi & ceteri fideles, qui ex diuersis partibus ad Vernum euocati sumus, quòd deposita discordia, vnde tot mala processerunt, quæ & enumerare longum est, & declinare adhuc impossibile, reddistis ad pacem cum fratribus vestris, quam & natura vobis & religione debetis. In qua vt semper maneatis, per Christum, qui pax nostra est obsecramus. vt qui maximas res vestras discordiâ penè dilapsas videtis, concordi & fido adiutorio releuatas citò aspiciatis, &c.

Synodi Beluacensis.

Hæc *Capitula quæ sequuntur facta sunt in Synodo habita apud Beluacum ciuitatem anno* DCCCXLV. *mense Aprilio, anno* VI. *Regni domni Karoli, Indictione* VII. *Quæ collata sunt inter eundem Principem domnum Karolum, & Episcopos Regni sui. & eadem ipsdem Princeps gloriosus Deo teste sub fidei suæ adstipulatione se seruaturum promisit erga*

A *omnes Ecclesias & Episcopos regni sui. quae ad vicem omnium Episcoporum sui principatus qui erant, quique futuri erant, de manu horum Episcoporum conseruanda suscepit. id est VVenilonis, Erchanradi, Immonis, Rothadi, Symeonis, Lupi, Rageharij, Heliae, Erpoini, Atij, Hincmari Presbyteri & vocati Archiepiscopi.* CAROLVS CALVVS.

Apud Tolosam ciuitatem.

SEQVENTIA *capitula acta sunt apud Tolosam ciuitatem anno* IV. *regni domni Karoli, Indictione* VI. *mense Iunio, antequam illa quae praecedunt, facta fuerint secus Teudonis villam, & in Verno Palatio, & in Beluaco ciuitate. sed ideò antè illa posita sunt, quia & dignitate generalitatis, & Synodali praeminent auctoritate.*

QVOMODO NOMENOIVS TYRANNVS BRITTONVM DE QVATVOR EPISCOPATIBVS FECIT SEPTEM, tempore Karoli Calui Regis Francorum.

NOMENOIVS valde superbus vrbem Namneticam, Redonicam, ac etiam Andegauense territorium, & Cenomannense vsque Meduanam inuasit. His autem vrbibus & territoriis nominatis in sua ditione assumptis, superbior extitit & potentior. Contemptóque omnino iure Francorum regio, Regem se fieri posse existimauit. multisque artibus, vt dolosus & fraudulentus, perquirens quibus id modis assequeretur, reperit vt Episcopos totius suae regionis aliqua seductione expelleret, & alios concessione sua constitutos in locis illorum subrogaret: sicque facilè conceptam tyrannidem posse perficere excogitauit. Æstuante verò Principe, & plurima euiscerata facie secum animo reuoluente, quomodo conceptum scelus perpetrare posset, tandem inuenit vnum ex complicibus suis, qui se circumuenire posse Episcopos, & absque vlla examinatione & purgatione aliqua infamari & damnari fateretur. Quod audiens Tyrannus, laetus efficitur, multa ei spondens, si dictis facta compensaret. Minister itaque doli conuocans Britannos Episcopos: Scitote, inquit, Domini Sacerdotes, vnum me vobis causa salutis vestrae pandere mysterium, quòd audierim à secretis Principis, quia nisi Episcopi se reos ex eis quae eis obiicerentur esse, audiente Conuentu Praesulum, quos aliunde à discussione reatus ipsorum Dux inuitauerat, profiterentur, nec eos lateret sine dilatione capite plectendos fore. Quo audito, Episcopi consternati animo, praeter Dei & Ecclesiae leges omnia se profiteri quae malignus persuadebat, antequam morte multarentur, promiserunt. In crastinum autem euocans Princeps in Monasterio S. Saluatoris Synodum Episcoporum atque Procerum, adhibuit testes falsissimos pretio conductos aduersus Subsannum Venetensem, Salaconem Aletensem, Felicem Coriopitensem, Liberalem Oximensem, Episcopos, qui dicerent eos pretio in Ecclesia intrusos muneribus saepè sacros Ordines fuisse largitos, & omnibus criminibus obnoxios fore. Cúmque reticerent Episcopi repentino mortis metu perculsi, requisiti sunt à Conuentu, vtrum vera essent quae opponebantur. qui ita se habere professi sunt. depositisque in Concilio virgis & anulis Pontificalibus, Gallias petierunt ad KAROLVM se conferentes. Nomenoius verò patrato scelere, pseudoepiscopos constituit loco ipsorum. Cogitans autem Episcopos, quos elegerat, à Metropolitano Turonensi benedictionem minimè posse consequi, nec accessum ad eum metu Regis habere, ex quatuor Episcopatibus septem composuit. Quorum apud Dolum Monasterium vnum constituit, quem Archiepiscopum fieri decreuit. Monasterium verò S. Brioci Sedem constituit Episcopalem. Similiter etiam S. Rabutuali. Hos tres vsurpatitios Episcopos instituit, ceteris quatuor in antiquis vrbibus derelictis. Prouincia itaque Turonensi ita recisa, Nomenoius Dolo Monasterio Episcopos suos congregans se in Regem vngere fecit.

(B and C margin letters appear beside the lines "extitit & potentior" and "cerum, adhibuit testes".)

In villa Sparnaco.

HAEC *quae sequuntur Capitula excerpta sunt à domno Rege Karolo, & Principibus eius, ex his Capitulis quae anno* DCCCXLVI. *ediderunt Episcopi in Synodis. VVenilo scilicet cum* 846.

CAROLVS CALVVS. *suffraganeis suis, Guntboldus cum suffraganeis suis, Vrsmarus cum suffraganeis suis,* A *Hincmarus cum suffraganeis suis, Amulo cum suffraganeis suis. & oblata sunt eidem Principi, sicut ipse insserat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Remensis Ecclesiæ. Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus primoribus Regni sui ab eorundem Episcoporum ammonitione, & remotis ab eodem consilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantùm obseruanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum Capitulis acceptasse, quàm ista, & ista se velle cum Principe obseruare.*

CONVENTVS APVD MARSNAM I.

Hæc quæ sequuntur Capitula acta sunt quando tres Reges fratres, Hlotharius scilicet, Hludouuicus, & Karolus, simul conuenerunt secus municipium Treiectum, in loco qui dicitur Marsna, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXLVII. *per mensem Februarium. quæ etiam Capitula singulorum adnunciationes sequuntur.*

CAP. I.

847. DE pace & concordia atque vnanimitate trium fratrum & Regum inter se, & quòd verissimò & non ficto caritatis vinculo sint vniti, & vt nullus deinceps scandalorum inter eos occasiones serere possit. B

II.

VT ipsi mutuò sibi auxilientur, & contra Dei sanctæque Ecclesiæ ac suos inimicos secundum opportunitatem temporis inuicem adiuuent.

III.

VT nemo per quamlibet cupiditatem leges pacis in cuiuslibet eorum Regno conuellere præsumat. quod si facere præsumpserit, communem ab eis vltionem incurrat.

IV.

VT Ecclesiæ Christi per omne eorum regnum pristinam dignitatem honorémque retineant: & quicquid superstite domno Hludouuico Imperatore iure legitimo possederunt, absque vlla deminutione recipiant.

V.

VT singulis eorum fidelibus talis lex conseruetur, qualem temporibus priorum Regum, & præcipuè aui patrisque eorum habuisse noscuntur: si tamen & ipsi pristinam fidem erga ipsos conseruent.

VI.

VT rapinæ & deprædationes, quæ quasi iure legitimo hactenus factæ sunt, penitus interdicantur, & nemo se impunè post hæc eas præsumere posse confidat.

VII.

VT singulis partibus Regni Missi idonei constituantur, qui querelas pauperum C & oppressiones, siue quorumcumque causas examinare, & secundum legis æquitatem valeant definire. Et si ab vno in aliud Regnum huiusmodi præsumptores confugerint, ibi similiter opprimantur.

VIII.

VT nullus in omni eorum Regno deinceps raptum facere præsumat, aut si fecerit, legaliter puniatur.

IX.

VT Regum filij legitimam hereditatem regni secundum definitas præsenti tempore portiones post eos retineant, & hoc quicumque ex his fratribus superstes fratribus fuerit, consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.

X.

VT Legati ad Ducem Brittonum mittantur, qui de communi erga eos obseruatione pacis eum commoneant.

XI.

VT similiter ad Regem Nordmannorum Legati mittantur, qui eum contestentur

A ftentur, quòd aut pacem seruare studebit, aut communiter eos infensos habebit. CAROLVS CALVVS.

ADNVNTIATIO DOMNI HLOTHARII.

NOBIS & fratribus nostris visum fuit, vt ad Dei voluntatem quærendam qualiter sancta Ecclesia recuperata esse possit, & pacem & nos ac vos & iste populus Christianus habere possimus, Nos simul coniungeremus, sicut nunc fecimus, & sic simus inter nos, sicut fratres per rectum esse debent. Et pro certo illud sciatis, quia gratias Deo sic sumus, & sic permanere adiuuante Deo in ante volumus, & in consilio & in auxilio vnusquisque erga alterum parati sumus adiutorium ferre, sicut fratres in Dei voluntate & communi profectu facere debent, in quibuscumque potuerimus.

ADNVNTIATIO DOMNI HLVDOWICI.

I. SCIATIS, quia fratres nostri & nos nostros Missos ad communem nepotem nostrum in Aquitaniam mittimus, & ei tales Comitatus designatos mandamus, in quibus ipse cum suis interim sufficienter esse possit, & fideles dilecti fratris nostri Karoli de illo Regno pacem habere possint, vsque dum idem nepos noster ad commune Placitum nostrum veniat, ad quod cum tali securitate à nobis accepta eum venire mandamus, vt sanus venire, & sanus stare, & sanus reuerti, quantum il-
B lum Deus saluare voluerit, possit. Et si tunc nostrum consilium audire voluerit, volumus cum Dei adiutorio & vestro consilio considerare, quomodo melius secundum communem profectum & vtilitatem in ante esse possit. & si nostrum consilium audire non voluerit, tunc sicut melius cum Dei adiutorio & vestro consilio inuenire potuerimus, exinde agere volumus.

II. SCIATIS etiam, quia similiter Missos nostros ad Brittones mittimus, & illos ad communem profectum, & pacem hortamur. Qui si audierint, aut non audierint, cum Dei adiutorio & vestro consilio exinde etiam facere volumus.

III. Sciatis, quia communiter Missos nostros ad Nordmannos pro pace accipienda mittimus.

IV. SCIATIS etiam, quia dilectus frater noster Hlotharius Missos suos ad vos homines transmittit, qui vsque modo in contrarietatem dilecti fratris nostri Karoli fuerunt, & illis mandat, vt per nullum ingenium in ante, sicut de Dei & sua gratia gaudere volunt, in illius & fidelium eius contrarietatem aliquid faciant.

V. ET sciatis, quia volumus vt res Ecclesiarum, in cuiuscumque Regno caput fuerit, tam de Episcopatibus, quàm de Abbatiis, sine vlla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum, sicut tempore domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant.

VI. Similiter & de Episcopatibus & Monasteriis, vbicumque in nostro com-
C muni Regno aliter est modò quàm debeat, volumus vnà cum Dei adiutorio illud emendare, vt Ecclesia Dei suum honorem debitum habere possit, & populus suam legem & iustitiam habeat.

ADNVNTIATIO KAROLI.

I. SCIATIS, quia dilecti fratres nostri & nos communiter nostrum Placitum ad Missam sancti Ioannis apud Parisium condictum habemus, vbi de istis quæ illi modo dixerunt, & ceteris, quæ ad Dei voluntatem, & nostrum ac vestrum communem profectum inuenire potuerimus consideremus, & vnà cum Dei adiutorio ad effectum perducamus. & volumus vt ab hinc in ante, vbicumque vnusquisque fuerit, cum pace consistat, & ad illud placitum cum pace vnusquisque veniat. quia in istis miseriis & rapinis vsque modo multum Deum offendimus. vnde nobis Dei misericordiam deprecari satis necessarium esse cognoscimus.

II. VOLVMVS etiam, vt vnusquisque liber homo in nostro Regno seniorem qualem voluerit in nobis & in nostris fidelibus accipiat.

III. MANDAMVS etiam, vt nullus homo seniorem suum sine iusta ratione dimittat, nec aliquis eum recipiat, nisi sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

IV. ET volumus vt sciatis, quia nos fidelibus nostris rectum consentire volumus, & contra rationem eis facere non volumus. & similiter vos ac ceteros fideles no-

 stros admonemus, vt vos vestris hominibus rectum consentiatis, & contra ratio- A
nem illis non faciatis.

v. Et volumus vt cuiuscumque nostrûm homo, in cuiuscumque Regno sit, cum seniore suo in hostem, vel aliis suis vtilitatibus pergat. nisi talis Regni inuasio quam *Lantvveri* dicunt, quod absit, acciderit, vt omnis populus illius Regni ad eam repellendam communiter pergat.

CONVENTVS APVD MARSNAM II.

HAEC *quæ sequuntur Capitula acta sunt anno* DCCCLI. *Incarnationis Dominicæ, quando tres fratres Reges, Hlotharius scilicet, Hludouuicus, & Karolus, secus municipium Treiectum, penes locum qui dicitur Marsna, iterum conuenerunt, & consultu Episcoporum, & ceterorum fidelium, eadem Capitula subscripserunt manibus propriis, & inter se ac inter fideles suos perpetuo se conseruaturos promiserunt. quæ Capitula singulorum in populo Adnuntiationes sequuntur.*

CAP. I.

851. VT omnium præteritorum malorum & contrarietatum, & supplantationum B ac malarum machinationum, atque molitionum seu nocumentorum inuicem actorum abolitio ita inter nos & apud nos fiat, & à nostris cordibus penitus auellatur cum omni malitia & rancore, vt nec in memoriam, ad retributionem duntaxat mali vel contrarietatis, atque exprobrationis seu improperij, de cetero exinde quiddam veniat.

II.

VT tanta Domino cooperante inter nos veræ caritatis benignitas abhinc in ante maneat de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, sine dolo & simulatione, vt nemo suo pari suum Regnum, aut suos fideles, vel quod ad salutem, siue prosperitatem, ac honorem regium pertinet, discupiat, aut fotsconsiliet, aut per occultos susurrones libenter composita mendacia seu detractiones accepter.

III.

VT vnusquisque fideliter suum parem, vbicumque necessitas illi fuerit, & ipse potuerit, aut per se, aut per filium, aut per fideles suos, & consilio & auxilio adiuuet, vt Regnum fidele prosperitatem arq; honorem regium debitè valeat obtinere. & veraciter vnusquisque erga alterum certatim demonstret, quia in fratris sui aduersitate, si euenerit, fraterno modo contristatur, & in prosperitate illius lætatur. & talem fidem, sicut inter nos modo ab hinc in ante conseruaturos confirmatum habemus, sic vnusquisque infantibus fratris sui, si obierit, qui superfuerit conseruabit. C

IV.

ET quia per vagos & tyrãnica consuetudine inreuerentes homines pax & quies Regni perturbari solet, volumus vt ad quemcumque nostrûm talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iustitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, nisi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. & si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius Regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de Regno deleatur.

V.

SIMILITER & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine à quolibet Episcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens Regnum & Regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam legitimè peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, siue adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cùm Episcopus, ad cuius curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur; ne morandi vel laten-

A di locum in Regno alicuius nostrum inueniat, & Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat: sed à nobis vel per ministros reipublicæ constringatur, & vt simul cum diabolica præda, quam secum duxit, ad Episcopum suum redeat, & de quocumque crimine publico debitam pœnitentiam suscipiat, aut susceptam vt legitimè peragat, compellatur.

VI.

VT nostri fideles, vnusquisque in suo ordine & statu, veraciter sint de nobis securi, quia nullum ab hinc in ante contra legem & iustitiam, vel auctoritatem ac iustam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus. & illorum scilicet veraciter nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem, & commune saluamentum, ad restitutionem sanctæ Dei Ecclesiæ, & statum Regni, & ad honorem regium atque pacem populi commissi nobis pertinenti adsensum præbebimus. in hoc vt illi non solùm non sint nobis contradicentes & resistentes ad ista exsequenda: verùm etiam sic sint nobis fideles & obedientes, ac veri adiutores atque cooperatores vero consilio & sincero auxilio ad ista peragenda quæ præmisimus, sicut per rectum vnusquisque in suo ordine & statu suo Principi & suo Seniori esse debet.

VII.

VT sic simul coniuncti & nos fratres ad inuicem, & nos cum fidelibus nostris, & fideles nostri nobiscum, & omnes simul cum Deo nos reconiungamus, & vt nobis sit propitius illi pro deuoto munere offeramus, vt vnusquisque omnium nostrum absque sua propria excusatione vel iustificatione recognoscamus, in quibus aut singillarim, aut communiter contra illius mandata & decreta suorum sanctorum fecimus, aut consensimus, in ordine Ecclesiastico & statu Regni, & per singula in medium illa producamus, & nemo nostrûm suo aut amico, aut propinquo, vel confœderato; immò nec sibi ipsi sæculariter parcat, vt spiritaliter & salubriter parcere possit. Quin, sicut præmisimus in præcedenti Capitulo, vero consilio & sincero auxilio illa in commune certatim emendare totis viribus procuremus, quamcitiùs rationabiliter poterimus.

B

VIII.

ET si aliquis de subditis in quocumque ordine & statu de hac conuenientia exierit, aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, seniores cum veraciter fidelibus suis hæc secundum Dei voluntatem & legem ac iustam rationem, velit aut nolit ille, qui diuino consilio & decreto & huic conuenientiæ resistens & contradicens fuerit, exsequantur. Et si aliquis de senioribus de hac conuenientia exierit, aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cùm plures seniorum nostrorum fideles & Regnorum primores in vnum conuenerint, eorum qui hæc obseruauerint, seniorum consilio, & Episcoporum iudicio ac communi consensu, qualiter de eo qui debitè admonitus incorrigibilis perseuerauerit, agendum sit, fauente Domino decernetur. Et vt obnixiùs supra scripta Capitula à nobis auxiliante Domino inuiolabiliter obseruentur, & nos illa obseruaturos certiùs credatur, manibus propriis eadem subter firmauimus.

C

ADNVNTIATIO HLOTHARII.

VOLVMVS vt vos sapiatis, quid noster aduentus hic fuerit. Venimus hîc, vt simul adiuuante Deo cum fidelibus nostris de Dei voluntate, & statu sanctæ Ecclesiæ ac Regni, & communi nostro ac vestro profectu consideraremus, sicut & fecimus. &, gratias Deo, sumus indè sic adunati, & nos ad inuicem, & cum fidelibus nostris, sicut nos recognoscimus quia & infra Regnum & extra Regnum per Marcas nostras nobis est necessarium.

ADNVNTIATIO HLVDOVVICI.

SICVT meus frater vobis dicit, magna necessitas est nobis, & isti populo Christiano, qui nobis est à Deo commissus, vt nos ad inuicem sic concordes & vniti simus, quomodo Dei voluntas est, & veræ fraternitati conuenit. Quod vsque modo, postquam Deus istud Regnum in manus nostras post patrem nostrum misit, per omnia, sicut necessitas fuerat, non fuimus: & ideo tanta Deo contraria, & nobis ac vobis impedimentosa acciderunt. Et quia modo, Domino adiu-

CAROLVS CALVVS. uante, sic sumus vnanimes, sicut per rectum esse debemus: sciatis quia vnusquisque nostrûm paratus est vt suum fratrem, vbicumque necessitas fuerit, & infra patriam, & foris patriam, aut per seipsum, aut per infanrem, vel fideles suos, & consilio & auxilio sic adiuuet, sicut frater fratri per rectum facere debet. A

ADNVNTIATIO KAROLI.

SCIATIS, quia & nos & fideles nostri veraciter recognoscimus, quia partim necessitate, partim indebita voluntate, sicut meus frater Hludouuicus vobis dixit, multa acciderunt in isto Regno, quæ nobis necesse non fuerat. Et sciatis, quia nunc gratias Deo adunati sumus, & nos ad inuicem, & cum fidelibus nostris, vt vnà cum Dei adiutorio, quanto melius & citius rarionabiliter possumus, procuremus qualiter quæ neglecta sunt, emendata fiant, vt & Deus sit nobis propitius, & Ecclesiasticus ordo debitum honorem habeat, & Regni nobis commissi prosperitas proueniat, & iste populus Christianus pacem habeat, & vobis lex & iustitia conseruetur, & vos nobis, sicut antecessores vestri nostris antecessoribus fecerunt, debitum honorem & auxilium exhibeatis. & qualiter hoc consideratum & veraciter confirmatum manibus propriis habeamus, hic vobis relegetur.

Et relecta sunt in conspectu totius populi suprascripta Capitula.

B

SYNODI SVESSIONENSIS.

Ista Capitula constituta sunt à domno Karolo in Synodo apud Suessionis ciuitatem, in Monasterio S. Medardi, anno Incarnationis Domini DCCCLIII. *in mense Aprili.*

853. REGNANTE in sempiternum Domino Deo vniuersorum, anno Incarnationis eiusdem Domini Dei nostri Iesu Christi DCCCLIII. anno verò regni gloriosi Karoli filij Hludouuici religiosissimi Augusti tertio decimo, Indictione prima, Episcopis iuxta instituta canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Karolus, eósque apud vrbem Suessionum in Monasterio S. Medardi, & S. Sebastiani, x. Kalend. Maias conuenire præcepit. Vbi posthabitis secularibus curis, ipse quoque Rex adesse dignatus est, vt non solùm deuotione Ecclesiæ se filium esse ostenderet, verùm etiam sicubi opus esset protectorem regia potestate monstraret.

ACTIO. I.

CVM itaque Præsules diuersarum Ecclesiarum, pió Rege multa humiliter & prudenter proponente, tractassent potiùs quædam quàm definissent, vi. Kalend. Maias Synodo præsidentibus Hincmaro Remorum, Guenilone Senonum, Amalrico Turonum Metropolitanis Episcopis, idem Remorum Metropolitanus Episcopus venerabilis Hincmarus ostendit non paucos à decessore suo Ebone, postquàm canonicè depositus fuisset, nec verò canonicè restitutus, inrationabiliter ordinatos. Iam Rex absque vlla ambitione Synodum solus ingressus simpliciter cum Episcopis residebat. Serie igitur depositionis memorati Ebonis plenissimè prolata, multis Metropolitanis, pluribúsque aliis Episcopis, qui auctores fuerunt, recitatis: restitutionis autem illius non canonicæ, immò nec verisimilis, paucis admodum & aliarum regionum præsulibus nominatim expressis: claruit præfatum Ebonem Episcopale officium illicitè repetisse, quósque gradibus Ecclesiasticis æstimarus fuerit promouisse, damnationi potiùs obnoxios effecisse. Hincmarum autem successorem eius, canonicis sanctionibus cautè ac subtiliter obseruatis, ad Sedem accessisse, & præter decreta maiorum in hac parte nihilominino moliri, sicut in gestis Synodalibus exinde ab Episcopis eiusdem Concilij more canonico confirmatis pleniùs edocetur. C

II.

POSTMODVM venerabilis VVenilonis Senonicę vrbis Metropolitani Episcopi suffraganeus Neuernensis Ecclesiæ, nomine Herimannus, pro suis excessibus,

A quos corporali molestia sæpè dicebatur admittere, à sanctis Præsulibus modestè & acriter increpitus est, quòd prius frequenter correptus ordini sacratissimò perseuerantia leuitatum adhuc iniuriam faceret, & in præsentia Principis, infirmitatem Pastoris nequaquam fastidientis; iniunctum est Metropolitano eius, vt adiunctis secum aliquot Episcopis ad oppidum Niuernense accederet, & omnia ibi negotia Ecclesiastica sapienter componeret. Ipsum verò Coepiscopum suum Herimannum apud vrbem Senonum secum haberet, donec æstiuum tempus, quod valdè contrarium infirmitati illius referebatur, pertransiret: & sic Domino annuente abstinentia competenti assuetum, Episcopali grauitate instructum, Apostolicis moribus informatum, Clerus & populus eum ad Sedem propriam vtiliter fauente Dei gratia reuocaret.

III.

De Burchardo etiam, qui Carnutum Ecclesiam tenebat, statutum est, vt aut se idoneum ad sumendum Episcopalem gradum admonitu Guenilonis Metropolitani Episcopi ostenderet, aut certè pronam in se clementiam Principis cognoscens cederet, in vtroque Dei iudicium experturus. Igitur sequenti die causa illius ad medium deducta, venerabiles Episcopi, Remorum Metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium Pardulus, Aurelianorum Agius, seorsim eum admonere præcepti sunt, vt si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur; aut si non posset, propter Dei timorem, impossibilitatem ingenuè confiteretur. Parte Cleri, quę præsens erat, ac laicorum bonum ei testimonium perhibente, memoratis Præsulibus suadentibus, ad Concilium intromissus, tanto quidem B gradu se dignum esse profiteri arrogantiæ asseruit esse, non veritatis. Si quis verò crimen aliquod sibi vellet obicere, ad id purgandum se paratum esse firmauit. Nullo qui id conaretur existente, decreuit sancta Synodus, ne diu Carnutum Sedes vacaret: sed directis illuc secundum voluntatem Metropolitani Episcopi venerabilis Guenilonis, qui electionem præfati Burchardi recognoscerent, & ipsi referrent, optantibus canonicè ordinaretur Episcopus.

IV.

Præterea Cenomannicæ vrbis Aldricus Episcopus paralysi dissolutus epistolam direxit, causam suæ absentiæ insinuans, petensque vt maximè sibi adhuc viuenti, & quandocumque defuncto, sacris precibus opitularentur. quod exuberantes caritate se facturos promiserunt, & Metropolitano illius, Turonicæ vrbis venerabili Episcopo Amalrico, vt ad eandem vrbem accederet iniunxerunt, & quæcumque essent eidem Ecclesiæ proficua vt strenuè exequeretur, vnanimiter præceperunt.

V.

Ante hoc tempus venerandi Concilij, obtinente Pippino, Pippini Regis filij Hludouuici piissimi Augusti filio, Aquitaniam, etiam consentiente auunculo eius glorioso Rege Karolo, cui eadem Prouincia in partem obtigerat, Ecclesiastica disciplina & militari soluta, eadem regio à suis indigenis valde vastata est; & C multi illic impunè illicita perpetrarunt. Tandem aliquando respiciente Deo populum suum, idem Pippinus à suis contemptus & desertus, atque in potestatem auunculi sui Karoli redactus, consilio reuerentissimorum Pontificum & Procerum attonsus, & in habitu monachico ad Monasterium sancti Medardi custodiendus & docendus deductus est. Ibi duo quidam Monachi habitu, sui propositi vix credibiliter transgressores, ardentes in modica cupiditate, eundem Pippinum abducere conati sunt, & pacem Christiani populi dissipare. quos præsentibus diuersorum Cœnobiorum religiosis Abbatibus, & causam subtiliter iuxta Regulam beati Benedicti examinantibus, concors congregatio sancti Medardi à sua vnanimitate præcidit, attestata se ab horum crimine longè abstitere, quod vsitatas culpas iam inde ab initio huius religionis Monachorum omnium, preter duntaxat Eutychis & aliorum hereticorum, facilè superaret. Eiectos iussu venerabilis Rothadi Suessionum Episcopi ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit, & partim confessi, partim conuicti conspirationis malum perpetrasse, canonum seueritate depositi sunt, (Presbyteri quippe erant) & separatim in Monasteria sui Ordinis longè distantia relegati, vt deinceps nemo tale quid committere auderet, nisi qui similia perpeti non timeret.

CAROLVS CALVVS.

VI.

Post hæc gloriosissimus domnus rex Karolus coram sacra Synodo quendam Diaconum Remensis Ecclesiæ, nomine Ragamfridum, imperiit, quòd Præcepta falsa regio nomine compilasset, sicut ad eum quorundam suggestionibus & verisimilibus indiciis esset perlarum. Vnde quia purarum est quibusdam significationibus, vt purgationem sui isdem Diaconus subterfugere voluisset, aliis aliter dicentibus, visum est omnibus in eodem sacro Conuentu degentibus, vt ab omni Concilio illi interdiceretur, ne à parrochia Remensi quoquo modo præsumpsisset abscedere, donec se ab illis quæ ei impingebantur idoneum redderet, vel competenter satisfacere procuraret. quod & omnibus singillatim Episcopis illi auctoritate Episcopali præcipientibus ex diuino mandato est interdictum. A

CONSILIVM HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS, DE POENITENTIA PIPPINI IVNIORIS, OLIM Regis Aquitaniæ.

Sanctus Papa Gregorius in Decretis ad Felicem Siciliensem Episcopum: *Progeniem suam vnumquemque, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem*, &c. Item in Decreto Synodali ante B. Petri corpus: *Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit*, &c. B

S. Siricivs Papa in Decretis suis de apostatis Monachis: *Has*, inquit, *impudicas, detestabilésque personas à Monasteriorum cœtu ecclesiarúmque conuentibus eliminandas esse mandamus*, &c.

In hoc Capitulo stat modo Pippinvs, & in alio Capitulo quod de apostatis idem Siricius decreuit. Quia verò nunc dicit se pœnitere de præteritis malis, quia habitum & professionem suam descruit, & sacramentum quo se constrinxit grauiter violauit; & quia cum paganis se iunxit: & profitetur se ad suam professionem & habitum velle redire. quoniam illius causa Synodali diffinitione atque iudicio decreta fuit, si tempus & locus permitteret, Synodali iudicio immutari debuerat. Nunc autem quia hinc iudicium, & hinc nos circumstat misericordia, pro iudicio Synodali nobis sequenda sunt quæ à Sede Apostolica, & per Synoda-

Epist. 89. ad Theodorũ. lia iudicia sunt diffinita. dicente B. Leone, quia *in dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lacrymasque negligere, cùm ipsam pœnitendi*

1. Tim. 2. *affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo*: Ne fortè det illis
» Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ip-
» sius voluntatem. Et item idem in Decretis suis dicit: *Propositũ Monachi proprio arbi-*

C. 26. *trio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo debet ei reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publica pœnitentia satisfactione purgandus est. quia etsi innocens militia, & honestum potest esse coniugium, electionem meliorum deseruisse transgressio est.* Et sequen- C

C. 30. dum est de eo Leonis Capitulum, quo dicit: *Si conuiuio solo gentilium & escis immolatitiis vsi sunt, possunt ieiuniis & manus impositione purgari, vt deinceps ab idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem idola adorauerunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam*

C. 11. *publicam non oportet admitti.* Et Nicæni canones de his qui præter necessitatem præuaricati sunt qualiter pœniteant dicunt. Quia verò, vt audiui, paralysi solet Pip-

Ep. 89. pinus percuti, sequenda est de illo sententia magni Leonis, quæ dicit: *His qui in tempore necessitatis, & in periculum vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur venia moras vera confessio, dicente Dei spiritu per Prophetam*: Cùm ingemueris, tunc saluus eris: *& alibi*: Dic tu iniquitates tuas prior vt iustificeris. *& iterum*,

C. 7. quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et Innocentius dixit: *De pœnitentibus, qui siue ex grauioribus, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romana Ecclesia consuetudo demonstrat. Ceterùm de pondere æstimando delictorum sacerdotis est iudi-*

A *care, vt adtendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigent iis : ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Pascha relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.* Plura sunt alia, quæ hinc possumus colligere, nisi ista crederemus posse sufficere. Vnde quantum mihi videtur, non præiudicans Synodali sententiæ de Pippino decretæ, sed confisus de Dei misericordia, qui per Apostolum suum dicit, vt superexaltet misericordia iudicium, & de charitate confratrum nostrorum, & de auctoritate sacrorum canonum, & Pontificum Romanorum, exhortandus est PIPPINVS, vt putam confessionem de omnibus peccatis suis, quæ ab ineunte ætate perpetrauit, secretè faciat : quia fortè talia fecit, quæ turpe est etiam in publicum dicere. & de hoc quòd suum habitum dimisit, & se periurauit, & quia cum paganis se iunxit, (de qua sua coniunctione multa mala sunt perpetrata) coram Ecclesia inter publicè pœnitentes se lacrymabiliter accuset, & pœnitentiam & reconciliationem humiliter petat : & de omnibus quæ vel secretè confessus fuerit, vel publicè se accusauerit, per manus impositionē Episcopalis auctoritatis publicè reconcilietur, & recōciliatus tonsurā clericalem accipiat, & habitum monasticum recipiat, & profiteatur se de cetero seruare quæ expetit & expedit, & sic communionem sacri altaris recipiat. Reconciliatus autem benignè tractetur, vt tali loco sub libera custodia misericorditer custodiatur, & custodes Monachos ac bonos Canonicos, qui eum exhortentur,
B & quorum doctrina & exemplo benè de cetero viuere, & præterita peccata plangere discat. & quorum prouidentia, & loci conuenientia ita custodiatur, vt ad pristinum vomitum redire nequeat, etiamsi Diabolo suadente voluerit : & tediuiuum scandalum per eum in sancta Ecclesia & in istaChristianitate oriri non possit. Accipe, frater & fili, istam rotulam. sed & illam de cognatione non coniungenda, & porta illas domno Regi, & relege coram illo. & de ista fac secundum illius consilium & commendationem. & de illa cognatione non coniungenda, per eius consilium & auxilium sequere sacras auctoritates tibi directas. Prouidētia de Pippino non est negligenda, & vt certi ac fideles custodes illi adhibeantur satis est procurandum : nec obliuiscendum quod de eo in Monasterio S. Medardi accidit, & quod de Karlomanno in Corbeia euenit. Nam quod factum est, adhuc fieri potest.

SYNODI APVD VERMERIAM.

Hæ quæ sequuntur diffinitiones in Synodo apud Vermeriam Palatium habita acta sunt anno supra scripto, in mense Augusto, Indictione præfata.

C OMNIBVS sanctæ dilectionis fratribus, ad quorum hæc peruenerunt peruenire notitiam, VVenilo Senonum, Hincmarus Remorum, Paulus Rotomagensium, Amalricus Turonum Archiepiscopi : Teutboldus Lingonum, Pardulus Lugdunensium, Hucbertus Meldensium, Ansegaudus Abrincatum, Hrothadus Suessonum, Immo Nouiomagensium, Hilmeradus Ambianensium, Ytminfridus Beluacensium, Erpoinus Siluanectensium, Baltfridus Baiocacensium, Guntbertus Ebrocensium, Eirardus Lixouiensium, Erloinus Constantiæ, Hildebrannus Sagorum, Godelsadus Cabillonensium, Ionas Æduorum, Braidingus Matisconensium, Agius Aurelianensium, Episcopi apud Vermeriam Palatium iussu gloriosi Principis Karoli anno ab Incarnatione Domini DCCCLIII. Indictione prima, VI. Kal. Septembr. in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi synodaliter congregati, salutem. 853.
NOTVM fraternitati vestræ fieri volumus, quia nuper instanti anno per præsentem primam Indictionem, apud vrbem Suessonum x. Kalend. Maias ad Synodum conuenientes, cui sacro Conuentui idem gloriosus Rex suam est dignatus exhibere præsentiam : inter cetera Ecclesiastica negotia, de venerabili fratre nostro Herimanno Niuernensis vrbis Episcopo quæstionalis est ratio nobis oblata. Videlicet quia infirmitate præoccupatus seu præpeditus corporea, sæpè ineptire ; & quædam quæ ad naufragium rerum & facultatum Ecclesiasticarum per-

CAROLVS CALVVS. tinere, atque ad saluationem ac debitam seu rationabilem dispensationem impedire poterant, nisi celeri remedio subuentum foret, agere indiscretè solent. Cuius suggestionis certa experimentorum documenta euidentiùs perquirentes, aliquanta inuenimus, quæ nobis fidem fecerunt aliis quæ audieramus sensum accommodare. Vnde secundum quod in decretalibus Epistolis beati Gregorij exemplo repetimus, statuimus illi œconomum persuadere, qui ei suffragium & Ecclesiæ sibi commissæ custodiam debitam & canonicam exhiberet, donec annuente Domino isdem frater venerabilis à sua infirmitate optabiliter conualesceret. Sed quoniam intimatum est nobis, in sua Ecclesia neminem posse reperiri, qui interim eundem venerabilem, partim indebita forte pietate, partim reuerentia seniorali, secundum modum à nobis constitutum custodire aut vellet aut posset, consultu illum hortati sumus, vt cum domno VVenilone, prænominato scilicet reuerentissimo confratre nostro, & Archiepiscopo suo maneret, illéque ei conueniens studium impertiri curaret, & Ecclesiæ Niuernensi ea quibus indigeret visitatorio officio impendetet, & ordinaret, quousque æstiuum tempus, quod huiusmodi infirmitati, qua impediri dicebatur, valdè contrarium est, pertransiret, & sæpefatus dilectissimus ac venerabilis frater noster, vt prædiximus, à sua infirmitate melioraretur, & suæ potestati, suæque ipsius custodiæ, suæve Ecclesię dispositioni, vt est debitum, restitueretur. Quę quoniam, gratias Deo, ad votum iuxta diuinam ordinationem, vt fuerant disposita, sunt quoque perducta, & canonica iubet auctoritas, vt ab vno quilibet reiectus Episcopo, non dicamus à tantis pro tempore & ad tempus remotus secundum quendam modum Episcopis, non recipiatur sine testimonij aut litterarum euidentissimo documento: per hos nostrę humanitatis apices plerumque dictum venerabilem fratrem nostrum suę ditioni & potestati, atque Episcopali custodię, suęque Ecclesię gubernationi debitè restituimus, & nos eum non morum vitiis, aut peccatis publicis, quę censura damnat Ecclesiastica, à sua illum Ecclesia aliquantulum remouisse, quod sine aperta conuictione, vel manifesta confessione fieri non licet, qua de re & non libet, sed corporeę suę infirmitati, & Ecclesię sibi commissæ necessitati, pietatiue consuluisse manifestissimè demonstramus. quod vt præsentibus scilicet & futuris temporibus enucleatiùs cognoscatur, his gestis manibus propriis subterfirmare decreuimus.

II.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Episcopi qui iussu gloriosi Principis domni nostri Karoli ad Synodum in Vermeriam Palatium conuenimus, id est VVenilo Archiepiscopus, Paulus Archiepiscopus, Amalricus Archiepiscopus, Hincmarus Archiepiscopus, Teutboldus Episcopus, Ansegaudus Episcopus, Pardulus Episcopus, Hrothadus Episcopus, Immo Episcopus, Yrminfridus Episcopus, Erpoinus Episcopus, Hilmeradus Episcopus, Agius Episcopus, Erloinus Episcopus, Baltfridus Episcopus, Guntbertus Episcopus, Eirardus Episcopus, Hildebrannus Episcopus, Ionas Episcopus, Godelsadus Episcopus, Braidingus Episcopus, CHVONRADO inclyto & nobilissimo viro præsentem & æternam optamus in omnium saluatore salutem. CVM inter cetera Ecclesiastica negoria de ordinabili dispositione Monasterij sancti Dionysij disponeremus, venerunt Monachi ipsius sacri Cœnobij in præsentia venerandæ Synodi, deferentes auctoritates, videlicet testamentum, quod sanctæ recordationis Abba Fulradus de Monasterio Lebbraha, vbi sanctus Alexander Martyr quiescit humatus, & de Cella quæ ad sanctum Hippolytum nominatur, seu de rebus aliis, quas per idem testamentum isdem venerabilis Abbas sancto Dionysio contulerat, necnon & priuilegium, quod exinde sancta Sedes Apostolica per beatum Stephanum Papam eidem Monasterio super præfato testamento fecerat: dicentes quòd venerabilis Abbas illorum domnus Hludouuicus ex præcepto gloriosi Regis domni nostri Karoli eos consuluisset, ac consensum eorum quæsisset, quatenus præscriptum Monasterium vobis in precariam acceptis rebus vestra traditione ad eandem casam Dei delegandis concessisset, quod consentire sine consultu sui Episcopi atque Archiepiscopi, immò sacræ Synodi non auderent. Quam causam subtiliter inuestigantes, & ad liquidum cognoscentes, diffiniuimus iuxta sacram

A & diuinam auctoritatem, atque secundum testamentum præfati piæ recordationis Fulradi, necnon & secundum decretum Apostolicæ Sedis, nullo vnquam tempore iam dictum Monasterium sancti Alexandri, cum rebus sibi pertinentibus, a maiore Monasterio sancti Dionysij quocunque ingenio diuellendum, nec beneficiario neque precario iure distrahendum. Subiunxerunt etiam iidem Monachi, quòd vestra commendatione ac iussione, immò etiam actione, idem Monasterium cum rebus sibi subditis in vestram ditionem redactum & assumptum, quin etiam vsurpatum habuissetis. Quod quàm absurdum & contra legem atque iustitiam sit, si tamen ita se res habet, ipsi etiam peruidetis. Vnde vestram, paterna & caritatiua seu auctoritatiua cum interpositione diuini nominis & Episcopalis auctoritatis, nobilitatem hortamur & obtestamur, vt hoc nullatenus agere vlteriùs attentetis. sed & si molitum est, ab huiusmodi molitione vel actione vos vestrósque compescatis: quia & contra Deum & contra omnem auctoritatem, contráque vestram salutem esse dinoscitur. Sciatis etiam quia domnum & seniorem nostrum Regem gloriosissimum Karolum & humili suggestione & diuina auctoritate obsecrauimus, præfatóque venerabili Abbati & Monachis suis præcepimus, vt in hoc nulli adsensum præbeant, quoniam nec vobis nec cuiquam fidelium expedit talia postulare. Valeto, vir nobilissime, & admodum nobis in Christo carissime.

B

APVD VALENTIANAS.

De his Capitulis quæ subsequuntur, adnuntiauerunt populo domni Reges Hlotharius & Karolus, quando in ipso anno Incarnationis Domini conuenerunt ad Valentianas per mensem Nouembrium.

ADNVNTIATIO DOMNI HLOTHARII.

I. DE Missis directis per Regnum, vt populus pacem & iustitiam habeat. De raptoribus, de prædatoribus, de latronibus, & aliis malefactoribus, & de omnibus iustitiis. 853.

II. Vt vbi missatici simul venerint, Missi simul veniant; & si de vno Regno in aliud, aut de vno missatico in aliud fugerint, simul eos constringant.

III. Vt vbicumque fugerint, illuc indiculus transmittatur, vt Comes illos distringat, aut cum alode, aut per quodcumque potest, vt illuc reueniat, & emendet vbi malum fecit.

IV. Vt Missis commendetur vt faciant iustitias, & si non fecerint, quòd ipsi C pergere debeatis.

V. Vt si necessitas alicui fuerit, omnes sint parati quomodo inuicem vos adiuuetis.

ADNVNTIATIO KAROLI GLORIOSI REGIS.

I. De adnuntiatione Episcopali, & de honore Sacerdotum.

II. De reædificatione Ecclesiarum, & de nonis ac decimis.

III. De obseruatione Capitulorum domni Karoli, & domni Hludovvici, de Ecclesiis.

IV. De obseruatione pacis, & cauenda rapacitate & oppressione rerum Ecclesiasticarum, ac pauperum.

V. Quòd nos cum consilio fidelium nostrorum ordinare volumus, qualiter honestè & sine indigentia in Curte nostra, sicut antecessores nostri fecerunt, viuere possimus. & Comites ac ceteros fideles nostros admonemus, vt ipsi sic suum esse & viuere ordinent, qualiter propter illorum necessitatem vicini eorum ac pauperes non opprimantur.

VI. De concordia & mutuo adiutorio Episcopi & Comitum ad iustitias faciendas, & diuinum ministerium exequendum.

VII. De iustitiis per Episcopos & Missos ac Comites nostros in Regno nostro studendis.

CAROLVS CALVVS. VIII. De raptis, & coniunctione sanctimonialium atque propinquarum, seu sponsarum aliorum, vt quòd in præterito actum est, secundum consilium & iudicium Episcoporum corrigatur, & de cetero omnimodis caueatur. A

IX. Quòd si aliquid per necessitatem in Ecclesiis Dei, aut contra aliquem fidelium nostrorum fecimus, hoc quàm citiùs potuerimus libentissimè emendabimus. & de cetero si aliquis apud nos parem suum nocere voluerit, hoc secundum consuetudinem antecessorum nostrorum diffinire volumus.

X. De placito nostro, & de communi adiutorio contra Nortmannos, & de conlocutione nostra fraterna.

APVD SILVACVM.

Sequuntur Capitula quæ in ipso anno, & ipso mense Nouembrio, domnus Karolus consultu fidelium suorum in Siluatico edidit, & per Regnum suum à Missis suis adnuntiari & obseruari præcepit, sed & Missos suos sicut subsequitur per Regnum suum ordinauit.*

* Siluaco

853. IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex dilectis & fidelibus Missis per Regnum nostrum constitutis salutem. Sicut vobis notum esse credimus, cum dilectissimo fratre nostro Hlothario apud Valentianas locuti fuimus, & communi consilio cum fidelibus nostris communibus considerauimus, vt inter cetera sanctæ Dei Ecclesię, & nostri Principatus ac Regni nobis à Deo commissi negotia necessaria, de his quæ subsequuntur vos specialiter ammoneremus. B Vt sicut hîc descripta habentur, vna cum Dei adiutorio, prout melius poteritis, strenuè exsequi procuretis, & hoc præsentaliter necessarium opus, sine aliqua dilatione vel excusatione, sicut in missaticis coniuncti & deputati estis, simul conueniatis, & hoc ad perficiendum quantociùs inchoetis, & quantum vel qualiter inde factum habueritis, vnusquisque vestrûm sicut in missaticis constituti estis, de vnoquoque missatico nobis ad conloquium, quod in proximo cum fratribus habebimus, renuntiare procuret. Et si contigerit, vt aliquis vestrûm nostro seruitio, vel infirmitate, aut quacumque occasione detentus fuerit, pro hoc alij non dimittant, vt commendata exsequi non studeant, etiam si vnus vacauerit à prædictis occasionibus, ipse quantum Deus dederit iussa perficere studeat.

Ista denuntianda sunt populo à Missis nostris.

CAP. I.

NOSTRI Seniores, sicut audistis, parabolauerunt simul, & considerauerunt cum communibus illorum fidelibus de Dei seruitio, & sanctæ Ecclesiæ ac Regni statu, & qualiter vos qui in Regno consistitis pacem & iustitiam habere possitis. & ordinauerunt Missos per Regnum illorum, qui in hoc decertent, quantum Deus adiutorium dederit. C

II.

INTER omnes iustitias, quas ordinauerunt vt vnusquisque habeat, primò considerauerunt de honore Ecclesiarum Dei, & orphanorum ac viduarum caussis, & de regalibus iustitiis. Tum maximè de raptoribus puellarum, & viduarum caussis, & sanctimonialium, & de his qui Presbyteros flagellare præsumunt, & qui Presbyteros de Ecclesiis sine Episcoporum consensu eiicere, vel recipere, aut censum de manso, vel ex his quæ domnus & genitor noster in suis Capitularibus Ecclesiis in immunitate concessit, exigere non timent, & qui censum de rebus Ecclesiasticis ad Ecclesias persoluere detrectant, vt firmiter inquirantur, & acriter distringantur, & plena iustitia inde fiat, secundum quod in Capitularibus aui & patris illorum statutum habetur. & ipsi per certos fideiussores ad præsentiam illius, in cuius Regno tales inuenti fuerint, perducantur, vt inde ipse commendet quid de tali homine fiat, qui nec Deum timet, nec contra sanctos canones facere, nec legem & præceptum regium infringere pertimescit, salua censura Ecclesiastica, & Episcopalis pœnitentiæ vindicta.

III.

SIMILITER de collectis, quas Theudisca lingua *Herisliuph* appellat, & de

A his qui immunitates infringunt, & qui incendia & voluntaria homicidia, & adsalituras in domos faciunt.

IV.

De latronibus autem commendauerunt, vt Missi omnibus denuntient in illa fidelitate, quam Deo & Regi vnusquisque debet, & promissam habet, & in illa Christianitate qua pacem proximo vnusquisque seruare debet, vt sine exceptione alicuius personæ, nec pro amicitia, vel propinquitate, aut amore vel timore, vllus latronem celet, sed illum Missis illorum manifestet, & ad accipiendum illum adiutorium quantum potuerit quisque præstet, & per sacramentum hoc Missi illorum firmare faciant, sicut tempore antecessorum illorum consuetudo fuit. & si aliquis Missos illorum non obaudierit, si Regis homo fuerit, per fideiussores ad illius præsentiam perducatur: si autem alterius homo fuerit, senior, cuius homo fuerit, illum Regi præsentet.

V.

Commendauerunt etiam, vt si alicui denuntiatum fuerit, vt ad accipiendum latronem adiutorium præstet, aut aliquis sonum inde audierit, vt ad latronem accipiendum concurratur, & se inde retraxerit vt ad hoc adiutorium non præstet, si liber homo fuerit, bannum dominicum componat, & si colonus fuerit LX. ictus accipiat. & si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non soluat, & nullus illi inde faidam portare præsumat. quod si quis facere

B præsumpserit, per certos fideiussores ad Regis præsentiam perducatur.

VI.

Quicumque autem abhinc in ante latronem receperit, maximè autem illum qui forbannitus fuerit, vt qui illos quos Missi nostri forbannierunt recepit, postquam forbanniti ab eisdem Missis nostris fuerunt, secundum quod constitutum est in Capitularibus aui & patris nostri, in libro III. cap. XXIII. si Francus est, cum duodecim similibus Francis iuret quòd ipse latronem eum fuisse non sciisset, licèt pater eius sit, aut frater, vel propinquus. si hoc iurare non potuerit, & ab alio conuictus fuerit quòd latronem in hospitio suscepisset, quasi latro & infidelis iudicetur: quia latro infidelis est noster, & Francorum, & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audiuit quòd latro fuisset, & tamen non scit pro firmiter, aut iuret solus quòd nunquam eum audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, latronem: aut sit paratus, si ille de latrocinio conuictus fuerit, vt similiter damnetur.

VII.

Vt quando Missi nostri latronem forbannierint, hoc & Missis aliis, & Comitibus scire faciant. & si de vno missatico in alium fugerit, si in vicinitatem venerit, pro hoc Missus qui eum forbanniuit non dimittat, vt eum non persequatur &

C comprehendat. & si longius fuerit Missus, in cuius missaticum fugerit, si alodem habuerit, illi tollat, & illum constringat, vt velit nolit reueniat, & ibi malum emendet vbi illud perpetrauit. & si in alicuius villam fugerit, & ipsa villa eum contenderit, secundum quod in Capitularibus aui & patris nostri scriptum habetur inde fiat. & si necesse fuerit, vt iustitia non proteletur, Aduocato denuncietur vt ipsum latronem reddat, & eos qui eum contenderint præsentet, vt debitam disciplinam inde sustineant, & emendationem inde congruam faciant. quod si facere neglexerit vsque ad secundam vicem, bannum dominicum inde componat. & sic per fideiussores ad præsentiam eorum deducatur, vt & de illo, & de contradictoribus, & de ipso latrone secundum quod causa continuerit sic decernatur, vt cæteri metum habeant.

VIII.

Hoc etiam commendauerunt seniores nostri, vt si huiusmodi malefactores, sicut prædiximus, de vno Regno in aliud fugerint, similiter Missi illius, de cuius Regno fugerit, ad alios Missos in illo Regno, vbi fugit, hoc notum faciant, & illi Missi eos constringant, vt ad illud Regnum, & ad illos Missos reueniant, vt ibi distringi possint vbi malum fecerunt.

IX.

De aduenis, qui oppressione Normannorum in partes istorum Regnorum confugerunt, statuerunt seniores nostri, vt à nullo reipublicæ ministro quam-

CAROLVS CALVVS. cumque violentiam, vel oppressionem aut exactationem patiantur: sed liceat eis conductum suum quaerere & habere, donec aut ipsi redeant ad loca sua, aut seniores illorum eos recipiant. quod qui inuentus fuerit ex reipublicae ministris, aut aliis quibuslibet, contra hoc pietatis praeceptum facere, aut fecisse, bannum dominicum exinde componat. A

X.

Vt omnibus denuntietur, qualiter cuncti sint praeparati ad quamcumque necessitatem imminentem, vt secundum consuetudinem, prout necessitas euenerit, ad Dei seruitium & illorum, atque ad defendendam sanctam Dei Ecclesiam, & Regnum omnes sint praeparati.

XI.

Capitvla autem aui & patris nostri, quae in praescriptis commemorauimus, qui ex Missis nostris non habuerint, & eis indiguerint, vt commissa per illa corrigere possint, sicut in eisdem Capitulis iubetur, de scrinio nostro, vel a Cancellario nostro accipiant, vt rationabiliter & legaliter cuncta corrigant & disponant.

XII.

Vt vnusquisque Missus in suo missatico prouisionem habeat, vt si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens vel commanens rapinas vel depraedationes, aut talia inlicita fecerit, de quibus Deus offendi solet, & populus pro oppressione gemere, quatenus hoc subtiliter & veraciter inuestiget, & nobis renuntiet, qualiter inde nos sic ordinemus, vt nec ipsum, nec alium hoc agere delectet. B

XIII.

Vt Missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri, aut alij quilibet, vicinos suos maiores vel minores tempore aestatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando marascalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos maiores vel minores depraedentur, &, si egerint, hoc etiam, vt praediximus, veraciter Missi nostri inuestigent, & nobis renuntient, vt in seniore hoc sic emendemus, quatenus homines suos in potestate habeat, & contenti sint debitis, & indebita iniuste non appetant.

Istud sacramentum iurabunt Franci homines.

Ego ill. adsalituram, illud malum quod scach vocant, vel tesceiam non faciam, nec vt alius faciat consentiam: & si sapueto, qui hoc faciat non celabo. & quem scio, qui nunc latro aut scachcator est, vobis Missis dominicis non celabo, vt non manifestem. si me Deus adiuuet, & istae reliquiae.

Istud iurabunt Centenary.

Ego ill. adsalituram, illud malum quod scach vocant, vel tesceiam non faciam, nec vt alius faciat, consentiam: & si sapuero, qui hoc faciat, non celabo. & quem scio qui nunc latro aut scachcator est, vobis Missis dominicis non celabo, vt non manifestem. & de Francis hominibus in isto Comitatu, & in meo ministerio commanentibus nullum celabo, quantum recordari potuero, vt per breuem vobis Missis dominicis non manifestem. si me Deus adiuuet, & istae reliquiae. C

Missi autem, & Pagi per missaticos qualiter fuerunt tunc ordinati.

I. Hincmarvs Episcopus, Ricuinus, Engiscalcus, Missi in Remtiano, Vonziso, Stadiniso, Pertiso, Barriso, Camiziso, Catalaunio, Virtudiso, Bagansoniso, Tardaniso.

II. Pardvlvs Episcopus, Altmatus, Teodacrus, Missi in Laudunisо, Portiano, Suessonico, Vrciso, & Vadiso.

III. Immo Episcopus, Adalardus Abba, VValtcaudus, Odelricus, Missi in Nouiomiso, Vermendiso, Adertiso, Curtriciso, Flandra, Comitatibus Engilramni, & in Comitatibus VValtcaudi.

IV. Folcoinvs Episcopus, Adalgarius, Engiscalcus, & Berengarius, Missi in Comitatu Berengarij, Engiscalchi, Gerardi, & in Comitatibus Reginarij.

V. Hlv-

A v. HLVDOVVICVS Abba, Yrminfridus Episcopus, Ingilnuinus, Gotselmus, Missi in Parisiaco, Melciano, Siluanectensi, Vircasino, Beluacensi, & Vindoilifo.

vi. PAVLVS Episcopus, Hilmeradus Episcopus, Herloinus, Hungarius, Missi in Rotmense, Tellau, Vitnau, Pontiu, Ambianense.

vii. EIRARDVS Episcopus, Theodericus Abba, Herloinus, Hardolnus, Missi in Aprincato, Constantino, Bagisino, Corilifo, Otlingua Saxonia, & Harduini, Oxmifo, & in Lisuino.

viii. DODO Episcopus, Hrotbertus, & Osbertus, Missi in Cinomannico, Andegauensi, atque Turonico, Corbonifo, & Sagifo.

ix. BVRCARDVS Episcopus, & Hrodulfus, & Heinricus Abba, Missi in Blesifo, Aurelianensi, Vindusnifo, Carentino, Durcasino, Dunifo, Ebricino, Stampifo, Castrifo, Pincesifo, Madrecifo.

x. VVENILO Episcopus, Odo, & Donatus, Missi in pago Senonico, Trecasino, VVastenifo, Milidunifo, Moruifo, Prouinifo, & in tribus Arcifisis, & in duobus Brionifis.

xi. TEVTBOLDVS Episcopus, Ionas Episcopus, Isembardus, & Abbo Abba, Daddo, Missi in Comitatibus Milonis, & in Comitatibus Isembardi, Augustuduno scilicet, Matisconensi, Diuionensi, Cabillono, Hatuariis, & in
B Tornedrifo, & in Belnifo, & in Dusmifo Comitatu Attelæ, & in Comitatu Romoldi.

xii. HVGO, Gozso, Niuilungus, Missi in Niuernifo, Alciodrifo, Aualifo.

APVD ATTINIACVM.

HÆC memorialia Capitula, quæ sequūtur, dedit Missis suis domnus Karolus anno DCCCLIV. *in mense Iunio, quando apud Attiniacum cum fratre suo Hlothario fuit locutus, vt illa vnusquisque Missus in suo missatico per Regnum illius exsequi procuret.*

CAP. I.

DE Missis pro latronibus, scilicet vt addantur, & suppleantur Missi, qui illa peragant, quæ in Capitulis continentur, quæ supra in Siluaco illum edidisse præscripsimus. 854.

ii. DE maritima custodia, vt secundum consuetudinē vigilanter disponeretur.

iii. DE viis per aquas, videlicet vt vbi nouiter clausæ erant aperirentur, sicut antiquitus fuerunt apertæ.

iv. DE pontibus restaurandis, videlicet vt secundum Capitularia aui & pa-
C tris suis vbi antiquitus fuerunt reficiantur ab his qui honores illos tenent, de quibus ante pontes facti vel restaurati fuerunt.

v. DE nauibus quæ vadunt sub pontibus, videlicet vt inde teloneum non exigatur.

vi. DE aduenis quos affligunt ministri Reipublicæ, scilicet vt qui ab illis, quos Nortmmanni vel Brittones adflixerunt, & ideo mendicando in istud Regnum venerunt, vel qui propter adflictionem Aquitanicam huc venerunt, censum vel operationes exegerunt, hoc cum sua lege illis emendet: & qui deinceps hoc facere præsumpserit, simul cum emendatione dominicum bannum cōponat.

vii. DE latronibus, qui nunc nihil mali faciunt, & quod iamdiu fecerunt, emendatum habent, & nullus modo super eos clamat, videlicet vt propter hoc modò non puniantur.

viii. DE hominibus qui in banno & in pœnitentia missi sunt, & peius semper faciunt, scilicet vt à Missis capiantur & constringantur.

ix. DE monetis, & falsariis fabris, videlicet vt diligenter inquirantur & emendentur.

x. DE rebus Ecclesiarum in alodem datis, videlicet vt à Missis inquirantur, & describantur, & Regi renuncientur.

xi. DE Monasteriis circumeundis, id est, vt sicut ordinatum fuit, ita Missi exsequi procurent.

CAROLVS CALVVS. XII. De hominibus qui iterum à nouo raptos faciunt, vt à Missis comprehendantur, & constringantur, & ad Regis præsentiam deducantur. A

XIII. De fidelitate Regi promittenda, id est, omnes per Regnum illius Franci fidelitatem illi promittant, & qui dicunt se illam promisisse, aut certis testibus hoc adprobent, aut iurent se illam antè iurasse, aut illam ipsam fidelitatem promittant.

Sacramentum autem fidelitatis tale est.

Ego ill. Karolo Hludovvici & Iudith filio ab ista die in antè fidelis ero secundum meum sauirum, sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi. si me Deus adiuuet, & istæ reliquiæ.

Anno *Incarnationis Domini* DCCCLIV. V. *Nonas Iulias in mallo Remis, isti iurauerunt quòd iuratam habuissent fidelitatem.*

ISTI IVRAVERVNT ANTIQVITVS.

Teudacrus. Amalricus. Rotboldus. Amalbertus. Dodò. VVingboldus. Berulfus. VVala. Herilo. Heibertus. Aitardus. Gotlandus. Hilpricus. Gerlegius. Amalgisus. Heico. Amalricus maior de Buxido. B

ISTI IVRAVERVNT FIDELITATEM.

Goderamnus. Dodilo. Sigebertus. Fidentius. Ermenulfus. Teutgriminus. VVicboldus. Ermengaudus. Rotmundus. Gislulfus. Haimiricus. Teutbaldus. Drogo. Teodericus. Ebroinus. Rodoinus. Gislinus. VVlfridus. Haimuinus. VVandrebertus. Berecarius. Angelinus. Ado. Meinardus. Otradus Decanus. Guntbertus Decanus. Hervvincus Decanus. Ozias. Ailus. Teudaldus. Teodoldus Decanus. Bertricus. Rothaus. Ingobertus. Amblinus Decanus. Gozselmus Decanus. VVlfarius. Flodoinus. Anglebertus. Einmenulfus. Sicbertus Decanus. Hecto. Isaac. Gislardus. Alaricus. Gerardus. Madergaudus Decanus.

APVD LEVDICAM.

Hæ *sunt Adnuntiationes, quas Hlotharius & Karolus apud Leudicam adnuntiauerunt anno* DCCCLIV.

HLOTHARIVS SERENISS. IMPERATOR.

854. Scire volumus vestram omnium fidelitatem, quia frequenter præsenti anno dilectissimum fratrem nostrum Hludovvicum inuitauimus, vt commune colloquium cum fidelibus nostris haberemus, atque cum illis de Domini voluntate, quantum ipse inspirare vellet, ac de sanctæ Dei Ecclesiæ vtilitate, nostróque ac nostrorum communi profectu, honore, & necessitate tractaremus, & ordinaremus. Sed quia prædictus frater noster hactenus, sicut optaueramus, quibusdam impedientibus causis, venire distulit: nos illud omittere noluimus, quin vtiliter nos coniungeremus. C

II.

Nunc volumus vos certos reddere de nostra coniunctione, quia Christo propitio secundum Deum ad salutem sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrámque ac vestram communem vtilitatem & necessitatem, indissolubiliter corde & opere coniungere nos volumus, vt vnum simus in Christo, & vos vnum sitis nobiscum.

III.

Sapiatis quia legem, qualem antecessores nostri, hoc est pater & auus noster, vestris antecessoribus concesserunt & seruauerunt, nos similiter vobis perdonamus, & inuiolabiliter atque incorruptè & præsentibus, & futuris temporibus per omnia volumus obseruare.

KAROLVS GLORIOSISSIMVS REX.

Hanc siquidem coniunctionem facere idcirco vsque nunc distulimus, quia

A voluimus vt ſupradictus frater noſter nobiſcum conueniens in eadem coniunctione ſe nobis aſſociaret. Sed quia ille aliquibus impedimentis præpeditus venire omiſit, nos audita perturbatione, quam filius eius facere conatur, conſociare nos voluimus. Sciatis ergo, quoniam & in proſperis, & in aduerſis ſimul erimus: nec poterit nos, Deo adiuuante, vllum offendiculum ab ea caritate ſeparare, qua fraternis vinculis adſtricti ſumus. Sed vbicumque alterno ſolatio & adiutorio indiguerimus, quantum Dominus permiſerit, in inuicem ſupportari & ſuſtentari cupimus, atque contra omnem terrenum inimicum auxilium in alterutrum ferre volumus. CAROLVS CALVVS.

II.

SI autem iſdem frater noſter, ſicut optamus & ei mandamus, hoc agere diſtulerit, nos ita coniuncti ſumus, vt vnus alteri tale præbeat ſolatium & adiutorium, quatenus vbicumque neceſſe fuerit, amodo & deinceps, ſicut præmiſimus, vnuſquiſque Regnum ſibi diuinitus commiſſum quietè obtinere poſſit. & ſi aliquis pari ſuo ſuperſtes extiterit, ipſe qui remanſerit, nepotes ſuos vna cum Regno patris ſub tuitione & defenſione habeat: vt contra aduerſariorum machinationes auxiliante Deo ita muniti exiſtant, qualiter quieto ordine Regnum patris obtinere valeant.

III.

CERTISSIME igitur deuotionem veſtram ſcire cupimus, quia veraciter hos
B recognoſcimus in multis Deum offendiſſe, animóſque veſtros negligenter moleſtaſſe. Quæ videlicet cuncta ita fauente Chriſto pro viribus emendare voti habemus, vt & Deum placare, & veſtræ deuotioni ſatisfacere poſſimus. De quibus omnibus certiores vos reddere curabimus, cùm pluriores noſtri fideles conuenerint, aut cùm præfatus frater noſter, vt ei mandauimus, venerit, ſi tamen venire voluerit, quomodocumque vobis amabilius erit: ita vt veraciter cognoſcatis, promiſſionem noſtram omnimodis attendere, & pleniſſimè nos obſeruare velle.

IV.

ILLVD præterea in commune veſtra & omnium competiat ſollertia, quia ideo vobis in hoc ſacro loco hæc ſollicitè denuntiare voluimus, vt noueritis cuncta quæ dicimus, Domino fauente, Sanctiſque eius ſuffragantibus, in quorum præſentia denuntiantur, inuiolabiliter obſeruaturos nos eſſe.

Hoc eſt ſacramentum, quod ſibi mutuò iurauerunt.

AB hodierna die, & deinceps, ſi Hludouvicus frater noſter illud ſacramentum, quod contra nos iuratum habet, infregerit vel infringit, aut filij eius, ad talem partem Regni, quam tu contra eum acceptam habes, in quantum Dominus poſſe dederit, & contra ipſum, & contra filios eius, ac omnes qui eam tibi auferre voluerint abſque iuſta & rationabili occaſione, ſi tu expetietis, adiutorium tibi defenſionis præſtabo. Si autem ego te ſuperuixero, filiis tuis talem partem Regni,
C quam tu contra me & meum fratrem acceptam habes, non auferam, ſed conſentiam: & ſi ipſi, vel fideles illorum, experierint defenſionis adiutorium contra ipſum fratrem noſtrum & filios eius, ac omnes, vt eam tenere poſſint, adiutorium in quantum potero præſtabo, ſi tu aut filij tui idipſum adiutorium mihi præſtaueritis, & à nobis vos non diſſociaueritis.

CORONATIO IVDITH CAROLI FILIÆ, CVM REGI Anglorum deſponſata eſt.

Benedictio ſuper Reginam, quam Edelulfus Rex accepit in vxorem.

NVBAS in Chriſto obnupta nube cæleſti, & refrigerata gratia ſpiritali, ac protecta ab omni inlicita concupiſcentia pangas fœdus cum oculis tuis, vt non videas alienum virum ad concupiſcendum eum, & non mœcheris in corpore vel corde tuo, & auertas oculos tuos, ne videant vanitatem: quatenus in via Domini viuificeris, vt poſſis dicere cum Propheta, *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.* &, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi.* Per conditorem, & redemptorem, ac Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Pſalm. 122. & 120.

Carolus Calvus. BENEDIC, Domine, has dotes, & accipientes tua benedictione dotare digneris: vt coniugij fidem & thorum immaculatum seruantes, sanctorum Patriarcharum adsci?ci mereantur consortio. Per Dominum. A

ACCIPE anulum, fidei & dilectionis signum, atque coniugalis coniunctionis vinculum, vt non separet homo quos coniungit Deus. Qui viuit & regnat in omnia secula seculorum.

DESPONDEO te vni viro virginem castam, atque pudicam futuram coniugem, vt sanctæ mulieres fuêre viris suis, Sarra, Rebecca, Rachel, Hester, Iudith, Anna, Noemi, fauente auctore & sanctificatore nuptiarum, IESV Christo Domino nostro, qui viuit & regnat in secula seculorum.

DEVS, qui in mundi crescentis exordio multiplicandæ proli benedixisti, propitiare supplicationibus nostris, & huic famulo tuo, & huic famulæ tuæ, opem tuæ benedictionis infunde: vt in coniugali consortio secundum beneplacitum tuum, affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Dita eos fructibus sanctis, & operibus benedictis. Fac illos talem sobolem generare, quæ ad tui paradisi pertineat hereditatem. Aperi, Domine, ianuas cæli, & visita eos in pace. Inriga terram eorum, vt germinet fructum spiritalem. sanctifica eos, qui datus es nobis ex virgine: & præsta eis tempora salutis, quæ ante tuum aduentum prædixit sanctus Propheta Ioannes, vt hic fideliter credant, & beatè viuentes vitam & regnum consequantur æternum, gratia tua, Christe Saluator noster, qui cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti, viuis & regnas Deus, per omnia. B

BENEDICTIO REGINÆ.

TE inuocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt hanc famulam tuam, quam tuæ diuinæ dispensationis prouidentia in præsentem diem iuuenali flore lætantem crescere concessisti, tuæ pietatis dono ditatam, plenam veritatis de die in diem coram te & hominibus ad meliora semper proficere facias: vt in regimine suo gratiæ supernæ largitatem congaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro aduersitatę vndique munita, cum pace propitiationis viuere mereatur. Per Dominum.

SVRSVM CORDA.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, electorum fortitudo, & humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluuij crimina mundi purgari voluisti, & per columbam ramum oliuæ portantem pacem terris redditam demonstrasti. iterum Aaron famulum tuum per vnctionem olei sacerdotem vnxisti: & postea per huius vnguenti infusionem, ad regendum populum Israëliticum, Sacerdotes, Reges, & Prophetas perfecisti, vultúmque Ecclesiæ in oleo exhilatandum Prophetica famuli tui voce Dauid esse prædixisti. qui hoc etiam vnguento famulæ tuæ Iudith ad liberationem seruorum tuorum, & confusionem inimicorum, vultum exhilarasti, & ancillæ tuæ Hester faciem hac spiritali misericordiæ tuæ vnctione adeo lucifluam reddidisti, vt efferatum cor Regis ad misericordiam, & saluationem in te credentium, ipsius precibus inclinares. Te quæsumus, omnipotens Deus, vt per huius creaturæ pinguedinem, columbæ pace, simplicitate, ac pudicitia decoram efficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus est iudicare. C

CORONATIO.

GLORIA & honore coronet te Dominus, & ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso: vt quicquid in fulgore auri, & in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus, hoc in actibus semper refulgeat. Quod ipse præstare dignetur, cui est honor & gloria in secula seculorum.

BENEDICTIONES.

BENEDIC, Domine, hanc famulam tuam, qui Regna Regum à seculo moderaris. Amen.

OPERA manuum illius suscipe, & benedictione tua terra eius de pomis fructuum cæli, & rore atque abysso subiacente repleatur. Amen.

A De verticeantiquorum montium & collium æternorum, de frugibus terræ, & plenitudine eius tua benedictione lætetur. Amen. CAROLVS CALVVS.

BENEDICTIO illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput eius. Da ei de rore cæli,& de pinguedine terræ,abundantiam frumenti,& vini: vt seruiant illi ac semini eius populi, & in honore tuo tribus illam & semen eius adorent. Amen.

REPLE eam benedictionibus vberum & vuluæ. benedictiones patrum antiquorum confortatæ sint super eam, & super semen eius, sicut promisisti seruo tuo Abrahæ, & semini eius in secula. Amen.

CONCEDE quæsumus,omnipotens & misericors Deus, vt hæc dona tua,quæ fideles tui acceperunt de manu tua, dantibus, accipientibus, & dispensantibus ad præsentis vitæ subsidium, ac redemptionem animarum, atque ad vitam capessendam proficiant sempiternam. Per Dominum.

AD FRANCOS ET AQVITANOS MISSA DE CARISIACO.

Hæc quæ sequuntur Capitula misit domnus Rex Karolus ad Francos & Aquitanos, qui ab eo discesserant, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLVI. *Nonis Iulij, de Palatio Carisiaco, per fideles Missos suos: Adalardum Abbatem, Rodulfum, Richuinum, Adalgarium, & Berengarium.*

B

CAP. I.

MANDAT vobis noster Senior, quia suus auunculus Rhuodulfus illi de vestra fidelitate nuntiauit, & quod vos illum precastis, vt ad vos suos denominatos fideles in sua mercede transmitteret, & vos illi per illos vestram necessitatem & voluntatem mandare volebatis: & si aliquid factum habebatis, quod necessitas fuisset emendare, voluntariè per illorum consilium emendabatis, & quod, vobis consilium donauerint ad nostri Senioris fidelitatem, & vestram saluationem, voluntariè faceretis. 856.

II.

ET mandat vobis noster Senior, quia placet ei quod illi suus auunculus de vestra fidelitate & bona voluntate nuntiauit: & secundum vestram deprecationem transmittit nos sicut precastis ad vos. & mandat vobis, quia si aliquis de vobis se reclamat quod iniustè alicui de vobis fecit, & ad rectam rationem & iustum iudicium venire non potuit, aut per insidias aliquas, aut ipse Senior noster, aut aliquis ad illum, aliquem de vobis comprehendere voluit, & propter hoc ad tempus aliquis de vobis ab illius præsentia & ab illius seruitio se subtraxit: quia omnis quicumque de vobis ad rectam rationem, ad illum & ante suos fideles venire C voluerit, hoc ei concedit. & si iustè & rationabiliter inuentum fuerit, quod te-ctam rationem contra eum aliquis de vobis habuerit, cum consilio fidelium suorum hoc voluntariè emendabit. & si inuentum fuerit, quòd illam causam, vnde aliquis de vobis conquirere voluerit, per rationem fecerit, volet vt sicut per rationem fecit, ita facta per rationem permaneat.

III.

MANDAT vobis, vt si aliquis de vobis rectam rationem ad illum & ante suos fideles precauerit, & inde in rectam rationem venerit, & iustè & rationabiliter inuentum fuerit quòd rectam rationem aliquis de vobis non habeat, & ipsa recta ratio illum cõuicerit, quia si se conercdiderit & humiliauerit,& emendare voluerit,&in ipsa emẽdatione permanere voluerit,quia sicut cum suis fidelibus rationabiliter inuenerit vt rationabilẽ misericordiã faciat, voluntariè paratus est facere.

IV.

MANDAT vobis, quia si aliquis est de vobis, qui non se confidit in sua conscientia, vt rectam rationem precare aut non valeat, aut non audeat, & se recognoscit & pœnitet, & misericordiam illius & indulgentiam petierit: quia illum, tantum vt in antè sicut debet se caueat, voluntariè vnicuique, qui sic se recognoscit, misericordiam & indulgentiam donat.

V.

MANDAT vobis, vt ne aliquis de illo in antè dubitet,quia ipsam rectam ratio-

CAROLVS CALVVS. nem qui illam quærit, semper illi vult conseruare, & illam misericordiam quam A
modo illi concedit, similiter illam semper vult conseruare, si ille aliam iterum talem causam non commiserit, pro qua per rectam rationem iustum iudicium debeat sustinere.

VI.

MANDAT vobis, quia si aliquis de vobis talis est, qui dicat, quia pro paupertate & necessitate, quia multos dies in illius seruitio misit, & omnia quæ habuit dispendit, ad talem coniunctionem, vt aliquid impetraret quod per seruitium impetrare non potuit, se coniunxit: quia si hoc nostro Seniori ante suos fideles demonstrare potuerit, & hoc si verum inuentum fuerit, quòd Senioris nostri culpa fuerit quòd per necessitatem aliquis de vobis rationabiliter de seruitio illius se tali modo subtraxerit, quia Senior noster hoc voluntariè recognoscit, & cum consilio de suis fidelibus hoc quàm citius & rationabilius potuerit, emendabit.

VII.

MANDAT vobis, quia si aliquis de vobis dixerit, quòd hoc quod fecit non pro sua infidelitate, neque pro sua desinhonorantia fecit, & timet aliquis de vobis, quod noster Senior alicui de vobis reputare in antè debeat hoc factum, aut pro sua infidelitate, aut pro sua desinhonorantia, & propter hoc iam vltra ad illum non debeat consilium acaptare: quia qualiscumque de vobis tali modo in isto facto commisculatus est, si in antè illic fidelis & obediens, & adiutor ad suum Regnum, & debitum honorem continendum fuerit, sicut per rectum homo suo Regi & suo Seniori esse debet: quia nulli de ista causa volet reputare, sed totum B
ex corde dimittere, quod in illius persona in ista causa commisit, & suum seruitium, quod illi & antè fecit, & adhuc Deo iuuante faciet, debitè & rationabiliter vult illi merere. Si autem aliquis illi aut alicui iniustè abstulit, lex hoc, sicut consuetudo & rectum est, pacificabit.

VIII.

ET sciatis, quia Senior noster, sicut subinde voluit, Deo gratias, nunc ad bonum effectum perduxit, & rogauit fideles suos, vt sine vlla mala suspicione de illius iracundia aut animi commotione communiter quærant, & inueniant, atque describant hoc quod ille secundum suum ministerium facere debet, & quæ facere illum non condeceant. & vbicumque inuentum fuerit, quod fecit, quod facere non debuit, paratus est vt cum Dei adiutorio & fidelium suorum consilio hoc quàm citius cum ratione & possibilitate emendare potuerit emendet, & in ante corrigat, & correcta custodiat: & quod facere debuit, quod ad salutẽ & honestatẽ illius pertinuit, & aliquid minus fecit, hoc cum Dei adiutorio, & fidelium suorum consilio & auxilio facere, quàm citius cum ratione & possibilitate potuerit, faciat.

IX.

ET similiter vult, vt nos quæramus, & inueniamus, & describamus quid & qualiter nobis fidelibus suis in vnoquoque ordine contra illum conueniat facere, & quid non conueniat facere: vt illa quæ conueniunt faciamus, & illa quæ non conueniunt, caueamus. & vbicumque in retro aliqua à nobis suis fidelibus in C
quocumque ordine facta sunt quæ non condeceant, cum Dei & illius auxilio, & nostro communi consilio, quàm citius cum ratione & possibilitate emendare potuerimus, emendemus, & in antè corrigamus, & correcta custodiamus.

X.

ET sciatis, quia sic est adunatus cum omnibus suis fidelibus in omni ordine & statu, & nos omnes sui fideles, vt si ille iuxta humanam fragilitatem aliquid contra tale pactum fecerit, illum honestè & cum reuerentia, sicut Seniorem decet, admonemus, vt ille hoc corrigat & emendet, & vnicuique in suo ordine debitam legem conseruet. Et si aliquis de nobis in quocumque ordine contra istum pactum in contra illum fecerit, si talis est, vt ille inde eum ammonere voleat vt emendet, faciat: & si talis est causa, vt inde illum familiariter non debeat ammonere, & ante suos pares illum in rectam rationem mittat, & ille qui debitum pactum, & rectam legem, & debitam Seniori reuerentiam non vult exhibere & obseruare, iustum iustitiæ iudicium sustineat: & si sustinere noluerit, & contumax & rebellis extiterit, & conuerti non potuerit, à nostra omnium societate & Regno ab omnibus expellatur. Et si Senior noster legem vnicuique debi-

A tam, & à se, & à suis antecessoribus perdonatam, per rectam rationem, vel misericordiam comperentem vnicuique in suo ordine conseruare non voluerit, & ammonitus à suis fidelibus suam inrentionem non voluerir: sciatis, quia sic est ille nobiscum, & nos cum illo adunati, & sic sumus omnes per illius voluntatem & consensum confirmati Episcopi atque Abbates cum laicis, & laici cum viris Ecclesiasticis, vt nullus suum parem dimittar, vt contra suam legem, & rectam rationem, & iustum iudicium, eriamsi voluerit, quod absit, Rex noster alicui facere non possit. CAROLVS CALVVS.

XI.

Et sciatis, quia ad hoc quærendum & inueniendum & statuendum atque confirmandum, cum nostro & ceterorum fidelium suorum consensu, haber noster Senior constirutum locum Vermeriam Palatium, & rempus ac diem XIV. Kalend. Augusti. & habet ex nomine desctipros fideles suos, per quorum tractatum ista causa Deo adiuuante ad perfectionem perueniat. & haber VII. Kalendas Augusti ad ipsum Palatium Vermeriam generaliter omnes fideles suos conuocatos, vt omnibus suam voluntatem & perdonationem, & nostram, qui fideles illius sumus, deuorionem accognitet. vt ista conuenientia, quam teste Deo confirmabimus, in antè diebus vitæ suæ, & diebus vitæ nostræ conseruetur, & ipse suis successoribus contra successores nostros, & nos nostris successoribus suis successoribus conseruandam in Dei nomine relinquamus.

XII.

B Et sciatis, quia vult Senior noster, & nos ac ceteri fideles illius, vt si vos, qui illius fideles & consiliarij esse debetis, volueritis, sicut vobis diximus, ad illius præsentiam & fidelitatem atque seruitium venire, & nobiscum in ista societate esse: quia & ipse, & nos quæ voluntariè volemus, vt cum nobis hoc & quæratis, & inueniatis, & statuaris, & confirmetis, & nos cum vobis similiter. & vobis aliis omnibus, sicut & nobis, debitam legem & rectam rationem dehinc in antè, sicut rectum est, vult conseruare, sicut sui antecessores, qui hoc melius & rationabilius fecerunt, nostris & vestris anrecessoribus in omni ordine conseruauerunt.

XIII.

Et mandat vobis noster Senior, quia si aliquis de vobis talis est, cui suus Senioratus non placet, & illi simulat vt ad alium Seniorem melius quàm ad illum acaptare possit, veniat ad illum, & ipse tranquillo & pacifico animo donat illi commeatum. tantum vt ipsi & in suo Regno, vel suis fidelibus aliquod damnum, aut aliquam marritionem non faciat. & quod Deus illi cupierit, & ad alium Seniorem acaptare poruerit, pacificè habeat.

XIV.

Et si aliquis fuerit de vobis, qui voleat dicere, quia non credit Senioris nostri fidem, & suspectus sit de sua perditione, & propter hoc non audeat ambulare ad illum: nos vobis damus Dei & nostri Senioris Karoli fidem, & de suis Episcopis & fidelibus Clericis fidem. quia quantum Deus vos saluauerit, & vos vos
C ipsos saluaueritis, sani ambuletis, & sani cum illo sitis, & sanus sit vobiscum ille sicut deber, non cùm venerit retornetis. tantum vt pacificè, & sine seditione ambuletis, & suos fideles non sollicitetis.

XV.

Et si adhuc dubitatis, & aliam firmitatem quæritis, tantum vt contra rationem non quæratis. Si ad illum, sicut diximus, ambulare vultis, etiam & ad hoc parati sumus vt faciamus. quia certi sumus, quia omnia cum securitate facere possumus.

Ad eosdem Missa de Basiu.

Ista Capitula misit Rex de Basiu per Hadabrannum & Bettonem.

APVD S. QVINTINVM.

Adnuntiatio Karoli, & nepotis sui Hlotharij, apud Sanctum Quintinum, Kal. Mart. anno DCCCLVII. *Incarnationis Dominicæ.*

ADNVNTIATIO KAROLI.

I. VOLVMVS vos scire, quod fuit insimul noster Conuentus. Postquam Deus nostrum Seniorem vocauit de hoc seculo, semper inueni tale con- 857.

CAROLVS CALVVS. filium in meo dilecto fratre Hludouuico, ficut mihi neceffe fuit, & ego in illo quæfiui, & illum oftendere decuit. & illius adhortatione, & interuentione deuenit, Deo gratias, talis vnanimitas inter me, & bonæ memoriæ fratrem meum Hlotharium, ficut inter fratres effe debebat. Et propter tales caufas, quæ ficut inter nos coniacuerant, inuenimus cum omnibus fidelibus noftris, quia neceffe erat vt inter nos firmitas facta fuiffet fecundum Dei voluntatem, de noftro communi profectu & adiutorio, & de filiorum ac Regni, & fidelium noftrorum faluamento, ficut tunc adcognitauimus noftris communibus fidelibus qui adfuerunt. Et ille in fua vita contra nos conferuauit, & Deo gratias, nos contra illum conferuauimus, & contra illius filios nepotes noftros, adiuuante Deo, quantum fcimus, & poffumus, & illi ad nos quæfierint, conferuare volumus. A

II. POST obitum verò illius, ex parte pro mea ficut audiftis infirmitate, ex parte pro paganorum fuperuentione, & pro aliis occupationibus, quæ in Regno noftro acciderunt, vfque modo non fuit opportunus locus, vt ego & ifte meus cariffimus nepos infimul parabolare potuiffemus, & inuicem nobis præfentes noftras voluntates demonftraremus, quas in corde vnufquifque contra alterum retinebamus.

III. EVENIT autem locus congruus, quia ifte meus cariffimus nepos cum dilectiffimo fratre meo Hludouuico parabolauit, & tale receptum & confilium inuenit, ficut & ifti neceffe fuit, & illum demonftrare decuit. quod mihi fatis complacuit. Et nunc quando mecum parabolauit, dixit mihi, quòd in illa firmitate, quam ego cum patre fuo bonæ memoriæ fratre meo feci, & illum fufcepi, in ipfa fufceptione vellet perfeuerare, & illam firmitatem quam fuus pater meus frater contra me fecerat, vellet, adiuuante Domino, per omnia obferuare. B

IV. ET inuenimus cum communibus fidelibus noftris, vt pro talibus neceffitatibus, ficut fcitis & videtis in ifto Regno euenire, nos inuicem confirmaremus, ficut & fecimus, vt ad honorem fanctæ Dei Ecclefiæ, & communem profectum, & fidelium noftrorum faluamentum, & Regnum noftrum contra quofcumque nobis neceffe fuerit continendum, inuicem nos faluemus & adiuuemus, ficut auunculus nepotem, & nepos auunculum per rectum faluare & adiuuare debet.

V. ET noftri fideles, qui præfentes fuerunt, & hoc confilium nobis dederunt, dixerunt nobis quòd parati funt nos, auxiliante Domino, in omnibus adiuuare, vt iftam firmitatem poffimus adinuicem obferuare. Et propterea volumus à vobis veftrum confenfum & voluntatem audire, fi & hoc vobis benè videtur, & nobis inde auxilium vultis præftare, vt hoc poffimus cum Dei adiutorio & veftro obferuare.

ADNVNTIATIO LOTHARII.

SICVT meus auunculus vobis dicit, quantum Deus mihi fcire & poffe donauerit, & in illa firmitate cum Seniore meo facta, in qua me fufcepit, & quam Senior meus contra illum fecit, volo perfeuerare, & illam quam contra eum feci cum Dei adiutorio, volo firmiter obferuare. C

ITEM ADNVNTIATIO KAROLI REGIS.

VOLVMVS vos fcire, quia propter iftas rapinas & deprædationes, quæ in Regno noftro increuerunt, ex parte quia pagani nobis fuperuenerunt, ex parte pro talibus occafionibus, quæ in Regno noftro acciderunt, Synodum Epifcoporum, & aliquantos de noftris fidelibus pro opportunitate temporis conuocauimus, & confiderauimus cum ipfis, vt per omne Regnum noftrum Epifcopi, & Miffi noftri ac Comites in fingulis Parrochiis ac Comitatibus placita teneant, & illa placita omnis homo qui placitum cuftodire debet, & in illis Comitatibus commanet, fine exceptione & excufatione cuftodiat. & Epifcopi omnibus demonftrent, quàm graue hoc peccatum fit, & qualem pœnitentiam quærit, & qualem damnationem, nifi pœnitentia fuccurrerit, adquirat. Et Miffi noftri capitula legis, & anteceſſorum noftrorum, de hoc omnibus oftendant, & tantam miferiam interdicant. & fciant omnes quia quifcumque abinde talia facere præfumpferit, & canonicam & regalem vindictam fufcipiet, ficut tunc omnibus, & Epifcopi, & Miffi noftri plenius adnuntiabunt.

ITEM ADNVNTIATIO LOTHARII.

I. SCIATIS etiam quia considerauimus, vt quiscumque malefactor de vno Regno nostro in alterum venerit, Episcopus, vel Missus, siue Comes, de quorum ministerio effugerit, vt iustitiam non reddat, aut dignam vindictam non sustineat, illis Missis, in quorum missatico in alio Regno fugerit, notum faciant: & ipsi illum taliter constringant, vt aut ad compositionem, aut ad vindictam illuc reueniat, vbi malum perpetrauit.

II. ET sciatis quia sicut Deus per suam misericordiam, & per meos auunculos bonitatem, & per mei Senioris, ac meos fideles adiutorium, meo Seniori in Regno successi; ita & in omni bonitate, & in obseruatione de illis Capitulis, quos meus Senior cum suis fratribus meis auunculis ad Marsnam de Dei voluntate & sanctæ Ecclesiæ honore, & Regni stabilitate, & sanctæ Ecclesiæ ac Regni fidelium saluamento considerauit & confirmauit, cum Dei adiutorio, & meis auunculis, consilio & auxilio, & vestro adiutorio permanere volo.

TERTIA ADNVNTIATIO KAROLI.

DEVS omnipotens nobis donet, vt vestram fidelitatem & vestrum adiutorium, quæ semper contra nos cum omni barnatu demonstrastis, vobis sic merere B possimus, sicut antecessores nostri vestris antecessoribus in bene meruerunt, & nos vobis cum omni bonitate volumus commerere.

SACRAMENTA APVD CARISIACVM.

ACTA *sunt hæc sequentia apud Carisiacum Palatium anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLVIII. *Regni autem domni Karoli* XVIII. *Indictione* VI. XII. *Kal. Aprilis in Dei nomine feliciter.*

SACRAMENTVM FIDELIVM.

QVANTVM sciero & potuero, Domino adiuuante, absque vlla dolositate 858. aut seductione, & consilio & auxilio, secundum meum ministerium, & secundum meam personam, fidelis vobis adiutor ero, vt illam potestatem, quam in regio nomine, & Regno vobis Deus concessit, ad ipsius voluntatem, & ad vestram ac fidelium vestrorum saluationem, cum debito & honore & vigore tenere & gubernare possitis. & pro vllo homine non me inde retraham, quantum C Deus mihi intellectum & possibilitatem donauerit.

SACRAMENTVM REGIS.

ET ego quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adiuuante, vnumquemque vestrûm secundum suum ordinem & personam honorabo & saluabo, & honoratum ac saluatum absque vllo dolo, ac damnatione, vel deceptione conseruabo, & vnicuique competentem legem & iustitiam conseruabo. Et qui illam necesse habuerit, & rationabiliter pecierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare & saluare, & vnicuique competentem legem & iustitiam in vnoquoque ordine conseruare, & indigentibus, & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut maliuolentiam, vel alicuius indebitum hortamentum deuiabo. quantum mihi Deus intellectum, & possibilitatem donauerit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cùm hoc recognouero, voluntariè illud emendare curabo.

HINCMARVS Archiepiscopus, Immo Episcopus, Yrminfridus Episcopus, Hincmarus Episcopus, Hilduinus Abba.

HVNGARIVS, Engilramnus, Isembardus, Odo, Osbertus, Ratbodus, Hunfridus, Odalricus, Rhodulfus, Engischalcus, Herluinus, Hitto.

Epistola Episcoporum ad Ludouicum Regem. A

HÆC quæ sequuntur Capitula, miserunt Episcopi Prouinciarum Remensis, & Rotomagensis à Carisiaco Palatio, quò conuenerant, per VVenilonem Rotomagensem Archiepiscopum, & Erchanraum Catalaunensem Episcopum, Hludouuico Regi in Attiniaco Palatio consistenti, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLVIII. *in mense Nouembrio.*

SYNODI METENSIS, DE INDVLGENTIA LVDOVICI REGIS.

HÆC *Capitula tractata & confirmata sunt ab Episcopis in Synodo habita apud Mettis ciuitatem, de indulgentia Hludouuici Regis pro seditione & excessibus in Regno fratris sui Karoli perpetratis.*

859. DILECTIS in Christo fratribus & consacerdotibus nostris, Legatis videlicet diuinæ pacis ac nostræ vnanimitatis, Hincmaro, Gunthario, VVeniloni Archiepiscopis, & venerabilibus Coëpiscopis nostris, Herluino, Hildegario, Aduentio, Abboni, Hincmaro, Erchanrao, Episcopi quorum nomina subter habentur adscripta. qui fauente Domino, & annuentibus gloriosis Principibus nostris Karolo & Hlothario, in Mediomatricum ciuitatem anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. Indictione VII. V. Kal. Iunias Synodali decreto conuenimus. B

CAP. I.

NOTA, &, pro dolor! nimis est nota discordia atque calamitatis pernicies, quæ factione quorumdam seditiosorum hominum nuper inter fratres Reges nostros Hludouuicum & Karolum accidit. Vnde tanta ac talia in Ecclesia nobis ad regendum diuina dignatione commissa, & in hoc Regno perperè sunt admissa, vt ipso etiam auditu horribilia cognoscantur. & si hæc discordiæ pestilentia diutiùs, operante humani generis antiquo hoste, durauerit, quàm exitiabilis & mortifera existat meliùs ipsi scitis. Qua de re memores quid veritas missis Prædicatoribus iusserit, vt diuinus Paulus dicit, legatione pro Christo fungentes vos, fratres carissimi, legatos Deo amatæ pacis, quoniam exinde iam gloriosos Principes nostros Karolum & Hlotharium Episcopali auctoritate monuimus, ad domnum Hludouuicum Regem gloriosum mediante Domino ordinamus, sicut Saluator

Luc. 10. 5. dicit, *Inquamcumque*, inquiens, *domum intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.* quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequetur quod audiet: aut si nullus audire voluerit, ipse Prædicator sine fructu non fuerit, quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recompensabitur. C

II.

POST prædicatam verò & postulatam pacem, Legatio vestræ fraternitatis huiusmodi erit conditionis, vt isdem Rex nobis, & vtinam Deo, semper amabilis admissorum indulgentiam consequatur.

III.

VIDELICET si de omnibus, quæ per eum malitiosorum hominum persuasione atque seductione in parrochiis nostris, fratrúmque nostrorum perpetrata sunt,

Psal. 33. 19. veraciter recognouerit, sicut scriptum est, *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt*

Psal. 50. 18. *corde*, &, *Sacrificium Deo est spiritus contribulatus*, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Et sicut hi qui fictè Deum quærunt, inuenire nunquam merentur, ita prope est Dominus omnibus inuocantibus se in veritate.

IV.

ETSI post veram recognitionem puritet confessus fuerit. quia iterum dicit

Prou. 28. 13. Scriptura; *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reli-*

1. Ioan. 1. 9. *querit ea, misericordiam consequetur.* &, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

V.

A Post puram autem confessionem, si promiserit quæ malè gesta sunt per dignos pœnitentiæ fructus, præueniente, adiuuante, & subsequente diuinâ gratiâ, se pro viribus emendaturum. quia scriptum est, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. & tantò maiora quærat bonorum operum quisque lucra per pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam. Quoniam & illi beati, quorum tecta bonis operibus sunt peccata. & vt scriptum est, quia peccatur, & populum peccare fecit, tanta sint bona, quæ tanta operiant mala. CAROLVS CALVVS. Luc.3.8.

VI.

Deinde si spoponderit ad pacem & concordiam præsentaliter in corde & ore: & quantocius rationabiliter, & possibiliter, atque conuenienter ex communi sensu fieri poterit, etiam præsentia corporis ad pacem & concordiam cum fratre suo Karolo se rediturum, & in pace ac caritate Deo placita cum præfatis Principibus nostris Karolo atque Hlothario, si ipsi eandem pacem & concordiam erga eum seruauerint, permansurum, & in se peccantibus debita dimiserit; sicut sua à Deo debita sibi cupit dimitti. Quia itidem Scriptura dicit, *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum*. Et cùm mala cuncta bonis sequentibus diluantur, tantum est discordiæ malum, quæ nisi extincta funditus fuerit, bonum nullatenus sequi Euangelio teste permittat. & caritas est, quæ operit multitudinem peccatorum, sine qua etiam si quis corpus suum tradat ad B ignem, nihil ei nisi damnationis iudicium proderit. Et Dominus dicit, *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra*. Hebr.12.14. Matt.6.15.

VII.

Post hæc si promiserit, quòd iam vlteriùs tale vel simile schisma in hac sancta Dei Ecclesia, atque in ista Christianitate non reiteret. Vnde scriptum est, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato. sed post baptisma mortuum tangir, qui culpas post lacrymas repetit. Et iterum scriptum est, *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti*. quia qui peccatum post pœnitentiam repetit, quasi in lutosa aqua semetipsum voluit. quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ipsas etiam lacrymas ante Dei oculos sordidas facit. Eccli.34.30. 2.Pet.2.22

VIII.

Tunc demum promittat se ab illorum perditorum hominum tuitione atque fauore, per quos tam grauiter Deum offendit, disiungere. & qui quasi ad eius fidem, sed potiùs infideliter ad eum venerint, ad rectam rationem in proximo Placito ante fratrem suum Karolum, & nepotem suum Hlothariùm, sicut Deo teste iam apud Marsnam propria manu firmauerat, venire si potuerit, faciat. Et quemcumque illorum recta ratio dignificauerit, digno honore suo fruatur. & qui per C rectam rationem erga seniorem suum iustificari non potuerit, & rationabilem misericordiam pro eo expetierit, eandem rationabilem misericordiam illi obtinear. De illo verò, quem recta ratio & iustum iudicium condemnauerit, vt Rex Christianus eum Regè Regum Christo concordet, & alienæ perditioni se non commisceat. quia, vt Paulus dicit, *Non solùm qui faciunt, sed etiam qui mala facientibus consentiunt, digni sunt morte*. Vnde sanctus Innocentius dicit, quia non multum interest inter committentis animum, & consentientis fauorem. Addo ampliùs, plerumque dedidicit errare, cui nemo consentit. Et iterum S. Paulus cum talibus hominibus nec cibum sumere permittit. Et S. Dauid dum totum se ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quòd cum malis concordiam non teneret, dicens: *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*. Inimicos etiam Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare: mores prauorum premere, vitæ prodesse. Hinc Finees peccantium ciuium gratiâ coëuntes cum Madianitis perculit, & iram Dei iratus placauit. Et Iosaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab Regis amicitiis penè periturus increpatur. cui à Domino per Prophetam dicitur, *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te*. Hinc sacri Canones sancto promulgati Spiritu dicunt, vt hi, qui post excommunicationem ad interdictum cum excommunicatis Rom.1.32. Psal.138.21. 2.Par.19.2.

CAROLVS CALVVS. communicauerint, condemnati anathema habeantur. Et sanctus Cyprianus Regis ministerium esse dicit impios de terra perdere, homicidas, periuros, adulteros, veneficos, sacrilegos non sinere viuere. Et in libro Regum scriptum est, dicente Domino per Prophetam, *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et quàm noxia sit indebita erga iniquos misericordia, monstratur in opere Saul ac Samuelis. quoniam cùm Saul pepercit offendens Dominum, Samuel Propheta in frusta concidit. Nam sicut quisque in se peccantibus debet propter Deum dimittere; ita in Deum peccantes, & Ecclesiam conculcantes, & Regni peruasores, & in Christianitatis depopulatores, & in pacis perturbatores, & in patriæ proditores debet minister Domini Rex debitam vindictam propter Deum exercere. Quapropter sciat Rex nobis amabilis, quia sicut infirmus sanari non potest qui à medico coquitur, quandiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore; Ita & nemo sanari potest à peccato, quandiu in peccato manserit, vel quandiu in peccato manenti scienter & libenter communicauerit. A

3. Reg. 20. 42.

IX.

TANDEM si se promiserit adiutorem & cooperatorem Dei pro viribus de cetero & rationabiliter futurum, qualiter Ecclesia Dei, quæ in suo Regno, ac Regnis nostrorum Principum vna est, sicut & vnum sacerdotium, secundum qualitatem periculosi temporis in vnoquoque ordine restituatur; & sacerdotes Dei debita priuilegia, & Ecclesiasticum vigorem obtineant, & populus iustitiam & pacem habeat. congregatis vobis & nostro, immò diuino spiritu, qui est remissio omnium peccatorum, per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem illi peccata in nostris parrochiis per illum & ab illo commissa Ecclesiastica pietate & canonico more dimittite, eique indulgentiam postulanti donate, atque illum sacræ communioni, qua ipse se priuauerat excommunicatis communicans, restituite. B

X.

ET licèt multorum annorum, secundum præfixos à sacris Canonibus gradus, pœnitentiâ hæc perperrata facinora indigerent, tamen confisi de Dei misericordia, apud quem non sic acceptatur mensura temporis vt doloris, nec abstinentia ciborum sicut mortificatio vitiorum, non præiudicantes Patrum sententias, quæ de huiusmodi decreuerunt, sed potiùs eorum sequentes humaniorem diffinitionem, hæc scribimus. Ait sancta Synodus Africana: Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora discernantur. Et S. Leo Apostolicæ Sedis Pontifex: His, inquit, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei spiritu per C
Isa. 44. 26 Prophetam: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* & alibi, *Dic iniquitates tuas*
Psal. 129. 7. *prior, vt iustificeris.* & item, *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque neglegere, cùm ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam. dicente Apostolo, *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis*, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Et S. Gregorius in Euangelij homilia dicit, Veniat foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

XI.

HIS perpensis, fratres carissimi, si, vt diximus, iam dictum Regem à nobis amabilem ira contemperatum diuinæ voluntati & sacræ auctoritati inueneritis, secundum ministerium vobis à Deo traditum cum vestra vnanimitate absoluite. Sin aliàs, vos vllo modo cum eo, quem absoluere non poteritis, ligare nolite: quoniam nec coram Deo, nec in Synodo nos inde auctores habebitis, si agere aliter,

A aliter, quod absit, præsumpseritis. vósque in Synodo & coram Deo pro facto irrito dabitis rationes.

XII.

ET si ipse, quod Deus longè faciat, ea quæ egit, vnde illum nunc commonere vos mittimus, reiterauerit, omnia & ante diuinos oculos, & ad Ecclesiastica iudicia, rediuiuo vulnere curanda vel amputanda nouerit reuenire. Si quid quoque contra sanctam auctoritatem præsumptum, vel subreptum, siue extortum fuerit, non solùm in diuinis examinationibus, verùm nec in diuinis legibus quippiam præualebit. Et non sit de cetero immemor idem Rex gloriosus, quod dicit S. Gregorius: Sciendum est, inquiens, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur: sicque pietatis opera faciat, vt tamen si noluerit ea quæ mundi sunt non relinquat. Quilibet verò tanto à se licita debet abscidere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus esse boni operis debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibuslibet facinoribus cecidit. Sed tanto quisque maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. Vnde à vobis nostra, quin potiùs Dei voce commoneatur, vt sic studeat præteritorum pœnitens, & imminentia atque futura cauens, Deo militare in Regno terreno, quatenus mereatur conregnare Christo in Regno cœlesti.

B

Hæc quæ sequuntur peracta legatione renuntiarunt Episcopi.

DE indulgentia sua nobis Hludouuicus Rex prid. Nonas Iunias in VVormatia dixit: Volo vos precari, vt si in aliquo vestros animos offendi, vt hoc mihi « perdonetis, vt inantea securus vobiscum loqui possimus. Ad hæc Hincmarus, « qui primus in ordine ex sinistra parte illius stetit, respondit dicens: Ista causa ci- « tò ad effectum peruenire potest, quia quod nos offerimus, hoc vos petitis. Et « monente Grimoldo, ac Theodorico Episcopo, iterum ipse Hincmarus dixit: Nihil contra me fecistis, vnde noxium rancorem in mente contra vos teneam. « quia si facerem, ad altare vt Domino sacrificarem, accedere non auderem. Ite- « rum monentibus eisdem Grimoldo, & Theodorico, ac Solomone, dicente ipso Theodorico hæc verba, Facite sicut Senior noster precatur, parcite illi. respondit ipse Hincmarus hæc eadem verba: Quod in me, id est in mea persona, offen- « distis, & peperci, & parco. de hoc autem, quod in Ecclesia mihi commissa, & in « populo malè est factum, voluntariè vobis dono consilium, & secundum Deum « præsto auxilium, vt inde salui sitis, si vobis placet. Et præfati viri responderunt: « Certè benè dicit. & ceteri fratres nostri in hæc verba & senserunt & prosecuti

C sunt. Tanta & talis indulgentia illi largita fuit, & non altera, neque amplius. De scripto autem, quod confirmatum nobis est traditum, nec ipse à nobis quiddam quæsiuit, nec nos illi aliquid diximus: quoniam necdum cum illo ex huiusmodi in ratione eramus. Ipse autem post hæc & alia dixit, nos egisse quod non egimus. ex hoc materiam sumens, quod Guntharius illi familiariter, vt eum instrueret, & ad satisfactionem prouocaret, scriptum relegit, ita inquiens: Vos mihi transmisistis vestram epistolam cum capitulis. vos venistis cum causa facta. Nos non sumus hîc nisi duo vel tres, qui sine aliis huc exiliuimus. in illas causas intrare non possum, antequam cum nostris Episcopis inde tractemus: quia, Deo gratias, nihil sine illorum consilio feci. & postea inde respondeam. Nos autem expectabamus, vt consilium à nobis de sua salute oblatum ipse quæreret, & tunc ei secundum illud scriptum donaremus consilium. Ipse autem de suo gradu respondit, quòd in illud scriptum non intraret, antequam cum suis Episcopis consideraret. Et sic quicquid in generali causa Ecclesiæ & populi egit, penes illum remansit.

SYNODI TVLLENSIS APVD SAPONARIAS.

Hæc ventilata, definita, atque obtenta sunt in Synodo duodecim Prouinciarum, quæ habita est anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. *Indictione* VII. *in territorio Tullensi, sub Principibus Karolo, Hlothario, & item Karolo.*

CAP. I.

859. VT caritas fraterna & concordia pacis restornetur inter fratres, Principes scilicet ac gloriosos Reges nostros, Hludouuicũ ac Karolum; qualiter schisma, quod ortum est nuper in Ecclesia, ad vnitatem benignitatis valeat redintegrari, status Ecclesiæ penè collapsus restitui, & pax ac iustitia in populo Christiano valeat procurari; & qui à fidelitate debita defecerunt, iudicio & iustitia per rectam rationem, & rationabilem misericordiam possint saluari, & à peruerso conamine ad salubriora conuerti.

II.

EPISCOPI namque, secundum illorum ministerium, ac sacram auctoritatem, vniti sint, & mutuo consilio atque auxilio Reges, Regnorum Primores, atque populum sibi commissum in Domino regant, & corrigant. & nemo se solatio mutuo subtrahat, sed Synodales Conuentus secundum iussionem canonicam frequentare procurent. quatenus ordo Ecclesiasticus, qui quasi obliteratus iam fuerat, quoniam Synodi propter discordiam Regum frequentari non poterant, Episcopali collatione ad necessarium ac debitum statum reduci præualeat. Vnde etiam consensum apud Reges expetitum obtinuerunt. B

III.

REGES nihilominus ac Principes nostri, Karolus, Hlotharius, atque item Karolus, ad Dei voluntatem, atque sanctæ Ecclesiæ statum, suámque salutem, & populi subleuationem, gratias Deo, vniti, & in eadem salutari vnitate firmati sunt.

IV.

PERVENTVM est ante Conuentum Episcoporum, quendam Diaconum, cui Tortoldus nomen est, Episcopalem potestatem in vrbe Baiocensium occupasse, & pollicitationibus ac minis sollicitare multos ac perturbare. Vnde definiuit sancta Synodus, vt VVenilo Senonum Archiepiscopus, cuius Diaconus fuit, adiunctis secum tribus aliis, memoratum Diaconum euocatum audiant, & secundum auctoritatem canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali potestate venire ad audientiam compellatur. Quod si hanc quoque declinauerit, anathemate feriatur. C

V.

DE quodam etiam Subdiacono Anscario, qui viuo & incolumi Episcopo ciuitatis Lingonum sedem peruasit, simili est sententia definitum. Sed interuenientibus legatis eiusdem Subdiaconi, humanior est prolata sententia. videlicet, vt sacramento confirmet, se nunquam talia huiusmodi præsumptione facturum.
„ Cuius sacramenti tenorem huic Capitulo subnectere dignũ existimauimus. Ego
„ ANSCARIVS Subdiaconus confiteor coram Domino, & sanctis Angelis eius, reue-
„ rentiæ sanctæ paternitatis vestræ, contra Dei voluntatem, & contra Canonica sta-
„ tuta temerè me fecisse in Isaac venerabilem Pontificem, vsurpando sedem Eccle-
„ siæ sanctæ sibi commissæ Lingonicæ, & sollicitando Clericos & vassallos eius, om-
„ némq; familiam. Atque ideo pro tantæ præsumptionis excessu, per sacri ministerij
„ vestri vobis largitam à Domino potestatem veniam mihi pœnitenti largiri suppli-
„ citer deprecor. Deinceps verò, nec in eundem Antistitem, nec in alium quemli-
„ bet, nec in illa, nec in alia Ecclesia, huiusmodi præsumptionem facere tentabo. &
„ neque illi, aut alicui suorum Clericorum, aut laicorum, in aliqua re impedimẽtum
„ faciam pro hac causa: quia me grauiter deliquisse confiteor. Neque insidias eis
„ vllius inquietudinis parabo, neque per me, neque per aliquem meorum propin-
„ quorum, nec per quemcumque hominem: sed adiutor pro viribus & intelligentia

A ipsi, suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi pro hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, conligare eidem procurabo. Sic me Deus adiuuet, & istæ sanctæ Sanctorum reliquiæ.

VI.

STATVIT etiam sancta Synodus, vt nunquam ad eandem Lingonensem Ecclesiam, siue ad Ianuacensem, quam iam pridem pari modo adflixerat, debeat adspirare. Et si ita, vt præmisimus, iussis Episcopalibus obedire refugerit, sententiam superius Diacono datam incurrat.

VII.

DEINDE gloriosus Rex domnus Karolus sacræ Synodo libellum appellationis, electorúmque iudicium inter se & VVenilonem Senonum Archiepiscopum, qui ab eo desecerat, & proclamationis diploma porrexit. Vnde secundum sacram auctoritatem, & induciæ, ac dierum prolatio per Episcopos, & Synodicas literas præfato Archiepiscopo est intimata, atque concessa secundum regulas diuinitus promulgatas.

VIII.

MOTA est etiam quæstio de Attone Virdunensium Episcopo, quòd oblatione regulari (vnde petitio ibidem est præsentata) in Monasterio S. Germani Autisiodorensium adstiterit, & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minus prouisè quàm sacra auctoritas doceat, ad ordinem Episcopalem peruenerit. Vnde etiam definitum est, dari sibi commeatum veniendi ad aliam Synodum, sicut B sacra sanxit auctoritas.

IX.

AD Episcopos siquidem Brittonum, qui se contra auctoritatem à Metropoli sua moliuntur discindere, Synodus Literas secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam Metropolim redeant, eique debito iure se subdant, nec à canonica & Episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacræ decernunt regulæ, Brittones communicantes ipsi se sacra communione non priuent.

X.

AD memoratos quoque excommunicatos sancta Synodus Litteras direxit, eisque vsque ad futuram proximam Synodum corrigendi spatium tribuit, monens Ecclesiastica pietate vt conuertantur & viuant. quia nisi se correxerint, ad futuram Synodum generali vnanimitate anathemate terribili ferientur.

XI.

RELECTA sunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Vnde conuenit inter Episcopos, vt Deo fauente pace ac tranquillitate recuperata simul conueniant, & prolatis sanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt concordi vnanimitate sequantur.

C XII.

TANDEM postulauit humiliter Synodus generalis, se ad terram vsque prósternens ante Karolum Regem, & Rodulfum Biturigum Archiepiscopum, obsecrans & adiurans per crucem & Christi sanguinem, vt priuilegium Monasterij S. Benedicti, quod annuente Rege præfato firmauerat, quódque idem Rodulfus subscripserat, ratum & inconuulsum seruare studerent. Quòd si Abbas negligens, & sacris regulis inconueniens per dilectos Missos inuentus fuerit, ab eadem paternitate remoueatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, substituatur, & priuilegij regularis auctoritas in eodem Monasterio quacumque occasione non destituatur.

XIII.

HÆC de præcipuis in eadem sacra Synodo fuêre statuta. Ceterùm specialia de quibusque parrochiis, prout visum fuit, secundum Ecclesiasticam auctoritatem definita, & Episcopis in propriis parrochiis sunt ad exequendum commissa.

CAROLVS CALVVS. LIBELLVS PROCLAMATIONIS DOMNI CAROLI REGIS A aduersus VVenilonem Archiepiscopum Senonum.

Electis Iudicibus Remigio Lugdunensium, Herardo Turonorum, VVeniloni Rothomagensium, & Rodulpho Biturigum Archiepiscopis, in sancta Synodo XII. Prouinciarum apud Tullensem parrochiam in suburbano eiusdem urbis, quod dicitur Saponarias, propria ipsius manu porrectus, anno Incarnat. Domini DCCCLIX. *Indict.* VII. XVIII. *Kal. Iul.*

CAP. I.

859. QVIA, sicut dicit sanctus Gregorius, & ex consuetudine olitana cognoscitis, in Francorum Regno Reges ex genere prodeunt, mihi à domno & genitore meo piæ memoriæ Ludouico Augusto, pars Regni inter fratres meos Reges diuina dispositione est tradita. In qua parte Regni vacabat tũc Pastore Metropolis Senonũ, quam, iuxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, VVeniloni tunc Clerico meo in Capella mea mihi seruienti, qui more liberi Clerici se mihi commendauerat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis, ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, vt eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.

II. POST hæc de diuisione Regni inter me & fratres meos ratio est exorta notissima, vnde partem diuisionis cum mutuis, nostris scilicet, nostrorúmque fidelium sacramentis, sicut etiam Primores Regni totius inuenerant, tenendam & gubernandam suscepi. Quam diuisionem inter me & fratres meos de cetero à me substantialiter tenendam, sicut & alij qui ibi adfuerunt Episcopi, VVenilo mihi fratribúsque meis propria manu iurauit: pacem etiam & mutuum adiutorium inter me & præfatum fratrem Ludouicum VVenilo sacramento firmauit. B

III. SED & post hoc, electione sua, aliorúmque Episcoporum, ac ceterorum fidelium Regni nostri voluntate, consensu, & acclamatione, cum aliis Archiepiscopis & Episcopis, VVenilo in diœcesi sua, apud Aurelianis ciuitatem, in Basilica sanctæ Crucis, me, secundum traditionem Ecclesiasticam, Regem consecrauit, & in Regni regimine chrismate sacro perunxit, & diademate atque Regni sceptro in Regni solio sublimauit. A qua consecratione vel Regni sublimitate supplantari vel proiici à nullo debueram, saltem sine audientia & iudicio Episcoporum, quorum ministerio in Regem sum consecratus, & qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit iudicia: quorum paternis correptionibus, & castigatoriis iudiciis me subdere fui paratus, & in præsenti sum subditus.

IV. DENIQVE cùm seditiones in Regno nostro per homines irreuerentes cœperunt crebrescere, consensu Episcoporum, ac ceterorum fidelium nostrorum, Chirographum inuicẽ conscripsimus, qualiter ego erga eos cooperante Domino agere vellem, & qualiter mihi consilio & auxilio iidem fideles nostri ab inde postmodum solatium ferre debuissent. Cui scripto VVenilo apud Baiernam villam propria manu subscripsit, sicut in præsenti videre potestis. C

V. DEINDE, cùm contra Paganos ad Insulam loci, qui Oscellus dicitur, cum fidelibus nostris & terreno itinere, & nauigio, sicut scitis, perrexi, quidam à nobis deficientes fugã lapsi sunt. VVenilo autem se pro infirmitate sua illuc ire non posse dicens, ad sedem suam reuersus est. Dum autem in procinctu eo nos infirmi degeremus, frater noster Ludouicus, sicut scitis, cum manu hostili & sediriosis hominibus ex Regno suo Regnum nostrum irrupit. Ad cuius colloquium, sine mea voluntate atque licentia, VVenilo venit, quem supplantatorem meum esse cognoui. quod nemo Episcoporum ex Regno nostro alius fecit.

VI. DE cetero, cùm contra prædictum fratrem meum, & inimicos meos, ac vastatores Ecclesiæ, & depopulatores Regni qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac nostris perrexi, nec per seipsum, nec per debitum solatium, quod antecessores mei Reges, & ego ipse ex Ecclesia illi commissa habere solitus eram, aliquid adiutorij præbuit. præsertim cùm hoc deuotè ab illo petierim.

VII. CVM autem ratio & necessitas mihi accidit, de villa Breona vt à prædicto fratre meo secederem, & ipse frater meus Ludouicus ad hoc rediit in partem Regni mei, vt mihi meum nepotem subriperet, & homines meos mihi subtraheret, ac fideles meos vastãter imprimeret: VVenilo, cum quo potuit solatio, ad præ-

A dictum fratrem meum Ludouicum in meam contrarietatem venit. Cum quo erant excommunicati istius Regni, & seditiosi, de quorum excommunicatione Coepiscoporum suorum litteras accepit, & Missas publicas fratri meo, cum quo ipsi seditiosi erant, in Palatio meo Attiniaco, & parrochia & prouincia alterius Archiepiscopi fidelis nostri, sine sua licentia, ac Coepiscoporum consensu, VVenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebrauit. Et in eo Concilio atque consilio fuit, quo nepos meus Lotharius per mendacia, quantum ex seductoribus suis, subriperetur, & debitum ac sacramento promissum solatium, atque adiutorium ex illo mihi subtraheret.

VIII. Prædicti nihilominus fratris mei Consiliariis, & publicis ac secretis tractatibus, VVenilo cum specialibus familiaribus, & inter priores eius familiariter cum Episcopali iudicio, vt diximus, excommunicatis, & iudicio Regni diiudicatis interfuit: quatenus partem Regni, quam idem frater meus & VVenilo mihi iurauerant, & in qua VVenilo me Regem sacrauerat, sæpefatus frater meus obtineret, & ego illam perderem.

IX. VVenilo in eo consilio & tractatu fuit, vt Episcopi, qui mihi fidei promissæ debitores erant, & consilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent, & ad fratris mei Ludouici obsequium & subditionem se verterent.

B X. De Abbatia Sanctæ Columbæ, & rebus vel honoribus Regni mei apud Ludouicum fratrem meum Præceptum obtinuit, & Litteras ad Missos, quò eandem Abbatiam reuocarent, Echardum & Theodoricum, impetrauit. Sed in eisdem Litteris ad præfatos Missos, iussionem fratris mei Ludouici VVenilo obtinuit, vt de muro castelli Meloduni, quod ius Regiæ est potestatis, petras haberent licentiam prehendere. Vnde constat, quòd in plebe istius Regni mihi à Deo collati eum studebat colere, & satagebat tenere.

XI. VVenilo in eo consilio & tractatu cum præfatis excommunicatis fuit, vbi consideratum est, quatenus illi homines, qui mihi fideles erant, & mihi sacramento fidelitatem promiserant, siue nolentes, siue volentes, fratri meo Ludouico iurarent, vt ei adiutorium ferrent qualiter Regnum meum contra me obtinere potuisset. & non solùm consilio VVenilo interfuit, sed & ipse hoc idem consilium fratri meo Ludouico contra meam fidelitatem, quam mihi promisit sacramento, donauit.

XII. VVenilo per se & per familiares suos, supradictos scilicet excommunicatos, apud fratrem meum Ludouicum obtinuit, vt vacans Episcopatus, Baiocacensis scilicet ciuitatis, propinquo suo Clerico meo nomine Tortoldo, qui mihi se commendauit, & fidelitatem sacramento promisit, donaretur. qui eundem Episcopatum in mea infidelitate & contra fidelitatem mihi promissam consensu Ludouici fratris mei accepit.

C XIII. Tandem postquam mihi Deus vires recuperandi mei, per solatium fidelium meorum, contra fratrem meum donauit, perrexi prope de ciuitate VVenilonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum Regnum meum pergere sciuit, & nullum adiutorium vel per se, promisso ac subscripto consilio, vel per militiam, quæ ex Ecclesia sibi commissa solet exire, adiutorium aliquod præstitit.

EPISTOLA SYNODALIS AD VVENILONEM Archiepiscopum.

DILECTO & venerabili VVENILONI Senonum Metropolitano, Remigius Lugdunensium Metropolitanus Episcopus, Rodulfus Biturigum Metropolitanus Episcopus, Guntarius Agrippinensium Metropolitanus Episcopus, Hincmarus Remorum Metropolitanus Episcopus, Arduicus Vesontionum Metropolitanus Episcopus, Teutgaudus Treuerorum Metropolitanus Episcopus, VVenilo Rotomagensium Metropolitanus Episcopus, Herardus Turonum Metropolitanus Episcopus, Immo Nouiomagorum Episcopus, Ionas Æduorum Episcopus, Vngerus Traiectensis Episcopus, Ebbo Gratianopolitanus Episcopus, Fredebertus Basiliensis Episcopus, Arnulfus Tullensis Episcopus, Rothadus Suessionum Episcopus, Ermenfridus Bellouacensis Episcopus, Aduentius Metensis Episcopus, Atto Virdunensis Episcopus, Abbo Autisiodorensis Episco-

 pus, Æneas Parisij Episcopus, Rataldus Argentariensis Episcopus, Erpuinus A Siluanectensium Episcopus, Gislebertus Carnotensis Episcopus, Guntbertus Ebrocensis Episcopus, Ratbertus Valentinensis Episcopus, Franco Tungrensis Episcopus, Agius Aurelianorum Episcopus, Hildegarius Meldensis Episcopus, Hincmarus Laudunensis Episcopus, Erchanraus Catalaunensis Episcopus, Rotbertus Cenomannensis Episcopus, Erloinus Constantiæ Episcopus, Abbo Maurogensis Episcopus, Hildebrandus Sagensis Episcopus, Airardus Lexouiensis Episcopus, VValtbertus Abrincatensis Episcopus, Godelsadus Cabilonensis Episcopus, Isaac Lingonensis Episcopus, Erchambertus Baiocensis Episcopus, Hilmeradus Ambianensis Episcopus, & multi alij Episcopi, qui ad vniuersale Concilium in suburbano Tullensi conuenerunt, in Domino salutem. De instauratione pacis totiúsque status Ecclesiastici redintegratione conferentibus nobis, gloriosus Rex domnus noster KAROLVS XVIII. Kal. Iulias submissè vnanimitatem nostram adiit implorans, vt quæ à vobis vehementer indebitè passus esset cognosceremus, & maculam nostri Ordinis iusto iudicio tergeremus. Imputat, quòd cùm iureiurando fidei à vobis accepto Senonum Præsulatum vobis largitus sit, & in diuisione Regni iuramentum cum aliis feceritis pacis & alterni adiutorij inter se & fratrem HLVDOVVICVM, perpetuitate sacramento priùs à vobis firmata: cúmque vestra electione, & aliorum Episcoporum, ceterorúmque fidelium consensu, in Regem à vobis sit diuinâ gratiâ consecratus, ac chirographo, quod vestræ fidei qualitatem & immobilitatem ergà se continet, illius verò in vos firmam beneuolentiam, ad omnes B sinistras suspiciones vtrimque abolendas composito, subscripseritis. quod omnes absque recusatione fecerunt duntaxat fideles. Post repetita toties sacramenta, in procinctu contra Paganos vestro eum vestrorúmque destitueritis auxilio, & Hludouuico fratri impulsu seditiosorum Regnum inuadenti, soli omnium Episcoporum sponte accedentes, eius iniussu fueritis conlocuti. Se verò contra eundem fratrem & vastatores patriæ proficiscentem, consueta Ecclesię vestræ priuaueritis militiâ, quam supplex ipse à vobis poposcerat. & post discessum à Breona, ad fratrem, cum quo erant excommunicati, in eius damnum accesseritis, & in eo Concilio fueritis, quo LOTHARIVS Rex nepos confictis mendaciis eius auxilio subtrahebatur: & familiariter interfueritis Hludouuici fratris consiliis publicis & priuatis, quibus ei partem Regni parabat subripere, pro qua obtinenda vterque vestrûm ei iurauerat. Ei quoque, in quo tractabatur, vt Episcopi à se deficerent, & ad dominationem Hludouuici transirent. Imputat præterea, quòd Monasterium Sanctæ Columbæ à Hludouuico impetraueritis, & de assignatione eius Litteras ad Missos Echardum & Theodoricum. Saxa quoque muri Meledunensis castelli à Hludouuico poposceritis. vnde satis claruerit, eum potiùs Principem, quàm se illo vos tempore adprobasse atque duxisse. Quòd id etiam consilium dederitis, vt fideles eius sacramento constringerentur, qui occupatum Regnum Hludouuico contra se tuerentur: & quòd vacantem Sedem Baiocacensium Tortoldo propinquo vestro à Hludouuico obtinueritis. & postquàm se virtus diuina annisu fidelium in Regnum restituerit, & id aduersus fratrem sibi cœperit vindicare, nullum ei per vos, aut milites Ecclesiæ vestræ præstiteritis suffragium. C Hæc pleniùs in Libello comprehensa gloriosus Rex nobis obtulit, quæ strictim vobis fide integra expressimus, ne ex improuiso obiecta ampliùs perturbarent. Elegit autem terminandæ querelæ Iudices me Remigium, & VVenilonem Rotomagensium, & Herardum Turonum, & Rodulfum Biturigum Episcopos, ceteris nostrum Iudicium suo consensu adprobaturis. Proindè, frater carissime, à tempore quo Litteras has acceperis, post diem xxx. quocumque euocatus fueris, ita canonicè instructus occurre, vt defensionis tempore ad loco accepto, si conscientiæ, quod plurimùm optamus, confidis, suffragante veritate probabiliter obiecta dissoluas: sin autem in defensione defeceris, Sententias à maioribus institutas excipias.

EPISTOLA SYNODI AD EPISCOPOS BRITONVM, qui à Metropolitano suo desciuerant, & cum excommunicatis . . . communicabant.

Vt se atque alios ab his excessibus reuocent, & Salomonem de subditis capitibus commoneant.

SYNODVS vniuersalis collecta ex Gallia & Germania in suburbio Tullensi, villa Saponarias, Remigius Lugdunensium, VVenilo Rotomagensium, Erardus Turonum, Rodulphus Biturigum, Hincmarus Remorum, Guntharius Agrippinensium, Arduicus Vesontionis Metropolitani Episcopi, cum multis aliis Episcopis, Fastcario, VVernario, Garurbrio, Felici, in Domino salutem. Quo plura emergunt in populo Dei noxia, & Episcopali diligentia recidenda, ad hoc plures & frequentius necesse est conuenire Pontifices, ne ministerij Sacerdotalis nomen frustrà comprobentur gestare. Hac intentione confluximus ad memoratum locum, vt fida collocutione quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum sit, sollicitè quæreremus, & sancto Spiritu demonstrante inueniremus. Ad hanc conlocutionem vos, præsertim euocatos, non occurrisse molestiùs tulimus. Decuerat enim, vt quorum est vnum officium, per studium probaretur. Sacris instituti Canonibus non ignoramus, Metropolitano vestro carissimo fratri nostro Erardo competentem reuerentiam vos debere, ita vt præter
B eius præsentiam aut consensum nullus in regione vestra canonicè possit ordinari Episcopus, nec vos generale aliquid sine eius consensu posse sancire. De qua reuerentia salubriter à vobis & à gente vestra Metropolitano impendenda, tempore Nomenoij Ducis, & reuerentissimi Papæ Leonis, & successoris eius Benedicti, scripta docuerunt, & refragantibus Apostolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt sententiam. Mouet etiam nos, quòd iis, quos vester Metropolitanus cum aliis Episcopis, propter diuersa crimina excommunicauit, indifferenter vos communicare comperit. In Canonibus autem diuinitus institutis socij excommunicatorum, eorumdem sententia feriuntur. Proinde monemus sanctam nobisque amabilem fraternitatem vestram, vt ab his excessibus vlterius temperetis, & vestra instantia, opitulante Dei gratia, gentem vestram ad olim traditæ disciplinæ, ac totius Ecclesiasticæ religionis obseruantiam inuitetis, & vnanimiter & constanter absque dilatione reducatis. Si quidem etiam illis obseruandum est, ne damnatorum illicita societate certam sententiam damnationis incurrant. Quæ autem à nobis diligentiore tractatu reperta sunt atque decreta, venerabilis Coepiscopi Erardi relatione discetis. Verùm si, quod non optamus, ab eiusdem Metropolitani sollicitudine vlteriùs resilieritis, & nostris ex caritate manantibus exhortationibus vos constiteritis reluctari, ministerij necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. Bene valete, & orate pro nobis.

C

Indiculus, quibus de rebus Salomonem commonere debeant.

PLACVIT vniuersali Concilio, vt Salomoni, qui Britannorum tenet regionem, suggeratis, vt quæ pro eius salute mandamus, obedienter audiat, si Deum vult habere propitium, & nostræ vnanimitatis tenere consortium. Vt permittat totius Britanniæ Episcopos debitam reuerentiam Metropolitano inferre. Vt facultates Ecclesiasticas nec ipse Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Vt consideret quanto animæ suæ periculo Britannorum dominationem inuaserit, cùm domino nostro Regi Carolo fidelitatem priùs iurauerit. Vt recordetur, gentem Britannorum Francis ab initio fuisse subiectam, & statutum dependisse tributum, ac per hoc non dedignetur ad nuper omissam reuerti consuetudinem. Vt proprietates à parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter adquisitas, iustos possessores habere permittat. Nisi enim se ab hac audacia & impietate retraxerit, & diuina pœnitudine deleuerit quod deliquit, nostræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, citò ei Deus vsurpatam auferet potestatem, & debitam inferet vltionem. Vt pro diuersis criminibus canonicè excommunicatos ne recipiat, suadete; ostendentes diuino iudicio, si id præsumpserit, pari eum vindicta constringi.

IN BASILICA S. CASTORIS APVD CONFLVENTES.

Adnuntiatio Domini Karoli.

860. VOs scitis, quomodo aliquanti homines, minus quàm necesse fuerat Deum timentes, nostrum fratrem Hludovvicum quasi sub bona intentione hoc anno sollicitauerunt, vt in Regnum nostrum taliter veniret, sicut ipsi scitis. Vnde nos Deus, & vestra fidelitas sic adiuuauit, sicut & benè cognoscitis. Post hoc laborauit, adiuuante Domino, iste carissimus nepos noster, vt inter nos pax fieret, sicut per rectum esse debet: vt monentibus Episcopis ad illam caritatem & fraternam concordiam rediret, sine qua nullus Christianus saluus esse non potest. Propterea transmisit ad nos suos Missos, & mandauit nobis primum tale missaticum, quod nobis impossibile visum fuit. Deinde quia illud missaticum non suscepimus, aliud missaticum nobis sui Missi dixerunt. quod quia & secundum Deum salubre, & secundum seculum vtile nobis videtur, volumus vobis illud dicere. & si vobis, ita sicut & nobis videtur, eum vestro consilio volumus illud recipere, & quod Deus concesserit, ad necessarium effectum perducere.

HAEC *sunt nomina Episcoporum, qui anno Incarnat. Dominicæ* DCCCLX. *Non. Iunij in Secretario Basilicæ S. Castoris considerauerunt cum nobilibus laicis firmitatem, quam gloriosi Reges nostri Hludovvicus, & Karolus, atque Hlotharius inter se fecerunt* B VII. *Idus Iunias, in eodem Monasterio, & qui hæc Capitula ab omnibus conseruanda acceptauerunt.*

HINCMARVS, Guntharius, Altfridus, Salomon, Aduentius, Atto, Franco, Teudericus, Luitbertus, Gebehardus, Christianus, VVlfadus Abba, VVitgarius Abba.

Hæc nomina laicorum.

CHVONRADVS, Eurardus, Adalardus, Arnustus, VVarnarius, Liutfridus, Hruodulfus, Erkingarius, Gislebertus, Ratbodus, Arnulfus, Hugo, item Chuonradus, Liutharius, Beringarius, Matfridus, Boso, Sigeri, Hartmannus, Liuthardus, Richuinus, VVigriens, Hunfridus, Bernoldus, Atto, Adalbertus, Burchardus, Christianus, Leutulfus, Hessi, Herimannus, item Hruodulfus, Sigeardus.

SACRAMENTVM FIRMITATIS HLVDOVVICI REGIS.

AMODO & quandiu vixero, istum fratrem meum Karolum, & nepotes meos Hludovvicum, Hlotharium, atque Karolum, ad Dei voluntatem, & sanctæ eius Ecclesiæ statum, & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi saluamentum & pacem, & ad legis ac iustitiæ, atque rectæ rationis conseruationem, quantum mihi Deus scire & posse donauerit, & ipsi me obaudierint, & à me ipsi quæsierint, vero consilio, & secundum vt mihi rarionabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adiutor ero ad Regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in Regno illorum eos forconsiliabo. In hoc vt ipsi erga me similem promissionem faciant & conseruent. Si me Deus adiuuet, & istæ sanctæ reliquiæ. * * C

ADNVNTIATIO DOMNI HLVDOVVICI REGIS APVD *Confluentes lingua Theodisca.*

CAP. I. Vos scitis quid in isto Regno deuenit. & ideò huc conuenimus, vt de Dei voluntate & sanctæ Ecclesiæ statu, & de nostra communi salute atque honore, & de pace populi Christiani, cum Dei adiutorio & fidelium nostrorum consilio tractaremus.

II. ET misimus hoc super Episcopos, & ceteros fideles nostros, vt illi hoc inuenirent, qualiter nos ad hæc, quæ diximus, exequenda adunaremus. Et volumus vt sciatis, quia sicut illi inuenerunt, & scripto nobis ostenderunt, ad inuicem adunati sumus, sicut fratres per rectum esse debent, & nos simul cum ipso

A nepote nostro, & ille nobiscum. Et etiam suos fratres nepotes nostros in hac adunationis firmitate nobiscum recepimus. ita tamen, si & ipsi hanc firmitatem erga nos fecerint & obseruauerint. CAROLVS CALVVS.

III. Et sciatis, quia non volumus, vt vllus inter nos abhinc in antea alia verba portet, nisi talia, quæ Deo sint placita, & quæ ad nostram communem salutem, & nostrum honorem pertinent: vt sic simus, sicut fratres in inuicem, & patrui cum nepotibus, & nepotes cum patruis esse debent. Et si aliquis fuerit, qui hoc facere tentauerit, producatur in medium ad rationem, & taliter inde castigetur, vt nemo aliàs similia agere tentet.

IV. Et volumus, vt Ecclesiæ & casæ Dei, homines, Clerici & Monachi, & Nonnæ, talem mundeburdem & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

V. Et volumus, vt vos, & ceteri homines fideles nostri, talem legem & rectitudinem, & tale saluamentum in Regnis nostris habeatis, sicut antecessores vestri tempore antecessorum nostrorum habuerunt: & nos talem honorem & rectam potestatem in nostro Regio nomine apud vos habeamus, sicut nostri antecessores apud vestros antecessores habuerunt. & iustitia & lex omnibus conseruetur: & pauperes homines talem defensionem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum lex & consuetudo fuit. & sicut hîc fideles nostri communiter consenserunt, & scripto nobis demonstrauerunt, & nos cum illorum consilio

B consentimus, & obseruari communiter volumus. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, à nullo nostrûm recipiatur, nisi vt aut ad rectam rationem, aut ad rationabilem indulgentiæ concessionem deducatur.

VI. Sed & de istis rapinis & deprædationibus, quas iam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die, & deinceps, de Dei banno, & de nostro verbo bannimus, vt nemo hoc ampliùs præsumat. Sed vnusquisque infra patriam cum pace, & sine oppressione pauperum & circummanentium consistat, & in hostem, vel ad Placitum, siue ad Curtem veniens, de suo sic vvarnitus, & de domo sua moueat, vt cum pace venire, & nobiscum stare, & ad domum suam redire possit. Et qui hoc transgressus fuerit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit, & in illorum Capitulis continetur, volumus, vt hoc in illis transgressoribus emendetur.

VII. Similiter & de conspirationibus, & de raptis feminarum, tam viduatum quàm & puellarum, atque Nonnarum, bannimus ex Dei & nostro verbo, vt nullus hoc in Regnis nostris agere præsumat. & si quis hoc præsumpserit, secundum legem, & sicut in Capitularibus progenitorum nostrorum continetur, sic hoc emendare cogatur.

Hæc eadem domnus Karolus Romana lingua adnuntiauit, & ex maxima parte

C *lingua Theodisca recapitulauit.*

Post hæc, domnus Hludouuicus ad domnum Karolum fratrem suum lingua Romana dixit: Nunc, si vobis placet, vestrum verbum habere volo de illis hominibus, qui ad meam fidem venerunt.

Et domnus Karolus excelsiori voce lingua Romana dixit. Illis hominibus, qui contra me sic fecerunt sicut scitis, & ad meum fratrem venerunt, propter Deum, & propter illius amorem, & pro illius gratia, totum perdono, quod contra me misfecerunt: & illorum alodes de hæreditate & de conquisitu, & quod de donatione nostri Senioris habuerunt, excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo: si mibi firmitatem fecerint, quòd in Regno meo pacifici sint, & sic ibi viuant, sicut Christiani in Christiano Regno viuere debent. In hoc si frater meus meis fidelibus, qui contra illum nihil misfecerunt, & me quando mihi opus fuit adiuuauerunt, similiter illorum alodes, quos in Regno illius habent, concesserit. Sed & de illis alodibus, quos de mea donatione habuerunt, & etiam de honoribus, sicut cum illo melius considerabo, illis qui ad me se retornabunt voluntariè faciam.

Et domnus Hlotharius lingua Theodisca in suprà adnuntiatis Capitulis se consentire dixit, & se obseruaturum illa promisit.

Et tunc domnus Karolus iterum lingua Romana de pace commonuit, & vt cum Dei gratia sani & salui irent, & vt eos sanos reuiderent orauit, & adnuntiationibus finem imposuit.

A

Synodi Pistensis.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex, & Episcopi, Abbates quoque, & Comites, ac ceteri in Christo renati fideles, qui ex diuersis Prouinciis super fluuium Sequanam, in locum qui Pistis dicitur, vbi exigentibus peccatis nostris aliquandiu sedes fuit Nortmanuorum, conuenimus, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXII. *anno verò* XXIII. *Regni domni nostri Karoli Regis gloriosi, Indictione* X.

QVANDO HLOTHARIVS AD OSCVLVM RECEPTVS EST.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXII. *quando Hludouuicus Karolo mandauit, vt cum eo simul & Hlotharium reciperet ad osculum atque couloquium, misit Karolus per eum, & per Altfridum, atque per Salomonem, & per Aduentium, & per Hattonem Episcopos, Hlothario hæc quæ sequuntur Capitula, dicens quia pro his causis ei non auderet communicare, nisi ita perficeretur, sicut ibidem scriptum est. Renuntiantibus autem ex parte Hlotharij Hludouuico, & præfatis Episcopis, Karolo, & Hincmaro, itémque Hincmaro, & Hodoni, atque Christiano Episcopis, quòd ita se velle & se facturum esse fuerat professus Hlotharius, sub hac conuenientia receperunt eum ad osculum atque couloquium, Karolus, atque Episcopi, qui cum eo fuerunt.*

B

CAP. I.

862. POSTEAQVAM proximè apud Confluentes nos inuicem mutua indulgentia, annuente Deo, communi fidelium nostrorum consilio reconciliauimus, & sacramento de obseruanda inter nos pace, & de præstando alteruttum adiutorio, nos confirmauimus, & Capitula à communibus fidelibus nostris dictata, & nobis relecta nos obseruaturos promisimus, & publicè communibus fidelibus nostris adnuntiauimus: vobis, vnice & carissime frater, reputare non volo, vt illa quæ inuicem nobis promisimus, hactenus erga me obseruata non habeatis. nec spero vt vos, aut aliquis alius mihi reputare possit aut velit, vt similiter erga vos obseruata non habeam. Quod si quis fecerit, paratus sum inde vobis certam reddere rationem, & dignam facere satisfactionem. Et si aliquis mihi reputare voluerit, quòd quantum ex me est, illa quæ debeo nepoti nostro Hlothario obseruata non habeam, similiter paratus sum certam reddere rationem, & congruam facere satisfactionem. Qualiter autem ea quæ mihi promisit, ille erga me obseruata habeat, non solùm ego, sed & plures alij sciunt.

II.

SED & sicut nobis tunc ibi conuenit, vt tempore statuto ad locum condictum cum Primoribus Regnorum nostrorum conueniremus, vt ibi quæque in Regnis nostris emendatione digna & necessaria erant, & in sancta Dei Ecclesia, & in nostro ac populi saluamento, tractaremus; & nos erga fideles nostros, & fideles nostri erga nos emendaremus, & obseruanda de cetero statueremus: & semel, & secundò ad hæc exequenda paratus fui, & ad hoc etiam nunc conueni, sicut sæpè mihi per communes fideles nostros mandastis. C

III.

PRO quibus autem causis cum præfato nepote nostro antea loqui non volui, quàm vobiscum inde acciperem consilium, quædam volo hic designare; quædam verò postea congruo loco & conuenienti modo vobis innotescere.

IV.

QVANDO altera vice pro his quæ dixi tractandis ad Tusiacum veni, adportauit mihi, & Episcopis Regni nostri, Boso ex parte domni Apostolici Epistolas: quasdam nepoti nostro & Episcopis Regni sui mittendas, quas illi secundum mandatum domni Papæ transmisimus: quasdam autem nobis legendas & obseruandas, quarum & hic textum habemus. In quibus inuenimus nos increpatos, cur fornicarios in Regno nostro immorari permitteremus. & non solùm ipsam feminam, sed & omnes fauentes facinori eius, à corpore & sanguine Domini excommunicatos, vsque dum ipsa mulier ad virum suum rediret. Et scimus, si-

A cut sanctus dicit Gregorius, quoniam qui resecanda, si potest, non corrigit, ipse illa committit. Nos autem audiuimus prædictam feminam in Regno nepotis nostri commorari, & hanc sententiam postea non audiuimus immutatam. Et qui grauamur nostris, timemus alienis etiam communicare peccatis, communicando excommunicatis. CAROLVS CALVVS.

V.

FILIAM nostram Iudith viduam, secundum leges diuinas & mundanas sub tuitione Ecclesiastica & Regio mundeburdo constitutam, Balduinus sibi furatus est in vxorem. quem post legale iudicium Episcopi Regni nostri excommunicauerunt, secundum sacros Canones, & diffinitionem sancti Gregorij Papæ, qui dicit: Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, & consentientes ei, anathema sint. Quæ & verbis, & literis, nos & Episcopi Regni nostri nepoti nostro Hlothario innotuimus. Nos etiam, sicut scitis, consilio & consensu fidelium nostrorum communiter confirmauimus, vt nemo nostrûm huiusmodi hominem in Regno suo recipiat, neque immorari permittat: sed ad rectam rationem reddendam, & ad pœnitentiam agendam, sicut statutum est, illum redire cogat. Qualiter autem nos noster Hlotharius non solùm erga nos, & consanguinitatem nostram, verùm & contra Deum, & sacram auctoritatem, & communem Christianitatem inde egerit, spero quia vos non latet, quod est plurimis cognitum. Et sanctus Greg. it. cap. 10.
B Paulus, per quem locutus est Christus, dicit, *Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Rom. I. 32.

VI.

NOTA est vobis causa de vxore nepotis nostri Hlotharij, vnde & à nobis, & ab Episcopis Regni nostri, sed & ab aliis Episcopis præsentibus nobis consilium quæsiuit & audiuit: sed secundum illud consilium exinde non fecit. Scimus etiam, quia & ad domnum Apostolicum pro hoc transmisit, & ab illo Epistolas exinde recepit. Negare quoque non volumus, nos scite quid domnus Apostolicus & illi, & quibusdam Episcopis inde mandauit: & scimus, quòd negare non possumus, nec volumus, quoniam non debemus, quia domni Apostolici commendatio ab Euangelica veritate, & ab Apostolica atque canonica auctoritate in nullo discordat: & secundum mandatum illius de hoc facto executum non audiuimus, nec videmus. Illa etiam sancta, & prima in toto orbe terrarum Sedes, per diuinum Paulum, cœlestem scilicet tubam, qui ad tertium cœlum, & ad paradisum raptus hoc ab ipso Domino didicit, nobis & omnibus Christianis semper in omni mundo clamat, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et per beatum Ioannem Apostolum, qui de æterno & viuo Christi pectoris fonte in cœna, quando sacramenta Redemptionis nostræ sunt celebrata & tradita, super eo recumbens hausit, quod redemptis omnibus propinauit, manifestissimè Sedes Apo-
C stolica interdicit, huiusmodi hominem non debere quenquam in domum suam recipere, nec aue ei dicere: quia qui dicit ei aue, communicat operibus eius malignis. Et per beatum Gregorium Papam in homeliis Ezechielis dicit, quia sicut ille qui fide à Deo recedit, apostata est: ita & ille, qui à Deo recedit opere, sine dubio apostata est. Quoniam, sicut dicit Apostolus, *Fides sine operibus mortua est.* Iac. 2. 20. 22.
Et item, sicut alius dicit Apostolus; *Sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ipse Dominus dicit de semel, & secundò, ac tertiò legaliter commonito, & non correcto, vt sit nobis sicut gentilis, & publicis criminibus implicatus. cum quo & Apostolica & Canonica auctoritas nec cibum sumere, vt præmisimus, nobis concedit. Tit. 1. 16.

VII.

PROPTEREA, vnice & frater carissime, & vobismetipsis consilium accipite, & mihi consilium date: & ipsi nepoti nostro suæ salutis & honoris date consilium, & præstate auxilium. quia & ego ad hoc, quantum mihi Dominus scire & posse donauerit, sum paratus simul vobiscum agere, si voluerit ipse recipere.

VIII.

QVOD autem consilium ego, cum Episcopis, & ceteris fidelibus nostris, sollicitus & pro nostra communi, vestra scilicet & mea; sed & pro ipsius nepotis nostri salute & honore, & pro communi omnium fidelium nostrorum indemnitate & saluatione, nunc proximè, & in Synodo, & in Placito nostro accepi, vo-

CAROLVS CALVVS. biscum nullum bonum negare, sed omne bonum meum paratus sum participare, A
dico si placet, & si ita vobis bene visum fuerit, accipiamus communiter. Et si melius nobis, per rationem, & auctoritatem diuinam, & humanam nostræ saluationi & Christianitati congruentem, ostenderitis, paratus sum illud cum omni deuotione accipere, & vobiscum, Deo cooperante, & communium fidelium nostrorum consilio & auxilio adminiculante, libentissimè sequi & exequi.

IX.

Psalm. 87.7. QVIA scriptum est dicente bono Rege, qui tamen deliquit vt homo, & recognouit se vt felix, *ex voluntate mea confitebor illi*: profiteatur idem nepos noster coram vobis, & coram Episcopis, quia vult secundum domni Apostolici, & Episcopale, immò diuinum consilium, ad Placitum conuenire cum Episcopis, & fidelibus atque amicis Dei, & nostris ac suis, quoniam hæc causa generalis est omnibus Christianis: & aut ostendere, quia secundum legem diuinam & humanam Christianis congruam hoc factum de vxore sua habeat executum: aut secundum Dei consilium, & legem Christiano Regi conuenientem, hoc, & illa duo quæ præmisimus, emendare velit & debeat. Et paratus sum cum tali caritate & honorabilitate illum recipere, sicut Christianus Rex Christianum Regem, & sicut diligens patruus dilectum nepotem debet recipere, & in illius amicitia ad illius saluationem & honorem, si ita fecerit, permanere. Et constituatur tempus congruum, & locus opportunus, quando simul pacificè conueniamus, & hanc causam, sicut de nobis ipsis, quia sicut Scriptura dicit, os nostrum & caro nostra est, B
ad communem nostram, & fidelium nostrorum saluationem & honorem diffiniamus. ne qui fidelibus nostris, & omnibus Christianis in bono exemplum esse debemus, caput malorum, quod absit, fiamus. Sed & ea quæ, vt suprà diximus, apud Confluentes promisimus nos tractaturos, & obseruanda constituturos, tractemus & statuamus. vt qui indignè propter peccata nostra, & malum discordiæ, quod in Regnis nostris manet, percutimur, placato Deo misericordiæ illius solatium consequi mereamur. Et non sit nepoti nostro hoc agere in mente sua durum, quia scriptum est: *Qui mentis est dura, corruet in malum.* sed timeat Deum, & compescat istud scandalum, quod tam grande in ista Christianitate sine vlla necessitate est generatum & propagatum: cùm per rationem & auctoritatem potuisset ad debitum effectum perduci, quod multis hominibus videtur sine plena ratione & auctoritate debita executum. Et quia scriptum est: *Beatus homo qui semper est pauidus*. & Dominus dicit: *Diligentes me diligo*, pro amore & timore Dei honoret se, & suam Christianitatem, & suum nomen Regium, & exuat se, & nos omnes ab ista calumnia quæ illum sequitur, & per illum, ac propter illum, nos propinquos illius: & honoret inde Deum, sciens Dominum dicere, *Honorantes me honorabo, & qui temnunt me erunt ignobiles.*

Prou. 28.14.

Ibid.
Prou. 8.17.

1. Reg. 2. 30.

X. C

ET si ita noluerit, faciat quod iudicauerit faciendum. ego in vestra amicitia & debita fraternitate persistere, & omni debito obsequio illam promereri cupiens, qui non quæro quæ sunt illius, sed illum, si eum salubriter habere non possum, me Deo pro illius amicitia tollere nolo. Nec ad malum alicui præstare auxilium volo, quia legimus in Scriptura, Dominum dixisse cuidam Regi, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitia iungeris: idcirco iram Domini merebaris quidem*, & sicut ibidem in reliquo scriptum est. Et item legimus, quia de quacumque impietate impius conuersus fuerit, & ex corde se conuerti velle dixerit, iam non inter impios computatur, & à piis piè recipi debet, & salubriter potest, dicente Scriptura, *Verte impios, & non erunt*: non quia non erunt in essentia, sed non erunt in impietatis culpa. Hæc autem diximus, non vt nepotem nostrum in numero impiorum computari cupiamus, quem piorum numero sociari à Domino optamus.

2. Par. 19. 20.

Prou. 12.7.

Sequuntur Adnuntiationes, quas tres Reges apud Sablonarias adnuntiare debuerunt.

ADNVNTIATIO DOMNI HLVDOVVICI.

CAP. I. SICVT scitis, qui ibi adfuistis, quando proximè apud Confluentes nos, adiuuante Domino, coniunximus, & Capitula à nobis, & à fidelibus nostris

A nostris obseruanda statuimus, conuenit nobis, vt congruo tempore, & opportuno loco, iterum simul conueniremus, & cum Dei adiutorio, & fidelium nostrorum consilio, quæ in statu sanctæ Ecclesiæ, & in nobis, & in Regnis nostris, atque in nostris fidelibus emendanda erant, emendaremus, & vt emendata de cetero obseruanda statueremus. Et ad hæc agenda iam per tres vices & tempus & locum condiximus: sed aut mihi, aut fratri meo, aut communi nepoti nostro tales causæ acciderunt, pro quibus hoc quod condiximus, implere non potuimus.

II. INTEREA peruenit ad me, quia meus frater, & communis nepos noster, ita inter se non erant, sicut tunc fuerunt, quando nos simul coniunximus. Et ideo ad hoc veni, vt inter eos priuatus mediator existerem, & ipsi sic inter se sint, sicut per rectum esse debent. Vnde frater noster per me, & per Episcopos nostros, ac per Episcopos nepotis nostri, & scripto & verbo tales causas nepoti nostro mandauit, pro quibus illi sic priuatus non erat, sicut antea fuerat, quas si ille emendare vellet, sicut ei mandabat, voluntariè illi erat sicut diligens patruus dilecto nepoti, & Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet. De quibus causis nos, & Episcopi qui nobiscum fuerunt ex parte nepotis nostri, fratri nostro, & Episcopis qui cum eo erant, tale responsum reddidimus: quia illas causas, quas ei reputabat, paratus erat aut emendare, aut de illis certam reddere rationem, & dignam facere satisfactionem. Quod responsum & frater noster, & Episcopi libenter receperunt: &, Deo gratias, sunt ita modò frater & nepos noster, sicut per rectum esse debent.

B

III. ET volumus, vt sicut nobis conuenit, inter nos fideles Missi discurrant, & quæ in vniuscuiusque nostrûm Regno emendanda sunt, & alter alteri innotuerit, emendentur: & Casæ Dei, & Sacerdotes, ac serui Dei legem & honorem debitum habeant: & vnusquisque fidelium nostrorum in Regnis nostris, cuiuscumque nostrûm sit homo, legem & iustitiam, & in se, & in suis proprietatibus, & in suis honoribus habeat, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt, & sicut inter nos iam conuenit, & in illis capitulis est constitutum, quæ antecessores nostri Reges constituerunt, & sicut nos apud Marsnam firmauimus, & sicut nunc proximè apud Confluentes statuimus. donec, adiuuante Deo, congruo & opportuno loco iterum similiter conueniamus, & vnà cum communi fidelium nostrorum consilio, quæ perfecta non fuerint, pacificè tractemus atque perficiamus: & ita nos ad inuicem adiuuemus, vt cum Dei adiutorio nos & fideles nostros saluemus, & oppressoribus sanctæ Ecclesiæ resistamus. Et hanc adcognitationem ideo scribi communi consensu fecimus, vt vnusquisque nostrûm illam habeat, & certiùs sciat, quid & qualiter exinde obseruare expressiùs debeat. quia non decet vt Rex à sua cognitatione deuiet, sicut non conuenit vt Episcopus à sua recta prædicatione discordet.

C

ADNVNTIATIO KAROLI.

CAP. I. HOC quod dilectus frater noster dixit nos proximè apud Confluentes constituisse, quantum fuit ex me, hactenus obseruaui, & obseruare cupio; si & erga me ita fuerit obseruatum. & ei reputare non volo, vt ipse similiter erga me illa obseruata non habeat. Credo etiam, quia nec ille velit, nec aliquis alius mihi reputare possit, vt erga eum illa obseruata non habeam. Quòd si aliquis fecerit, paratus sum, aut illa quæ emendanda sunt emendare, aut de hoc quod mihi reputatum fuerit, certam reddere rationem.

II. ET si sic communis nepos noster fecerit, sicut frater noster, & Episcopi, qui cum eo inter nos mediatores fuerunt, mihi & Episcopis qui mecum erant, ex parte illius nuntiauerunt, & frater noster nunc dixit; & ita mihi familiaris & amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem extiterit, sicut nepos patruo, & Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet: sic ei priuatus & amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem esse volo, sicut diligens patruus dilecto nepoti, & sicut Christianus Rex Christiano Regi per rectum esse debet.

III. DE fidelibus autem Missis inter nos discurrendis, & de his quæ in Regnis nostris emendanda sunt emendandis, & de statu atque honore Ecclesiarum, & Sacerdotum ac seruorum Dei, & de lege ac iustitia conseruanda vnicuique

CAROLVS CALVVS. fidelium nostrorum in Regno nostro, cuiuscumque nostrûm sit homo, & in illo, & in suis proprietatibus, & in suis honoribus, & de capitulis obseruandis, sicut frater noster nunc dixit, ita & ego per omnia cupio obseruare. A

ADNVNTIATIO HLOTHARII.

CAP. I. POSTQVAM iste patruus meus Hludouuicus me in sua bonitate in filij loco suscepit, sic erga me semper in sua mercede fecit, sicut & illum decuit, & mihi necesse fuit. Vnde paratus sum illi debitum obsequium exhibere, sicut per rectum debeo facere.

II. ET de his quæ patruus meus Karolus proximè nunc, quando primùm simul conuenimus, mihi mandauit, sic obseruare cupio, sicut patruus meus Hludouuicus, & Episcopi, qui cum eo inter me & patruum meum Karolum mediatores fuerunt, ex mea parte illi, & Episcopis, qui cum eo erant, nuntiauerunt. Et si ipse mihi ita priuatus & amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem extiterit, sicut patruus nepoti, & Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet: ita & illi & familiaris, & amicus atque adiutor secundum rationabilem possibilitatem esse volo, sicut diligens nepos dilecto patruo, & Christianus Rex Christiano Regi esse per rectum debet.

III. DE fidelibus autem Missis inter nos discurrendis, & de his quæ in Regnis nostris emendanda sunt, & de statu atque honore Ecclesiarum, & Sacerdotum ac seruorum Dei, & de lege ac iustitia consetuanda vnicuique fidelium nostrorum in Regno nostro, cuiuscumque nostrûm sit homo, & in illo, & in suis proprietatibus, & in suis honoribus, & de capitulis obseruandis, sicut isti mei patrui nunc dixerunt, ita & ego per omnia cupio obseruare. B

Quoniam istas, quæ præcedunt, Adnuntiationes Hludouuicus, & Hlotharius, cum illorum sequacibus, postquam coram omnibus, qui adfuerunt, trium Regum Consiliariis ferè ducentis, tam Episcopis, quàm Abbatibus, & laicis, relectas penitus reiecerunt; ne populo legerentur, vt causa Hlothary penitus taceretur: hanc quæ sequitur Adnuntiationem, domnus Karolus, istis ipsis verbis iam vesperi adnuntiauit, apud Sablonarias, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXII. *Indict.* XI. III. *Nonas Nouembris, in ipsa casa; vbi relecta sunt præcedentes Adnuntiationes, in quam pauci aly intrauerunt, quàm qui antea fuerunt, quoniam ferè plena de ipsis erat.*

ADNVNTIATIO KAROLI.

SICVT ego verbis & scriptis per fratrem meum, & per Episcopos nepoti meo mandaui, & illi de sua parte mihi renuntiauerunt, sic illi amicus esse, & illum saluare volo, sicut auunculus per rectum nepotem saluare debet: si ille, sicut nepos per rectum auunculum saluare debet, me & meos saluauerit. C

Apud Tusiacum.

865. *Hæc quæ sequuntur Capitula misit domnus Rex Karolus in Burgundiam, exequenda per Gauslenum & Fulconem, & per VValtarium & Lantuuinum, de Tusiaco, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXV.

CONSECRATIO HERMINTRVDIS REGINÆ,
Caroli Calui coniugis.

Adlocutio duorum Episcoporum in Ecclesia S. Medardi, quando Hermintrudis fuit consecrata in Reginam.

VOLVMVS vos scire, fratres, quia domnus & Senior noster, Karolus Rex gloriosus, nostræ humilitatis petiit deuotionem, vt auctoritate ministerij nobis à Deo conlati, sicut ipse in Regem est vnctus & consecratus, Episcopali auctoritate, vnctione sacra & benedictione, veluti in Scripturis legimus Dominum præcepisse vt Reges vngerentur & sacrarentur in Regiam potestatem: ita vxo-

A rem suam dominam nostram in nomine Reginæ benedicamus, sicut & à Sede Apostolica, & à nostris decessoribus antea de aliis factum comperimus. Et vt non vobis sit mirum quare hoc petat, fraternitati vestræ rationem reddere maturamus. videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gratia istud Regnum in manus suorum antecessorum mirabiliter adunauit. quod ipsi decessores sui nobiliter gubernauerunt, & per successiones sua progenies vsque ad hæc tempora rexit. Et isti nostro Seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit: in quorum nobilitate ad sanctam Ecclesiam & Regnum, quod Deus illi ad regendum commisit, fideles illius spem maximam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, vt etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret. aliquos Deus adhuc ætate immatura sua gratia de hoc seculo rapuit, ne vt scriptum est, malitia mutaret corda eorum. aliquibus autem, quod vos non latet, suo iudicio talem passionem permisit incurrere, sicut fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem Episcopalem super vxorem suam venire, vt talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare; vnde sancta Ecclesia solatium, & Regnum necessariam defensionem, & fideles illius desiderabile adiutorium, & ista Christianitas optabilem tranquillitatem, & legem atque iustitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino, possit habere. Et de hoc in sanctis Scripturis habemus auctoritatem. quia sicut Dominus ad Abraham dixit, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, cui iam centenario de Gen. 22. 18.
B nonagenaria vxore Isaac filium dedit: ita & ipsum Isaac vxorem sterilem accipere fecit, vt & in hoc, sicut in multis solet facere, misericordiæ suæ largitatem ostenderet. Et inde dicit Scriptura, quia *deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis*, & concepit. Et non sit vobis mirum, cur antea hoc non fecit. Gen. 25. 21. quia sicut sacra Scriptura dicit, in primordio coniunctionis masculi & feminæ dixit Dominus ad Euam, *Ad virum tuum erit conuersio tua; & ipse dominabitur tui*. Gen. 3. 16. Et cùm iam essent moribus in legitima coniunctione maturi, & prouectæ ætatis, Abraham & Sarra, &, vt S. Petrus dicit, *Sarra obediat Abrahæ, dominum eum vocans*: dixit Dominus ad Abraham, quod antea nec ipsi, nec alio homini legimus 1. Pet. 3. 6. illum dixisse: *Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem eius*. Iam enim & Abraham Gen. 21. 12. presbyter meritò vocabatur, & defecerant muliebria, id est omnis lasciuitas, Sarræ: & tunc acceperunt benedictionem seminis benedicti à Domino, in quo benedicuntur omnes gentes. Amen. His ergo fulti auctoritatibus, in dispensandis Dei donis, qui ab illo ministri eius sumus ad hoc constituti, vt Leo dicit, non debemus esse difficiles, nec deuotorum petitiones negligere; maximè si ipsas petitiones euidentibus indiciis ex Dei videriomus miseratione conceptas. Quia multiplex misericordia Dei ita saluti humanæ subuenire decreuit, vt præcipuè Sacerdotum supplicationibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, vt in sacris literis legimus, ipse Saluator interuenit: nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. Et si quid per Matt. 28. 20.
C seruitutem nostram bono ordine, & gratulando implemus affectu, vt Leo dicit, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita est, & nostra pro vobis ministratio, & vestra erga nos coniuncta deuotio, vt vna fiat apud Dominum supplicatio, sicut legimus, quia ad hoc constituti sunt Sacerdotes, vt prius pro suis, deinde pro populi orent peccatis: & oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est pro omni Episcoporum choro: orantibus nobis pro communi nostra, immo pro totius Ecclesiæ ac populi necessitate atque salute, commune votum etiam vestra communis prosequatur oratio, apud eum qui facit vnanimes habitare in domo, & viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

ORATIO.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, & dispositis vniuersitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto inseparabile mulieris adiutorium condidisti, ac femineo corpori de virili dedisti carne principium: docens quia quod ex vno placuit tibi institui, non liceat ab homine separari. Respice propitius super hanc famulam tuam maritali iunctam consortio, quæ tua se expetit protectione muniri. Sit in ea

CAROLVS CALVVS. iugum dilectionis & pacis. fidelis & casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis vt Rachel viro, sapiens vt Rebecca, longæua & fidelis vt Sarra. Nihil in ea ex actibus suis auctor præuaricationis vsurpet. nexa fidei mandatis permaneat, vni thoro iuncta contactus inliciros fugiat. muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita. Sit fœcunda in tibi placita sobole, sit probata & innocens. Percipiat per hanc sacram misericordiæ, lætitiæ, & exultationis olei vnctionem, sanitatem mentis, incolumitatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, plenitudinem caritatis. Corona eam, Domine, corona iustitiæ: corona eam fructibus sanctis, & operibus benedictis. Sit meritis & nomine atque virtute Regina, adsistens in hoc seculo fide recta & operibus bonis, & in futuro honore & gloria coronata à dextris Regis, in vestitu bonorum operum, circumdata virtutum varietate. Fac illam talem sobolem generare, quæ ad paradisi tui pertineat hereditatem. Præsta, Domine, huic famulæ tuæ tantum caritatis affectum, & misericordiæ studium, atque religionis augmentum, vt tuum iugiter promereatur auxilium. Callidi serpentis ab ea venena repelle, & lorica fidei indutam scuto salutis eam defende, actus eius corrige, vitam emenda, mores compone, & eam in senectute bona ad cælestia Regna digneris perducere. Per eumdem Dominum nostrum. A

CORONET te Dominus gloria & honore, & sempiterna protectione. Qui viuit & regnat. B

Gen. 1. 28. DEVS omnipotens, qui benedixit Adam & Euam dicens: *Crescite & multiplicamini*, & Patriarcharum benedixit coniugia: quique cum Tobia misit Raphaël Angelum suum, cuius ministerio dæmonium effugauit à Sarra vxore ipsius. benedicat te, & Ill. futuram vxorem tuam, vt secundum præceptum Domini effecti duo in carne vna, quod Deus iungit, homo non separet. & det vobis benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ. Benedicimus enim vobis in nomine Domini: qui mittat Angelos suos bonos, vt vos custodiant semper: & omnem phantasiam, & nequitiam, atque versutiam omnium malignorum spirituum & hominum à vobis depellant, & ab omni inquinamento omnis adulterij, omnibúsque insidiis humanis & diabolicis protegant, muniant, & defendant. Gratia Domini nostri IESV Christi, qui amorem & timorem suum iugiter cordibus vestris infundat. vt consenescatis pariter in senectute bona, & videatis filios filiorum vestrorum florentes in voluntate Domini: & pax vobiscum permaneat. atque in fide recta, ac bonis operibus, & concordia bona, & amore coniugali sincero, necnon & in confessione sanctæ Trinitatis, & Ecclesiæ Catholicæ communione perseuerantes, ad vitam perueniatis æternam. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

C

APVD S. ARNVLFVM.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. *Indictione prima, Metis ciuitate, apud S. Arnulfum, hæ pactiones inter Hludouuicum & Karolum gloriosos Reges factæ sunt, his præsentibus, Hincmaro Archiepiscopo, Luitberto Archiepiscopo, Alsfrido Episcopo, item Hincmaro Episcopo, VVitgario Episcopo, Odone Episcopo, regni Karoli gloriosi Regis* XXIX.

868. AMODO & deinceps, ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ restaurationem & honorem atque defensionem, & ad nostrum communem honorem & saluamentum atque profectum, & ad saluationem ac pacem Christiani populi nobis commissi, isti fratri meo Karolo & consilio & auxilio in vera fraternitate, quantum Deus mihi scire & posse dederit, fidelis adiutor ero. Et si Deus nobis amplius adhuc de Regnis nepotum nostrorum donauerit; & in acquirendo, ac in diuidendo, sicuti plus æqualiter, aut nos, aut nostri communes fideles inuenerint, quos communi consensu elegerimus, & in ipsa diuisione consentiendo, & in habendo, & in conseruando atque defendendo, tam istud quod habemus, quàm & quod nobis de præfatis Regnis Dominus concesserit, absque

dolositate, aut deceptione, vel superabreptione, illi sincerus auxiliator & coope- CAROLVS CALVVS.
A ratot ero, sicut verus frater vero fratri per rectum esse debet: in hoc vt ipse similiter erga me conseruet. Mundebutdem autem, & defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter conseruabimus: in hoc vt Romani Pontifices nobis debitum honorem conseruent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conseruauerunt. Si me Deus adiuuet, & isti sancti.

Similiter & Karolus Hludouuico promisit.

Apud Pistas.

Hæc quæ sequuntur Capitula constituta sunt à domno nostro Karolo Rege glorioso, cum consilio & consensu Episcoporum, ac ceterorum Dei & suorum fidelium, qui adfuerunt in loco qui dicitur Pistis, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXIX. *anno autem Regni sui* XXX. *Indictione* II. *& ab eo denuntiata sunt à se, & ab omnibus fidelibus suis, secundum vniuscuiusque ordinem & personam, inuiolabiliter conseruanda.*

CONSECRATIO CAROLI CALVI REGIS,

Quando in Regno Lotharij coronatus est.

B *Ordo qualiter Karolus Rex fuit coronatus in Mettis ciuitate, anno* DCCCLXIX. *in mense Septembr.* V. *Idus Septembr. qua euenit die Veneris, cum istis Episcopis. videlicet Hincmaro Archiepiscopo, Aduentio, Hattone, Arnulfo, Francone, Hincmaro, & Odone. quando quondam Rex Hlotharius, filius Hlothary Imperatoris, fuit mortuus in Placentia ciuitate.*

ADNVNTIATIO ADVENTII EPISCOPI ANTE INITIVM MISSÆ, *in Ecclesia S. Stephani, coram Rege, & Episcopis, & aliis quamplurimis.*

CAP. I.

VOs scitis, & multis in plurimis Regnis est cognitum, quantos & quales euentus tempore Seniotis nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus; & quanto dolore, quantaque angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Vnde vnicum refugium, & singulariter salubre consilium, Rege & Principe nostro destituti ac desolati, nobis omnibus esse considerauimus, vt ieiuniis & orationibus ad eum nos conuerteremus, qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione, & cuius est consilium, ac cuius est Regnum, & vt scriptum est, cui voluerit dabit illud. & in cuius manu corda 869.
C sunt Regum, & facit vnanimes habitare in domo, soluens medium parietem, & faciens vtraque vnum: deprecantes ipsius misericordiam, vt daret nobis Regem ac Principem secundum cor suum, qui in iudicio & iustitia nos in omni ordine ac professione regeret, saluaret, atque defenderet iuxta voluntatem eius, & corda omnium nostrorum vnanimiter in eum inclinaret atque vniret. quem ipse ad salutem & profectum nostrum præscitum & electum atque prædestinatum habeat secundum misericordiam suam.

II.

QVIA denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi vnanimitate nostra videmus hunc Regni huius heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, domnum videlicet præsentem Regem ac Principem nostrum KAROLVM, vt nobis præsit & prosit: videtur nobis, si vobis placet, vt sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus, quia illum à Deo electum & nobis datum Principem credimus, & eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati; sed gratiarum actiones illi referentes, oremus quatenus & eum nobis ad salutem & defensionem sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad auxilium atque profectum omnium nostrûm cum salute ac pace & tranquillitate nobis conseruet diutius; & nos fideli deuotione illi obsequentes, atque optata saluatione fruentes sub illius administratione in suo gubernet seruitio.

CAROLVS CALVVS.

II. A

Et si illi placet, dignum ipsi, & necessarium nobis esse videtur, vt ex eius ore audiamus, quod à Christianissimo Rege, fideli & vnanimi in seruitio illius populo, vnicuique in suo ordine, conuenit audire, ac deuota mente suscipere.

Post hac Rex Karolus hac qua sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis qui affuerunt denuntiauit.

Qvia, sicut isti venerabiles Episcopi vnius ex ipsis voce dixerunt, & certis indiciis ex vestra vnanimitate monstrauerunt, & vos acclamastis, me Dei electione ad vestram saluationem & profectum, atque regimen & gubernationem huc aduenisse: sciatis me honorem & cultum Dei atque sanctarum Ecclesiarum, Domino adiuuante, conseruare, & vnumquemque vestrûm, secundum sui ordinis dignitatem & personam, iuxta meum scire & posse honorare & saluare, & honoratum ac saluatum tenere velle, & vnicuique in suo ordine, secundum sibi competentes leges tam Ecclesiasticas quàm mundanas, legem & iustitiam conseruare. in hoc, vt honor Regius & potestas, ac debita obedientia, atque adiutorium ad Regnum mihi à Deo datum continendum & defensandum, ab vnoquoque vestrûm secundum suum ordinem & dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iustè, & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt.

Et posthac *Hincmarus Remorum Episcopus hac qua sequuntur Capitula, iubente ac postulante Aduentio ipsius ciuitatis Episcopo, ac ceteris Episcopis Treuirorum Prouincia, Attone scilicet Ecclesia Viridunensis Episcopo, & Arnulfo Tullensis ciuitatis Episcopo, Francone Tungrensis ciuitatis Episcopo, conhibentibus Prouincia Remorum Episcopis, coram Episcopis & Rege, cunctisque qui adfuerunt, in eadem Ecclesia publicè denuntiauit.* B

CAP. I.

Ne alicui fortè videatur, incongruè ac præsumptiosè me, ac Prouinciæ nostræ venerabiles Coëpiscopos facere, quoniam de altera Prouincia ordinationi & causis huius Prouinciæ nos immiscemus: sciat nos contra Canones sacros non agere, quoniam Remensis & Treuerensis Ecclesiæ in hac regione Belgica commissis Ecclesiis sorores & comprouinciales habentur, sicut auctoritas Ecclesiastica, & antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc vnanimi consensu & Synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis Patribus constituta sunt debent concorditer custodire: hac priuilegij conditione seruata, vt qui prior de Remensi & Treuerensi Episcopis fuit ordinatus, prior etiam habeatur.

II.

Deut. 23. 25. Et lex diuinitus inspirata præcipit dicens: *Si transieris per messem amici tui colligens spicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas*, vel *falce* C
Matt. 9. 37. *non metas.* Messis est populus, vt Dominus monstrat in Euangelio dicens: *Messis quidem est multa, operarij autem pauci; rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, vt vobis digna possimus loqui. Messis autem amici, est populus in Prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem & vestram salutem in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus & debemus traicere. In parrochianos autem Prouinciarum aliis Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus: quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus.

III.

Est & alia causa, quia isti venerabiles Domini & confratres nostri Prouinciæ istius Episcopi, non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna caritate iubent & commonent agere. Est ita, Domini fratres? Et responderunt ipsi Episcopi, Ita est.

IV.

Præter ea, quæ domnus Episcopus & frater noster Aduentius vobis ex sua & ceterorum suorum ac nostrorum fratrum & venerabilium Episcoporum

A voce dixit, in hoc etiam animaduertere potestis voluntatem Dei esse, vt præsens domnus & Rex noster, qui in parte Regni, quam hactenus tenet & tenuit, & nobis, ac Ecclesiis nostris, & populo sibi commisso vtiliter præest ac præfuit, & salubriter prodest & profuit, inde ad hunc locum Domino ducente peruenerit. Quò etiam vos eius inspiratione confluxistis, & ipsi vos sponte commendastis, cuius instinctu animantia omnia in arcam Noë, significantem Ecclesiæ vnitatem, nullo cogente conuenerunt. quia sanctæ memoriæ pater suus, domnus Hludouuicus Pius Imperator Augustus, ex progenie Hludouuici Regis Francorum inclyti, per B. Remigij Francorum Apostoli Catholicam prædicationem cum integra gente conuersi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis paruulis & mulieribus, vigilia sancti Paschæ in Remensi metropoli baptizati, & cœlitus sumpto chrismate, vnde adhuc habemus, peruncti, & in Regem sacrati, exortus per beatum Arnulfum, cuius carne idem Hludouuicus Pius Augustus originem duxit carnis, & à Stephano Papa Romano, ante sanctæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ altare, Remis in Imperatorem est coronatus: & demum factione quorumdam terreno Imperio destitutus, in prædictam Regni partem, vnanimitate Episcoporum & fidelis populi, ante sepulchrum S. Dionysij eximij Martyris Ecclesiæ sanctæ est redditus, & in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum resonat coronatus, per Domini Sacerdotes, acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona Regni est Imperio B restitutus. Et quia, vt in historiis sacris legimus, Reges quando Regna obtinuerunt, singulorum Regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, si vestræ vnanimitati placet, vt in obedientia Regni, vnde vos ad illum sponte conuenistis, & vos ei commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc coronetur, & sacra vnctione Deo consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus ergo vnanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.

Benedictiones super Regem Karolum ante Missam, & altare S. Stephani.

ADVENTIVS EPISC. METENSIS.

DEVS, qui populis tuis indulgentia consulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ, cui dedisti regimen disciplinæ: vt tibi toto corde deuotus, & in Regni regimine maneat semper idoneus, & in bonis operibus perseuerans, ad æternum Regnum te duce valeat peruenire. Per Dominum, &c.

HATTO VIRDVNENSIS.

GRATIÆ tuæ quæsumus, Domine, huic famulo tuo tribue largitatem: vt mandata tua te operante sectando, consolationem præsentis vitæ percipiat, & fu- C turæ. Per Dominum, &c.

ARNVLFVS TVLLENSIS.

NOSTRIS quæsumus, Domine, in regimine istius famuli tui propitiare temporibus: vt tuo munere dirigatur & nostra securitas, & deuotio Christiana. Per Dominum.

FRANCO TVNGRENSIS.

DA quæsumus, Domine, huic famulo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tua semper mereatur virtute defendi. Per Dominum.

HINCMARVS LAVDVNENSIS.

BENEDICTIONEM tuam, Domine, hic famulus tuus accipiat: qua corpore saluatus & mente, & gratam tibi semper exhibeat seruitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inueniat. Per Dominum.

ODO BELLOVACENSIS.

CONSERVA quæsumus, Domine, hunc famulum tuum, & benedictionum

CAROLVS CALVVS. tuarum propitius vbertate purifica, vt eruditionibus tuis semper multiplicetur, & donis. Per Dominum. A

BENEDICTIO HINCMARI ARCHIEPISCOPI.

EXTENDAT omnipotens Dominus dexteram suæ benedictionis, & effundat super te donum suæ propitiationis, & circumdet te felici muro custodiæ suæ protectionis, sanctæ Mariæ, & omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

INDVLCEAT tibi mala omnia quę gessisti, & tribuat tibi gratiam & misericordiam, quam humiliter ab eo deposcis: liberétque te ab aduersitatibus cunctis, & ab omnibus visibilium & inuisibilium inimicorum insidiis. Amen.

ANGELOS suos bonos semper & vbique, qui te pręcedant, comitentur, & subsequantur, ad custodiam tui ponat: & à peccato, seu gladio, & ab omnium periculorum discrimine te sua potentia liberet. Amen.

INIMICOS tuos ad pacis caritatisque benignitatem conuertat, & apud odientes te gratiosum & amabilem faciat. pertinaces quoque in tui insectatione & odio confusione salutari induat: super te autē sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

AD *ista verba*, Coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus Archiepiscopus de chrismate ad dextram auriculam, & in fronte vsque ad sinistram auriculam, & in capite.* B

CORONET te Dominus corona gloriæ in misericordia & miserationibus suis, & vngat te in Regni regimine oleo gratiæ Spiritus sancti sui, vnde vnxit Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt Regna, & operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones: eisdémque promissionibus gratia Dei dignus efficiaris, quatenus eorum consortio in cœlesti Regno perfrui merearis. Amen.

VICTORIOSVM te atque triumphatorem de visibilibus atque inuisibilibus hostibus semper efficiat: & sancti nominis sui timorem pariter, & amorem continuè cordi tuo infundat. & in fide recta, ac bonis operibus perseuerabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa, cum palma victorię te ad perpetuum Regnum perducat. Amen.

ET qui te voluit super populum suum constituere Regem, & in pręsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

CLERVM ac populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione, & tua administratione, per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare. quo diuinis monitis parentes, aduersitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, & in pręsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum ciuium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse pręstare dignetur. C

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *miserunt illi Episcopi coronam in capite.*

CORONET te Dominus corona gloriæ atque iustitiæ: vt cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam peruenias Regni perpetui, ipso largiente, cuius est Regnum, & imperium in secula seculorum.

Ad ista verba, Det tibi Dominus velle, *dederunt illi palmam & sceptrum.*

DET tibi Dominus velle & posse quæ præcipit, & in Regni regimine secundum voluntatem suam proficiens, cum palma perseuerantis victoriæ ad palmam peruenias gloriæ sempiternæ. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI, qui viuit.

ORATIONES IN MISSA.

DA nobis, omnipotens Deus, vt B. Gorgonij Martyris tui veneranda solemnitas & deuotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum.

QVÆSVMVS, omnipotens, vt famulus tuus, qui tua miseratione suscepit Regni gubernacula, à te virtutum etiam percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra vitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat peruenire. Qui viuis & regnas cum Deo.

SVPER OBLATA.

RESPICE, Domine, munera populi tui Sanctorum festiuitate votiua, & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

MVNERA, quęsumus, Domine, oblata sanctifica: vt & nobis vnigeniti tui corpus & sanguis fiant, & Karolo Regi nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, te largiente, vsquequaque proficiant. Per eundem.

POST COMMVN.

SACRAMENTORVM tuorum, Domine, communio sumpta nos saluet, & in tuæ veritatis luce confirmet. Per Dominum.

HÆC, Domine, communio salutaris famulum tuum ab omnibus tueatur aduersis: quatenus & Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post istius temporis decursum ad æternam perueniat hereditatem. Per Dominum.

PACTIO AQVISGRANENSIS.

ANNO *Incarnationis Domini nostri Iesu Christi* DCCCLXX. *Indictione* III. *pridie Nonas*
B *Martij, anno* XXXII. *Karoli gloriosi Regis, Aquisgrani Palatio hæ pactiones inter ipsum & Hludouuicum Regem fratrem ipsius factæ sunt.*

INGELRAMNVS COMES EX PARTE KAROLI REGIS.

SIC promitto ex parte Senioris mei, quòd Senior meus Karolus Rex fratri suo Hludouuico Regi talem portionem de Regno Hlotharij Regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem, & plus æqualiorem, aut communes fideles eorum inter se inuenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in Regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet, aut forconsiliabit, si frater suus Hludouuicus eandem firmitatem & fidelitatem, quam ex parte Senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus Hludouuicus Seniori meo ex parte sua, quamdiu vixerit, inuiolabiliter seruauerit. 870.

ITEM LEVTFRIDVS COMES EX PARTE HLVDOVVICI REGIS.

SIC promitto ego ex parte Senioris mei, quòd Senior meus Hludouuicus Rex fratri suo Karolo Regi talem portionem de Regno Hlotharij Regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorem, aut plus æqualiorem, aut communes fideles eorum inter se inuenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in Regno quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet, aut forconsiliabit: si frater
C ter suus Karolus eandem firmitatem & fidelitatem, quam ex parte Senioris mei habeo promissam, iste frater suus Karolus Seniori meo ex sua parte, quamdiu vixerit, inuiolabiliter seruauerit.

HÆC eadem tertius Theodericus Comes ex parte gloriosi Regis Karoli, & quartus Radulfus Comes ex parte Hludouuici prosecuti sunt. Isti præsentes fuerunt, Leutbertus Archiepiscopus, Altfridus Episcopus, Odo Episcopus, Adalelmus Comes, Ingelramnus Comes, Luitfridus Comes, Theodericus Comes, item Adalelmus Comes.

DIVISIO REGNI LOTHARII.

ANNO *Incarnationis Dominicæ* DCCCLXX. *regni Karoli* XXXIII. *Indictione* III. VI. *Idus Augusti, inter gloriosos Reges Karolum & Hludouuicum fuit hæc diuisio Regni facta, in Procaspide super fluuium Mosam.*

ET HÆC EST PORTIO QVAM SIBI HLVDOVVICVS ACCEPIT.

COLONIAM.	Statsburch.
Treueris.	Basulam.
Vtrech.	Abbatiam Suestre.

CAROLVS CALVVS.

Betch.
Niu Monasterium.
Castellum.
Indam.
S. Maximini.
Eptetnacum.
Horream.
S. Gangulfi.
Fauerniacum.
Polemniacum.
Luxouium.
Luteram.
Balmam.
Offonis villam.
Megeni Monasterium.
S. Deodati.
Bodonis Monasterium.
Stiuagium.
Rometici montem.
Morbach.
S. Gregorij.
Mauri Monasterium.
Eboresheim.
Homovva.
Masonis Monasterium.
Homburc.
S. Stephani Strastburch.
Erenstein.
S. Vrsi in Salodoro.
Grandi-vallem.
Altam petram.
Iustinam.
Vallem clusæ.
Castellum Carnones.

Hetibodesheim. A
Abbatiam de Aquis.
Hoenchirche.
Augustchitche.
Comitatum Testrebant.
Batua.
Hattuarias.
Masau subterior de ista parte.
Item Masau superior, quod de ista parte est.
Liugas quod de ista parte est.
Districtum Aquense.
Districtum Trectis.
In Ribuarias Comitatus v.
Megenensium.
Bedagovva.
Nitachovva.
Sarachovva subterior.
Blesitchovva.
Selme.
Albechovva.
Suentisium. B
Calmontis.
Sarachovva superior.
Odornense, quod Betnardus habuit.
Solocense.
Basiniacum.
Elischovve.
VVarasch.
Scudingum.
Emaus.
Basalchovva.
In Elisatio Comitatus II.
De Frisia duas partes.

DE Regno quod Hlotharius habuit, super istam diuisionem, propter pacis & caritatis custodiam, superaddidimus istam adiectionem.

CIVITATEM Mettis, cum Abbatia S. Petri, & S. Martini, & Comitatu Mosensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis, quàm & vassallorum. De Arduenna, sicut flumen Vrta surgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Mosam: & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes fideles nostri rectiùs inuenerint, excepto quod de Condustro est ad partem Orientis trans Vrtam. Et Abbatias Prumiam & Stabolau, cum omnibus villis dominicatis & vassallorum. C

ET HÆC EST PORTIO QVAM KAROLVS DE EODEM Regno sibi accepit.

Lugdunum.
Vesontium.
Viennam.
Tungris.
Tullum.
Viridunum.
Cameracum.
Viuarias.
Vcetia.
Montem Falconis.

S. Michaëlis.
Culdini Monasterium.
S. Mariæ in Bisinciono.
S. Martini in eodem loco.
S. Augentij.
S. Marcelli.
S. Laurentij.
Leudensi.
Sennonem.
Abbatiam Mellam.

A Melbarium.
Laubias.
S. Gaugerici.
S. Saluij.
Crispinno.
Fossas Marilias.
Hunulcutt.
S. Geruasij.
Maalinas.
Ledi.
Sumniacum.
Antonium.
Condarum.
Merrebecchi.
Ticliuinni.
Luitosa.
Calmontis.
S. Maria in Deonant.
Echa.
B Andana.
VVasloi.
Alrum montem.
Comitatum Texandrum.
In Brachanto Comitatus IV.
Cameracensium.
Hanoium.
Lomensem.
In Hasbanio Comitatus IV.
Masau superior de ista parte Mosæ.
Masau subterior, quantum de ista parte est.
Liugas quod de ista parte Mosæ est, & pertinet ad Velsatum.
Scarponinse.
Viriduninse.
Dulminse.
Arlon.
Vaurense Comitatus II.
Mosminse.
Castricium.
Condrust.
De Arduenna, sicut flumen Vrta surgit inter Bissanc & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut recta via ex hac parte occidentis pergit in Bedensi, secundum quod Missi nostri rectius inuenerint.
Tullense.
Aliud Odornense, quod Tetmarus habuit.
Barrense.
Portense.
Salmoringum.
Lugdunense.
Viennense.
Viuarias.
Vcetiam.
De Frisia tertiam partem.

APVD GVNDVLFI VILLAM.

ANNO *Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXIII. *Indictione* V. *quinto Idus Septembris, in Placito generali apud Gundulfi villam, cùm Hludouuicus sacramenta superiùs scripta disrupisset, & æquiuoco suo itidem Hludouuico Imperatori se coniunxisset, & sacramenta quæ superiùs scripta sunt fieri iussisset, Ingilberga Regina, & Legatis Sedis Apostolicæ, Formoso scilicet & Haderico, præsentibus, hac tempestate vrgente, Episcopi omnes* C *ex Regno gloriosi Regis Karoli hanc professionem infra scriptam fecerunt, & omnes laici hoc sacramentum similiter infra scriptum iurauerunt.*

PROFESSIO EPISCOPORVM.

QVANTVM sciero & potuero, adiuuante Domino, consilio & auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adiutor ero, vt Regnum, quod vobis 873.
Deus donauit vel donauerit, ad ipsius voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ ac debitum Regium honorem vestrum, & vestram fideliúmque vestrorum saluationem, habere & obtinere possitis.

SACRAMENTVM LAICORVM.

QVANTVM sciero & potuero, adiuuante Domino, consilio & auxilio fidelis vobis adiutor ero, vt Regnum quod habetis, ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ & vestrum honorem, atque ad vestram saluationem continere possitis; & quod Deus adhuc vobis concesserit, adquirere, & contra omnes homines defendere valeatis.

GENERALE OMNIVM FIDELIVM.

SIC promitto ego, quia de isto die inantea isti Seniori meo quandiu vixero

CAROLVS CALVVS. fidelis & obediens & adiutor quantumcumque plus & melius sciero & potuero, A & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude & malo ingenio, & absque vlla dolositate vel seductione seu deceptione, & absque respectu alicuius personæ: Et neque per me, neque per Missum, neque per Literas, sed neque per emissam seu intromissam personam, vel quocumque modo, ac significatione contra suum honorem, & suam, ac Ecclesiæ atque Regni illi commissi quietem & tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam, neque vnquam aliquod scandalum mouebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contrarium vel nociuum esse possit. Sic me Deus adiuuet, & ista sancta patrocinia.

Apud Carisiacum.

ANNO *Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXIII. *regni verò domni Karoli* XXXIII. *Indictione* V. *hæc Capitula, quæ sequuntur, ab eodem Rege statuta sunt in Placito generali apud Carisiacum, omnium cum voluntate & consensu, & à præfato Rege, & ab omnibus qui præsentes fuerunt confirmata.*

EXCERPTVM EPISTOLÆ HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS,

Ad Diocesis Remensis Episcopos, & Regni, Primores. B

Qua, cùm CAROLVS CALVVS *Rex Francorum in Italiam coronæ Imperialis obtinendæ causa concessisset, &* LVDOVICVS *Rex Germaniæ eius frater tentaret eo absente Regnum Franciæ inuadere, quid in tanto discrimine facto opus esset, rescribit.*

IGITVR dicamus liberè, domini Sacerdotes, quæ dicuntur notabilia & reprehensibilia de Rege nostro, & quæ dicuntur laudabilia promissa de fratre eius domno Rege HLVDOVVICO, qui venturus asseueratur in hoc Regnum fratris sui, vt quæ frater eius in eo perperam egit, ipse corrigat; & quod per neglegentiam frater eius admisit, ipse per diligentiam emendare procuret: quatenus si Rex noster ea legerit, quæ de illo dicuntur, si vera sunt, illa corrigat: si autem vera non sunt, de cetero admittere caueat. Si autem & frater eius domnus Hludovvicus ea legerit, quæ de fratre illius dicuntur notabilia, caueat, & quæ de illo laudabilia promittuntur exequi studeat. Nos autem Episcopi, & Regni Primores, secundum ordines nostros in maiorum doctrina, seu exemplis, quid nobis sequendum, quidve cauendum sit, conspiciamus.

ET prætermissis aliis vicissitudinibus altercationum de Regno inter Principes C nostros temporibus nostris habitis ante hos XVI. annos, quando Rex noster domnus KAROLVS, & domnus HLVDOVVICVS, cominus præparatis vtrimque armatorum cuneis, & erectis vexillis secus locum, qui Breona dicitur, conuenerunt, populus, qui cum domno Karolo erat, ex parte maxima illum reliquit. Sicque eundem Regem Karolum pridie Idus Nouembris indè abire coegit. Tertio autem mense Karolo reuertente, qui cum domno Hludovvico erant, ab eo separati, & solitario penè relicto, insequente illum Karolo de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt. Nunc autem, quia domnus Karolus nos, & Regnum istud sponte reliquit, & in Italiam perrexit, domnus noster Hludovvicus multorum oribus accipere Regnum istud hostiliter venturus asseueratur: & domnus Karolus bellatorum acies, quas vulgari sermone *scaras* vocamus, dispositas, & eisdem aciebus Primores deputatos ad resistendum fratri suo, ne Regnum illius occupare valeat, habere dicitur, qui iussione vxoris suæ cum filio suo HLVDOVVICO Regnum suum ab omnibus, tam Christianis, quàm Paganis hostibus, cum consilio & auxilio Episcoporum, ac ceterorum Consiliariorum suorum defendant, donec ipse adepto Regno, ad quod accipiendum iuit, auxiliante Domino reuertatur in pace.

QVA

A QVA de re nobis Episcopis satis agendum est, ne in consilio, quod à nobis Reipublicæ ministri secundum domni Regis mandatum petierint, à nostro ministerio excidamus, & ne de auxilio, quantum Deus vnicuique nostrûm posse dederit, abscedamus, sequentes sententiam Domini dicentis: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* In auxilio igitur, præbeamus arma diuina, ieiunia, orationes, lacrimas, implorationes ad Sanctorum suffragia, & auxilia diuina per nos nostrásque parrochias, vt non effundatur sanguis Christianus seditionali certamine inter fratres & cognatos, atque propinquos, sicut iam fuisse factum in Fontanido dolemus. Et de omnibus hostibus tam Christianis, quàm Paganis, per Sanctorum merita & intercessiones det Dominus propicius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ suæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. CAROLVS CALVVS. Luc. 20.

EXHIBEAMVS etiam vnusquisque nostrûm pro viribus contra omnes hostes sanctæ Ecclesiæ, & Principis nostri, milites de Ecclesiis nostris, qui cum Primoribus ad hoc deputatis dimicent, prout Dominus auxilium dederit, & cooperari dignatus fuerit. Vnde sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Consilium autem in huiusmodi congressione, si à nobis requisierint Primores acierum, quia scriptum est, *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum Consilium autem Domini in æternum manet:* quod salubrius illis consilium dare possimus, quàm quod Dominus in Euangelio monstrat, inuenire nequimus. Psal. 32.

B *Quis*, inquit, *Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, nonne sedens priùs computat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Luc. 14.

QVIA longè ante nos de his, qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, etiam apud nationes tritum vulgi sermone prouerbium, *Inter malleum sunt & incudem*, legimus, & nos de frequentibus Paganorum infestationibus, & ceteris anxietatibus, quibus diutiùs premimur, verbis taceamus, & gemitibus ac suspiriis exclamemus. Inter duos Reges carne fratres, de hoc Regno, in quo degimus, fatagentibus, velut inter malleum & incudem, Episcopi sumus. Si enim, quia secessit longiùs in Regnum aliud Rex noster, in aduentu superuenturi Regis Ecclesias nostras quaquauersum nemine persequente, vel præiudicium, vt dicitur, inferre moliente, fugientes discesserimus, & nos ad superuenturi tutelam Regis non contulerimus: præsertim, cùm superuenturus Rex, vt fertur, dicat, se non venire ad Regnum inuadendum, sed ad destitutum restituendum, & defendendum, & pacem ac iustitiam in eo procurandam, & sanctæ Ecclesiæ, ac eius Sacerdotibus debitum honorem ac defensionem exhibendam, & nos & oues nobis commissæ periclitari videbimur. Nos quidem, quia non Pastores, sed mercenarij & apud Deum & apud homines iudicabimur. Oues autem nobis commissæ, quia sine pastore errabunt vel dispergentur, & facultates Ecclesiasticæ, quibus sustentari debent, velut relictæ sine custodibus diripientur ac vastabuntur, si defuerit virtus

C Principis, cuius potestate defendantur, vel custodes, qui pro ouibus, & earum alimoniis Principi & defensori ac tutori Ecclesiæ suggerant.

SI autem Rex noster reuersus fuerit, infidelitatis nos arguet, sicut quosdam fecit, quando à Breona pergens, & nos desolatos relinquens, post aliquod tempus reuersus fuit: licèt causa nostra à causa illorum, quos tunc redarguit, satis habeatur dissimilis. Nam nos quacumque ducti cupiditate, vel turpi lucro inlecti, Regem alium in Regnum istud, sicut illi fecerunt, non inuitauimus, neque Regem nostrum reliquimus, & alteri nos absque necessitate contulimus. Sed à Rege nostro relicti, & alterius potestati expositi, nos iudicio Regis Regum expectantes commisimus. Sed inter hæc & vndique nos circumstant angustiæ. Si enim relicti à Rege nostro superuenientis Regis potestati nos contulerimus, mors nobis est: si autem non egerimus, Ecclesiarum nostrarum & ouium nobis commissarum custodię inuigilare nequibimus, & aut nunc in manum superuenturi Regis, aut, si Rex noster reuersus fuerit, in manus illius incidemus.

NVNC autem qualiter Regnum istud vndique à Paganis & falsis Christianis, scilicet Britonibus, sit circumscriptum, &, vt ita dicamus, visscerali commotione de his, qui aliquandiu in eo fideles ac vtiles visi fuerant extitisse, sit perturbatum: & quæ conditio de Regnis nepotum suorum inter illum & fratrem eius sit sacra-

 mento firmara. Vtinam aut ignoraretur, aut inter eos ipsa conditio seruaretur, & neque discordia Ecclesiarum Pręsules, & serui ac ancillæ Domini inquietarentur, & Christianus populus affligeretur, ac inter Regni primores viscerale bellum insurgeret, & rapinæ ac deprędationes rerum Ecclesiasticarum, atque diuitum, seu pauperum, conflagrarent. At si pro his dictis, quæ non pro infidelitate Principum nostrorum ad suggillationem eorum, sed pro periculo eorum cum dolore ac gemitu dicimus, nobis Sacerdotibus vis aliqua à quocumque fuerit inlata, sicut quidam Sapiens dixit, feramus æquo animo, & vtamur foro, donec inuicta felicitas finem malis imponat. A

Si denique Rex noster fuerit, annuente Deo, reuersus, recipiamus eum cum gaudio & de sibi ac Ecclesiæ atque Regni necessariis, in postmodum procurare Episcopaliter illum commoneamus, & prosperitati suę congaudeamus. Si verò, quod non optamus, aliter iudicio Dei contigerit, deuotionem ac fidem debitam erga illum sinceriter custodientes, sicut scriptum est, dicamus corde, dicamus & ore Domino: *Exultauerunt filiæ Iudæ*, id est, confessionis humillimæ, *in omnibus iudiciis tuis Domine.*

SYNODVS APVD TICINVM ACTA PALATIVM anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. Indictione IX. mense Februario, confirmata in Synodo apud Pontigonem, cum Missis domni Apostolici Ioannis, aliisque multarum Prouinciarum Episcopis, eodem anno & Indictione, mense Iunio. B

ELECTIO KAROLI IMPERATORIS, AB ITALICI Regni Episcopis & ceteris Optimatibus confirmata.

876. GLORIOSISSIMO, & à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, domno nostro Karolo perpetuo Augusto, nos quidem omnes Episcopi, Abbates, Comites, ac reliqui, qui nobiscum cóuenerunt, Italici Regni Optimates, quorum nomina generaliter subterq; habentur inserta, perpetuam optant prosperitatem & pacem. Iam quia diuina pietas vos, beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli interuentione, per Vicarium ipsorum, domnum videlicet Ioannem summum Pontificem, & vniuersalem Papam, spiritalémque Patrem vestrum, ad profectum sanctę Dei Ecclesiæ, nostrorúmque omnium inuitauit, & ad Imperiale culmen sancti Spiritus iudicio prouexit: Nos vnanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrûm eligimus. cui & gaudentes toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quę ad profectum totius sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque omnium salutem decernitis & sancitis, totis viribus annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate obseruare promittimus. C

Et subscripserunt illi, qui in Italia adfuerunt.

Anspertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.
Ioannes sanctæ Aretinæ Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi.
Ioannes Episcopus sanctæ Ticinensis Ecclesiæ subscripsi.
Benedictus Cremonensis Episcopus subscripsi.
Teudulfus Dertonensis Episcopus subscripsi.
Adalgaudus Vercellensis Episcopus subscripsi.
Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.
Gerardus exiguus in exigua Laudensi Ecclesia Episcopus subscripsi.
Hilduinus Astensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ratbornus Sedis Augustanæ Episcopus subscripsi.
Leodoinus Mutinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Hildradus Albensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Bodo humilis sanctę Aquensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Sabbatinus Ienuensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Eilbertus Comensis Episcopus subscripsi.
Adelardus seruus seruorum Dei Veronensis Episcopus subscripsi.
Ego Paulus sanctæ Ecclesiæ Placentiæ Episcopus subscripsi.

A Ego Andreas sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Reginerius Abbas subscripsi.
Signum Bosonis incliti Ducis, & sacri Palatij Archiministri, atque Imperialis Missi.
Signum Richardi Comitis.
Signum VValfridi Comitis.
Signum Liutfridi Comitis.
Signum Alberiei Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Bodradi Comitis Palatij.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.

ACTA *sunt hæc in Palatio Ticinensi anno Domini* DCCCLXXVI. *regni domni Imperatoris Karoli, Hludovvici Aug. piæ memoriæ filij, in Francia* XXXVII. *Imperij primo, Indictione* IX.

CONFIRMATIO CISALPINORVM, APVD PONTIGONEM.

B SICVT domnus Ioannes Apostolicus, & vniuersalis Papa, primò Romæ elegit, atque sacra vnctione constituit: omnésque Italici Regni Episcopi, Abbates, Comites, & reliqui omnes, qui cum illis conuenerunt, domnum nostrum gloriosum Imperatorem Karolum Augustum vnanimi deuotione elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse, ita & nos, qui de Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac Prouincia, pridie Kalendas Iulij, in loco qui dicitur Pontigonis, anno XXXVII. in Francia, ac Imperij primo, iussu eiusdem domni & gloriosi Augusti cōuenimus, pari consensu ac cōcordi deuotione eligimus & cōfirmamus.

SVBSCRIPTIONES.

IOANNES Tuscanensis Episcopus, Legatus sanctæ Sedis Apostolicæ, & domni Ioannis summi Pontificis, & vniuersalis Papæ, in his quæ supra scripta sunt interfui, consensi, & subscripsi.

Ansegisus Senonum Metropolis Episcopus, sanctæ & Apostolicæ Sedis per domnum Ioannem summum Pontificem Papam Vicarius, interfui, consensi, & subscripsi.

Ioannes Aretinus Episcopus, sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, interfui, consensi, & subscripsi.

C Hincmarus Remorum Archiepiscopus subscripsi.
Aurelianus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus in Christi nomine roboraui.
Frotarius Archiepiscopus consensi, & subscripsi.
Ottramnus Viennensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ioannes Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.
Bertmundus Ebredunensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.
Ragenelmus Tornacensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
VValterus humilis Aurelianensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Gerboldus Cabillonensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Hildeboldus Suessionensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Rostagnus sanctæ Arelatensis Ecclesię humilis Episcopus subscripsi.
Isaac Lingonensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Lantbertus Matiscensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Ingelvvinus sanctę Parisiacensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Geroldus Ambianensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Abbo Neuernensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Ioannes Cameracensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Hadebertus Siluanectensis Ecclesię Episcopus subscripsi.

CAROLVS CALVVS.

Odo Belgiuacorum Episcopus In Christi nomine subscripsi. A
Rarbertus Valentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Bernarius Gratianopolitanæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Agenulfus Gabalitanensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Birico VVapincensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Alduinus Auenionensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
VVido Vellauensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Hildebrannus Sagensis Episcopus subscripsi.
VVillebertus humilis Catalaunorum Episcopus subscripsi.
Ragenfridus Meldensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Heirardus Lixouiensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Sigenandus Constanriensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Ætherius Viuariensis Episcopus subscripsi.
Erchambertus Baiocensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Hedenulfus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Agilmarus Atuernensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Anselmus Lemouicensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Adalbertus Morinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
VVillelmus Cadurcorum Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Lupus Albiensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ottulfus sanctæ Trecassinæ Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi. B
Berardus Virdunensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Arnaldus Leucorum Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Franco Tungrensis Ecclesię Episcopus subscripsi.
Theodoricus Vesontionum Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.
VVala Aurisiodorensis Episcopus subscripsi.
Adalgarius Augustidunensis Episcopus subscripsi.
Hemico Diensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Aimarus Rurhenensium Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Theotarius Gerundensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Hugo Abba.
Albustus Abbas ex Monasterio quod vocatur Bethleem, siue Ferrarias.
Hilduinus Abbas, & Bibliothecarius.
VVlfardus Abba scripsit, & subscripsit.
Gauzlenus Abba, & Archicancellarius.

EXACTIO NORTMANNIS CONSTITVTA.

HÆC *exactio à Nortmannis, qui erant in Sequana tempore Karoli Regis, de suo Regno fuit facta, vt ab ipsius Regno recederent.* C

VNVSQVISQVE Episcopus qui habet Abbatiam, aut Abbas qui similiter habet Abbatiam, aut Comes qui æquè habet Abbatiam, de suo manso indominicato, similitérque & de vassallorum, accipiat de manso indominicato denarios XII. de manso ingenuili quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de sua facultate. de seruili verò, duos denarios de censu, & de sua facultate II. De omnibus verò Ecclesiis, vnusquisque Episcopus, vel Abba, de sua solummodo potestate accipiant, de Presbyteris à quocumque plurimum solidos V. & de vnoquoque iuxta quod possibile fuerit. ita vt à quo plurimum, V. solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò, quas Comites & vassalli dominici habent, seu de illis, qui cum Seniore nostro pergere debent, siue qui remanserint, Episcopus, in cuius parrochia consistunt, secundum prætaxatum modum accipere procurabit. De Ecclesiis verò Imperatricis Episcopus similiter accipiet prætaxato modo.

ANNO *Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXVII. *Nonis Maij, in Compendio Palatio, de aliqua, sed non de tota parte Regni, quod domnus Imperator Karolus habuit antequam senior Hlotharius defunctus fuisset, hæc constituta est exactio Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, vt à Regno eius recederent.*

CAROLVS CALVVS.

A EPISCOPI, Abbates, Comites, ac vassi dominici ex suis honoribus de vnoquoque manso indominicato donent denarios XII. de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de facultate mansuarij. de seruili verò manso, duos denarios de censu indominicato, & duos de facultate mansuarij. De omnibus verò Ecclesiis, vnusquisque Episcopus de suo Episcopatu, vel Abbas de sua solummodo Abbatia, in cuiuscumque Episcopi sint parrochia, accipiant cum Misso Episcopi, in cuius parrochia sunt, de Presbyteris secundum possibilitatem, V. solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel vnum solidum. A quo plurimum, V. solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò Imperatoris & Imperatricis, & Comitum ac vassallorum Imperialium, tam de illis, qui cum Imperatore pergent, quàm & illis, qui remanserint, Episcopus, in cuius parrochia consistunt, secundum prædictum modum coniectum accipiat. De negotiatoribus autem, vel qui in ciuitatibus commanent, iuxtà possibilitatem, secundum quod habuerint de facultatibus, coniectus exigatur.

KAROLI IMPERATORIS APVD CARISIACVM.

B *HÆC Capitula constituta sunt à domno Karolo glorioso Imperatore, cum consensu fidelium suorum apud Carisiacum, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXVII. *regni verò ipsius* XXXVII. *Imperij autem* II. XVIII. *Kalendas Iulias, Indictione* X. *De quibus quadam ipse definiuit, & de quibusdam à suis fidelibus responderi iussit.*

CAP. I.

DE honore & cultu Dei, atque sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante, decernimus, vt sicut tempore beatæ recordationis domni, & genitoris nostri excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, & quæ à nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cetero sub integritate sui seruentur: & Sacerdotes, ac serui Dei vigorem Ecclesiasticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: & eisdem principalis potestas, & inlustrium virorum strenuitas, seu Reipublicæ administratores, vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iustè concurrant. & filius noster hæc suprascripta similiter Deo iuuante conseruet. 877.

RP. Primum Capitulum, sicut Deo inspirante decreuistis, omnes conlaudamus & conseruare volumus.

II.

C VT Monasterium à nobis Compendio in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consttuctum, à filio nostro & fidelibus nostris eo tenore quo cœpimus honoretur. & priuilegium à domno Papa & ab omnibus Episcopis confirmatum, Imperiale etiam decretum, ab omnibus fidelibus pro Dei & nostro amore benignissimè atque inuiolabiliter conseruetur, & à filio nostro firmetur.

RP. DE secundo similiter respondemus.

III.

VT tales à vobis eligantur, exceptis illis quibus commendatum habemus, quorum speciali consilio & adiutorio in præsenti itinere vtamur.

RP. DE tertio vos, sicut melius Deo inspirante vidistis, Regni vestri defensionem atque tuitionem, & filij vestri custodiam, per fideles vestros, tam per Episcopos, quàm Abbates & Comites, dispositum habetis, & necessarium esse cognoscimus. Ipsam dispositionem nos disordinare non possumus, nec debemus; & qualiter illam melius disponere possimus, non sapimus.

IV.

QVOMODO securi esse possimus, quousque Deo donante huc reuertamur, à nullo Regnum nostrum inquietari posse, quantum Deus vos adiuuare voluerit, & vestrum posse extiterit. & quomodo nos de filio nostro, & de vobis securi esse possimus, & vos de filio nostro securi esse possitis, & ipse de vobis, & vt vos ad inuicem credere possitis.

CAROLVS CALVVS. RP. De quarto, in quo scriptum est, quomodo vos de filio vestro securi esse A possitis, respondemus quia, Deo gratias, vos eundem filium vestrum & generastis, & nutristis, & sub nutrimento vestro Deus ad hanc ætatem illum perduxit: & nemo nostrûm illum amplius saluare potest, vel debet, aut sapit, quàm vos. & in vestro consilio & auxilio, ac dispositione, illius saluatio & honor post Deum & Sanctos eius consistit. & qualiter ad Dei voluntatem. & sanctæ Ecclesiæ & Regni vestri vtilitatem securi de illo esse possitis, in vestra dispositione manet. Et de hoc quod ibi scriptum est, quomodo de nobis securi esse possitis, qualiter vsquedum Deo donante huc reuertamini, vt à nullo Regnum vestrum inquietari possit, quantum Deus nos iuuare voluerit, & nostrum posse extiterit: Respondemus, quia sunt sacramenta, quæ vobis fecimus, & est professio quam vobis & Clerici & laici in Carisiaco fecimus, & subscripsimus: & est perdonatio, quam dominatio vestra nobis fidelibus vestris & perdonauit & subscripsit: & est professio & sacramentum, quæ in Gundulfi villa, pro nouis caussis emergentibus ex morte Hlotharij, & missatico domni Apostolici Hadriani, & missatico Hludovvici nepotis vestri, vobis fecimus. Est etiam professio, quam Remis, & de vestra fidelitate, & de vestri Regni dispositione ac defensione, & de vxore vestra, & de filio vestro quem habetis, & si Deus adhuc etiam alterum dederit, professi fuimus. Quæ omnia hactenus conseruauimus, & conseruamus, & adiuuante Deo vsque ad finem vitæ nostræ conseruare volumus. vnde pro certo nos veraciter credere potestis. Si autem aliquis à præfatis sacramentis vel professionibus deuiauit, hoc secundum rationem & auctoritatem atque consuetudinem emendet, & de B cetero conseruet. Si autem talis est de vestris fidelibus, qui has professiones non fecit, si necesse fuerit faciat, & de cetero conseruet. Fideles etiam vestri post mortem fratris vestri ad vos venerunt. quale sacramentum vobis fecerunt vos scitis. Qui autem de illis illud sacramentum hactenus conseruauit, de cetero conseruet: & si aliquis ab illo sacramento deuiauit, secundum rationem & auctoritatem atque consuetudinem hoc emendet, & deinceps conseruet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter nos securi de filio vestro esse possimus: respondemus, quia de filio vestro, quem per Dei gratiam, & vestram dispositionem, futurum Seniorem post vos habere volumus, nullam firmitatem aliam quærimus, nisi hoc quod vos in Capitulari vestro statuistis & decreuistis, nobis vnicuique in suo ordine & persona conseruet. De hoc quod ibidem scriptum est, qualiter ipse de nobis securus esse possit, respondemus, quod & Remis respondimus, quia si Deus & vos illum in Regni regimine sublimaueritis, & in parte denominata illum designaueritis, sic ei fideles esse cupimus, sicut per rectum esse Seniori debemus. De hoc quod ibi scriptum est, & nobis verbis dixistis, vt ad inuicem nos credere possimus: verbis fideliter nos confirmauimus, vt ad Dei voluntatem, & vestram fidelitatem & honorem, & sanctæ Ecclesiæ ac Regni vestri vtilitatem, ac fidelium vestrorum saluamentum, Deo mediante adunati simus, quantum vnusquisque nostrum in suo ordine & persona per Dei gratiam scire & posse habuerit, vt ad inuicem nos credamus, & mutuo adiuuemus. C

V.

Vt ea quæ per largitatis nostræ præcepta dilectæ coniugi nostræ in proprium habere concessimus, filius noster ante nos confirmet: & ex omnibus, quæ illi iure beneficiario concessimus, siue concesserimus, si obitus noster euenerit, & illa nos superuixerit, quomodo securi sumus, quatinus illam & sua omnia filius noster, & fideles nostri condigno honore studeant conseruare.

RP. De quinto Capitulo, in quo scriptum est de dilectæ coniugis vestræ dominæ nostræ honore & saluamento, & de conseruatione earum rerum quas illi dedistis, vel dederitis, & de confirmatione à filio vestro exinde facienda: & filius vester ad hoc paratus est, sicut iubetis, & nos, quantum scierimus & potuerimus, ad hoc parati erimus.

VI.

De filiabus nostris, cum quo honore secundum Dei voluntatem, & quali saluamento aut adiutorio consistere debeant. Quod etiam paruulæ nostræ filiæ datum habemus, aut deinceps dederimus, cum quali securitate tenere possit. Et si Deus eam ad perfectam ætatem venire donauerit, in matris suæ sit potestate, &

A à nullo contra ipsius voluntatem vel marito tribuatur, vel sacrum ei velamen imponatur.

RP. SIMILITER & de filiabus vestris, & etiam de paruula filia vestra sicut in Capitulo vestro continetur, & filius vester paratus est conseruare, & ad hoc conseruandum, quantum scierimus & potuerimus, adiutorium præstabimus.

VII.

DE ordinandis scaris, &c, si nepotes nostri, sui patris imitantes vestigia, contra nos aut in itinere, aut postquam ad dispositum locum Deo duce venerimus, aliquid nobis mali aut Regno nostro machinari voluerint, quomodo illis, Deo iuuante, plenissimè resistatur.

RP. DE scaris ordinandis, & de adiutorio, si aliquis de nepotibus vestris, aut inter vias, aut in Italia vobis aliquod impedimentum facere voluerit, in vestra dispositione erit, qui in isto Regno remaneant, vel qui post vos in vestrum adiutorium pergant.

VIII.

SI antequàm redeamus, aliqui honores interim aperti fuerint, considerandum quid exinde agatur.

RP. SI antequam iuuante Domino reuertamini, aliquis Archiepiscopus defunctus fuerit, vicinus Episcopus ipsius diœcesos cum Comite ipsam Sedem præuideat, vsque dum obitus ipsius Archiepiscopi ad vestram notitiam perueniat.

B Si aliquis Episcopus interim obierit, Archiepiscopus ipsi Sedi visitatorem secundum sacros canones deputet, qui vnà cum Comite ipsam Ecclesiam ne prædetur custodiat, vsque dum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perueniat. Si Abbas, vel Abbatissa obierit, Episcopus, in cuius parrochia Monasterium illud est, vnà cum Comite illud Monasterium custodiat, vsque dum vestra iussio inde fiat.

IX.

SI Comes obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster eum ceteris fidelibus nostris ordinet, de his qui illi plus familiares & propinquiores fuerint, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus, & Episcopo, ipsum Comitatum præuideat, vsque dum nobis renuntietur. Si autem filium paruulum habuerit, isdem cum ministerialibus ipsius Comitatus, & Episcopo, in cuius parrochia consistit, eundem Comitatum præuideat, donec ad nostram notitiam perueniat. Si verò filium non habuerit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus, & Episcopo, ipsum Comitatum præuideat, donec iussio nostra inde fiat. Et pro hoc nullus irascatur, si eundem Comitatum alteri cui nobis placuerit dederimus, quàm illi qui eum hactenus præuidit. Similiter & de vassallis nostris faciendum est. Et volumus, atque expressè iubemus, vt tam Episcopi, quàm Abbates, & Comites, seu etiam ceteri fideles nostri, hominibus suis similiter conseruare studeant: & tam de Episcopatibus, quàm & de C Abbatiis, vicinus Episcopus & Comes præuideant, ne aliquis res Ecclesiasticas vel facultates diripiat, & nullus ad eorum eleemosynam faciendam impediat. Quòd si præsumpserit, & secundum leges humanas hoc componat, & secundum leges Ecclesiasticas inde Ecclesiæ quam læsit satisfaciat, & nostram harmiscaram secundum modum culpæ, & vt nobis placuerit, sustineat.

RP. CETERA Capitula responsione non egent, quoniam à vestra sapientia sunt disposita & diffinita.

X.

SI aliquis ex fidelibus nostris post obitum nostrum, Dei & nostro amore compunctus, seculo renuntiare voluerit, & filium, vel talem propinquum habuerit, qui Reipublicæ prodesse valeat, suos honores prout melius voluerit ei valeat placitare. Et si in alode suo quietè viuere voluerit, nullus ei aliquod impedimentum facere præsumat, neque aliud aliquid ab eo requiratur, nisi solummodo vt ad patriæ defensionem pergat.

XI.

SI aliqua occasione filio nostro, aut fidelibus nostris, de nostro obitu nuntiatum fuerit, non facilè credatur: sed conueniant simul fideles nostri, & rationabiliter secundum Dei voluntatem omnia à nobis ordinata disponant.

CAROLVS CALVVS.

XII.

A

Si nos in Dei, Sanctorúmque ipsius seruitio mors præoccupauerit, Eleemosynarij nostri, secundum quod illis commendatum habemus, de eleemosyna nostra decertent. & libri nostri, qui in thesauro nostro sunt, ab illis, sicut dispositum habemus, inter S. Dionysium, & S. Mariam in Compendio, & filium nostrum dispertiantur. Id est, Hincmarus venerabilis Archiepiscopus, Odo Episcopus, Gauzlinus Abba, Arnulfus Comes, Bernardus Comes, Chuonradus Comes, Adalelmus Comes. Similiter de his quæ ad eleemosynam coniugis nostræ pertinent, si ipsa obierit, faciant. Quæ verò superfuerint, ab ipsis saluentur vsque ad nostram, Deo dante, interrogationem.

XIII.

Inveniendvm qualem partem Imperij, si obitus noster euenerit, sibi decernendam sperare filius noster debeat: & si Deus alterum filium nobis interim donare voluerit, quam ipse habeat. Et si aliquis ex nepotibus nostris ad hoc se dignum exhibuerit, vel si non fecerit, secundum quod nobis tunc, & cui placuerit, censeatur.

XIV.

Vt filius noster talem se & taliter præparet, quatenus, cùm, Deo iuuante, reuersi fuerimus, Romam ire valeat, & ibi Dei & sanctorum Apostolorum quandiu necesse fuerit seruitium agere, & ibi, Deo adminiculante, in Regem possit coronari. B

XV.

Qvaliter & quo ordine filius noster in hoc Regno remaneat, & qui debeant esse, quorum auxilio vtatur, & vicissitudine cum eo sint. Videlicet ex Episcopis assiduè sint cum illo aut Ingiluuinus, aut Reinelmus, siue Odo, seu Hildeboldus. Ex Abbatibus, si alia necessitas non euenerit, assiduè sint cum eo, VVelpho, Gauzlinus, & Folco. Ex Comitibus verò, aut Teudericus, aut Balduinus, siue Chuonradus, seu Adalelmus, alternatim cum illo consistent: &, quanto sæpiùs pro nostra vtilitate potuerint, Boso & Bernardus. Si versus Mosam perrexerit, sint cum eo Franco Episcopus, Ioannes Episcopus, Arnulfus Comes, Gislebertus, Letardus, Marfridus, VVidricus, Gorbertus, Adalbertus, Ingelgerus, Rainerus, vnà cum prædictis. Si vltra Sequanam perrexerit, Hugo Abba, VValtherus Episcopus, VVala Episcopus, Gisleberrus Episcopus, & ceteri nostri fideles illius partis, vna cum prædictis. Sed & de aliis fidelibus nostris, secundum quod in vnaquaque parte Regni necesse fuerit.

XVI.

Si subitò euenerit in aliqua parte Regni necessitas, videtur nobis, vt quia Deo gratias filius noster iuuenis est, non omnes fideles nostros æqualiter faciat laborare. Sed sicut nos iam, Deo iuuante, sæpissimè fecimus, acceptis secum strenuis viris ex fidelibus nostris, inimicis nostris insperatè superueniat, & eos viriliter perterreat, & qui cum eo ire non potuerint, mittant cum eo electos viros, prout necessitas fuerit. C

XVII.

Adalardvs Comes Palatij remaneat cum eo cum Sigillo. & si ipse pro aliqua necessitate defuerit, Gerardus, siue Fredricus, vel vnus eorum qui cum eo scariti sunt, causas teneat. & vel vna die in septimana ipse causas teneat, & vbicumque fuerint, de pace præuideant.

XVIII.

Comites quoque per suos Comitatus de raptoribus & malis hominibus præuideant, qualiter pax fiat, & malla teneant, & omnibus qui hostem debent, denuntient vt parati sint, quatinus si necessitas fuerit, in Dei & nostrum seruitium pergere valeant. Et Missi nostri, qui per omne Regnum nostrum constituti sunt, missaticum nostrum, prout eis opportunum fuerit, agere non negligant.

XIX.

Si vverra in Regno surrexerit, quam Comes per se comprimere non possit, filius noster cum fidelibus nostris eam quantocius comprimere studeat, antequam malum in Regno nostro accrescere possit.

XX.

A VT filius noster cum fidelibus nostris in illa parte Regni moretur, vbi maior necessitas fuerit. & nemo in villis nostris, vel in villis vxoris nostræ mansionaticum accipiat. & nullus homines nostros siue alios deprædari audeat. & eorum qui nobiscum vadunt beneficia, & villæ sub emmunitate maneant. Quòd si aliquis præsumpserit, in triplo componat, sicut ille qui in treuste dominico committit. Et qui in villas Episcoporum, Abbatum, vel aliorum fidelium nostrorum, deprædationes fecerint, sicut in Capitularibus antecessorum nostrorum, & in nostro continetur, emendent.

XXI.

VT nemo despiciat literas nostra auctoritate, aut filij nostri nomine signatas, vel eorum quos in hoc Regno cum illo dimittimus: neque inobediens sit quæ sibi mandata fuerint. Quòd si præsumpserit, ita multetur, sicut in Capitulari aui, & domni ac genitoris nostri continetur.

XXII.

MONENDVM quoque, & hortandum, vt fidelium nostrorum, qui cum filio nostro remanserint, nullus in consilio tardus appareat: sed vnusquisque, vt sibi melius visum fuerit, loquatur, & post omnium locutiones, quod melius visum fuerit eligant.

XXIII.

B QVALITER Regnum, quod necessitate Brittonibus quondam iuramento confirmatum fuerat, quia de illis, quibus firmatum est, nullus superstes est, à fidelibus nostris recipiatur.

XXIV.

DE Regno Aquitanico.

XXV.

VT post nos, cum his quæ nobis ferenda sunt pergat, primum VVillebertus Episcopus, deinde Arnoldus Episcopus, & deinde VVala Episcopus. Et vt filius noster, & alij nostri fideles ad hoc studeant, vt nihil noui aut mali in hoc Regno surgat, quod aut per equites, aut per cursores pedites non sciamus, quia de vestra prosperitate, sicut de nostra, semper solliciti erimus. Et si nepotes nostri, filij fratris nostri, sui patris imitantes exempla, post nos pergere, & contra nos insurgere voluerint, non expectetur, vt commendemus fidelibus nostris, vt nobis occurrant: sed prout plenius potuerint, statim vt hoc cognoscere potuerint, nobis in adiutorium, prout citius potuerint, veniant, & ad hoc omnes semper vvarniti sint.

XXVI.

VT castellum de Compendio à nobis cœptum, pro nostro amore, & vestro honore, perficiatur in testimonium dilectionis vestræ erga nostram benignitatem.

XXVII.

C DE ciuitate Parisius, & de castellis super Sequanam, & super Ligerim, & vtraque parte, qualiter & à quibus instaurentur, specialiter etiam de castello S. Dionysij.

XXVIII.

DE VVlframno, & Gauzmaro, & Hadebetto aurifice, sicuti statuimus, ita permaneant.

XXIX.

DE monetis.

XXX.

QVALITER hoc perficiatur, & ad effectum perueniat, quod Normannis dari debet de coniecto.

XXXI.

DE honoribus Bosonis, Bernardi, & VVidonis, & aliorum illarum partium. & de cappis, & aliis negotiatoribus, videlicet vt Iudæi dent decimam, & negotiatores Christiani vndecimam.

XXXII.

IN quibus ex nostris Palatiis filius noster, si necessitas non fuerit, morari, vel in quibus forestibus venationem exercere non debeat. Carisiacus penitus cum forestibus excipitur. Siluacus cum toto Laudunensi similiter. Compendium cum

CAROLVS CALVVS. Causia similiter. Salmonciacus similiter. In Odreia villa porcos non accipiat: & non ibi caciet nisi in transeundo. In Attiniaco parum cacier. In Verno porcos accipiat tantùm. Arduenna penitus excipitur, nisi in transeundo. & villæ ad seruitium nostrum similiter. In Ligurio porcos & feramina accipiat. Aristallium cum foreste penitus excipitur. In Lens, & VVara, & Astenido, & feramina, & porcos capere potest. In Rugitusit, in Scadebolt, in Launif, tantummodo in transitu, & sicut minus potest. In Crisiaco similiter. In Lisga porcos tantùm accipiat. A

XXXIII.

VT Adelelmus de forestibus diligenter sciat, quot porci & feramina in vnaquaque à filio nostro caciata fuerint.

XVI. Kalend. prædicti mensis, postquam domnus Imperator Karolus adnuntiauit generaliter in populum de suo itinere Romam: & quia ordinatum habebat, qualiter filius suus in Regno isto consistat, & quorum in specialibus & generalibus causis vtatur consilio, & adiuuetur auxilio: & quia ordinatum habebat, quomodo Nortmanni de isto Regno expellantur, & postea defendantur: & si vverra de quacumque parte in isto Regno surrexerit, comprimatur, vel defendatur. & quia de generalibus & specialibus causis generalia & specialia Capitula habebat disposita, quæ filio suo & fidelibus suis, qui in isto Regno remanebant, data habebat, & secum portabat: dixit, quia de ipsis Capitulis quædam Capitula excerpta habebat, quæ in illorum omnium notitiam recitari volebat. Et tunc iussit Gauzlenum Cancellarium, vt hæc sequentia Capitula in populum recitaret. B

CAP. I.

DE honore & cultu Dei, atque sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante, decernimus, vt sicut tempore beatæ recordationis domni & genitoris nostri excultæ & honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, & quæ à nostra liberalitate honoratæ atque ditatæ sunt, de cetero sub integritate sui seruentur: & Sacerdotes atque serui Dei vigorem Ecclesiasticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: & eisdem principalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu Reipublicæ administratores, vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter, & iustè concurrant. Et filius noster hæc supradicta simul, Deo iuuante, conseruet.

II.

VT omnes nostri fideles veraciter sint de nobis securi, quia quantum potuerimus, & iustè, & rationabiliter scierimus, vnumquemque secundum sui ordinis dignitatem & personam honorare & saluare, & honoratum ac saluatum conseruare volumus. Et vnicuique eorum in suo ordine, secundum sibi competentes leges, tam Ecclesiasticas quàm mundanas, rectam rationem & iustitiam conseruabimus: & nullum fidelium nostrorum contra legem vel iustitiam, aut auctoritatem & iustam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus: & legem, vt prædiximus, vnicuique competentem, sicut antecessores sui tempore antecessorum nostrorum habuerunt, in omni dignitate & ordine nos, adiuuante Domino, seruaturos perdonamus. illis videlicet, qui nobis fideles & obedientes, atque adiutores & cooperatores, iuxta suum ministerium & personam, consilio & auxilio, secundum suum scire & posse, & secundum Deum, ac secundum seculum fuerint, sicut per rectum vnusquisque in suo ordine & statu Imperatori suo, & suo Seniori esse debet. Et Capitula, quæ auus, & pater noster, pro statu & munimine sanctæ Dei Ecclesiæ, & ministrorum eius, & pro pace ac iustitia populi, ac quiete Regni constituerunt, & quæ nos cum fratribus nostris Regibus, & nostris & eorum fidelibus communiter constituimus: sed & quæ nos consilio & consensu Episcoporum, ac ceterorum Dei & nostrorum fidelium, pro suprascriptis causis in diuersis Placitis nostris conseruanda statuimus, & manere inconuulsa decernimus, similiter & à filio nostro inconuulsa conseruari volumus & mandamus. C

III.

SI Comes de isto Regno obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster cum

A ceteris fidelibus nostris ordinet, de his qui eidem Comiti plus familiares propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus, & cum Episcopo, in cuius parrochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum præuideant, vsque dum nobis renuntietur, vt filium illius qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus. Si autem filium paruulum habuerit, isdem filius eius, cum ministerialibus ipsius Comitatus, & cum Episcopo, in cuius parrochia consistit, eundem Comitatum præuideant, donec obitus præfati Comitis ad notitiam nostram perueniat, & ipse filius eius per nostram concessionem de illius honoribus honoretur. Si verò filium non habuerit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus, & cum Episcopo proprio, ipsum Comitatum præuideat, donec iussio nostra inde fiat. Et pro hoc ille non irascatur, qui illum Comitatum præuiderit, si eundem Comitatum alteri cui nobis placuerit dederimus, quàm illi qui eum eatenus præuidit. Similiter & de vassallis nostris faciendum est. Et volumus atque præcipimus, vt tam Episcopi quàm Abbates, & Comites, seu etiam ceteri fideles nostri, hoc erga homines suos studeant conseruare. CAROLVS CALVVS.

IV.

VOLVMVS etiam, & expressè præcipimus, quòd si aliquis Episcopus, vel Abbas, Abbatissa, vel Comes, aut vassallus noster obierit, nullus res Ecclesiasticas aut facultates diripiat, vel Comitis, aut vassalli nostri, aut alicuius defuncti B res aut facultates inuadere, vel vsurpare præsumat, vel vxoribus defunctorum laicorum, ac filiis quamcumque violentiam inferat, & nullus ad illorum eleemosynam faciendam, eleemosynarios eorum impediat. Quòd si aliquis præsumpserit, & secundum leges mundanas hoc cum banno nostro componat, & secundum leges Ecclesiasticas inde Ecclesiæ, quam læsit, satisfaciat. Insuper nostram harmiscaram, secundum modum culpæ, & vt nobis placuerit, sustineat.

Post hæc lecta Capitula, dedit omnibus licentiam cum Dei gratia & sua redeundi ad propria, exceptis his quos specialiter pro specialibus causis considerandis, vel pro dona liberanda secum aliquantis diebus manere præcepit.

GESTA QVALITER ELECTIO CAROLI CALVI Imperatoris confirmata fuit Romæ, mense Februario, Indictione x. anno Christi DCCCLXXVII.

Sermo Domini Apostolici Ioannis in Synodo Episcoporum.

C OMNIBVS generationibus, immo cunctis mortalibus liquet, qualiter omnipotens & creator vniuersorum Deus in Ecclesiæ suæ parte, quæ gemebunda peregrinatur in terris, per generationes & generationes electos suos velut in cœlorũ ambitu sydera noua produxerit, vt quodãmodo in eiusdẽ Ecclesiæ cœlo fixa, diuino lumine radiantia mœrentiũ animos illustrarent, depulsis terræ mœstitiæ tenebris, & diuersarum angustiarum dissipata caligine. Inter quas, tanquam clarissimum sidus, diebus nostris ecce nobis CAROLVM Christianissimum Principem superna prouidentia præscitum à se & prælectum ante mundi constitutionem, & prædestinatum, non nisi copiosissima miseratione circa nostram salutem mota, secundum placitum suum, iuxta quod congruum erat in isto periculoso tempore, tribuit, nepotem videlicet illius quondam Magni CAROLI, qui Rempub. præliis auxit, victoriis dilatauit, sapientiâ decorauit. Qui cùm omnes Ecclesias sublimasset, semper hoc ei erat in voto, semper in desiderio, sicut in gestis, quæ de eo scripta sunt, legitur, vt sanctam Romanam Ecclesiam in antiquum statum & ordinem reformaret. Vnde & hanc multis honoribus extulit, multis munificentiis & liberalitatibus ampliauit, adeò vt amissas olim vrbes ei restituisset, & ex Regni quoque sui parte alias non modicas contulisset. Sed pauca dicta sunt, nisi quæ circa Religionis incrementum gessit magna & sublimia, memorentur. Religionis quippe statum inter diuersorum errorum & prauitatum vepres, incultum inuentum sacris litteris erudiuit, diuina pariter & humana scientia perornauit, er-

CAROLVS CALVVS. roribus expurgauit, ratis dogmatibus saginauit, atque intra breuissimum tempus ita industrio pietatis studio egit, vt nouus quodammodo videretur mundus, magnis luminaribus venustatus, & variis vernantibus floribus adornatus. Cuius filius, diuæ scilicet recordationis HLVDOVVICVS maximus Imperator, pater huius à Deo electi Principis Caroli semper Augusti, patrium solium adeò religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus est, vt & paterna diuini cultus vota, & erga prælatam principalem Ecclesiam liberalitatis insignia pius natus æquipararet & roboraret: sed & vberioribus beneficiis, & dapsilibus munificentiis, vt heres gratissimus, ampliaret. Verùm, iste huius præfulgidus filius, Carolus videlicet, de quo nobis sermo est, serenissimus & tranquillissimus Imperator, qui nobis, vt prætulimus, in quos fines seculorum deuenerunt, quique caligosi temporis ex quadam parte tetras ærumnas & miserias sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab arce polorum illuxit, non solùm monumenta progenitorum, bonitatem electæ radicis ferens in ramo, alacriter æquiperauit; verumetiam omne prorsus auitum studium vicit, & vniuersum paternum certamen in causa religionis atque iustitiæ superauit: Ecclesias videlicet Domini diuersis opibus ditans, Sacerdotes eius honorans, hos ad vtramque Philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans, viros peritos amplectens, religiosos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus subsecurus, & omne malum medullitus detestarus. Quapropter & nos, carissimi Fratres, tot B ac tantarum dilectionum eius atque virtutum audientes insignia, & laudabilium longè latéque diffusa morum eius intuentes indicia, pietatis illius affectus experti frequentissimè ac multifariè viscera, non immerito intelleximus istum esse proculdubiò, qui à Deo constitutus esset Saluator mundi, multo profectò præstantiùs ac decentiùs ita vocatus, quàm Ioseph, qui penè solam terram saluauit Ægypti. Vnde ab vniuersa sancta Romana plebe voce almæ illius Annæ sanctæ personam gestantis Ecclesiæ, sterilis & fœcundæ, prophetico quodammodo spiritu temulentæ, cotidie clamabatur, *Dominus dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*: & iterum cum Dauid orat, Rege pariter ac Propheta, *Da*, inquiens, *potestatem siue Imperium puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ*, sanctæ videlicet Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Vnde nos, tantis indiciis diuinitus incumbentibus luce clariùs agnitis, superni secreti consilium manifestè cognouimus. Et quia pridem Apostolicæ memoriæ decessori nostro Papæ Nicolao idipsum iam inspiratione cœlesti reuelatum fuisse comperimus, elegimus hunc meritò, & approbauimus, vnà cum annisu & voto omnium Fratrum & Coepiscoporum nostrorum, atque aliorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministrorum, amplique Senatus, totiúsque Romani populi, gentisque togatæ, & secundum priscam consuetudinem, solemniter ad Imperij Romani sceptra proueximus, & Augustali nomine decorauimus: vngentes eum oleo extrinsecus, vt interioris C quoque Spiritus sancti vnctionis monstraremus virtutem, qua vnxit eum Dominus Deus suus præ consortibus suis, Christum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinsecus faciens, & Principem populi sui constituens: ad imitationem scilicet veri Regis Christi filij sui Domini nostri, ita vt quod ipse possidet per naturam, iste consequeretur per gratiam. Deinde non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut improbus intulit, non tanquam importunus fraude aliqua vel praua machinatione, aut inhianti ambitione ad Imperialem apicem aspirauit. Absit. Neque enim sibi honorem præsumptuosè adsumpsit vt Imperator fieret, sed tanquam desideratus, optatus, postulatus à nobis, & à Deo vocatus & honorificatus, ad defendendam Religionem, & Christi vtique seruos tuendos, humiliter atque obedienter accessit, operaturus & roboraturus in Imperio summam pacem & tranquillitatem, & in Ecclesia Dei iustitiam & exaltationem. Nisi enim nos talem eius cognouissemus intentionem, nunquam animus fieret noster tam promptus ad ipsius promotionem. Et hoc per Sacerdotum Dei manus, & ministrorum eius officium, sicut Dauid & Salomon, & nonnulli alij Christi Domini, quos nimirum non esse tangendos Spiritus sanctus per Psalmorum Cantica protestatur. Quapropter, Fratres carissimi, vnanimes idipsum sentientes, benedicamus Domino, & totis cordis ac corporis vocibus collaudemus, qui, secundum quod pollicitus est, spernentes spreuit, & glorificantem se glorificauit: quique

[Margin notes: 1. Reg. 2. 10. — Psal. 85. 16. — Psal. 104. 15 — 1. Reg. 2. 30.]

A quique hunc tantum nobis talémque contulit, per quem mœrentium consolatio, & Paganorum contritio, & Christianorum proculdubio speretur cita redemptio. Summámque maiestatem eius & pietatem votis continuis obsecremus, vt confirmet hoc in eo, imò & in nobis per eum, quod operatus est in eo à templo sancto suo, quod est in superna Hierusalem. Nosque, quod iam in Romana Ecclesia, quæ est magistra, mater, & caput Ecclesiarum, auctore Deo famulatus nostri ministerio gessimus, preces benedictionis fundentes, & coronam imponentes sceptri, & diadema Imperij, etiam hic in sancta ac generali fraternitatis nostræ Synodo, ad quam Deo duce pro innumeris necessitatibus & vtilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ conuenisse dinoscimur, iteratò cordis affectibus, & oris vocibus, & manus subscriptionibus roboremus. nec sint, quod absit, in nobis schismata, quæ Apostolus medullitus execratur, nec animorum alicuius diuisionis & diuersitatis dissensio. *1. Cor. 1. 10.*

Carolus Caluus.

Responsio Episcoporum.

Ecce, beatissime & Apostolice domine Papa Iohannes, clariùs videmus mentem apicis vestri gratia sancti Spiritus illustratam, qui profectò quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. Nisi enim ipse cor vestrum irradians tetigisset, nec ad tantæ dilectionis erga nos flagrantiam accenderet, nec ad tot mellifluos & salutares affectus, quibus nos proculdubio piè & assiduè instruitis, proculdubio moueretur. Spiritalem autem filium vestrum dominum Imperatorem B Carolvm, Christianissimum & mansuetissimum Principem, tantò iure cupimus & desideramus Augustalia Romani sceptri gubernacula inconcussa & immutilata, imò augmentata & ampliata fine tenus retinere, quantò liquidiùs non per hominem, neque ab homine sublimatum, & ad tantum culmen potestatis euectum, superna gratia reuelante, cognouimus. qui nimirum cordi sacratissimo Apostolatus vestri interiùs inspirauit, vt non vos prius eligeret, sed contra vos eum & eligeretis, & diligeretis. Sed & nos, ô domine & coangelice Papa vestigia vestra sectantes, & salubria monita recipientes, quem amatis amamus, quem dilexistis diligimus, quem elegistis elegimus, & quod in eo auctore omnium bonorum Deo, siue diuina benedictione, siue sacra vnctione, siue coronæ Imperialis impositione gessistis, uiscerabili affectu sequimur, & celebri laude prosequimur, & digna honorificentia veneramur, atque totius sensus nostri nisibus ita permanere atque pollere semper optamus. Sed & si necessitas fortassis exegerit, totis officij nostri conatibus aduersus aliter sentientium molimina resistere satagemus. Cùm enim, secundum Apostolum, non sit potestas nisi à Deo, & hæc præcipuè quæ tam pio collata est, haud dubium quin Dei ordinationi resistat, qui isti ordinationi, quæ nobis ministrantibus cœlitus facta est, obstinata mente resistit. Apostolico quippe culmini, docente sancto Bonifacio Papa, nemo vnquam obices manus intulit, nisi qui de se voluit iudicari. Durum est autem C contra stimulum calcitrare, vel aduersus impetus fluminis conari. *Rom. 13. 1.*

Item Summus Pontifex.

Qvia igitur, Fratres charissimi, inspiratio diuina omnium nostrûm corda in vnum sensum, & in vnum cumdémque deliberationis finem direxit, vt scilicet vnum sentiamus, & vnum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, quæ in præfato piissimo & tranquillissimo Imperatore, spiritali filio nostro Carolo, auctore Deo, siue preces benedictionis super caput eius infundendo, siue sacræ vnctionis oleo celsum ipsius verticem contingendo, siue coronam Imperij conferendo gessimus, sententiæ prolatione, si vnanimi generalitati vestræ videtur, & per manuum subscriptionem etiam in præsenti ac venerabili Synodo, sicut iam hortati sumus, iteratò promulgemus & roboremus.

Sancta Synodus respondit.

Placet, & valde placet, in omnibus vestra serenissima sectari vestigia, neque fas est vt à culmine Apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem videlicet ipse Christus Dominus noster omnium nostrum, ad vicem suam, in terris esse voluit caput.

Tunc surgens Summus Pontifex sententiam protulit, dicens:

Piissimi & serenissimi spiritalis filij nostri Caroli magni & pacifici Imperatoris ad Imperialia sceptra electionem & promotionem ante mundi quidem

CAROLVS CALVVS. ordinem diuinitus ordinatam, nuper autem, id est præterita nona Indictione, per A ministerium nostræ mediocritatis exhibitam, annuente Deo ex tunc & nunc & in perpetuum, firmam & stabilem decernimus permansuram.

Responderunt omnes, PLACET, PLACET.

Item, Si quis tantæ rei diuinitus actæ proculdubiò institutionem superbiâ aut auaritiâ, vel certè aliquo pessimæ ambitionis instinctu perturbare aut violare temptauerit, cuiuscunque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, tanquam Dei inimicus, & ordinationi eius tyrannide sæua resistens, & Ecclesiæ Dei hostis, totiusque pacis & Christianitatis dissipator, anathemate, vsque ad satisfactionem, teneatur omni tempore annexus.

Responderunt, FIAT, FIAT.

Item Summus Pontifex.

PATRATORES & incitatores pessimi huius consilij, qui profectò, cùm ministri sint diaboli, sua quærunt, non quæ Iesu Christi, & in Imperium subintroducere simultates & discordiam moliuntur, ac fraudulentum immittere schisma, ad confundendam Ecclesiæ vnitatem, Regnique congruum statum & ordinem, reique publicæ vtilitatem & tranquillitatem conantur, si deinceps in talibus inuenti fuerint, si quidem Ecclesiastici viri extiterint, tanquam viri schismatici, & à capite dissidentes, omnimodis deponantur: Laici verò & Monachi perpetuo anathemate feriantur.

Et responderunt omnes tertio, FIAT, FIAT, FIAT.

Subscripsit ergo domnus Papa, & cum eo Episcopi qui adfuerunt. B

HERICI MONACHI S. GERMANI AVTISSIODORENSIS, AD CAROLVM CALVVM IMP.

EPISTOLA.

Qua præcipuè multiplex eiusdem CAROLI erga quæque optimarum artium ac disciplinarum studia, tum beneficiorum, tum auctoritatis fomentum commendat.

Desumpta ex Vita S. Germani Antißiodorensis Episcopi, quam Hericus ipse carmine descripsit.

IMMORTALIBVS Sceptris prædestinato, Regumque omnium præcellentissimo CAROLO perpetuo triumphatori, ac semper Augusto, HERICVS Cœnobitarum extimus, instantem ac perpetuam in Domino felicitatem. Quoties memoriâ replico Altitudinem vestram sceptra paterna non modo virtute, consilio, prudentiáque regere, verum etiam non minore studio ex intimis sapientiæ speculis veræ pulcritudinis colores ducere, hisque tempora perditis fœdata moribus informare: subindè in spes optimas erigor, eiúsque sæpenumerò, quæ ante nos dicta est, sententiæ veritate repungor*, Felicem fore Rempublicam, si vel philosopharentur Reges, vel Philosophi regnarent. Quanquam non insciens sim, eam, quæ nunc Respublica dicitur, vsque adeò vitiorum omnium proluuie obsoleuisse, vt de eius salute meritò desperetur à pluribus: quòd nec virtute subigi, nec sapientia patitur moderari. Multa sunt vestræ monumenta clementiæ, multa symbola pietatis. Illud vel maximè vobis æternam parat memoriam, quòd famatissimi* aui vestri CAROLI studium erga immortales disciplinas non modo ex æquo repræsentatis, verumetiam incomparabili feruore transcenditis: dum quod ille sópitis eduxit cineribus, vos fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis, vsquequáque prouehitis: immò, vt sublimibus sublimia conferam, ad sydera perurgetis. Ita vestra tempestate ingenia hominum duplici nituntur adminiculo, dum ad sapientiæ abdita persequenda omnes quidem exemplo allicitis, quosdam verò etiam præmiis inuitatis. Huc accedit illud veritatis inexpugnabile argumentum, quo se vestra singularis pruden-

* MS. Cod. Laudunen. hab. repugnor,

* famosissimi

A tia contra emergentes fortè querimonicas circunspecta satis ratione tuetur. Ne enim nostra inertia, quæ suam sponte amplectitur cæcitatem, velum sibi excusationis de ignorantia obduceret, neue de præceptorum inopia meritò causaretur: id vobis singulare studium effecistis, vt sicubi terrarum Magistri florerent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndecumque vestra Celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas prouocaret. Luget hoc Græcia, nouis inuidiæ aculeis lacessita, quam sui quondam incolæ iamdudum cum Asianis opibus aspernantur: vestra potius magnanimitate delectati, studiis allecti, liberalitate confisi. Dolet, inquam, se olim singulariter mirabilem, ac mirabiliter singularem, à suis destitui. Dolet certè sua illa priuilegia, quod numquam hactenus verita est, ad climata nostra transferri. Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine, pene totam cum grege Philosophorum ad littora nostra migrantem? Quorum quisquis peritior est, vltrò sibi indicit exilium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad votum. Itaque, Cæsar inuictissime, penè est, vt vniuersus Orbis nouas in te struat controuersias, nouis aduersum te declamationibus inuehatur: qui dum te, tuósque ornamentis sapientiæ illustrare contendis, cunctarum ferè gentium scholas & studia sustulisti. Sublatis enim præceptoribus, confine & consequens est, facilè omnium ingenia otio congelasse. Ita namque spretis ceteris, in eam B mundi partem, quam vestra potestas complectitur, vniuersa optimarum artium studia confluxerunt: vt verisimile habeam, iamdudum eas humanæ peritias inertiæ terris penitus excessisse, nisi vestræ integritatis amplitudine tenerentur, in qua etiam vnicum suæ professionis culmen ac fastigium, vt palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc est, quòd cùm sit perantiqua sententia, Silent Leges inter arma, hæ tamen tam belli quàm pacis tempore apud vos plurimum semper obtinent dignitatis. Ita vt meritò vocitetur Schola Palatium, cuius apex non minus scholaribus quàm militaribus consuescit quotidie disciplinis. Quicquid igitur Litteræ possunt, quicquid assequuntur ingenia, vobis debent. Vobis inquam, qui natus ad agendum semper aliquid dignum viro, cùm virtute præcellitis, tum etiam sapientiâ refulgetis. Quorsum ista pretulerim? Illud in causa est, diuæ memoriç HLOTHARIVM vestrç filium Maiestatis, annis puerum, mente Philosophum, ingenuè confiteor, animi indole, & solertiæ opibus, vt vobis vni concedam, præ ceteris sui æui mortalibus extitisse pretiosum. Is, quòd vestra dispositione & Deo deuotus, & beato Germano ad educandum fuerat commendatus, tantum deuotionis in Sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, vt vitam illius mors liuida nobis meritò inuidisse putetur. Cúmque esset diuini puer ingenij, atque erga rerum notitiam summè studiosus, contigit eum in vna dierum Libri cuiusdam abdita perscrutantem, geminas Epistolas offendisse. In C altera earum sanctissimus AVNARIVS sextus post beatum Germanum Autissiodori Episcopus, Stephanum Africanum Presbyterum, vt Vitam eiusdem sanctissimi Patris nostri Germani metrica ratione digereret, precibus ambiebat. In altera idem Stephanus prçfato se pariturum Pontifici, ex rescripto significabat. * *

HIS sollicita lectione decursis, tandémque relatu assistentium huiusmodi Opus penes nos nunquam & nusquam patuisse comperiens, multa animositate correptus, quòd tantum Opus frustrà hominum notitiæ deperisset, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur. Tandémque me, qui tum recens scholis emerseram, conuocato, dolorem aperit intestinum: vtque ei, si qua possem ratione mederer, importuniùs contestatur. Scilicet, vt quod elaboratum quondam in prçfatis Epistolis legerat, iterarem: actúsque Germani præcellentissimos à prosa in metrum desideriis illius satisfactus transfunderem. Expaui, fateor, negocium: & supra vires esse reputans quod imponebatur, quoad potui colla subduxi. Obiectu tandem regularis capituli addictus, quod etiam impossibilia præcepta Abbatis minimè refugienda præscribit, suscepi quidem, vt par erat, iubentis imperium: quanquam nulla vitium conscientia, verùm vt institutio præmonet regularis, de caritate confidens, & de adiutorio Dei obediens. Vix primas Operis partes attigeram, & heu! misera humanæ conditio sortis! Abbas ille meus propediem futurus in Orbe terrarum mirabilis, teneros excedens artus, intempestiua seculum morte deseruit. Hic casus tam lugubris, tam acerbus,

CAROLVS CALVVS.

CAROLVS CALVVS. omnia mihi studia, omnes curas excusserat: nisi probabilis illa sententia animo subuenisset, dolorem tempore minui: quódque diuturnitas allatura esset, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos anteferre consilio prudentiáque debere. Hac cogitatione animum impuli, vt viuo morigeratus fueram, etiam mortuo obsequi, inque defuncti gratiam cœpto Operi perfectionis pertinaciam admouete. Institi vt potui, & non inuita Minerua, voluntati bonæ laxas permittens habenas, conceptos interdum luctus, Musarum colludio, tanquam noti cuiusdam medicaminis arte, leuabam. Confectum sanè Opus in publicum edere displicebat, quòd cui illud destinarem, specialiter non satis animo deliberaueram. Diu cunctanti vos, Cæsar præcellentissime, Vos, inquam, inrestaræ prolis heres proximus occurristis, eius bona ad vos lege redierunt. His animo subductis, ausum cepi hoc Literarum ad vestram Maiestatem præmittere, quę sequentis Operis continentiam prǽstricto rationis ordine commendarent. Habe igitur post funus dilectissimi filij hereditarium pignus, quo & defuncti memoriam suauiter refricare, & integrè fidelis famuli deuotionem aduertere valeas: qui re nullo modo passus sum extremi saltem muneris vtilitate fraudari. Confeci prætereа ex miraculis præcellentissimi Germani Opusculum aliud geminis distinctum Libris, in quo quia vestri tum nominis, tum temporis mentio frequentiùs agitur, vestræ nihilominus illud malui Celsitudini dedicandum. Accipe & hoc, eúmque erga Germani reuerentiam animum concipe, qui Regiam sanè decear Maiestarem. Et quanquam asturi sit, omnia ad suam vtilitatem referre, in hoc tamen, & pro hoc, quantus quantus est, labore, beari potiùs Germani laudem, quàm personæ propriæ requiro fauorem. Quem quanti faciam facilè pernosse potestis, si nostri tenorem Carminis ordine percurratis. Longi itaque sudoris vsuram eam captare percupio, vt glorificetur Deus in miraculis, qui voluit esse admirandus in Sanctis. Vt sanctissimo Germano in terris veneratio crescat & gloria, qui hanc in cœlestibus obtinuit per bonorum operum incrementa; vt acquiratur ædificatio legentibus, pax credentibus, salus imitantibus, immortalitas in fide perseuerantibus. Qua vt perpetuò polleas & optamus, & indefessè oramus, Regum maxime, triumphator perpetue, ac semper Auguste.

EPITAPHIVM CAROLI CALVI REGIS FRANC. ET IMP.

Quod extat in Ecclesia Sancti Dionysij Martyris.

IMPERIO CAROLVS CALVVS *Regnóque potitus*
Gallorum, iacet hic sub breuitate situs.
Plurima cum villis, cum Clauo, cúmque Corona,
Ecclesiæ, viuus, huic dedit ille bona.
Multis ablatis nobis fuit hic reparator,
Sequany fluuij, Ruolisque dator.

A

CONSECRATIO LVDOVICI II. FRANCORVM REGIS, CAROLI CALVI F.

Quando Compendij coronatus est.

ORDO QVALITER HLVDOVVICVS REX anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. VI. *Idus Decembris, ab Hincmaro Archiepiscopo fuit coronatus in Compendio Palatio. quando & hæc, quæ sequuntur, ab Episcopis petita sunt apud Regem, & ab eo promissa Episcopis.*

PETITIO EPISCOPORVM.

A VOBIS perdonari nobis petimus, vt vnicuique de nobis, & Ecclesiis nobis commissis secundum primum Capitulum, quod nouissimè 877.
B in Carisiaco domnus Imperator pater vester à se & à vobis seruaturum, consentientibus fidelibus illius ac vestris, atque Apostolicæ Sedis Legatis, legente Gauzleno denuntiauit, canonicum priuilegium, & debitam legem atque iustitiam conseruetis, & defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo Regno vnicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

PROMISSIO REGIS.

PROMITTO & perdono vobis, quia vnicuique de vobis, & Ecclesiis vobis commissis, secundum primum Capitulum, quod nouissimè in Carisiaco domnus Imperator pater meus à se, & à me seruaturum, consentientibus fidelibus illius ac nostris, atque Apostolicæ Sedis Legatis, legente Gauzleno denuntiauit, canonicum priuilegium, & debitam legem atque iustitiam conseruabo, & defensionem, quantum potuero, adiuuante Domino exhibebo, sicut Rex vnicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

Benedictiones super Hludouuicum Regem factæ.

DEVS qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ, vt tibi toto corde deuotus, C in Regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate deuotio Christiana permaneat. Per Dominum.

SACRI OLEI INFVSIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, creator & gubernator cœli & terræ, conditor & dispositor Angelorum & hominum, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti: humilem quoque Dauid puerum tuum Regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis, & de manu bestiæ, atque Goliæ, sed & de gladio maligno Saul, & omnium inimicorum eius liberasti, & Salomonem sapientiæ, pacisque ineffabili munere ditasti: respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & hunc famulum tuum virtutibus, quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, & in Regni regimine sublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus sancti tui perunge, vnde vnxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt Regna, & operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones. Cuius sacratissima vnctio super caput eius defluat, atque ad interiora eius descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi Reges, gratia tua dignus efficiatur,

LVDOVICVS II. quatenus & in præsenti seculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cœlesti Regno perueniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute crucis potestates aërias debellauit, tartara destruxit, Regnúmque diaboli superauit, & ad cœlos victor ascendit. In cuius manu victoria, omnis gloria, & potestas consistunt, & tecum viuit & regnat Deus, in vnitate eiusdem Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen. A

IMPOSITIO CORONÆ.

CORONET te Dominus corona gloriæ, atque iustitiæ honore, & opere fortitudinis: vt per officium nostræ benedictionis, cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam peruenias Regni perpetui, ipso largiẽte, cuius Regnum & Imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SCEPTRI TRADITIO.

ACCIPE sceptrum, Regiæ potestatis insigne, virgam scilicet rectam Regni, virgam virtutis: qua te ipsum benè regas, sanctam Ecclesiam, populum videlicet Christianum tibi à Deo commissum, Regia virtute ab improbis defendas, prauos corrigas, rectos vt viam rectam tenere possint tuo iuuamine dirigas: quatenus de temporali Regno ad æternum Regnum peruenias, ipso adiuuante, cuius regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

BENEDICTIONES. B

Num. 6.23. DOMINVS Deus omnipotens, qui dixit ad Moysem seruum suum, Loquere ad Aaron fratrem tuum, & ad filios eius dicens, sic benedicetis populo meo, & ego benedicam ei, benedicat tibi, & custodiat te. Amen.

ILLVMINET faciem suam super te, & misereatur tui. Amen.

CONVERTAT vultum suum ad te, & donet tibi pacem. Amen.

EXTENDAT dexteram suæ benedictionis, & effundat super te donum suæ propitiationis, & circumdet te felici muro custodiæ suæ protectionis, sanctæ Mariæ, & omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti, & tribuat tibi gratiam & misericordiam, quam humiliter ab eo deposcis: liberétque te ab aduersitatibus cunctis, & ab omnibus visibilium & inuisibilium inimicorum insidiis. Amen.

MVLTIPLICET in te copiam suæ benedictionis, & confirmet in spe Regni cœlestis. Amen.

ACTVS tuos corrigat, vitam emendet, mores componat, & te ad cœlestis paradisi hæreditatem perducat. Amen.

TALIQVE intentione repleri valeas, quæ ei in perpetuum placeat. Amen.

ANGELOS suos bonos semper & vbique, qui te præcedant, comitentur, & subsequantur, ad custodiam tui ponat: & à peccato, seu gladio, & ab omnium periculorum discrimine te sua potentia liberet. Amen. C

INIMICOS tuos ad pacis, caritatisque benignitatem conuertat, & odientibus te gratiosum & amabilem faciat. pertinaces quoque in tui insectatione & odio cõfusione salutari induat: super te autẽ sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

VICTORIOSVM te, atque triumphatorem de visibilibus atque inuisibilibus hostibus Dominus semper efficiat: & sancti nominis sui timorem pariter & amorem continuè cordi tuo infundat: & in fide recta ac bonis operibus perseuerabilem reddat: & pace in diebus tuis concessa, cum corona victoriæ ad perpetuum te regnum perducat. Amen.

ET qui te voluit super populum suum constituere Regem, & in præsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

CLERVM ac populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione, & tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare: quo diuinis monitis parentes, aduersitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum ciuium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.



HINCMARI REMORVM ARCHIEPISCOPI AD LVDOVICVM II. FRANCORVM REGEM dictum Balbum.

EPISTOLA.

Qua suum illi de adeunda pacifica Regni administratione consilium suppeditat.

DOMINO HLODOVVICO REGI GLORIOSO sit semper salus & vita.

CAPVT I.

DOMINATIO vestra mihi mandauit, vt ad vos festinarem venire, quia mecum de vestris, & sanctæ Ecclesiæ, ac Regni vtilitatibus tractare velletis.
B Vnde vobis humili ac certa responsione satisfactionem exhibeo. Sanctus Apostolus dicit, *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Legimus in antiquis historiis, quia sæpè, quando Reges constituti sunt, inter Regni Primores discordia orta est, quoniam aliqui sine aliorum consilio eius constitutionem vindicare sibi voluerunt. Quæ discordia non sine impedimento fuit pacificata. Legimus, quia boni Reges constituti bonos sibi Consiliarios adhibuerunt, & per bonos Reges, & bonos Consiliarios, Regnorum populi multa bona habuerunt: & per malos Reges, & malos Consiliarios, Regnorum populi multa mala sustinuerunt. Rom. 15.

II.

VT de recentioribus historiis vobis proponam exempla: Quando PIPPINVS abauus vester ægrotauit, in infirmitate, de qua & mortuus est, apud Monasterium Sancti Dionysij Regni sui Primores conuocauit, & eorum consilio disposuit, qualiter post eum filij sui Carlomannus & Carolus, qui cum eo erant, Regnum eius pacificè gubernarent. Mortuo autem illo, & cum magna deuotione sepulto, CARLOMANNVS ad Suessiones, & CAROLVS ad Nouiomum venerunt, & decimoquinto die post illius obitum consilio & auxilio Regni Primorum in Reges leuati sunt, & vnusquisque de Regni Primoribus sine vlla contentione ad Regem suum conuenit. Post tres circiter annos mortuo Carlomanno in
C Salmontiaco venit Carolus ad Corbennaeum, & Regni Primores, qui cum Carlomanno fuerunt, illuc ad eum conuenerunt: exceptis paucis, de quibus non est modo necessarium dicere.

III.

MORTVO autem CAROLO Imperatore, & sepulto in Aquis Palatio, Regni Primores, qui eum eo erant, miserunt ad HLVDOVVICVM auum vestrum, qui erat in Teutuado; qui trigesimo die post mortem patris sui venit Aquis, & cum Regni Primorum consilio pacificè Regnum disposuit, donec causa emergente, quam non oportet nunc dicere, inter illum & filios eius est orta discordia. pro qua magna pars de Regni Primoribus cum Hlothario perrexit in Langobardiam.

IV.

MORTVO Hludovvico Imperatore auo vestro, quidam de istius Regni Primoribus euocauerunt Hlotharium, & Primores qui eum illo erant, de Langobardia in istud Regnum. Et quidam de Regni Primoribus fuerunt cum Carolo patre vestro, & quidam eum Hludovvico patruo vestro. Interea cœperunt Regni Primores, qui cum tribus fratribus erant, singillatim certare de honoribus, quique illorum, vnde maiores & plures possent obtinere: & parui pendentes sacramenta de diuisione Regni facta, & plus certantes de illorum cupiditate, quàm de Seniorum suorum, & de sua salute, & de sanctæ Ecclesiæ ac populi pace, qui eum HLOTHARIO erant, immiserunt illum in hoc, vt fratres

LVDOVICVS II. suos exheredaret, & Regni Primores, qui cum illis erant, adnullaret: quoniam ipse primogenitus, & in nomine Imperatoris erat. Illi autem, qui erant cum Carolo & Hludovvico, dicebant quia Seniores illorum Hlutarij fratres erant, & per sacramenta Regnum inter eos diuisum fuerat: & illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quàm illi, qui cum Hlothario erant, & ideò non se contrà illos concrederent. Vnde mala multa & maxima increuerunt in terra, vsque dum inter carne propinquos & Christianos tantum malum, & tam grande periculum in Fontanido deuenit, quantum inter Christianos non accidit, ex eo tempore, quo primùm CAROLVS cum Raganfredo in Vinciaco pugnauit: sed non pro illa occisione, quæ facta fuit in Fontanido, pax in Regno prouenit, sed tamdiu illa miseria inter Christianum populum, & carne propinquos mansit, donec, vellent nollent, & Seniores & Regni Primores in tres partes Regnum diuiserunt, & per sacramenta ipsam diuisionem stabilem esse debere confirmauerunt. A

V.

MORTVO Hlothario, filij eius Regnum illius inter se diuiserunt. Vnde adhuc illis viuentibus facta est firmitas per sacramentum inter patrem vestrum & patruum vestrum HLVDOVVICVM. Mortuo autem Hlothario filio Hlotharij post multas controuersias facta est diuisio inter patrem vestrum & patruum vestrum Hludovvicum, de parte Regni Hlotharij. Mortuo autem Hludovvico fratre Hlotharij in Langobardia, requisita est patri vestro à fratre suo, & à filiis eius, pars de Regno illius. Vnde adhuc viuente Hludovvico, sed & anno præterito tales deuenerunt miseriæ, sicut vobis sunt notæ: & hoc anno talis prouenit Lugenda infelicitas, quæ per vniuersum penè mundum, & per futura tempora meritò erit in opprobrium. B

VI.

PROPTEREA videtur exiguitati meæ vestrum esse consilium, vt de antiquis Historiis, quantum potestis, attendatis, ne in exordio Regni vestri inter Primores Regni de vestro regimine oriatur discordia, quæ non sine impedimento possit esse sedata; & Regni Primores, qui vobiscum sunt, sic seipsos & suas voluntates contemperent, ne alios istius Regni Primores ad scandalum per suam cupiditatem, aut negligentiam prouocent. Præsertim cùm non habeatis fratrem, ad quem populus debeat se diuidere, sicut nec diuisus est Carolo Imperatore mortuo, sed se vniuit cum Hludovvico illius vnico filio. Nam si illi boni Barones post mortem Pippini cum duobus fratribus sic sano consilio egerunt, vt pax inter fratres Reges, & inter Regni Primores ac populum esset, multò faciliùs, nisi se inuidia & cupiditas intermisserint, vobiscum Deo adiuuante se ad Dei voluntatem & suam salutem vnire valebunt: attendentes, quanta miseria accidit de discordia, quæ facta est inter tres fratres post mortem Hludovvici Imperatoris.

VII.

VOS scitis, quia pater vester priùs Remis de constitutione vestra post illum in regimine Regni cum Primoribus Regni sui disposuit: vbi quantum recordor, maximè omnes Regni Primores fuerunt, excepto venerabili Abbate Hugone, & Bernardo Comite Aruernense, & omnes secundum dispositionem patris vestri in vestra regia constitutione consenserunt. Et quando proximè in Carisiaco indè disposuit, & nomina vobis descripta dedit, quorum consilio & auxilio Regni negotia disponere deberetis, (inter quos & Boso adscriptus est) omnes præsentes adfuerunt, excepto ipso Bosone, & Hugone Abbate, & Bernardo Comite Aruernico: & omnes, qui adfuerunt, in regia vestra constitutione consenserunt, sed & illi, qui cum patre vestro perrexerunt. Propterea sub celeritate mittite ad Hugonem & Gozelum Abbates, & ad Bosonem, & Conradum, & Bernardum, itémque Bernardum, Comites: & petite, vt talem locum, sicut eis commodius visum fuerit, vobis & eis, qui in istis partibus sunt, sed & ipsis; qui in illis partibus sunt, conuenire, prouideant, & vobis mandent, vt illuc veniatis cum Primoribus qui in istis partibus sunt. Et taliter quique conueniant, vt Regnum non deprędetur, nec deuastetur, vt communi consilio de communi necessitate & vtilitate tractetis, qualiter illa Capitula, quæ pater vester proximè in Carisiaco adnuntiauit, ad effectum peruenire possint. quæ interim relegite, & vos, & illi qui vobiscum sunt, & mente recondite. C

A VIII. LVDOVICVS II.

CREDO etiam, quia pater vester, postquam sciuit se de sua infirmitate non posse conualescere, non dimisit, vt vobis de Regni dispositione, quæ ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ statum, & vestrum honorem, ac Primorum Regni, & populi necessitatem & vtilitatem sciuit, quædam specialiter non mandauerit. Propterea necesse est, & bonum videtur, vt illi etiam intersint qui cum illo fuerunt, & omnes communiter de communi necessitate & vtilitate tractent. Ego etiam, licèt minimus illorum, & debilis ac infirmus, in Dei & vestrum seruitium, & illorum obsequium Domino annuente libenter conueniam, & si aliquid vtilitatis valuero conferre, voluntariè faciam, quia necesse est vt cum Dei & vestris fidelibus tractetis & disponatis.

IX.

PRIMO, qualiter vos in regimine Regni cum honore & saluamento ac supplemento de his, quæ necessaria sunt, cum Regno ac domo vestra possitis consistere. Secundò, vt præfatum Capitulum à patre vestro nuper in Carisiaco denuntiatum, de honore sanctæ Ecclesiæ & sacerdotum ac seruorum Dei, debito priuilegio ad effectum perduci possit: & vt Ecclesiæ in isto Regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludovvici, non fuerunt, ante annos viginti impositas, non affligantur. Tertiò, qualiter Regni Primores cum debita securitate ac honore erga vos
B consistere possint, & ceteri nobiles homines in Regno securitatem habeant, ne per diuersa ingenia à suis opibus, quas habere potuerint, despolientur: quia postquam radix omnium malorum cupiditas in isto Regno exarsit, vt nullus, aut penè nullus honorem, aut aliquod bonum sine precio posset adquirere, aut tenere, aut securitatem habere, pax, & consilium, & iustitia, atque iudicium, sicut necesse fuerat, locum in isto Regno non habuerunt. Quartò, vt inueniatis cum Dei & vestris fidelibus, qualiter istæ rapinæ, & deprædationes in isto Regno cessent, & miser iste populus, qui iam per plures annos, per deprædationes diuersas & continuas, & per exactiones ad Nortmannos repellendos affligitur, aliquod remedium habeat, & iustitia & iudicium, quæ quasi emortua apud nos sunt, reuiuiscant, vt virtutem nobis Deus reddat contra paganos, quia vsque modò iam ante plures annos locum in isto Regno defensio non habuit, sed redemptio, & tributum, & non solùm pauperes homines, sed & Ecclesias quondam diuites iam euacuatas habent. Quintò, vt concordiam, quæ secundum Deum est, qua nuper in Carisiaco pater vester mentionem habuit, inter fideles Dei & vestros haberi & vigere, quantum potueritis, satagatis, & vos talem erga eos præparetis, vt verum consilium vobis dare possint & audeant. Quia, sicut per multos audiui, multum deperiit de vtilitate in isto Regno, pro eo, quia Consiliarij, quod sciebant bonum & vtile, dicere non audebant, nec vt dicerent locum habebant. Nullus
C enim homo est sic sapiens, vt alterius non indigeat consilio, sicut scriptum est. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit, & qui confidit cogitationibus suis, impiè aget.* Sextò, vt inueniatis cum Dei & vestris fidelibus, qualiter pacem & amicitiam, secundum Deum cum vestris sobrinis patrui vestri filiis habeatis, & mutuum adiutorium vobis ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ ac vestrum honorem atque communium fidelium vestrorum saluationem exhibeatis. Prou. 1. & 12.

X.

CETERVM, qualiter hęc ad effectum perueniant, & cetera necessaria inueniantur, & assequantur, Deus est exorandus, qui vnicuique deuoto promittit. *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, & dabitur illi.* Et item dicit: *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te, id est facere iudicium & iustitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Facienda est iustitia, non pro vllo terreno lucro, sed pro eo ipso, quia iustitia est, sicut scriptum est: *Iustè quod iustum est exsequeris.* Faciendum est iudicium pro iniquorum correctione, & pro iniuriam sustinentium directione, non pro maleuolentiæ vltione, nec pro iustam causam habentium oppressione. Nam qui iniustè iudicant, non iudicant iudicium, id est iure ac legaliter dictum, sed præiudicium. Vnde sicut Dominus dicit: *Qui iniustè iudicant, iustè iudicati condemnabuntur.* Sollicitè vnicuique ambulandum est cum Deo suo, & Regi Iac. 1. Mich. 6. Deut. 16. Deut. 25.

LVDOVICVS II. præcipuè, qui sub tantis erit pœnis in futuro seculo, si malus fuerit, super A quantos fuit in isto seculo, in quo se à malitia non correxit, & non fecit iudicium & iustitiam, & non ambulauit sollicitè cum Deo suo. Sicut enim homo subiectus vadit sollicitè cum seniore suo, vt ea faciat, quæ illi placeant secundum Deum ad salutem, & secundum seculum ad honorem & profectum. Et si in aliquo fecerit, quod seniori suo displiceat, hoc statim emendare festinat, vt ad gratiam illius reueniat: sic vobis necesse est, vt sollicitè ambuletis cum seniore vestro Rege Regum, vt de præteritis, quæ contra illius voluntatem fecistis, illi per confessionem & cordis contritionem, & per opera bona satisfaciatis, & ab illius mandatis de cetero non declinetis. Et si per fragilitatem in aliquo lapsi fueritis, sicut ille qui lubricat de vno pede, de altero pede vel manu sibi subuenit vt restituatur: sic iterum per deuotionem & bonam operationem certare, vt ad gratiam senioris vestri Domini Dei reueniatis. quia peccantes & non pœnitentes Dominus diu vt conuertantur tolerat, sed non conuersos duriùs damnat. Sicut etiam in vestra ætate audire & videre potestis, & de vobis, ne similia vobis eueniant, timere & cauere debetis. Et talem vos erga cultum diuinum, & sanctam Ecclesiam, ac Sacerdotes & seruos Dei, ceterosque fideles vestros in omni statu manentes, & erga populum vobis à Deo commissum exhibere: vt vos diligant, & eos delectet tam in spiritali seruitio, quàm in temporali adiutorio, vbicumque vobis necesse fuerit, debitum obsequium exibere, & plus vos delectet Christiana Religio, & cordis humilitas, quàm vanæ pompæ & voluptates carnis: quoniam quantislibet molibus argenti & auri circumdetur, quibuslibet preciosis vestibus induatur, caro quid est aliud quàm caro? id est putredo, & filius hominis vermis, & puluis ac cinis? Non vos tantùm delectet per venationes insequi bestias siluestres, quantùm pugnare contra carnis voluptates, & Dei ac sanctæ ipsius Ecclesiæ inimicos tam corporales quàm spirituales: quia sicut dicit Dominus per Apostolum: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritales nequitias.* Non vos delectent tantùm diuitiæ possessionum auri & argenti atque gemmarum, vt inter eos computemini qui idola adorant, quoniam sicut dicit Apostolus: *Auaritia idolorum seruitus est*, quantum fides, spes, & charitas, iustitia, veritas, & iustum iudicium, quæ perducunt hominem in eis perseuerantem ad æternum regnum, & Angelorum consortium. B

Gal. 5. Ephes. 6. Coloss. 3.

X.

QVÆ nunc verbis Dominationi vestræ dicerem, si corpore præsens adessem, hæc Litteris suggero: quia de generalibus Ecclesiæ ac Regni negotiis sine generali Primorum Regni negotio & consensu speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo, nec præsumo. Propterea mihi iam & ætate & infirmitate ac debilitate attrito, non necesse est à Dominatione vestrâ imponi, vt sine causa laborem, antequam ad Placitum vestrum Dei & vestri fideles conueniant: & ego, qualitercumque potuero, fauente Domino, sicut prædixi, in Dei & vestrum seruitium, & illorum obsequium veniam. Si autem, quod Deus auertat, interim alicuius perturbationis causa euenerit, & mihi notum facere Dominationi vestræ placuerit, pro scire & posse, & consilio & auxilio in vestro obsequio fideliter laborabo. C

CONVENTVS FVRONENSIS.

Conuentio qua inter gloriosos Reges, Hludouuicum filium Karoli Imperatoris, itémque Hludouuicum filium Hludouuici Regis, in loco qui vocatur Furonis, Kal. Nouembris, ipsis & communibus fidelibus ipsorum fauentibus & consentientibus, facta est anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIX. *Indictione* XII.

879. SICVT inter patrem meum Karolum, & patrem vestrum Hludouuicum, Regni Hlotharij diuisio fuit, volumus vt ita consistat. & si aliquis nostrorum fidelium de Regno paris sui ex hoc aliquid purprisum habet, iussu nostro illud dimittat.

A DE Regno verò, quod Hludovvicus Imperator Italiæ habuit, quia necdum ex illo aliqua diuisio facta est, quicumque modò illud tenet, ita teneat: donec Domino volente simul venientes cum communibus fidelibus nostris, inueniamus & definiamus quod ex hoc melius & iustius visum fuerit.

DE Regno Italiæ, quia modò nulla ratio esse potest, omnes sciant quia partem nostram de illo Regno & requisiuimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus.

ISTA SEQVENTI DIE STATVTA SVNT.

CAPVT I.

VT quia firmitas amicitiæ & coniunctionis nostræ modò, quibusdam præpedientibus causis, esse non potuit, vsque ad illud Placitum, quo simul vt conueniamus statutum habemus, talis amicitia inter nos maneat, Domino auxiliante, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, vt nemo suo pari vitam, Regnum, aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem siue prosperitatem ac honorem Regni pertinet, discupiat aut forconsiliet.

II.

VT si in cuiuscumque nostrûm Regno pagani seu pseudochristiani insurrexerint, vnusquisque veraciter suum parem, vbicumque necessitas illi fuerit, & ipse B rationabiliter potuerit, aut per semetipsum, aut per suos fideles, & consilio & auxilio, prout melius potuerit, adiuuet.

III.

VT si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Hludouuicum adhuc paruulum, & alios filios vestros, quos vobis Dominus donauerit, vt Regnum paternum hereditario iure quietè tenere possint, & consilio & auxilio, prout melius potuero, adiuuabo. Si autem vos mihi superstites fueritis, filios meos Hludouuicum & Karlomannum, & alios quos diuina pietas mihi donare voluerit, vt Regnum paternum quietè tenere possint, similiter & consilio & auxilio, prout melius potueritis, adiuuetis.

IV.

VT si aliqui susuttones & detractores, & qui paci nostræ inuident, & quietum Regnum esse non patiuntur, inter nos lites & contentiones, & discordias seminare voluerint, nullus nostrûm hoc recipiat, aut libenter acceptet. Nisi fortè hoc ad rationem coram nobis vtrisque, & communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si verò hoc noluerit, cum nullo nostrûm aliquam societatem habeat: sed omnes illum, sicut mendacem & falsarium, & inter fratres volentem seminare discordias, communiter à nobis abiiciamus: ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.

V.

C VT communiter, prout citiùs potuerimus, Missos nostros ad Carlomannum & Karolum gloriosos Reges dirigamus, qui eos ad Placitum, quod VIII. Idus Februarij statutum habemus, inuitent, & vt nullatenus venire differant, obsecrent. Et si secundum quod optamus venire voluerint, communiter nos ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ saluationem, ac communem honorem nostrum, & profectum ac saluamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita coniungamus, vt de cetero in eo, qui vnus est, vnum simus, & vnum velimus, & idipsum dicamus, secundum Apostolum, & faciamus omnes, & non sint in nobis vlla schismata.

VI.

SI autem illi obsecratione nostra vocati & inuitati, aut Missi eorum, ad præfatum Placitum venire distulerint, nos secundum quod statutum habemus, illuc omninò venire, & nos secundum Dei voluntatem coniungere omnimòdis non omittamus. nisi fortè talis ineuitabilis necessitas euenerit, pro qua id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus vtérque pari suo hoc rescire faciat. & propterea amicitia nostra nec minuatur, nec immutetur, donec, Domino volente, congruo tempore perfectè confirmetur.

LVDOVICVS III ET CARLOMANNVS.

VII.

A

VT res Ecclesiarum, in cuiuscumque Regno caput fuerit, tam de Episcopatibus, quàm de Abbatiis, sine vlla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant. Et si aliquid ibi misfactum à quoquam est, in cuiuscumque Regno illæ res consistunt, legaliter exinde iustitiam reddere faciat.

VIII.

ET quia per vagos, & in tyrannica consuetudine inreuerentes homines, pax & quies Regni perturbari solet: volumus, vt ad quemcumque nostrûm talis venerit, vt de his quæ egerit rationem & iustitiam subterfugere possit: nemo ex nobis ad aliud recipiat, vel retineat, nisi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius Regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de Regno expellatur, vel deiiciatur.

IX.

VOLVMVS vt his, qui meritò proprietatem illorum in nostro Regno perdiderunt, ita iudicetur, sicut temporibus antecessorum nostrorum inuentum fuit. Qui verò dicunt se iniustè proprietatem illorum perdidisse, veniant in nostram præsentiam, & sicut iustum est, ita illis iudicetur, & sua recipiant.



B

CONVENTVS MANTALENSIS,

IN QVO REGIS NOMEN BOSONI AB ARELATENSIS Regni Episcopis Proceribúsque delatum est Idibus Octobris anno Christi DCCCLXXIX. Ludouici & Carlomanni Regum anno I.

Ex annalibus Burgundiæ Guillelmi Paradini, & Tom. II. Conciliorum Galliæ.

ELECTIO BOSONIS REGIS.

879. VM conuenissent sancti Patres in nomine Domini Saluatoris nostri, Conuentum celebraturi apud Mantalam territorij Viennensis, de multis Ecclesiæ negociis tractaturi, & sanctæ sollicitudinis secretarium penetraturi, multis emergentibus, & suimet consideratione cogentibus, Sacerdotalis affectus ex antiquo Patrum cordibus infusus euidenter dictauit ei personæ curam gerere, cuius adminiculo tam in veteri Testamento, quàm & in nouo, consueuit populo condignum regimen exhiberi. Et quoniam iam olim eiusdem personæ præsidiis tam ipsi Patres, quos gratia diuina Episcopos vocari concessit, quàm Principes, & totum vulgus, carentes, nullis compatientis fulciebantur vel iuuabantur auxiliis, presertim cùm Rege communi morte recepto, nullus in eos sua viscera per caritatis largitatem extenderit, anxiari plurimùm compulsi sunt, quia non solùm in internis per inuisibilem inimicum, sed etiam in apertis per visibiles inimicos, etiam ex his, quos ipsa Christi peperit sancta mater Ecclesia, pessundari funditus videbantur. Itaque dum mentis aciem vsquequaque verterent, & simul cum nobilioribus ad hanc necessitatem submouendam, idoneas personas considerarent, non inuenientes qui sui consultationi respondere vellent, vtpote negligentibus cunctis tantum laborem ob honorem Dei & Sanctorum eius, & matris Ecclesiæ sumere, omnes inflammati Deum omnium Principem pro hac angustia medullitus exorauerunt, vt is qui curam singularem habet mortalium, & cuius dispositio curricula vergit omnium seculorum, & rectum daret consilium, & euidens consilij promeret indicium. Denique cui patet omne cor, & omnis voluntas loquitur, fatigatos maiorum & minorum inspiciens animos, quoddam clarescere fecit solatium, & quodammodo præsentauit suffragium. Sanè omnibus vnum sapientibus, & per diuinam visitationem idem indiuisibiliter ambientibus, C

cordi

A cordi fuit exhibitus homo, iamdudum in Principatu domni CAROLI defensor & adiutor necessarius: cuius post se filiūs eiusdem Imperatoris, cernens eius insignem prudentiam, amplificare delegerat domnus Rex LVDOVICVS. Ipse etiam non tantùm in Galliis, sed & in Italia cūctis enituit, vt domnus Apostolicus Ioannes Romensis, instar filij complexus, eiusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, & ad suam tutelam reuertens, ad Sedem propriam delegerit. Ergo nutu Dei, per suffragia Sanctorum, ob instantem necessitatem, & eam, quam in eo comperterunt, expetibilem vtilitatem, & prudentissimam atque prouidentissimam sagacitatem, communi animo, parique voto, & vno consensu, clarissimum Principem dominum BOSONEM, Christo prӕduce, ad hoc Regale negocium petierunt, & vnanimiter elegerunt. Qui etsi consideratione tanti laboris tenuerit, & abdixerit, oppositis his quæ Dei sunt, & eius Ecclesiæ, tandem obedienter colla promittendo submisit. Electus autem Deo statuitur, preces funduntur, Domini nostri Iesu Christi gratia, quæ præcessit in velle, in certo perfecto satis efficax postulatur. Et vt hæc electio præsentibus & futuris certiùs innotescat, omnium Episcoporum subscriptio luce clariùs indicat. Actum apud Mantalam publicè, annō Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIX. Idibus Octobris. Et subscripserunt Episcopi,

LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS.

Ottramnus Archiepiscopus Viennensis,
Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis,
B Teurrannus Archiepiscopus Tarantasiensis,
Rotbertus Archiepiscopus Aquensis,
Radbertus Episcopus Valentiæ,
Bernarius Episcopus Gratianopolitanus,
Helias Episcopus Vasionensis,
Hemico Episcopus Diensis,
Adalbertus Episcopus Mauriennæ,
Biraco Episcopus VVapicensis,
Eustorgius Episcopus Tolonensis,
Girbaldus Episcopus Cabilonensis,
Hieronymus Episcopus Lausanensis,
Richardus Episcopus Agathensis,
Guntardus Episcopus Matisconensis,
Rostagnus Archiepiscopus Arelatensis,
Theodericus Archiepiscopus Vesontionensis,
Ætherius Episcopus Viuariensis,
Leodoinus Episcopus Massiliensis,
Germardus Episcopus Arausicensis,
Ratfridus Episcopus Auenionensis,
C VValefridus Episcopus Vceticensis,
Edoldus Episcopus Regiensis.

SYNODI AD BOSONEM REGEM DESIGNATVM LEGATIO.

SACRA Synodus Mantalensis, territorij Viennensis, in nomine Domini nostri congregata, simul cum Primoribus, inspirante diuinitate summæ Maiestatis, sincera deuotione vestram prudentiam, clarissime Princeps, adit, petens addiscere vestra certissima responsione, qualem vos velitis in Principatu, quo vos sublimari per diuinam misericordiam optamus, omnibus ostendere. Si videlicet honorem Dei omnipotentis, & dilectionem in fide Catholica veraciter quæsituri estis, & Ecclesiā illius pro viribus exaltaturi. Si vultis omnibus sicut boni Principes, qui vos præcesserunt, & quorum formam literis & famā nostris, legem, iustitiam, & rectum concedere & seruare: tenentes humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, cum patientia, & animo sereno, humillimo, ad damnandum incondito, sed in omnibus iuste promissis stabili, & certo, benè per Dei gratiam præparato & ornato, sobrietate competenti venusto. Qui sitis accessibiles omnibus recta suggerentibus, & pro aliis intercedentibus, quærentes magis prodesse, quàm præesse, sequentes vestigia sanctorum Principum, calcantes iram, sæuitiam, duritiam, auaritiam, cupiditatem, indignationem, & superbiam. Iustus Patricius vestris ma-

LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS. ioribus & minoribus appatentes, veritatem ore & opere prçferentes, salubre consilium libenter audientes, monstra vitiorum declinantes & persequentes, virtutes amantes, defensionem & mamburgium singulis exhibentes. Vt neque eadem sancta Synodus, & Primares vestri cum ea sentientes, nunc de vobis in bonitate maledicantur, vel detrahantur in futuro, neque sacro vestro Principatui, nobis, vt credimus, profuturo iustè derogetur: sed sit pax & veritas Sanctorum suffragiis, per diuinam gratiam, prælatis & subditis, Sacerdotibus & illis commissis Primatibus, dum eis auctoritatem Euangelicam & Apostolicam cum iusta lege humana consenseritis & obseruaueritis, vt per omnia & in omnibus benedicatur Deus. Precatur etiam sacerdotalis & laicalis fidelitas, vt faciat vestra prudentia vnumquemque in vestra domo suum vas possidere in sanctificatione & honore. A

BOSONIS REGIS ELECTI AD SYNODVM RESPONSIO.

SACRATISSIMÆ Synodo, & cunctis Primoribus nostris fidelibus, humilis Christi vernaculus Boso. Primû vestræ sincerissimæ deuotioni gratiarum actiones corde & ore rependo, quòd licèt immeritò, sola vestrâ beneuolentiâ, per incommutabilem Dei gratiam, amplecti me visceribus vestris ad liquidum comperio. Pariter quoque, quòd feruor vestræ caritatis ad id officium me promoueri diuinitus optat, vt mea paruitas matri meæ, quæ Ecclesia Dei viui est, ob immortalem remunerationem decertare valeat. Ego autem, conscius meæ conditionis & figmenti fragilis, imparem me iudicans tanto negotio, omnimodis abnuissem, nisi per Dei nutum vobis cor vnum datum, & animam vnam in vnum consensum aduertissem. Obediendum itaque pro certo cognoscens inspiratis à Deo tam Sacerdotibus, quàm nostris amicis & fidelibus, non reluctor, nec audeo, vestris iussionibus. Quòd verò requisistis qualem me præbere vellem in committendo per Dei misericordiam in regimine futuro, & simul ostendistis normam, & instruxistis dogmate sacro, libentissimè suscipio. Amplector Catholicam fidem, in qua & nutritus sum, quam purissimo corde teneo, ore veracissimo pronuncio, pro qua paratus sum impendi & superimpendi, si sic placuerit Domino Deo nostro. Ecclesiarum priuilegia, iuuante Domino nostro Iesu Christo, restaurare & conseruare, & iustitiam per vestrum commune consilium curabo. Omnibus, vt monuistis, legem, iustitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conseruabo, & impendere curabo: quò sequens præcedentium bonorum Principum vestigia, tam sacris ordinibus, quàm vobis nostris fidelibus, consulere certem, æquitatem seruando. De moribus meis, licèt me peccatorem præ omnibus sciam, voluntatem meam hanc esse veraciter assero, vt per omnia morigerum bonorum, & in nullo malorum ostendam. Si autem, quoniam homo sum, contra quemlibet animo excessero, secundum vestrum consilium corrigere curabo. In quo precor reuerenter, vt quod iustius & rationabilius inueneritis, mihi congruè pro tempore & loco suggerentes, vos ipsos in me honoretis: quoniam & ego, si quis vestrûm in me deliquerit, emendationem rationabiliter accessibilis factus expectabo. Euangelicam & Apostolicam auctoritatem cum iusta lege sequar humana, vt ipso prçduce & comite, per omnia & in omnibus benedicatur Deus. De domo nostra, sicut me monuistis, quia Deus in Sanctis habitat, sollicitudinem adhibebo, & vt decenter quisque incedat, studiosissimè procurabo. Igitur, domini mei, sacrosancti Pontifices, Ecclesiæ summi Dei nostri Prçsules, & vos omnes nostri fideles, Primates & subprimates, confisus de Dei gratia & auxilio, per Sanctorum eius suffragia, quia vestris iussionibus faueo, precor vos & obsecro, vt pèr ipsum & cum ipso, tam piis ad ipsum interuentibus, in tanto subeundo labore meam necessitatem & humilitatem iuuetis, quàm etiam humanis adminiculis & auxiliis pro posse suffragari mihi certetis. Quòd si cui displicet, & aliter animo tenet, quæso patenter edicat, & se nobiscum in nullo decipiat. Simúlque precor per caritatem, qua feruetis, vt cōmuni fauentes vtilitati, triduanis solemniter precibus Dominum Deum nostrum cum plebibus vobis commissis exoretis, vt propter peccata mea, vel leuitatem meam, vos, aut me, ad deceptionem populi sui nequaquam errare permittat, sed suam ex hoc voluntatem misericorditer ostendat. B G

A

FRAGMENTVM DE REBVS LVDOVICI III. ET CARLOMANNI REGVM, LVDOVICI II. FILIORVM,

Ex Sermone de tumulatione SS. Martyrum Quintini & Victorici, & sancti Cassiani Confessoris,

Quem Claudius de la Fons apud Sanctum Quintinum Aduocatus, è veteribus Ecclesiæ S. Quintini Libris transcribi curauit.



VM superni Regis iustitia pro nostrorum peccaminum negligentia nos castigare vellet, Paganorum feroci sæuitia inclyti testis Quintini monumenta, & preciosi Confessoris Cassiani membra, à propriis sunt tumulis eleuata, & ad Lauduni Clauati mœnia, prout timor cogebat, noctu delata.

B ANNO siquidem DCCCLXXXI. à Dominica Incarnatione, Kalendis Ianuarij, Normannorum metu cogente, à bustis priùs emota suis, ad præfatum montem priùs delata sunt. Nam priori anno Karolides LVDOVICVS nimia infirmitate grauatus in parasceuæ die spiritum vitæ exhalauit. Quapropter eius filij, alter LVDOVICVS, alter CARLOMANNVS, dicti, Reges sunt constituti. Eodem quoque anno multa Paganorum multitudo à Transrhenanis veniens partibus, Gandum Monasterium occupauere, & cuncta in circuitu crudeliter vastauerunt. Ipso etiam anno Rex Transrhenanus LVDOVICVS Franciam venit, partémque Regni Lotharij à suis nepotibus extorsit, & bellum contra Normannos in fisco Tinnon exercuit. Magnam quippe cædem eis intulit, & Deo fauente victor extitit. Perditóque filio, tristis ad propria remeauit. Tandem verò nostri Ludouicus & Carlomannus Ambianis adierunt, ibique Principum consilio Regnum certis limitibus inter se diuiserunt. Hinc Burgundiam vnà petierunt, ac Bosonem à Regia dignitate depresserunt, & vno ibi penè anno manserunt. 881.

ITERVM Pagani Curtraium inuadentes, & Franciam sine Rege & Principibus vacuam reperientes, vsque Peronam Scotorum venerunt, eámque igni succenderunt. Quod audiens iuuenis Rex LVDOVICVS, animi dolore permotus, fratrem in Burgundia reliquit, & in Franciam remeauit. At Pagani successibus sibi prosperis acriores effecti, nullum sibi resistere posse confisi, cùm exercitu impio C & terribili de Curtraio sunt egressi, & per quinquaginta sex amplius millia diffusi, vsque ad internecionem vniuersa sunt depopulati. Quod cùm præfatus Rex pro certo comperisset, vallatus Francorum multitudine, suffultus Dei solamine, super eos venit insperatè. Tantam denique eorum multitudinem dicitur peremisse in villa Seulcurt, quantam in Francia aliàs nunquam credimus cecidisse. Qua de causa & illi qui euaserunt, & reliqui qui Curtraio remanserant, terrore nimio perculsi fugerunt, & Batuam petentes cuncta circa Mosam loca atrociter vastauerunt.

ANNO autem sequenti corpora Sanctorum Quintini & Cassiani Kalend. Februarij à Lauduno descendentia, cum ingenti populorum caterua, & laudum hymnorúmque melodia, in die Purificationis sanctæ Mariæ in propriam relata sunt Basilicam. Ipso siquidem tempore, cùm præfatus Rex Andegauis disponeret ire, pactúmque cum Alstenio facere, in infirmitatem decidit. Indéque ad Sanctum Dionysium rediit, ibique, proh dolor! spiritum vitæ exhalauit. Post cuius obitum Franci Regem constituerunt CARLOMANNVM. Quod vt Pagani audierunt, Scaldum nauibus introierunt, & vsque Condatum peruenerunt. Quapropter prædictorum corpora Sanctorum secundò ad montem Laudunum delata sunt. Postea Normanni ad hunc locum peruenientes, plures gladio inter- 882.

LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS. fecerunt: multos etiam captiuos duxerunt. Sicque est Ecclesia beati Quintini Martyris crudeliter incensa, quæ habebat à perfectione sui annos LIX. Ita penè omni loco deuorato, pagani hac & illac progredientes, ad alia sunt profecti. Exindè variis casibus afflictis vndique omnibus, Christo fauente, anno v. dominus Comes, & Abbas TEVTRICVS, prudenti consilio vsi, muros istius loci cœperunt ædificare XII. Kal. Maij: quos acutissimo freti ingenio, prout necessitas cogebat, fecerunt accrescere citò. Vnde pretiosa Sanctorum corpora, Quintini videlicet & Cassiani innumera stipata caterua III. Kal. Nouembris ad propria sunt iterum relata, & intra muros succensæ domus locata. A

NVNC verò ad beati Victorici iura veniamus, vt iuxta rationes temporum procedat sententia verborum. Præfatus igitur Martyr Christi Victoricus comes Senioris nostri dilectissimus, Tarouuanensi populo vnà cum beato prædicauit Fusciano, qui

Præconiis plures Christo sanxère vacantes,
Optatum infirmis robur cedendo cateruis,

* al. Morinensium. Cúmque à Muriginensium * partibus rediissent,

Atque Dei cuperent Quintino numina fari:
Vinclis Præfecti vexantur Rictiouari.

Denique multis

Addicti pœnis, oculorum luce priuati, B
Verticibus sectis palmam meruère triumphi.

Quorum corpora cum beati Gentiani carpento sepulta, per multorum curricula temporum Ambianensis seruauit patria: donec disponente Deo à quodam venerabilis vitæ pridem eiusdem loci Canonico, tunc autem Ambianensis Ecclesiæ Episcopo, nomine OTGERO, sollicitè quæsita, & sagaciter sunt inuenta. Is ergo Episcopus pro amore diuino, & suæ benignæ deuotionis studio membra prædicti Martyris Victorici huc cum magno honore deuexit, & iuxta gloriosi testis Christi pignora collocauit. Anno quippe à Domini Incarnatione DCCCXCIII. III. Kal. Nouembris, & transacto decem annorum spatio, postquàm à paganis succensa beati Quintini Ecclesia, Regis quidem ODONIS V. & à murorum constructione anno VII. Cùm verò Dei clementia nostri voluisset misereri, ac sui solaminis suffragia largiri, incendiorum sedauit discrimina, paganorum depressit sæuitiam, pacem & concordiam tribuit, fructum etiam terræ abundanter contulit. Quocirca à fidelibus huius loci tractatum est salubriter, quatenus eorum corpora Sanctorum suis in mausoleis reponerentur decenter. Adueniens namque venerabilis Antistes Nouiomensis Ecclesiæ Raubertus nomine, prudenti fretus simplicitate, ac simplici decoratus mansuetudine, cum ceteris Fratribus ibi Deo famulantibus, sæpedictorum carpenta trium Sanctorum, suis in criptis hodierna die suppliciter tumulauerunt. C

HINCMARI REMENSIS ARCHIEPISCOPI AD CAROLVM III. CRASSVM IMPERATOREM, EPISTOLA.

Qua illi inter alia commendat, vt Ecclesiam Gallicanam penè collapsam restituat, Regni dissidia tollat, ac LVDOVICI BALBI liberis è Regni Primoribus idoneos institutores & Consiliarios attribuat.

DOMINO CAROLO IMPERATORI GLORIOSO, Hincmarus Episcopus, ac plebis Dei famulus, præsentem & futuram optat prosperitatem & gloriam.

AVDIENS laudabilis fidei vestræ benignitatem erga filios sobrini vestri HLVDOVVICI, quondam Senioris nostri, gratias Deo retuli, petens,

A vt, qui dedit vobis velle, donet quæ cœpistis perficere pro bona voluntate: & hoc tam per me quàm per familiares & subiectos mihi Domini misericordiam oro, vt vestra potestas atque prosperitas in sua voluntate corroboretur, & vt in fide recta & operibus bonis perseuerantem de temporali Regno quandoque ad æternum perducat. LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS.

CAPVT I.

PRECAMVR, Domine carissime, vt respectu Dei adiutoris & protectoris vestri regiminis, Regni huius Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo, sicut & per vniuersum orbem diffusam, apud nos in multis conlapsam vestro sapienti consilio & potestatis auxilio releuetis, & Regni diuisionem consolidetis, ac Primotes ipsius compaginetis: & quæ in hoc Regno propter dissentiones perperam aguntur, euelli faciatis, & istos iuuenes, Reges nostros, propinquos vestros, & pupillos sine patre, loco filiorum teneatis, & eis Regnum ab antecessoribus filiorum successione dimissum, per suggestionem Primorum Regni huius disponatis, & qui de Primotibus, cuique illorum conuenient, ordinetis. Et si fortè fuerint ex nostratibus, qui potiùs quæ suæ voluntatis sunt, quàm quæ ad honorem & defensionem sanctæ Ecclesiæ ac ministrorum eius, & ad Regum ac Regni pacem & tranquillitatem pertineant, facere velint, sapientia & potestate vestra eos reuocare, vel, si fuerit necesse comprimite, atque exteros aduersantes istis
B vestris filiis & nobis omnibus vestræ Dominationi fidelibus defensionem solatij exhibere, quatenus & apud Deum debitam inde remunerationem, & apud seculum nomen celebre habeatis.

II.

ET quia legimus de Alexandro Magno, cuius pædagogus Leonides nomine fuit, quòd citatos mores & inhonestum incessum habens in pueritia, idem Alexander ex præfato pædagogo suo eadem accepit vitia, quæ adultus in seipso corrigere voluit, & cùm omnia Regna vicerit, seipsum in hoc vincere non potuit, quoniam vt quidam sapiens scripsit,

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Horat. lib. 1. Ep. 2.
Testa diu. ------

ET de filio Salomonis Regis legimus, quia relicto senum, & iuuenum vsus consilio, magnam partem Regni perdidit, & non suo, sed aui sui Dauid merito paruam partem Regni ei Dominus reseruauit: istis iuuenibus fidelibus filiis vestris Regibus nostris, maturos ac prudentes, atque sobrios baiulos singulis constituite, qui oderint auaritiam, & eos verbo & exemplo iustitiam diligere doceant, secundum Scripturam dicentem: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram*, quoniam, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* 3. Reg. 12. Sap. 1. Psal. 10.

C

III.

DOCEANT eos verbo & exemplo sanctam Ecclesiam & ministros eius honorare, dicente Scriptura: *Presbyteris humilia animam tuam, & magnatis inclina caput tuum.* Quibus Dominus dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Et, *Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Doceant eos verbo & exemplo, Ecclesiæ sanctę rectoribus atque ministris debita priuilegia Spiritu Dei condita, & totius mundi reuerentia consecrata, seruare, Scriptura docente, *Lex Domini irreprehensibilis, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Et in Euangelio Dominus, *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Et, *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et Apostolus, *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et item Dominus in Euangelio contemptoribus mandatorum suorum. *Qui est*, inquit, *ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* Luc. 10. 1. Reg. 2. Psal. 18. Ioan. 14. 1. Ioan. 4. Ioan 8.

IV.

DOCEANT eos verbo & exemplo Regni Primoribus, & ceteris Regni fidelibus, atque sanctæ Ecclesiæ defensoribus, vnicuique in suo ordine competentem legem & iustitiam conseruare, dicente Scriptura: *Iustitia Regis exaltabit solium eius, & veritate solidantur gubernacula populorum.* Custodiant, & doceant eos castè ac sobriè & piè viuere, quia sicut dicit Scriptura, *Spiritus sanctus disciplinæ effu-* Prou. 16. 20. Sap. 1.

LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS.

giet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & non habitabit in A *corpore subdito peccatis.*

V.

Cypr. de 12. abus. seculi 9.

PROPONANT eis frequenter verba S. Cypriani, qui Regis ministerium in nouo gradu abusionum apertè ostendit, Regem, inquiens, non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Vnde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores ne iniqui sint, non corrigit? Iustitia verò Regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defensorem esse; furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere. Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super Regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios Consiliarios habere. Magorum & ariolorum pythonissarúmque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo viuere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter ferre, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Hæc Regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad regna cælestia meliora perducunt. Qui verò secundum hanc legem Regnum non dispensat, multas nimirum aduersitates Imperij tolerabit. B Et si Rex his, quæ præscripta sunt, contraria senserit, vel egerit, & in his contrariis perseuerauerit, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic omnes quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit. Et non solùm Regi, sed & omni, qui in dominationis est potestate, tria necessariò habere oportet, terrorem scilicet, ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur Dominus, & metuatur, ordinatio illius constare minimè poterit. Per beneficia ergo, & affabilitatem, procuret vt diligatur, & per iustam vindictam non propriæ iniuriæ, sed Legis Dei, studeat vt metuatur. Et in his & aliis omnibus Princeps semper Deum cogitet, & illi adhæreat, quia nisi conditori suo pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnes qui ei consentiunt citò deperient. Omnis igitur, qui præest, hoc primitus tota animi intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omninò non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem suum habere Dominum, nullus hominum contemptui habere poterit eius dominatum. Non est enim potestas nisi à Deo, ipse eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum Principibus populi sui. Deponit potentes de sede, & exaltat humiles.

VI.

Eccles. 3. 4. Reg. 12. 2. Paral. 23. 24.

IPSI autem baiuli magnopere prouidere debent, ne super socios suos se extollant, sed iuxta Scripturam dicentem: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus,* C *& coram Deo inuenies gratiam.* Et, sicut de Ioiada legimus, quia Ioas Regem puerum eleuauit & vnxit in Regem, imponens ei diadema, & dans legem in manu eius, vt secundum illam viueret, & populum regeret, & docuit ipsum iuuenem Regem vsque ad ætatem adultam. De quo scriptum est, quia benè regnauit ipse Ioas, quandiu docuit eum Ioiadas. Et S. Gregorius admonet nutritores filiorum Imperatoris Græcorum, vt ea illis loquantur, quæ eorum mentes in caritate circa se inuicem & erga subiectos in mansuetudine coniungant: ne, si quid odij inter se pueri conceperint, in aperto postea erumpat. Verba, inquiens, nutrientium aut lac erunt, si bona sunt; aut venenum, si mala. Talia ergo in pueritia eis suggerant, quæ postmodum ostendant, quàm bona fuerint, quæ à nutritorum suorum ore suxerunt.

VII.

1. Cor. 15. Gal. 5.

DEBENT etiam prouidere, ne tales illis in familiaritate iungantur, per quorum suggestiones ad iniqua opera, vel ad discordias inter se & illorum subiectos corda illorum pertrahantur, quia scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Debent autem illis baiuli eorum persuadere, vt non sint inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, sed mutua dilectione coniuncti, & ad inuicem se ad-

A iuuare parati. quia vt scriptum est, *Frater fratrem adiuuet, & ambo consolantur.* Si enim, domine mi Rex, huius Regni Ecclesia, & ministri eius, ac populus, hæc per vos obtinuerint, quantam mercedem & remunerationem inde apud Deum, & bonum nomen apud sæculum habebitis, ex verbis Apostoli pensare potestis, qui dicit: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum.* Si ergo Apostolus Spiritu Dei plenus de vno peccatore conuerso tantam remunerationem præmittit, colligat sapientia vestra, quantam de tantorum salute ac profectu remunerationem apud Deum habebitis.

LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS.

Prou. 18. Eccles. 25.

Iacob. 5.

HINCMARI REMORVM ARCHIEPISCOPI AD EPISCOPOS QVOSDAM FRANCIÆ, EPISTOLA.

Quam pro recta noui ac iuuenis Regis institutione scripsit, & ex Adalhardi Abbatis Corbeiensis, Caroli Magni propinqui, Libello accuratè exposuit, quis Ordo & modus non in Palatio solùm Regio, sed
B toto etiam Regno pacificè administrando, deberet obseruari.

HINCMARVS EPISCOPVS, AC PLEBIS DEI famulus.

CAP. I.

PRO ætatis & sacri Ordinis antiquitate, posteriores tempore, boni & sapientes viri rogatis exiguitatem meam, vt qui negotiis Ecclesiasticis & Palatinis, quando in amplitudine & vnitate Regni prosperè agebantur, interfui, & consilia doctrinámque illorum, qui sanctam Ecclesiam in sanctitate & iustitia rexerunt, sed & eorum, qui soliditatem Regni tempore superiore prosperiùs disposuerunt, audiui; quorum magisterio traditionem maiorum suorum didici: post obitum etiam Domini HLVDOVVICI Imperatoris in eorum obsequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum nostrorum concordia sategerunt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis, & Scriptis laboraui, ad institutionem illius iuuenis & moderni Regis nostri, & ad reerectionem honoris & pacis Ecclesiæ, ac Regni ordinem Ecclesiasticum & dispositionem Domus Regiæ in sacro Palatio, sicut audiui & vidi, demonstrem, quatenus in nouitate sua ea doctrina imbuatur, vt in regimine Regni Deo placere, & in hoc seculo feliciter regnare, &
C de præsenti Regno ad æternum valeat peruenire. Experimento quippe cognoscimus, quia vas nouum, quo prius sapore & odore imbutum fuerit, illud in posterum diu retinebit, sicut & quidam sapiens dicit,

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu. ------ Horat. lib. 1. Epist. 2.

Et legimus quomodo Alexander in pueritia sua habuit balulum nomine Leonidem citatis moribus, & incomposito incessu notabilem, quæ puer quasi lac adulterinum sugens, ab eo sumpsit. Vnde in adulta ætate sapiens & Rex fortis se ipsum reprehendebat, & vitare volebat: sed vt legitur, cùm omnia Regna vicerit, in hoc seipsum vincere non potuit.

II.

INTELLIGAT igitur dominus Rex, ad quod officium est prouectus, & obaudiat commonitionem atque comminationem Regis Regum dicentis ei cum aliis Regibus: *Et nunc Reges*, inquit, *intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Sicut multos hanc commonitionem & comminationem neglegentes periisse legimus, audiuimus, & etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam Scripturam sibi præcipientem: *Diligite iustitiam qui iudi-* Psal. 2. Sap. 1.

LUDOVICUS III. ET CARLOMANNUS. *catis terram, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quia in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* A

III.

Ego autem, & pro imposito ministerio, & pro bona & rationabili vestra iussione, aggrediar exequi quod rogatis: non meo sensu, neque verbis meis, sed, vt præmisi, maiorum traditione: attendens dicentem Dominum ad Prophetam,
Ezech. 3. *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non ex te, quia sicut ipse di-
Ioan. 7. cit, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Sancta Scriptura in omni ordine & professione vnicuique administratori præcipit, vt intelligat cuncta, quæ ait. Quoniam si intelligit, administratio, quam gerit, vnde exordium cepit, sollicitiùs satagit, vt de administrationis talento sibi credito rationem redditurus.
Rom. 14. *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque quæ per corpus gessit siue bonum, siue malum.* Non audiat à iusto iudice, quod Dominus in Euangelio
Matth. 25. seruo malo & pigro responsurum se fatetur, sed audire mereatur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

IV.

Legimus in sancta Scriptura veteris Testamenti, quia Dauid Rex simul & Propheta, præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui solus Rex simul & Sacerdos fieri potuit, duos in Sacerdotibus ordines constituit: in summis, videlicet, Pontificibus, & in minoris ordinis Sacerdotibus, qui nunc Presbyteratus funguntur officio: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vitâ decederet, quicumque Sacerdotum optimus putaretur ei in Pontificatum succederet. Et in nouo Testamento Dominus noster Iesus Christus de B
Luc. 6. multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura, & Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios
Luc. 10. LXXII. qui sub duodecim Apostolis figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum, præmonstrauerunt: vt decedentibus Episcopis, de his secundi & inferioris ordinis Sacerdotibus secundum sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, ad summi Sacerdotij apicem lo-
Actor. 1. co decessorum Episcoporum prouehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Iudas, qui connumeratus fuerat in ordine Apostolorum, & sortitus sortem ministerij Apostolatus abiit in locum suum: Oportet, inquiens, ex his viris, qui nobiscum congregati sunt, in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et venit electio diuina super Mathiam, qui annumeratus est cum vndecim Apostolis.

V.

Et in sacra Regum historia legimus, quia Principes Sacerdotum, quando sa-
2. Par. 23. cta vnctione Reges in Regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, vt scirent, qualiter seipsos regere, & prauos corrigere, & bonos in viam rectam deberent dirigere. G
Vnde sicut Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis demonstrat: & in his, quæ nuper apud Martyrium sanctæ Macræ in Synodo gesta sunt, continetur, duo sunt, quibus principaliter, vna cum specialiter cuiusque curæ subiectis, mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordinum sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua, quo nomine censetur, attendere, & magnopere prouidere, ne à nomine discordet officio. Primùm namque, vt beatus
Cypr. de 12. Abus. c. 10. Cyprianus dicit, ab Episcopo quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam Episcopus, cùm Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò » speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, » cùm sub Ezechielis Prophetæ persona Episcopo officij sui rationem denunciat, » ita inquiens: Speculatorem dedi te domui Israhel. Speculatoris officium est, vt » commisso sibi populo, exemplo & verbo qualiter viuere debeat, incessanter » annuntiet, sicut de Christo, qui sequi se, id est imitari præcipit, scriptum est:

A *Quæ cœpit Iesus facere & docere*, & sic vitam ac mores sibi commissorum speculetur, attendere, & postquam attenderit, sermone si poterit & actu corrigere: & si non poterit, iuxta Euangelicam Regulam scelerum operarios debet declinare. CARLOMANNVS.

VI.

ET Rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iusticiâ Regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Quæ verò sit iusticia Regis, idem beatus Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissimè monstrat. Prou. 1. & 16. Cypr. de Abus. c. 9.

VII.

HABET quippe ordo Sacerdotalis leges diuinitus promulgatas, qualiter quisque ad culmen regiminis, videlicet Episcopatus, venire debeat: atque ad hoc rectè peruenìens, qualiter viuat, & benè viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: qualiter etiam ministros sibi suppositos regere debeat, quàm pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines dispensare, & qua discretione ligare vel soluere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptum est ita: Nulli Sacerdoti suos liceat "canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. "Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in ipsius "
B Domini iniuriam prosilitur. Quod tale est, quia vt sacra monstrat auctoritas, cognata sunt schisma & heresis, ac si aliis verbis dicatur: Non minus schismaticus delinquit, cùm præuaricatione sanctarum regulatum per contemptum se ab vnitate sanctæ Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, diuidit, quàm hereticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiæ, malè sentit. "

VIII.

ET sicut dictum est de legibus Ecclesiasticis, quòd nulli Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare: ita legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cùm enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere, nulla persona in quocumque ordine mundano excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Habent enim Reges & Reipublicæ ministri leges, quibus in quacumque Prouincia degentes regere debent. Habent Capitula Christianorum Regum ac progenitorum suorum, quæ generali consensu fidelium suorum tenere legaliter promulgauerunt. De quibus beatus Augustinus dicit, quia licèt homines de his iudicent cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Aug. lib. de vera Relig. c. 31.

IX.

MVLTO minus autem Regi vel cuilibet in quocumque ordine contra leges
C diuinas licet agere per contemptum. Vnde Principi terræ magnopere prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos Religio Christiana consistere debet, & ceteri ab offensione saluari. Et ideò, quia res Ecclesiasticas diuino iudicio tuendas & defensandas suscepit consensu eius, electione Cleri ac plebis, & approbatione Episcoporum Prouinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi debet: quia, sicut Dominus in Euangelio dicit, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet fauere, si non vult Regem regum offendere. Et sicut Episcopi ac Rex prouidere debent, vt nullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ auctoritati: ita Rex custodire debet, sicut S. Augustinus demonstrat, ne muneribus vel blanditiis cuiusquam scelerati pelliciatur, & adulationibus decipiatur: nec quibuscumque propinquitatis necessitudinibus coniunctis contra Deum, sanctámque Ecclesiam atque Rempublicam, peruersè agentibus affectu carnali parcat, dicente Dei Spiritu per Dauid Prophetam: *Nónne eos qui oderunt te, Deus, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse Ioan. 10. Aug. l. 5. de Ciuit. c. 24. Psalm. 138.

CARLOMANNIS. est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse. A

X.

TALES etiam Comites, & sub se Iudices constituere debet, qui auaritiam oderint, & iustitiam diligant, & sub hac conditione suam administrationem peragant, & sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicumque in omni ordine & professione in dominatione constituuntur, & Domini appellantur, sicut S. Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, dominationis virtute auctore & cooperatore Domino teneant, quia nihil proficit dominãdi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat & virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quæ in ipsa secularibus Dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet. Sæpè enim dominandi per animi neglegentiam perditur fortitudo. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret vt diligatur, & per iustas vindictas, non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim nisi benè fortè firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod B continet, citò deperit. Et sciat, quòd sicut in Principatu hominum primus constitutus est, ita quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, nisi se & illos correxerit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit.

Cypr. de abus. c. 6. Luc. 20.

XI.

IN memoratis namque gestis apud Martyrium sanctæ Macræ, & de his quæ ad sanctæ Ecclesiæ, ac rectorum ipsius honorem & vigorem, & de his quæ ad Regis & Regni soliditatem, atque curam pertinent, nec non & de domus Regiæ dispositione, ex Catholicorum, secundum sanctarum Scripturarum tramitem, promulgationibus, atque ex Christianorum Regum constitutionibus per Capitula breuiter ac salubriter, si teneantur, & exequantur, collecta continentur. Verumtamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis, stabulario, id est, Pontificali ordini, cuius curæ vulneratum quemque commiserat ad sanandum, dans duos denarios, vetus scilicet ac nouum Testamentum, dixit: *Quod supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi*, eisdem gestis velut ex supererogatione, quæ præmissa sunt in hoc Opusculo, & quæ sequentur, adicere studeo.

Luc. 10.

XII.

ADALHARDUM senem & sapientem domni CAROLI Magni Imperatoris propinquum, & Monasterij Corbeiæ Abbatem, inter primos Consiliarios primùm in adolescentia mea vidi. Cuius Libellum de Ordine Palatij legi & scripsi, in quo inter cetera continetur: duabus principaliter diuisionibus totius Regni statum constare, anteposito semper & vbique omnipotentis Dei iudicio. Primam videlicet diuisionem esse dicens, qua assiduè & indeficienter Regis Palatium regebatur, & ordinabatur. Alteram verò, qua totius Regni status secundum suam qualitatem studiosissimè prouidendo seruabatur. C

XIII.

IN prima igitur dispositione, Regis Palatium in ornamento totius Palatij ita ordinatum erat. Anteposito ergo Rege & Regina cum nobilissima prole sua, tam in spiritalibus, quàm & in secularibus, atque corporalibus rebus, per hos ministros omni tempore gubernabatur. Videlicet per Apocrisiarium, id est Responsalem negotiorum Ecclesiasticorum, cuius ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando CONSTANTINUS Magnus Imperator Christianus effectus, propter amorem & honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum doctrinà ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis sacramenti peruenit, locum & sedem suam, vrbem scilicet Romanam, Papæ Syluestro edicto priuilegij tradidit, & sedem suam in ciuitate sua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis

A sui ciuitatem ampliando ædificauit, & sic Responsales tam Romanæ Sedis quàm aliarum præcipuarum Sedium in Palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant.

XIV.

ALIQVANDO per Episcopos, aliquando verò per Diaconos, Apostolica Sedes hoc officio fungebatur. Quo officio B. Gregorius in Diaconi ordine functus fuit, & ex aliis præcipuis Sedibus per Diaconos id officium exequebatur, sicut sacri canones iubent. Et in his Cisalpinis regionibus postquam HLVDOVVICVS prædicatione B. Remigij ad Christum conuersus, & ab ipso cum tribus millibus Francorum in vigilia sancti Paschæ baptizatus extitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis Sedibus, & tempore competenti Palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore verò PIPPINI & CAROLI interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos, Regia voluntate atque Episcopali consensu, per Diaconos vel Presbyteros magis, quàm per Episcopos, hoc officium executum extitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs secundum sacros canones à suis abesse parrochiis.

XV.

NEQVE iuxta decreta ex sacris Canonibus promulgata B. Gregorij Prætoria,
B quæ nunc Regia, & vsitatiùs Palatia nominantur, debent inutiliter obseruare, ne incurrant iudicium, vt contra placita Canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes ipsi sibi honore priuent Ecclesiastico. Et, vt de licitis exempla ponamus, & de inlicitè vsurpatis non taceamus: tempore PIPPINI & CAROLI hoc ministerium consensu Episcoporum per Fulradum Presbyterum: tempore etiam CAROLI per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos: tempore denique HLVDOVVICI per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum, extitit hoc ministerium executum.

XVI.

APOCRISIARIVS autem, quem nostrates Capellanum, vel Palatij Custodem appellant, omnem Clerum Palatij sub cura & dispositione sua regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur. Erántque illi subiecti prudentes, & intelligentes ac fideles viri, qui Præcepta Regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos verò sacrum Palatium per hos ministros disponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem Palatij, Senescalcum, Buticularium, & Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.

XVII.

C ET quamuis sub ipsis, aut ex latere eorum alij ministeriales fuissent, vt Ostiarius, Sacellarius, dispensator scapoardus, & quorumcunque ex iis iuniores, aut Decani fuissent, vel etiam alij ex latere, sicut bersarij, veltrarij, beuerarij, vel si qui adhuc supeterant: verùmtamen, quamuis & ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, non tamen ad eos, sicut ad ceteros principaliter, vt subter insertum est, totius Regni confœderatio in maioribus, vel minoribus, singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus, cum Palatio conglutinabantur: sed nec ipsi superiores omnes æqualiter propter ministeriorum diuersitatem, qualitatem, vel conuenientiam, prodesse poterant: cùm tamen nullus se propter fidei seruandam veritatem Regis & Regni, vt prædictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministeriis, quanquam plura sint quæ dicantur, hæc tamen præcipuè habebantur.

XVIII.

IMPRIMIS, vt iuxta cuiuscumque ministerij qualitatem vel quantitatem, minister nobili corde & corpore constans, rationabilis, discretus, & sobrius eligeretur: sed nec illa sollicitudo deerat, vt, si fieri potuisset, sicut hoc Regnum, Deo auctore, ex pluribus regionibus constat, ex diuersis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco iidem ministri eligerentur, qualiter familiariùs quæque regiones Palatium adire possent, dum suæ genealogiæ vel regionis consortes in Palatio locum tenere cognoscerent.

CARLOMANNVS.

XIX.

A His ita breuiter de eligendis & constituendis ministris prædictis, nunc ad eorumdem ministrorum & ministrationum ordinem qualiter currebant veniendum est. Nam quamuis præfati ministri, vnusquisque de suo ministerio, non sub alio, vel per alium, nisi per se ipsum, solum Regem, vel quantum ad Reginam, vel gloriosam prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes æqualiter de ceteris rebus, vel ceterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisque contentus erat, & vbi vel vbi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus præcipuè duo, id est Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatij Custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ, & Comes Palatij, de omnibus secularibus causis vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: vt nec Ecclesiastici nec seculares prius domnum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi præuiderent, si necessitas esset, vt causa ante Regem meritò venire deberet. Si verò secreta esset causa, quam priùs congrueret Regi, quàm cuiquam alteri, dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi præpararent, introducto priùs Rege, vt hoc iuxta modum personæ vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.

XX.

B Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica Religione vel Ordine, nec non etiam de Canonicæ, vel Monasticæ altercatione, seu quæcumque Palatium adibant, pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet: & ea tantummodò de externis Regem adirent, quæ sine illo pleniùs definiri non potuissent. Ceterùm, vt non solùm de his, quæ ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra Palatium agenda pertinebant, verùm quoque & omnem consolationem spiritalem, siue consilium totius Palatij quicumque quæreret, apud eum vt necesse erat, fideliter inueniret: & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, iuxta personæ qualitatem, & à peruerso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis conuertere studeret, & cetera spiritualia, quæcumque Palatio, tam ab assiduè conuersantibus, quámque & à superuenientibus, siue secundum Deum, siue secundum seculum, vt prouiderentur, & præuiderentur, erant necessaria, quæ enumerare longum est, ad eius specialiter curam pertinebant. Non ita, vt aliter vllus, siue Palatinus, siue externus superueniens, sapientiâ & vera deuotione per Dei gratiam illuminatus, tale aliquid minimè ageret: sed maximè consuetudo erat, vt aut cum eodem Apocrisiario pariter, aut certè per eius consilium quod erat agendum ageret, ne fortè quid minus vtile aut indignum Regi subriperet.

XXI.

C Comitis autem Palatij, inter cetera penè innumerabilia, in hoc maximè sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iustè ac rationabiliter determinaret, seu peruersè iudicata ad æquitatis tramitem reduceret, vt & coram Deo propter iustitiam, & coram hominibus propter legum obseruationem cunctis placeret. Si quid verò tale esset, quod leges mundanæ hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudeliùs sancitum esset, quàm Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur, vt ipse cum his, qui vtramque legem nossent, & Dei magis, quàm humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret, vt vbi vtrumque seruari posset, vtrumque seruaretur. Sin autem, lex seculi meritò comprimeretur, iustitia Dei conseruaretur.

XXII.

De honestate verò Palatij, seu specialiter ornamento Regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis ad Reginam præcipuè, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundum cuiusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, vt tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, vllatenus opportuno tempore defuisset. De donis verò diuersarum Legationum ad Camerarium adspiciebat, nisi fortè iubente Rege tale aliquid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret. Hæc autem omnia, & his

A & his similia, eò intendebant, vt ab omni sollicitudine domestica, vel Palatina, in quantum rationabiliter & honestè esse poterat, domnus Rex omnipotenti Deo spem suam indesinenter committens, ad totius Regni statum ordinandum, vel conseruandum, animum semper suum promptum haberet.

XXIII.

Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium, & Comitem Stabuli, secundum vniuscuiusque ministerij qualitatem vel quantitatem pertinebat, vt cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes, vt quantò eius esse potuisset, omnes actores Regis præscirent, vbi vel vbi Rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem, vel præparationem: ne fortè tardè scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quæ videlicet cura, quanquam ad Buticularium, vel ad Comitem Stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescalcum respiciebat, eo quòd omnia cetera, præter potus vel victus caballorum, ad eundem Senescalcum respicerent. Inter quos etiam & Mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut & nomen eius indicat, vt in hoc maximè sollicitudo eius intenta esset, vt tam supradicti actores, quámque & susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, vt opportuno tempore præscire potuissent, ne aut indè tar-
B dè scientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut hi propter non condignam susceptionem, ac si benè noluissent, cùm certè non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.

XXIV.

Similiter quoque quatuor Venatores, & quintus Falconarius, cum eadem vnanimitate secundum temporis qualitatem admonere studebant, qualiter ea quæ ad singulorum ministeriorum curam pertinebant, & opportuno tempore, & non tardè consideraretur, quando tanti vel quando tanti, quando toti & quando nulli, aut in Palatio retinerentur, aut more solito foris nutriendi vsque ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi causâ pariter & nutriendi disponerentur. Sed & hoc & illud, id est & intra & extra Palatium ita semper cum mensura & ratione ordinaretur, vt quantum prodesset, esset, & quantum non prodesset, non esset; quia in ipsis ministeriis non sic facilè certus numerus aut hominum, aut canum, aut auium diffiniri potest, ideo in ipsorum arbitrio manebat, quanti & quales essent. Sensus autem in his omnibus talis erat, vt nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has præcipuè inter ceteras necessitates, vel honestates.

XXV.

C Primo, vt, siue generaliter maioribus, siue specialiter vel singulariter quibusque minoribus recedentibus omni tempore, & multitudine congrua, sine qua rationabiliter & honestè esse non posset, semper esset ornatum Palatium, & Consiliariis condignis nunquam destitutum fuisset. Et, vt qualiscumque Legatio siue speculandi, siue etiam subdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honestè suscipi potuissent. Deinde primus consilij rectitudinem, secundus misericordiæ & benignitatis consolationem, tertius verò versutiæ seu temeritatis sermo referret medicinam. Et, vt ex quacumque parte totius Regni, quicumque desolatus, orbatus, alieno ære oppressus, iniustè calumnia cuiusque suffocatus, seu cetera his similia, quæ nunc enumerare perlongum est, maximè tamen de viduis, & orphanis, tam seniorum quámque & mediocrium, vniuscuiusque secundum suam indigentiam, vel qualitatem, Dominorum verò misericordiam & pietatem, semper ad manum haberet, per quem singuli ad pias aures Principis perferre potuissent.

XXVI.

Similiter qui propter diutinum seruitium digni erant vt remunerati debuissent, & locus talis occurrebat, vbi ex prædictis indigentibus nemo sine mensura destitueretur, similiter secundùm eorum qualitatem ad memoriam Principum reuocarentur, non tam ipsis vrgentibus, quàm eorum, de quibus suprà dictum est, fidem & debitum exigentibus, vt in eis id fieret. Primò, pro-

CARLOMANNUS. pter quod cum iustitia & misericordia Deo placeret. Deinde in militia remanentibus certissimam fideliter seruandi fidem & constantiam ministrarent. Deinde vt etiam longè positis per totius Regni ambitum lætitiam & gaudium demonstrarent. Et si aliquis ex ministerialibus vel Consiliariis decedebat, loco eius congruus & vtilis restituebatur. A

XXVII.

ET vt illa multitudo, quæ in Palatio semper esse debet, indeficienter persistere posset, his tribus ordinibus fouebatur. vno videlicet, vt absque ministeriis expediti milites antepοsita Dominorum benignitate, & sollicitudine, qua nunc victu, nunc vestitu, nunc auro, nunc argento, modò equis, vel ceteris ornamentis, interdum specialiter, aliquando prout tempus, ratio, & ordo condignam potestatem administrabat, sæpiùs porrectis: in eo tamen indeficientem consolationem, nec non ad regale obsequium inflammatum animum ardentiùs semper habebant: quod illos præfati Capitanei ministeriales certatim de die in diem, nunc istos, nunc illos ad mansiones suas vocabant, & non tam gulæ voracitate, quàm veræ familiaritatis, seu dilectionis amore, prout cuique possibile erat, impendere studebant. Sicque fiebat, vt rarus quisque infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo pro huiusmodi studio conuocaretur.

XXVIII. B

ALTER ordo per singula ministeria discipulis congruebat, qui magistro suo singuli adhærentes, & honorificabant, & honorificabantur, locisque singuli suis, prout opportunitas occurrebat, vt à Domino videndo vel alloquendo consolarentur. Tertius ordo item erat, tam maiorum, quàm minorum, in pueris, vel vasallis, quos vnusquisque prout gubernare & sustentare absque peccato, rapina videlicet, vel furto, poterat, studiosè habere procurabant. In quibus scilicet denominatis ordinibus, absque his qui semper eundo & redeundo Palatium frequentabant, erat delectabile, quòd interdum & necessitati, si repentè ingrueret, semper sufficerent: & tamen semper, vt dictum est, maior pars illius propter superiùs commemoratas benignitates, cum iucunditate & hilaritate prompta, & alacri mente persisterent.

XXIX.

SECUNDA diuisio est, qua totius Regni status, antepοsito, sicuti semper & vbicumque, omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conseruari videbatur, hæc est. Consuetudo autem tunc temporis talis erat, vt non sæpiùs, sed bis in anno, Placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium, quod ordinatum nullus euentus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto Regno incumbebat, mutabatur. In quo Placito generalitas vniuersorum maiorum, tam Clericorum quàm Laicorum, conueniebat. Seniores, propter consilium ordinandum: minores, propter idem consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum. C

XXX.

CETERUM autem propter dona generaliter danda, aliud Placitum cum Senioribus tantùm & præcipuis Consiliariis habebatur: in quo iam futuri anni status tractari incipiebatur, si fortè talia aliqua se præmonstrabant, pro quibus necesse erat præmeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut prouidere necessitas esset. Verbi gratiâ, si inter Marchisos in qualibet Regni parte ad aliud tempus dexteræ datæ fuissent, quid mox post dexteras exactas agendum esset, vtrùm renouandæ, an finiendæ essent. Iuxta, ceterarum partium imminentibus rixa & pace, vt secundùm id, quod tunc temporis ratio poscebat (si ex vna parte hinc aut indè vel facienda vel toleranda inquietudo necessariò incumbebat) ex aliis partibus tranquillitas ordinaretur. Et cùm ita per eorundem Seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, à longè considerarent: & cùm inuentum esset, sub silentio idem inuentum consilium, ita funditus ab omnibus alienis in-

A cognitum vsque ad aliud iterum secundum generale Placitum, ac si inuentum, vel à nullo tractatum esset, maneret: vt si fortè tale aliquid aut infra, aut extra Regnum ordinandum esset, quod præscientia quorumdam aut destruere, aut certè inutile reddere, aut per aliquam diuersam astutiam laboriosiùs faciendum conuertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem Placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem ceterorum Seniorum, vel propter non solum mitigandum, verum etiam accendendum animum populorum, ac si ita priùs exinde præcogitatum nihil fuisset, ita nunc à nouo consilio & consensu illorum & inueniretur, & cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, præfato modo ordinaretur & de secundo. CAROLOMANNUS.

XXXI.

Consiliarii autem, quantum possibile erat, tam Clerici quàm Laici, tales eligebantur, qui primò secundum suam quisque qualitatem vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, vt excepta vita æterna nihil Regi & Regno præponerent: non amicos, non inimicos, non parentes, non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non sophisticè vel versutè, aut secundum sapientiam solummodò huius seculi, quæ inimica est Deo, sapientes, sed illam sapienriam & intelligentiam scientes, qua illos, qui in supradicta humana astucia fiduciam suam habuissent, pleniter per iustam & rectam
B sapientiam non solùm reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem Consiliarij vnà cum Rege hoc inter se principaliter constitutum habebant, vt quicquid inter se familiariter locuti fuissent, tàm de statu Regni, quàmque & de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicumque alteri prodere debuisset, secundum hoc quod res eadem siue die, siue duobus, siue ampliùs, seu annum, vel etiam in perpetuo celari vel sub silentio manere necesse fuisset. Quia sæpè in tali tractatu de qualibet persona talis interdum propter communem vtilitatem agendam vel cauendam sermo procedit, qui ab eo cognitus aut valdè turbat, aut quod magis est in desperationem trahit, vel, quod grauissimum est, in infidelitatem conuertit, & ab omni profectu, quem fortasse multipliciter exercere potuit, inutilem reddit: cùm tamen nihil ei obesset, si eundem sermonem minimè sciret. Quale de homine vno, tale de duobus, tale de centum, tale de maiori numero, vel etiam de progenie vna, vel tota qualibet simul prouincia, si magna cautela non fuerit, fieri poterit.

XXXII.

Apocrisiarius autem, id est Capellanus, vel Palatij Custos, & Camerarius, semper intererant. Et idcirco cum summo studio tales eligebantur,
C aut electi instruebantur, qui meritò interesse potuissent. Sed & de ceteris ministerialibus, qui talem se ostendebat, vt ad hoc vel præsens, vel futurus, nunc discendo, postmodum verò consiliando, loco eorumdem honorificè substitui potuisset, cum summa intentione mentis, intendendo singulis quæ agebantur, interesse iubebatur, saluans credita, discens incognita, retinens ordinata & constituta: vt si fortè tale aliquid extra aut infra Regnum oriretur, aut imperatum, & ideò præmeditatum nunciaretur, rariùs tamen necesse esset vt consilium altiùs tractaretur, & tamen tempus aptum non esset, in quo præfati Consiliarij conuocarentur, ipsi Palatini per misericordiam Dei ex eorum assidua familiaritate tam in publicis consiliis, quàmque ex domestica in hac parte allocutione, responsione, & consultatione, studium haberent, prout tunc tel vel temporis qualitas exigebat, aut consilium pleniter dare, quid fieret, aut certè quomodo ad præfinita tempora cum consilio & absque vllo detrimento res eadem expectari vel sustentari potuisset. Hæc de maioribus.

XXXIII.

De minoribus verò, vel propriè Palatinis, ita vt diximus, non generaliter ad Regnum pertinentibus, sed specialiter ad personas quasque respicientibus, quæ

CARLOMANNVS. specialiter Palatio imminebant, cum eis dominus rerum ita inconfusè ordinare potuisset; vt exinde non solùm detrimentum vllum oriretur, verum etiam ortum aut imminens vtiliter aut mitigari, aut funditus extingui, aut etiam euelli potuisset. Si verò talis esset causa, vt velocitati immineret, & tamen aliquatenus vsque ad generale Placitum quoquo pacto sustentari, vel sine peccato, aut sine contumelia potuisset, ipsi modum eiusdem sustentationis ex prædicto maiori vsu consilium dandi scirent, & sapientiam priorum imitari placitè Deo & vtiliter Regno interim dare potuissent. Præfatorum autem Consiliariorum intentio, quando ad Palatium conuocabantur, in hoc præcipuè vigebat, vt non speciales, vel singulares quascumque vel quorumcumque causas, sed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent; quousque illa, quæ generaliter ad salutem vel statum Regis & Regni pertinebant, domino miserante ordinata habuissent. Et tunc demum si fortè tale aliquid domino Rege præcipiente reseruandum erat, quod sine eorum certa consideratione determinari à Comite Palatij, vel à ceteris, quibus congruebant, non potuisset. A

XXXIV.

PROCERES verò prædicti, siue in hoc, siue in illo præfato Placito, quin & primi Senatores Regni, ne quasi sine causa conuocari viderentur, mox auctoritate regia per denominata & ordinata Capitula, quæ vel ab ipso per inspirationem Dei inuenta, vel vndique sibi nuntiata post eorum abscessum præcipuè fuerant, eis ad conferendum, vel ad considerandum patefacta sunt. Quibus susceptis, interdum die vno, interdum biduo, interdum etiam triduò, vel ampliùs, prout rerum pondus expetebat, accepto, ex prædictis domesticis Palatij Missis intercurrentibus, quæque sibi videbantur interrogantes, responsúmque recipientes, tam diu ita nullo extraneo appropinquante, donec res singulæ ad effectum perductæ gloriosi Principis auditui in sacris eius obtutibus exponerentur, & quicquid data à Deo sapientia eius eligeret, omnes sequerentur. Ecce sicut de vno, ita de duobus, vel quotquot essent, Capitulis agebatur, quousque omnia Deo miserante illius temporis necessaria expolirentur. B

XXXV.

INTERIM verò, quo hæc in Regis absentia agebantur, ipse Princeps reliquæ multitudini in suscipiendis muneribus, salutandis Proceribus, confabulando rariùs visis, compatiendo senioribus, congaudendo iunioribus, & cetera his similia tam in spiritalibus quàmque & in secularibus occupatus erat. Ita tamen, vt quotiescumque segregatorum voluntas esset, ad eos veniret, similiter quoque quanto spatio voluissent cum eis consisteret: & cum omni familiaritate, qualiter singula reperta habuissent, referebant, quantáque mutua hinc & inde altercatione vel disputatione, seu amica contentione decertassent, apertiùs recitabant. Sed nec illud prætermittendum, quomodo si tempus serenum erat, extra, sin autem, intra diuersa loca distincta erant, vbi & hi abundantes segregari semotim, & cetera multitudo separatim residere potuissent, prius tamen ceteræ inferiores personæ interesse minimè potuissent. Quæ vtraque tamen seniorum susceptacula sic in duobus diuisa erant, vt primò omnes Episcopi, Abbates, vel huiusmodi honorificentiores Clerici, absque vlla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiusmodi Principes sibimet honorificabiliter à cetera multitudine primo mane segregarentur, quousque tempus siue præsente siue absente Rege occurrerent: & tunc prædicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici verò ad suam constitutam Curiam, subselliis similiter honorificabiliter preparatis, conuocarentur. Qui cùm separati à ceteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separari residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, siue de spiritalibus, siue de secularibus, seu etiam commixtis. Similiter si propter quamlibet vescendi vel inuestigandi causam quemcumque conuocare voluissent, & re comperta discederet, in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, quæ eis à Rege ad tractandum proponebantur. C

XXXVI.

SECVNDA autẽ ratio Regis erat, interrogatio, quid vnusquisq; ex illa parte Regni

A qua veniebat, digna relatu, vel retractatu secum afferret: quia & hoc eis non solùm permissum, verùm etiam arctiùs commissum erat. vt hoc vnusquisque studiosissimè, vsque dum reuerteretur, tam infrà quàm extra Regnum perquireret, si quid tale non solùm à propriis vel extraneis, verùm etiam sicut ab amicis, ita & ab inimicis inuestigaret, intermissa interim, nec magnopere vnde sciret inuestigata persona. Si populus in qualibet Regni parte, regione, seu angulo turbatus, quæ causa turbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inæquale resonaret, vnde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, & cetera his similia. Extrà verò, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, sic needum tacta insidias Regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his verò omnibus quæcumque cuilibet periculo imminerent, illud præcipuè quærebatur, cuius rei occasione talia vel talia orirentur. CARLOMANNVS.

XXXVII.

Post illa, quæ in Synodo apud Martyrium Sanctæ Macræ de maiorum constitutionibus collecta, & Regi Hludovvico nuper defuncto fuere directa, hæc de Ordine Palatij, & dispositione Regni vobis ad institutionẽ istius Regis nostri, ac ministrorum eius Regni, quæ prouisorum sicut scriptis, & verbis Seniorum didici, & ipse adhuc in adolescentia mea vidi, deuotè iussioni vestræ obediens obtuli. Personas autem hominum, & mores ac qualitates illorum, per quos si aliB quà sunt collapsa restituantur, vestra solertia prouidebit, quoniam de his quos tempore domni Hludovvici Imperatoris vidi Palatij procuratores & Regni Præfectos, neminem scio esse superstitem. Scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licèt illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi verò procurent, vt non sint moribus ac virtute, atque pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientiâ & studiis bonis degeneres: quatenus meritò patrum loca & officia suppleant, & se in ipsa suppletione cautè custodiant: ne, vt sanctus Gregorius dicit, in culmine honoris positi vsu gloriæ permutentur, sicut Saül, qui priùs in electione honoris extitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem tumoris. Greg. lib 6. in 1. Reg. c. 15.

DE REGNO CAROLI CRASSI IMP. IN FRANCIA,

Et de diuisione Imperij Francici post eius obitum,

FRAGMENTVM

C *Ex Vita Ælfredi Anglorum Regis, quam Asser Meneuensis scripsit.*

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIV. Carolomannvm Francorum Occidentalium Regem, aprorum venationem agentem, singulari congressione horrendo dente aper dilacerans, miserabili funere percussit. Cuius frater Hlothvvicvs superiori anno defunctus est, qui & ipse erat etiam Francorum Rex. Ipsi etenim ambo filij Hlothvvici Regis Francorum erant. Qui etiam Hlothvvicus suprà memorato anno, quo eclypsis Solis facta est, defunctus est. Ipse quoque Hlothvvicus filius Caroli Francorum Regis erat. cuius filiam Iuthittam Æthelvvlfus Occidentalium Saxonum Rex ad Reginam sibi paterna voluntate suscepit. 884.

Eodem quoque anno Farlvs Almannorum Rex Occidentalium Francorum Regnum, & omnia Regna, quæ sunt inter mare terrenum, & illum marinum sinum, qui inter antiquos Saxones & Gallos adiacet, voluntario omnium consensu accepit: absque Armoricano (id est minori Britannia) Regno. Qui Farlus filius Hlothvvici Regis fuit. Ipse verò Hlothvvicus germanus Caroli Regis Francorum, patris videlicet Iuthittæ Reginæ prædictæ, erat. Qui etiam duo germani fuerunt filij Hlothvvici. Hlothvvic verò ille filius Karoli Magni, & antiqui atque sapientissimi: qui etiam fuit filius Pipini. CAROLVS CRASSVS.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVI. natiuitatis autem Ælfredi XXXV. exercitus Paganorum regionem fugiens, iterum in Occidentalium 886.

CAROLVS CRASSVS. Francorum regionem venit: naues suas dirigens in flumen, quod *Signe* * dicitur. A
* Sequana siue Sigona Sursum contra longè nauigans, Parisiam ciuitatem adiit, & ibi hiemauit, & castra metatus est. Intra quam, partem fluminis prope ad pontem, vt transitum pontis ciuibus prohiberet: quia illa ciuitas in medio fluminis sita est, in insula parua. Obsedit illam ciuitatem anno illo integro. sed Deo misericorditer fauente, & ciuibus viriliter se defendentibus, munitionem irrumpere non potuit.

887. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII. natiuitatis autem Ælfredi Regis XXXVI. memoratus Paganorum exercitus Parisiam derelinquens incolumem, eò quòd aliter proficere sibimet non poterat, classem suam sub illo ponte sursum contra *Signe* longè remigando tamdiu direxit, donec ad ostium fluminis, * Matrona seu Materna quod *Materre* * nominatur, peruenisset: tunc Sigonam deserentes, in ostium Materræ diuertunt. Contra quod diu ac longè nauigantes, demum non sine labore vsque ad locum, qui dicitur *Cazies*, id est Villa Regia, peruenerunt. In quo loco hiemauerunt integro anno. Sequenti anno in ostium fluminis, quod dicitur *Iona*, intrauerunt, non sine magno regionis damno. & illic remorati sunt anno vno.

EODEM anno FARLVS Francorum Rex viam vniuersitatis adiit. Sed EARNVLF filius fratris sui, sexta antequam defunctus esset hebdomada, illum Regno expulerat. Quo statim defuncto, quinque Reges ordinati sunt, & Regnum in quinque partibus conscissum est. Sed tamen principalis Sedes Regni ad Earnulf iustè & meritò prouenit, nisi solummodò quòd in patruum suum indignè peccauit. Ceteri quoque quatuor Reges fidelitatem & obedientiam Earnulfo, B sicut dignum erat, promiserunt. Nullus enim illorum quatuor Regum hereditatius illius Regni erat in paterna parte, nisi Earnulf solus. Quinque itaque Reges confestim Farlo moriente ordinati sunt. Sed Imperium penes Earnulf remansit. Talis ergo illius Regni diuisio fuit. Nam EARNVLF Orientales regiones Hreni * Rodulfus fluminis, HROTHTHVVLF * quoque internam partem Regni accepit: ODA * * Odo etiam Occidentale Regnum, BEORNGAR * & VVITHA Langobardiam, * Berengarius & VVido necnon & illas regiones, quæ in illa parte Montis sunt. Nec tamen tanta & talia Regna inter se pacificè seruauerunt. Nam bis pleno prælio inter se belligerauêre, & illa Regna persæpè deuastauerunt inuicem. & vnusquisque alterum expulit de Regno.

A



ABBONIS MONACHI
S. GERMANI PARISIENSIS,
DE BELLIS PARISIACÆ VRBIS, ET ODONIS COMITIS, POST REGIS,

Aduersus Northmannos vrbem ipsam obsidentes, sub CAROLO CRASSO Imp. ac Rege Francorum,

LIBRI DVO.

B

OPERIS huius Scriptor non fuit Abbo ille Floriacensis Abbas, ad quem est Aimoini Monachi Præfatio in Historiam Francorum Libris IV. scriptam: sed alius eiusdem nominis, qui se Neustrium, id est, vt cum P. Pithœo existimo, Parisium, & Ecclesiæ sancti Germani Parisiensis seruisse significat, sub ODONE *Comite, pòst Rege, cuius tempora Floriacensis illius mortem annis plus minus centum præcesserunt. Nam passim hic beatum Germanum Paris. Præsulem Dominum & Patrem suum nuncupans, seque de eius bonis vesci profitens Libro II. satis ostendit se Monachum illius Cœnobij fuisse, quod vulgo Sancti Germani de Pratis dicitur. Obsidio autem vrbis Parisiacæ, quam duobus Libris describit, à Northmannis facta est anno* DCCCLXXXVI. *& soluta anno* DCCCLXXXVII. *vt ex Fragmento præcedenti Asserii eiusdem ferè seculi Scriptoris liquidò patet. Cui obsidioni Abbo ipse interfuisse se testatur Libro I. Vndè & sibi fidem historia eò maiorem vendicat, quòd non audita tantùm, sed etiam visa refert. Denique & Libros suos inscripsisse,* De Bellis Parisiacæ Vrbis, & Odonis Principis, ac de Miraculis sancti Germani, *ex sequenti eiusdem ad Gozlinum Præfatione colligitur.*

SCIDVLA SINGVLARIS CERNVI ABBONIS dilecto Fratri Gozlino.

C

VNCTORVM Dei plasmatum extimus & conleuita indignus ABBO, sinceræ omnémque terrigenam superantis igne dilectionis amplexando Fratri Gozlino quidquid in Christo vtriusque vitæ manet iocunditatis. Tuæ admodum mihimet acceptissimæ germanitatis affectio sibimet dudum destinari crebro poposcit, vt bellorum Parisiacæ polis, præcellentissimi quoque Principis ab examine * regni hucusque ODONIS, nostro genitum labore Codicellum didicit, tam contigui * studiosa ingenioli, quàm fraterni insuper non immemor flagri. Eandem itaque ob gratiam faustissime noueris Germane, tibi hanece dirigi pagellam, cùm tam rara ne vnquam penes me frustretur petitio, tum solamine omnium apud lectorem amicissimi, vt cara fine tenus vice illam mittentis fungatur: quin etiam à deuiis prudenti dextera releuetur. Nunquam enim otio reficiendi ob

Glosa marginibus adscripta sunt ex Cod. Ms.

* gl. origine

* propinqui

ſcholarum plutalitatem, cuius commoditati vbique locorum vacauerim. Verùm quî primùm fuerit prolata, conſtat adhuc ſequens pagina membranis ſemel tantùm mutatis, poſt quoque ceu quopiam Phœbo, tuo ſagaci luſtretur arbitrio. Denique huius eliminata directionis cauſa, æquum autumatur depromi geminas etiam Opuſculi inchoationes. Quarum ſiquidem prima fuerit cauſa exercitationis. (Tunc etenim adhuc litteratoriæ tyrunculus diſciplinæ, Maronis proſcindebam Eglogas.) Altera verò manſuri aliarum tutoribus vrbium exempli. Ceterùm tam tuæ, quàm reliquorum quidem lectorum almæ charitati non iſtud
* nominer metricè complecti volumen quòd Vates taxer *, notum fore molior. Nullatenus quippe hîc quæ penes ſummos repetiuntur figmenta Poëtas. Atqui Faunos ferâſve nunquam tripudio carminis in ludum more
Virgil. Egl. 6. Sileni conglomerauerim, neu rigidas motare cacumina quercus coëgerim; tum verò ſyluæ auéſque, mœnia quoque nunquam noſtris ſunt comitata veſtigiis, præ dulcedine cantionis: nec quouis modulamine Orco aliiſve manibus animas tartarea eripuerim caligine ritu Orphei. Planè etiam ſi quando affuerit velle, nuſquam tamen hîs actibus fauit poſ-
* Poëta ſe. Ergo nec Poſitor * quidem nuncupor, nec figmenta hîc habentur. B
Sed noſtræ facultatis adſint præſidia. Porro Triadi noſtros credidi biblos viſu & auditu modo decuſſatos. Quorum duo quidem tam præliis Pariſiacæ vrbis, Odonis quoque Regis, quàm profectò almi ac Heroïs præſertim mei Germani eiuſdem Sedis olim egregij Præſulis effulgent Miraculis, aliàs tamen quibuſlibet inauditis. Qui autem ſupplet Trini-
* Tertius hic Liber obmiſſus eſt, quia nihil ad hiſtoriam faciebat. tatem tertius *, horumce ignarus conſtat. Nam cleronomos tametſi anguſtum maneat ſitum, decentiſſimè ornat, tum ſcholaſticis ambientibus gloſas ſuis in commentis obnixè complacet, allegoria verò aliquantiſper, cui eius indago libuerit, renitet, cui per ſemet quoniam mutis *
* obſcuris
* gloſas inhæret verbis, propria manu linguas * ſuperieci. Pedes autem in omnibus Opuſculi verſibus adeo delegerim, quo perrariſſimos fortè ignorantia potiúſve obliuione liquerim claudos: qui tamen perietgia * que-
* ſolertia ſo induſtriáque legentis debitæ virtuti reſtituantur. Penthemimeris nempe ſeu cum catarticon trocheon eptemimeris rata ſimilitudine per omnia currunt cæſuræ, quamquam bucolice ptomen perpauca. Commu- C
* ſyllabæ nibus prætereà bannitæ * modis cum diæreſi & epiſynalepha non densè vſus extiti. Igitur largiente diuino munere, ſuggeſſit hæccine mihi facultas. Quid plura? Catalecticus cunctus exiſtit verſus. Tum multa prorſus alia lectori ſeria parebunt indita. Nec tamen putetur hoc ob aliud factum niſi materiam vel à tua, dulciſſime Frater, prudentia hauriendam, ſeu cuiuſpiam alterius diſerti, cùm ad manus venerit, metrici. Dactilici quidem verſiculi trimetri præpoſiti cauſam enucleant ſui, ſed minimè exauditi. Verùm quod haud apud Magiſtrum, ſaltem mereantur nanciſci penes Germanum.

Gaudia quot rady Phœbo, tibi ſint & honores,
Cum fine in finem, clam quoque fine Deo.

EXPLICIT PRÆFATIO.

A CAROLVS CRASSVS.

VERSICVLI AD MAGISTRVM DACTILICI.

O Pædagoge sacer meritis
Aymoïne piis radians,
Dignéque sydereo decore:
Perrogitat matites liniens* *discipulus
Ore pedes digitósque tuos,
Cernuus ABBO *tuus iugiter.*
Sume botros, tibi quos tua fert
Vitis adhuc virides; rubeant
Imbre tuo, radiisque tuis.
Continuo feris atque fodis* *doces atque corrigis
Tu, celebrande, putas & eam,
Nuncque cupis niteat pluuiis
Alterius, iubare alterius,
B *Dulce cui tribuas rogo mel.*
Nam tibi palmes & vua manet.
Floruit has mihi Parisius
Nobilis vrbs, veneranda nimis
Bella precans sua ferre tibi.
Agnita cuius vt orbe vago
Sepiat athera palma volans,
Doxáque regnet vbique micans,
Ore tuo gradiente super.



DE BELLIS PARISIACAE VRBIS, ET ODONIS COMITIS.

C LIBER I.

DIc alacris saluata Deo Lutetia summo,
Sic dudum vocitata geris modò nomen ab vrbe
Isia*, Danaum latæ media regionis, *gl. Nam Parisius dicitur.
Quæ portu fulget cunctis venerabiliori.
Hanc Argiua sitis celebrat perauara gazarum,
Quod nothum species metaplasmi modo nomen
O collega, tibi, Lutetia, pingit honeste
Nomine, Parisiúsque nouo taxaris ab orbe,
Isiæ quasi par merito pollet tibi consors.
Nam medio Sequanæ recubans, culti quoque Regni
Francigenum, temet statuis percelsa, canendo.
Sum polis vt Regina micans omnes super vrbes,
Quæ statione nites cunctis venerabiliori.
Quisque cupiscit opes Francorum, te veneratur,
Insula te gaudet, fluuius sua fert tibi giro
Brachia complexo muros, mulcentia circum

CAROLVS CRASSVS. * turres, seu castella

Dextra tui pontes habitant tentoria lymphæ A
Læuaque claudentes: horum hinc inde turrices
Cis vrbem speculare falas *; citra quoque flumen.
Dic igitur, præpulchra polis, quod Danea munus
Libauit tibimet soboles Plutonis amica,
886. Tempore quo præsul Domini & dulcissimus heros
Gozlinus temet pastórque benignus alebat?
Hæc inquit, miror, narrare potest aliquisne?
Nonne tuis idem vidisti oculis: Refer ergo.
Vidi equidem, iussisque tuis parebo libenter.
Hæc tibi nempe litauerunt libamina sæui
Septies aërias centum præter iuniores
Quamplures numero naues * numerante carentes, (* ducones)
Extat eas moris vulgo barcas nominare;
Queis adeo fartus Sequanæ gurges fuit altus,
Vsque duas modicúmque super leugas fugiendo,
Vt mirareris, fluuius cui se daret antro;
Nil parens, abies quoniam velauerat illum,
Ac quercus vlmique simul, madidæ sed & alni.
Vrbem quo tetigere quidem Titane * secundo, (* die)
Egregij Sigefredus adit Pastoris ad aulam
Solo Rex verbo, sociis tamen imperitabat, B
Vertice flexo ad Pontificem sic inchoat ore:
O Gozline, tibi gregibusque tuis miserere,
Ne pereas, nostris faueas dictis rogitamus.
Indulge siquidem tantùm transire queamus
Hanc vrbem; tangemus eam nunquam, sed honores
Conseruare tuos conemur, Odonis & omnes
(Hic Consul venerabatur, Rex atque futurus
Vrbis erat tutor, Regni venturus & altor.)
Hæc contra Domini præsul fidissima iecit:
Vrbs mandata fuit KAROLO nobis Basileo, (Karolus de Baguerra siue de Bauera, qui & Crassus, Rex Franc.)
Imperio cuius regitur totus prope cosmus
Post Dominum, Regem dominatorémque potentum;
Excidium per eam Regnum non quod patiatur,
Sed quòd saluetur per eam sedeatque serenum:
Vt nobis si fortè tibi commissa fuissent
Mœnia, quodque peregisses iustum tibi narras,
Quid fore sancires? Sigemfredus, Caput, infit,
Ensis honore meum, canibus demum quoque dignum:
Toxica, ni tamen his precibus cedas, tibi tela
Nostra ministrabunt castella die veniente C
Decedente famis pestem, hoc peragentque quotannis.
Hæc ait, atque dehinc abiit sociosque coëgit.
Sic caput Aurora rapuit perdente duellum;
Nempe ruunt omnes ratibus, turri properantes,
Quam feriunt fundis acriter complentque sagittis.
Vrbs resonat, ciues trepidant, pontesque vacillant.
Concurrunt omnes, turrique iuuamen adaugent.
Hic Comites, Odo, fratérque suus radiabant
Robertus, paritérque Comes Ragenarius; illic
Pontificisque nepos Ebolus fortissimus Abba.
Hic modicum Præsul iaculo palpatus acuto.
Hic eius iuuenis miles simili Fredericus
Est ictus gladio, miles periit, seniorque
Conualuit, sese medicante Dei medicina.
Hîc vitæ multis extrema dedere; sed acres
Pluribus infigunt plagas, tandémque recedunt,

CAROLVS CRASSVS. 886.

A Exanimes Danos secum multos referentes.
Iam occidui medium vergebat ad vltima Tyle
Clymatis australis quoque Apollo secutus Olympo,
Nil prorsus species turris renitens erat adhuc
Perfectæ, fundamentis tantum bene structis,
Ac modicum ductis sursum factisque fenestris
Gaudebat, belli sed eadem nocte peracti
Altius hæc circumductis creuit tabulatis.
Lignea sescuplæ siquidem superadditur areî.
Sol igitur Danique simul turrim resalutant,
Prælia deuotis iaciunt immania valde:
Pila volant hinc inde, caditque per aëra sanguis,
Commiscentur eis fundæ laceræque balistæ.
Nil terras intérque polos aliud volitabat.
At turris nocturna gemit dardis terebrata;
Nox fuit eius enim genitrix, cecini quoque suprà.
Vrbs pauet, ac ciues strepitant, & classica damnant.
Absque mora tremulæ cunctos succurrere turri
Christicolæ pugnant, bellóque resistere curant.
Belligeros inter cunctos gemini radiabant
B Plus aliis fortes, alter Comes, alter & Abba;
Alter Odo victor, bellis inuictus ab vllis;
Confortando fatigatis vires reuocabat,
Lustrabat iugiter speculam perimens inimicos.
Qui verò cupiunt murum succidere musclis,
Addit eis oleum, cerámque picémque ministrans,
Mixta simul liquefacta foco feruentia valde,
Quæ Danis ceruice comas vrúntque trahúntque.
Occidunt autem quosdam, quosdámque suadent
Amnis adire vada. Hoc vnà nostri resonabant:
Ambusti Sequanæ ad pelagos concurrite, vobis
Quò reparent alias reddendo iubas mage comptas.
Fortis Odo innumeros tutudit. Sed quis fuit alter?
Alter Ebolus huic socius fuit æquiperánsque.
Septenos vna potuit terebrare sagitta,
Quos ludens alios iussit præbere coquinæ.
Hisce prior mediusve fuit, circumve nec vllus.
Fortiter, ast alij spreta nece belligerabant.
Verùm stilla quid est simplex ad caumata mille?
C P * geminum fidos rarò quamuis vegetabat,
Mque * truces posthac chile seranta chile id extat,
Hice recenter eunt vicibus turrim: iuge fœdi
Ingeminant bellum, clamor fremitúsque fit altus,
Ingentésque replent voces hinc inde ruentes
Æthera, saxa fremunt parmas quatientia pictas,
Scuta gemunt, galeæ strident traiecta sagittis.
Huc præda redeunt equites, certamina stipant,
Incolumes adeunt speculam, saturique ciborum,
Antequé durcones multi repetunt morientes,
Quàm lapides iaciant, illámque grauent lapidando:
Dulce quibus flumen Danæ spirantibus, alunt
Quæque suo lacerans crines lachrymánsque marito:
Vnde venis? fornace fugis? scio nate diabli
Hanc nullus poterit vestri superare triumphus?
Non tibi nunc Cererem, vel apros, Bacchúmque litaui?
Támque citò quare repedas ad tegmina stratus?
Hæc iterum gestisne tibi poni? redeuntne
Helluo sic alij? Similem merentur honorem

* Græcū si fuerit geminatum 200. significat.
* M similiter geminatum 40. significat. chile mille. Tot enim erant Nortmanni, id est 40. millia.

Carolvs Crassvs. * Turrim vocabant furnum. * dedit

Clibanus* ob humile quantum speculæ sinuatus A
Sæua per ora duit* quamuis ignobile nomen.
Ima dehinc ardent eius discindere scisci:
En immane foramen, hians, maius quoque dictu.
Apparent penitus Proceres iam nomine citi,

* galeatos

Cristatósque * vident cunctos, quibus atque videntur,
Conspiciúntque viritim omnes non introeuntes.
Horror enim vetuit quod non audacia sumpsit.
Orbita mox à turre teres iaculatur in illos,
Bis ternas atrens animas direxit Auerno,
Pérque pedes tracti numerum complent morientum.
Tum foribus posuere Latem Vulcania cura.
Hinc multare viros, tentes & perdere turrim.
Fit rogus horribilis, fumúsque terettimus inde
Nubila militibus miscet, succedit & vmbris
Scilicet arx piceis, hora veluti diuturna.
Nam tulit hæc minimè sufferre diu sibi notos.
Sed nostri Dominus miserescens vertere iussit
In sortem cæcam populi nebulam generantis.
Fortiùs ille furens Mauors regnare fategit.
Signifer en geminus concuttit ab vrbe benigna,
Lancea bina gerens speculam conscendit, amictum
Auribus immodica croceum formido Danorum; B

* quorum

Tunc centena quium * pepulit cum sanguine vitam
Centeno catapulta nimis de corpore pernix.
Hospitiúmque comas ducti lintréque reuisunt.
Lemnius hic moritur claudus, magno superante
Neptuno; humectant latices incendia fusi.
Pestiferæ gentis miles percussus acerbo
Rotbertus felix iaculo spirauit ibidem;
Atque Deo pauci vulgo periere iuuante.
Erubuere tamen posthac veluti lupus audax
Nil rapiens prædæ, repetitque quidem nemus altum,
Subtilémque nimis secum retulere fugellam.
Tercentum exanimos flentes Charone receptos
Nox comitans tuttis studuit vulnus medicari.
Hæc duo bella sui residens in limite currus
Ante Nouember adest, gelidus supplere December,
Solibus is caudam ternis quàm cederet anni.
Sole suos fuluo radios fundente sub æthre
Sorte Dionysij lustrant equidem recubantes
Macharij, Sequanæ ripas & castra beatum C
Germanum circa teretem componere vallis
Commixto lapidum cumulo glebisque laborant.
Post montes & agros, saltus campósque patentes,
Ac villas equites peragrant, peditésque cruenti
Infantes, pueros, iuuenes, canámque senectam
Atque patres natósque necant, necnon genitrices.
Coniugis ante oculos strages gustat mulierem,
Coniugis ante oculos cædem tribuere marito,
Ante patrum faciem soboles, nec non genitricum.
Efficitur seruus liber, liber quoque seruus,
Vernáque fit dominus, contrà dominus quoque verna.
Vinitor, agricolæque simul cum viribus omnes
Ac tellure ferunt crudeles mortis habenas.
Francia iam dominisque dolet, famulisque relicta
Heroe gaudebat nullo, lachrymisque rigatur.
Nulla domus stabilis viuo regitur dominante.

CAROLVS CRASSVS.

A Ah! tellus opulenta gazis nudatur opimis,
Sanguiuomis, laceris, atris, edacibus æquo
Vulneribus, prædis, necibus, flammis, laniatu,
Prosternunt, spoliant, perimunt, vrunt, populantur
Dira cohors, funesta phalanx, cœtúsque seuerus.
Posse fauebat eis actutum velle quod ipsum
Omnia se visum gestabant ante cruentum,
Valles * diffugiunt humiles, tumidi prius Alpes
Arma simul diamant * lucos cum corde fugaci.
Nemo patet, fugiunt omnes, heu! nemo resistit.
Sic decus à Regni pro posse tulere venusti,
Sic celebris specimen cymbis portant regionis.
Terribiles inter acies tamen astitit acta
Parisius ridens media imperterrita tale.
Ergo bis octonis * faciunt mirabile visu
Monstra totis ignara modi compacta Triadi
B Roboris ingentis super argete quodque cubante
Domate sublimi cooperto. Nam capiebant
Claustra sinus archana vteri penetralia ventris
Sexaginta viros, vt adest rumor, galeatos.
Vnius obtinuere modum formæ satis amplæ.
Completis autem geminis, ternum peragendo
Mittitur arte fala vexare falarica binos
Artifices, neruis iaculata vno quoque plectro.
Sic nobis lethum primi meruere paratum.
Mox monade necata obiit sæuissima dias.
Mille struunt etiam celsis tentoria rebus
Tergoribus collo demptis tergóque iuuencûm.
Bis binos tressisue viros clypeare valebant:
Quæ pluteos calamus vocitat cratesve Latinus.
Nox nullam recipit requiem, nullúmque soporem.
Veloces acuunt, reparant, cudúntque sagittas,
Expediunt clypeos, veteréque noui efficiuntur.
Címque fenis Phœbi fulgor iam scandit in almas
Quadrigas agilis, noctémque repellit opacam,
Atque suos oriens oculos demittit in vrbem;
En proles Satanæ subitò castris furibundi
Erumpunt trepidis nimirum telis oneratæ:
Ad turrim properant, tenues vt apes sua regna
Distentis adeunt humeris casiáque thymóque,
C Arboreísque simul vel amœni floribus agri:
Haud secus infœlix populus contendit ad arcem,
Pressis fornicibus * humeris ferróque tremente,
Ensibus arua tegunt, Sequanam clypeis, & in vrbem
Plumbea mille volant fusa densissime mala,
Atque ferunt pontis validis speculas catapultis.
Mars hinc inde furit surgens, regnátque superbus;
Totius Ecclesiæ conuexa boando metalla *
Flebilibus vacuas supplent clamoribus auras.
Arx nutat, ciues trepidant, ingénsque tubarum
Vox resonat, cunctósque pauor cum turribus intrat.
Hic Proceres multi fortésque viri renitebant:
Antistes Gozlinus erat primas super omnes,
Huic erat Ebolúsque nepos Mauortius Abba,
Hîc Robertus, Odo, Regenarius, Vtto, Erilangus:
Hi comites cuncti, sed nobilior fuit Odo,
Qui totidem Danos perimit, quot spicula mittit.
Dimicat infœlix populus, pugnátque benignus;

* Viles, pauperes
* valde amant

* Castri xvi. totis ix. hominum capaces.

* arcubus

* i. campanæ

CAROLVS CRASSVS.

Tres armauit atrox cuneos, quibus obtulir arci, A
Maiorem, picto ponri geminósque parone*, (* nauigio)
Hanc sar opinari superare hunc si potuissenr.
Hæc multum patirur, multò maiora sed ille.
Hæc depicta gemit vario sub vulnere rubra,
Ille virum luget vires obitúsque fluentes.
Sanguine nulla via vrbis adest intacta virorum,
Prospiciens turrísque nihil sub se nisi picta
Scuta vider, tellus ab eis obtecta latebat.
Inde super cetnens lapides conspexit acerbos,
Ac diras vt apes densè tranare carcias*, (* dardos)
Inrer sese aliud turrimque nihil metit æther.
Vox immensa, merus maior, strepitúsque fit altus.
Hi bellant, isti pugnant, resonantibus armis
Prælia Normanni exacuunt crudelia sanè.
Nullus haber terræ totidem qui viuere natus
Indutos gladiis pedites spectaret in vnum,
Er tanta miraretur testudine picta,
Hac sibi confecere polum vitam nutrientem
Quem nullum superare caput cupiebat eorum.
Ast infra capiunt terræ necis arma frequenter.
Mille dabant pugnam pariter stantes in agone,
Mille simul turrim, quoniam contingere cuncti B
Haud vnà porerant, turmis certare studebanr.
Arx speculans nudis quoniam chelis* inimicus (* brachiis)
Ingeminat populus certamen, & ore parenti
Erectas taxos arcus conuertit in vncos.
Vnius hinc iaculum transmittitur os in apertum,
Quem subito conans alius clypeare* migrantem, (* cōtegere)
Nempe cibum gustat primus quem repserat ore.
Adueniens autem numerum qui clauderet almum,* (* i. trinum)
Hos nitens geminos auferre latenter, & ipse
Percussus pharetra turri veniam quoque poscit.
Sub clypeis illos alij condúntque trahúntque:
Vnde furore nimis pingues bellum renouarunt.
Scuta cient planctus saxis ferientibus ipsa,
Sanguineásque vomunt voces galeæ subeuntes
Æthera, crudeli lorica mucrone foratur.
Respiciénsque suas & quos fundauerat artus
Omnipotens fabricas modicum Danis superari,
Exhibuir nostris vires animósque valentes, G
Impertitus eis sensus equidem tremebundos.
Tum pereunt miseri, plurésque vehuntur ad altos
Ponenres animas torquentibus arma faselos*. (* naues)
Iam Tiran celeres missos præmittere curat
Oceano pompare thoros, otium quibus abdar,
Toruáque plebs quæ iam cecini tentoria turri
Texta tulir syluis flenti cæsísque iuueneis,
Queis noctem quidam bello, quidámque sopore
Præteriere, quibus circumtriuere* meatus. (* posuere)
Penniuolas* acies vibrari felle madentes, (* sagittas)
Militibus noctu eximiam cernentibus arcem.
Mane quidam flagrante nouant certamina plenis
Arma trucum terris fixa testudine giro.
Cerrabant plures alij fossata studere
Quæ circa resident illam, fulcósque replere.
Hinc glebas specubus, frondésque dabant nemorosas,
Atque suo segetes etiam fœtu viduatas,

A Prata simul, virgulta quoque & vites sine gemmis,
Hincque senes tauros, pulchrasque boues, vitulósque
Posttemumque necant, elegos, heu! quos retinebant
Captiuos, fulcisque cauis hæc cuncta ferebant.
Idque die tota stantes agitant in agone.
Hocce pius cernens Præsul, clara lachrymando
Voce vocat Domini Saluatorisque parentem:
Alma redemptoris genitrix mundique salutis,
Stella maris fulgens, cunctis præclarior astris,
Cede tuas precibus clemens aures rogitantis,
Si tibi me libeat Missas vnquam celebrare,
Impius atque ferox, sæuus, crudelis & atrox,
Captiuos perimens laqueo necis irretiatur.
Arce repente volans telum deferre fategit
Antistes Gozlinus huic quod flendo precatur,
Qui vinctos vinctus mortis demisit habenis,
Atque miser sociis tendit clypeúmque pedémque.
Os soluit, virtute ruit, fulcosque repleuit
Mensurans terram, spirans animam malè natam,
Captiuos iuxta tritos gladio nimis eius.
B Vrbs in honore micat celsæ sacrata Mariæ,
Auxilio cuius fruimur vita modò tuti:
Hinc indicibiles illi, si forte valemus,
Reddamus grates, placidas roboemus & odas,
Vox excelsa tonet, laudesque sonet, quia dignum.
Pulchra parens salue Domini, Regina polorum,
Nostra nites altrix, orbis constas dominatrix,
Quæ sæuis manibus Danum gladióque minace
Soluere Lutetiæ plebem dignata fuisti,
Lutetiæque satis poteras conferre salutem,
Quæ lubrico Saluatorem cosmo genuisti.
Cælicoli cœtus, virtutes ac dominatus,
Primatusque, potestatésque, thronique polorum.
O genitrix sobolis summi Regis celebranda,
Te gaudent, recolunt, laudant, venerantur, adorant.
O fœlix vteri thalamo quæ claudere mater
Quem cœli nequeunt, tellus, vastum mare, quisti;
Atque tuum delecta patrem nobis peperisti.
Luna micans Solem multo plus te renitentem
C Fudisti terris, & eas quo plena manebas
D Inradiando genus nostri lapsum reparasti.
Ergo cui, Regina poli, componere quibo?
Sanctior es cunctis, sexu felicior omni.
Cultorum miserere tui iam nata potentis:
Gloria, laus & honor, radiánsque decus tibi semper.
Sit benedicta Dei mater sceptris in Iesu.
Phœbus abit, noctisque redit caligo serenæ,
Excubiisque nequam * turris sæpitur opimis. * Nocturnorum.
Aurora girante polos girantur & arces.
Mortiferis siquidem telis quatientibus illas
Arrietes conflant, vnumque locant ab Eoo
In turrim; contemplatur Septentrio celsa
In portas alium, tenuit contra latus eius
Occidens ternum. Magno cum pondere nostri
Tigna parant, quorum calibis dens summa peragrat,
Machina quo citius Danum quisset terebrari:
Conficiunt longis æque lignis geminatis
Mangana quæ proprio vulgi libitu vocitantur,

CAROLVS CRASSVS.

Saxa quibus iaciunt ingentia, seu iaculando
Allidunt humiles scænas gentis truculentæ. A
Sæpe quidem cerebrum cerulee trahunt elegorum,
Vah! multósque terunt Danos, plures quoque pelras *. * scuta.
Immunis clypeus fractu nullus fuit ictus,
Quem talis tetigit, non vllus morte misellus.
Ast infelices foueas supplere phalanges
Nequicquam tendunt, potuere replere nec vllam.
Nitebantur enim arietibus pessundare turrim:
Quos quoniam nequeunt æquis deducere campis,
Corripiunt ternas rabidi κimbas * satis altas * naues
Frondiuagis equidem syluis grauidare flagrantes,
Postremum Vulcanus eis imponitur ardens.
Flammiuomas oriens dimittit eas pedentim,
Anguinisque * trahebantur ripes secus ipsæ * funibus
Ad pontem, seu conspicuam comburere turrim.
Sylua vomit flammas, ardent larices pelagique,
Terra gemit, virides herbæ moriuntur ab igni,
Lemnius atque potens Neptuno stat pede trito.
Regna poli furuus penetrat, nubésque peragrat.
Hinc tellus & ager lymphæ cœlique cremantur.
Vrbs luget, speculæque timent, & mœnia deflent. B
Heu! quàm magna oculis manant lachrymosa beatis
Flumina. Dant pulchri iuuenes, sed & alba senectus,
Mœrentes gemitus, matrésque iubas laniando
Terga dabant siccæ, crinésque per arua reuoluunt.
Hæ colaphis nudata suis iam pectora tundunt,
At secuere genas aliæ lachrymis madefactas.
Tum trepidant ciues, cunctique vocant celebrandum
Germanum. Miserere tuis, Germane, misellis
(Parisius Præsul fuerat sanctissimus olim,
Illustrabat eam cuius venerabile corpus)
Mœnia Germani nomen recinunt: & in omni
Exclamat miles specula, primique virorum,
O famulis, Germane, tuis succurrere disce.
Littora seu liquidi laticis pelagus ciet altum,
Sydereósque thronos quibus emicat, vt iubar almus,
Verberat, innumerus Echo comirante boatus.
Germanum respondet & vrbs vocitantibus ipsum.
Concurrunt matres pariter iuuenésque puellæ
Ad Sancti tumulum suffragia poscere grata.
Infœlix & ob hoc populus subiit nimis alta C
Gaudia, subsannans ciues Dominique cateruam.
Scuta dabant alapis reprobo risu saturatis,
Argutóque tument horum distenta boatu
Guttura, & vrbanis plangentibus, aera magno
Implentur sonitu, clamore minus nihil amplo.
Vox auditur in excelsis, & luctus in æthris. * Normann.
At Deus omnipotens omnis fabricæ reparator
Orbis, adest precibus Sancti rogitatus, & ipse
O, Germane, venis humili succurrere plebi,
Auxilio lapidúmque sabire struem super altam
Flammiuomas puppes, pontem ne læderet vlla.
Ipse coegisti: pontem sustentat is agger.
Continuo Domini populus descendit ad ignes,
Quos mergens in aquas, naues cepit sibi victor.
Hicque Dei sumpsit fœlix gaudere caterua,
Vnde prius sumpsit gemitus magnósque dolores.

A Sic noſtris geritur bellúmque, diéſque recedit,
Nóxque ſalam gurdis * mandat cuſtodibus ipſam.
Sole ſuas nondum clatas ſubeunte quadrigas,
Sub lucem, teuehunt crates ſua ad oppida furtim,
Arrietes carcamuſas vulgo reſonatos
Dimiſere duos, pallos vetuit remouere
Quos noſtri capiunt gaudenter depeculantes,
Rexque Danos retulit Sigenfredus ſuper omnes,
Quem turris metuit proprios ſibi vellere ocellos.
Sicque iuuante Deo, durus Mauors requieuit.
Ianuarij ſuprema dies ſtatuit triduana,
Hæc finire ſequens ſtuduit certamina menſis.
Tertia lux huius fuerat belli recolendæ
Sanctæ genitricis tunc Purificatio Chriſti,
Quæ noſtræ tribuit plebi gaudere triumpho.
Præterea conſcendit equos auibus ociores
Infortuna cohors, repetens partes Orientis,
Francia quas nondum populatas triſtis alebat,
Cuncta prius dimiſſa necans magalia poſcit
B Quæ Rotberto aderant pharettato agnomine claro,
Cuius erat miles tantum obſequio modo ſolus.
Vná domus retinebat eos. Miles ſeniori,
Nortmannos contemplor, ait, curſim venientes.
Rotbertúſque ſuum cupiens admittere ſcutum,
Nil vidit, quoniam populus ſuus abſtulit illud:
Quem Danicos iuſſit cuneos idem ſpeculari.
Enſe forum nudo petiit tamen obuius illis,
E quibus occidit geminos, & tertius ipſe
Incubuit morti, nullo ſibi ſubueniente.
Vnde nepos eius nimium triſtans Adalelmus
Conſulis interetat populo, cui talia dixit:
Eia viri fortes clypeos ſumatis & arma,
Vlciſcique meum raptim properemus auunclum.
Hæc inquit, villam petiit, congreſſus acerbis
Ilicet hos vicitque trucidauitque nefandos:
Nortmanno villam victor moriente repleuit.
Nil reliqui prohibente fuga retulere paroni *,
C Hæc eadem Rotbertus erat nitens operari.
Poſt æquor reſidens almi niueam ſecus aulam
Scandere Germani tentant crebrius vocitati
Eius, qua ſpeciem conſtat lucere ſepulchri.
Hic iacuit ſuimet iugiter venerabile corpus,
Nobiliúſque Monaſterium cunctis fuit illud
Neuſtria quæ refouere ſinu diſcebat in amplo,
Hinc propriis fuerit famulis geſtatus in vrbem.
Ipſe Danos quicumque dabant veſtigia prato,
Militibus ſpeculam cernentibus vrbis in eius
Rure ſitam, fugiente mora tradit capiendos.
Eccleſiam cuius penetrans lacerare feneſtras
Ictibus arboreis vnus vitreas lanionum:
Continuò amenti rabie confunditur atrox
Curribus Eumenidum piceis artatus ab almo *,
Mórſque ſequens miſerum perdit, pietate remota,
Hiſque fatigatus cauſis inferna petiuit.
Mi Germane ſacer, cura ne ſpiritus olim
Illa meus ſubeat cuius miracula canto.
Hæc & quæ ſupplere queam faueas precor alme,
Summa patris ſummi, natique, rogato. Columba

CAROLVS CRASSVS.
* ineptis, ſtultis
Auſtria ſiue Francia Orientalis Rotbertus Trouſſe
Adalelmus nepos ex ſorore Odonis.
* nauigio
Paratum S. Germani
* S. Germano.

CAROLVS CRASSVS.

Ore meo sedeat, mentem repleat pie domne, A
Actibus atque factis virtutum floribus ornet,
Expulsis sestrice sacta* vitiis procul atris.
Torriculi scandens alius sublime cacumen
Mutat iter per quod subiit, gressus quoque voluit
Ardua præcelsi nimium per culmina templi,
Ossa cui fregere sacti fastigia tecti,
Germani meritis vrgentibus. Hoc super vrbis
Pergama stans venturus * Odo Rex prodidit omni
Stipanti semet plebi, digito manifestans.
Ipse Danum semet retulit vidisse cadentem.
Tertius adueniens oculos direxit in amplum
Mausoleum Sancti, nolens quos liquit ibidem.
Quod subiens quartus superis est demptus ab auris,
Obticuitque sub occidua mox sorte sopitus.
Fortunate tui quintus, Germane, parentis
Accelerat reserare thorum, primo sed adempto
Percutit hinc saxo proprium pectus, patientem
A cathedra cogens animam decedere pestis,
Quæ nolens baratri tetigit cœnacula terri. B
Illustrem sobolis sanctæ seruat genitorem
Dextera; læua sactam prolis retinet genitricem.
Est Eleuterius pater, est Eusebia mater.
Proh dolor! en medius cecidit pons nocte silenti,
Obsitus alluuiis tumida bacchantibus ira.
Nam sparsim Sequana circumfudit sua regna,
Exuuiisque suis obtexerat æquora campûm.
Australis gestabat eum vertex, sed & arcem
Quæ tellure manet sancti fundata boati*.
Vrbis inhærebant dextris, alter sed & altri.
Mane quidem surgente Dani surgunt simul acres,
Atque rates subeunt, armis onerant clypeisque,
Transque natant Sequanam, turrim cingúntque misellam.
Multa dabant illi densis certamina telis.
Vrbs tremuit, lituique boant, lachrymisque rigantur
Mœnia, tusque gemit, totum pelagusque remugit,
Aëta circumeunt lapides & spicula mixtim.
Exclamant nostri, clamántque Dani simul omnes.
Terra tremit, nostri lugent, lætantur & illi. C
Dúmque volunt, ciues nequeunt succurrere turri,
Atque viris bello deferre iuuamen anhelis,
Quos validè numero bellantes sub duodeno
Rumfea vel formido Danum non terruit vnquam.
Difficile est dictu bellum, sed nomina subsunt,
Ermenfredus, Eriueus, Erilandus, Odaucer,
Eruic, Arnoldus, Solius, Gosbertus, Vuido,
Ardradus, paritérque Eimardus, Gozsuinúsque.
Séque neci plures sociarunt ex inimicis.
Hi quoniam nequeunt animis curuariet atris,
Æstibus accingunt carpentum arentibus areis
Ante fores gurdi* miserandæ gramine plenum.
Fulmineisque velut Phœbo sub tuta procellis
Nox vacua cæli specie confunditur alta,
Fas nullis ardente suum contemnere doma:
Haud secus, occuluit fumus speculam catapultis
Immersis aliquantisper feruore tonante.
Quisque rogi proprios flatus ne clade perirent
Accipitres loris permisit abire solutis;

* columba, qua Spiritum sanctũ intelligit.

* futurus Rex

* f. beati.

XII turris custodes

* stulti

A Quem dum iam cupiunt omnes extinguere, desunt
Vasa quibus possent latices haurire fluentes.
Namque Danum formidabant ausum fore nullum
Æquora iam Confessoris contingere gressu,
Pansa prius propter meritis miracula Sancti.
Haud modicam retinent solum nisi quippe lagenam,
Quæ claram iaciendo focos Sequanam super altos
Seruantum fugit digitis dilapsa sub illos.
Vulcano periit claudo Neptunus inermis.
Larque super turrim saliit, contriuit & omnem.
Robora congeminant gemitus oppressa sub igni
Pius bello dominante rogo. Dimittitur illa
Militibus, pontis subeunt extrema relicta.
Prælia constituunt illic noua, sæuaque sæuis,
Donec ad alta caput flexit Phœbus vada ponti.
Pila dabat rupesque simul celeresque cateias * — * dardos
Plebs inimica Deo, pransura Plutonis in vrna.
Sed quia conflictus talis superare nequibat *, — * duodecim qui erant in turre
Militibus clamare, fidem, cœpit, sed inanem
Ad nostram properate viri, nolite timere.
B Proh dolor! alloquiis sese credunt male finctis,
Sperantes pretio redimi potuisse sub amplo.
Non alias vetè caperentur luce sub illa.
Heu! nudi gladium subeunt gentis trucuIentæ,
Et cœlo mittunt animas liuore fluente.
Martyrij palmam sumunt, earàmque coronam.
Mox reliquis vt visus adest gentilibus Erueus,
Rex quoniam facie splendens formáque venustus
Creditur, atque sui donis grassante tuetur,
Protinus intuitu fuso cernendo sodales
Dilectos plecti *, tanquam leo sanguine viso — * decollari
Ipse furit, conansque manus vitare tenentum,
Vndique vi voluit semet ceu nexus, vt arma
Sumeret, vlcisci proprios, socialéque vulnus
Obtentúque carens ipso, sic insuperata
Limphantes * potuit qua voce tonauit in aures: — * dementes
Cædite me tensa ceruice, pecunia prorsus
Nulla meam tractet vitam. Morientibus istis
Viuere quid finitis? frustratur vestra cupido:
C Quæ lux haud eius micuit, sed crastina flatu.
Quæ voces, quæ lingua, quod os edicere possunt
Bella tot his prato egregij commissa relati?
Quotque necauerunt Normannos hic? quòt & vrbi
Duxerunt secum viuos? Iam nullus eorum
Tunc audebat agrum Sancti * conscendere latum, — * Germani
Quorum præ terrore virûm certamina promo,
Corpora crudeles Sequanæ tradunt sine vita,
Laus quorum iugiter nomenque per ora virorum,
Insignesque simul mortes & bella volabunt,
Sol radiis donec noctis pompare * tenebras, — * ornare f. discat
Luna diem, stellæ pariter componere discant.
Prosternunt dehine speculàm de morte dolentem
Custodum. Cecidit telo quatiente Danorum
Signifer. hic artus misit flarumque Charoni.
Nemo meis super hoc dictis insurgere bello
Decertet: siquidem nemo nil verius illus
Expediet, quoniam propriis obtutibus hausi.
Sic etiam nobis retulit qui interfuit ipse,

CAROLVS CRASSVS.

Atque natando truces gladios euadere quiuit.
Tum Sequanam saliunt, Ligerimque petunt patriámque. A
Has inter geminas peragrant prædam capientes,
Quam regio ipsa meo pandet iussu dominante.
Interea sperans Ebolus fortissimus Abba
Gentiles quod in hanc issent cuncti, prope solus
Arce ruit, dardúmque ferens castella petiuit
Illorum, hastámque vibrans proiecit in ipsa,
Non sonipes retulit nobis hunc, nec tulit illuc.
Confestim socium nixus munimine, sæua
Castra petit, murósque ferit, quo lemnius * adsit, (* ignis)
Ipse iubet, pugnant nostri, constantius illi.
Argutus nimium fremitus iam fumat ab illis,
Exiliúntque foras, vulgúsque fugant sine tactu,
Extiterant plures quoniam nobis: tamen illis
Obuius hic Ebolus sociúque simul stetit heros.
Haud illum fuerant audentes tangere ferto
Quingentis etiam si tunc subnixus adesset
Qualis & ipse fuit, castris sese daret vltro,
Ast animas propria de sede * repelleret omnes. (* de corporibus)
At quia militibus caruit, sic ludere cessat.
Neustia nobilior cunctis regionibus orbis,
Quæ vastè fueras Procerum genitrix dominantum, B
Ne pigeat capta turri producere quæso
Quot vel quas hausere Dani palmas tibi; necnon
Vbera quot pecorum mulsere tuum peragrando
Distentum variis tractum gazis: tamen olim;
Mi soboles, aliquis censere potest? etiamsi
Affuerint cunctæ volucres, erumpere voces
Tot nequeunt hominum, quot equûm, pecudúmque boúmque
Sublegere mihi natos natásque suúmque:
Flumina balatu agnorum, mea gramine læta
Prata sonant denso mugitu tempe iuuencûm,
Ceruorúmque nemus rauco clamore temugit,
Grunnitúsque mei syluas scindebat aprorum.
Hæc mihi subduxere truces, si noscis & audis.
Hæc oculis equidem petij sistens super vrbis
Mænia, nec visu claudebantur neque titmo:
At quoniam cingi nequeunt pratis, nec ab agris,
Efficitur bostar * Germani Antistitis aula, (* stabulum)
Completur tauris, suculis, simisque capellis. G
Longa trahunt illic suspiria, túmque dehiscunt
Corpora, flant dulces ventos cruciante dolore.
Adueniunt stabulatores ea ferre coquinæ
Nitentes, cùm iam maneant epulæ innumeratis
Vermibus, Ecclesia quorum fœtore repleta
Exportant, Sequanæ referunt non nempe coquinæ,
Ecclesiámque piant bouibus, nec cæditur vltra.
Legisti prædas, etiam cognosce trophæa.
Restitit oppida quæque capi suprema voluntas.
Carnoteno * innumeros conflictus applicuerunt (* Carnoto)
Allofili *: verùm liquere cadauera mille, (* Nortmanni)
Hic quingenta simul, rubeo populante duello
Vna dies, istum voluit sic ludere ludum.
His ducibus, Godefredo, necnon & Odone, (Godefredus & Odo milites Odonis Comitis)
Belligeri fuerant Vddonis Consulis ambo.
Idem Odo præterea opposuit se sæpius illis,
Et vicit iugiter victor. Heu! liquerat illum

A Dextra manus bello quondam, cuius loca cinxit
Ferrea, pene vigore nihil infirmior ipsa.
Nec satius quicquam sortiri apud hi Cinomannos: CAROLVS CRASSVS.
Haud equidem reliquæ cesserunt suauius vrbes.
Iam quia Apollo * rogat, calamus requiem mereatur. * Sol

Terminatur primus: Orditur II. Bellorum Parisiacæ polis Codicellus.

SVRGITO Musa celer, lampas accendit Eoa * * Orientem
Climata, luciferam propera præuertere plantam.
Saxonia vir Ainricus fortisque poténsque
Venit in auxilium Gozlini Præsulis vrbis,
At tribuit victus illi letúmque cruentis
Heu paucis: auxit vitam nostris, tulit amplam
B His prædam. Sub nocte igitur quadam penetrauit
Castra Danûm, multos & equos illic sibi cepit.
Agmen Ainrico cedente nimis lanionum,
Efficitur celsus nimium clamor fremitúsque:
Deserit vnde quies nostros, & mœnia vallant.
Immodicas voces fluere Dani morientes,
Immenso resonant ciues clangore pauentes
Vt solitum paterentur ab his ex more laborem.
Sic & Ainricus postremum castra reliquit,
Culpa tamen fugiente mora, defertur ad arcem.
Pila ministrabant acidas referendo salutes.
Ianua militibus reseratur; cominus acre
Vrgetur bellum, clypei labuntur & enses.
Vita meos adamat dextros oditque sinistros,
Infestos adamat mors; vita gubernat amicos.
Inde sopor repetit ciues, miserósque fugella.
Rege Sigemfedo, simul ast Odone loquente
Protenus * à specula currentes agmine multo; * procul
Ducere forte truces secum conantur Odonem.
Qui primum feriendo falæ * fossata volatu * turris
Transiliit propero, clypeum gestánsque catelam *. * dardum
More suo functus bello versus stetit heros;
Exiliere viri domino suffragia dantes,
Nobilibúsque stupent eius super artibus omnes.
C Conspiciens Sigemfredus nostros in agone
Esse feros, inquit sociis: Hanc linquite sedem,
Hîc non stare diu nostrum manet, hinc sed abite.
Ergo suas vt Ainricus secessit ad aulas,
Germani tereris contemnunt littora Sancti
Equiuocique legunt, cuius factis bene vescor,
Circumeunt castris æquor, sed & vndique vallo
Clauditur en dominúsque meus quasi carcere latro
Ipse nihil peccans, murus circumdedit eius
Ecclesiam nostro celsam cogente reatu. Pratum S. Germani.
Denique Rex dictus, denas capiens argenti
Sex libras nitidi à nobis causa redeundi,
Normannis sese cunctis comitantibus, optat
Mel dulcis fluuij limphis conferre marinis,
Qualiter osque freti, caudam Sequanæ rapit albam,
Æquoreúmque caput pennis quatitur Sequanihis
Ostentare, sed his autem nolentibus, infit:
Eia Dani, muros vrbis lustrate potentes,

CAROLVS CRASSVS.

Pergama circumquaque viri vestite valentes,
Et scapulas artu validisque onerate sagittis. A
Quisque ferat lapides, sed & vndique tela ministret.
Hoc etiam bellum conabor & ipse videre.
Quo sermone quiescenti, surgunt simul omnes,
Inque sulas penetrant vrbis sedes quibus extat.
Mœnia circumeunt trucibus gladiis onerati,
Digressique foras nostri circumdare turres.
Occidunt Reges geminos, pluresque aliorum,
* valde amant.
Fallacésque fugam diamant*, verique triumphum.
Amnis in auxilium nobis Sequanæ fuit altus,
Quos sorbens penitus mersit, transmisit Auerno.
Sigemfredus ouans, ridens morientibus, inquit:
Nunc vallate viri pinnas, vrbem cupitote,
Mensurate metris ædes quas hic habitetis.
Inde suis, Abeamus, ait: tempus venit, ecce,
Quo gratum fuerit nobis istinc abiisse.
Mox hilaris Sequanam liquit pro munere sumpto.
Sic alij facerent eadem si tunc meruissent:
Quis sentire potest patula quod subditur aure?
Gozlini Episcopi Parif. mors.
Terra gemat, pontúsque, polum, latus quoque mundus. B
Gozlinus Domini Præsul mitissimus heros
Astra petit, Domino migrans tutilans velut ipsa,
Nostra manens turris, clypeus, nec non bis-acuta
Rumphea, fortis & arcus erat, fortisque sagitta.
Heu! cunctis oculos fontes tenebrant lachrymarum,
Atque pauore dolor contritis viscera scindit,
Tempestare sub hac Hugo Princeps obit Abba.
Eurardo Senones viduantur Præsule docto.
Gaudia tunc hostes adipiscuntur sua læti;
Qui vigiles madidæ per opaca silentia noctis
Germanum nitida clarum vidisse figura
Se perhibent, metásque sui lustrasse locelli,
Lumine gestantem rutilanti sæpe laternam.
Quo Sancti redolent artus forsan tumulati.
Instabant eius festæ solemnia lucis
Obiurgantur & hi Castellanis, quia sacra
Non celebrant, alto inde ruunt cum mente cachinno.
* Garbis
Mergitibus* plaustrum per rura mouent grauidatum, C
Cuspide terga boum verso nimium stimulantes.
Protinus his propriæ claudis sine crimine causæ.
Connectunt alios plurésque dehinc aliósque
* miseri
Certabant elegi* scapulis cornúque iuuenci.
Iámque lauant proprias rubeo de sanguine costas,
Nónque valent axem terris disiungere fixum,
* Germani
Attonitique stupent, domni miracula nostri*.
Soluuntur tauri, stimulúsque ferox requieuit.
Lux segetis recidiua rotas spoliis vacuauit,
* clodum
Atque suis dodum* reuocauit motibus axem.
* i. Nortmannorum
Effugiens horum* quidam iussus iugulari
Templa subintroiit Sancti, tenuit quoque bustum.
Pellitur inde miser profuga pietate necandus.
* miserum
Væ miseris! mulcant elegum*, multantur & ipsi,
Quod munus dederant socio, simili pietate
Germani meritis natum cuncti meruerunt,
Cœlitus afflicti nimium pro talibus ausis.
Vnde Sacerdotes statuere locum venerantes;
* Horas Canonicas
Qui Missas cursúsque* sacros illic celebrassent.

A Tunc omnes cuiquam prohibent hinc tollere quicquam.
Quod violans vnus proprio deferre cubili
Ecclesiæ tegmen studuit, sub quo manifestè
Effigies eius repetita fuit puerilem
Scilicet euentu nulli similante minuta,
Nota quibus fuerat pridem, nec noscitur vllo
Oppido, miror vbi venæ neruique laterent,
Ossaque fugerunt pariter fugiente medulla,
Viscera speluncæ tenuis foueam peticre.
Maior habebatur magnis (mirabile factum)
Is qui nuncque minor pueris moriens patet esse,
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.
Visus adest cuidam Domini sanctissimus idem
Pectore carpenti requiem per nubila noctis
Marcelli sancti precibus, nec non Clodoaldi,
Accipiens liquidam manibus benedicere lympham.
Vnde rigans vrbem graditur per mœnia circum.
Huicque viro proprium prompsit nomen, sed & vrbi
Spem spondens, faciem liquit se conspicientem.
B Nobilis hac & in vrbe fuit vir carne liquescens,
Deficiens etiam flatus metuebat obire,
Castellúmque capi Normannis, tempore in ipso
Attulit huic ciues somnus se linquere velle.
Vrbs armis quoniam cunctis deserta manebat.
Clericus inde venustatis miræ astitit illi
Ore loquens placido, rutilans vultúque sereno:
Quid metuis? surgens tremulos depone timores;
Oblitáque fuga quamplures cerne paratos
Ad bellum. Surgens alacer, muros videt omnes
Vallatos cuneis iuuenum galeis oneratum,
Vóxque tonat, tutoribus his defenditur hæc vrbs.
Ast ego sum Germanus, ait, huius quoque Præsul.
Conforrare, nihil formidabis, quoniam nunc
Faucibus haud sceleratorum grassabitur hæc vrbs.
Affatur Sanctus, redamátque virum caro flatus.
Affatur fœlix, fugitque virum mala pestis.
Alloquitur sanctus, lecto surrexit egrotus.
Almis faminibus sospes procedit egrotus.
C Explicuit visa noctis quod viderat ipse.
Luce dehinc quadam, dum gestabatur & almi
Militibus propriis corpus per mœnia circum,
Vrbanis septum sectantibus omnipotentem
Pro rogitando Deum votis sub voce canora,
Cæditur allofilo * de portatoribus vnus * pagano
Nomine Gozbertus calclo *: percussor in vmbras * lapide
Tartareas fugit moriens, icto patiente,
Nil super hoc lapidis iactu Sancto auxiliante.
Interea cædis validæ corrupta procellis
Vrbs patitur gladium exterius, lethi quoque pestis
Eheu! nobilium plebes penitus laniabat,
Interius nec erat nobis tellus obeuntum,
Quæ præbere sepulturam membris potuisset
Cominus, vlla dies nec erat quæ non generasset
Vrbanos intérque suburbanos truculentos
Bella, nec vlla abiit prope quæ non interfectos
Pestiferos secum duxisset ad antra gehennæ.
Rex igitur venturus * Odo transmittitur inde * futurus
Francorum Karolo suprafato Basileo,

Carolvs Crassvs.

Quatenus auxilio celeri succurreret vrbi. A
Post nullus Procerum remanet nisi Martius Abba,
Sæpe supra cuius memoratio scripta relucet.
Ipse equites ex more Danum vestire coëgit
Sex solos redeunte die quadam, super arua
Tránsque volant illi Sequanam, campósque peragrant
Et varijs plenos armis sæuóque sopore,
Nortmannósque necant totidem fuerant quot & ipsi.
Nascitur hinc strepitus castris: horum resonante
Voce truces carpunt clypeos nostrique carinam.
Nostra Dionysij tondebant littora Sancti
Pecora, quæ duxere sibi crebro speculata:
Verùm illis Ebolus iugiter fuit obuius Abba,
Qui quorum Comitem quadam strauit vice telo,
Vnde Dani linquunt ripam referúntque cadauer.
Mox Ebolus senos equites dimisit ab arce.
Quattuor hi ternósque necant certamine dito.
Nocte quidem ciues crebrius pecorum sub opaca
Custodes adeunt, quosdámque fugant, aliósque
Attribuunt iugulis, hoc egerúntque frequenter,
Indicióque tulere Danos vrbi sine flatu,
Atque simul viuos vt sic credi potuissent.
Inque sulam penetrant solito quadam vice ritu B
Mœnia quæ resident vrbis sæui trecenti;
* quorum
Protinus ense quiùm* bino strauere nouenos,
Vulnera deposuere quibus triginta, nec extat
Posse datum quarti lumen spectare diei.
Congressi nostrùm gemini, qui morte fruentes
Egregia sanctos vexere pedes supèr astra.
Nam senior Sigebertus erat, iunior Segeuertus.
Forte deinde tribus cuneis cinctus galeatum
Montmartre
Armipotens Montis super Odo cacumina Martis
Enituit, cuius clypeos nouus inradiauit
Sol croceo Oceani thalamo vastipede spreto.
Hunc prius Elios adamans quàm rura salutat:
Quem visu capiunt ciues, & amore sub alto.
Ast hostes prohibere fores turris cupientes
Transiliunt Sequanam, vallantes littora circum.
Reddidit Oddo tamen Castellanis equitando
Se medios inter sæuos, Ebolo reserante
Hinc portas, cunctíque stupent hoc nobile factum.
Hinc eius socios retro statim redeuntes C
Ferreus insequitur hostis post terga meando:
Plus geminis etiam leugis interfuit illis
Dictus Adalelmus superis pridem Comes idem:
Eia, suis inquit, satius pergamus in illos
Quàm nos hîc illi inueniant. Adalelmus hoc inquit.
Pestiferi petiere fugam, nostrique trophæum.
Scuta tonant, dardique volant, & corpora Danum
Consulis arua tegunt, gladio regnante Adalelmi.
Non dimisit eos donec repedare coëgit
Ad fluuium, post hac & ouans victórque reuersus.
En & Ainricus superis crebro vocitatus
Obsidione volens illos vallare, necatur,
Inque suos nitens Sequanam transire, Danorum
Rex Sinric, geminis ratibus spretis, penetrauit
Cum sociis ternam quinquagenis, patitúrque
Naufragium; medio fluuij fundum petiturus,

A Quo fixit comitésque simul tentoria morti.
Hic sua castra prius Sequanæ contingere fundum
Quo surgens oritur, dixit, quam linquere Regnum
Francorum, fecit Domino tribuente quod inquit.
Denique cùm medius Titane incenditur Orbis,
Cúmque sitit tellus, pecorique libet magis vmbra,
Sibilat & gratus syluas zephyrus peramœnas,
Pergama letiferis stipantur ab hostibus vrbis
Quæ passim patiebantur certamen, & vnum
Bellabant muri, speculæ, pontes quoque cuncti;
Pugnabat pelagus contra tellus magis ampla.
Classica valde tonant, mensis discedere ciues
Eus, clamant litui, conuiuia temnite cuncti.
Vbs terrore simul ciues, inuaditur omnis
Nullus in vrbe locus fuerat qui bella lateret.
Pila falas*, laceræque tegunt nimium catapultæ * turres
Arua velut pluuiæ, plumbi nec non onerosi
Poma dabant peltis gemitus & grandia saxa.
Hæc nobis illi tribuebant præmia semper.
At contra lapides rapidos paritérque balistas
B Direxere feris nostri, celerésque sagittas.
His aër feritur hinc inde volantibus amplum.
Non inter cælos aliud tranabat & arua.
Mars magis atque magis regnat tumidúsque superbit.
Virgo Dei Genouefa caput defertur ad vrbis,
Quo statim meritis eius nostri superarunt.
Inde fugauerunt etiam pinnis procul illos.
Robore qui multus fuerat, sed corpore paruus
Gesserit hoc miles quinis comitatus ab armis* * armatis
Gerboldus, nusquam cuius petiit catapultæ
Sanguinei rostrum siccam* sine fluminis vnda. * terram
Partibus ex aliis longè surgunt acriora
Prælia, plangores clypeique cient galeæque
Stridores. nostri bellant, sed fortius illi.
Defecere fatigati bello quoque dextri.
Proh dolor! alta nimis flentes lamenta trahebant.
Cana senecta gemit multum, florensque iuuenta.
Plorabant Monachi, lachrymatur Clericus omnis,
Aëra voce tonant, luctus sed & æthra facessit.
C Hi tristes animos vrbem metuendo reuelant:
Hoste capi, cœlo læti torquere cachinnos
Mœnia vocisonos tentes lucrare seueri.
Fœmineúsque iubas sexus lugens lacerando
Verrebat terras proprio de crine soluto:
Eheu! nuda suis quatiebant pectora pugnis
Vnque gulis facies secuerunt tristia & ora.
Voce rogant lachrymosa omnes: Germane beate,
Auxiliare tuis, alioquin nunc moriemur,
O pie, nunc succurre citus, succurre, perimus.
Germanum reboat tellus, nec non fluuiúsque,
Littora, & omne nemus pariter circum resonabat:
O Germane facet nobis miserere, rogamus.
Templorum campana boant mœrentia clamant:
Vocibus his & humus tremuit, fluménque remugit.
Vrbs extrema verens instantis carpere lucis
Omnia lamentis lachrymas spargebat amaris.
Omnibus en Germanus adest recolendus in orbe
Corpore subsidióque simul, nil vota moratus,

CAROLVS CRASSVS.

Quo maiora tenebantur certamina Martis, A
Signiferósque Danum lucrari à morte coëgit.

* longe ab vrbe

Atque dehinc alios per plures protenus * vrbe,
Ponte simul pellens illos, quem maxima turris
Ante suos domnum speculans congaudet ocellos.
Vnde fatigati vires reuocant sibi fortes,
Atque resistere decertant bellando proteruis,
Qui turrim repetunt, pontem vel mœnia liquunt.
Mille simul speculæ stabant, omnes quia pugnæ
Multa non vna poterant numero prohibente.
Dilabuntur humi vario traiecta mucrone

* sicut

Viscera, quo * pluuiæ cælo tatibúsque feruntur.
Iam capiente iubar migrans sub marmora Thetis
Oceano, foribus turris submittitur altus
Valde focus: flammæ præcelsa cacumina turris
Cingebant, armis pugnant ignique sinistri.
Linquitur arx dextris, valuásque iubent aperire
Optantes prorsus pretiosam scandere mortem
Plus, quàm fallacum fidei committere semet.
Nemo stetit supra speculam solus nisi sæpe
Iam Sancti famulus dicti, lignum crucis almæ
In flammas retinens, oculis hæc vidit, & inquit.
Densus enim fumus nimium velauerat illam. B
Tum portis igitur reseratis, aridus ense
Portu ni madido moritur Vulcanus inermis:
Subtilémque fugam petiere cadauera torui
Multa reportantes secum, Mauórsque quieuit.
Hæc virtute crucis sanctæ victoria nostris
Ceditur, & meritis Germani Antistitis almi,
Quem reuehunt ad Basilicam Stephani quoque testis
Gaudentes populi præcelsa voce boantes,
Voce Deum te laudamus Dominúmque fatemur.
Vrbis erat Præsul clarus, tutamen & vrbis
Mœstitiam alterutrim nactæ sic lætitiámque.
Funditus his animo versus tanquam mare Coto,
Cernere, Francigenis inquit, properate sub vrbem
Sexcentis statum nostris suggestibus aptum.

* serui, f. ausi sunt agere? Franci DC.

Talia me coram fures * ? Iussis opus addunt.
Dum tamen hos trames reuehit primatis ad aulam
Sectantur, glomerant cuneos post terga nefandi,
Committunt, superant, cedunt, fugiunt, moriuntur. C
Templa fugax cœtus penetrat confinia muris
Victorum, gemini quandam (mirabile narro)
Ecclesiam irrumpunt, farsam de morte relinquunt.
Post & equos saltu repetunt paribúsque cohærent.
Sicternis Sequanam Martisque cacumina, stratis
Sexcenti copulant ex milibus hinc remeántque.

Franci gemini Theodericus & Aledramnus audacissimi

Námque triumphantes fratrum prompsit geminorum
Fama fuisse Theodorici procerum ast Aledramni.
En Princeps, de quo canitur, circundatus armis
Omnigenis cœlum veluti splendoribus astris
Induperator adest CAROLVS comitatus opimo
Diuersi populo labij tentoria figens,
Sub Martis pedibus montis speculámque secundum;
Redditur Ecclesiæque diu Pastor viduatæ
Nobilis egregiúsque sacræ pompatus honore
Totius Anscherieus virtutis germine clarus.
Annuitúrque feris licitum Senones adeundi

A Septies argenti libris causa redeundi
Martis mense datis centum sua ad impia regna.
Tunc glaciabantur torpentis sæcla Nouembris.
Sic Karolus rediit moriturus fine propinquo. *Carolus Crassus. DCC. argenti libra Normannis data*
Nomina tunc ensem quorum perpessa fuisti
Nec vocitare prius, pigra ô Burgundia bello,
Neustria præcluibus thalamum nisi conteret altis
Iam tibi consilio facilis, verùm modò iam scis.
Inde reuertentes prato sua castra reponunt
Iam dicto, Templum Sancti velut ante colentes. *Pratum S. Germani*
Quattuor hic dominúsque mei Germanus in vsum
Contractos nimium membris priscum reuocauit;
Motibus atque suis admouerat organa* fibris *nervos*
Subducto genibus dudum pedibúsque parato* *reparato*
Iure suo, extinctísque fenestis* vnius orbi *oculis*
Restituit radios Solis spectare micantes.
Bessino huc adiens inter sæuos comitatu
B Læsa nihil quoddam meritis sed tuta beati
Femina post quædam meruit lumen quoque cæca.
Cuius adaccubitat puteus vestigia, cuius *Puteus Capella sancti Germani*
Qui potabit aquas, extemplo febre laborans
Auxilio Sancti fidens capiet medicinam.
His panem cupiens quædam componere, iussit
Vi sibi* scotta Danum deferri. Námque Sacerdos
Templa tuens puteum vendebat egris pretio amplo.
Depositus flammæ panis, mox ipse figuram
Sanguinis accepit rubeam. Post altera* fortè *Dana*
Scitur vi conans latices, hausisse cruorem.
Quis tanti peragrare potest miracula Sancti?
Ora mihi si mille aderant, totidem quoque linguæ
Vocibus explentes aër cœlúmque boatu,
Gesta mei narrare patris numerúmve nequissem.
Hic Germanus, hic est, qui passus adhuc retinere
Haud mundo cunctis nimiúmque stupenda peregit.
Fundere signa prius didicit genitricis in aluo,
Antéque virtutem celsam, quàm cernere lucem.
Talia quis, lector, Sanctorum gesserit vnquam?
Cedo, sacer forsan, sodes, Baptista Iohannes.
Ergo meus similis Germanus huic habeatur.
Iste cadaueribus ternis vitam reuocauit
C Restituens lapsis proprias sedes animabus.
Vrbs, age, Parisius, sub queis defensa fuisti
Principibus? Me quis poterat defendere, Primas
Hic nisi Germanus virtus & amor meus omnis?
Post Regem regum sanctámque eius genitricem,
Rex meus ipse fuit, Pastórque, Comes quoque fortis,
Hic ensis bisacutus adest meus, hic catapulta,
Is clypeúsque, patens murus, velox sed & arcus.
His quia sat sylux* resonant, philomela quiescat. *populi*
Plectra reuoluamus vocis post terga stuporum*, *miraculorum*
Fœdere quo fragili fuerant infecta loquamur
Agmina Normannûm Francis è finibus, antra
Ad sua nolentum descendere, sed Sequanina
Immo fluenta cupiscentum tua rursus adire,
Quæ argentum sibimet retinendo noualia monstrent,
O Burgundia, non: simulata cupido latebat.
Quod sequitur cordi assuerat, sed hoc tamen otir
Concipiunt igitur Tethis nitendo quadrigas

CAROLVS. CRASSVS.

Munere clam gratum pontes transcendere iusto. A
Ilicet Anschericí defertur Episcopi ad escas.
Ast Ebali ferclis* inerant Titane secante
Luciffuam cernente poli gnomone* figuram
Multiplici remo contundere pocula* lymphæ,
Scandere gentiles vndas conclamat Eoas
Parisius. Surgit securus vterque ciborum,
Arma ciunt: ripásque legunt, pinnásque* facessunt.
Hic Ebalus raptat chordam vibrátque sagittam;
Quam nauclerus in ascellam per nauis hiatum
Præuius accepit, modicum terebróque foratum.
Sic auriga necis casus pelagique faselus.
Quin patitur, restant igitur cædúntque sub arcem
Acephali, quoniam Christum perdunt, caput ipsum.
At verò veniam deposcunt, obsidibúsque
Iusiuranda parant, aliud non tangere littus
Ni Sequanæ gressúmque referre citò, velut ante.
Nam nobis dederant tranquillum Matrona flumen
Quicquid alit, solito secutum quod vocitamus.
Hoc nostris violare Danos ingens erat horror,
Vnde forum fœdus pariter commune fiebat,
Vna domus, panis, potus, sedes, via, lectus.
Commixtum sibimet populum mirantur vtrumque. B
Quod pactum Senones primum statuere migrando
Hactenus, & seruauerunt, quoad vsque secundo
Mœnibus inuitis superos latices adipisci
Has meruere; dato. barcas per flumina raptant
Eheu! Catholicos secum per littora vitæ
Bisdenos siquidem aut necibus lorisve plicarunt.
Mox adhibent propriis vitam sine mandere castris
Vallatam geminis mortem sine tegmine prunas,
Quæ nostri precibus sperarunt tuta tenere.
Securum frangunt, Senones temnunt, Matronámque
Æquoreo curru sulcant. Mandatur & vrbi.
Guttura millenis crepitant, planctu quoque bombis.
Pax communis* abit, fœdus pessumdatur omne.
Continuo cuncti toruos disquirere ciues
Vrbe, foro, currunt aliqui si forro paterent.
Euax! inueniunt quingen, plagisque trucidant.
His micuit præstans Ebolus Mauortius Abba,
Ni cupidus, nimium lasciuus, & omnibus aptus.
Nam pulchrè nituit studiis, quæ gramma ministrat. C
Fœderis Antistes causa permisit abire
Anschericus tentos, potius occidere debens.
Inde feri Meldis feriunt, vrbem quoque vallant.

ODO REX.

Interea KAROLVS Regno, vita quoque nudus,
Viscera Opis Diuæ complectitur abdita tristis.
Lætus ODO Regis nomen, Regni quoque numen,
Francorum populo gratanre fauentéque multo,
Ilicet, atque manus sceptrum diademáque vertex.
Francia lætatur, quamuis is Neustricus esset.
Nam nullum similem sibimet genitum reperire*.
Nec quia Dux illi Burgundia defuit, eius
Neustria ad insignis nati concurrit honorem.
Sic vno ternum congaudet ouamine Regnum.
Præterea astutos petiit præceps Aquitanos,
Mox sibi subiectis, Francorum Regna reuisit,
Mœnia Meldis adhuc Danis stipantibus vrbis,

Margin notes:
* mensis
* horologio
* alueos
* muros replent
* quæ fuit inter Christianos & Normannos.
Normanni DC. Lutetiæ cæsi
Mors Karoli Austrasii
Odo Neustricus Rex.
* *pro reperiebat*
Regni partes, Neustria siue Fräcia. Burgundia, Aquitania.

A Cui Præsul residens fuerat in ea Segemundus,
Præsulis Anscherici Tetbertus belliger heros
Germanus Consul. Minimè Delius neque Phœbe
Apportabat ei spatium, iuge sed sibi bellum
Vndique constat, eisque tamen per multa resistit.
Perdidit innumeros, quotiens ex agmine sæuo
Exiliens citra muros pessumdare tetros.
Flamina quot tulerat telis, orare nequibo.
Proh dolor! armipotens inter mortalia desit,
Arma ruens, nunquam sibi Principe subueniente.
Exitiúmque polis post hac cum Præsule capto
Passa luit. Regi hinc fœlix micat omen Odoni. *Melda capta Ironia.*
Denique Lutetiæ reuolant ad culmina tutæ.
Conuocat huc omnes proprios per Regna morantes.
En, sine iam numero, numerum præstans Odo nectit.
Francigeni approperant alta cum fronte superbi.
Calliditate venis, aciéque Aquitania linguæ,
Consilióque fugæ Burgun adiere diones.
Sessio fit non longa satis frustrata triumpho.
Nescio quæ socios lusit, Danósque cecidit
B Non paucos, modico quamuis, vt fama, popello.
Quo ventus veniens Ademarus nomine dictus,
Sclademariúsque dehinc binos * iugulis dedit, isque
Deditus est idem primus primum duit * vmbris. *f. Nortmannos *dedit
Lutetiæ toruum postquàm primo patuere,
Principium gladij tenuit finémque recepit.
Hoc super infidos, illum corpus super eius.
Rotberti fuerat pugnax Comitis Sclademarus,
Dispulerat galeas terror, propriúmque sub vrbem
Lunatas stadiis libitum peltas trecentis.
Præterea quadringentis à mille remotis
Acephalos prostrauit humi peditum Comitatus
Agmine tercentum pastor, certamine acerbo,
Nobilis Anschericus pollens ex Virginis ore. *Anschericus Episcopus sexcentos Normannos prosternit.*
Sic alacres spolium reuehunt ad mœnia multum
Vrbani, præstante Deo qui regnat ab alto.
Expediamus ab hinc dignos Odone triumphos,
Falconem vocitant equitum quo milia vicit
Dena nouémque dehinc montem peditúmque profana. *Victoria Odonis XXIV. lun. in Monte Falconis.*
C Hoc illi vicibus peperit natale trophæum
Lux præcursoris Domini catecasta * Iohannis. *singularis
Quippe latus vtrimque viris comptus clypeatis
Mille legebat iter, quando, tyronis ab ore
Venantis canibus lepores nemorosa per arua,
Panditur aduentare equites per millia sæuos.
Is scutúmque simul recipit, collóque pependit,
Armáque cum sociis stringit, penetrans inopina
Prælia. Solamen cæleste petit, rapit atque
Viscera, deponunt alij clypeos, animásque:
Terga parant reliqui regalibus in quibus armis
Ex pueris libuit ternis requiescere Odonis,
Tunc dixit propriis: Istos fortasse sequuntur.
Ast alij idcirco pariter statum glomerate:
Si fuerit verbum super hoc, ne differat vllus,
Adiecit, subeam tumulum * specularitér ipse. *montem
Si vos perculerit clangor, nullum mora vincat.
Cornu suum poscens, scopulum scandens, videt, ecce,
Armisonos lento pedites incedere gressu.

Odo Rex. Tunc tuba cuius ab ore boans mox omnia latè A
Excitat, amfractúsque per astra per arua volabant,
* sine modo Omnibus átque modis, solido * fractóque ciebat.
Omne nemus responsa dabat voci famulando.
It tuba cum celeri bombo per cuncta elementa.
Nil mirum quoniam regale caput tonat, inquam.
* equos Ergo sui infrænant currus *, saltu quoque scandunt,
* s. Normannus Allofilum in medium migrant, vnúsque *, securis
Vibratu, pepulit vnum de vertice Regis
In humeros lapsum: Domini vetum quia Christum
* animam Tundere præsumpsit, ventum * de pectore iecit.
xix. millia Normannorum cæsa ab Odone. Hospite continuo iaculator Principis ense.
Pugna adolet, ponunt animas cum sanguine gurdi,
Infames traxere fugam, primásque trophæum
Milia tot Phœbo strauit spectante sub vno,
Perpete tum gladio, donec à finibus illos
Francorum sequitur, prohibet. Verùm nihil illud
Aquitani rebellant contra Odonem. Ad suimet requiem iuuit: quia mox Aquitanos
Linquere se numénque sui postponere nouit.
Appetit ergo furens illos, vastans populánsque
Arua modo & vulgus; quamuis concludere nisus
Vrbes aduersus, minimum tamen aucta facultas,
Forte sed insurrexit eis spreto ætheris arce B
Sole sub vndiuaga posito testudine ponti
Consul Ademarus, Regi copulatus eidem
Progenie, cuius memini. Proserpina dudum
Huic cessit, cuneos dum profligauit Odonis.
Vmbra fugat stellas, Ademarus ab agmine vitas.
Dormit Odo, consanguineus sua proterit arma.
* Rex Astra micant, Primas * vigilat, sed & auolat ipsa
Ademarus Pictauos Rotberto Comite ab Odone Rege donatos occupat. Regia, mox consanguinitas de sanguine læta.
Talia cur siquidem recinam cùm gesserit olim?
Nam libuit Regi dare propugnacula fratri
Rotberto Pictauis, Ademaro tamen haud sic.
Nempe sibi cepit, plus se quia diligit illo.
Inde Limouicas adiens, Aruernicaque arua,
Præualidas VVillelmi acies secum videt hostis,
Ni congressuras fluuius medio prohiberet.
Perdidit ergo suos illic VVillelmus honores
Hugoni regnante datos, qui Bituricensis
Princeps extiterat Consul, quare fuit actum C
Hos inter geminos Comites immane duellum.
Mille super centum defleuerat inclitus archos
Claromontinsis VVillelmus Hugone negatos:
Iste minus numero secum maiore remotum.
Hic Hugo dum tandem capitur mucrone VVillelmi,
Supplicat vt pietas eius succurreret illi.
Olli tam sero per verba measse respondit,
Ocius & dicto trans pectora lancea transit.
Hugonis intererant cuneis Rotgarius atque
Valde viri Stefanus fortes, per plura VVillelmi
Letha suis dantes, alter Comes Vgoniúsque
Ipse nepos, alter miles Stephanus nimis audax.
Proh dolor! Hugo necem flesti, VVillelme trophæum.
Nuncius interea regalem concutit aurem,
Karolus Ludouici Balbi filius. Gallia quòd mentita sibi sit, portat in ore,
Gnati pressa iugo KAROLI collum LODOVICI
Qui vocitatus vt à cælo, prænomine BALBVS.

A Inde mouens callem Germanica quis sibi Regna Odo Rex.
Nauiter acciperet, temerè disquirere vadit.
Clarus Odo castella petit, vincitque duelles,
Hincce fugat Karolum facie, cunctósque sequaces, Odo Karolum praesentia sua fugat.
Delius vt pellit tenebras, vt Lucina athomos.
Admittit humiles dudum ceruice superbos.
Sermo quis effari poterit, quotiens fuga celsi
Arnulphi Induperatoris genitum tulit ense Cendebaldus Arnulfi Imperatoris filius ab Odone fugatus.
Odonis Cendebaldum post terga tonante
Subsidium Caroli, victus, spes hic in Odonem
Cuius ad obtutus audacia non tamen vnquam
Applicuit. Verùm nihil id requiei fuit illi.
Eu iterum misero gemitu loquor affore sæuos
Allofilos *, terram vastant, populósque trucidant. * paganos
Circumeunt vrbes pedibus regnantis & ædes.
Ruricolas prendunt, nexant, & trans mare mittunt.
Rex audit nec curat Odo, per verba respondit:
O quàm responsi facinus non ore dedisti
Tale tuo! Dæmon certè proprium tibi fuit,
B Non tua mens procurat oues Christo tibi missas:
Longius ille tuum forsan nec curet honorem.
Hæc vbi fata * receperunt probitate neglecti, * data
Exultant hilares, barcas agitántque per omnes
Gallia queis amnes fruitur, terram pelagúsque
In ditione tenent, totum tutore ferente.
Francia cur latitas? vires narra, peto, priscas,
Te maiora triumphasti quibus atque iugasti
Regna tibi, propter vitium triplexque piaclum.
Quippe supercilium, Veneris quoque fœda venustas, Vitia tria Francorum, Superbia, Voluptas, & Vestium luxus.
Ac vestis pretiosæ elatio te tibi tollunt.
Aphrodite adeo saltem quo arcere parentes
Haud valeas lecto, Monachas Domino neque sacras:
Vel quid naturam, siquidem tibi sat mulieres
Despicis, occurrant? Agitamus fásque nefásque,
Aurea sublimem mordet tibi fibula vestem,
Efficis & calidam tyria * carnem pretiosa. * purpura
Non præter chlamydem auratam cupis indusiari
Tegmine, decussata * tuos gemmis nisi zona * decorata
C Nulla fouet lumbos, auríque pedes nisi virgæ,
Non habitus humilis, non te valet abdere vestis.
Hæc facis, hæc aliæ faciunt gentes ita nullæ.
Hæc tria ni linquas, vires Regnúmque paternum,
Omne scelus super his Christi, cuius quoque vates
Nasci testantur bibli. fuge Francia ab istis.
Psallere non tædet, desit * tamen actus Odonis, * desinit
Nobilis is quamquam mulcet superas adhuc oras.
Flagito quo Positor * possim per amœna polorum * Poeta
Hoste canas lector gratarier arria victo.

Explicit secundus Parisiacæ vrbis Bellorum, Præsulisque Germani miraculorum, Libellus.


A

CHRONICON DE GESTIS NORMANNORVM IN FRANCIA,

Ab anno Christi DCCCXXXIII. vsque ad annum DCCCXCVI.

Ex antiquo Exemplari Carthusiæ Montis-Dei, in diocesi Remensi, cuius editio cum altero Exemplari Rubeæ-Vallis collata est, & plerisque in locis emendata.

LVDOVICVS PIVS.


ORTHMANNI procedentes de Scanzia insula, quæ Northvvegiâ dicitur, in qua habitant Gothi, & Huni, atque Daci, cum XIII. nauibus egressi, primò in Flandrensi littore molientes, ab his qui in præsidio erant repulsi sunt. Deinde in ostio Sequanæ simi- B
lia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus, quinque suorum interfectis, recesserunt. Tandem in Aquitanico littore prosperis vsi successibus, vico Burnad depopulato, cum ingenti præda reuersi sunt ad propria. Northmanni venientes in Frisiam, aliquam partem ex illa deuastauerunt, homines quosdam occiderunt, quosdam captiuos abduxerunt, partémque eius
833. igni cremauerunt anno Domini DCCCXXXIII. regnante LVDOVICO Augusto Karoli Magni filio.

837. ANNO Domini DCCCXXXVII. Northmanni in insula, quæ Vvalacria dicitur, multos trucidauerunt, & aliquandiu inibi commorantes, censu exacto ad Dorastadum peruenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Ludouicus Imperator auditis, ad Nouiomagum castrum properare non distulit. Cuius aduentu Northmanni audito, continuò recesserunt.

840. ANNO DCCCXL. Northmanni in quandam Frisiæ partem irruentes, non parum incommodi nostris finibus intulerunt.

CAROLVS CALVVS

841. ANNO Domini DCCCXLI. Northmanni ab Occeano Euripo Rotumam irruentes, rapinis, ferro, ignique bacchantes, Monachos populúmque cædibus vel captiuitate deleuerunt: & omnia templa & loca flumini Sequanæ adhærentia depopulati sunt, & multis acceptis pecuniis recesserunt.

843. ANNO Domini DCCCXLIII. Northmanni vrbem Namnetum aggressi, interfectis Episcopo, & multos Clericorum atque laicorum, sexúsque promiscui, deprædata ciuitate, inferioris Aquitaniæ partes adoriuntur. Ac postremùm insulam quandam ingressi, hiemare decreuerunt. C

844. ANNO Domini DCCCXLIIII. Northmanni in Britanniam insulam, quam Anglo-Saxones incolunt, impetentes, triduò pugnando victores effecti, prædas, rapinas, neces facientes, terrâ pro libitu potiti sunt.

845. ANNO Domini DCCCXLV. Northmannorum Rex Roricus sexcentas naues per Albim fluuium in Germaniam aduersus LVDOVICVM dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commisso prælio, Domini nostri Iesu Christi auxilio victores efficiuntur. Vnde digressi, Slauorum quamdam impetunt & capiunt ciuitatem.

ANNO eodem Northmanni alueo Sequanæ remenso maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vastant, atque incendiis concremant. Demùm, cùm à quodam Monasterio nomine Sithiu direpto, incensóque, oneratis nauibus repedarent; ita diuino iudicio vel tenebris cæcati, vel insania sunt perculsi, vt vix perpauci euaderent, qui Dei omnipotentis iram cæteris nunciarent. Vnde commotus animo Rex eorum Roricus, ad Ludouicum Regem Legatos pacis gratiâ destinauit, captiuitatem absoluere, thesauró sque paratus Prouinciæ restituere.

A ANNO Domini DCCCXLVI. Pyratæ Danorum Fresiam adeuntes, prouincias & Ecclesias vastauerunt, & populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenses, vicinarúmque vrbium Pontifices & Abbates, cum Sanctorum suorum reliquiis ad Sanctum venerunt Audomarum, quia muro valido & turribus atrium eius diuina prouidentia munitum erat. Isti sunt Sancti, qui propter persecutionem illam peruenerunt ad idem castrum. Sancti, Bauo, Vvandregisilus, Ausbertus, Vvlfrannus, Vvasuulphus, Piatus, Bainus, Vvinnoeus, & Austreberta virgo. & quadraginta annis eorum aliqui ibi permanserunt. 846.

Eodem anno Northmanni Frisiam adeuntes, recepto pro libitu censu, pugnandó quoque victores effecti, Prouincia potiuntur. Eodem etiam anno inferioris Galliæ, quam Brittones incolunt, fines adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant. Scotti à Northmannis per annos plurimos tributarij efficiuntur: Insulis circumquáque positis nullo resistente potiti immorantur.

ANNO Domini DCCCXLVIII. Northmanni Burdegalam Aquitaniæ Iudæis prodentibus captam, depopulatámque incendunt. Deinde Merullum* vicum populantes, incendio tradunt. Scotti super Northmannos irruentes, auxilio 848. *al. Metallū

B Dei victores eos à suis finibus propellunt. Vnde Rex Scottorum ad KAROLVM pacis & amicitiæ gratia Legatos cum muneribus mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Eodem anno Northmanni Petrocorium Aquitaniæ ciuitatem populantes incendunt, atque impunè ad naues remeant.

ANNO Domini DCCCL. Northmanni Fresiam & Batauos populantur, & in oppido Gandauo venientes, Sancti Bauoris Monasterium incendunt. Deinde Rotumum, & vsque Beluacum pedestri itinere peruenerunt. Qua incensa, cùm redirent, intercepti à nostris, & aliqua ex parte profligati sunt. 850.

ANNO Domini DCCCLII. Northmanni CCLII. nauibus Frisiam adeunt, acceptisque multis, prout ipsi statuerunt, ad alia diuertunt. 852.

ANNO Domini DCCCLIII. Northmanni mense Iulio, relicta Sequana, Ligerim adeuntes, Namnetim vrbem, & Monasterium sancti Florentij, ac vicina loca populantur. Deinde à Namnetibus superiora petentes, VI. Idus Nouembris vrbem Turonicam adeunt, atque incendunt, cum Ecclesia sancti Martini, & ceteris adiacentibus locis. Sed quia euidenti certitudine hoc præscitum fuerat, corpus beati Martini ad Cormaricum Monasterium eius Ecclesiæ, & inde ad ciuitatem Aurelianorum trāsportatum est. Eodem anno Northmanni inter se prælio dimicantes, adeò certatione obstinatissima bacchati sunt, vt Oricho * Rege, & ceteris cum eo interfectis Regibus, penè omnis nobilitas interierit. Tunc Ligete insistentes, denuò ciuitatem Andegauorum incendio concremant, deindè Burdegalam. 853. * Rorico

ANNO Domini DCCCLV. Northmanni Ligerim ingressi, relictis nauibus, pedestri itinere vrbem Pictauorum adire moliuntur. Sed occurrentibus Aquitanis, adeò afflicti sunt, vt vltra CCC. pauci euaserint. 855.

C Eodem anno XIV. Kal. Maij Northmanni ciuitatem Aurelianis adeunt, prædantur, & impunè reuertuntur. Et mediante Augusto Sequanam ingrediuntur, & vastatis direptísque ex vtraque parte fluminis ciuitatibus atque villis, locum, qui dicitur Fossa-Giualdi, Sequanæ contiguum, stationíque congruum deligunt: vbi hiemem quieti transigunt.

ANNO Domini DCCCLVII. V. Kal. Ianuarij Northmanni Lutetiam Parisiorum inuadunt, atque incendio tradunt: Basilicam sancti Petri & sanctæ Genouefæ incendunt, & ceteras omnes præter domum sancti Stephani, & Ecclesiam sancti Vincentij & sancti Germani, prætérque Ecclesiam sancti Dionysij. pro quibus tantummodò, ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. LVDOVICVM Abbatem sancti Dionysij capiunt. Deinde Saxoniam aggrediuntur, sed viriliter repelluntur. 857.

ANNO Domini DCCCLIX. Northmanni Scaldam fluuium transeuntes, loca populantur vndique. At vulgus promiscuum inter Sequanam & Ligerim inter se coniurans, aduersus eos in Sequana consistentes fortiter resistit. Sed quia incautè * sumpta est eorum coniuratio, à potentioribus nostris facilè interficiuntur. 859. *al. ineptè

Eo anno Northmanni inter Hispaniam & Africam nauigantes, ingrediuntur

CAROLVS CALVVS. Rodanum, depopulatisque ciuitatibus ac Monasteriis, in insula, quæ Camarias A dicitur, venerunt.

*al. Samarobricam. Anno etiam eodem Monasterium sancti VValerici, Samarobriuam * Ambianorum ciuitatem, aliáque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Postea insulam Reni Patauum simili furore inuadunt. Deinum Nouiomum ciuitatem noctu ingressi, Immonem Episcopum cum alijs nobilibus tam Clericis quàm laicis capiunt: & ciuitate vastata secum abducunt, atque in itinere interficiunt.

860. ANNO Domini DCCCLX. Northmanni in Somma flumine consistentes, receptis obsidibus ad Anglos-Saxones nauigant. A quibus repulsi, alias partes petunt. Illi verò, qui morabantur in Rodano, vsque ad Valentinam ciuitatem, deuastando omnia, perueniunt. Qua deprædata, ad Insulam, in qua sedes posuerant, redeunt. Deindè Italiam petunt, & Pisas ciuitatem, aliásque capiunt, atque deuastant.

861. ANNO Domini DCCCLXI. Northmanni Luteciam Parisiorum, & Ecclesiam sancti Vincentij Martyris ac sancti Germani incendio tradunt. Negotiatores quoque per Sequanam nauigio sursum fugientes insequuntur, & capiunt. Alij quoque Northmannorum Teruanensem pagum adeunt, & vastant, de Anglia reuertentes. Deinde cum Duce eorum VVelando, cum CC. nauibus per Sequanam ascendunt, & castellum in insula, quæ Oscellus dicitur, obsident. Ad quorum obsidentium videlicet locarium, quinque millia libras argenti, cum animalium atque annonæ summa non modica, de Regno suo, ne deprædaretur, exigi B Karolus præcepit.

864. ANNO Domini DCCCLXIIII. Northmanni mense Ianuario per Renum versus Coloniam nauigio ascendunt, & Dorestaro depopulato villa, ad quam Frisij confugerant, occisis multis Frisonum negociatoribus, & capta populi multitudine, vsque ad quandam Insulam secus castellum Nouesium perueniunt: sed consilio accepto, sicut accesserant recedunt.

865. ANNO Domini DCCCLXV. Northmanni residentes in Ligeri cum magno impetu, faciente diuino iudicio, vsque ad Monasterium sancti Benedicti, quod Floriacus dicitur, nauigant, & incendunt illud: & in reuertendo, Aurelianis ciuitatem & Ecclesias cremauerunt, præter Ecclesiam sanctæ Crucis, quam flamma, cùm inibi multum laboratum à Northmannis fuerit, vorare non potuit. Sicque per amnis alueum descendentes, & vicina quæque depopulantes, ad stationem reuersi sunt. Deindè Pictauum ciuitatem incendunt, & ad naues redeunt.

869. ANNO Domini DCCCLXIX. Karolus cum Northmannis in quatuor millium libris argenti ad pensam eorum paciscitur: & indicta per Regnum suum collectione ad idem exsoluendum tributum, de vnoquoque manso ingenuili exiguntur sex denarij, & de seruili tres, & de accolis vnus, & de duobus hospitibus vnus, & decima de omnibus quæ negociatores videbantur habere. Sed & à Presbyteris secundum quod vnusquisque habuit, vectigal exigitur. & herbanni de C omnibus Francis accipiuntur. Indè de vnoquoque manso tam ingenuili quàm & seruili vnus denarius sumitur. & demum per duas vices iuxta quod vnusquisque Regni Primorum de honoribus habuit, conlectum tam in argento quàm in vino ad pensum, quod ipsis Northmannis pactum fuerat, persoluendum contulit. Præterea quoque & mancipia à Northmannis prædata, quæ post pactum ab eis fugerant, aut reddita, aut secundum eorum placitum redempta fuerunt. Et si aliquis de Northmannis occisus fuit, quæsitum precium pro eo est exsolutum.

ANNO eodem, mense Iulio, Northmanni mare intrant, & pars quædam ex ipsis ad Italiam rediit. Northmanni verò commixti Britonibus circiter CCCC. de al. Briesserta Ligeri cum caballis egressi, Cinomannis ciuitatem adeunt. Qua deprædata, in regressu suo vsque ad locum, qui dicitur Brieserta*, veniunt. vbi ROBERTVM & Ragnulphum, Godefridum quoque & Henricum Comites, cum valida manu armatorum, si Deus cum eis esset, offendunt. Et conserto prælio, Robertus occiditur, Ragnulphus vulneratus postea mortuus est. Deinde Henrico sauciato, & aliis quibusdam occisis, ceteri quique ad sua discedunt. Et quoniam

A Ranulphus & Robertus de præcedentium se vindicta, qui contra suum ordinem, alter Abbatiam S. Hilarij, alter Abbatiam S. Martini præsumpserat, castigari noluerunt, in se vltionem sentire meruerunt. CAROLVS CALVVS.

ANNO Domini DCCCLXX. Hugo Abba & Gautfridus cum trans-Sequanis confligentes cum Northmannis in Ligeri residentibus, sexaginta indè interfecerunt, & capientes quendam apostatam Monachum, qui se Northmannis contulerat, & nimis Christianis infestus erat, decollari fecerunt. Tunc Northmanni multam summam argenti, frumenti quoque & vini, & animalium, ab incolis terræ ipsius quæsierunt, vt cum eis pacem facerent. 870.

ANNO Domini DCCCLXXIX. LVDOVICVS frater Karlomanni contra Northmannos, qui Corbeiæ Monasterium, & Ambianis ciuitatem, aliáque sancta loca occupauerant, obuiam perrexit: & castello firmato, apud Compendium Natiuitatem Domini, & sanctum Pascha celebrauit. 879. LVDOVICVS III. ET CARLOMANNVS.

ANNO Domini DCCCLXXX. Northmanni incendiis & deuastationibus inhiantes, sanguinem humanum sitientes, ad interitum & perditionem Regni mense Nouembrio in Gandauo Monasterio sedem sibi ad hiemādum statuunt. Et mense Decēbrio corpus sancti Vedasti Vallis supra Summam in villa sua defertur. Northmanni deindè Tornacum ciuitatem, & omnia Monasteria supra Scaldis fluuium ferro & igni deuastant, interfectis accolis terræ atque captiuatis. Deindè sedem sibi mutauerunt, & Cortriaco castrum ad hiemandum construunt. Indéque Menapios & Suenos vsque ad internecionem deleuerunt, quia valde illis infesti erant, omnémque terram iuxta flumina consumpserunt. 880.

B

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXI. VII. Kal. Ianuarij Northmanni Sithiu oppidum ingressi cum infinita multitudine, ipsum oppidum cum Ecclesiis igne cremauerunt, excepta Sancti Audomari Ecclesia, quæ Dei prouidentiâ benè erat munita. At Northmanni interfectis omnibus, quos inuenire poterant, omnem terram vsque ad Summam peruagati sunt, & capta præda infinita hominum & pecudum, recesserunt. Indè Cameraeum ingressi, incendiis & occisionibus castrum destruunt: & Monasterium sancti Gaugerici vastantes, cum præda maxima ad castra reuersi sunt. Deinde circa Purificationem sanctæ Mariæ iterum mouentes, per Teruennam iter arripiunt, & vsque Centulam Monasterium sancti Richarij, & S. Vualerici, & omnia loca circa mare, & Monasteria, & vicos, deindè Ambianis ciuitatem, atque Corbeiam peruagantes, multis onusti prædis sine impedimento ad sua repedauêre castra. Postea circa sollemnitatem sancti Petri mense Februario Attrebatis venerunt, omnésque quos ibi inuenerunt interfecerunt. Interim LVDOVICVS Rex graui dolore contristatus, conuocato exercitu præparat se ad prælium. At Northmanni cum magno exercitu mense Iulio Summam fluuium trāseunt, & vastando omnia vsque Belnagorum ciuitatem peruenerunt. Quibus Rex obuius in pago Vvimau*, in villa que Sathulcurtis dicitur, commissum est prælium. Mox Northmanni fugam ineunt, quos Rex insecutus, gloriosissimè de eis triumphauit. Tunc Northmanni per Gandauum redeuntes, reparatis nauibus, terrâ marique iter facientes, Mosam ingressi sunt, & in Haslac sedem firmant ad hiemandum. Eo tempore Ludouicus Rex senior obiit. 881.

C

*Vvimaus

ANNO Domini DCCCLXXXII. KAROLVS frater eius Romam perrexit, Imperiique dignitatem adeptus est. At Australes Franci congregant exercitum contra Northmannos: sed statim terga vertunt, ibíque Vvalo Metensis Episcopus corruit. Quo finito, Northmanni famosissimum Aquisgrani Palatium igne cremant, & Monasteria, atque ciuitates, Treueris nobilissimam, & Coloniam Agrippinam. Palatia quoque Regum, & villas, cum habitatoribus terræ interfectis, igne cremauerunt. Contra quos Karolus Imperator exercitum congregans, eos in Haslac obsedit. Godefridus verò Rex Northmannorum ad eum exiit. Cui Imperator Regnum Frisonum, quod olim Roricus Rex Northmannorum tenuerat, dedit, coniugémque ei dedit GISLAM filiam Lotharij Regis, Northmannósque de Regno suo abire fecit. 882.

ANNO Domini DCCCLXXXIII, mense Octobrio Northmanni Regnum KARLOMANNI atrociter deuastantes, & per Terraciam iter agentes, Hisam transierunt. Quos Karlomannus insecutus, in Anabl. comprehendit, commissóque 883.

CARLOMANNVS. prælio victor extitit. cecideruntque Northmanni circiter mille. Sed nil eos hæc pugna perdomuit, sed ad naues conuersi omne Regnum ferro & igne deuastant: & Ecclesiis diruptis, & accolis terræ deletis, Viromandis peruenerunt, & Ecclesiam sancti Quintini incenderunt, & Ecclesiam sanctæ Mariæ in Attrebatis ciuitate. Et Octobrio mense finiente, Lauetum * cum equitibus & peditibus, atque omni supellectili, veniunt. Naues quoque per Summam * fluuium ingressæ, Regem cunctúmque exercitum eius fugere compulerunt, atque Hisam fluuium transire fecerunt. Tunc Ambianis ciuitate ad hiemandum sibi sedem parauerunt. At Franci videntes Northmannorum res prosperè in omnibus accrescere, quendam Danum Christianum nomine mittunt ad eos, qui cautè cum eis de redemptione Regni ageret. Ille verò Bellouagum venit, & ita Ambianis perrexit ad exercendum sibi iniunctum officium *. Northmanni interim non cessant captiuare atque interficere populum Christianum, atque Ecclesias subuertere, destructis mœniis, & villis crematis *. Per omnes enim plateas iacebant cadauera clericorum & nobilium, ac mulierum, iuuenum & lactantium. Non erat via vel locus, quo non iacerent mortui. & erat tribulario omnibus, & dolor. Interim Francorum Principes inito consilio Danum Christianum, Regíque fidelem, Hoerici * nepotem, ad Northmannos mittunt, vt tributum acciperent, & de Regno abirent. At Northmanni ad vltimum duodecim millia pondera argenti imposuerunt Regi & Francis in tributum. & datis obsidibus, adinuicem aliquatenus cœperunt securi esse. Deinde Northmanni trans Scaldum venientes, prædas more solito capientes, cuncta deuastant. Ecclesias, ciuitates, vicos, habitatores vsque ad internecionem deleuerunt. Post sanctum itaque Pascha inchoatur tributum persolui. Spoliantur Ecclesiæ, & Ecclesiastica mancipia. Tandem soluto tributo, mense Octobrio finiente adunantur Franci, vt si Northmanni vellent fidem immutare, eis resisterent. Northmanni sua castra incendunt. Rex verò & Franci, Hisa transito, lento eos insequuntur itinere. Northmanni autem iter agentes, Bononiam veniunt. & pars illorum mare transiit. & pars altera Luuanium in Regno quondam Lotharij, & castra ad hiemandum statuunt. Karlomannus deinde venandi causa in Basui * silua veniens, dum aprum vellet percutere, quidam è suis Bertoldus nomine, cùm eum vellet iuuare, casu Regem in tibia vulnerauit. Et accepto vulnere, septem diebus superuixit, atque in eodem loco defunctus est, anno ætatis suæ XVIII. & sepultus in Ecclesia sancti Dionysij.

al. Lauctū
Summam
al. negocium
ciuitatis
Hoerici
Basiu

A

B

CAROLVS CRASSVS. KAROLVS Imperator, Karlomanno fratre * mortuo, venit vsque Pontionum. Ibique Franci ad eum venientes, eius se subdiderunt imperio, & Karolus rediit in terram suam. Tunc Northmanni fæuire cœperunt incendiis, & occisionibus sitientes, populum Christianum necant, Ecclesias prædantur & subruunt. At Franci munitiones construunt, vt illis naualе iter interdicant. Castrum statuunt super fluuium Hisam, in loco qui dicitur ad Pontem-Hisaræ, quod ALETRANNO ad custodiendum committunt. Northmanni verò mense Nouembrio Hisam ingressi, prædictum castrum obsidione cingunt. Ii autem, qui in castro erant, paçem petunt, & viuos se abire postulant. Et datis adinuicem obsidibus, Aletrannus cum suis Beluagum periit. Northmanni verò castrum incenderunt, diripientes inibi reperta. Hac Northmanni patrata victoriâ Parisius adeunt, turrímq; aggressi valdè impugnāt. At Christiani viriliter eam defendunt. Et factum est prælium à mane vsque ad vesperam, nóxque diremit prælium. atque ita Northmanni accurrunt ad ipsam turrim, fitque grauis pugna vsque ad Solis occasum. Sed Northmanni multis suorum amissis ad naues redeunt, indéque sibi castrū statuunt aduersus ciuitatem, eámq; obsidione vallant. Deinde portam ipsius turris adeunt, ignémque supponunt. Et hi, qui intra erant, fracti vulneribus incendio capiuntur, atque in opprobrium Christianorum diuersis interficiuntur modis, atque in flumine præcipitantur, indéque ipsam turrim destruunt. Post hæc non cessant oppugnare ciuitatem. Gauzlinus verò Episcopus, dum populum sibi commissum iuuare vellet, cum Sigefrido Northmannorum Rege amicitiam firmauit, vt per hoc ciuitas ab obsidione liberaretur. Quo facto, Episcopus diem clausit extremum. Episcopo verò defuncto, Northmanni non cessant oppugnare ciuitatem. Quod vt Imperatori nunciatum est, accepto consilio ve-

C

nit

A nit Parisius cum manu valida. sed nil vtile gessit. fecit enim consilium nimis miserum. Nam vtrumque, & ciuitatis redemptio Norrhmannis promissa est, & data: & via sine impedimento attributa. Imperator autem viâ, qua venerat, regreditur. & Sigefridus Northmannorum Rex Hisam fluuium ingressus, terrâ & aqua iter faciens post eum cum suis, omnia ferro vastabat & igne. Quod cùm Imperator cognouisset, festinè rediit in terram suam. Post hæc Sigefridus famosissimam Ecclesiam sancti Medardi igne cremauit, & Palatia Regia, interfectis & captiuatis terræ accolis. Northmanni verò, qui per Sequanam ascenderant à Parisius, cum omni exercitu, supellectili, & nauibus, Hionam fluuium ingressi, Senonas ciuitatem obsederunt. Sed Euurardus * Archiepiscopus ipsius ciuitatis statim cum eis de ereptione ipsius ciuitatis agere cœpit, & obtinuit quod voluit anno Domini DCCCLXXXVI. CAROLVS CRASSVS. * Euerardus.

ANNO Domini DCCCLXXXVII. Sigefridus Rex Northmannorum verno finiente in Sequanam rediit, agens solita: & circa autumni tempora Frisiam petiit, ibique interfectus est. Northmanni verò Parisius regressi propter tributum ab Imperatore promissum, receperunt illud. Pòst Maternam fluuium ingressi, Gauziaco * sibi castra statuunt. Franci verò Australes videntes Imperatoris vires ad regendum Imperium inualidas, eiecto eo de Regno, ARNVLFVM filium Karlomanni, qui eius erat nepos, in Regni solio ponunt. Tunc Northmanni omnia loca versus Mosam more solito, partémque Burgundiæ deuastarunt, & igne B concremarunt, anno Domini DCCCLXXXVII. 887. * Cauziaco

ANNO Domini DCCCLXXXVIII. ODONI Regi Francorum per Dei misericordiam inopinata contigit victoria. Nam die Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ cum paruo exercitu Northmannorum exercitui obuiauit super fluuium Axonam. commissóque prælio, mox victor extitit. Quæ victoria non modicam illi gloriam contulit. Pòst, ab Arnulpho Imperatore conuocatur ad Placitum. Statuto itaque die, Odo Rex suorum fretus auxilio VVormaciam venit, & honorificè ab Arnulpho Imperatore susceptus, facti sunt amici, & remisit eum cum honore in Regnum suum. Interim Northmanni Meldis ciuitatem obsidione vallant, machinis instruunt, aggerem comportant ad capiendam vrbem. Cúmque obsidione & fame attenuati, mortibus etiam suorum afflicti, cernerent ex nulla parte sibi affuturum auxilium, cum Northmannis egerunt, vt donata ciuitate viui sinerentur abire. Reserantur portæ, fit via Christianis vt egrederentur, delegatis his qui eos quò vellent ducerent. Cúmque amnem Maternam transissent, Northmanni eos insecuti, comprehenderunt Episcopum cum omni populo. Indéque reuersi, ciuitatem incenderunt, murósque quantum placuit destruxerunt, atque ibi morati sunt vsque mensem prope Nouembrem. Circa verò autumni tempora ODO Rex congregato exercitu venit Parisius, ibique castra metatus est prope C ciuitatem, ne iterum obsideretur. Northmanni verò per Maternam in Sequanam regressi, indéque nauigantes, & iter per terram facientes, Iunam * ingressi, circa eius littora sedem sibi statuerunt. Circa autumni tempora Parisius regressi sunt. Contra quos Odo Rex venit, & nunciis intercurrentibus, munerati ab eo, reuersi à Parisius, relicta Sequana, per mare nauale iter, atque pedestre & equestre agentes, in territorio Constanciæ ciuitatis circa castra Sancti Laudi sedem sibi faciunt. ipsúmque castrum impugnare non cessant, anno Domini DCCCLXXXIX. 888. ODO REX. * al. Lunam, & Luuiam

ANNO Domini DCCCXC. Laudi castrum, interfectis habitatoribus, funditus terræ coæquatum. Northmanni in festiuitate omnium Sanctorum Hisam ingressi, Nouiomagum petunt. ODO verò Rex adunato exercitu super Hisæ littora resedit, ne Regnum liberè deuastarent. Northmanni verò, qui Nouiomo erant, mouentes exercitum vsque Mosam, omnem terram peruagati sunt, Scaldúmque transeuntes Rex Odo insecutus est. comprehenditque eos super Galtheram, sed non ita vt voluit. Nam dispersi per siluas euasêre, atque ad sua castra reuersi sunt. Circa autem autumni tempora, relicto Nouiomo, maritima petiêre loca, ibique toto æstiuo tempore morati sunt, Indéque reuertentes, Mosam ingressi sunt. Quod audiens Arnulphus Rex velociter occurrit, eósque vsque trans Scaldum, & prope Attrebatum insecutus est. sed eos non comprehendit, indéque rediit in Regnum suum. Northmanni verò, qui Nouiomo hiemauerant, mense Nouembrio petunt iter, & Ambianis sedem sibi firmauerunt. Arnulphus autem Rex 890.

ODO REX. adunato exercitu, venit aduersus Northmannos, & Deo protegente ipsum cepit A castrum, interfecta Northmannorum multitudine: atque hac potita victoria, rediit in Regnum suum. Northmanni verò, qui huc illúcque dispersi erant, in eodem loco iterum castrum statuunt. Odo autem Rex congregato exercitu, Ambianis pergit. Sed nihil ibi prosperè egit. Verùm post hoc in pago Vermandense, ob neglectum custodum, superueniunt Northmanni, eúmque fugere coegerunt.

891. ANNO Domini DCCCXCI. Northmanni à Luano * regressi, videntes omne Regnum fame atteri, relicta Francia tempore autumni mare transierunt.

* Luuano

895. ANNO Domini DCCCXCV. Northmanni iterum cum Duce eorum, qui Rodo * dictus est nomine, rursus Sequanam ingressi, iam multiplicati, ante Natiuitatem Domini Hisam intrantes, Cauciaco sibi sedem nullo resistente firmauerunt, & in multitudine graui Regni Prouincias ferro & igne deuastantes, Aquitaniç partibus inferuntur, atque Monasteria, castris euersis, & interfectis habitatoribus, penitus deleuerunt. Post hæc autem Rex KAROLVS SIMPLEX cū exercitu paruo, Northmannis à præda reuertentibus, in pago Vvitmau, aliquibus suorum interfectis; plurimísque vulneratis, insecutus est. Northmanni verò timentes more solito, ad castra redierunt. Postea Karolus Simplex Rodoni Neustriā tradidit, quam Northmanniam Northmanni vocauerunt, eò quod * de Nortvvegia egressi essent.

* Rollo

* eò quòd de partibus Aquilonis venerant.

EXPLICIT.

B

CONVENTVS VALENTINVS,

IN QVO REGIS NOMEN LVDOVICO BOSONIS Regis filio ab Arelatensis Regni Episcopis Proceribúsque delatum est anno Christi DCCCXC. ODONIS Regis anno III.

Ex Annalibus Burgundiæ Guillelmi Paradini.

890. ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCXC. Indictione VIII. religiosus atque satis venerabilis Bernoinus sacræ Sedis Viennensis Archiepiscopus, pro quibusdam Ecclesiæ suæ, siue generalibus totius Regni necessitatibus, Sedem adiens Apostolicam, consultu ipsius domni Apostolici, cui cura & sollicitudo instat omnium Ecclesiarum, digno quoque suo relatu, de perturbatione huius Regni retulit, quomodo post gloriosissimi CAROLI Imperatoris obitum, aliquamdiu sine Rege & Principe existens, valdè vndique afflictaretur, non modò à propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, sed etiam à Paganis: quoniam ex vna parte Northmanni cuncta penitus deuastantes insistebant, ex alia verò Sarraceni Prouinciam depopulantes, terram in solitudinem redigebant. His & aliis C huiusmodi causis ab eo auditis, reuerendus dominus Stephanus Apostolicus, ad lacrimas vsque compunctus, tam verbis, quàm scriptis generaliter ad omnes Galliarum Cisalpinarum tam Archiepiscopos, quàm & reliquos venerabiles Antistites directis, suo sanctissimo commonuit hortatu, vt vnanimes atque concordes omnes in LVDOVICO, nepote quondam LVDOVICI gloriosissimi Imperatoris, consentientes, hunc super populum Dei Regem constituerent. Cùm igitur diligenter competissemus, quòd assensus sanctæ Catholicæ & Apostolicæ matris nostræ huic faueret electioni, simul conuenimus in ciuitatem Valentiam, domnus scilicet Aurelianus Lugdunensis Sedis Archiepiscopus, necnon & domnus Rostagnus vrbis Arelatensis Archiepiscopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunensis Archiepiscopus, ipse quoque Bernoinus Viennensis Archiepiscopus, cuius relatu voluntatem domni Apostolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus Coepiscopis, tractaturi, atque secundum Dei voluntatem quæsituri explorauimus, si hunc dignè & rationabiliter secundum monita domni Apostolici, cuius scripta præ manibus habebantur, super nos Regem constituere deberemus. Assensus itaq; in eo omnium fuit, vt nullus meliùs Rex fieri debuisset, quàm ille, qui ex prosapia Imperiali prodiens, bonæ puer indolis iam coalescebat. Cuius

A etsi ætas idonea ad reprimendam barbarorum sæuitiam minus sufficere videretur, tamen nobilium Principum istius Regni, quorum non paruus est numerus; consilio & fortitudine, Deo iuuante, comprimerentur. Maximè inclyti RICHARDI Ducis, eximiique Principis, fulta iuuamine. Quinetiam dominæ HIRMENGARDIS gloriosissimæ Reginæ, vtilitas Regni insita sibi acutissima atque profundissima à Deo prudentia, adiuncto sibi supradictorum Episcopum digno hortatu, Procerúmque totius Regni consilio, secundum Dei timorem decentissimè administrabitur. Denique freti, & tanta subleuari fiducia, per Dei, vt credimus, voluntatem, supradictum LVDOVICVM, excellentissimi BOSONIS Regis filium, elegimus, atque in Regem vngendum decreuimus: iudicantes illum ad hoc dignum, cui præstantissimus CAROLVS Imperator iam Regiam concesserat dignitatem, & ARNVLFVS, qui successor eius extitit; per suum sceptrum, pérque suos sagacissimos Legatos, Reoculsum videlicet Episcopum, & BERTALDVM Comitem, fautor Regni, auctórque in omnibus esse comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentiâ, communi omnes in iamdictam ciuitatem aduenientes consensu, hanc Regiam fieri decreuimus conscriptionem; manibúsque insuper propriis ratam, perennibúsque eam temporibus felicem vigere præoptantes, roborauimus, singulique subscripsimus. Odó Rex.

B

ANNALES FRANCORVM FVLDENSES,

AB ANNO INCARNATIONIS DOMINI DCCXIIII. AD ANNVM DCCCC.

In Cœnobio Fuldensi sub ditione LVDOVICI fratris CAROLI CALVI Regis incœpti, & vsque ad excessum ARNVLPHI Imperatoris continuati: ab incertis, sed illius æui Auctoribus.

Editio P. Pithœi cum Germanica Marq. Freheri collatâ, & plerisque in locis auctior reddita.

DCCXIIII.

C PIPPINVS filius Anchisi Dux Francorum post mortem VVolfaldi Ducis partem Austriæ regebat, obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII. cum Regibus Ludouico, Hildeberto & Dagoberto. Moritur anno secundo Anastasij Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini DCCXIIII. in mense Decembri. Huius filius KARLVS ex Alheyde*, quam posthabita priore coniuge VValtrude duxit vxorem, sub honore Maiordomatus tenuit Regnum Francorum annis XXVII. Hoc eodem anno DCCXIIII. Grimaldus similiter mortuus est. CAROLVS MARTELLVS. 714. * Alsheida

DCCXV.

POST mortem Pippini Plectrudis* eius relicta vidua incomparabili odio contra Carlum succensa, custodia eum publica obseruari iubet. Vnde ille diuino auxilio liberatus, primo certamine contra Ratbodum Regem Frisonum, qui Coloniam vsque venerat, mense Martio pugnans, dum fortiter dimicat magnum exercitus sui damnum consequitur. Dagobertus Rex mortuus est, & Saxones deuastauerunt terram Bazzoariorum*. 715. * Plidthrudis. * Beiouuariorum.

DCCXVI.

RAGINFRIDVS Maiordomus, & Hilpricus cum exercitu fines Coloniensium & regiones Rheno contiguas vastant, acceptísque à Plectrude muneribus reuertuntur. 716.

DCCXVII. A

Caroli Martelli.

717. RAGINFRIDVS & Hilpricus Rex in Vinciaco, die Dominica ante Pascha, cum Carlo pugnantes terga verterunt, quos Carlus fugientes cædendo persequitur vsque Parisios. His temporibus VVinfridus, qui postea, cùm Episcopus ordinaretur, Bonifacij nomen accepit, doctor Catholicus natione Anglus, primùm Romam, deinde cum auctoritate Gregorij Papæ in Franciam ad prædicandum verbum diuertit.

718. DCCXVIII.

CARLVS victor regrediens Coloniam venit, receptisque à Plectrude thesauris patris sui, Regem sibi constituit Hlotharium, nomine, non potestate. Hilpricus verò & Raginfridus auxilio Eudonis Ducis Aquitaniorum instaurata rursus acie, superati fugantur à Carlo.

719. DCCXIX.

CARLVS ad Eudonem mittit, & Hilpricum, qui ad eum confugerat, per Legatos recipit. Quo tempore Rex Hlotharius mortuus est. Bonifacius vir sanctissimus à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Mogonciacæ ciuitati Metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, & Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur. Qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessiorum, & Austrasiorum, ad fidem rectam, à qua diu aberrauerant, conuertit. Monasteria quoque Monachorum & Virginum primus in partibus Germaniæ instituit. B

720. DCCXX.

MORTVO Hilprico, Carlus Teotricum in Sedem Regni constituit.

721. DCCXXI.

CARLVS Raginfridum persequens, Andegauis vrbem cepit. Postea Saxones vastando, victor redit.

722. DCCXXII.

CARLVS Alamannos & Baioarios armis subegit.

723. DCCXXIII.

* Baioarij

ITERVM Alemanni & Notici * pacis iura temerare nituntur.

724. DCCXXIV.

CARLVS transito Ligere, Eudonem fugat, vastata & incensa regione eius.

725. DCCXXV.

SARRACENI ab Eudone in auxilium suum vocati cum Rege suo Abdirama, Garonnam Burdigalémque perueniunt, cunctis locis vastatis, & Ecclesiis igne crematis. Basilicam quoque sancti Hylarij Pictauis incendunt.

726. DCCXXVI.

CARLVS Sarracenis cum manu valida occurrens, & auxilio Dei fretus, Regem eorum cum infinita multitudine prostrauit, deuictisque hostibus cum triumpho regreditur. C

727. DCCXXVII.

CARLVS Burgundiam petens, Lugdunũ & ciuitates reliquas suæ ditioni subegit.

728. DCCXXVIII.

EVDO Dux moritur, & Carlus Aquitaniæ Prouinciam absque bello recepit.

729. DCCXXVIIII.

CARLVS nauali euectione Regnũ Fresonum ingreditur, interfectisque quàm plurimis, Popponem Ducem eorum interemit, subuersisque lucis, fanis, victor cum præda magna reuertitur.

730. DCCXXX.

SARRACENI, collecto exercitu, Auennionem vrbem capiunt, & circumquaque regiones deuastant.

731. DCCXXXI.

CARLVS assumptis armis vrbem Auennionem obsidione vallat, instructisque machinis capiens, magnam Sarracenorum stragem efficit.

732. DCCXXXII.

CARLVS Gothorum fines penetrans, Narbonem obsidet, Rege Sarracenorum Athirua * intus incluso.

A

CAROLVS MARTELLVS.

DCCXXXIII.

SARRACENI de Hispania audientes vrbem obsessam, armati superueniunt. Contra quos Carlus dimicans, Regem eum populo vsque ad inrernecionem deleuit. 733.

DCCXXXIIII.

SARRACENI à Carlo in bello superati: qui gladium effugere poterant, ascensis nauibus, demersi sunt in mari. 734.

DCCXXXV.

FRANCI Carlo duce Sarracenos proterunt, prædam magnam ducentes, & captiuorum multitudinem. 735.

DCCXXXVI.

REGIONEM Gothicam Carlus cum Francis ingrediens, vrbes famosissimas, Nemausum, Agaten, & reliqua castella capit, destructis muris & mœniis earum vsque ad fundamenta. 736.

DCCXXXVII.

CARLVS Saxones tributarios fecit. 737.

DCCXXXVIII.

CARLVS regionem Prouinciam ingressus, Maurontum Ducem, qui dudum Sarracenos per dolum inuitauerat, fugere compulit. 738.

DCCXXXIX.

CARLVS Prouinciam totam, & cuncta eius maritima loca, suæ ditioni subegit. 739.

B

DCCXL.

PAX & quies Regno Francorum per Carlum redditur ad rempus, Gothis superatis, Saxonibus & Fresonibus subactis, expulsis Sarracenis, Prouincialibus receptis. 740.

DCCXLI.

CARLVS anno Ducatus sui XXVIII. moritur Parisiis *, & apud sanctum Dionysium sepelitur. Cuius filij CARLMANNVS & PIPPINVS, sub obtentu Maiordomatus, totius Franciæ Regnum suscipiunt, & inter se diuidunt. 741.

* al. Carisiaci.

PIPPINVS.

DCCXLII.

CARLMANNVS & Pippinus Hunaldum Aquitaniæ Ducem imperio suo resistentem, bello superatum ad Vvascones fugere compellunt: simul & Alamannos duce Theobaldo rebellare temptanres, mira celeritate comprimunt. 742.

DCCXLIII.

CARLMANNVS & Pippinus Odilonem Ducem Baioariorum rebellare conantem prælio superant. 743.

DCCXLIIII.

CARLMANNVS cum Odilone Duce Baioariorum pacem fecit. His temporibus fundari cœptum est Fuldense Cœnobium à S. Bonifacio, in solitudine Boconia. 744.

C

DCCXLV.

CARLMANNVS & Pippinus simul Saxonum perfidiam, vastata eorum regione, vleiscuntur, & castrum Ohsburg capiunt. 745.

DCCXLVI.

CARLMANNVS Alamannos iterum res nouas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit. Bonifacius Archiepiscopus, cum auctoritate Sedis Apostolicæ, annuente Carlmanno, duas Sedes Episcopales constituit: vnam in castro Vvirziburg, vbi Burghartum collegam suum ordinauit, alteram in loco qui locatur Eihstat, cui Vvillibaldus Episcopus ordinatus. 746.

DCCXLVII.

CARLMANNVS relicta, quam tenebat, potestate Romam vadit, ibique mutato habitu religiosè victurus, in Cassinum ad sanctum Benedictum secedit, & Monachus efficitur. 747.

DCCXLVIII.

GRIPHO frater Carlmanni & Pippini potestatem quandam affectans, ad Saxones se contulit. Pippino verò per Thuringiã ingresso Saxoniam super fluuium Obacra, in loco qui dicitur Horoheim Saxones occurrũt, Gryphonẽ cum eo pacificare cupiẽtes. Grypho autem nec Saxonibus, nec Francis se credẽs, in Baioariam fugit. 748.

PIPPINVS. DCCXLIX. A

749. PIPINVS in Baioariam pergens, Tassilonem nepotem suum natum ex Hilthrude sorore sua, Ducem ibi constituit, Gryphone & Lantfrido inde eductis.

750. DCCL.

PIPINVS Gryphoni in partibus Neustriæ XII. Comitatus dedit. Sed ille nec ibi securum se esse ratus, ad Vvaifarium Ducem Aquitaniæ secessit.

751. DCCLI.

PIPINVS missa Romam Legatione, Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiqua Merouingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas Regni tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quòd Cartæ & Priuilegia Regis nomine scribebantur, & in Martis campum qui Rex dicebatur plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno populis visus, publica dona solemniter sibi oblata accipiebat, stante coram Maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent populis adnuntiante. Sicque Rege domum redeunte, cetera regni negotia Maior domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum iuste Rex debeat dici & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius Regni, & omnium negotiorum molestias sufferat.

752. DCCLII.

ZACHARIAS Papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli, mandat populo Francorum, vt PIPINVS, qui potestate regia vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldricus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperauit, depositus, & in Monasterium missus est. Pipinus verò in ciuitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem vnctus, Regni honore sublimatus est. B

753. DCCLIII.

PIPINVS iterum Saxonum perfidia prouocatus, regiones eorum deuastat. In qua expeditione Hildigarius Coloniensis Archiepiscopus à Saxonibus interimitur. Grypho frater Pipini, cùm Italiam petere conaretur, in valle Maurienna à Comitibus fratris sui occisus est. Stephanus Papa Romanus auxilium contra Haistulphum Regem Langobardorum petens, ad Pipinum in Franciam venit: à quo honorificè exceptus, apud Parisios duos filios eius Carlmannum & CARLVM vnxit in Reges.

754. DCCLIV.

BONIFACIVS Archiepiscopus Moguntinensis Ecclesiæ, euangelizans genti Fresonum verbum Dei, martyrio coronatur, anno Episcopatus sui XXXVI. die quarto mensis Iunij. Post quem Lullus in cathedra eius sedit annos XXXII. Carlmannus frater Pipini cum consilio Haistulfi Regis Langobardorum in Franciam veniens, ad persuadendum fratri ne exercitum in Italiam duceret, non post multos dies Lugduni vita decessit. Pipinus verò Italiam ingressus, Haistulfum superatum & Papiæ inclusum obsides dare, & res sancti Petri reddere sacramento constringit. Stephanus Papa duce Hieronymo fratre Pipini Romam reuertitur. C

755. DCCLV.

HAISTVLPHVS sacramenta mentitus, collecto exercitu, Romam impugnando circundat, omnia extra vrbem ferro & igne vastans. Eius rei nuntium Pontifex, marino itinere missis Legatis, Pipino insinuat: deprecans & obtestans, ne incœptum opus, quod sancto Petro promiserat, imperfectum relinqueret.

756. DCCLVI.

ITERVM Pipinus Italiam ingressus Haistulfum Papiæ inclusum obsidet. Rauennam eum Pentapoli reddere compellit, & per Folradum Missum suum, sancto Petro Apostolo & Stephano Papæ Vicario eius tradit.

757. DCCLVII.

HAISTVLPHVS in venatione quadam equo lapsus Regnum cum vita perdidit. Constantinus Imperator Pipino Regi inter cetera munera, etiam organum mittit.

PIPINVS.

A DCCLVIII.

PIPINVS Saxonibus tributum imposuit, vt trecentos equos singulis annis sibi soluerent. 758.

DCCLIX.

VVAIPHARIVS Dux in Aquitania tyrannidem exercens, pressuras Ecclesiarum Dei mouit, deprædationes & iniustitias multas fecit. 759.

DCCLX. 760.

PIPINVS VVaipharij Ducis stultitia permotus, ducto in Aquitaniam exercitu, iustitias Ecclesiarum Dei facere renuentem, rerum iniustè ablatarum restitutionem promittere sacramento coëgit.

DCCLXI. 761.

VVAIPHARIVS iuramenta mentitus Pipino molestus efficitur, & ferro & igne cuncta vastando Cauillonem vsque peruenit, Pipinúmque sibi cum suis occurrere compulit.

DCCLXII. 762.

PIPINVS cum Carlo filio Burbonem, Cantelam, Clarmontem, aliásque ciuitates & castella pugnando cepit, aliisque quàm plurimis eius dominatui subiectis, etiam Bituricam expugnat.

DCCLXIII. 763.

TASSILO nepos Pipini de exercitu Regis se subducens, ad Baioarios secessit.

B DCCLXIV. 764.

Hoc anno contigit hiems valida, & præter solitum prolixa.

DCCLXV. 765.

HRVODGANGVS Metensis vrbis Episcopus postulauit à Paulo Romanæ Sedis Apostolico corpora sanctorum Martyrum Gorgonij, Naboris, & Nazarij, & impetrauit: adduxitque cum honore ab vrbe Roma, & in Franciam transtulit.

DCCLXVI. 766.

CORPVS S. Gorgonij condidit in Monasterio suo, quod ipse à nouo ædificauerat, cui vocabulum est Gorzia: Sanctum Naborem in Monasterio alio, quod dicitur Noua cella: Sanctum verò Nazarium in Monasterio Laureshaim, quod est in Germania. In quibus locis miraculis viuunt & gloria.

DCCLXVII. 767.

LEMOVICA Aquitaniæ, Pipino expugnante, capta est.

DCCLXVIII. 768.

PIPINVS interfecto VVaiphario, & omni Aquitania subacta, rediens, apud Parisios VIII. Kalendas Octobris diem obiit, anno ætatis LIV. filiique eius CARLVS & Carlmannus infulas Regni suscipiunt.

DCCLXIX. 769.

CAROLVS MAGNVS.

CARLVS cum fratre Carlmanno Hunaldum in Aquitania rebellare, & imperio suo resistere conantem, bello superatum cepit.

C DCCLXX. 770.

BERTHA Regina filiam Desiderij Regis Langobardorum Carlmanno * filio suo coniugio sociandam de Italia adduxit. *leg. vid. Carlo

DCCLXXI. 771.

CARLMANNVS Rex decessit II. Nonas Decembris in villa Salmuntiaco, sepelitur Remis. Vxor eius & filij in Italiam pergunt. Carlus habita Synodo in Valentianas, Corbanacum venit, vbi omnes Episcopi, Abbates, Comites & Duces, qui fuerunt fratris sui, ad se venientes suscepit, exceptis paucis qui cum vxore Carlmanni perrexerant.

DCCLXXII. 772.

CARLVS Saxoniam bello aggressus, Eresburgum castrum cepit, & idolum Saxonum, quod vocabatur Irminsul, destruit. Vbi, cùm exercitus præ siccitate siti deficeret, subitò in quodam torrente, media die diuinitus aquæ effusæ sunt largissimæ. Saxones iuxta Visurgim fluuium ad Regem venientes, datis obsidibus XII. cum eo pacificantur. Adrianus Romæ Pontificatum suscepit.

DCCLXXIII. 773.

CARLVS ab Adriano Pontifice pro defensione rerum sancti Petri inuitatus cum exercitu ad Italiam vadit. Cui Desiderius obsistere nitens, clusis Alpium

CAROLVS MAGNVS. obseratis, occurrit. Franci elusis potiti, Desiderium fugientem & Papiæ inclusum obsident. Carlus orandi gratia Romam venit, & ab Adriano honorificè susceptus sanctum diem Paschæ eum lætitia celebrat. A

774. DCCLXXIV.

LANGOBARDI obsidione pertæsi pariter eum Rege Desiderio egrediuntur ad Regem. Ille verò altera die cum hymnis & laudibus Dei vrbem ingrediens thesauros Regum repertos exercitui distribuit, & cunctum Italiæ Regnum adeptus, in Franciam regreditur, ducens secum Desiderium eum coniuge eius. Adalgisus filius eius Constantinopolim fugit. Interea Saxones in Hessis terminos Francorum vastant. Erat autem ibi in loco, qui vocatur Friteslar, Basilica, quam sanctus Bonifacius Martyr olim dedicans, prophetico spiritu nunquam igne cremandam esse prædixit. Cui cùm Pagani toto nisu ignem supponere conarentur, diuino pauore perterriti, fugæ præsidium sumunt. Dùmque iuuenes in vestibus albis Basilicam ab igne defendebant, quos & Christianis & barbaris quibusdam diuinitus videre concessum est, vnus tamen ex hostibus iuxta Basilicam flexis genibus additis lignis & igni incumbens, specie flantis repertus est mortuus. His temporibus dedicata est Basilica S. Nazarij Martyris in Laureshaim, & translata sunt ossa eius.

775. DCCLXXV.

CARLVS Saxonum perfidiam vltus, omnes eorum regiones ferro & igni depopulatur. Sigisburgum castrum capit, Eresburgum reædificat. duobus prælijs eos superat, vno iuxta Brunesberg, ripas Visurgis fluminis defendere conantes: & altero in Lidbeki, maxima eorum multitudine interfecta. Ruodgaudus Langobardus Italiæ Regnum affectat. B

776. DCCLXXVI.

CARLVS contra Ruodgaudum in Italiam profectus, eundem interficit. In Saxonia Eresburgum castrum Saxonibus redditum est, Sigiburgum ab eis obsessum, sed non expugnatum.

777. DCCLXXVII.

SAXONES post multas cædes & varia bella afflicti, tandem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur: & Conuentus in Saxonia habitus, in loco qui vocatur Padrabrunno vbi Ainalarabi* Saracenus Præfectus Cæsaraugustæ venit ad Regem. Ibi Saxones baptizati, ingenuitatem & omnem proprietatem suam secundum morem gentis abdicantes, Regi tradiderunt, si à die illa & deinceps Christianitatem, & Regi ac filiis eius fidelitatem abnegassent.

* al. Ibinalarabi

778. DCCLXXVIII.

CARLVS cum exercitu in Hispaniam vsque Cæsaraugustam venit. Pampilonem vrbem destruit. De Ainalarabi & de Habitauro Præfectis Saracenorum obsides accepit. VVasconibus & Nauarris subactis, reuertitur in Franciam. Interea Saxones, VVindichindo tyranno annitente, Francorum terminos vsque ad Rhenum ferro & igne deuastant, sed non impunè reuertuntur. Nam ab exercitu Regis, quem contra eos miserat, in loco qui dicitur Liesi super fluuium Adarna, pars maxima eorum interfecta est. Eo tempore Monachi Fuldensis Cœnobij propter timorem Saxonum assumptis secum S. Bonifacij Martyris ossibus, fugerunt de Monasterio per millia passuum ferè XIV. C

779. DCCLXXIX.

CARLVS more suo Saxonum perfidiam in loco, qui dicitur Hoeholtz, per se vlciscitur, & omnes acceptis obsidibus firmat in loco qui vocatur Medofulli. Hildibrandus Dux Spoletanus ad Carlum venit. Sturmi Abbas Fuldensis Cœnobij moritur, cui successit Bangolf eiusdem Monasterij Monachus.

780. DCCLXXX.

CARLVS habito Conuentu in Saxonia iterum eam subigit, dispositisque tam Saxonum quàm Sclauorum rebus orationis causa Romam vadit.

781. DCCLXXXI.

PIPPINVS filius Carli Romæ baptizatur ab Adriano Papa, à quo ipse & frater eius Ludovvicus vncti sunt in Reges. Tassilo Dux Baioariæ apud VVormatiam sacramento & obsidibus suæ subiectionis fidem fecit, honorificè remissus ad sua. Eo tempore multa signa apparuerunt, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissimè visum est.

A DCCLXXXII. *Carolus Magnus.*

Carlvs habuit Conuentum in loco vbi Lippia oritur, cum omnibus primatibus Saxonum, excepto VVidichindo rebelle, & eis qui cum eo erant. Vbi ad eum venerunt Missi Godefridi* Regis Danorum, Halpdani scilicet cum sociis suis. Missi quoque Hunorum Cagani & Iugurri. Quibus auditis atque remissis, Rex quidem in Franciam reuersus est, Saxones verò, suadente VVidikindo, iterum rebelles effecti, Legatos Regis Adalgisum & Gailonem in Sclauos cum exercitu missos, conserto cum eis prælio in loco qui dicitur Sundtal, non sine grandi clade suorum occiderunt: quorum mors quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est. 782. *Sigifridi

DCCLXXXIII. 783.

Hildegarda Regina diem obiit II. Kal. Maij. Decessit & Betta Regis mater IV. Id. Iul. Carlus Saxones duobus præliis magnis vicit, vno in Thiotmelli, altero iuxta fluuium Basa, immensa eorum multitudine interfecta. Eodem anno Rex Vastradam duxit vxorem.

DCCLXXXIV. 784.

Carlvs iunior à patre cum exercitu in Saxoniam missus, VVestfalaos in prælio superauit, & domuit.

DCCLXXXV. 785.

Vvittikind Saxo Attiniaci ad fidem Carli venit, & baptizatus est, & Saxonia
B tota subacta. Coniuratio Orientalium Francorum contra Regem exorta, & citò compressa est.

DCCLXXXVI. 786.

Carlvs per Autulfum Senescalcum misso exercitu Britones domuit. Et ipse per Italiam rebus ordinatis orationis causâ Romam vadit. Lullo Mogontiacensi Episcopo defuncto, Richolf successit. Auctores conspirationis contra Regem partim morte, partim cæcitate & exilio damnantur.

DCCLXXXVII. 787.

Eclypsis Solis facta est xv. Kalen. Octob. Carlus cum exercitu Beneuentum ingressus, Capuam venit: Grimaldum filium Aragisi Ducis Beneuentanorum in obsidatum accepit. Hruodrtudis filia Regis à Constantino Imperatore desponsatur.

DCCLXXXVIII. 788.

Tassilo Dux Baioariorum ad Carlum in Palatio Ingilenhein veniens, multis periuriis & infidelitatibus conuictus deponitur. Græcorum exercitus à Francis, & Langobardis, & Beneuentanis prælio superatur. Similiter & Auares in Marcha Baioariæ atque Italiæ à Regis exercitibus victi & fugati sunt.

DCCLXXXIX. 789.

Carlvs per Saxones iter faciens, venit ad Albim fluuium, habens in exerci-
C tu suo Francos, Saxones, Sorabos, & Abodritos, quorum Princeps erat VVitzan. Fresones quoque per Abola* fluuium nauigio venientes, constructis duobus pontibus, quorum alterum ex vtraque parte castellis muniuit, transito flumine, Sclauorum, qui vocantur VVilzzi, terram ingressus, magnis eos præliis domuit, ac ditioni suæ subiugauit. *Habola

DCCXC. 790.

Hic annus à bellorum motibus quietus fuit, quem Rex apud VVormaciam transegit.

DCCXCI. 791.

Palativm VVormacense incendio consumptum est. Carlus propter multa mala, & prædationes ac cædes, quas Huni exercuerant in populo Dei, prouocatus, congregato exercitu in Baioaria iuxta Anisam fluuium, cum omni populo suo ieiuniis & obsecrationibus triduò celebratis, exercitum diuidit. Ipse cum Francis, Alamannis, & Baioariis ex Australi parte Danubij per Cummberg*; Saxonibus & Thuringis cum parte Francorum per littus Septentrionale pergentibus; Frisonibus verò, & qui cum ipsis deputati sunt, nauali euectione per alueum euntibus, Pannoniam ingressi sunt: Hunis perterritis & fugientibus, omnes eorum regiones vsque ad Raba fluuium ferro & igne deuastat. *Ms. Cumanum montem

CAROLVS MAGNVS.

DCCXCII. A

792. HÆRESIS Feliciana, ipso auctore eam abnegante, apud Reganespurg primùm damnata est, qui etiam per Engilberthum Abbatem in præsentia Adriani Apostolici adductus, denuò eam confessione facta damnauit. Coniuratio Pipini contra patrem facta in Baioaria, citò detecta & compressa est, auctoribus factionis partim morte, partim exilio & cæcitate damnatis. Pons naualis in Danubio factus est.

DCCXCIII.

793. FOSSA à Rege facta est inter Ardantiam & Alcmonam fluuios. Prælium factum est inter Sarracenos & Francos in Gothia, in quo Sarraceni superiores extiterunt. Saxones more solito defecerunt.

DCCXCIV.

794. SYNODVS habita in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana coram Episcopis Germaniarum & Galliarum Italorúmque, præsente magno Principe Carlo, & Missis Adriani Apostolici Theophilacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata. Fastrada Regina moritur, & Mogontiæ apud sanctum Albanum honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur. Saxones in Sinitfeldt congregati à Carlo subacti sunt, & tertius ex eis homo translatus. His temporibus Alcuinus cognomento Albinus, sanctitate & doctrina clarus habetur.

DCCXCV. B

795. CARLVS cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vastando, peruenit vsque ad locum quem vocāt Liuni, vbi Vvitzan Dux Obodritorum ad Regem pergere volens, à Saxonibus occisus est. In eo loco Tudun, qui in gente Hunorum magnæ potestatis erat, per Legatos suos se & terram cum populo, cui præerat, Regi daturum, & Christianum futurum esse promisit. Rex verò afflictis Saxonibus, & obsidibus firmatis, in Franciam rediit.

DCCXCVI.

796. ADRIANO Pontifice defuncto, Leo Papa successit. Cagan & Iugurro Principibus Hunorum ciuili bello & intestina clade à suis occisis, campus eorum, quem vocant Hringum, primo per Ehericum Ducem Foroiuliensem, deinde per Pipinum filium Regis, addictus & captus est, & omnes Hunorum opes ac thesauri sublati, & Carlo in Aquisgrani Palatio allati sunt. Tudun secundum pollicitationem suam cum populo suo ad Regem veniens baptizatus, & honorificè remissus est. Saxonia iterum à Rege vastatur.

DCCXCVII.

797. BARCINONA Hispaniæ ciuitas, quæ iam pridem à Francis defecerat, per Zatum Sarracenum Præfectum eius Carlo reddita est. Constantinus Imperator à Græcis excæcatus est. Carlus expeditione facta totam Saxoniam vsque ad Oloha*, quæ sita est in littore Oceani, peragrauit, atque in deditionem per obsides acceptam Aquisgrani reuertitur. Vbi Adbellam* Sarracenum filium Ibin Mauge Regis, qui à fratre Regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso se commendante, suscepit. Illuc quoque Legatus Nicetæ Præfecti Siciliæ nomine Teoctiste venit cum epistola Imperatoris. quem Rex magnificè suscipiens post paucos dies absoluit, & abire permisit. C

* al. Adaloloha
* Abdellam

DCCXCVIII.

798. CARLVS cum exercitu hiemauit in Haristallio Saxonico. Hadofuns* Rex Galliciæ & Hasturiæ per Floram Legatum suum papilionem miræ pulchritudinis Regi transmisit. Transalbiani Saxones seditione commota Legatos regios, qui ad iustitias faciendas apud eos versabantur, comprehendunt: quibusdam ad redimendum reseruatis, ex quibus aliqui effugerunt, ceteri redempti sunt. Quo audito, Rex in desertores arma corripiens, totam Saxoniam inter Albim & Visurgim populando peragrauit. Transalbianos per Eburisum Legatum suum & Trasugonem Ducem Obodritorum in prælio vicit, cæsis in loco certaminis IV. millibus, ceteris pacem postulantibus. A quibus Rex acceptis obsidibus Aquisgrani reuersus, epistolam Herenæ Imperatricis, cuius filius Constantinus annò priore excæcatus est, à Constantinopoli per Michaëlē Patricium Frigiæ & Theo-

* Aldefonsus

A philum Presbyterum pro pace missam suscepit. Quos cùm remisisset, remisit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi iam dudum in Italia prælio captum. Hadofuns quoque supra dictus Rex, prædata Olisippona Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ, loricas, mulos, captiuósque Mauros per Froium & Basiliscum Legatos suos misit. Mauri piraticam exercere incipiunt. CAROLVS MAGNVS.

DCCXCIX. 799.

Leo Papa à Romanis in Letania maiore lingua detruncata excæcatus, & per VVirundum Abbatem & VVinigisum Ducem Spolitanum ereptus, ad Carlum in Saxonia ad Padraprunno deductus est. Ehericus Dux Foroiuliensis iuxta Tharsaticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppidanorum occisus est: & Geroldus Baioariæ Præfectus cum Hunis dimicans interfectus est. Baleares insulæ postulato & accepto Carli auxilio, Mauris & Sarracenis, à quibus priore anno prædabantur, ereptæ sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, Regi sunt præsentata. Britannia cismarina per VVittonem Ducem tota subacta, & arma Ducum qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus, Regi præsentata sunt. Nam hi se & terram & populum vnusquisque tradidit. Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de Sepulchro Domini per Monachum quendam Regi transmisit. Eazan Præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis per Legatum suum cum aliis muneribus misit.

DCCC. 800.

Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum reuerti fecit, misso cum eo B Zacharia Presbytero de Palatio suo, qui eius donaria per illa loca sancta deferret. Ipse peragratis Oceani Gallici littoribus, quod piratis infestum erat, dispositisque præsidiis reuertens, Turonis ad sanctum Martinum orationis causâ peruenit. Vbi Hyldegardis coniunx eius defuncta est, & humata. Inde reuersus propter Leonis Papæ causam Romam proficiscitur, ibique hiemauit, & exercitum cum Pipino filio suo in Beneuentanorum terras prædatum ire iussit. Leo Papa postquàm facta de eo quæstione, nullus probator criminum ei obiectorum esse voluit, in Basilica sancti Petri ambonem ascendit, posito super caput suum Euangelio, & coram omni populo inuocato sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis se criminibus purgauit.

DCCCI. 801.

In die Natalis Domini, ante confessionem beati Petri Apostoli, cùm Rex ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est, CARLO AVGVSTO A DOMINO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Et post laudes more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricij nomine Imperator & Augustus est appellatus. Post paucos autem dies iussit eos, qui Pontificem anno superiori deposuerant, exhiberi, & habita de eis quæstione, secundum legem Romanam, vt maiestatis rei capitis C sententia damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita & membrorum integritas eis concessa est. ceterum pro facinoris magnitudine deportati sunt. Terræmotus factus est 11. Kal. Maij per totam Italiam, tam vehemens, vt in quibusdam locis vrbes ruerent, & montes, & tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli Romæ cum trabibus suis magna ex parte decideret. Circa Rhenum quoque & in Gallia & in Germania quædam loca tremuerunt. Barcinona ciuitas in Hispania, & in Italia Teate, captæ sunt: Præfectis earum, Zatun videlicet Barcinonæ, & Roselmo Teate comprehensis, Regi pariter præsentatis & exilio damnatis.

DCCCII. 802.

Herena Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatarium de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & Imperator vicissim absoluto illo misit Iesse Episcopum Ambianensem & Heingaudum Comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Isaac Iudæus Elephantum, & alia munera, quæ Aaron Rex Persarum miserat, Aquisgrani Carlo detulit. Transalbiani Saxones à Francis vastantur. Ortona ciuitas in Italia in deditionem accepta, & Luceria similiter, positúmque in ea præsidium Francorum. Et VVini-

CAROLVS MAGNVS. gisus Dux Spolitanus, qui præsidio præerat, à Grimaldo obsessus & captus est. A Eo anno Baugulfus Abbas Fuldensis Cœnobij, relicta quam habuit potestate, Ratgarium successorem accepit. Paulinus Patriarcha Foroiulensis obiit.

803. DCCCIII.

VVINIGISVS à Grimaldo redditus, & Missi Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt. & venerunt cum eis Legati Neifori Imperatoris tunc Rempublicam regentis. Nam post aduentum Legationis Franciæ, Herenam deposuerunt. Quos Imperator ad se venientes in loco, qui dicitur Salz super fluuium Sala, suscepit, & auditos cum epistola pactum faciendæ pacis continente remisit ad propria.

804. DCCCIV.

CARLVS Saxones Transalbianos cum mulieribus & natis transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Obodritis dedit. Leo Papa ad Imperatorem Carisiaci venit, vbi Natale Domini cum eo celebrauit. donatúsque magnis muneribus, per Baioariam reuersus est Romam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum est ad Imperatorem æstate præterita, Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum: propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qua accepta occasione exeundi, primò in Longobardiam, quasi pro inquisitione prędicta, profectus est. Indè arrepto itinere ad Imperatorem vsque peruenit, vnde absolutus Romam repedauit. Rihboto Archiepiscopus Treuirensis B moritur.

805. DCCCV.

CARLVS iunior in Boëmanos Sclauos cum exercitu à patre missus, depopulata prouincia, Regem eorum nomine Lechonem occidit. Capcanus * Princeps Hunorum Aquis ad Regem venit, & vt postulauit, inter Sabariam & Carnontum habitandi locum accepit, eo quòd Sclauis infestantibus pristinas sedes habitare non potuit. Erat enim Christianus nomine Theodorus. quo ad suos reuerso, & non multo pòst morte pręuento, Cagano per Legatos suos petenti ab Imperatore concessus est honor antiquus, quem Caganus apud Hunos iuxta priscum eorum ritum habere solebat.

* al. Caganus

806. DCCCVI.

PARTITIO Regni Francorum ab Imperatore facta in villa Theodonis inter filios suos, vt sciret vnusquisque eorum, quam partem tueri & regere debuisset, si pater eum superstitem relinqueret. De hac partitione testamentum conscriptum, & ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione roboratum est. Carlus iunior cum exercitu à patre missus in Sorabos super Albim fluuium habitantes, depopulata Sclauorum terra, Ducem eorum Miliduoch interfecit. Missa est manus de Baioaria & Alamannia atque Burgundia in Boëmanos, vastatáque Prouinciæ non minima portione, absque vllo graui C incommodo regressa est. In Corsicam quoque classis à Pipino contra Mauros missa est, cuius aduentum Mauri non expectantes abscesserant. Hadumar tamen ciuitatis Genuæ Præfectus contra eos imprudenter dimicans occisus est.

807. DCCCVII.

AARON Rex Persarum papilionem & tentoria atrij vario colore facta miræ pulchritudinis Imperatori misit. Erant enim bissina omnia, tam tentoria quàm funes eorum, diuersis tincta coloribus. Pallia quoque serica multa & pretiosa, & odores atque vnguenta, & balsamum, nec non & horologium ex auricalco arte mechanica mirificè compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant: additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant. Eodem anno Rex Burghardum Comitem stabuli sui cum classe misit in Corsicam, vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prędatum venire consueuerant, defenderet. A quo, cùm venirent, & cum eo decertarent, victi ac fugati sunt, amissis XII. nauibus, & plurimis suorum interfectis.

808. DCCCVIII.

GODOFRIDVS Rex Danorum Obodritos bello aggressos quamuis multis afficeret

A afficeret malis, cum magno tamen copiarum suarum detrimento rediit, Reginoldo filio fratris sui; & optimis militum suorum, & manu promptissimorum amissis. Carlus verò filius Imperatoris, qui ad resistendum ei, si Saxonum terminos aggredi tentaret, directus fuerat, Albiam ponte iunxit, & cum exercitu, cui præerat, in Linones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum defecerant, quanta potuit celeritate transposuit, populatisque circumquaque eorum agris, & transito iterum flumine, cum incolumi exercitu se in Saxoniam recepit. Eardulfus Nordanimbrorum Regno & patria pulsus, ad Imperatorem venit, & patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur.

CAROLVS MAGNVS.

DCCCIX. 809.

DERTOSA ciuitas Hispaniæ à Hludouuico filio Imperatoris obsessa, sed non expugnata est. Eardulfus Rex Nordanimbrorum in Regnum reductus est per Legatos Imperatoris & Leonis Papæ. His temporibus Concilium habitum est de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primò commouit, cuius definiendę causa Bernharius Episcopus VVangionum, & Adalhardus Abbas Corbeiæ Monasterij, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Imperator autem, cùm ei multa de iactantia & superbia Regis Danorum nunciarentur, iussit castrum Escsfeld* trans Albiam ædificari. Interea Thrasco Dux Obodritorum, postquam cum auxilio Saxonum VVilzos & Smeldingos perdomuit, & omnes, qui à se defecerant, reuerti coëgit, in emporio Reric ab hominibus Godofridi per dolum interfectus est.

B

* al. Hesfeld

DCCCX. 810.

HRVODRVD Imperatoris filia, quæ natu maior erat, VIII. Id. Iul. diem obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godofridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum naulum de Nordmannia Frisiam appulisse, totásque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas, iámque exercitum illum in continenti esse, ternáque prælia cum Fresonibus commisisse; Danósque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine centum libras argenti à Frisonibus esse solutas, Regem verò Godofridum domi iam esse. & reuera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora Palatio exiens, primò quidem classi occurreret: deinde verò transmisso Rheno flumine, in loco qui dicitur Lippeham, copias, quæ nondum conuenerant, statuit operiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, Elephas ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatisque tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alarum fluuium contendit, castrisque iuxta confluentem eius, quo VVisuræ flumine coniungitur, positis, minarum Godofridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed cùm Imperator memorato loco statiua haberet, diuersarum rerum nuncia ad eum deferuntur. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum regressam, & Godofridum Regem à quodam suo satellite interfectum, castellum vocabulo Hohbuochi Albiæ flumini adpositum, in quo Odo Legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum erat prǽsidium, à VVilzis captum; & Pippinum filium eius Regem Italiæ VIII. Id. Iul. de corpore migrasse; duásque Legationes de diuersis terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causa, aduentasse narratur. Quibus ille acceptis, dispositа pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum interirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas prouincias, illius generis animalium mortalitas immanissimè grassata est. Imperator Aquisgrani veniens, mense Octobrio supradictas Legationes audiuit, pacémque cum Niciphoro Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niciphoro Venetiam reddidit; & Hainricum Comitem olim à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit. Godofrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit.

C

DCCCXI. 811.

IMPERATOR Legatos suos Constantinopolim misit, Haydonem* Basiliensem Episcopum, & Hug Comitem Turonicum, & Aio Langobardū de Aquileia,

* al. Hattonem

CAROLVS MAGNVS. ad confirmandam cum Niciphoro pacem. Condira verò inrer Imperarorem & A Hemmingum Danorum Regem pax, à duodecim primoribus vtriusque gentis, Francorum videlicet & Danorum, iuxta fluuium Egidoram, vicissim secundum ritum ac morem suum datis sacramentis, confirmarur. Tres quoque exercitus in totidem partes Regni Francorum missi: vnus in Linones, qui eorum rerra vastata, Hohbuochi castellum priore anno destructum reparauir: alter in Pannonias, ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas: rerrius in Brirones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis reuersi sunt incolumes. Interea Carlus, qui Imperatoris filius maior natu erat, II. Non. Decemb. obiit.

812 DCCCXII.

HEMMINGO Danorum Rege defuncto, Sigifridus nepos Godofridi Regis, & Anulo nepos Herioldi succedere volenres, cùm inter eos de Primatu conuenire non posset, commisso prælio ambo moriunrur. Pars ramen Anulonis adepta victoriam, Herioldum & Raginfridum frarres eius Reges sibi constiruir. quod necessariò pars victa concessit. In eo prælio x. millia DCCCXL. viri cecidisse referuntur. Niciphorus Imperator Græcorum post mulras victorias & res prosperè gestas, à Bulgaris occisus, Michaëlem successorem accepit. Qui Legatos Carli ad Niciphorum missos, Constantinopoli audiuit & absoluit. Cum quibus & suos Legatos direxit, & pacem à Niciphoro inceptam confirmauit. Qui etiam, vbi ad Imperatorem Aquisgrani venerunt, scriprum pacti ab eo in Ecclesia suscipienres, more suo, id est Græca lingua, laudes ei dixerunr, Imperarorem eum & Basileum appellantes. Cum Grimaldo Duce Beneuentanorum pax facta, & tributi nomine xxv. B millia solidorum auri à Beneuentanis accepra. Classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scottis prælio superatur. Hoc anno post meridiem Solis eclypsis fuit.

813. DCCCXIII.

IMPERATOR Amalharium Treuirensem Episcopum, & Perrum Abbatem Monasterij Nonátulas propter pacem cum Imperatore Michaële confirmandam Constantinopolim misit. Hludouuicum filium suum coronauit, & sibi consortem Imperij fecir. Bernhardum quoque neporem suum, filium Pipini filij sui, Italiæ præfecir, & Regem appellari iussit. Concilia quoque super statu Ecclesiarum corrigendo ab Episcopis celebrari iussir, quorum vnum Mogonciaci, alterum Remis, rertium Turonis, quarrum Cabillone, quintum Arelati congregatum est. Quorum gesta qui nosse voluerit, in prædictis quinque ciuitatibus inuenire poterit. Pons apud Mogontiacum incendio conflagrauit.

814. DCCCXIV.

CARLVS Imperator dum Aquisgrani hiemaret, anno ætatis suæ circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est anno XIV. V. Kal. Febr. rebus humanis excessit. Cui HLVDOVVICVS filius eius successit, & ad suscepti Regni administrationem cura conuersa, primò Legationes gentium, quæ ad patrem venerant, auditas absoluit: deinde simili modo ad patrem missas quidem ad se venientes suscepir, & absolutas remisit. Habitóque Aquisgrani generali Conuentu populi sui, ad iusticias faciendas, G & oppressiones populares releuandas, Legatos in omnes Regni sui partes misit, & erepta per vim parrimonia multis restiruit.

LVDOVICVS PIVS IMP.

815. DCCCXV.

EXERCITVS Francorum à Hludouuico Imperatore ad auxilium Herioldo Danorum Regi ferendum contra filios Godofridi in Nordmanniam missus, cùm aduersarij eis congredi non auderent, circumquaque vicinis * pagis, & acceptis popularium obsidibus XL. reuersus est. Romæ quidam Primores in necem Leonis Papæ conspirantes interficiuntur.

* for. vicis

816. DCCCXVI.

SAXONES & Orientales Franci in Sorabos dicto inobedientes missi, contumaciam audacium non magno labore compresserunr. V Vascones gentilitia leuirate vsi defecerunt, sed duabus expeditionibus ita sunt edomati, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur. Leo Papa decessit VIII. Kal. Iul. & Srephanus Diaconus Ponrifex factus, paucis post ordinationem suam diebus, ad Imperatorem venir, à quo apud Remorum ciuitatem honorificè susceptus est. Qui statim aduentus sui causas Principi insinuans, celebratis ex more Missarum solemniis, eum

A diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos munetibus & datis & acceptis, & amicitia vicissim firmiter roborata, Pontifex Romam, Imperator Com pendium Palatium petit. LVDOVICVS PIVS IMP.

DCCCXVII. 817.

ECLYPSIS Solis facta est Nonas Feb. Eadem nocte stella cometes gladio similis visa est. Stephanus Papa IX. Kal. Febr. diem obiit, cui Paschalis Presbyter successit. Hludouuicus Imperator filium suum primogenitum HLOTHARIVM coronauit, & nominis atque Imperij sui sibi socium constituit. Ceteros Reges appellatos, vnum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit. Sclaomir Dux Obodritorum, propterea quòd regiam potestatem, quam post mortem Thrasconis solus super Obodritos tenebat, cum Ceadrogo filio Thrasconis partiri videbatur, iratus cum populo suo sibi subiecto defecit, & missa trans mare Legatione cum filiis Godofridi amicitias iunxit. Bernardus Rex Langobardorum consilio prauorum hominum tyrannidem meditatus, cum se à suis deseri vidisset, rebus propriis diffidens, apud Cauillonem armis depositis Imperatori se tradidit. Leonis Imperatoris Legati de Constantinopoli pro pace ad Imperatorem Hludouuicum missi venerunt, quos ille apud Ingilenheim susceptos audiuit, ac dimisit. Ratgarius Abbas Fuldensis Cœnobij accusatus à Fratribus, & conuictus, deponitur.

DCCCXVIII. 818.

B BERNHARDVS Francorum iudicio excæcatus moritur: similiter & auctores coniurationis capitali sententia damnati, luminibus tantùm orbantur. Episcopi synodali decreto depositi Monasteriis mancipantur; ceteri, prout quisque nocentior vel innocentior apparuit, vel exilio deportatus, vel tonsus, & in Monasterium missus est. Imperator verò Britanniam cismarinam bello petens, captisque rebellionum munitionibus, breui totam in suam potestatem redegit. Nam Mormano, qui in ea tyrannidem exercuit, occiso, nullus preterea inueniebatur, qui resisteret, aut imperata facere renueret. Eclypsis Solis contigit VIII. Id. Iul. Irmingardis Regina V. Non. Octob. decessit. Monasterio Fuldensi Eigil Abbas electus & ordinatus est.

DCCCXIX. 819.

SCLAOMIR Dux Obodritorum à Primoribus sui populi multis criminibus accusatus, cùm obiecta sibi rationabiliter refellere non posset, exilio condemnatus est, & Regnum Ceadrogo filio Thrasconis datum. Similiter & Lupus VVasco de perfidia conuictus, exilio deportatus est. Conuentus Aquisgrani habitus est, in quo multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum tractata atque ordinata sunt: legibus etiam capitula quædam pernecessaria, quia deerant, addita sunt. Imperator inspectis plerisque nobilium filiabus, Iudith filiam Huelpi Comitis duxit vxorem. Contra Liudeuuicum quoque Sclauum in Pannonia rebellantem exercitus de Italia missus, rebus parum prosperè gestis, infecto penè negotio regressus est. Pipinus filius Imperatoris VVascones vicit, & subegit. Hoc anno Basilica sancti Bonefacij Martyris in Cœnobio Fuldensi ab Hestulfo Archiepiscopo dedicata est in honorem Domini Saluatoris, & omnium Sanctorum eius, C translatáque sunt ossa sancti Martyris Kal. Nouemb.

DCCCXX. 820.

TRES exercitus contra Liudeuuicum in Pannoniam mittuntur, quorum vnus de Italia per Alpes Noricas, alter de Saxonia per Carantanorum prouinciam, tertius Francorum per Baioariam & Pannoniam superiorem ingressi, cùm in vnum conuenerunt, totam penè regionem ferro & igni deuastantes, nullo graui damno accepto reuersi sunt. Is tamen, qui per Pannoniam superiorem iter fecerat, in transitu Draui fluminis ex locorum & aquarum insalubritate soluti ventris incommodo grauiter affectus est, & pars eius non modica hoc modo consumpta. Bera Comes Barcenonæ, infidelitatis à vicinis suis insimulatus, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur; & vt reus Maiestatis capitali sententia damnatus, parcente ei Imperatore, exilio deportatur. Propter nimietatem pluuiarum aëre corrupto, hominum & boum pestilentia longè latéque ita grassata est, vt vix vlla pars Regni Francorum ab hac peste immunis posset inueniri. Fruges quoque vel colligi non poterant, vel collectæ putrescebant. Vinum etiam propter caloris inopiam acerbum & insuaue fiebat.

LVDOVICVS PIVS IMP.

DCCCXXI.

821. HLVDOVVICVS Imperator Nouiomagi * diuisionem Regni fecit inter filios suos, deinde in villa Theodonis omnes, qui suo tempore in exilium missi fuerunt, reuocauit, & singulos in statum pristinum restituit, possessiones quoque iudicio legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit. Hlotharius filius eius vxorem duxit, & apud VVormaticam hiemauit. Ceadrogo Princeps Obodritorum, quia perfidiæ & cuiusdam cum filiis Godofridi factæ societatis tenebatur, Sclaomir æmulus eius in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit, & percepto Baptismi sacramento defunctus est.

* al. VVormaciæ

DCCCXXII.

822. IN regione Thuringorum quodam in loco iuxta fluuium nomine Cespis, cespes longitudine pedum quinquagenû, latitudine quatuor denum, altitudine sesquipedali, de terra sine manibus & præcisus & sublatus est; & ab eo loco, in quo sumptus est, xxv. pedum spatio distans inuentus est. Item in parte Orientalis Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco, iuxta lacum qui dicitur Arnseo, terra in modū aggeris intumuit, & limitem vnius leugæ spatio porrectum, sub vna nocte absque humani operis molimine ad instar valli subrexit. Hludouuicus Imperator Sacerdotum vsus consilio, de omnibus, quæ publicè perpetam gessit, publicam pœnitentiam egit: & post hæc cuncta, quæ in Regno suo corrigenda inuenire potuit, corrigere atque emendare curauit. Hlotharius in Italiam, Pipinus frater eius, & ipse vxore ducta in Aquitaniam missus est. Eigil Abbas Fuldensis Cœnobij defunctus, Hrabanum successorem accepit. Ebo Remorum Episcopus genti Nordmannorum euangelizauit verbum Dei.

DCCCXXIII.

823. HLOTHARIVS iuuenis rogante Paschale Papa Romam veniens, ab eodem coronatur, & à populo Romano Imperator Augustus appellatur. Liudeuuicus, qui superiore anno propter exercitum contra se missum, relicta Siscia ciuitate ad Sorabos, qui magnam Dalmatiæ partem obtinere dicuntur, fugiendo se contulit, & iterum cùm in Dalmatas ad Emuhslum * auunculum Bornæ Ducis peruenisset, dolo ipsius interfectus est. Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt, in Aquensi Palatio terræmotus, & in territorio Tullense iuxta villam Commarceium * puella quædam annorum fere XII. ab omni cibo per X. menses abstinens, & in Saxonia in pago Frihsazi villæ XXIII. igne cœlesti concrematæ, & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia; & in territorio Cometense Italicæ ciuitatis, in vico Gradabona, in Ecclesia sancti Iohannis Baptistæ, imago sanctæ Mariæ puerum Iesum gremio continentis, ac Magorum munera offerentium, in absida eiusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata, & penè abolita, tanta claritate per duorum dierum spatia effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ, suæ venustatis pulchritudine, cernentibus penitus vincere videretur. Magorum tamen imagines, præter munera quæ offerebant, minimè claritas illa irradiauit. Et in multis regionibus segetes grandinis vastatione deletæ, atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, atque ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ, hominésque ac cetera animalia passim fulminum ictu præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia, atque hominum mortalitas magna.

* al. Liudemuhslum

* Commerciacum

DCCCXXIV.

824. REX Bulgarorum Omortag pacis faciendæ gratia ad Imperatorem Legatos & litteras misit, quos Rex auditos remisit, & cum eis Maghelmum de Baioaria ad memoratum Regem direxit. Paschalis Papa defunctus, & Eugenius pro eo Pontifex constitutus est. Imperator Hlotharium filium suum ad iustitias faciendas Romam misit. Ipse cum exercitu Brittanniam petit, diuisisque in tres partes copiis, totam ferro & igni deuastat, acceptisque à perfido Brittonum populo quos imperauerat obsidibus, reuersus est. Hoc anno hiems aspera, & valde prolixa facta est, quæ non solùm animalia, verumetiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Ante solstitium quoque paucis diebus, in territorio Augustodunense, aëre in tempestatem subita mutatione conuerso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse perhibetur, cuius longitudo quindenum, latitudo septenum, crassitudo duorum pedum fuisse dicitur.

A DCCCXXV.

ITERVM Rex Bulgarorum alios Legatos ad Imperatorem misit, de terminis videlicet ac finibus inter Francos & Bulgaros constituendis. Quibus Rex auditis, per eosdem qui ad se missi fuerant Legatos Regi eorum missis literis respondit, prout videbatur. VVihomarcus Britto perfidus terminos Francorum incendiis & direptionibus infestare non cessauit, donec ab hominibus Lamberti Comitis in domo propria circumuentus & occisus est. Imperator cum filiis Godofridi pacem, quam ipsi petebant, cum eis in Marca eorum confirmare iussit. In territorio Tullense iuxta Commerciacum villam puella duodennis, post sacram communionem, quam in Pascha à sacerdote susceperat, primò pane, deinde aliis communibus cibis & potibus ita abstinuit, vt nullâ penitus corporis alimenta percipiens, plenum triennium sine omni victus desiderio compleret. Cœpit autem ieiunare anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. sicut in ipsius anni descriptione superiùs adnotatum est, & in hoc anno, id est DCCCXXV. circa Nouembris mensis initium, escam sumere, ac more cæterorum mortalium manducando viuere cœpit. 825.

DCCCXXVI.

CVM Regi Bulgarorum Legati sui quod egerant renuntiassent, iterum eum, quem primùm miserat, ad Imperatorem cum literis remisit: rogans, vt sine mora in dispositione terminorum diffinitio fieret; vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tueretur. Quem Imperator susceptum, & auditum, sine literis remeare fecit. Mense autem Maio apud Ingelenheim habito Conuentu, diuersarum gentium Legationes auditas absoluit. Quo tempore B Herioldus cum vxore, & magna Danorum multitudine, apud Mogontiam baptizatus est. Georgius quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico Comite Foroiuliense veniens, organum hydraulicum Aquisgrani fecit. Postea verò cùm Imperator in Salz villa regia Conuentum haberet, perlatúmque esset ad eius noticiam, quomodo Aizo Gothus de Palatio fugiens, ad Sarracenos se contulisset, & inde auxilia contra nostros accepisset, grauiter accepit. Tamen ne quid inconsultè ageret, aduentum Consiliariorum suorum iudicauit opperiri. Dum hæc aguntur, Hilduuinus Abbas Monasterij sancti Dionysij Romam mittens, annuente precibus Eugenio Apostolicæ Sedis tunc Præsule, ossa beati Martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessonam ciuitatem in Basilica sancti Medardi collocauit. Vbi, dum adhuc in loculo, sicut ablata erant, inhumata iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam enituit, vt à nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enarrari. 826.

DCCCXXVII.

EXERCITVS à Rege Sarracenorum Abdiraman ad auxilium Aizoni ferendum, Duce Abumaruan Regis propinquo, Gerundam venit. Cui Pipinus filius Imperatoris cum exercitu missus resisteret, nisi desidiâ Ducum, quos copiis præfecerat, tardiùs quàm rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad marC cam venisset exercitus. quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumaruan, vastatis Barcenonensium ac Gerundensium agris, villisque incensis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se prius reciperet, quàm à Francorum exercitu potuisset vel videri. Huius cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Interea Bulgari Sclauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igni vastauere, & expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos super eos rectores constituerunt. Corpora beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri mense Nouembri in Franciam allata sunt. Eugenio post paucos dies mortuo, Gregorius Presbyter tituli sancti Marci* Pontificatum suscepit. 827.

* al. Marcellini

DCCCXXVIII.

RELIQVIÆ sancti Marcelli* Martyris post Pascha ad Aquis Palatium delatæ, & per eas ibi multa signa facta sunt. Hlotharius cum exercitu ad marcam Hispanicam missus est: similiter & Hludouuicus iuuenis contra Bulgaros. Fœdus cum Nordmannis factum, per negligentiam ruptum, & castra nostrorum à Nordmannis direpta sunt. 828.

* for. Marcellini

LVDOVICVS PIVS IMP.

DCCCXXIX. A

829. ANTE Pascha in Sabbato sancto terræmotus noctu Aquisgrani factus. Imperator generalem Conuentum mense Augusto VVormaciæ habuit. Bulgari nauibus per Drauum fluuium venientes, quasdam villas nostrorum flumini vicinas incenderunt. Bernardus Comes Barcinonensis in Palatio Camerarius constitutus, & Hlotharius in Italiam profectus est.

830. DCCCXXX.

COMMOTIO contra Imperatorem à Primoribus Francorum in Compendio exorta, propter Bernardum, quem in Palatio esse noluerunt. Quo indè depulso, atque fugato, in gratiam cum eo redierunt, sed ad breue temporis spatium.

831. DCCCXXXI.

CONVENTV apud Nouiomagum habito, Imperator omnes, qui sibi contrarij fuerant, velut iustè exauctorauit; quosdam publicis, quosdam priuatis rebus exspolians, quosdam in exilium mittens. Quare multum contra se & Iudith vxorem suam non solùm populi, sed etiam filiorum suorum animos concitauit.

832. DCCCXXXII.

IMPERATOR mense Maio contra Hludouuicum filium ad Augustam Vindelicam cum exercitu venit. Inde reuersus in Aquitaniam, Pipinum filium Regno priuauit. Sed inde postquam vxorem abdicauit, cum magna difficultate ad Aquẽse Palatium regressus est. Sol defecit v. Non. Maij, & Luna XIII. Kal. Iunij.

833. DCCCXXXIII.

IMPERATOR initio Quadragesimæ VVormatiam venit, & ibi vxore reuocata, atque exercitu congregato, contra filios suos ad se venire volentes, in Alisatiam profectus, atque ibi à suis desertus ac proditus, & in filiorum potestatem redactus est. Erat ibi cum filiis Gregorius Papa Romanus. B

834. DCCCXXXIV.

POST hæc iudicio Episcoporum arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est. Vxor in Italiam ducta, proximáque æstate ipse relaxatus arma resumpsit, vxorem recepit. Hlotharium ad Italiam, cum his qui eum sequi volebant, redire coëgit. Pugnatum est eodem anno cum Matfrido & Lamberto. in quo prælio perierunt Vodo Comes Aurilianensium, & Theodo Abbas sancti Martini Turonensis, & alij multi.

835. DCCCXXXV.

IMPERATOR cum filiis suis Pipino & Hludouuico Conuentum generalem habuit apud Lugdunum, dispositisque ibi illarum partium causis, ad Aquense Palatium reuersus est. Nordmanni Dorestadum vastauerunt.

836. DCCCXXXVI.

IMPERATOR in Palatio Theodenhoue Conuentum habuit, ad quem Hlotharius venire non potuit, quia grauiter & vsque ad desperationem ægrotauit. Quo peracto, Imperator Francofurdum venit, indè ad sanctum Marcellinum & Petrum, & inde ad Ingilenheim, & inde Aquense Palatium rediit. Nordmanni Andvverpam ciuitatem incendunt, similiter & VVittham * emporium iuxta ostium Mosæ fluminis, & à Frisionibus tributum acceperunt. C

* al. VVittã

837. DCCCXXXVII.

TICENVM in Italia III. Kal. Ianuar. octies noctu tremuisse perhibetur. Plures ex Primoribus Italiæ defuncti sunt. Inter quos præcipui fuerunt, Lantbertus. & Hugus. Stella cometes in signo Libræ apparuit III. Id. April. & per tres noctes visa est. Nordmanni tributum exactantes in VValchram insulam venerunt, ibique Eggihardum eiusdem loci Comitem, & Hemmingum Halpdani filium, cum aliis multis XV. Kal. Iul. occiderunt, & Dorestadum vastauerunt, acceptóque à Frisionibus tributo reuersi sunt. Imperator omisso itinere Italico, Aquisgrani hiemauit.

838. DCCCXXXVIII.

XV. Kal. Febr. vesperi terræmotus apud sanctum Nazarium, & in VVormacense, & Spirense, & Lobadunense factus est. Naues contra Nordmannos ædificantur. Optima pars Regni Francorum CARLO iuueni data est, Hlotharius & Hludovvicus in valle Tridentina colloquium habuerunt, ante mediam Quadragesimam. Imperator verò mense Iunio Nouiomagi Conuentu generali habito,

A consiliis quorundam ex Primoribus Francorum acquiescens, pacti conscriptione Hludouuico filio suo Regnum Orientalium Francorum, quod prius cum fauore eius renuit, interdixit. Ille autem intelligens ex inuidia consiliantium talem prodisse sententiam, edicto prius habito III. Kal. Decemb. ad Franconfurt cum suis venit. Contra quem Imperator quasi sibi aduersantem cum exercitu veniens, Mogontiaci Natalem Domini celebrauit. Pippinus quoque filius eius Rex Aquitaniorum mense Nouemb. eiusdem anni defunctus est. LVDOVICVS PIVS IMP.

DCCCXXXIX. 839.

IMPERATOR verò post peractam festiuitatem Natalis Domini & Theophaniæ, VII. Ianuar. cum exercitu nauigio Rhenum transiit, obuios habens Saxones, partim minis, partim suasionibus Adalberti Comitis abductos. Quo cognito, Hludouuicus nefas esse sciens filium patri repugnare, cedendúmq; tempori iudicans, in Baioariam se recepit. Imperator autem in Franconofurt veniens, ibíque manens, Ieiunium Quadragesimale inchoauit. Inde pergens in Alamanniam, iuxta lacum Briganticum Pascha celebrauit. Post Pascha verò mense Maio VVormatiam veniens, Hlothario filio suo de Italia in fidem eius venienti reconciliatur, Regnúmq; Francorũ inter eum & Carlum filiũ suum minimum diuidit: Hlothario quidem, qui maior natu erat, nominis sui dignitatem & sedem Regni tribuens, Hludouuico verò filio suo minori, pro eo quòd eum offenderat, Baioariorum prouincia tantùm concessa. Post Kal. autem Iul. Hlothario ad Italiam redeunte, Imperator assumpto secum Carlo, ad disponendas Aquitaniorum res, Occidentem B proficiscitur. Eodem quoque anno stella cometes in signo arietis apparuit, & prodigia alia in cœlo visa sunt. Nam & cœlum noctu serenum rubuit, & per aliquor noctes igniculi plurimi instar stellarum per aërem discurrere videbantur.

DCCCXL. 840.

HLVDOVVICVS filius Imperatoris partem Regni trans Rhenum, quasi iure sibi debitam affectans, per Alamanniam facto itinere venit ad Franconofurt, multorum ad se Orientalium Francorum animis prudenti consilio conuersis. Quo comperto, Imperator de Aquitania infecto negotio redire compulsus, Druogonem Archicapellanum, & Adalbertum Comitem, cùm aliis multis, præmisit ad tuendum littus Orientale Rheni fluminis; ipse verò secutus in Aquisgrani Pascha celebrauit. Hisce temporibus per aliquot noctes rubor aëris nimius apparuit, ita vt vnus trames ardens ab Euro, alter à Circio exoriens, in conum coirent, & quasi coagulati sanguinis speciem in summitate cœli monstrarent. Post Pascha autem Imperator collecto exercitu filium per Turingiam vsque ad terminos Barbarorum persequitur, exclusúmque à finibus Regni per Sclauorum terram cum magno labore Baioariam redire compellit. Ipse verò rebus in partibus illis ordinatis, ad Salz villam reuersus, dies Letaniarum & Ascensionis Domini sollemnia celebrauit. In ipsa autem vigilia Ascensionis Domini, hoc est IIII. Id. Maij, eclypsis Solis circa septimam & octauam horam diei facta est tam valida, vt etiam C stellæ propter obscuritatem solis visæ sint, rebúsque color in terris mutaretur. Imperator verò illis diebus morbo correptus ægrotare cœpit, & per Mœnum fluuium nauigio ad Franconofurt, inde post dies paucos in insulam quandam Rheni fluminis prope Ingilenheim delatus, morbo inualescente XII. Kal. Iul. diem vltimum clausit, corpúsque eius Mettis ciuitatem perlatum, in Basilica sancti Arnulfi Confessoris honorificè sepultum est. HLOTHARIVM verò de Italia serò venientem Franci loco patris eius super se regnaturum suscipiunt. Hunc enim ferunt Imperatorem morientem designasse, vt post se Regni gubernacula susciperet, missis ei insignibus regalibus, hoc est sceptro Imperij, & corona. Quod fratres eius non consentientes, contra eum insurgere parant, ac primùm ei in suburbanis Moguntiacis cum exercitu venienti, frater eius HLODOVVICVS cum manu valida Orientalium Francorum partem Regni ab Oriente Rheni defensurus occurrit: intróque pacto, & dilato in aliud tempus Placito, Hlotharius contra CARLVM Occidentem proficiscitur, Hludouuicus verò Orientales Francos, Alamannos, Saxones, & Turingios sibi fidelitatis iure confirmat. LOTHARIVS IMP.

DCCCXLI. 841.

INTEREA cùm circa contigua Rheni præsidia poneret, & littus Orientale contra Occidentalium irruptionem defendere pararet, Hlotharius nuntij rumore

LOTHARIVS IMP. permotus, omissa Karli insecutione, reuersus inchoante mense Aprili iuxta A VVormatiam cum exercitu clam transiit Rhenũ, & Hludouuicum à quibusdam suis proditum, ac penè circumuentum Baioariam redire coëgit. Positisque custodibus partium illarum, quos sibi fideles esse arbitratus est, denuò ad resistendum Karlo, qui iam tunc vltra Mosam castra ponere moliebatur, studia conuertit & vires. Igitur dum hæc agerentur, Hludouuico per nuntios Karli ad auxilium vocato, & per Alamanniam iter facienti, Comites quos Hlotharius tutores partium suarum dimiserat, in Renense * occurrunt cum exercitu. Ortóque prælio, Adalbertus Comes & incentor discordiarum occiditur, & cum eo innumerabilis multitudo hominum prosternitur, III. Id Maij. Itaque Hludouuicus hac congressione victor Rhenum transiens, Karlo fratri suo auxilium laturus, in Gallias pergit. Vbi cùm conuenissent tres fratres in regione Alcedronense * iuxta villam Fontinatam, & de partitione Regni concordare non possent, renuente Hlothario, qui sibi Monarchiam vindicabat, ferro decernendum, & Dei iudicio causam examinandam decreuerunt. Factúmque est inter eos VII. Kal. Iul. prælium ingens, & tanta cædes ex vtraque parte, vt nunquam ætas præsens tantam stragem in gente Francorum antea factam meminerit. Et Hlotharius quidem ipsa die ad Aquense Palatium reuertitur: Hludouuicus verò & Carlus castris potiti, collectis ac sepultis eorum cadaueribus, qui ex sua parte ceciderant, ab inuicem discedunt, & Carlo in Occidentalibus remanente, Hludouuicus quasi mediante mense Augusto, venit ad villam regiam, quæ vocatur Salz. Hlotharius verò iterum suis vndique collectis Mogontiacum veniens, Saxones cum Hlothario filio B suo paruulo obuiam sibi Nemeti venire præcepit. Ipse autem Rhenum transiens, quasi Hludouuicum fratrem suum vsque ad exteras nationes fugaturus, infecto negotio redit VVormatiam. Vbi celebratis filiæ suæ nuptiis, rursus contra Carlum in Gallias pergit: vbi toto hiberno tempore inani labore consumpto, Aquisgrani reuertitur. Cometes stella VIII. Kal. Ianuar. sub signo Aquarij apparuit.

* al. Renetiense

* Altissiodorense

842. DCCCXLII.

HLVDOVVICVS verò videns Hlotharium in pristina pertinacia perdurantem, nec adhuc velle desistere victum, collecta Orientalium non modica manu, Rhenum transiit, ciuitates in Occidentali Rheni littore positas, quæ partibus Hlotharij fauebant, in deditionem accepit, occurritque ei Carlus apud Vrbem Argentoratum, quæ nunc Strazburgus vocatur. Vnde pari intentione pergentes, Hlotharium in villa Sentiaca morantem, & à suis desertum, in quibus non parum confidebat, fugere compellunt, XVII. Kal. April. Putantes autem eum, vt fama vulgabat, rebus desperatis Italiam petere, partem Regni, quam habuit eatenus, inter se dispertiunt. Hlotharius verò collecto fido satis exercitu, apud Madasconam Galliæ vrbem consedit. Quem consecuti fratres sui, cùm iam vidissent proniorem ad faciendam cum eis pacem, fœdus inire maluerunt, quàm diutius contentionibus deseruire: ea tamen conditione, vt è partibus singulorum XL. ex C Primoribus electi in vnum conuenientes Regnum æqualiter describerent, quo faciliùs postmodum inter eos pari sorte diuideretur. Quibus gestis, Hludouuicus inde reuersus mense Augusto in villam, quæ vocatur Salz, habito generali Conuentu, in Saxoniam pergens, validissimam conspirationem libertorum legitimos dominos opprimere conantium, auctoribus factionis capitali sententia damnatis, fortiter compescuit. Circa autumnum verò apud VVormatiam Karolo fratri occurrit, Hlothario in villa Thiotonis morante, cùm Missi eorum in Confluente castello conuenientes de partitione Regni concordare non possent, dilato in aliud tempus Placito, singuli ad sua reuertuntur. Eodem anno eclypsis Lunæ facta est in Kal. April. V. feria ante Pascha, decima hora noctis.

843. DCCCXLIII.

DESCRIPTO Regno à Primoribus, & in tres partes diuiso, apud Virdunum Galliæ ciuitatem tres Reges mense Augusto conuenientes, Regnum inter se dispertiunt: & Hludouuicus quidem Orientalem partem accepit, Karlus verò Occidentalem tenuit, Hlotharius, qui maior natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem. Factáque inter se pace, & iuramento confirmata, singuli ad disponendas tuendásque Regni sui partes reuertuntur. Karlus Aquitaniam, quasi ad par-

A tem Regni sui iure pertinentem, affectans, Pippino nepoti suo molestus efficitur, eúmque crebris incursionibus infestans, grande detrimentum proprij sæpè pertulit exercitus. Gregorius Papa obiit, in cuius locum subrogatus est Sergius. & Mauri Beneuentum occupauerunt. LOTHARIVS IMP.

DCCCXLIIII. 844.

KARLVS Bernhardum Batcenonensem Ducem incautum, & nihil ab eo mali suspicantem occidit. Pippini Duces Karli exercitum superant VII. Id. Iunij. in quo prælio ceciderunt Hugo Abbas patruus Karli, & Rihboto Abbas, Raban quoque signifer, cum aliis multis ex nobilibus. Hludouuicus Obodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiso Rege eorum Gozzomuil, terrámque illorum & populum sibi diuinitus subiugatum per Duces ordinauit. Hrabanus quoque Sophista, & sui temporis Poëtarum nulli secundus, Librum, quẽ de Laude sanctæ Crucis Christi figurarum varietate distinctum difficili & mirando poëmate composuit, per Ascrihum & Hrüodbertum Monachos Monasterij Fuldensis, Sergio Papæ sancto Petro offerendum transmisit.

DCCCXLV. 845.

NORDMANNI Regnum Karli vastantes per Sequanam vsque Parisios nauigio venerunt, & tam ab ipso, quàm incolis terræ accepta pecunia copiosa, cum pace discesserunt. In Fresia quoque tribus præliis confligxerunt; in primo quidem victi, in secundis verò duobus superiores effecti, magnam hominum multitudi-
B nem prostrauerunt. Castellum etiam in Saxonia, quod vocatur Hammaburg, populati, nec inulti reuersi sunt. Karlus cum Brittonibus conflixit, & cum grandi damno exercitus sui, ipse cum paucis vix euasit. Hludouuicus XIIII. ex Ducibus Boëmanorum cum hominibus suis Christianam Religionem desiderantes suscepit, & in octauis Theophaniæ baptizari iussit. Tempore verò autumni, in Saxonia apud Padraprunno generale Placitum habuit, vbi fratrum suorum, & Nordmannorum, Sclauorum quoque & Bulgarorum Legationes suscepit, audiuit, & absoluit. Hlotharius Foscratum Ducem Arelatensium, & reliquos Comites illarum partium rebellare molientes in deditionem accepit, & prout voluit, Prouinciam ordinauit.

DCCCXLVI. 846.

GISALBERTVS* VASSALLVS Karli filiam Hlotharij Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus, in coniugem accepit. Hludouuicus Occidentem profectus mense Martio cum Karlo Placitum habuit, in quo vterque eorum publicè contestatus est, suæ non fuisse voluntatis, quo Gisalbertus filiæ Hlotharij iungeretur, vt his auditis, Hlotarius placari facilius potuisset. Inde reuersus iuxta lacum Briganricum II. Non. April. Pascha celebrauit. Postea, cum Hlothario locutus, volens eum cum Karlo pacificare, cùm res non haberet effectum, circa medium mensem Augusti cum exercitu ad Sclauos Margenses defectionem mo-
C lientes profectus est. Vbi ordinatis, & iuxta libitum suum compositis rebus, Ducem eis constituit Rasticem nepotem Moimari. Inde per Boemanos cum grandi difficultate & magno damno exercitus sui reuersus est. His temporibus Mauri Romam cum exercitu venientes, cùm non possent vrbem irrumpere, Ecclesiam sancti Petri vastauerunt.

* al. Gisle-bertus.

DCCCXLVII. 847.

HIC annus à bellis quieuit, quem Hlotharius & Hludouuicus mutua familiaritate transegerunt. Nam vterque eorum ad domum alterius inuitatus, conuiuiis & muneribus Regiis honoratus est. Hludouuicus tamen Hlotharium & Karlum, ita vt voluit, pacificare non potuit, renuente Hlothario propter iniuriam sibi à Gisalberto vassallo Karli in raptu filiæ suæ factam. Nordmanni Dorestatum incendentes vastauerunt. Otgarius Mogontiacensis Episcopus XI. Kal. Maij obiit, in cuius locum Hrabanus ordinatus est V. Kal. Iul. qui, in eodem anno, iubente Hludouuico Rege, apud Mogontiacum Synodum habuit circa Kal. Oct. b.

PER idem tempus mulier quædam de Alamanniæ partibus, nomine Thiota, Pseudo-prophetissa Mogontiacum venit, quæ Salomonis Episcopi parochiam suis vaticiniis non minimè turbauerat. Nam certum consummationis seculi diem, aliáque perplura Dei solius noticiæ cognita, quasi diuinitus sibi reuelata, scire se fatebatur, & eodem anno vltimum diem mundo imminere prædicabat. Vnde

Lotharius Imp. multi plebeij vtriusque sexus timore perculsi ad eam venientes munera illi fere- A
bant, seque orationibus illius commendabant: & quod grauius est, sacri ordinis viri doctrinas Ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebantur. Hæc in præsentiam Episcoporum apud sanctum Albanum deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quendam sibi ea suggessisse, & se talia quæstus causa narrasse professa est. Quapropter synodali iudicio publicis cæsa flagellis, ministerium prædicationis, quod inrationabiliter arripuit, & sibi contra morem Ecclesiasticum vindicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit.

848. DCCCXLVIII.

HLOTHARIVS & Hludouuicus mense Februario colloquium habuerunt in Confluente castello, vbi pars Hlotharij illud quidem, sicut fama vulgabat, maximè moliebatur, vt Hludouuicus, posthabita Karli amicitia, sibi germanitatis iure sociaretur. Hludouuicus verò memor pacti, quod cum Karlo dudum cum adtestatione diuini nominis inierat, suasoria machinamenta ingeniosè declinans, finito colloquio, ad suos reuersus, eos expeditione contriuit, Legatósque pacis gratia mittere, & obsides dare coëgit. Circa Kal. autem Octob. generale Placitum habuit apud Mogontiacum, in quo Legatos fratrum suorum, & Nordmannorum Sclauorúmque suscepit, audiuit, & absoluit. Homines etiam Hrabani Episcopi aduersus dominum suum conspirantes, publicè conuictos cum eo pacificauit. Legatos suos ad fratrem suum Hlotharium in Theotonis villa Placitum habentem pro Gisalberto, qui eodem anno ad fidem eius venerat, reconciliationis gratia direxit. Gotescalcus quoque quidam Presbyter de prædestinatione Dei prauè sen- B
tiens, & tam bonos ad vitam quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse adfirmans, in Conuentu Episcoporum rationabiliter, vt plurimis visum est, conuictus, & ad proprium Episcopum Ingumarum Remis trasmissus est: prius tamen iuramento confirmans, ne in Regnum Hludouuici vltra rediret.

849. DCCCXLIX.

BOEMANI more solito fidem mentientes, contra Francos rebellare moliuntur. Ad quorum perfidos motus comprimendos Hernustus * Dux partium illarum, & inter amicos Regis primus, Comitésque non pauci atque Abbates cum exercitu copioso mittuntur. Barbari verò pro pace & securitate sua obsides se daturos, & imperata facturos, per Legatos ad Thaculfum directos promittunt, cui præ ceteris credebant, quasi scienti leges & consuetudines Sclauicæ gentis. Erat quippe Dux Sorabici limitis, sed in illa expeditione iam tunc grauiter vulneratus. Nam pridie cùm exercitus vallum hostium vi magna inrumperet, & resistentibus aduersariis ex vtraque parte multi sine discretione sauciarentur, ipse in sinistro genu sagitta percussus est. Cum Legatis verò, qui missi fuerant, quo minus ab eis debilitas eius deprehenderetur, equo sedens simulata sanitate locutus est. Cúmque quibusdam ex Primatibus per Missos suos Legatorum verba nuntiasset, indignati sunt aliqui eorum aduersus eum, quasi ceteris præferri cupiens, sum- C
mam rerum gerendarum in se vellet inclinare. Et citato impetu, inconsultis ceteris, bellum hostibus paci studentibus intulerunt, statimque experti sunt quid sine timore Dei propria discordium possit virtus & audacia. Hostes enim effecti superiores, cædendo persecuti sunt eos vsque in castra, occisorúmque spolia in conspectu eorum securi detrahentes, tantis eos terroribus affecerunt, vt euadendi spe penitus priuarentur. Vnde coacti obsides dabant eis à quibus suscipere dedignati sunt, vt inlæsi ab hostibus, & via tantum publica pergentes, in patriam reuerti potuissent. Et vt maior confusio superbientibus, & de sua virtute præsumentibus fieret, contigit eodem anno post non multi temporis spatium in villa Hogstedi, quæ est in territorio Mogontiaco. spiritum nequam per os cuiusdam arreptitij protestari, bello se Boemanico præfuisse, sociósque suos spiritum superbiæ atque discordiæ fuisse, quorum dolosis machinationibus Franci Boemanis terga vertissent.

* al. Arnulfus.

850. DCCCL.

RORVC natione Nordmannus, qui temporibus Hludouuici Imperatoris cum fratre Harioldo vicum Dorestadum iure beneficij tenuit, post obitum Im-

A peratoris defuncto fratre apud Hlotharium, qui patri successit in Regno, proditionis crimine falso, vt fama est, insimulatus, tentus, & in custodiam missus est. Vnde fugâ lapsus in fidem Hludouuici Regis Orientalium Francorum veniens, cùm per annos aliquot ibi moraretur, & inter Saxones, qui confines Nordmannis sunt, mansitaret, collecta Danigenarum non modica manu, cœpit piraticam exercere, & loca Regni Lotharij Septentrionalis Oceani litoribus contigua vastare. Venítque per ostia Rheni fluminis Dorestadum, & occupauit eam atque possedit. Et cùm à Lothario Principe sine periculo suorum non posset expelli, cum consilio Senatus Legatis mediantibus in fidem receptus est, ea conditione vt tributis ceterísque negotiis ad Regis ærarium pertinentibus fideliter inseruiret, & piraticis Danorum incursionibus obuiando resisteret. Nordmanni Godafrido Duce per Sequanam ascendentes, regnum Karli prædantur. Ad quorum expulsionem Lotharius in auxilium vocatus, cùm sibi pugnandum esse cum hoste putaret, Karlus clam mutato consilio Godafridum eum suis in societatem Regni suscepit, & terram eis ad inhabitandum delegauit. Lotharius verò aduentum suum illò superuacuum videns, ad propria reuersus est. LOTHARIVS IMP.

Eodem anno grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenum habitantes. Nam vnus modius de frumento Mogonciaci vendebatur decem siclis argenti. Morabatur autem eo tempore Hrabanus Archiepiscopus in quadam villa parochiæ suæ, cui vocabulum est VVinzella, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens, quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat, exceptis his qui in præsentia illius vescebantur assiduè. Venit autem & B mulier quædam penè consumpta inedia cum puerulo paruulo, inter ceteros refocillari desiderans. Quæ prius quàm limen portæ transcenderet, præ nimia imbecillitate corruens spiritum exhalauit. Puer verò mamillam matris mortuæ quasi viuentis de sinu protrahens, & sugere tentans, multos intuentes gemere ac flere coëgit. Quidam etiam in illis diebus de Grabfeldon cum vxore sua & filio tenero in Turingiam proficiscens, vt malum inopiæ temperare posset, vxorem in itinere in quadam silua positus sic affatus est: Nonne, inquit, melius est vt puerum « istum occidamus, & manducemus carnes eius, quàm omnes inedia consumamur? « Illa verò contradicente, ne tantum scelus committeret, tandem vrgente fame filium de brachiis maternis per vim rapuit, & voluntatem opere complesset, nisi Deus illũ sua miseratione præuenisset. Nam, sicut idem postea in Thuringia positus plurimis retulit, cùm euaginasset gladiũ vt mactaret filium, & in ancipiti positus necem distulisset, vidit eminus duos lupos super vna cerua stantes, & lacerantes carnes eius, statimque parcens filio ad cadauer ceruæ cucurrit, & lupos inde abigens, tulit de carnibus prægustatis, & cum incolumi filio ad vxorem reuersus est. Priùs enim, quando filium tulerat de manibus matris, paululum ab ea declinauerat, ne illa morientem puerum videret vel audiret. At illa, veniente marito, videns recentes carnes & cruore perfusas, putabat filium occisum, & cecidit retrorsum penè exanimis. Ille autem accedens consolatus est eam, & erigens illam, C ostendit ei puerum viuentem. Tunc illa resumpto spiritu Deo gratias egit, quia filium sanum recipere meruit: nec minus ille, quòd eum Deus à liberi interfectione innocuum dignatus est conseruare. Ambo tamen de carnibus lege prohibitis necessitate coacti se recrearunt.

DCCCLI.

SORABI Francorum fines crebris incursionibus atque incendiis infestant. Vnde Hludouuicus Rex commotus cum exercitu per Turingiam iter faciens, terram eorum ingressus, graui eos obsidione fatigauit: perditísque frugibus, & omni spe adempta, magis eos fame quàm ferro perdomuit. Pipinus Rex Aquitaniæ comprehensus à suis, Carlo Regi cum Regno traditur, effectúsque Clericus Suessioni in Monasterio sancti Medardi retruditur. Similiter & Carlus frater eius iunior, cùm de Regno Hlotharij profectus, fratrem inuisere disposuisset, tentus est à Comitibus Carli Regis, & illo iubente tonsus in Corbeiense Monasterio missus est in custodiam. 851.

DCCCLII.

HENALDVS Nordmannus, qui superioribus annis iram domini sui Horuc Danorum Regis fugiens, ad Regem Hludouuicum se contulit, ab eo benignè suf- 852.

LOTHARIVS IMP. ceptus, baptizatus, ac fidei Sacramentis imbutus est: cùm per plures annos honorificè inter Francos haberetur, tandem Principibus Borealium partium, & custodibus Danici limitis, quasi lubricæ fidei & molimine proditionis cœpit esse suspectus. Vnde & ab eis occisus est. Habita est autem & Synodus ex voluntate atque præcepto eiusdem serenissimi Principis in ciuitate Mogontia Metropoli Germaniæ, præsidente Hrabano venerabili eiusdem vrbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ, & Saxoniæ. Et illi quidem de absoluendis quæstionibus ecclesiasticè tractatum habebant, Rex verò cum Principibus & Præfectis Prouinciarum publicis causis litibúsque componendis insistens, postquam Synodalia eorum decreta suo iudicio comprobauit, & Legationes Bulgarorum Sclauorúmque audiuit & absoluit, Baioariam reuersus est. Vbi ordinatis & dispositis quæ videbantur necessaria, sine mora rediens per alueum Rheni fluminis nauigio venit Coloniam. Vbi cum quibusdam ex Hlotharij fratris sui Principibus habita locutione, profectus est in Saxoniam ob eorum vel maximè causas iudicandas, qui à prauis & subdolis Iudicibus neglecti, & multimodis, vt dicunt, legis suæ dilationibus decepti, graues atque diuturnas patiebantur iniurias. Subetant etiam & aliæ causæ ad seipsum specialiter aspicientes, possessiones videlicet ab auita vel paterna proprietate iure hereditario sibi derelictæ, quas oportuit ab iniquis peruasoribus iusta repetitione legitimo domino restitui. A

* al. Mimida Igitur in loco qui appellatur Nimia *, super amnem, quem Cornelius Tacitus scriptor rerum à Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni verò VVisuracha vocant, habito generali Conuentu, tam causas populi ad se perlatas iustô absoluit examine, quàm ad se pertinentes possessiones iuridicorum gentis decreto recepit. B Inde transiens per Angros Harudos, Suabos, & Holsingos *, & per mansiones singulas, prout se præbuit opportunitas, causas populi iudicans Thuringiam ingreditur. Vbi apud Erpfesfurt habito Conuentu, decreuit inter alia,
* al. Holsingos
" Vt nullus Præfectus in sua præfectura, aut Quæstionarius infra quæsturam suam,
" alicuius causam aduocati nomine susciperet agendam: in alienis verò Præfecturis,
" vel Quæsturis, singuli pro sua voluntate, aliorum causis agendis haberent faculta-
" tem. Inde profectus diem Natalis Domini in Reganesburg celebrauit.

853. DCCCLIII.

NORDMANNI per Ligerem fluuium venientes Turonum Galliæ ciuitatem prædantur, & inter alias ædes, Ecclesiam quoque sancti Martini Confessoris, nemine resistente, succendunt. Aquitanorum Legati Ludouuicum Regem crebris supplicationibus sollicitant, vt aut ipse super eos Regnum susciperet, aut filium suum mitteret, qui eos à Karli Regis tyrannide liberaret: ne fortè ab extraneis & inimicis fidei, cum periculo Christianitatis, quærere cogerentur auxilia, quæ ab orthodoxis & legitimis dominis inuenire nequirent.

HEMMO Halbetensis Episcopus v. Kal. April. defunctus est, in cuius locum Hildhigrim Episcopus est ordinatus. Reginhericor Episcopus vi. Kal. Septembr. de hoc mundo transiens Folchardum successorem reliquit. Hadauuart quoque Mimidensis Episcopus xiii. Kal. Octob. diem clausit vltimum, cathedrámque suam Theotrico dimisit. C In Kal. autem Septembr. Basilicam sancti Bonefacij Martyris noctu fures ingressi, partem de thesauro Ecclesiæ abstulerunt, & ita hactenus res latet, vt neque auctores facti inuestigari, neque pecuniæ aliquod possit indicium reperiri.

854. DCCCLIIII.

HLVDOVVICVS filius Hludouuici Regis ad Aquitaniam pergit, volens experiri si vera essent, quæ patri suo per Legatos gentis promittebantur. Cùm ergo venisset, & non esset susceptus, nisi ab ea tantùm sola cognatione, quam Karlus maximè offendit propter interfectionem Gozberti eorum propinqui, quem iussit occidi; ceteris omnibus ad susceptionem eius dissimulantibus, aduentum suum illô supervacuum fuisse ratus, cum suis se circa tempus autumni in Franciam recepit. Nordmanni, qui continuis xx. annis Regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia cædibus & incendiis atque rapinis crudeliter vastabant, congregati de regionibus, per quas prædandi cupiditate dispersi fuerant, in patriam suam reuersi sunt. Ibique inter Horuc Regem Danorum, & Gudurm filium fratris eius, qui eatenus ab eo Regno pulsus piratico more vixit, orta contentione,

A tentione, ita se mutua cæde mactauerunt, vt vulgus quidem promiscuum innumerabile caderet, de stirpe verò regia nisi vnus puer nullus remaneret: Domino sanctorum virorum suorum iniurias vlciscente, & aduersariis digna factis retribuente. LOTHARIVS IMP.

DCCCLV. 855.

APVD Mogontiacum* terra vicies tremuisse perhibetur. Aëris insolita commorio turbinibus ac tempestatibus, plagisque grandinum multis damnum intulit. Fulminum ictibus ædes plurimæ crematæ sunt, inter quas Basilica S. Chiliani Martyris Nonis Iuniis, Cleto laudes vespertinas celebrante, repentino ictu percussa & succensa est: & mirum in modum sub laquearibus domus ignis pendulus inlæsa materia tamdiu oberrabat, donec ossa sancti Martyris, & totius Ecclesiæ thesaurus efferretur inlæsus. Clericorum quoq; nonnulli fulmine tacti, inlæsis vestibus, per diuersa membrorum loca graues combusturas habuisse reperti sunt. Fertur etiam quendam in illis regionibus hominem ita cœlesti igne combustum, vt consumpto corpore vestis ab igne remaneret inlæsa. Sequentis verò mensis die octaua instante sollemnitate natalis eiusdem Martyris, muros Ecclesiæ, quos priùs cœlistis non consumpsit ignis, subitò terribilis exorta tempestas funditus euertit. Quam ruinam mors Episcopi Gozbaldi subsecuta est, qui tertio dehinc mense, id est XII. Kal. Octob. præsentem vitam finiens, Harnum discipulum suum sibi successorem reliquit. * al. VVirtzporch

B REX quoque Ludouuicus in Sclauos Margenses contra Rasticen Ducem eorum sibi rebellantem parum prosperè ducto exercitu, sine victoria rediit, malens aduersarium firmissimo, vt fertur, vallo munitum, ad tempus dimittere, quàm militum suorum periculosè pugnando damna sustinere. Magnam tamen Prouinciæ partem prædis & incendiis vastauit exercitus, nec paruam multitudinem hostium castra Regis inuadere cupientium vsque ad internecionem deleuit, sed non impunè: quia post reditum Regis, Rastices cum suis insecutus plurima trans Danuuium finitimorum loca prædando vastauit.

MENSE verò Octobr. XVI. Kal. Nouembr. per totam noctem igniculi instar spiculorum Occidentem versus per aërem densissimè ferebantur. Hlotharius Imperator renuncians omnibus quæ habuit, Prumiense Monasterium ingressus, effectúsque ibi Monachus, VI. Kal. Octobr. mortalem hominem exuit, & ad vitam perrexit æternam. Principes autem & Optimates Regni, filium eius Hlotharium super se regnare cupientes, ad Ludouuicum Regem Orientalium Francorum patruum eius in Franconofurt eum adducentes, cum consensu & fauore illius sibi regnare consentiunt.

DCCCLVI. 856. LVDOVICVS II. IMP.

MENSE Februario IIII. die mensis defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ, habens in Episcopatu annos VIIII. mensem vnum & dies quatuor. Cui successit Karlus magis ex voluntate Regis & Consiliariorum eius, quàm ex consensu & electione Cleri & populi. Decessit autem & Hatto Ab-C bas Fuldensis Cœnobij, pridie Id. Aprilis. In cuius locum per electionem Fratrum & auctoritatem regiam ordinatus est Thioto vnus ex ipsis Monachis. Mense verò Augusto Hludouuicus Rex collecto exercitu, per Sorabos iter faciens, Ducibus eorum sibi coniunctis, Dalmatas prælio superat, acceptisque obsidibus tributarios fecit. Inde per Boëmanos transiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit. In qua expeditione perierunt Comites Bardo & Erpf, cum aliis quàm pluribus.

DCCCLVII. 857.

REX Hludouuicus mense Februario colloquium habuit in Confluente castello cum Hlothario nepote suo. Tempore verò Quadragesimæ Placitum habuit apud VVangionum ciuitatem. Ruoruc Nordmannus, qui præerat Dorestado, cum consensu Domini sui Hlotharij Regis classem duxit in fines Danorum, & consentiente Horico Danorum Rege, partem Regni quæ est inter mare & Egidoram cum sociis suis possedit. Otgarius Episcopus & Hruodolfus Comes Palatij, & Hernustus fili s Hernusti Ducis, cum hominibus suis & Boëmanis missi, ciuitatem VViztrachi Ducis ab annis multis rebellem occupauerunt, expulso ab ea Sclagi tago * filio Ducis VViztrachi, qui tyrannidem tunc in ea exercebat. Quo per fugam lapso, & ad Rasticen se conferente, frater eius, qui ab eo pa- * al. Sclauitago

Lvdovicvs II. Imp. tria pulsus apud Cziztiborum Sorabum exulabat, ad Regem fideliter veniens loco A
fratris Dux constituitur.

Habita est autem & Synodus apud Mogontiacum circa Kal. Octobr præsidente Carolo Archiepiscopo, vbi inter alia quæ ventilata sunt de iure Ecclesiastico, præsentata est epistola Guntharij Coloniensis Episcopi ad Altfridum Episcopum directa, in qua legebatur, contigisse Coloniæ xvti. Kal. Octob. terribilem valde tempestatem: populo cuncto præ nimio horrore in Basilicam sancti Petri confugiente, &, signis Ecclesiæ concrepantibus, vnanimiter Dei misericordiam implorante, subito fulmen inorme ignei draconis instar Basilicam scidisse ac penetrasse, atque ex omni illa multitudine tres homines diuersis quidem locis, sed vno ictu in mortem deiecisse, Presbyterum scilicet iuxta altare sancti Petri, Diaconum verò ad altare sancti Dionysij, laicum autem ad altare sanctæ Mariæ: alios etiam numero sex eodem impetu ita prostrauisse, vt elati semiuiui vix con-
858. ualescerent. Feruntur & alia prodigia his temporibus Treueri contigisse, quæ ideo scribere distuli, quia de eis certum nuncium non habui.

DCCCLVIII.

In Kalendis Ianuariis terræmotus magnus factus est per ciuitates & regiones diuersas, maximus tamen apud Mogontiacum, vbi maceriæ antiquæ scissæ sunt, & Ecclesia sancti Albani Martyris ita concussa est, vt murus de fastigio cadens, Oratorium sancti Michaelis ad Occidentem Basilicæ bicameratum cum tecto & laquearibus ruina sua confringens terræ coæquaret.

Mense autem Februario Rex cum quibusdam Consiliariis suis in Forcheim B
colloquium habuit. Inde condicto Placito, & designatis ad hoc specialiter Comitibus, in villa Alamanniæ quæ vocatur Vlma, Notingum Episcopum & Eburhardum Comitem Missos Ludouuici nepotis sui suscepit & audiuit. Post mediam autem Quadragesimam venit in Franconofurt, & ibi Pascha celebrauit. Interea Missi, quos ad Hlotharium nepotem suum directos habuit, veniunt, eúmque iuxta condictum in Confluente castello Regi occursurum esse nunciarunt. Rege autem promissionibus eius credente, & ante dies Letaniarum ad condictum diem & locum veniente; Hlotharius promissa mentitus, neque ipse venit, neque de suis aliquem mittere voluit. Fœdus enim cum Carlo contra Regem iniit, quod vterque eorum iuramento firmauit. Qui cùm se vidisset inlusum esse, reuersus in Franconofurt cùm multa de vtilitate Regni cum suis tractaret atque disponeret, tunc etiam decreuit tres exercitus in diuersos Regni sui terminos esse mittendos: vnum quidem per Karlmannvm filium suum seniorem in Sclauos Margenses contra Rasticen: alterum verò Lvdovvicvm filium suum minorem in Obodritos & Linones: tertium autem per Tracholfum in Sorabos dicto obedire nolentes, vt sedatis extrinsecus aduersariorum tumultibus, faciliùs intrinsecus Regni gubernacula disponeret.

Mense autem Iulio collectis & ordinatis exercitibus, iréque profectis, repente die media subiit Regem curarum maxima moles. Legati enim ab Occi- C
dente venerunt Adalhartus Abbas, & Oto Comes, postulantes eum, vt populo periclitanti, & in angustia posito, præsentia sua subueniret. Quod nisi celeriter fieret, & ex parte eius spe liberationis priuarentur, à Paganis cum periculo Christianitatis quærere deberent defensionem, quam à legitimis & orthodoxis dominis inuenire non possent. Tyrannidem enim Karoli se diutius ferre non posse testari sunt, quia quod ex eis Pagani extrinsecus, nemine resistente, aut scutum opponente, prædando, captiuando, occidendo, atque vendendo, reliquissent, ille intrinsecus subdolè sæuiẽdo disperderet: nec quenquam esse in omni populo qui iam promissionibus aut iuramentis eius fidem adhiberet, cũctis de bonitate illius in desperationem cadentibus. Quibus auditis, Rex grauiter conturbatus est. Duplici enim premebatur angustiá, quoniam si populi votis acquiesceret, contra fratrem, quod impium esset, agere deberet: si autem fratri parceret, à periclitantis populi liberatione, quod æquè impium esset, cessare deberet. Ad hoc accessit etiam non modicus angustiarum cumulus, vulgi videlicet æstimatio, suspicantis totum quod actum fuerit in huiusmodi negotio, non voto fieri populo condolentis, sed sola intentione Regnum dilatare cupientis. Quod longè aliter esse quàm se vulgi fert opinio, cuncti consiliorum Regis conscij veraci sermone testantur. In ista igitur curarum molestia po-

A situs, tandem consilio sapientium acquiescens, simul & conscientiæ suæ puritate præditus, maluit multorum vtilitatibus consulere, quàm vnius hominis pertinaciæ consentire: precibúsque Legatorum fauens, votis populi præsentiam eius desiderantis, cum diuino adiutorio se adfuturum promisit. Mediante autem mense Augusto VVangioni collecto comitatu per Alisatiam profectus, venit in Galliam ad villam regiam, in Regno Karoli, quæ vocatur Ponticona, vbi occurrerunt ei ferè omnes Primates partium illarum, exceptis eis quos tunc Karlus secum in præsidio habuit, pugnans contra Nordmannos supra Ligerem fluuium. Qui vt audiuit Ludouuicum esse intra terminos Regni sui, dimissa obsidione, cum exercitu occurrit in loco qui vocatur Briacus. Visáque multitudine Orientalium, simul & eorum qui è suis contra tyrannidem eius coniurauerant, cum se virtute cerneret imparem, nec posse sine grandi periculo suorum cum fratris copiis in acie congredi, deposito tamen & quasi ad pugnandum milite ordinato, ipse quidem cũ paucis latenter abscessit. Exercitus verò in loco certaminis derelictus, cognito Ducis abscessu ad Ludouuicum transiuit. Ille verò sedato impetu populi Karlum persequi cupientis, ad disponenda Regni negotia, quasi libera vtens potestate, diligentiam curámque conuertit. Et primùm quidem nimis incauta ductus securitate, omne robur totius exercitus, quem ab Oriente secum adduxerat, remisit in patriam, frustra in desertores & proprij domini proditores spei suæ fiduciam ponens. Quorum etiam consilio ibi decreuit hiemare, ignarus B per omnia imminentis sibi periculi, quod ei parabatur ex parte Karli: cuius animum ad vltionem iniuriatum suarum erexerant filij Chuonradi Comitis, Ludouuicum securum, & paucos esse qui cum eo ex suis remanserant, indicantes. Quos ille quidem quasi sibi fideles ad explorandos, sibíque renuntiandos actus Karli transmiserat. Illi verò fidem mentiti, & Karlo coniuncti, quomodo Ludouuicus ex improuiso cum multitudine exercitus obrueretur, tota intentione moliebantur. Interea nuntiatum est ei in Oriente Rempublicam Sorabici limitis esse turbatam, eo quòd Sorabi, Duce eius Czistiboro nomine, sibi fidelissimo, insidiosè perempto, defectionem meditarentur. Ac per hoc, ille quidem ad comprimendam seditionem exortam, in Regnum suum quanta potuit celeritate regressus est. Karlus verò post discessum eius sedem Regni sui, nullo aduersante, sine difficultate recepit.

Villa quædam haud procul ab vrbe Pinguia sita est, Caput montium vocata, eo quòd ibi montes per alueum fluminis Rheni tendentes, initium habent, quam vulgus corruptè Cammunzi nominare solet, vbi malignus spiritus eiusdem nequitiæ suæ ostendit indicium. Nam primùm quidem lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleo pulsando, hominibus loci illius infestus efficitur; deinde verò manifestè loqui, & furtim sublata quibusdam prodere, post hæc discordias inter habitatores eiusdem loci seminare: denique omnium C animos contra vnum hominem concitauit, quasi peccatis illius exigentibus ceteri talia paterentur. Et vt maius odium aduersus eum excitaret, in quamcumque domum idem intrauit, statim malignus spiritus illam excussit. Igitur ex necessitate coactus cum vxore & filiis foris mansit in agris, omnibus propinquis suis sub tectum suum illum suscipere timentibus. Sed nec ibi tutus fuisse permissus est. Nam cùm vniuersas fruges suas congregasset, & in aceruos collegisset, spiritus nequam ex improuiso veniens cunctas incendit. Vt autem animos vicinorum illum interficere cupientium placare potuisset, idem ipse, ferro feruente, de omnibus quæ ei obiiciebantur criminibus se ostendit immunem. Missi sunt igitur ab vrbe Mogontiaca Presbyteri atque Diaconi cum reliquiis & crucibus, qui malignum spiritum ab eo loco expellerent. Sed illis in quadam domo, vbi maximè sæuiebat, Letanias agentibus, & aquã benedictam spargentibus, antiquus hostis nonnullos ex eadem villa illuc conuenientes iactando lapides cruentauit: tamen modicum temporis à sua infestatione quieuit. Postquàm verò inde discesserunt qui missi fuerant, idem hostis multis audientibus lugubres edidit sermones. Nam primum quendam nominatim exprimens, se sub cappa illius stetisse professus est ea hora, quando aqua benedicta aspergebatur in domo. Quibus se præ timore signantibus, idem hostis de eodem Presbytero, *Meus*, inquit, *proprius est seruus: à quo enim quis*

LVDOVICVS II. IMP. *superatur, huius & proprius est seruus, quia nuper, me suadente, cum filia procuratoris istius villæ concubuit.* Quod factum nullus mortalium antè sciebat, exceptis his qui hoc crimen perpetrauerant. Patet ergo quia, iuxta veritatis sententiam, nihil opertum est quod non reueletur. His & huiusmodi malis apostata spiritus in loco suprà dicto per tria annorum curricula infestus non antè cessauit, donec vniuersa penè ædificia succendio consumeret. A

DCCCLIX.

859. LVDOVVICVS Rex quasi inchoante verno tempore, de Galliis rediens VVormatiam venit. Cùm frequentibus Legatorum suorum discursibus fratris ac nepotis sui animos reconciliare studeret, eorúmque responsa per internuntios reciproca relatione susciperet, tandem condicto tempore, singuli cum æquo numero Principum suorum ex aduersa parte nominatim expetitorum, iuxta Anternacum castellum, in quadam insula Rheni fluminis nauigio vecti conuenerunt, reliquo singulorum comitatu super littus ex vtraque parte fluminis consistente. Vbi cùm diu varia & anceps actarum simul & agendarum rerum agitata esset disputatio, condicto Placito autumni temporis iuxta Basalam communiter habendo, singuli cum suis ad propria reuersi sunt. Ludouuicus tamen eis qui priore anno à Karlo deficientes sui effecti sunt, honores quos prius habuerant, impetrare non potuit. Dilata enim res est in futuro Placito finienda. Interea vero cum suis habita locutione, Tiothonem Fuldensis Cœnobij Abbatem ad LVDOVVICVM Regem Italiæ nepotem suum, & ad Nicholaùm Apostolicum apologetica intentione Romam misit, responsa eorum, si esset possibile, ad condictum regale Placitum perlaturum. A quibus honorificè susceptus, cùm de gestis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excusaret infamiæ, Apostolica fultus epistola rediens, iuxta lacum Briganticum ad Regem venit, de loco prædicto Placiti iam tunc reuersum, quia ad condictum diem vel locum Placiti neuter sibi Regum occurrerat. Qui cùm de Legatione sua Regi per omnia satisfecisset, accepta licentia ad proprium rediit Monasterium. Vrbs Mogontia cum locis sibi contiguis, per totum anni circulum immani terræmotu vexatur. Probus Presbyter religiosus, cuius casta conuersatio & doctrinæ sanctæ studium Moguntinam illustrauit Ecclesiam, VII. Kal. Iulij diem obiit. Sed quoniam per omnia longum est texere qualiter in supra dicta Ecclesia sine fastidio die noctúque fructuoso labore desudauerit, vel quomodo omnia omnibus factus fuerit vt cunctos lucrifaceret Christo, saltim aliqua virtutum illius duobus versiculis non pigeat memoriæ commendare, vt ex his cetera diuinitus illi collata faciliùs valeant intelligi. B

Quàm prudens, humilis, patiens, castusque fuisset,
Littera vel lingua nulla referre potest.

DCCCLX.

860. HIBERNVM tempus asperum nimis & solito prolixius erat, frugibúsque & arborum prouentibus perno xium. Nix quoque sanguinolenta in plerisque locis cecidisse reperta est. Mare etiam Ionium glaciali rigore ita constrictum est, vt mercatores, qui nunquam antea nisi vecti nauigio, tunc in equis quoque & carpentis mercimonia ferentes Venetiam frequentarent. Ludouuicus Rex & Carlus frater eius, nepósque eorum Hlotharius, cum Primatibus suis in Confluente castello conuenientes, pacem inter se & fidelitatem mutuam singuli iuramento firmauerunt, cuius sacramenti series huiusmodi fuit. *Amodo & quamdiu vixero, istum fratrem meum Karlum, & nepotes meos Ludouuicum & Hlotharium atque Karlum ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi saluamentum & pacem, & ad legis ac iustitiæ & rectæ rationis conseruationem, quantum mihi Dominus scire & posse donauerit, & ipsi me obaudierint, & à me ipsi quæsierint, vero consilio, & secundum quod mihi rationabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adiutor ero ad Regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in Regno illorum eos forsconsiliabo in hoc, vt ipsi erga me similem promissionem faciant & conseruent.* C

DCCCLXI.

861. LVDOVVICVS Rex Conuentum habuit in Reganesburg tertia septimana post sanctum Pascha, in quo Ernustum Summatem inter omnes optimates suos

A quasi infidelitatis reum publicis priuauit honoribus. Vtonem quoque & Berngarium fratrem eius atque Sigihardum Comites, VValdonemque Abbatem, cum aliis nonnullis, quasi cōplices infidelitatis eius, similiter exauctorauit. è quibus Vto & Berngarius cum VValdone fratre suo in Gallias ad Karlum Regem secesserunt, ceteris intra patriam in proprietate sua remanentibus. Carlemannus quoque filiorum Regis maximus, res nouas molitus est. Expulit enim Duces, quibus custodia commissa erat Pannonici limitis & Carantani, atque per suos Marcam ordinauit. Quod Regis animum rebellionem suspicantis non parum commouit.

DCCCLXII. 862.

CARLEMANNVS per sacramenta pacis & securitatis suæ Reganesburgum venit, & reddita ratione conuicit aduersarios, patríque suo reconciliatur: iuramento confirmans ne contra eius iustam potestatem quicquam deinceps mente maliciosa machinaretur. Et Carlemānus quidem ad sua cum pace reuertitur. Rex verò Mogontiam profectus, occurrentem sibi ad colloquium nepotem suum suscepit Hlotharium Regem. Eodem quoque anno Rex ducto in Obodritos exercitu, Ducem eorum Tabamuizilem rebellantem dicto obedire, & filium suum cum aliis obsidibus dare coëgit.

DCCCLXIII. 863.

CARLEMANNVS filius Regis, qui prælatus erat Carantanis, tam multis criminibus & tam magnis apud patrem absens accusatus est, vt meritò reus maiestatis haberi debuisset, si ea quæ in eum dicta sunt ab accusatoribus probari potuissent. Quod Regis animum adeò commouit, vt per se ipsum coram frequentia B populi sui protestatus sit, Carlemannum filium suum ab eo tempore & deinceps donec ipse viueret & regnaret, sua voluntate publicis honoribus nunquam esse potiturum. Quo audito, Carlemannus ab itinere, quo ad Palatium ire cœperat, perterritus in Carinthiam se recepit, ibi tutari apud suos, quos sibi fideles arbitratus est, volens, donec patris ira quiesceret, & ipse per internuntios veraces sibi fallaciter obiecta purgaret. Interea Rex collecto exercitu, specie quidem quasi Rasticem Margensium Sclauorum Ducem cum auxilio Bulgarorum ab Oriente venientium, vt fama fuit, domaturus, re autem vera ad Carantanos filium expugnaturus accessit: qui reuera ad id temporis defenderet, nisi proditione Gundachari Comitis sui deciperetur incautus, qui totum pene robur exercitus secum habens, quasi vada fluminis N. hostibus prohibiturus, cum omnibus copiis transiuit ad Regem, & prælatus est Carantanis, sicut ei prius occultè promissum est, si Dominum suum fraude decepisset. Et hic quidē Præfecturæ dignitatem hoc modo promeruit. Carlemannus verò per iuramenta Principum venit ad patrem, & de obiectis sibi criminibus securus, quia innocens erat, & testimonio conscientiæ fretus, lætum se per omnia exhibebat atque iucundum.

EA tempestate Karlus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ II. Non. Iunij defunctus est; Luitbertus eiusdem Sedis honore sublimatus II. Kal. Decemb. In Regno quoque Hlotharij, pro eo quòd dimissa vxore legitima alteram duxit, Sy-C nodus in Mettis congregata est omnium Episcoporum eius, præter Hungarium Traiectensem, quem ægritudo detinuit. Aderant & Missi Nicholai Romani Pontificis, ob eandem causam diligenter inuestigandam directi. In quo negotio ventilato, Rex factum suum, propter quod arguebatur, consilio & auctoritate Episcoporū se fecisse testatus est. Quod illi non inficiantes, quasdam assertiones rationum verisimilium, quibus gestæ rei qualitatem munire nisi sunt, opposuerunt, eásque literis comprehensas, vt Legati Apostolici suggesserunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theotgaudū Treuerensem Galliæ Belgicæ Archiepiscopos, Nicholao Apostolicæ Sedis Pōtifici probandas transmiserunt. Qui cōuocato Romanæ Sedis Episcoporum Concilio, & Mettensem anathemarizauit Synodum, & ad se missos Episcopos deposuit, & communione priuauit: iustè quidem & canonicè, vt scriptis suis ipse testatur, iniustè verò, sicut illi rescriptis & assertionibus firmare conantur. Propterea partis vtriusque scriptorum seriem his Annalibus inserendam esse iudicaui, discernendæ rei veritatem lectoris arbitrio relinquens. Et hæc quidem sunt Apostolicæ Sedis decreta Synodalia.

NICHOLAVS *seruus seruorum Dei reuerentissimis & sanctissimis fratribus nostris Archiepiscopis in Regno Ludouuici Regis Germani constitutis. Scelus, quod Hlotharius*

LVDOVICVS II. IMP.

Rex, si tamen Rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica eneruatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theutberga scilicet & VValdrada cõmisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theutgaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores, penè totus nobis orbis vndique ad limina seu Sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoque id scribentibus nostro Apostolatui. Quod nos tantò credere renuimus, quantò de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore Concilij venientes, coram nobis & sancta Synodo tales inuenti sunt, quales fuerant à multis sæpè prædicati: ita vt scriptura, quam suis stipulauerant manibus, quámque volebant vt nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dum muscipulam innocentibus opponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completũ est, Deo auctore, quod in Prouerbiis legitur: Frustra iactatur rete ante oculos pennatorum. Siquidem ipsi obligati sunt & ceciderunt. Nos verò, qui in hoc flagitium falsò cecidisse dicebamur, fauente Domino cum iustitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta Synodo, in præsentia depositi & ab officio sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt. Vnde vestra fraternitas canonum normam custodiens, & decretorum sanctiones obseruans cauet, ne hos, quos nos abiecimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum & Guntharium protulimus, cum ceteris Capitulis, quæ sancto Concilio nobiscum sanciente promulgauimus, inferiùs annexa monstrabitur. A

DE SYNODO IN METENSIVM VRBE A THEVTGAVDO ET GVNTHARIO ARCHIEPISCOPO CONGREGATA PENITVS ABOLENDA, CAPITVLVM I. *Synodum, quæ nuper, id est piissimo Imperatore Ludouuico per Indictionem* XI. *mense Iunio, in Metensium vrbe ab Episcopis, qui nostrum præuenerant iudicium, collecta est, quique Apostolicæ Sedis instituta temerè violauerunt, ex tunc, & nunc, & in æternum iudicamus esse cassatam, & cum Ephesino latrocinio repudiatam Apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari Synodum, sed tanquam adulteris fauentem, prostibulum appellari decernimus.* B

DEPOSITIO THEVTGAVDI ET GVNTHARII ARCHIEPISCOPORVM. CAP. II. *Theutgaudum Treuerensem Primatem Belgicæ Prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos, nunc coram nobis & sancta Synodo, sub gestorum insinuatione, qualiter causam Hlothary Regis & duarum mulierum eius, Theutberga scilicet & VValdrudæ, se recognouerint & iudicauerint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam, quam à Sede Apostolica in Ingiltrudem vxorem Bosonis sanctissimus frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado, & ceteri Coepiscopi nostri petierant emittendam, & nos diuino succensi zelo, sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè viua voce se violasse confitentes, in quibus omnibus inuenimus eos Apostolicas atque Canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni iudicamus sacerdotij officio permanere penitus alienos, Spiritus sancti iudicio, & beati Petri per nos auctoritate omni Episcopatus exutos regimine consistere definientes. Quòd si, iuxta præcedentem consuetudinem, tamquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo, restitutionis spem aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes eis omnes abiici de Ecclesia, & maximè si postea quàm didicerint aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint.* C

DE CETERIS EPISCOPIS, CAP. III. *Ceteri autem Episcopi, qui complices horum, Theutgaudi scilicet & Gunthary, vel sectatores esse feruntur, si cum his coniuncti seditionem, coniurationes vel conspirationes fecerint, vel si à capite, id est à Sede beati Petri, illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneantur astricti. Quòd si cum Sede Apostolica, vnde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cetero per semetipsos vel missos ad nos Legatos cum scriptis suis professi extiterint, nouerint sibi à nobis veniam non negandam, nec amissionem honorum suorum pro retroactis præsumptionibus, aut subscriptionibus, quas pro insanis fecerunt gestis, per nos vllo modo formidandam.*

DE ENGILDRVDA, CAP. IIII. *Engildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ Bosone proprio viro relicto, ecce iam per septem circiter annos hac atque illac vagabunda, nuper cum fautoribus suis regulariter anathematizauimus, sed propter contumaciam iteratò anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à Patre & Filio & Spiritu sancto, vno & vero Deo, ab omnibus sanctis Patribus, & ab vniuersa sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & à nobis*

A *penitus anathema, cum omnibus complicibus, communicatoribus atque auxiliatoribus suis, ita vt, sicut iam decreuimus, si quis ei communicare vel fauere in aliquo præsumpserit, siquidem Clericus fuerit, in eodem vinculo constrictus, officium clericatus amittat: Monachi verò & Laici, si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sanè si eadem mulier ad virum suum reuersa fuerit, vel Apostolicam beati Petri Sedem Romam properans, veniam ei post dignam satisfactionem proculdubio non negabimus. Verumtamen sub priori vinculo anathematis, quo illam prius & nunc obligauimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Engildrudæ Apostolicam beati Petri Sedem Romam specialiter properanti vel occurrenti nesciens communicauerit, aut sciens opem in veniendo præstiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.* DE SENTENTIIS ATQVE INTERDICTIS SEDIS APOSTOLICÆ, CAP. V. *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

EPISCOPI verò supradicti postquam damnati sunt, hæc rescripserunt. CAP. I. *Nicholao Pontifici, Gunthariùs atque Theutgaudus. Patres Episcopi & fratres Coepiscopi nostri ad te nos direxerunt, & nos sponte iuimus, consulere videlicet, expleta generali Legatione, tuum magisterium super his specialiter, quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adiicientibus notum esse potuit, indicauimus, auctoritates rationésque quas secuti fuimus scriptis ostendentes, vt tua sapientia, perscrutatis omnibus, quid inde sentires & quid* B *velles, nobis paterno demonstrares affectu, nósque fraterna caritate procurares: &, si melius illud tua sanctitas inuenerit, vt nos instrueres & doceres, suppliciter obsecrauimus, paratí, quicquid rectius & probabilius esset, libenter amplecti.* CAP. II. *Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expressisti. tantum quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere & innocentes iuxta assertiones nostri libelli.* CAP. III. *Ad vltimum autem nos euocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil aduersitatis suspicantes: ibique obseratis ostiis, facta more latrocinali conspiratione, ex Clericis & Laicis turba collecta & permixta, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris & Clericis & Laicis separatos, atque sine Synodo & sine canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel auctoritate ac probatione conuincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis & dioecesaneis Coepiscopis & confratribus nostris, extra omnium omnino consensum, tuo solius arbitrio & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subito quadam tibi cartula & improuisè porrecta lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim Presbytero ambitus damnato, & deposito, & anathematizato, cuius scelerato magisterio tuus præcipitatur furor.* CAP. IV. *Ergo tuam prauam sententiam à zelo rectitudinis alienam, iniustam, & irrationabilem, Canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imò cum omni coetu fraterno, quasi nefas atque maledictum frustra prolatum contemnimus atque abiicimus, tibique anathematizatorum* C *& religionis sacræ abiectorum & contemptorum fautori & communicatori reuera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, téque ab ea elationis tumore indignum faciens segregas.* CAP. V. *Igitur ex tua leuitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam inflixisti, exclamans, Qui Apostolica præcepta non seruat anathema sit. Quæ multipliciter violare & violasse dignosceris, diuinas leges simul & sacros canones calcans, &, quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergo, quí fraudulentiam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidúmque potentatum agnoscimus, nihil tibi tuaque superbia cedimus, quia nos ad vota nostrorum, quibus faues, inimicorum obruere festinabas, sciésque nos non tuos esse, vt te iactas & extollis, Clericos, quos vt fratres & Coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscij, nimium tua improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati, sed contra tuam iniquitatem Ecclesiastico zelo accensi, nec nostra vtilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.*

DCCCLXIV. 864.

GVNTHARIVS Coloniæ ciuitatis Episcopus pœnitentia ductus, quòd contra domnum Apostolicum iniustæ rationis contentionem inchoauerat, reconciliationis suæ & emendationis gratiâ Romam profectus, in præsentiam Apostolici

LVDOVICVS II. IMP. uiti Nicholai uenit: sed ueniam minimè consecutus est. Hludouuicus Rex in mense Augusto, ultra Danubium cum manu ualida profectus, Rasticen in quadam ciuitate, quæ lingua gentis illius Douuina, id est puella dicitur, obsedit. At ille, cùm Regis copiis congredi non auderet, atque loco sibi effugiendi denegata cerneret, obsides quales & quantos Rex præcepit, necessitate coactus dedit; insuper cum uniuersis Optimatibus suis, fidem se cunctis diebus Regi seruaturum esse iuramento firmauit, licèt illud minimè seruauerit. A

HLVDOVVICVS & Karolus Reges & fratres apud Dusicam uillam mense Septembri conuenientes fœdus ineunt, & quidquid inter eos leuitate humana uel suggestione militum perperam gestum fuerat, sibi mutuo dimittunt, cuncta retro obliuioni tradenda censentes. Huius autem fœderis pactum inuiolabiliter omni tempore conseruandum, testes & admonitores idonei ex utraque parte statuuntur. Nam Hludouuicus ex parte Karoli Hincmarum Remensem Episcopum & Engilrammum Comitem: Karolus verò ex parte Hludouuici Luitbertum Archiepiscopum & Altfridum Antistitem elegit, ut si fortè ab aliquo eiusdem pacti iura læderentur, his admonentibus, & gesta priora ad memoriam reuocantibus, faciliùs in pristinum statum reformari possent. Guntharius Coloniæ ciuitatis Episcopus pœnitentia ductus, quòd ministerium sacerdotale ab Apostolico sibi interdictum contingere præsumpserat, Romam profectus est; sed restitutionis uel satisfactionis locum minimè inuenit.

865. DCCCLXV.

RVODOLFVS Fuldensis Cœnobij Presbyter & Monachus, qui apud totius penè Germaniæ partes Doctor egregius & insignis floruit Historiographus & Poëta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII Id. Mart. diem ultimum feliciter clausit. Decessit autem eodem anno Ernustus Comes. B

ARSENIVS Episcopus Nicholai Papæ Romanæ urbis Legatus, ob pacem & concordiam inter Hludouuicum & Karolum fratrem eius, nec non Hlotharium nepotem eorum, renouandam atque constituendam missus est in Franciam. Qui apud uillam regiam Franconofurt à Hludouuico Rege honorificè susceptus, & muneribus magnificis honoratus, condictóque inter eos Placito de supradicta conuentione apud Agrippinam Colonam habituro, ad Karolum Regem in Galliam pergit. Illic quoque mirificè à Rege susceptus, regalibúsque donis sublimatus, propter condictum Placitum Agrippinam, ut diximus, Coloniam uenit, ibique obuiam ei duo fratres Hludouuicus uidelicet atque Karolus, absente Hlothario nepote eorum, ad condictum Placitum conuenerunt, multisque ibidem causis benè dispositis, cum pace reuertitur Romam.

866. DCCCLXVI.

VVERINHARIVS Comes unus ex Primoribus Francorum apud Hludouuicum Regem accusatus, quasi Rastizen suis hortationibus aduersus eum incitasset, publicis priuatus est honoribus. Arsenius Episcopus Nicholai Romani Pontificis Legatus ob pacem & concordiam inter Hludouuicum Regem, & nepotes eius, Hludouuicum uidelicet Italiæ Imperatorem, & Hlotharium fratrem eius, missus est in Franciam. Qui mense Iunio ueniens apud Franconofurt, ab Ludouuico Rege honorificè susceptus est, à quo absolutus in Galliam perrexit, & Theutpergam Reginam à Lothario dudum dimissam, sicut ei ab Apostolico iniunctum fuerat, eidem restituens, VValdradam concubinam eius in Italiam duci præcepit: & ut Hlotharius Teutpergam quemadmodum Rex legitimè sibi coniunctam deinceps tractaret Reginam, duodecim ex Optimatibus eiusdem Regis iuramento firmare coëgit. Deinde in Regnum Karoli profectus, multisque ibi, quorum gratia illuc uenerat, benè dispositis, Romam reuersus est. C

HLVDOVVICVS Hludouuici Regis filius, grauiter ferens quòd Rex quædam beneficia illi subtrahens, Karlmanno fratri suo reddidit, patri molestus efficitur. Nam nuntiis per uniuersam Thuringiam & Saxoniam missis, quos potuit ad se traxit, & contra Regem rebellare disposuit. VVerinharium quoque, Vtonem, & Berengarium, Comites à patre suo depositos, suis adhibens consiliis, pristinam eis dignitatem se restituturum esse promisit. Sed & Heinricum Principem suæ militiæ ad Rastizen destinauit, obnixè postulans ut eiusdem conspirationis fautor fieri non recusaret. Quo comperto, Rex Karlmannum ad tuitionem

A Baioariæ detelinquens, concitus venit in Franciam, & à suis vndique confluentibus honorificè apud Franconofurt susceptus est, & conspirationem exortam facilè extinxit. Tanta etenim multitudo fidelium suorum cum eo tunc aderat, vt pars aduersa, nisi timor filij eius adfuisset, ligari proculdubio potuisset. Interea Guntpoldus quidam de satellitibus Karlmanni contra Dominum suum volens dimicare, amisso exercitu vix viuus euasit. Hludouuicus verò mediante Luitberto Archiepiscopo aliisque pacis amatoribus, mense Nouemb. apud VVormatiam patri suo reconciliatur. LVDOVICVS II. IMP.

E A tempestate apud Mogontiacum quidam de hominibus Luitberti Archiepiscopi, orta seditione, interfecti sunt, quorum mors grauiter in auctores seditionis vindicata est. Quidam enim in ligno suspensi, alij manuum & pedum summitatibus amputatis, etiam lumine oculorum priuantur: nonnulli omnia sua relinquentes, & mortem euadere cupientes, exules effecti sunt. Legati Bulgarum Radesponam ad Regem venerunt, dicentes Regem illorum cum populo non modico ad Christum esse conuersum, simúlque petentes vt Rex idoneos prædicatores Christianæ religionis ad eos mittere non differret.

DCCCLXVII. 867.

R E X Hludouuicus Bulgarum petitionibus annuens, Ermenricum Episcopum cum Presbyteris & Diaconibus ad propagandam fidem Catholicam præfatæ genti destinauit. Sed cùm illuc peruenissent, Episcopi à Pontifice Romano missi totam illam terram prædicando & baptizando iam tunc repleuerant. Quapropter B isti accepta à Rege licentia redierunt in sua. Hlotharius Rex promissionem suam, quam super Theutperga Regina Legato pollicitus est Apostolico, irritam ducens, atque iuramentum Optimatum suorum flocci pendens, iterum VValdradæ ab Italia reuocatæ se clanculo sociauit. Vnde Nicholaus Apostolicus diuino zelo commotus, per diuersas Christianæ religionis prouincias, Italiæ videlicet & Germaniæ, Neustriæ atque Galliæ, Regibus & Episcopis destinauit epistolas, in quibus eam cum vniuersis complicibus, & communicatoribus, fautoribúsque suis, à consortio sanctæ Ecclesiæ vsque ad pœnitentiæ satisfactionem sequestrauit. Misit præterea epistolam filiis Hludouuici Regis, de honore parentum seruando.

R V O D B E R T V S Karoli Regis Comes apud Ligerim fluuium contra Nordmannos fortiter dimicans occiditur, alter quodammodo nostris temporibus Machabæus: cuius prælia, quæ cum Brittonibus & Nordmannis gessit, si per omnia scripta fuissent, Machabæi gestis æquiparari potuissent. Terræmotus per plurima loca factus est VII. Id. Octob.

DCCCLXVIII. 868.

N I C H O L A V S Pontifex Romanus Episcopis Germaniæ duas destinauit epistolas, vnam quidem de factionibus Græcorum, alteram verò de Theutgaudi & Guntharij Episcoporum depositione, in qua refert eos septem capitalia crimina C commisisse, & ob hoc pristinæ dignitatis restitutionem nequaquam eos in sempiternum recipere posse commemorat. Synodus apud VVormatiam mense Maio habita est præsente Hludouuico Rege, vbi Episcopi nonnulla capitula de vtilitate Ecclesiastica conscribentes, Græcorum ineptiis congrua ediderunt responsa. Hlotharius Rex Romam profectus, summo studio nisus est VValdradam cum consensu & fauore Nicholai Pontificis sibi matrimonio coniungere. Sed eum iam defunctum reperiens, in Beneuentum ad fratrem suum Hludouuicum perrexit, & huius copulæ fautorem illum fore postulauit apud Adrianum, qui Nicholao in Pontificatu successit. sed petitionis effectum minimè consecutus est.

E O D E M anno stella cometes per aliquot noctes apparuit, fontes quoque & flumina propter nimiam imbrium inundationem crescendo intumuerunt, & per diuersa loca in frugibus & ædificiis damnum fecere non modicum. Hanc plagam fames etiam magna cum ingenti pernicie humani generis per totam Germaniam & Galliam secuta est.

DCCCLXIX. 869.

S C L A V I, qui vocantur Behemi, terminos Baioariorum crebris incursionibus infestant, & quasdam villas incendio tradentes, mulieres indè duxêre captiuas. Contra quos Hludouuicus Rex tutores partium illarum interim misit, donec

LVDOVICVS II. IMP. ipſe opportuno tempore ſuorum vindicaturus injurias, in deſertores arma corripetet. Karlmannus exercitibus Raſtici bis numero congreſſus victor extitit, prædam indè capiens non modicam, ſicut ipſe litteris ad patrem ſuum deſtinatis retulit. Sotabi & Siuſli, iunctis ſibi Beheimis, & ceteris circum circa vicinis, antiquos terminos Thuringiorum tranſgredientes, plurima loca deuaſtant, & quoſdam ſibi incautè congredientes interficiunt. A

CVNDACHAR vaſſallus Karlmanni, qui multis periuriis & doloſis machinationibus Hludouuico Regi eiúſque filiis ſæpenumerò extitit infidelis, & proprium dominum derelinquens ad Raſticem defecerat, contra patriam more Catilino dimicare volēs, occiſus eſt. Hic Karlmanni Ducibus ad locum certaminis appropinquantibus, dixiſſe fertur ad eos, quibus à Raſtiſo erat prælatus; *Pugnate fortiter, veſtram patriam tuentes. ego enim in hoc certamine vobis proficuus non ero; quoniam ſanctus Emmerammus, ceterique Sancti, in quorum reliquiis Hludouuico Regi filiiſque illius fidem me ſeruaturum eſſe iuraui, meum clypeum & haſtam tenentes mea brachia iiſdem deprimunt, & me vndique conſtrictum quaſi loris ligatum retinent, ita vt nec manum quidem ad os mittere valeam.* Dum hæc infelix loqueretur, noſtris ſuperuenientibus occubuit, Domino illi infidelitatis ſuæ condignam mercedem retribuente. Quod cùm Regi relatum fuiſſet, omnes in commune laudare Dominum, ſignis etiam cunctarum in Reganeſburg Eccleſiarum concrepantibus, pro interitu hoſtis extincti præcepit. Hlotharius Rex infecto negotio propter quod Romam venerat, in Regnum ſuum redire volens, apud Placentiam Italiæ vrbem menſe Iulio diem obiit, plurimíque de Optimatibus illius in eodem itinere conſumpti ſunt. B

MENSE verò Auguſto Rex Hludouuicus collectis copiis in tres partes dimiſit exercitum. Æquiuocum ſuum cum Thuringiis & Saxonibus ad comprimendam Sorabum audaciam deſtinauit: Baioarios verò Karlmanno in adiutorium fore præcepit, contra Zuentibaldum nepotem Raſtizi dimicare volentem: Ipſe autem Francos & Alamannos ſecum retinuit aduerſus Raſtizen pugnaturus. Cúmque iam proficiſcendum eſſet, ægrotare cœpit. Vnde neceſſitate compulſus, Karolum filiorum ſuorum vltimum eidem exercitui præficit, Domino exitum rei commendans. Qui dum eum exercitu ſibi commiſſo in illam ineffabilem Raſtici munitionem, & omnibus antiquiſſimis diſſimilem veniſſet, diuino auxilio fretus, omnia mœnia regionis illius cremauit incendio, & abſcondita quæque in ſiluis vel defoſſa in agris reperiens, cum ſuis diripuit, omnéſque ſibi congredientes fugere compulit vel interfecit. Nec minus Carlmannus Regnum Zuentibaldi nepotis Raſtizi igne & gladio depopulatur: vaſtatáque omni regione Karlus & Karlmannus fratres conuenerunt, de victoria ſibi cœlitus data gratulantes. Interea Hludouuicus frater illorum cum Sorabis manum conferens, primò quidem quibuſdam occiſis, hoſtes terga vertere coëgit: deinde verò non modica ex eis multitudine proſtrata, & Behemis, qui à Sorabis mercede conducti fuerant, partim occiſis, partim turpiter ad ſua redeuntibus, ceteros in deditionem accepit. C

DVM hæc in diuerſis locis gerebantur, Hludouuicus Rex apud Radaſbonam Baioariæ ciuitatem graui detinebatur infirmitate, ità vt medici illum ſanitatem recuperare poſſe deſperarent. Quapropter omne aurum & argentum, quod in theſauris illius inueniri potuit, per diuerſa Monaſteriorum loca diſtribuit, & pauperibus erogauit: vnde & à cœleſti medico, cui ſe ſuáque commendauit, curari promeruit. Karolus verò Rex comperta Hludouuici fratris ſui infirmitate, Regnum Hlotharij inuaſit, & ſecundum libitum ſuum diſpoſuit, atque ad ſe de eodem Regno venire nolentes publicis priuariſque rebus priuauit. Qui etiam prauorum vſus conſilio, in vrbe Mettenſi diadema capiti ſuo ab illius ciuitatis Epiſcopo imponi, & ſe Imperatorem & Auguſtum, quaſi duo Regna poſſeſſurus, appellari præcepit. Omnes autem Hludouuici Regis filij in diuerſis locis rebus proſperè geſtis, ſine damno militum ſuorum, cum triumpho regreſſi ſunt. Behemi dextras ſibi à Karlmanno dari petunt, & accipiunt.

870. DCCCLXX.

HLVDOVVICVS Rex de infirmitate ſua conualeſcens, menſe Februario in Purificatione ſanctæ Mariæ ad Franconofurt villam Regni ſui peruenit, ibique

A plurimos de Optimatibus Hlotharij diu illum opperientes, in suum suscepit dominium, & beneficium illis à Karolo sublatum restituit. Nonnulli etiam, qui priùs cum Karolo fuerant, eum deserentes, ad Hludouuicum venerunt. Luitbertus Moguntinæ sedis Archiepiscopus cum quibusdam Suffraganeis suis profectus Coloniam, VVillibertum Presbyterum iussu Hludouuici Regis, & totius Cleri & populi electione, etiam Karlo nolente, in locum Gunthari ordinauit Episcopum. LVDOVICI II. IMP.

ZVENTIBALD nepos Rastizi propriis vtilitatibus consulens, se Karlmanno, vna cum Regno quod tenebat, tradidit. Vnde Rastiz vehementer iratus, nepoti occultè ponit insidias, & eum in conuiuio nihil mali suspicantem iugulare disponit. sed gratia Dei à periculo mortis liberatus est. Nam antequam illi qui eum necaturi erant domum intrarent, surrexit de loco conuiuij, annuente sibi quodam eiusdem fraudis conscio, & quasi cum flaconibus * ludum exercens, præparatas deuitauit insidias. Rastiz autem videns denudatum consilium suum, nepotem cum militibus quasi comprehensurus insequitur: sed iusto iudicio Dei captus est laqueo quem tetendit. Nam ab eodem nepote suo comprehenditur, ligatur, & Karlmanno præsentatur: à quo sub militibus illum ne elaberetur obseruantibus, in Baioariam missus, vsque ad præsentiam Regis seruandus in ergastulum retruditur. Karlmannus verò Regnum illius nullo resistente ingressus, cunctas ciuitates & castella in deditionem accepit, & ordinato Regno atque per suos disposito, ditatúsque gaza regia reuertitur. * al. falconibus

REX autem Hludouuicus dies Letaniarum & Pentecostes in villa Bisestat B prope VVormacense celebrauit. Inde à Karolo ad colloquium inuitatus, mense Iunio ad Occidentem profectus est: sed in itinere in quodam solario positus, ruente ædificio, & ipse pariter corruit, grauem patiens membrorum collisionem. Tamen simulata sanitate cum Karolo colloquium habuit, & diuiso inter se Hlotharij Regno, Aquisgranum reuersus est, ibique per plures dies iacuit ægrotus.

APVD Mogontiacum per aliquot noctes aër totus rubore quasi sanguine perfusus enituit. alia etiam prodigia visa sunt in cœlo. Nam nubes quædam ab Aquilone quadam nocte ascendit, altera ab Oriente & Meridie è contra venit, spicula ignea inuicem sine intermissione mittentes, tandémque in summitate cœli coëuntes, & se quasi exercitus in prælio confundentes, non modicum timorem simul & admirationem cernentibus ingerebant. omnes tamen rogabant in bonum monstra conuerti. Ipsa quoque ciuitas terræmotu bis concussa est. Nonnulli etiam in pago VVormacensi messem colligentes, propter Solis calorem solito grauiorem extincti referuntur. Plurimi quoque in Rheno flumine suffocati perierunt. Sed & mulier quædam in festiuitate sancti Laurentij, ceteris ad Ecclesiam properantibus, panes coxit venales. Quæ à vicinis suis admonita, vt tantæ diei honorem tribueret, & Ecclesiam peteret, noluit omittere quin opus quęstus causa expleret. Sed cùm reuerentiæ Sanctorum præposuisset lucrum terrenum, & ex eadem massa farinæ, de qua priùs fecerat nitidos panes, postea formatos
C misisset in fornacem, subitò eosdem atramento repperit nigriores. Igitur confusa foras cucurrit, & peccatum quod commisit in transgressione tantæ sollemnitatis, & damnum quod de interitu panum perpessa est, palam omnibus qui aderant indicauit. Boum quoque pestilentia in nonnullis Franciæ locis immanissimè grassando, multis inrecuperabile intulit damnum.

HABITA est autem & Synodus in ciuitate Colonia iussu Hludouuici Regis VI. die Kalend. Octob. præsidentibus Metropolitanis Episcopis Prouinciarum, Luitberto Mogontiacensium, Berthulfo Treuerorum, VVilliberto Agrippinensium, cum ceteris Saxoniæ Episcopis. Vbi cùm plurima ad vtilitatem Ecclesiasticam pertinentia ventilassent, etiam domum sancti Petri catenus minimè consecratam dedicauerunt. Feruntur etiam in eadem nocte, quando Basilica mane erat consecranda, voces malignorum spirituum auditæ inter se loquentium, & valde dolentium se ab obsessis diutissimè sedibus expelli debere. Morante autem Hludouuico Rege in Aquense Palatio, venerunt ad eum Legati Hludouuici Imperatoris de Italia, simúlque Adriani Papæ, quos ille suscipiens absoluit. Et post paululum inde transiens circa Kal. Nouemb. in Baioariam profectus est, ibique cum suis colloquium habens, Rastizen graui catena ligatum sibi pręsentari iussit,

LVDOVICVS II. IMP. eúmque Francorum iudicio, & Baioariorum, nec non Sclauorum, qui de diuersis A Prouinciis Regi munera deferentes aderant, morte damnatum, luminibus tantùm oculorum priuari præcepit.

871. DCCCLXXI.

HLVDOVVICVS & Karolus Hludouuici Regis filij durè accipientes, quòd quandam partem Regni Francorum, quam Rex illis sub testamento post obitum suum habendam delegauerat, ab eis auferri & Karlmanno fratri illorum tradi fama volitante audierunt, congregata multitudine non modica, Spirensem pagum occupant, contra Regem rebellare disponentes. Quod cùm Rex comperisset, de Baioaria profectus venit ad Francouofurt in Kal. Februar missisque nuntiis, animos filiorum suorum sibi reconciliare nititur. Sed cùm reciproci nuncij diu laborantes rem ad effectum perducere non potuissent, tandem condicto Placito, atque pace ex vtraque parte iuramento firmata, Rex quidem in Baioariam se recepit, filij verò illius in loca sibi delegata profecti sunt.

ZVENTIBALD nepos Rastizi apud Karlmannum infidelitatis crimine insimulatus, in custodiam missus est. Sclaui autem Marahenses Ducem suum perisse putantes, quendam Presbyterum eius Ducis propinquum nomine Sclagamarum sibi in Principem constituunt, ei minantes interitum, nisi Ducatum super eos susciperet. Qui eisdem necessitate coactus assensum præbens, contra Engilscalcum & VVillihelmum Duces Karlmanni prælia mouere, & eos ex obsessis ciuitatibus expellere nititur. Illi verò aduersus hostem pari intentione dimicantes, & nonnullos de exercitu eius prosternentes, eum fugere compulerunt. B

REX Hludouuicus mense Maio, iuxta condictum Placitum, venit ad villam Tribure, ibique filiorum suorum animos propter obcæcationem cuiusdam Saxonis, ad iracundiam prouocauit, ita vt ad eius colloquium nollent venire. Erat enim is, qui excæcatus fuerat, Heimrichi Comitis vassallus. Rex autem filios inde transeuntes in villa Gericheshеim prosecutus, vix ad suum inuitauit colloquium, & blandis sermonibus & beneficiorum pollicitationibus aliquo modo mitigauit. Deinde mense Iunio ad Occidentem profectus, loca ad se pertinentia peragrauit. Interea Zuentibald, cùm nullus crimina, quæ ei obiecta fuerant, probare potuisset, à Karlmanno dimissus, & muneribus regiis honoratus, in Regnum suum rediit, ducens secum Karlmanni exercitum, quasi Sclagamarum expugnaturus. Sic enim per dolum Karlmanno promiserat, si ei ad patriam reditus concederetur. Sed sicut solet incautos & de se præsumentes sequi ignominia, sic illi contigit exercitui. Nam Zuentibald ceteris castrametantibus, vrbem antiquam Rastizi ingressus est, statimque Sclauisco more fidem mentitus, & iuramenti sui oblitus, non ad expugnandum Sclagamarum, sed ad vlciscendam contumeliam à Karlmanno sibi illatam vires studiúmque conuertit. Denique Baioarios nihil mali suspicantes, & minus se obseruantes, cum exercitu in castris aggressus est, & multos ex eis viuos comprehendit, ceteris penè omnibus occisis, exceptis his qui priùs se prudenter de castris subtraxerant, omnisque Noricorum lætitia de multis retro victoriis conuersa est in luctum & lamentationem. Quibus C auditis, Karlmannus de exercitus sui interitu nimium consternatus est, & necessitate compulsus omnes obsides, qui in suo Regno erant, iussit colligi, & Zuentibaldo reddi, vixque vnum virum nomine Ratbodonem inde semineсem recepit.

MENSE Augusto Hludouuicus Rex cum Karolo fratre suo colloquium habuit prope Masa fluuium, sed nec ibi filios suos secum pacificare potuit. Noluerunt enim ad eius colloquium venire, propter dilationem beneficiorum quæ eis promissa fuerant. Cùm autem falsus rumor exisset, Hludouuicum Italiæ Imperatorem ab Adalgiso Duce Beneuentano insidiosè peremptum fuisse, & Rex tristis de Aquensi Palatio in Orientales partes Regni sui rediret, ilico filij eius obuiam ei venientes, & quibusdam beneficiis ab eo acceptis, sine vlla difficultate Regi reconciliantur. Rex autem mense Octob. cum suis colloquium habuit in Franconofurt. Indè in Baioariam profectus, contra Behemos irruptionem in Regnum suum molientes, tutores partium suarum misit, Arnum videlicet Episcopum, & Ruodoldum Comitem, alióſque cum eis. Aduersarij autem quendam locum vallo firmissimum circundederunt, iter angustum in ipso aditu facientes, ad

A ad insidias scilicet illorum qui terminos obseruabant, vt si fortè aliquis ex illis illuc veniret, in ipso angusto itinere nusquam declinare valens occideretur. Interea Sclaui Marahenses nuptias faciunt, ducentes cuiusdam Ducis filiam de Behemis. Quod cùm supradicti viri, id est Arni & alij qui cum eo erant, comperissent, ilico armati aduersarios sequebantur. Illi autem fugientes, ad vallum memoratum ignari venerunt, ibique propter loci angustiam, equis & armis derelictis, vix nudi euaserunt. Nostrates verò superuenientes DCXLIV. equos cum frænis & sellis, atque eiusdem numeri scuta, quæ fugientes dimiserant, inuenerunt. & hæc nullo resistente tollentes, ad castra læti reuersi sunt. LVDOVICVS II. Imp.

DCCCLXXII. 872.

MENSE Ianuario circa Epiphaniam Basilij Græcorum Imperatoris Legati cum muneribus & epistolis ad Hludouuicum Regem Radasbonam venerunt, atque ei, inter cetera xenia, crystallum miræ magnitudinis, auro gemmisque pretiosis ornatum, cum parte non modica salutiferæ crucis obtulerunt. Qui honorificè suscepti, & congrua responsione accepta, redierunt in sua. Rex verò mediante Quadragesima apud villam Foracheim generali Conuentu habito, filios suos de Regni partitione inter se diffidentes pacificauit, & quam quisque partem post obitum suum tueri deberet, liquidò designauit. Ibi etiã Hludouuicus & Karolus filius eius in conspectu totius exercitus fidem se illi seruaturos esse omni tempore vitæ illorum, iuramento firmauerunt. Inde Rex in Baioariam reuersus, Pascha celebrauit:

B MENSE autem Maio misit Thuringos & Saxones contra Sclauos Marahenses, qui quoniam Regem secum non habebant, & inter se concordes esse nolebant, idcirco hostibus terga verterunt, & plurimis suorum amissis turpiter redierunt: ita vt quidam Comites in illa expeditione fugientes, à mulierculis illius regionis verberati, & de equis in terram fustibus deiecti referantur. Iterum quidam de Francia mittuntur Karlmanno in auxilium contra Sclauos supra dictos, alij destinantur contra Behemos, qui Dei adiutorio freti Duces quinque, quorum ista sunt nomina, Zuuentislan, VVitislan, Heriman, Spoitiman, Moyslan, cum maxima multitudine sibi rebellare nitentes, in fugam verterunt, & alios quidem occiderunt, alios verò in fluuio Fludaha * submerserunt. Qui autem euadere potuerunt, in ciuitate defecerunt. Deinde parte non modica illius Prouinciæ depopulata, incolumes reuersi sunt. In hac expeditione Luitbertus Archiepiscopus primatum tenuit. Hi verò qui Karlmanno missi sunt in auxilium, id est Aran Episcopus, & Sigahardus Abbas Fuldensis Monasterij, quamuis fortiter hostes premendo pugnassent, plurimis tamen suorum amissis cum magna difficultate regressi sunt. Sed cùm Karlmannus cædes & incendia in Marahensibus exercuisset, Zuentibald misso clam exercitu copioso, Baioarios, qui ad tuendas naues in littore Histri fluminis relicti fuerant, occupauit, & alios occidit, alios necauit in flumine, alios verò duxit captiuos: nullúsque inde, nisi Embrico Radasbonæ ciuitatis Episcopus, cum paucis euasit. * al. Fuldaha

C OMNE tempus æstiuum grandinibus variisque tempestatibus peruarium extitit. Nam grando plurimis locis fruges deuastauit, horrenda etiam tonitrua & fulmina penè quotidie mortalibus interitum minabantur, quorum ictibus per ualidis homines & iumenta in diuersis locis exanimata, & in cinerem redacta narrantur. Domus quoque sancti Petri apud VVormatiam igne cœlesti consumpta est, & muri penitus euersi. Sed & terræ motus III. Non. Decemb. hora prima Magontinam consumpsit ciuitatem. Rex autem disposita Baioariorum regione, ad Franconofurt mense Decembr. venit, ibique Natale Domini celebrauit.

DCCCLXXIII. 873.

MENSE verò Ianuario cum suis vndique venientibus de statu Regni sui & vtilitate in loco supradicto Placitum habere disposuit: ibique, Domino fauente, eius bonitas magnificè demonstrata est, & quorundam malitia illi insidiantium denudata. Nam cùm VII. Kal. Feb. Curiam introisset, in præsentia illius & Optimatum suorum, Episcoporum videlicet atque Comitum, malignus spiritus Karolum filium eius minimum inuasit, & grauiter vexauit, ita vt à sex viris fortissimis vix teneri potuisset. Et quidem satis iustè. Qui enim Regem à Deo electum & ordinatum decipere voluit, ipse deceptus est: & qui patri suo insidiosè laqueos tendere consiliatus est, ipse in laqueos diaboli incidit: quatenus ex ipsa vexatione

LVDOVICVS II. IMP. diabolica disceret, non esse consilium contra Deum. Rex autem, & omnes qui cum illo erant, vehementer contristati lachrymas fuderunt. Cúmque duceretur ad Ecclesiam, vt Episcopi pro eius sanitate Domino supplicarent, nunc exili, nunc grandi voce clamitans, morsum se tenentibus aperto ore minabatur. Conuersus igitur Rex ad æquiuocum suum, ait: *Vidésne, ò fili, cuius domimo vos mancipatis, túque fratérque tuus, quando aduersum me aliquid sinistri machinari cogitatis? Modò intelligere poteris, si antea noluisti, quod, iuxta veritatis sententiam, nihil opertum est quod non reueletur. Confitere ergo peccata tua, & age pœnitentiam, & Deum humiliter postula vt te relaxet. Ego etiam, quantum in me est, indulgentiam tibi tribuo.* Idem verò Karolus post sedatam infestationem diaboli, viua voce, multis audientibus, retulit se toties aduersæ potestati traditum, quoties contra Regem conspirationem iniisset. Karolus Galliæ tyrannus, paterna miseratione deposita, Karlmannum filium suum in Diaconatus officio positum excæcari præcepit. A

EXACTIS autem diebus Quadragesimæ, & hebdomada Paschali finita, Rex de Franconofurt transiens in villa Bisestat prope VVormatiam Placitum habuit, filiósque suos, Hludouuicum videlicet & Karolum, ad audiendum singulorũ causas constituit, vt quicquid illi per se terminare non possent, patris iudicio reseruarent. Vnde accidit vt vndique conuenientium querimoniis legitimè terminatis, vnusquisque cum gaudio rediret in sua. Venerunt quoque illuc Sigifridi Danorum Regis Legati pacis faciendæ gratia inter illos & Saxones, & vt negotiatores vtriusque Regni inuicem transeuntes & mercimonia deferentes emerent & venderent pacificè. Quæ omnia Rex ex sua parte rata fore permisit. Quidã etiam de Alamannia nomine Berthrammus, qui superiori anno in Marahensibus Sclauis fuerat comprehensus, à Zuentibaldo dimissus, venit ad Regem, & Legationem sibi ab eodem Duce iniunctam retulit, sicut prius iuramento constrictus se facturum esse pollicitus est. Inde Rex circa Kalend. Maij Mogontiacum veniens, per alueum Rheni fluminis nauigio vectus Aquense Palatium petiit, ibique cum suis secretum habuit colloquium, & Rorichum per obsides ad se venientem in suum suscepit dominium. Deinde mense Augusto cùm apud vrbem Mediomatricorum generalem Conuentum habuisset, Halbdeni frater Sigifridi Regis etiam suos ad eum nuntios misit, eadem postulans quæ frater suus postulauerat: videlicet vt Rex Legatos suos ad fluuium nomine Egidoram, qui illos & Saxones dirimit, mitteret, & illi eisdem occurrentes pacem ex vtraque parte omni tempore stabilem confirmarent. Obtulerunt quoque iidem nuntij gladium Regi pro munere, aureum habentem capulum: obnixè flagitantes, vt Rex dominos suos, supradictos scilicet Reges, in loco filiorum habere dignaretur, & illi eum quasi patrem venerari vellent cunctis diebus vitæ suæ. Iurabant etiam iuxta ritum gentis suæ per arma sua, quòd nullus deinceps de Regno dominorum suorum Regnum Regis inquietare, aut alicui in illo læsionem inferre deberet. Quæ omnia Rex gratanter accepit, & postulata se facturum spopondit. Quibus in patriam reuersis, Rex per Alsatiam transiens, Argentoratum venit, ibique Rheno flumine transito, in Baioariam profectus est. B C

EODEM anno facta est fames valida per vniuersam Italiam atque Germaniam, & multi inedia consumpti sunt. Tempore verò nouarum frugum, noui generis plaga & prima in gente Francorum visa, Germanicum populum, peccatis exigentibus, non mediocriter afflixit. Nam vermes quasi locustæ, quatuor pennis volantes, & sex pedes habentes, ab Oriente venerunt, & vniuersam superficiem terræ instar niuis operuerunt, cunctáque in agris & in pratis viridia deuastabant. Erant autem ore lato, & extenso intestino, duósque habebant dentes lapide duriores, quibus tenacissimas arborum cortices corrodere valebant. Longitudo & grossitudo illarum quasi pollex viri: tantæque erant multitudinis, vt vna hora diei centum iugera frugum propè vrbem Mogontiam consumerent. Quando autem volabant, ita totum aërem per vnius miliarij spatium velabant, vt splendor solis infra positis vix appareret. Quarum nonnullæ in diuersis locis occisæ, spicas integras cum granis & aristis in se habuisse repertæ sunt. Quibusdam verò ad Occidentem profectis, superuenerunt aliæ, & per duorum mensium curricula penè quotidie suo volatu horribile cernentibus præbuere spectaculum. In Italia in pago Brixiensi tribus diebus & tribus noctibus sanguis de cœlo pluisse narratur.

A MENSE Iunio Hruodulfus quidam Nordmannus de regio genere, qui Regnum Karoli prædis & incendiis sæpenumerò vastauerat, classem duxit in Regnum Hludouuici Regis, in Comitatum videlicet Abdagi Regis, missisque nunciis præcepit habitatoribus loci illius tributa sibi soluere. Qui cùm respondissent se non debere tributa pendere, nisi Hludouuici Regi eiúsque filiis, & se nequaquam in hoc negotio ei assensum esse præbituros; ille vehementer iratus, iurauit præ superbia, se, cunctis maribus occisis, mulieres & paruulos cum omni substantia illorum, in captiuitatem esse ducturum, ignarus vindictæ quæ eum de cœlo erat secutura. Statimque terram illorum ingressus, bellum aduersus eos instaurauit. Illi autem Dominum inuocantes, qui eos sæpiùs ab hostibus liberauit, hosti infestissimo armati occurrerunt, consertóque prælio ipse Hruodulphus cecidit primus, & cum eo octingenti viri. Ceteri verò cùm ad naues effugere non potuissent, in quodam ædificio se tutati sunt, quod Frisiones obsidentes conferebant inter se quid de eis facere debuissent. Cúmque diuersi diuersa dixissent, vnus Nordmannus, qui Christianus effectus longo tempore cum eisdem Frisionibus conuersatus est, & eiusdem certaminis dux erat, ceteros hoc modo affatus est: *O boni commilitones, sufficit vobis huc vsque pugnasse, quia quod modò nos pauci contra plurimos præualuimus hostes, non nostris deputandum est viribus, sed Dei gratiæ. Scitis etiam quod oppido lassi sumus, & plurimi nostrum grauiter vulnerati: isti autem qui hic intus latitant, in desperatione positi sunt. Si contra eos pugnare cœperimus, non eos sine cruenta obtinebimus victoria. Si autem illi fortiores extiterint, (varius enim euentus est pralij) forsitan*
B *nobis expugnatis securi discedent iterum nocituri. Consultius ergo mihi videtur, vt obsides ab eis accipiamus, & quosdam ex illis inlæsos abire patiamur ad naues, & obsides interim retineamus, donec mittant vniuersam pecuniam quam in nauibus retinent, prius tamen præstito sacramento, ne vltra in Regnum Hludouuici Regis redeant.* Huius itaque consilio ceteri assenserunt, & obsidibus acceptis quosdam ad naues ire permiserunt. Illi autem miserunt pecuniam valde multam, & obsides quos dederant receperunt: prius autem, vt dixi, præstito sacramento, ne vltra in Regnum Hludouuici Regis redirent. Ac deinde cum magna confusione ac suo detrimento etiam sine Duce, à finibus illis discesserunt.

MENSE Nouemb. Agathon Archiepiscopus Basilij Græcorum Imperatoris Legatus, ad renouandam pristinam amicitiam cum epistolis & muneribus ad Hludouuicum Regem Radasbonam venit. Quem Rex honorificè suscepit, & absoluit. Trachulfus Comes & Dux Sorabici limitis mense Augusto defunctus est.

DCCCLXXIV. 874.

HIEMS aspera nimis & solito prolixior, nix quoque immensa à Kal. Nouemb. vsque in æquinoctium vernale sine intermissione cadens, magnum hominibus fecit impedimentum siluas petere, lignáque colligere. Vnde accidit vt non solùm animalia, verumetiam homines plurimi frigore perirent. Sed & Rhenus & Mœ-
C nus glaciali frigore constricti, longo tempore se sub vestigiis incedentium calcabiles præbuerunt. Sorabi & Siusli, eorúmque vicini, Thaculfo defuncto defecerunt. Quorum audaciam Luitbertus Archiepiscopus & Ratolfus Thaculfi successor vltra Salam fluuium mense Ianuario profecti, prædis & incendiis sine bello compresserunt, & eos sub pristinum seruitium redegerunt.

EODEM mense Hludouuicus iunior apud sanctos Marcellinum & Petrum cum quibusdam patris sui Consiliariis secretum habuit colloquium, quod Regem de Baioaria traxit in Franciam. Venit enim circa Kal. Februar. ad Franconofurt, ibique de concordia & statu Regni cum fidelibus suis consiliatus est. Diebus autem Quadragesimæ, cùm negotiis secularium rerum dispositis, orationi vacaret, vidit quadam nocte in somnis genitorem suum Hludouuicum Imperatorem in angustiis constitutum, qui eum hoc modo Latino affatus est sermone: *Adiuro te per Dominum nostrum Iesum Christum, vt me eripias ab his tormentis in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam possim habere æternam.* Hac ergo visione perterritus epistolas per cuncta Regni sui Monasteria destinauit, obnixè postulans vt animæ in tormentis positæ suis apud Dominum precibus interuenirent. Vnde datur intelligi, quòd quamuis memoratus Imperator multa laudabilia & Deo placita fecisset, plurima tamen legi Dei contraria in Regno suo fieri permisit. Si enim, vt cetera omittam, hæresi Nicolaitarum firmiter & viriliter restitisset,

LVDOVICVS II. IMP. & monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas duodecim Capitulis A
comprehensa ei obtulit legenda & facienda, obseruare curasset, forsitan talia non pateretur. Sed quia, vt scriptum est, Deus nullum peccatum relinquit impunitum, & iuxta Apostolum, *Non solùm qui id faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*, meritò pœnas luere visus est, qui dum potuit, sibi commissorum errata vel admonitus corrigere noluit.

Rex autem Hludouuicus in hebdomada Paschali Fuldense Monasterium petiit causa orationis, & inde reuersus generalem habuit Conuentum in villa Tribure. Inde in Italiam per Alpes Noricas transiens, cum Hludouuico nepote suo, & Iohanne Romano Pontifice, haud procul ab vrbe Verona, colloquium habuit. Indéque rediens cum Karlmanno & Hludouuico filiis suis in villa Foraheim locutus est: ibique legatos Zuentibaldi pacem petentes & fidelitatem promittentes suscepit. Cuius Legationis princeps erat Ioannes Presbyter de Venetiis, qui etiam vt ei Rex omni ambiguitate remota crederet, quicquid verbis dicebat, sacramento firmabat, videlicet vt Zuentibald Regi fidelis permaneret cunctis diebus vitæ suæ, & censum à Rege constitutum per annos singulos solueret, si ei tantummodo quietè & pacificè à Rege viuere concederetur. Behemorum quoque nuntia Rex audiuit & absoluit, & post hæc in Baioariam venit ad Franconofurt: & inde post paulum transiens, apud villam Biburg conscensis nauibus ad Aquasgrani Palatium perrexit, exactóque ibi tempore non modico, tandem mense Decembri cum fratre suo Karolo habita collocutione apud Sanctum Lantbertum, rediit in Franciam, venitque Mogontiacum XIII. B
Kal. Ianuar. & inde ad Franconofurt, ibíque Natalem Domini celebrauit. Hoc anno fame & pestilentia per vniuersam Galliam & Germaniam grassantibus, penè tertia pars humani generis consumpta est. Hemma quoque Regina morbo paralysi correpta vsum loquendi amisit.

DCCCLXXV.

875. Rex Hludouuicus hiemauit in Franconofurt, & post Pascha perrexit in Baioariam inuisere Reginam. Inde rediens circa Kal. Iunij venit ad Tribure, ibíque generale Placitum habuit. Tunc inter Francos & Saxones seditio non modica exorta est, & nisi Hludouuicus iunior citiùs cum suis interuenisset, iam districtis gladiis mutua se cæde truncassent. Stella cometes VIII. Id. Iunij, in Aquilonali parte, prima hora noctis apparuit, plus solito scintillans, comásque spargens, rem stupendam, immò lugendam, quæ citò secuta est, sua apparitione præmonstrans: quamuis adhuc peccatis nostris exigentibus, grauiora significare timeatur. Nam villa quædam in pago Nitense Asgabrunno à fluminibus & torrentibus longè remota, subitanea imbrium inundatione penè deleta est, & octuaginta octo homines vtriusque sexus in ea deleti. Dum enim homines eiusdem loci V. Non. Iul. dormitum issent, nihil mali suspicantes, tanta pluuia vno momento cœlitùs lapsa est, vt omnes vineas & arbores quas tangebat in eadem villa radicitus extirparet, ædificia funditus euerteret, iumenta & animalia cum omnibus quæ in domibus erant perditioni traderet. Ecclesia quoque eiusdem villæ C
cum suo altari ita deleta est, vt modo cernentibus nullum suæ constructionis præbeat indicium. Erat autem ibi videre misera. Nam cùm feminæ liberis, & viri coniugibus manum porrigentes subuenire niterentur, impetu aquarum rapti, vnà cum eis, quibus auxilio esse volebant, extincti sunt. Sed & cadauera longo tempore tumulata, vi aquarum de sepulchris soluta, cum vasculis quibus inerant, in terminis alterius villæ reperta sunt.

Mense Augusto Rex Hludouuicus, cum filiis & fidelibus suis colloquium
CAROLVS II. IMP. habuit in villa Tribure. Interea HLVDOVVICVS Italiæ Imperator obiit: cuius corpus translatum Mediolani, in Basilica sancti Ambrosij sepultum est. Quod cùm KAROLVS Galliæ tyrannus comperisset, ilico Regnum Italiæ inuasit, & omnes thesauros, quos inuenire potuit, vnca manu collegit. Vnde Hludouuicus Rex iratus, Carlmannum cum exercitu per Baioariam destinauit in Italiam: ipse verò, iuncto sibi æquiuoco suo, cum manu valida Regnum Karoli ingressus est, vt eum de Italia exire compelleret. Exercitus autem qui Regem sequebatur versus ad prædam, cuncta quæ inuenit diripuit atque vastauit. Karolus verò audito Carlmanni aduentu in Italiam, primò clausis Alpium se defendere nititur, sed

A nihil proficit. Carlmannus enim loca accessu difficilia cum suis præoccupauit. Ille autem dum negotium ferro decernendum timuisset, (est enim lepore timidior) ad calliditatem solitam conuertitur. Nam aurum & argentum, gemmásque pretiosas infinitæ multitudinis Carlmanno obtulit, vt eum sibi placare, & à paterna fidelitate segregare potuisset: iurauitque se de Italia cito exiturum, & Hludouuici fratris sui iudicio illud Regnum disponendum seruaturum, si Carlmannus inde discederet. Quo indè discedente, & promissionibus illius credente, ille, quæcunque pollicitus est, mentitur, & quanta potuit velocitate Romam profectus est, omnémque Senatum populi Romani more Iugurthino corrupit, sibique sociauit: ita vt etiam Iohannes Papa votis eius annuens, corona capiti eius imposita, eum Imperatorem & Augustum appellare præcepisset. Qualiter autem Regnum illud postea cum suis disposuerit, qualiter ve cum thesauris, quos tulerat, in Regnum suum redierit, quantásque cædes & incendia in itinere exercuerit, quia certum non habui latorem, scribere nolui. Melius est enim tacere, quàm falsa loqui. CAROLVS II. Imp.

DCCCLXXVI. 876.

HLVDOVVICVS Rex misericordia motus, multorúmque precibus exoratus, ne Galliæ regionem propter Karoli stultitiam perderet, in Regnum suum mense Ianuario rediit, venitque Magontiacum post Epiphaniam, & inde ad Franconofurt, ibique cum suis sequenti mense colloquium habuit. Similiter mediante Quadragesima fecit. Hemma Regina apud Radasbonā Baioariæ ciuitatem obiit, sepultáque est in Ecclesia sancti Emmerammi Martyris. Frisiones, qui vocantur B Occidentales, cum Normannis dimicantes victores extiterunt, omnésque thesauros, quos Normanni plurima loca spoliando congregauerant, abstulerunt, atque inter se diuiserunt. Karolus Rex de Italia in Galliam rediens, nouos & insolitos habitus assumpsisse perhibetur. Nam talari dalmarica indutus, & baltheo desuper accinctus pendente vsque ad pedes, nec non capite inuoluto serico velamine, ac diademate desuper imposito, Dominicis & festis diebus ad Ecclesiam procedere solebat. Omnem enim consuetudinem Regum Francorum contemnens, Græcas glorias optimas arbitrabatur. Et vt maiorem suæ mentis elationem ostenderet, ablato Regis nomine, se Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium appellari præcepit. Plurima etiam incredibilia se contra Hludouuicum Regem & Regnum illius facturum esse minatus est. Denique inter cetera iactantiæ suæ verba, dixisse fertur, tantam multitudinem de diuersis locis congregaturum, vt Rheno flumine ab equis illorum exhausto, ipse per aridum alueum eiusdem fluminis esset transiturus, totúmque Hludouuici Regnum vastaturus. Cuius minæ facillimè sedatæ sunt. Nam Hludouuico suum exercitum congregante, ille timore perterritus Legatos misit, pacémque petiit. Cúmque nuntij ex vtraque parte sæpiùs directi eos pacificare studuissent, Hludouuicus ægrotare cœpit, & crescente quotidie infirmitate, v. Kal. Septemb. in Palatio Franconofurt diem vltimum clausit.

C KAROLVS verò Hludouuici morte comperta, Regnum illius cupiditate ductus inuasit, & suæ ditioni subiugare studuit: existimans se, vt fama vulgabat, non solùm partem Regni Hlotharij, quam Hludouuicus tenuit, & filiis suis vtendam dereliquit, per tyrannidem posse obtinere, verumetiam cunctas ciuitates Regni Hludouuici in Occidentali littore Rheni fluminis positas suo Regno addere, id est Mogontiam, VVormatiam, & Nemetum, filiósque fratris per potentiam opprimere, ita vt nullus ei resistere vel contradicere auderet. Primùm igitur Aquēse Palatium petiit, & inde cùm omni exercitu suo profectus in Colonia Agrippinēsi cōsedit. Missis etiam priùs Legatis ad Optimates Hludouuici, vt propriū dominū desererent, & ad se venirent, venientibus quidem plurima beneficia ac dona promittens, aliter verò facientibus, rerū secularium priuationem, vel exterminium minitās. Cui HLVDOVVICVS, qui patri in illis locis heres successerat, cū paucis occurrit, & in Aquilonali ripa Rheni fluminis castra sua posuit, suorū operiens aduentū. Misit interea nuncios ad Karolum dicens, *Cur ascendisti ad bellandum contra me? quandoquidem nec exteris gentibus bellū est antiquo populo penitus inferre præceptum, nisi pacem oblatam respuerint. Reuertere qua opacificè in Regnum tuum, & esto contentus gloria tua, & noli Regnum nobis à genitore nostro iure hereditario derelictum, more tyrannico inuadere, &*

CAROLVS II. IMP. *iura propinquitatis, quæ inter nos naturaliter existunt, huiusmodi factionibus violare. Memento etiam sacramentorum tuorum, quæ patri meo non semel neque bis præstitisti, simúlque considera periculum Christianæ plebis, si in hac pertinacia irreuocabiliter persistere volueris. Esto, forsitan confidis in multitudine exercitus tui, quem de diuersis locis conduxisti, & ideo bella mouere te delectat. Quare ergo non cogitas, quia apud Deum impossibile non est liberari in multis & in paucis? Refrena igitur animum tuum ab huiusmodi appetitu, quoniam ea quæ peragere arbitraris, qualem exitum habeant, penitus ignoras.* A

SED cùm ille his & aliis similibus rationabiliter conuentus, nullo modo assensum præbere voluisset, stimulante auaritia, Hludouuicus quadam nocte se subtraxit de castris, & Rheno flumine transito, in castello Anternaco cum suis consedit, dispersísque est per diuersa loca omnis penè exercitus illius ad colligenda equorum pabula. Ille verò iterum nuncios ad Karolum destinauit, pro pace inter eos componenda. At Karolus pacem simulans, & fraudem in corde meditans, se paci consensurum, & Legatos ad Hludouuicum missurum pro communi vtilitate, subdola falsitate promisit. In eadem enim nocte cum omni exercitu suo properauit, vt Hludouuicum ceteris extinctis comprehenderet, ac sedes luminum illius euacuaret, postea Regnum illius, quasi nullo resistente, possessurus. VVillibertus autem Coloniæ Agrippinæ ciuitatis Episcopus, Karoli fraudulenta consilia intelligens, ceteris trepidantibus eum constanter adiit, obnixè postulans ne ita ferociter ac barbarè faceret erga nepotem ea quæ pacis sunt sectantem. Sed cùm eum à praua voluntate reuocare non potuisset, quendam Presbyterum suum nomine Hartuuigum per compendiorem viam destinauit, & Hludouuico præparatas insidias, & ipsius Karoli insinuauit aduentum. Qui statim lorica indutus, & totam fiduciam suam in Domino ponens, cum paucis qui secum erant (dispersos enim congregare non poterat) Karolo viriliter occurrit, iussitque omnes ex sua parte candidis vti vestibus, pro signo cognoscendæ societatis. Saxones autem, quoniam prima fronte contra hostes positi erant, primum iniere certamen: sed multitudine aduersariorum territi, parumper terga verterunt. Franci autem Orientales ex vtraque parte fortiter repugnantes, ac signiferis Karoli occisis, ceteros fugere compulerunt. Quos Hludouuicus persecutus, strages non paucas dabat. Plurimos etiam ex Optimatibus Karoli viuos comprehendit, quos propter suam humanitatem seruari iussit incolumes. Karolus verò turpiter fugiens, relictis thesauris quos secum habebat, cum paucis penè nudus euasit. Hi autem, qui cum Hludouuico erant, reuersi ad cæsorum spolia detrahenda, quantas ibidem prędas in auro & argento, & vestibus, & armis, & loricis, & equis, variáque supellectile tulissent, nullus valet edicere. In hoc certamine contra Karolum proculdubio cœlitus dimicatum est. Nam, sicut captiui inde adducti narrare solebant, apparente Hludouuico & his qui cum eo erant, tantus timor omnem Karoli exercitum inuasit, vt prius se victos putarent, quàm ad pugnam venirent. Et, quod maioris est admirationis, equorum latera, quibus insidebant, calcaribus tundebant, & cruentabant: sed illi, quasi ad stipitem ligati immobiles permanebant. Armis quoque suis pugnabant, sed paucos vulnerabant. Acies enim armorum, quasi retusæ essent, neminem penitus lædebant. Hæc in VIII. Id. Octob. contra nouellum Sennacherib gesta sunt, vt qui prius propter mentis elationem Deum cognoscere noluit, modò victus & confusus intelligat, quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, & aliquando auaritiæ & superbiæ suæ modum imponat. Hludouuicus post fugam Karoli ad Palatium Aquisgrani perrexit, & dispositis, prout voluit, his quæ ad se pertinere videbantur, cum triumpho ad Franconofurt rediit. B C

SEQVENTI autem mense Katlmannus & Hludouuicus atque Karolus Ludouuici Regis filii in pago Reciensi conuenientes, paternum inter se Regnum diuiserunt, & sibi inuicem fidelitatem seruaturos esse sacramento firmauerunt. Cuius sacramenti textus Theutonica lingua conscriptus, in nonnullis locis habetur.

877. DCCCLXXVII.

HLVDOVVICVS Rex mense Ianuario generali Conuentu habito apud Franconofurt, quos de Regno Karoli tenuit captiuos remisit in Galliā. Sclaui qui vocantur Linones, & Siusli, eorúmq; vicini defectionem moliētes, solitum dare censum

A renuunt. Quos Hludouuicus Rex, missis quibusdam fidelibus suis, circa mediam Quadragesimam sine bello compressit, acceptísque obsidibus nonnullis, & muneribus non paucis, eos sub pristinum redegit seruitium. CAROLVS II. IMP.

KAROLVS Galliæ tyrannus, æstiuo tempore cum exercitu Italiam petiit, & Ticini residens magnoperè nisus est, qualiter Karlmanno illuc aduentanti aditum denegaret in illam prouinciam. Carlmannus verò cum manu valida Noricorum diuersorúmque Sclauorum Italiam ingreditur, contra Carolum dimicare volens. Quod cùm Carolus comperisset, illico, iuxta consuetudinem suam, fugam iniit. Omnibus enim diebus vitæ suæ vbicunque necesse erat aduersariis resistere, aut palam terga vertere, aut clam militibus suis effugere solebat, & in eodem itinere dysenteriæ morbo correptus, cum magna periit tristicia. Cuius corpus cùm sui satellites ad sepulturam, quam ipse sibi apud sanctum Dionysium parauerat, transferre voluissent, propter nimium fœtorem putidi cadaueris, quo grauabatur exercitus, in Burgundia in quodam Monasterio sepelierunt.

KARLMANNVS Optimates Italiæ ad se venientes suscepit, & disposita, prout voluit, regione, reuersus est in Baioariam. Hludouuicus Rex partem Regni Hlotharij cum fratribus Karlmanno & Karlo æqua lance diuidit. Hludouuicus Karoli regis filius timore perterritus propter iniurias à patre suo Regi illatas, Legatos ad eum dirigit, pacem postulat, & se de omnibus quæ contra eum genitor suus gesserat, excusare nititur. Cuius Legatos Rex audiuit, & absoluit. Post hæc A-
B quense Palatium petiit, ibíque Natalem Domini celebrauit.

IN hoc anno febris Italica, dolórque oculorum Germanicum populum grauiter vexauit, maximè circa Rhenum habitantes. Pestilentia quoque ingens secuta est exercitum Carlmanni de Italia redeuntem, ita vt plurimi tussiendo spiritum exhalarent.

DCCCLXXVIII. 878.

MENSE Ianuario Rex de Aquis transiens venit ad Franconofurt, & ibi sequenti mense cum suis colloquium habuit. Karlmannus partem Regni Hlotharij, quam priori anno à fratribus sibi retinendam acceperat, Hludouuico tradidit. Hludouuicus Rex à diebus Quadragesimæ vsque ad mensem Maium moratus est in villa regia quæ vocatur Salz, & inde transiens apud Franconofurt generalem habuit Conuentum, missísque nunciis ad fratrem suum Carolum, partem Regni Hlotharij, quam à Karlmanno acceperat, cum eo diuidit.

LANTBERTVS VVitonis filius, & Albertus Bonifacij filius, Romam cum manu valida ingressi sunt, & Iohāne Romano Pontifice sub custodia retento, Optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno sacramento firmare coëgerunt. Quibus inde discedentibus, idem Pontifex domum sancti Petri ingressus omnes thesauros, quos ibi repperit, ad Lateranis transtulit, & altare sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia eiusdem Ecclesiæ clausit, nullúmque ibi officium ad Dei
C cultum pertinens per plures dies celebratum est, & quod dictu nefas est, omnibus vndique illuc causa orationis venientibus negabatur introitus, erántque ibi omnia confusa. Memoratus autem Pontifex conscensis nauibus per mare Tyrrenum Regnum Caroli intrauit, ibíque per totum pene moratus est annum. Tandem assumpto Bosone Comite, qui propria vxore veneno extincta filiam Hludouuici Imperatoris de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit, & cum eo machinari studuit, quo modo Regnum Italicum de potestate Carlmanni auferre, & ei tuendum committere potuisset. Rex Hludouuicus ad Aquas in mense Octobr. perrexit, & cum æquiuoco suo Caroli Regis filio haud procul inde colloquium habuit.

ECLYPSIS Lunæ facta est III. Id. eiusdem mensis, vltima hora noctis. Sol quoque in IIII. Kal. Nouemb. post horam nonam ita obscuratus est per dimidiam horam, vt stellæ in cœlo apparerent, & omnes sibi noctem imminere putarent. Boum pestilentia in Germania immanissimè grassata est, maximè circa Rhenum. Quam cladem non mediocris hominum mortalitas secuta est. Villa quædam in VVormacense haud procul à Palatio Ingilēheim sita est, nomine VValahesheim, vbi res miranda contigit. Nam dum animalia mortua quotidie de domibus traherentur in agros, canes, qui in eadem villa erant, iuxta morem suum eadem cadauera laniandō comedebant. Quadam verò die penè vniuersi in vnum lo-

CAROLVS III. IMP. cum congregati, indè discesserunt, ita vt nullus eorum postea neque viuens neque mortuus inueniri potuisset. A

879. DCCCLXXIX.

HLVDOVVICVS Rex Natale Domini celebrauit in Forahheim, indè in Baioariam profectus est inuisere Karlmannum, qui graui detinebatur infirmitate. Nam paralysis morbo correptus, vsum loquendi amisit. Ibique Optimates eiusdem regionis ad se venientes suscepit, ea videlicet ratione, vt post obitum Karlmanni, nullum alium super se Regem susciperent, vel regnare consentirent. Inde transiens Pascha celebrauit in Franconofurt.

LVDOVVICVS Caroli regis filius III. Idus April. apud Compendium obiit, ibique sepultus est. Quod cùm Rex comperisset, cum magno exercitu in Galliam perrexit, venítque vsque Viridunum. Exercitus autem, qui eum sequebatur, quoniam à ciuibus illis sibi victus necessaria iusto precio emere non potuisset, versus est ad prædam, & penè vniuersam depopulatus est ciuitatem. Rex verò missis quibusdam fidelibus suis vltra Mosam fluuium ad Optimates regionis illius, reuersus est in Franciam, venítque Mogontiacum, & inde ad Franconofurt, ibique Erambertum Comitem de Baioaria, alióśque nonnullos ad se venientes suscepit. Quos Arnolt propter quandam dissensionem inter Karlmannum patrem suum & eos factam, publicis priuauit honoribus, & de Regno expulit. Horum causa Rex in Baioariam profectus, dissidentes aliquo modo ad concordiam reuocauit, & eis pristinam restituit dignitatem. Quod quorundam offendit animos, quasi Rex iuramenti sui præuaricator existeret. Quod aliter intelligunt qui eiusdem iuramenti sunt conscij. Nam Karlmannus, qui prior natu erat, primus inter fratres se iuramento constrinxit, & omnia quæ in illo continentur sacramento se seruaturum esse promisit. Deinde Hludouuicus eodem tempore iurauit, ea tamen ratione, vt si Karlmannus ea quæ promisit inuiolata seruaret, ipse eadem ex sua parte rata custodiret. Sed quoniam Karlmannus in diuisione Regni Longobardorum, iuramentum suum irritum duxit, Hludouuicum proculdubio à suo iuramento reddidit immunem: & idcirco crimine periurij non tenetur obnoxius. Karlmannus autem tandem Hludouuicum ad se accersiuit, & quoniam loqui non poterat, ei seipsum, & vxorem, & filium, vniuersúmque Regnum scripto commendauit. Cui Rex Episcopatus & Abbatias & Comitatus ad seruitium delegauit, & disposita, prout voluit, regione, rediit in Franciam. B

INTEREA Hugo Hlotharij ex VValdrada filius tyrannidem in Gallia exercebat. Contra quem Rex quosdam fideles suos destinauit, vt eum inde expellerent. Qui venientes nonnullos ex hominibus illius in quodam castello iuxta Viridunum obsederunt, & castello potiti alios qui occiderunt, alios verò in exilium miserunt, alióśque etiam capillis & cute detracta, cum magna confusione inde expulerunt, & castellum destruxerunt.

880. DCCCLXXX.

HIEMS aspera & solito prolixior. Nam Rhenus & Mœnus fluuij glaciali rigore constricti longo tempore se calcabiles præbuerunt. Rex Hludouuicus Natale Domini celebrauit in Franconofurt, posteà in Galliam profectus, filios Hludouuici ad se venientes suscepit, totúmque Regnum Hlotharij suæ ditioni subiugauit. Inde ad expugnandos Nordmannos, qui in Scalta fluuio longo tempore resederunt, conuertit exercitum, initóque certamine, plusquam V. milia ex eis prostrauit. In quo prælio Hugo filius Regis occubuit. In Saxonia cum Nordmannis infeliciter dimicatum est. Nam Nordmanni superiores existentes duos Episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrih & Marcuuart, & duodecim Comites his nominibus appellatos, Brun Ducem & fratrem Reginæ, VVigmannum, Bardonem, alterum Bardonem, & tertium Bardonem, Thiotherium, Gerricum, Liutolfum, Folcuuartum, Auan, Thiotricum, Liutharium, cum omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. Præterea XVIII. satellites regios cum suis hominibus prostrauerunt, quorum ista sunt nomina: Aderam, Alfuuini, Addasta, Aida, Alcer, Aida, Dudo, Bodo, VVal, Adaluuini, VVeirnhart, Thiottich, Ailuuart: exceptis innumerabilibus, quos in captiuitatem duxerunt. C

REX verò de Gallia rediens in Franciã, Pascha celebrauit in Franconofurt. Sclaui qui vocantur Dalmatij, & Behemi, atque Sorabi, ceterique circum circa vicini,

A audientes stragem Saxonum à Nordmannis factam, pariter conglobati, Thuringos inuadere nituntur, & in Sclauis circa Salam fluuium Thuringis fidelibus prædas & incendia exercent. Quibus Poppo Comes occurrit, & diuino auxilio fretus eos prostrauit. Karlmannus frater Hludouuici & Karoli XI. Kal. April. obiit. CAROLVS III. IMP.

Hludouuicus mediante mense Augusto apud VVormatiam cum suis colloquium habuit, & quosdam ex fidelibus suis obulam Legatis nepotum suorum ad villam Gundolfi transmisit, quosdam etiam contra Hugonem tyrannidem exercentem in Gallia destinauit. Heinricus verò & Adalbertus, & ceteri qui cum eis erant, cum Thiotbaldo Principe militiæ Hugonis, qui robur exercitus secum habebat, iniere certamen, & ceciderunt multi ex vtraque parte vulnerati. In quo conflictu Heinricus cruentam obtinuit victoriam. Cumque illi, qui de villa Gundolfi, & illi qui de prælio reuersi fuerant, in vnum conuenissent, pari intentione cum filiis Hludouuici contra Bosonem in Galliam pugnaturi perrexerunt, & Madasconam vrbem expugnantes, Bernardum, qui in ea Principatum tenebat, in deditionem accipiunt. Boso verò fugiens vltra Rodanum fluuium in vrbe Vienna se tutatus est. Nordmanni in Gallia prædas & incendia exercent, inter plurima loca & Monasteria quæ depopulati sunt, etiam Baiorzuna, vbi pars maxima Frisionum habitabat, incendio concremarunt, & inde reuertentes Nouiomagum vallo firmissimo & muris circundantes, hiemandi sibi locum in Palatio regis parauerunt. Quibus Rex Hludouuicus cum manu valida occurrit, & propter hiemis asperita-
B tem, & loci firmitatem, rebus parum prosperè gestis, reuersus est.

Hoc anno in VVormacense, & in Nitense, & in plurimis locis Regni Hludouuici sterilitas frugum & omnium rerum penuria Germanicum populum non mediocriter afflixit.

DCCCLXXXI. 881.

Hibernvm tempus valde prolixum fuit, & animalibus diuersi generis pernoxium. Nam tellus verno tempore glaciali rigore constricta, animalibus solita negauit pascua, & illa fame & frigore maxima ex parte perierunt, etiam propter sterilitatem anni prioris.

Rex post Pascha in Galliam profectus, Hugonem Hlotharij ex VValdrada filium ad se venientem in suum suscepit dominium, & ei Abbatias & Comitatus in beneficium dedit, vt ei fidem seruaret. Sed ille prauorū vsus consilio, fidem mentitus Regi molestus efficitur. Quapropter Regis exercitus illum persecutus in Burgundiam fugere compulit. Rex cum suo nepote Hludouuico apud villam Gundolfi congruum habuit colloquium. Inde transiens omne tempus æstiuum in Baioaria moratus est. Nepos verò illius cum Nordmannis dimicans, nobiliter triumphauit. Nam nouem millia equitum ex eis occidisse perhibetur. At illi instaurato exercitu, & amplificato numero equitum, plurima loca in regione Regis nostri vastauerunt, hoc est Cameracum, Traiectum, & pagum Hasbanicum, torámque Ripuariam, præcipua etiam in eis Monasteria, id est Prumiam, Indam, Stabulaus,
C Malmundarium, & Aquense Palatium, vbi in Capella Regis equis suis stabulum fecerunt. Præterea Agrippinā Coloniam & Bunnam ciuitates cum Ecclesiis & ædificiis incenderunt. Qui autem inde euadere potuerunt, siue Canonici siue Sanctimoniales, Moguncíacum fugerunt, thesauros Ecclesiarum, & Sanctorum corpora secum portantes.

Rex apud Franconofurt graui infirmitate laborabat, & quia ipse non potuit, exercitum suum contra Nordmannos destinauit. III. Kal. Ianuarij ante galli cantum Mogonciæ terræmotus factus est magnus, ita vt ædificiis conquassatis, vasa fictilia, sicut compositores luti fatebantur, inuicem se conlidentes frangerentur.

DCCCLXXXII. 882.

Stella cometes XV. Kal. Febr. prima hora noctis apparuit, comas suas supra modum spargens, & rem infaustam, quæ citò secuta est, sua apparitione præmonstrans. Nam Hludouuicus inualescente morbo XIII. Kal. Decembr. diem vltimum clausit, cuius corpus translatum, & in Monasterio sancti Nazarij, quod dicitur Laureshaim, iuxta patris sui tumulum sepultum est. Quod audiens exercitus, qui contra Nordmannos fuerat missus, ab expugnatione hostium desistens, infecto negotio rediit. Quorum Nordmanni inde transeuntium vestigia secuti,

CAROLVS III. IMP.

cetera, quæ prius dimiserant, incendio cremauerunt vsque ad Confluentem castellum, vbi Mosella Rhenum ingreditur. Murus Mogonciæ vrbis restaurari cœptus, & fossa murum ambiens extra vrbem facta. Nordmanni de sua munitione egressi, Treuerensem vrbem inuaserunt, & habitatoribus vrbis partim expulsis, partim occisis, totam in Non. April. incenderunt. Quibus VValah Mettensis Episcopus incautè cum paucis occurrens, occisus est. Nordmanni ereptis quas poterant rebus omnibus, ac quàm pessimè & visui horribilior erat, quibusdam locis & Ecclesiis dimissis, ~~quibusdam~~ concrematis, reuersi sunt in suam munitionem, quæ circumsepta constabat secus littus Mosæ fluminis, loco qui dicitur Ascloha, de Rheno miliar. XIIII. A

KAROLVS quippe cùm audisset obitum fratris sui maioris, de Italia, iam Imperator factus, per Baioariam iter suum in Franciam direxit, Placitum generale ad VVormatiam tenuit, receptis ~~Primoribus~~ ex Regno fratris sui mense Maio. Post hæc præparatis copiis ex omni Regno suo, Langobardis, Alamannis, Francisque secum assumptis, ille ex Occidentali parte contra Nordmannos, Baioarij ex Orientali Rheni fluminis vsque ad Antrinacha, tandem se transmiserunt. Ibi diuiso exercitu, Baioarij cum Principe eorum Arnulfo, Franci cum Heinrico, missi manu cum valida ante Regem & exercitum, vt quasi incautos & inæstimantes quandam partem inimicorum extra munitionem inuenirent, & insidiis caperent, secundum illum nobilissimi Poëtæ versum: B

Nil refert armis contingat palma, dolisue.

Et ita factum foret, ni nostri muneribus corrupti, vt fama refert, de parte Francorum proditores essent, & impedirent. Sed tamen paucis occisis, reuersi sunt ad Regem. Redeuntibus illis, alio Rex arrepto itinere, cum omni exercitu fines & munitionē Nordmannorū ipsis cum eorum Regibus, id est Sigifrido & Godefrido, Principibus VVrm, Halſ intus inclusis, occupauit: castra exercitus in circuitu prope ciuitatem fieri præcepit, sicque per dies XII. obsessam constrinxit. Mira itaq; res & stupenda obsidentibus & obsessis quadam die occurrit. Nam XII. Kal. Augusti post medium diem tenebrosa subitò caligo tota castra operuit, fulgure & tonitru concrepante, & talis grando, vt nullus antea mortalium se tale quid vidisse proficeretur: non vt solitum est, lapides descendere plana & æquali superficie, sed cornua & inæquali & aspera facie, omnibus cernentibus insolitum & magnum præbuit spectaculum. Mirabile & incredibile dictu, vt vix grossitudo eorum potuerit pollice & medio circumdari. Nam & ita equi stupefacti fuerūt, vt effractis sudibus & habenis, partim extra castra, partim in castris errore & stupore versarentur. Ciuitatis quoque, quam obsederant, propter impetum aëris, magna pars corruit, ita vt vna cohors coaceruatim posset equitando ingredi, nisi vallo quod circumierat, suspensa constaret. Igitur per tot dies obsidens tam magnus exercitus æstiuo in tempore propter putredinem cadentium hominum ægritudine correptus ac pertæsus est. Nec minus inclusi simili molestia premebātur. Consultum est ex vtraque parte, vt datis ex nostra parte obsidibus, Rex Sigifridus, qui manu validior erat, veniret extra munitionem supra VI. miliaria ad Regem. Primùm iuramento contestatus est, quòd ex illa hora, & vltra vsque dum Karolus Imperator viueret, numquam in suum Regnum hostili prædatione esset iturus: dehinc Christianitatem professus, ipsum Imperatorem patrem in baptismate acquisiuit. Duos ibi dies læti versabantur, cum remissis nostris obsidibus de munitione, ipse econtrario cum maximis muneribus remissus est ad sua. Munera autem talia erant. In auro & argento bis mille libræ & LXXX. vel paulò plus, quàm libram per XX. solidos computamus expletam. Ira compositis rebus regrediens, etiam Rex in Confluente castello cuncto exercitui amabilem licentiam redeundi concessit. Ciuile bellum inter Saxones & Thuringos exoritur, machinantibus Poppone fratre Heinrici & Eginone Comitibus. Magna post clade Poppo cum Thuringis inferior extitit. C

IN illis diebus redeuntibus Baioariis domum, magna & immanis pestilentia in tota Norica excreuit, vt sæpe duo cadauera in vnum tumulum sepelirentur. Rex autem morabatur in Germania, & ante Natalem Domini Placitum habuit ad VVormatiam, vbi multiformis nuntiis Marauorum aliarúmque gentium rece-

A ptis, & auditis compositisque rebus, remeauit in Alemanniam. Heinricus quoque missus contra Nordmãnos, ibi prosperè, prout potuit, dispositis rebus reuersus est. CAROLVS III. IMP.

Hactenus vetus Exemplar P. Pithœi. Quæ sequuntur alterius sunt Scriptoris, & hic adduntur ex editione, quam in Germania procurauit Marq. Freherus.

DCCCLXXXIII. 883.

CÆSAR in Alamannia Natalem Christi celebrauit. Indè paulatim iter suum ad Baiovvariam dirigens, Pascha Domini honorificè Radaspona ciuitate mansit: ibique habito Conuentu, diuersis rebus ab Italia auditis, illuc reuersus est. Igitur Romæ Præsul Apostolicæ Sedis Ioannes, prius de propinquo suo veneno poratus, deinde cùm ab illo simúlque aliis suæ iniquitatis consortibus longiùs victurus putatus est, quàm eorum satisfactum esset cupiditati, qui ram thesaurum suum quàm culmen Episcopatus rapere anhelabant, malleolo, dum vsque in cerebro constabat, percussus, expirauit. Sed & etiam ipse constructor malæ factionis, concrepente turba, stupefactus, à nullo læsus, nec vulneratus, mortuus. Non mora apparuit, in cuius vice omni populo Romano vnanimiter conforrante, Martinus, qui in id tempus Romana in vrbe Archidiaconus tenebatur, ordinari cõpactum est. Imperator obuiã Papæ pergit, & illũ loco nuncupante Nonantula, prout meritò, honorificè suscepit. Ibi inter alia VVito Comes Tuscianorum reus Maiestatis accusatur, quòd ille profugus euasit. Sed tamen illa fuga totam Italicam terram timore concussit: quia statim manu cum valida gentilium de gente Mauritanorum fœdera firmiter pepigit. B Perangarius verò consanguineus Imperatoris mittitur ad expoliandum Regnum VVitonis. quod ille quadam parte peregit, & quadam peregisset, ni per corruptionem morbi ac infirmitatem exercitus sui reuerteret, & iam per totam Italiam humanum genus, ita inualescente morbo, vt in Curtem, & inter miliriam & ipsum Regem hæc miseria perueniret. Iterũ inter Popponem & Eginonem discordia cum crudeli bello concrepat: quorum Poppo, prout antea solebat, inferior extitit. Henricus, frater Popponis scilicet, cùm Nordmannorum manum validam Prumiam venire cognoscit, vsque eos, vt dicunt, nullo euadente, cum suis ad internecionem deleuit, & ille verò vulneratus euasit.

DCCCLXXXIIII. 884.

REVERSO ad Alamanniam Regi habitum est in villa, quæ dicitur Cholonpurum, generale Conuentum. Indè edictum est Baiovvarios ad Italiam contra Vuitonem belligera manu proficisci. Quippe Pannonia magnum detrimentum patitur, cuius rei vnde exordium narratur assumpsisse, stilo enucleamus. Igitur cùm duo fratres, Vuillihelmus & Engilscalchus terminum Regni Baiovvariorum in Oriente à Rege (id est seniore Hludouuico) concessum contra Marauonos tenuerunt, multáque pro patria tuenda confligando sudasse feruntur. Tandem diem vltimum huius aëris in eadem voluntate finiuere permanentes. Cùm verò C non esset honor illorum filiis redditus, Arbo in Comitatum domno Rege concedente successit. Quod prædictorum virorum pueruli, illorúmque propinqui in contrarium accipientes & vertentes, dixerunt alterutrum fieri, & Arbonem Comitem si non recederet de Comitatu parentorum suorum, & seipsos ante faciem gladij morituros. Hoc experimento Arbo concussus, amicitiam iniit cum Zuentibaldo Duce Marauorum gentis, firmato que inter illos fœdere, filium suum obsidem fieri non tardauit. Nec minus ipsi prædicti pueri consulunt quosdam Primores Baiovvaricæ gentis, collatisque propinquis, ac vndique copiis, fortior manus in id tempus illis adstabitur. Comitem à Rege constitutum inhonorificè expellebant, Comitatúmque illis in vsum vsurpauerunt. Hoc ergo factum est post obitum Hludouuici Regis, natorúmque eius Carlmanni & Hludouuici: quorum successor frater illorum minimus in Regno extitit. Qui mox, prout anteà tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit, sed tamen ex hac re contexta, vt prædiximus, detrimentum Pannoniam sentire IIII. versiculis prosæ intertextis ad suauitatem legentis, quonam modo hoc fieret, pandemus.

Omne ateit Iesus fieri non stabile Regnum
In se diuiduum, & nil dissociabile firmum.

CAROLVS III. Imp.

Hinc dolus, anxietas, tibi formosissima tellus,
Hinc labor exoritur, quondam Pannonia felix. A

Igitur eodem anno, quo illi pueri prædictum Comitem Arbonem à Rege commendatorum exortem fieri honorum impetrauerunt, Zvventibaldus Dux Marauorum, plenum doli & astuciæ cerebrum, non immemor vtriusque, quanta ab antecessoribus istorum puerorum cum gente sua, vsque dum ad illos terminum Baiovvariorum prætenderunt, passus sit mala; insuper etiam amicitiæ ac iuramenti, quæ cum Arbone iniit pepigitque, ad hoc vindicare proficiscitur, & perfecit. Nam de Septentrionali parte Histri fluminis apprehenso VVerinhario de pueris Engilscalchi, qui tres habuit mediocri*. Vezzilloni quoque Comiti, qui illorum propinquus erat, dextram manum cum lingua, & (monstri simile) verenda & genitalia, vt nec signaculo desistente, absciderunt. Homines verò illorum quosdam sine dextera leuáque reuersi sunt. Exercitus scilicet iussu Ducis igne deuastat omnia. insuper vltra Danubium missis speculatoribus, vbicumque proprietas & substantia prædictorum fit puerorum, igni tradita sine mora est. hoc scandalum antefactum puerulis spacio vnius anni sentitur. Hinc equidem non confidentibus à Rege pueris aliquid boni, propter delictum quod in Arbone commisere, recesserunt. Statuéruntque fieri homines Arnolfi Carlemanni Regis filij, qui tunc Pannoniam tenuit. Quo audito, Zvventibaldus Dux misit nuncios ad eum, & ait illi: *Inimicos meos sustentas, si eos non dimiseris, nec me tecum pacificatum habebis.* Alteram etiam occasionem aduersus eum protulit: *Tui homines in vitam meam, nec minus in Regnum meum dolosè cum Bulgaris consiliauerunt, qui priore anno suum Regnum vastauere. hoc volo mihi cum iuramento, verum non esse, contestari.* quorum neutrum vnquam se facturum Arnolfus renunciauit. Itaque Dux non diu collectis ex omni parte Sclauanorum copiis, magno cum exercitu inuadit Pannoniam immaniter, ac cruenti more lupi mactat, igne & ferro maximam partem deuastat, deterit & conscindit, ita vt non immeritò istam ad miseriam hic versus componi possit, B

Hic patriæ planctus, simul & miserabile funus.

Quo acto dolore per antefactum puerile consilium, spacio vnius anni Dux cum exercitu suo non læsus remeauit in sua.

CETERVM verò instanti anno, quo ista computamus, iterum Dux coagulata multitudine, hostiliter Pannoniam hostilem exercitum infert: vt si quid antea remaneret, nunc quasi ore lupi per totum deuorasset. Tanta enim multitudine in itinere pollebat, vt in vno loco ab ortu ad vesperum lucis exercitus eius præterire videretur. Cum tanta enim multitudine in Regno Arnolfi per XLI. dies exspoliando versabatur. demum prout voluit prosperè reuersus est. Postea quoque missa quadam exercitus sui parte supra Danubium. Quod audientes filij Vuillihelmi & Engilscalchi, qui maiores natu erant, Megingor, & Papo, quibusdam Pannoniorum secum assumptis, contra illos incautè venerunt: sed tamen pugnam certaminis inire non vtile. nam ad illos victoria concessit. Isti fugæ præsidium quærentes, Megingor & Papo in flumine, qui dicitur Hrapa, vitam finiuere. Frater verò Berhtoldi Comitis cum aliis quàmplurimis à Sclauanis tentus est. Attendant, iudicent, atque contendant, detractores veri, & quibus huius successoribus rei vel consilij primordia placuerint, placeant etiam subsequentia mala. Vituperauere autem pacẽ, qua conseruata, Pannonia cõseruata est: qua verò viciata, per spacium tantùm isto continuato tertio anno dimidio instanti Pãnonia de Hraba flumine ad Orientem tota deleta est. Serui & ancillæ cum paruulis suis consumpti sunt, primoribus quibusdam tentis, quibusdam occisis: & (quod turpius erat) truncatis manu, lingua, genitalibus, remissi sunt. Hæc enim omnia procul dubiò geruntur siue per misericordiam, siue per iram Dei. Sed iram Dei iustam vindictam fieri appellamus, quę indubitanter non nisi iusta fit, vnquam euenire creditur. Imperator per Baiovvariam ad Orientem proficiscitur, veniénsque prope flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit. Ibi inter alia veniens Zvventibaldus Dux cum principalibus suis, homo (sicut mos est) per manus Imperatoris efficitur, contestatus illi fidelitatem iuramento, & vsque dum Karolus vixisset, nunquam in Regnum suum hostili exercitu esset venturus. Postea veniente Brazlanuorum Duce, qui in id tempus Regnum inter Drauo & Sauo C

A Sauo flumina tenuit, suique militiæ subditus adiungitur. Rex per Carentam in Italia perrexit, prosperè Papia Natalem Christi celebrauit. CAROLVS III. IMP.

DCCCLXXXV. 885.

PROXIMA die S. Epiphaniæ, habito generali Conuentu, Vuito Dux Spolitanorum, qui antea fuga ab Imperatore lapsus est, cum iuramento excusauit, se non esse reum Maiestatis, ad fidelitatem Regiam susceptus est. Post obitum Karolomanni Regis, qui tunc Galliam rexerat, Cæsar Regnum ipsum aggreditur, receptisque Primoribus, & dispositis ibi rebus, pro vt voluit, remeauit in Franciam ad edictum Placitum VVormacense obuiam Apostolico. Sed dum ipse Papa iam medio itineris spatio foret, correptus celeri infirmitate, expirauit. Gotafridus Rex accusatus, vt in Regnum Francorum cum Nordmannis consuleret, ab ipsis etiam accusatoribus occisus est. Hugo filius Hlotharij incautè in Regno Imperatoris agens, oculorum luce orbatus est. Pax in Oriente inter Arnolfum & Zvventibaldum, præsentibus scilicet Baiovvariorum Principibus, iusiurando constare firmatur.

DCCCLXXXVI. 886.

NATALEM Domini Imperator Radaspona celebrauit. Indè inuitatus ab Apostolico Italiam petiit, Liutvvardum Episcopum Romam misit. Ibi multimo-
B dis rebus, prout complacuit, dispositis, inter alia summus Præsul à Rege interrogatus decreuit, vt Episcopis, quorum parochiæ de incendiis gentilium penitus vastatæ apparent, aliæ Sedes eis non occupatæ concederentur. Die sancto Palmatum seditio vrbe Papia inter satellites Regis & Ciuibus infeliciter orta. Nam ex vna parte multis occisis, ex alia ciuium vrbis multi vulnerati propter affinitatem Imperatoris, qui tunc ad Curtem Olonnam Pascha mansit, timore in fugam lapsi, in via vitam finiuere.

POST Pascha, habito generali Papiæ Conuentu, Imperator per Burgundiam obuiam Nordmannos in Galliam, qui tunc Parisiis erant, vsque peruenit. Occiso ibi Henrico Marchensi Francorum, qui id tempus Niustriam tenuit, Rex parum prosperè actis rebus, reuertitur in sua. Discordia inter Berengarium cognatum Regis, qui Foro-Iuliense fruitur, & Liutvvardum Episcopum oritur. Propterea Berengarius mittens Vercellinam vrbem expoliare, ibique veniens multis rebus Episcopi abreptis, prout voluit reuersus est.

TEMPORE autumni plus solitum inundationes aquarum excreuerunt inestimatæ. Nam in Oriente erumpentibus per littus fluctibus, villæ inopinatè circundatæ subitò feruntur: ita vt cum inhabitantibus viris, feminis, infantulis, vsque in abyssum delatæ cernuntur. Inter Alpes verò talis rapacitas aquarum & collisio lapidum fuit, vt flexuras & vestigia viarum per diuexa montis latera nullomodo prospici potuerint.

G DCCCLXXXVII. 887.

IMPERATOR Elisacia magna infirmitate adgrauatur. Postea parum conualescens ad Alamanniam proficiscitur, vergens Curtem Podoniam, pro dolore capitis incisionem accepit. Transacto die sancto Paschæ habitum est Placitum VVeibilinga. Ibi inter alia Berngarius ad fidelitatem Cæsaris perueniens, magnisque muneribus contumeliam, quam in Liutvvardo priori anno commiserat, componendo absoluit. Mortuo itaque Buosone, paruulus erat ei filius de filia Hludouuici Italici Regis: quem Imperator ad Rhenum Villa Chiricheim* veniens obuiam, honorificè suscepit ad hominem, sibique adoptiuum filium eum iniunxit. Alamanni contra Liutvvardum Episcopum dolosè conspirauere, qui tunc maximus consiliator Regis in Palatio fuit, & eum à præsentia Imperatoris omni honore priuatum abire compellunt. Mox verò Cæsar grauissima infirmitate detentus est. Ab illo ergo die malè inito consilio Franci, & more solito Saxones & Duringi, quibusdam Baiovvariorum Primoribus & Alamannorum ammixtis, cogitauerunt deficere à fidelitate Imperatoris, nec minus perficere. Igitur veniente Karolo Imperatore Franconofurt, isti inuitauerunt ARNOLFVM filium Karlmanni Regis, ipsumque ad Seniorem elegerunt, & sine mora sta-

* Kirchein hodie.

ARNVLFVS IMP. fuerunt ad Regem extolli. Karolus nitens bellum contra Arnolfum Regem instaurare, sed non proficit. Concussit timore Alamannos, quibus maximè negocium sui Regni habebat commissum. omnes penitus ab eo defecerunt, & etiam ministri ab eo defecti, sub celeri festinatione ad Arnolfum Regem seiunxerunt. Karolus dum se vndique à suis desertum sentit, & nesciens quid sui causæ consilium possit fieri; tandem munera ad Regem direxit, exposcens sua gratiâ vel pauca in Alamannia sibi ad vsum vsque in finem vitæ suæ largiri. quod Rex ita fieri concessit. Sed tamen nec hoc diu apud se retinuit. Nam paucos dies in locis à Rege sibi concessis religiosè morabatur, post Christi Natiuitatem die Id. Ianuar. vltimum diem feliciter clausit, & mirum in modum vsque dum honorificè Augensi Ecclesia sepelitur. Cœlum apertum multis cernentibus visum est, vt apertè monstraretur, qui spretus terrenæ dignitatis ab hominibus exuitur, Deo dignus cœlestis patriæ vernula mereretur feliciter haberi. A

DCCCLXXXVIII.

888. REX Arnolfus vrbe Radaspona receptis Primoribus Baiovvariorum, Orientales Francos, Saxones, Duringos, Alamannos, magna parte Sclauanorum, Natalem Domini & Pascha ibidem honorificè celebrauit. Illò diu morante, multi Reguli in Europa & Regno KAROLI sui patruelis excreuêre. Nam PERENGARIVS filius Eberhardi in Italia se Regem facit. RVNOLFVS verò filius Chuonradi superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter retinere. Inde itaque HLVDOVVICVS filius Buosoni, & VVITO filius Lamberti, Galliam Belgicam, necnon Prouinciam, prout Reges habere proposuerunt. ONO filius Rodberti vsque ad Ligerim fluuium, & Aquitanicam Prouinciam sibi in vsum vsurpauit. Deinceps ARNOLFVS se Regem haberi statuit. His auditis, Rex Franciam petiit, habitóque ad Franconofurt generali Conuentu, disposuit aduentare VVormaciam. Quod verò Odo comperiens, salubri vtens consilio, cōtestans se malle suum Regnum gratia cum Regis pacificè habere, quàm vlla iactantiâ contra eius fidelitatem superbire: veniénsque humiliter ad Regem & gratanter, ibi recipitur. Rebus ab vtraque parte, prout placuit, prosperè dispositis, vnusquisque reuersus est in sua. Rex contra Rudolfum Elisaciam progreditur. Indè ad eum misso Alamannico exercitu, ipse per Franciam Baiovvariam reuersus est. Rudolfus enim, inito consilio cum Primoribus Alamannorum, sponte sua ad Regem vrbem Radasponam vsque peruenit, multáq; inter illos conuenienter adunata, ipse à Rege cū pace permissus, sicuti venit, ad sua remeauit. Italiam equidem cum exercitu aggredi complacuit. Sed Petengarius, qui parumper antea cum VVitone dimicans cruento tyranno, hoc præcauens, ne Italicum Regnum cum tam valida manu ingressus perperam pateretur, missis ante se Principibus suis, ipse verò oppido Tatentino Regi se præsentauit. Ob id ergo & à Rege est clementer susceptus, nihilque ei antequæsti Regni abstrahitur. Excipiuntur curtes, nauium, & sagum. Exercitui itaque non mora licitum erat domum redeundi. Rex autem paucis secum assumptis, Forum Iuliense penetrans, Curtem Corontanam Natale Domini celebrauit. Tanta namque in isto itinere consternatio equinorum cadauerum fit, vt vix vnquam talis fieri memoria mortalibus traditum sit. B G

DCCCLXXXVIIII.

889. LVITBERTVS Mogontinæ vrbis nobilis Archiepiscopus ab hac vita migrauit. Cuius viuendi ordo quali probitate maneret, per omnia longum est explicare. Tamen licèt pauca, in quibusdam Versiculis breuiter expediatur.

Largus erat multum, patiens, humilisque, benignus,
Omnibus exemplum in bonitate manens.
Hister qua fluitat, currit Hrenusque bicornis,
Litterulis doctis doctior ipse fuit.

Graue igitur tempus hoc anno incanduit. Nam Italia febris tussiendo perplurimos vexabat, inundationes aquarum plus solito excreuêre, ciuilia bella circumquaque regiones conquassantur, pestilentia sparsim, ac fames inopinata, vltra modum incubuit. Grandine verò contritis frugibus mortales inopiam frugum cum miseria patiuntur. Sed inter alia execrabile prodigium in regione Thuringorum

A visum est. Namque è cælo aqua, non (vt solet pluuia) stillatim descendere, sed coacceruatim quasi fluens torrens irruit, per tres villas vno momenti ictu euulsis ædificiis, ter centum cadauera mortuorum impulsione aquarum campo deiecta colligebantur. ARNULFUS IMP.

EXEVNTE mense Medio Rex apud villam, quæ dicitur Forahhem, generale Conuentum habuit, ibique disputans de statu Regni sui, consultum est, vt eodem tenore Primores Francorum, prout Baioarii, iuramento confirmarent, ne se detraherent à principatu & dominatu filiorum eius, ZVVENTIEVLCHI quidem & RATOLDI, qui ei de concubinis erant nati. Quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem regiæ satisfacientes voluntati, dextram dare non recusabant: eo tamen modo, vt si de legali sua vxore heres ei non produceretur. Aduenientibus etiam ibidem vndique Nationum Legatis, Nordmannorum scilicet ab Aquilone, Sclauanorum, pacifica optantes. Quos Rex audiuit, & sine mora absoluit. Indè itaque edictum est, in exercitum ire ad Obodritos. Sed antea Placitum Curte Regia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit. Peruentum igitur est, sicut antea dispositum erat, ad Obodritos cum maximo exercitu. Sed tamen ibi parumper rebus prosperè gestis, Rex data exercitui licentiâ, ad Franconofurt celeri festinatione reuersus est. Indè per Alamanniam paulatim transgrediens Baiouvariam vrbe Regino honorificè Natalem Domini celebrauit.

B DCCCXC. 890.

MEDIANTE verò Quadragesima, Pannoniam proficiscens, generale Conuentum cum Zvventibaldo Duce, loco qui vulgo appellatur Omuntesperch, habuit. Ibi inter alia præficitur Dux à Formoso Apostolico. Rogatus enixè interpellabat, vt vrbe Româ domum S. Petri visitaret, & Italicum Regnum à malis Christianis, & imminentibus Paganis ereptum, ad suum opus restringendo dignaretur tenere. Sed Rex multimodis causis in suo Regno excrescentibus præpeditus, quamuis non libens, postulata denegauit. Post Pascha mense Medio, villa, quæ dicitur Forahheim, cum suis conloquium habuit. Ibi ad eum filia Hludouuici Italici Regis, vidua Bosoni tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorificè suscepta, ac ad propria remissa est. Rex ibi rebus dispositis, prout placuit, causâ orationis in Alamannia Augeam Constantiámq. peruenit. Indè regrediens, vrbe Radaspona Natalem Christi celebrauit. Salomon Constantiæ Episcopus vir vitæ probabilis obiit. Cui æquiuocus eius Salomon iunior, tertius siquidem tunc eiusdem nominis vocabulo, in sedem Episcopus concessit.

DCCCXCI. 891.

REX Legatos suos pro renouanda pace ad Marauos transmisit. Embricho Regino vrbe Episcopus, vir patiens, humilis, sobrius, fidúsque manebat, grauis ætate feliciter diem vltimum clausit. Ipsa verò ciuitas diuina vltione mirum in modum subitò incensa, cum omnibus machinamentis & Ecclesiis IIII. Id. Augusti
C concremata est, exceptis domo sancti Emmeramni Martyris, & Ecclesia S. Cassiani media vrbe constituta, ab igne diuinitus defensæ sunt. Nordmanni igitur fines Occidentalium Francorum inuadentes, quidâ ad defendendum exercitus à Francia dirigitur. Ibi Sundaroldus Mogonciacensis Archiepiscopus incautè illis occurrens interfectus est. In cuius locum Haddo Abbas Augensis Cœnobij, homo subtilis ingenij, Antistes constituitur. Arnolfus ergo Rex ob hoc vlciscendum in Nordmannos cum Francis, Alamanico exercitu inutile secum assumpto, iter arripuit. Sed Alamanni quidem ægrotantes à Rege domum relapsi sunt: ipse cum Francis ad Occidentem prosperè profectus est. Nordmanni deuastata ex maxima parte Hlotharici Regni regione, prope fluuium Clyla, loco qui dicitur Louonnium, sepibus more eorum munitione cœpta, securi consederunt. Ex improuiso enim Rex & exercitus peruenere ad eundem locum. Transito igitur celeriter eodem fluuio, nec mora meditatum est prælium applicari. Cunctati namque Regi, ne tam valida manus periclitaretur, quia interlatente palude ex parte vna, ex altera circumfluente ripa, non donatur facultas equitibus aggredi. Oculis, cogitatione, consilio, huc illuc peruagabatur, quid consilij opus sit, quod Francis pedetentim certare insuetum est, anxiè meditans, tandem Heros Primores Francorum aduocans sic alloquitur patienter: *Viri De-*

ARNVLPHVS IMP.

mini recolentes, & semper sub Dei gratia patriam tuendo, fuistis inuincibiles, inspirate animis, si ab inimicis, quando quidem more paganissimo furentibus pium sanguinem parentum vestrorum effusum vindicari recolitis, & sacra sub honore Sanctorum Creatoris vestri Templa euersa iam in patria vestra cernitis: ministros etiam Dei summo gradu consistentes prostratos videtis. Nunc milites agite, ipsos sceleris factores ante oculos habentes, me primum equo descendentem, signa manu proferentem sequimini, non nostram, sed eius, qui omnia potest, contumeliam vindicantes, inimicos nostros in Dei nomine aggredimur. His incitati dictis, omnibus senibus & iuuenibus par voluntas & audacia, pedestre bellum aggredere datur: prius Regem flagitantes, vt equitando eos procuraret, ne quid eis pugnantibus à tergo insidiis inimicorum timendum sit. Clamor Christianis in cœlum attollitur, nec minus Pagani more suo clamantes; signa horribilia per castra mouebantur. Euaginatis gladiis ex vtraque vt lapis ferro, in inuicem ad inuicem concursum est. Erat autem ibi gens fortissima inter Nordmannos Danorum, quæ numquam antea in aliqua munitione & capta & superata auditur. Durè certatum est, sed non indui (subueniente gratiâ Dei) victoria ad Christianos concessit. Nordmanni fugæ præsidium quærentes, flumen, quod antea eis à tergo pro muro habebatur, pro morte occurrebat. Nam instantibus ex altera parte cæde Christianis, coacti sunt in flumen præcipitati coacetuatim se per manus & colla cruribúsque complectentes, in profundum per centena & millia numero mergebãtur, ita vt cadaueribus interceptũ alueum amnis siccum appareret. In eo prælio cæsi sunt duo Reges eorum, Sigiffridus scilicet & Godafridus, Regia Signa xvi. ablata, & in Baiovvariam in testimonium transmissa sunt. Eodem in loco die ...... Kal. Letanias Rex celebrare præcipit: ipse cum omni exercitu laudes Deo canendo processit, qui talem victoriam suis tribuit, vt vno homine tantũ occiso de parte Christianorum (quod compertum est) tanta millia hominum ex altera parte perierunt.

892. DCCCXCII.

REX de Francia cum victoria in Alamannia Curte Regia Vlma honorificè Natalem Domini celebrauit. Inde Orientem proficiscitur, sperans ibi Zvventibaldum Ducem obuium habere. Sed ille, more solito, ad Regem venire renuit, fidem & omnia antè promissa mentitus est. Indè Rex irato animo in Hengistfeldono cum Brazlauone Duce colloquium habuit. ibi inter alia quærens tempus & locum, quomodo possit terram Marauorum intrare. Consultum est enim, vt tribus exercitibus armatis Regnum illud inuaderet. Rex equidem, assumptis secum Francis, Baioariis, Alamannis, mense Iulio Marauam venit. Ibi per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, Vngaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus, omnem illam regionem incendiis deuastandam versabatur. Missos etiam suos indè ad Bulgarios, & Regem eorum Laudomir, ad renouandum pristinam pacem cum muneribus mense Septembri transmisit, & ne coemtio salis indè Marauanis daretur, exposcit. Missi autem propter insidias Zvventibaldi Ducis terrestre iter non valentes habere, de Regno Brazlauonis per fluuium Odogra vsque ad Gulpam, dein per fluentes Sauæ fluminis nauigio in Bulgaria perducti. Ibi à Rege honorificè suscepti, eadem via, qua venerant, cum muneribus mense Maio reuersi sunt. Poppo Dux Thuringorum honoribus priuatus est.

893. DCCCXCIII.

ANTE Quadragesimam Rex per totam Occidentalium Francorum Prouinciam, Monasteria, Episcopatus, causâ orationis obibat. Engilscalchus, iuuenili audaciâ vir, qui post rapta de concubina Regis filia, ad tempus se Marauos exul contulit. Post hæc ad gratiam Regis non longum veniens, Marchensis in Oriente effectus est. Ibi audacter contra Primores Baioariæ in rebus sibi summis agens iudicio, eorum vrbe Radaspona incautè Palatium Regis prolapsus, & Regi præsentatus, obcæcatus est. Hinc etiam & VVillihelmus filius patruelis eius Missos suos ad Zvventibaldum Ducem dirigens, reus Majestatis habebatur. capite detruncatus est. Frater quoque eius cum Marauanis exul delitescens, insidioso consilio Ducis, cum aliis quamplurimis interfectus est. Arrepto itaque Rex itinere, iterum Regnum Zvventibaldi Ducis ingreditur cum exercitu, maxima parte illius regionis exspoliata propter insidias positas, magna cum difficultate itineris in Baioaria ad Regiam Curtem Oringam reuersus est. De qua ei non multùm pòst filius nascebatur, quem Hado Mogonciacensis Archiepiscopus & Adalpero Au-

A gustæ Vindelicorum Episcopus sacro fonte baptismatis chrismantes, nomine aui sui HLVDOVVICVM appellauerunt. Missi autem Formosi Apostolici cum Epistolis & Primoribus Italici Regni ad Regem in Baioaria aduenerunt: enixè deprecantes, vt Italicum Regnum, & res sancti Petri ad suas manus à malis Christianis eruendum aduentaret. quod tunc maximè à VVidone tyranno affectatum est. Quod Rex apud vrbem Regino honorificè recipiens, & cum muneribus postulata annuens, abire permisit. Hyems aspera, & plus solito prolixa extenditur: ita vt mense Martio nix in quibusdam locis per quinque dies mensura in profundo vnum pedem habere videretur. Indè per Baioariam maxima penuria vini facta, oues & apes perditæ. ARNVLFVS IMP.

DCCCXCIIII. 894.

SONITVS tonitrui magni increpuit v. Kal. Febr. Ipse mox in itinere positus Naralem Domini Curte Regia VVeibilinga mansit. Indè cum Alamannico exercitu Italiam intrauit. Pergamum ciuitatem primùm cum Comite VVidonis Ambrosio sibi rebellem sentit. Ob hoc Rex mente commotus, iussit castra exercitus, ipse adequitans, in ambitu supra montem vsque ad murum ciuitatis promoueri. Conserti sunt enim ita vesperascente iam die pugnantes, vt cetera pars noctis par obsidentibus & obsessis vigilandum erat. Aurora insurgente, Rex Missarum sollemnitate completa vrbem ad expugnandum exercitum per circuitum distribuit**

Deest folium.

**potestati reconciliatos se subdidere. Iterum Rex à Formoso Apostolico per Epistolas & Missos enixè Romam venire inuitatus est. Rex verò cùm consilio Episcoporum suorum petitionibus suis satisfacere decreuerit, mense Septembri de Francia & Alamannia Italia promouit exercitum. Venientes quippe vltra Padum, ibi diuiso exercitu Alamannos per Boloniam, ad Florentinam vrbem ire permisit, ipse cum Francis per superiores partes Alpium currem, quæ dicitur Turris, sic vsque ciuitatem Lunam progreditur. Ibi Natale Domini celebrauit.

B

DCCCXCV. 895.

IGITVR propter nimiam intempestatem aëris, & immoderatam effusionem imbrium, & vltra modum inundationibus aquarum, omnis exercitus per deuexa montium cacumina impedita sunt, passim errando laboriosè peruagatus. Vnde etiam maxima pestilentia equorum, & plus solito, propter difficultatem itineris aggrauando excreuit. ita verò vt totus penè exercitus supellectile suum inconsueto more per sellatos more equitum boues trahebant. Ad hæc interim malus rumor Regem, necnon exercitum commouit, Perngarium scilicet nepotem eius à fidelitate sua defecisse, & in Italiam iam pro hoc reuersum esse. Adalpertum videlicet Marchensem Tusciæ mutuis colloquiis Perngarij, ne aliquo modo ad Regis fidelitatem intenderet.

HIS & talibus auditis, Rex graui molestia, totúsque exercitus maxima anxietate & penuriâ præoccupatus, tandem vrbem Romam aduenerunt. Super hæc omnia nouum genus anxietatis exercitui occurrit. Nam aduentantibus illis Ageldrudis vidua VVidonis portas in circuitu murorum omnes serrando præoccupauit, vt omnibus pariter ad domum sancti Petri introitus denegaretur. Quod Rex molestè accipiens, in commune consilium cum omni exercitu ad Ecclesiam beati Pancratij conuenit. Pòst, solemnitate Missarum celebrata, Rex exercitum vnanimiter interrogauit, quid facto opus sit. Conueniunt omnes cum lacrymis, fidem promittentes, confessionem coram Sacerdotibus publicè agentes, indicto vnius diei ieiunio, bello Vrbem expugnare in commune acclamatum est. Cunctantibus ergo cunctis redire in castra, Rex murum prospiciendo circumibat, Dei nutu subitò inter obsessos & obsidentes insperatè contentio exoritur, concursus ex omni parte plebis, omnes vociferantes Vrbem bello expugnare, omnibus in pugna par voluntas. Nec mora aduenerunt murum, lapidibus defensores murorum depellunt, multitudo virorum portis se constipat, alij securibus & spadis portam & vectes ferratos incidunt, alij murum perfodiunt, alij per scalam muros ascendunt. Sicque Dei prouidentiâ firmissima & nobilissima vrbs, nullo ex parte Regis de tanto exercitu succumbente, iam vesperascente die, nobiliter cum triumpho expugnata est, Apostolico & Vrbe

C

ARNVLPVS IMP. de inimicis liberato. Omnis namque Senatus Romanorum, necnon Græcorum A Schola, cum vexillis & crucibus ad pontem Miluium venientes, Regem honorificè cum hymnis & laudibus suscipientes, ad vrbem perduxerunt. Iam Apostolicus paterno amore diligendo Regem ante paradisum, loco qui dicitur Gradibus Sancti Petri suscipiens, & honestè ad Basilicam beatorum Principum Apostolorum lætificando introduxit, & secundum morem antecessorum suorum, Imperialem consecrationem capiti sibi imponens, Cæsarem Augustum appellauit: dispositis ibi multimodis rebus, omnis Romanorũ populus ad sanctum Paulum cum iuramento Imperatori fidem promittentes. Iuramentum verò illud, ne quem lateat, hic inserere proposuimus. *Iuro per hæc omnia Dei mysteria, quòd saluo honore, & lege mea, atque fidelitate domini Formosi Papæ, fidelis sum, & ero, omnibus diebus vitæ meæ, Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo, & Lamberto filio Agildrudæ, & ipsi matri suæ ad secularem honorem numquam adiutorium præbebo, & hanc ciuitatem Romam ipsi Lamberto, & matri eius Agildrudæ, & eorum hominibus, per aliquod ingenium aut argumentum non tradam.* Post hæc autem Constantinus & Stephanus, qui maiores inter Senatum erant, rei Maiestatis esse accusati sunt, quia cum Agildrudâ priùs Vrbem capiendam conspirauêre. quos Rex sine mora comprehendi, & secum in Baioaria transferri præcepit. Vrbem verò ad suas manus custodiendam Faroldo cuidam Vassallo concessit. Ipse xv. tandem die, postquàm venerat, ab Vrbe digressus est. Comperta denique Agildruda in ciuitate Spoletana morare, quam B ad expugnandum mox iter arripuit. Sed antequam ad locum destinatum peruenisset, graui infirmitate capitis detentus, imperfectum reliquit, & cum omni festinatione paruulo filio suo, nomine RATOLD, qui ei de concubina erat, ad fidem Italicæ gentis Mediolanum dimisso, per vallem Tridentinam mense Maio in Baioariam reuersus est. Sed non multò post etiam filius eius, quem in Italia dereliquit, per lacum Cumensem ad eum reuersus est. Post mortem etenim VValefredi Foro-Iulij Marchensis, qui multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, illicò Perngarius Regnum Italicum inuasit, & vsque ad flumen Adduam, quasi hereditario iure contra Lantbertum in participationem recepit. Maginfredus Comes Mediolanensis ab Lanrberro filio VVidonis capitali sententiâ interfectus est: filius eius atque gener oculorum lumine orbati sunt.

AT Romæ Formosus Papa defunctus die sancto Paschæ, in cuius locum consecratur Bonifacius, qui podagrico morbo correptus vix xv. dies superuixisse reperitur. In cuius sedem successit Apostolicus nomine Stephanus, vir famâ infamandus, qui antecessorem suum Formosum inaudito more de sepulcro eiectum, & per aduocatum suæ responsionis depositum foras extra solitum sepulturæ Apostolicæ locum sepeliri præcepit.

PACEM ergo Græci eodem anno cum Auaris (qui dicuntur Vngari) facientes. quòd eorum conciues Pulgari in prauum vertentes, hostili expeditione contra eos insurgunt, & omnem regionem illorum vsque portam Constantinopolitanam deuastando insequuntur. Quod ad vlciscendum Græci astutia sua naues illorum contra Auaros mittunt, ac eòs in Regnum Bulgarorum vltra Danuuium transponunt. Illi transpositum manu cum valida gentem Bulgarorum ingressi, maximam partem cædendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bulgari, cum omni festinatione primùm deliberare ab infesto hoste recurrunt, consertóque illico prælio, victi sunt: iterum pari tenore recuperare nitentes, secundò caruêre victoria. Tandem miseri inscij quam consolationis causam & remedij potuissent inuenire, currunt omnes ad vestigia veteli illorum Regis Michaëlis, qui eos primùm ad Christianæ Religionis veritatem conuertit, inquirentes quid eis ab imminenti periculo euadendum consuleret. Qui indicto triduano ieiunio, pœnitentiam de inlata Christianis iniuria, dein auxilium à Deo quærendũ esse præmonuit. Quo peracto, durum imminere certamen. pugnantibus verò ambabus acerrimè partibus, ad vltimum misericordiâ Dei victoria quamuis cruenra Christianis concessa est. Quis enim gentilium Auarorum strages tantis cõgressionibus enumerãdo possit exponere? quoniam Bulgarorũ, ad quos victoria concessit, numero xx. millia equitum cæsa inueniuntur. Stipantibus denique iisdem in partibus inter se conflictibus, Imperator Pannoniam cum vrbe Paludarum tuendam Braxlauoni Duci suo in id tempus commendauit. Leo verò

A Imperator Græcorum Lazarum quendam vocatum Episcopum ad Cæsarem Augustum cum muneribus transmisit. Quem ille apud vrbem Radasbonam gratanter accipiens, paucos eum dies secum retinuit: tandem honoribus ditatum remisit in sua. ARNVLPHVS IMP.

DCCCXCVII. 897.

CÆSAR verò cum Curte Regia Otingæ Natalem Domini celebrauit. aduenientibus ibidem ad eum Marauorum Missis, qui pro pace custodienda, ne exules eorum profugi reciperentur ab Imperatore flagitant. Quos Rex vt audiuit, absoluit, & sine mora abire iussit. Ipse verò, habito generali Conuentu, vrbe Regino propter grauitatem corporis in Baioaria secretis locis hiemare disposuit. Fames valida per vniuersam regionem Baiovvariorum incubuit, itavt multi inediâ consumerentur.

EXEVNTE autem mense Medio*, habitum est Placitum vrbe VVormacia. *Maio Ibi inter alia Zuentibaldus filius Imperatoris ad eum venit. Quem ille benignè suscipiens, quibusdam Primoribus suis, qui priori anno ab eo honoribus priuati sunt, cum eo pacificaris, ceterisque negociis, prout potuit, ibidem inter se dispositis, placabilem licentiam in sua redeundi donauit. Curte verò Triburia, habito generali Conuentu Fuldense Cœnobium causâ orationis petiit. Quo peracto, ad Curtem, quæ dicitur Salz, peruenit, aduenientibus ibi ad eum cum muneribus Soraborum Missis. quos vt audiuit, absoluit, & abire permisit.

B HIS ita expeditis, contigit vt gentis Behemitarum Duces ad Imperatorem ARNVLFVM, qui tunc temporis ciuitate Raduspona moratus est, aduenerunt, offerentes ei munera regia, & sua suorúmque fidelium suffragia, contra eorum inimicos Marahabitas scilicet postulantes, à quibus sæpè, vt ipsi testificati sunt, durissimè comprimebantur. Quos ergo Duces Rex Imperator gratuitò suscipiens, verbáque consolationis ex pectoribus abundantiùs inseruit, & lætabundos donóque honoratos patriam in suam abire permisit, totúmque illius anni tempus autumnale finitimis in locis Aquilonaribus Danubij Ymbrisque fluminis sese sustentauit. Hac etiam in ratione, si supradictæ genti necessitas auxilij sui immineret, paratus cum suis fidelibus existeret.

DCCCXCVIII. 898.

POSTEA verò, anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. inter duos fratres gentis Marahensium, Moymirum videlicet ac Zentobolchum, eorúmque populum, dissensio atque discordia grauissima exorta est; ita etiam, vt si vterque alterum suis viribus insequi atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam. Tunc verò Rex Imperator ista sciens, Marchiones suos, Luitbaldum scilicet, & Arbonem Comitem, vnà cum ceteris fidelibus suis, parti, quæ ad se spem ac confugium habuit, auxilium ad eorum liberationem protectionémque Bavvarios suos Primates transmisit. At illi in ore gladij, ignéque, prout poterant, inimicos suos humiliauerunt, & deuastando necauerunt. Istius ergo dissen-

C sionis & disruptæ pacis inter suprà nominatos fratres Arbo Comes, & Ihatico * filio suo instiganre, instructor, delatórque, atque proditor esse conuincitur, & ob hanc causam Præfecturâ sua ad tempus caruit, quam non multò pòst accepit. *infrà, Isanrico Deinceps autem quidam, qui erat quondam Princeps, cum ceteris primoribus gentis Bavvariorum, nomine Erimbertus, qui postea Regi suisque rebellis extitit, à Priznolauo quodam Sclauo Duce, qui & ipse Imperatori fidus probatur, comprehensus dinoscitur, & à Luitbaldo strenuo Comite aliisque vinculis illigatus Regi à Drantesdorf est præsentatus, Christi Domini Natale anni instantis finiente. Iterum autem expeditione ordinata tempore hiemali, Bavvariorum Principes cum suis fines Marahabitarum fortiter atque hostiliter inuaserunt, & manu valida loca illorum desertantes, prædámque colligentes, domúmque reuertentes, habentes ea····**

TVM verò multis temporibus inauditum scelus, & quod non oportuit facinus, de Regina OTA diuulgatum est, id est, vt corpus suum in latebroso ac iniquo manciparet coniugio. Quod ipsum Radaspona vrbe mense Iunio, iuxta Primorum præsentium iudicium LXXII. iurantibus definitum comprobatur.

IPSO quoque tempore eiusdem magni & communis Placiti ciuitate Regia Rex paralysi solutus infirmatus est. Secundum autem vt Regi nociuum quod-

ARNVLFVS IMP. dam à viris ac feminis daretur, vt indè paralyticus efficeretur, quorum vnus vocabatur German, qui reus Maiestatis conuictus, & ideò Otingæ decollatus est: alter verò fuga lapsus in Italia latuit. Et alia quoque femina nomine Rodpure, quæ eiusdem sceleris auctrix deprehensa, certa examinatione, inueniebatur, Epilinga in patibulo suspensa, interiit. A

DENIQVE non post multum temporis Bavvarij terminos Maraborum confidèter iteratò intrantes, & quæcumque poterant diripiendo populati sunt, & Zvventobolchum puerum filium antiqui Ducis Zvventobolchi, suúmque populum, de ergastulo ciuitatis, in quo inclusi morabantur, eripuerunt, ipsámque ciuitatem igni succenderunt, atque in fines patriæ suæ pro misericordia secum abduxerunt.

INTERIM autem Isauricus tyrannidem suam sine cessatione contra Regem exercens. Quod vehementer Rex accipiens decreuit nauigio, quia iam tunc infirmus corpore fatigaretur, ciuitatem Mutarensem, in qua ipse Isauricus erat, aggredi. quod & factum est. Illo verò resistente, Rege quoque & suis fortiter viriliterque superantibus, atque ciuitatem oppugnantibus, demum ipse Isauricus vi compulsus, cum vxore, & his quæ ad se pertinebant, exiuit, & Imperatori sese præsentauit. Tunc Rex custodibus illum custodiendum commendauit, quatenus Radasponam produceretur. At ille timens ne puniretur, fugam iniit, & Marchenses vsque fugit. Quorum itaque adiutorio suffultus, vt priùs partem Regni subripuit, eandem totum secum retinendo obtinuit. Engilmarus Pataulensis Episcopus obiit, in cuius locum VVihingus quidam Alamannus contra instituta Patrum prius Marahunensis ab Apostolico destinatus Episcopus, Rege concedente successit. Sed non multò post à Deotmaro Archiepiscopo, ceterisque Suffraganeis suis, contra voluntatem Regis, canonicali iudicio abiectus, ac Richardus ad eandem Sedem Episcopus in idipsum tempus ordinatus est. B

900. DCCCC.

IMPERATOR vrbe Radispona diem vltimum clausit, & honorificè in domo Emmerammi Martyris Christi à suis sepelitur. LVDOVVICVS filius eius, qui vnicus tunc paruulus de legali vxore natus illi erat, in Regnum successit. Cuius frater de concubina, ZVVENTIBOLDVS nomine, Gallicanum Regnum secum retinens, res & Ecclesiarum crudelitate sua immoderatè affectans, maximum crimen, eo quòd Rotpodo Treuirensi Archiepiscopo, contra Sacerdotalem honorem baculo suo in capite percutiens intulit, à suis tam Episcopis quàm Comitibus omnibus desertus est. Ipse verò recuperare nitens, cum paucis contra eos incautè dimicans, vitam cum Regno finiuit.

LVDOVICVS III. IMP.

BAIOVVARII per Boëmanniam ipsis secum assumptis, Regnum Marahauorum cuncti per tres hebdomadas deuastantes inruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reuersi sunt. Interim verò Auari, qui dicuntur Vngari, tota deuastata Italia, ita vt occisis Episcopis quamplurimis, Italici contra eos depellere molientes, in vno prælio vno die ceciderint xx. millia. Ipsi namque eadem via, qua intrauerunt Pannoniam, & maxima parte deuastantes, regressi sunt. Missos illorum sub dolo ad Baioarios pacem optando, regionem videlicet ad explorandum transmiserunt. Quod, proh dolor! primum malum, & cunctis retrò transactis diebus inuisum damnum Baiovvarici Regni contulit. Igitur ex improuiso cum manu valida, maximo exercitu, vltra Anseum fluuium, Regnum Baiovvaricum hostiliter inuaserunt, ita vt per quinquaginta milliaria in longum & in transuersum igne & gladio cuncta cædendo & deuastando iam vna die prostrauerint. Quod comperientes vlteriores Baiovvarij dolore compulsi, contra festinare disponunt. Sed hoc Vngari præcognoscentes, cum his quæ deprædauerunt redierunt, vnde venerunt, ad sua in Pannoniam. Interim verò quædam pars de exercitu illorum de Aquilonari parte Danubij fluminis partem illam deuastando procupere. Quod vt Luitpoldo Comiti compertum foret, molestè hoc patiendum ferens, contra exisse cum quibusdam primoribus Baiovvariorum, vno tantùm Euchario Patauiensis Sedis Episcopo comitante, vltra Danubium eos insequendum se transposuit. Consertóque illico cum illis prælio, nobiliter dimicatum est, sed nobiliùs triumphatum. Nam in prima congressione belli tanta Dei gratia Christianis occurrit, vt MCC. gentilium inter occisos, & qui se in Danubio merserunt, perempti inueniantur. Vix tantùm vnum de Christianis occisum C

A in apparatu belli inueniunt, in cœlo indè Deo gratias clamantes ferebant. qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate, benè sperantes in se seruasset. Tandem læti post tantam victoriam *...... In eodem namque loco, post victoriam illis cœlitus datam congressi, ... magno. *** Ludovici III. Imp.

Aliqua desiderantur.

EPITAPHIA ARNVLPHI ET LVDOVICI III. IMPP.

Quæ extant Ratisponæ, in Choro Monasterij S. Emmeramni,

Epitaphium Arnulphi.

Hac Arnvlphvs *humo est Cæsar Romanus humatus,*
Quem Galli Regem, Boij habuêre Ducem.
Hic Ædem Emmerane tuam defendit, & auxit:
Prædia sunt testes, splendidus atque Liber.
Ad nostram cineres Dionysi transtulit vrbem,
Finibus è Gallis quas, pia furta, tulit.
B *Postquàm nongentos Titan compleuerat annos,*
Cæsar persoluit debita iura necis.

Epitaphium Ludouici III. filij Arnulphi.

Pavso *sub hoc saxo* Lvdovicvs *Regia proles,*
Romani Regem quem statuêre sibi.
Mî fuit Arnvlphvs *genitor, qui proximus illic*
A cornu altaris conspiciendus adest.
Hic vbi pertæsus vitæ sua tempora clausit,
Romani Imperij sors mihi sceptra dedit.
O nimis infelix! quatuor vix lustra videbam,
Iniecit rapidas cùm mihi Parca manus.

EXCOMMVNICATIO HOMINVM BALDVINI COMITIS FLANDRIÆ,

Propter occisionem Fulconis Remensis Archiepiscopi ab illis perpetratam.

C *Ex veteri Ms. Cod. Nicolai Camusatij Canonici Trecensis.*

Anno dcccc. Dominicæ Incarnationis pridie Nonas Iul. primo scilicet die quando ordinatus est Herivevs in Archiepiscopatu Remensi Episcopus, lecta est excommunicatio hæc quæ sequitur in Ecclesia sanctæ Mariæ Remis, præsentibus Episcopis infrà scriptis. Herivevs nomine non merito Remorum Archiepiscopus, ac plebis Dei famulus: VVido Rotomagensium Archiepiscopus, Riculfus Suessionum Episcopus, Heidolo Nouiomagensium Episcopus, Dodilo Cameracensium Episcopus, Herinandus Morinensium Episcopus, Otgarius Ambianensium Episcopus, Honoratus Beluacensium Episcopus, Mancio Catalaunensium Episcopus, Rodulfus Laudunensium Episcopus, Otfridus Siluanectensium Episcopus, Angelrannus Meldensium Episcopus, Notvm sit omnibus vbique sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam Clericis quàm laicis, quòd nos & commissa nobis omnis Ecclesia nimia perturbatur tristitiâ, pro inaudita re post persecutionem temporis Apostolorum, eorùmque successorum: de occisione nimirum patris & pastoris nostri Folconis ab impiis impiè perpetrata, qui pro regni vtilitate, & totius sanctæ Ecclesiæ statu, pro viribus die 900.

CAROLVS SIMPLEX. noctúque desudans, ac seipsum in defensione omnium Ecclesiarum in hoc Regno consistentium muro protectionis opponens. Res enim earum à BALDVINO Comite filio BALDVINI ac IVDITH contra omnem legem & diuinam & humanam peruadebantur. ideò ab ipsius Balduini hominibus, VVINEMARO, EVVERARDO, & RATFRIDO, ceterisque eorum complicibus interfectus crudelissimè occubuit. De eius morte totius Ecclesiæ ordo atque professio meritò contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea, nisi fortè à paganis, in Ecclesia non auditum, quia non est actum, in nomine Domini & in virtute sancti Spiritus, necnon auctoritate Episcopis per beatum Petrum Principem Apostolorum diuinitus conlata, ipsos à sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus: vt eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec vlla inter Christianos conuersatio. Sintque maledicti in ciuitate, maledicti in agro. Maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ eorum. Maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum. Armenta boum suorum, & greges ouium suarum. Maledicti sint ingredientes & egredientes. Sintque in domo maledicti, in agro profugi. Intestina in secessum fundant, sicut perfidus & infelix Arrius. Veniántque super illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moisen in populũ diuinæ legis præuaricatorem se * esse intentauit. Sintqne anathema maranatha, & pereant in secundo Aduentu Domini. Insuper quicquid maledictionis sacri Canones, & Apostolicorum virorum Decreta decernunt super homicidis & sacrilegis. Nam illos sacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Christum Domini manum mittere ausi sunt. Omne super illos ac perpetuum interitum per iustissimam diuinæ animaduersionis sententiam congeratur. Nullus ergo eis Christianus vel Aue dicat. Nullus Presbyter Missas aliquando celebrare, nec si infirmati fuerint confessiones eorum recipere, vel sacro sacram * communionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso fine vitæ suæ præsumat vnquam dare: sed sepulturâ asini sepeliantur, & in sterquilinium super faciem terræ sint; vt sint in exemplum obprobrij & maledictionis præsentibus generationibus & futuris. Et sicut hæ lucernæ de nostris proiectæ manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

* sanctam

FRAGMENTVM GALLICI SCRIPTORIS,

DE REGE CAROLO DICTO SIMPLICE,

Ex Conrado Abbate Vrspergensi.

GALLIA Celtica ROBERTO collata, CAROLVS in Saxoniam secedit. Cuius vrbes sedésque regias perlustrans, nullo resistente obtinuit. Ibi quoque HEINRICVM Regio genere inclytum, ac indè oriundum, Ducem omnibus donat. * * * Interea Galliarum vrbibus ac oppidis firmiter obtentis, cùm Paschalis solemnitas immineret, Aquisgrani Palatio sese Rex recepit. Huc ex omni Gallia Principes confluunt: huc etiam mediocres multo fauore veniunt: adsunt & Duces, ex Saxonia quidem Heinricus, ex Gallia Robertus. Quotidie secus fores regij cubiculi manent: quotidie egressum Regis à penetralibus aulæ præstolantur. Cùm verò nullum eis à Rege responsum per dies quatuor daretur, Heinricus id molestissimè ferens, dixisse fertur, aut Haganonem quandoque cum Carolo regnaturum, aut Carolum cum Haganone ad rerum mediocritatem deuenturum. Indignánsque inconsultò discessit. Quod Rex molestè ferens, eum reuocare cupiebat, & pro hac re Metropolitanum Remensium Heriueum dirigebat. Cuius luculenta & amica oratione persuasus Dux Heinricus ad Regem redit, multóque ambitionis honore ante eum admissus, in præcipuo gratiæ loco familiarissimè recipitur.

HAC tempestate Regenherus vir nobilis, partium Caroli fidissimus tutor, finem vitæ accepit. cuius exequiis Carolus interfuit. Hisque peractis, Gisilberto eius filio iam adulto paternum honorem coram Principibus, qui confluxerant,

A liberalissimè contulit. Hic cùm esset opibus & genere inclytus, & coniugio Gerbergæ Henrici Transrhenensis filiæ satis beatus, in nimiam præ insolentia temeritatem præceps ferebatur, multáque pro abiectione Regis moliebatur. Quo agnito, Carolus à Celtica cum exercitu rediens, cùm bellum pararet inferre Belgis, quorum Dux erat Gisilbertus, Belgæ mox non in aperto cum Gisilberto nisi sunt resistere, sed oppidis ac municipiis sese recludunt propere. Ad quos Rex Legatos dirigens, promisit eis se omnia donaturum, si ad se confluerent, quæ à Gisilberto priùs in beneficio haberent. Quo capti mox ad Regem per sacramenta redeunt, & contra Gisilbertum pariter consurgunt. Ille verò in oppido Hårburg, quod hinc Mosa, & indè Gullo fluuiis vallatur, alias autem immani hiatu, multóque horrore veprium tutissimum videbatur, cum paucis tunc claudebatur. Huc Rex cùm copiis properat, obsidionem locat hinc & indè naualem, alias verò equestrem. Et cùm violentiùs instaret, Gisilbertus clam per murum delapsus, fluuium enatando transmeauit, & cum duobus clientibus Rhenum exulaturus pertransiens, annis aliquot apud socerum suum Heinricum, patrimonio priuatus exulauit. Oppidani verò absque duce relicti, se subdiderunt Regi. Euoluto autem tempore, Heinricus egit apud Regem, vt Gisilbertus reciperetur in gratiam: ea tamen conditione, vt beneficiis, quæ ipse insolenter deduxerat, quæque Rex fauentibus sibi postea contulerat, quamdiu possessores eorum viuerent, careret: ea verò, quorum possessores per annos exilij sui excesserant, Regis miseratione reciperet. Recepit itaque Traiectum, Iuppilam, Harstalium, Marsnam, Littam, Capræmontem, quæ à defunctis derelicta vacabant: ceteros verò, qui
B sua habebant, ingenti cæde vexabat, donec omnia sua recipiebat. Postea multa contra Regem machinans, socerum adiit, ac plurimum Regi adhærere dissuasit, Celticam solam Regi sufficere posse asserens, Belgicam verò ac Germaniam Rege alio plurimùm indigere. Vnde vt ipse Dux Heinricus creari Rex non abnueret, multiplici permouebat suasione. Heinricus verò cùm illicita eum suadere aduerteret, dictis suadentis admodum restitit, & vt à nefariis quiesceret crebrò admonuit. Gisilbertus verò, cùm apud socerum non proficeret, nec Regnum sibi parare posset, in Celticam secedit, & in Neustriam transit, sicque cum Roberto Ottonis Regis fratre, qui erat Dux Celticæ, de negotio eodem consilium pertractat, suggerens ei de Regni susceptione, & Caroli abiectione. Exultat tyrannus, & sine mora suadenti fauet. Deliberant ergo, sibique per sacramenta consentiunt. Sicque procedenti tempore collectis Principibus Rex efficitur anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXII. 922.

Carolus Simplex.

PACTVM KAROLI ET HENRICI REGVM.

C IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, diuina propitiante clementia, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVI.* anno verò Regni domni & gloriosissimi Regis Francorum Occidenralium KAROLI XXIX. redintegrante XXIV. largiore verò hereditate indepta X. Indictione IX. anno quoque regni domni & magnificentissimi Regis Francorum Orientalium HEINRICI tertio, inter ipsos præfatos Principes vnanimitatis pactum, ac societatis amicitia, quæsita repertáque exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Conuenerunt enim ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus Legatis conuenerant, II. Nonas Nouembris, feria prima. domnus enim Karolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, & strenuus Heinricus ex altera parte Rheni. Et ea tantùm die mutuis se visibus intuentes super ripas eiusdem fluminis huc & vltra, vt sui fierent fideles innoxij sacramento, quo hanc eorum conuentionem fuerant polliciti. Verùm feria quarta, VII. Idus Nouembris, in medio Rheni fluminis sæpius dicti Principes in nauibus quisque suis in tertiam ascenderunt, quæ ancorata in fluminis medio gratia eorum colloquij fixa erat: ibique in primo hanc sibi vicissim conuenientiam ob statum pacis iuramento sanxerunt ita.

*DCCCCXXI

EGO KAROLVS diuina propitiante clementia Rex Francorum Occidentalium, amodò ero huic amico meo Regi Orientali Heinrico amicus, sicut amicus

CAROLVS SIMPLEX. per tectum debet esse suo amico, secundum meum scire ac posse: ea verò ratione, si ipse mihi iurauerit ipsum eundémque sacramentum, & attenderit quæ promiserit. si me Deus adiuuet, & istæ sanctæ reliquiæ. A

E contra Rex Heinricus eandem promissionem sacramento eisdem prosecutus est verbis subsequenter, vt huius amicitiæ firmitas inuiolabiliter obseruaretur.

Hæc sunt nomina Episcoporum, qui cum nobilibus, ac fidelibus laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptauerunt, & manibus suis sacramentum firmauerunt nunquam à se destruendam.

EPISCOPI ex parte domni Regis Karoli. Herimannus Archiepiscopus Agrippinæ, quæ modò est Colonia vocitata, Rodgerus Archiepiscopus Treuirorum, Stephanus Præsul Cameracorum, Bouo Episcopus Catalaunensium, Baldricus Traiectensium Episcopus. Hæc nomina Comitum, Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, VValtkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

EPISCOPI ex parte Regis inclyti Heinrici. Herigerus Archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus Episcopus Mimmogerneferdæ, Dodo Episcopus Osnobroggæ, Ricavvdo Episcopus Vangionum, quæ nunc dicitur VVarmatia, Hunuardus Episcopus Paderbonensis, Notingus Episcopus Constantiæ Alemannicæ. Hæc sunt nomina Comitum. Eurardus, Chonradus, Herimannus, Hato, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Foldac. B

POENITENTIA INIVNCTA HIS, QVI BELLO SVESSIONICO INTER KAROLVM ET ROBERTVM Reges interfuerunt.

Ex vetusto Cod. Ms. Nicolai Camusatij Canonici Trecensis.

924. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV. Episcopatus autem domni SEVLFI II. conuenientes sancti Patres, Seulfus scilicet Remorum Archiepiscopus, Abbo Suessonicæ vrbis Episcopus, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Cameracensis, item Adelelmus Siluanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Nouiomagensis, cum ceterorum eiusdem Remensis dioceseos Episcoporum Legatis, decreuerunt hanc pœnitentiam his, qui bello Suessionis inter ROTBERTVM & KAROLVM acto interfuerant, iniungendam. Videlicet vt tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam: ita vt prima quadragesima sint extra Ecclesiam, donec Ecclesiæ Domini reconcilientur. Omnibus verò his tribus quadragesimis, secunda, quarta, & sexta feriâ, in pane, sale, aquâ abstineant, aut redimant. Similiter XV. diebus ante natiuitatem sancti Iohannis Baptistæ, & XV. diebus ante Natiuitatem Domini Saluatoris. Omni quoque VI. feriâ per totum annum, nisi redimerint, aut festiuitas celebris ipsa die acciderit; vel eum infirmitate siue militiâ detentum esse contigerit. C

FRAGMENTVM HISTORICVM, De destructionibus Ecclesiæ Corbeiensis.

Prima destructio.

MANSIT in tranquilla pace Ecclesia nostra à tempore Baltildis Reginæ & filij sui Lotharij Regis, & per tempora aliorum XVI. Regum qui post dictum Lotharium regnauerunt, vsque ad tempus Karoli & Ludouici Regum, & fratrum. In tempore siquidem istorum, scilicet Karoli & Ludouici, venerunt Notthmanni qui dicuntur *Norois*, & Dani qui dicuntur *Danois*, in terris istis,

A & destruxerunt ferro & igne vrbem Ambianensium, Attrebatensem, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatensium, omne quod circa Scaldum flumen erat, Monasteria sanctorum VValarici & Richarij, totum deuastauerunt. Persecutio ista prima fuit destructio. CAROLVS SIMPLEX.

Secunda destructio Ecclesiæ nostræ.

ANNO Domini DCCCXCIX. regnauit Carolus Pius, qui occidit apud ciuitatem Suessionis ROBERTVM qui habebat sororem Herberti de Perona in vxorem. Fuit autem occisus iste Robertus à Karolo Rege, pro eo quòd ipse fecerat se Regem. Certificato ergo Herberto de morte dicti Roberti consobrini sui, dictum Regem hospitauit sicut proditor. Idem autem Karolus Pius Rex ob longam carceris macerationem sub potestate Herberti proditoris & nefandi sicut exul & martyr mortuus est, & sepultus in basilica S. Fursei Confessoris, quæ in eodem castro est. De guerra ista, quæ fuit in tempore illorum, & quæ fuit postea, fuit destructa Ecclesia nostra & regio tota. Et hæc est secunda destructio. 899.

Tertia destructio.

ANNO Domini DCCCCXXXVIII. Remeauit regnum ad Ludouicum filium Caroli Pij, in cuius tempore destructa fuit iterum Ecclesia nostra de guerra RADVLFI Cameracensis, qui fuit nepos memorati LVDOVICI Regis, & etiam B tota terra ista. Et hæc est tertia destructio. 938.

Quarta destructio.

ITEM adhuc regnante & viuente LVDOVICO Rege, venerunt in terram homines mali & pessimi, ISEMBARDVS & VVERMONDVS, qui grauiùs destruxerunt Ecclesiam nostram, & totam terram. Hi fuerunt qui rapuerunt de Monasterio S. Stephani *l'Escarboucle*, secum deferentes cùm recesserunt. Et hæc quarta destructio.

POST hanc quartam destructionem Ecclesiæ nostræ, quam fecerunt Huni, scilicet Isembardus & VVermondus, venerunt post decessum alij homines mali & pessimi, qui dicuntur *Loherenc*, in terram istam. De istis hominibus fuerunt isti duo viri, EMMON & GODARDVS. Et hi duo simul fuerunt Comites de Corbeia, de villis, de agris, de siluis, de vineis, de pratis, de pascuis, de furnis, de molinis, de viis rectis & semitis, de domibus, de ædificiis, de cellis, de curtis, de famulis, de mancipiis, de cunctis hominibus, de alta iusticia & de inferiori, & de cunctis aliis rebus sibi adiunctis, vbicumque possent inueniri. Appendebant enim ad Corbeiam vineæ, quæ circa Monasterium erant, continentes in se XII. bunaria terræ, & ampliùs, vbi poterant colligi modij XC. de vino, & ampliùs. Item appendebant Corbeiæ culturæ quæ circa Monasterium erant continentes in se LIV. bunaria de terrá arabili, & ampliùs.

A



FRODOARDI PRESBYTERI
ECCLESIÆ REMENSIS
CHRONICON,
AB ANNO DCCCCXIX. AD ANNVM DCCCCLXVI.

Cum Appendice aliquot annorum.

VIR doctiss. P. Pithœus in editione huius Chronici tribus Exemplaribus vsus est ex quibus ea quæ ad Virdunenses Episcopos pertinent, sed & alia quædam virgulis inclusa, illius sunt quod Diuionense appellauit: quanquam Virduni potiùs descriptum videatur. Nunc autem & ipsa eiusdem editio cum altero Codice antiquissimo Bibliotheca Thuanæ collata est, ac plerisque in locis emendata. B

CAROLVS SIMPLEX.



ANNO DCCCLXXVII. & Indictione XII. Nonas Octobris, precellentissimus Imperator KAROLVS sanctæ recordationis, insignisque memoriæ, temporalem finiens cursum, feliciter, vt credimus, ad gaudia migrauit æterna. Hic siquidem fuit serenissimi Augusti Hludouici filius, ac nepos gloriosissimi Cæsaris eiusdem nominis Karoli: euius celsitudinis atque dulcedinis nobilissima propinqua eius Bertrada Abbatissa cum omni congregatione sibi commissa supplicationibus deuotissimis assiduè memor, hanc memoriam litteris compendio comprehensam fecit describi, quæ in eius anniuersario annuatim recitaretur, eiúsque memoria semper haberetur.

* * *

919. ANNO Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCCXIX. cecidit Remis grando mirabilis, ouum gallinæ superans magnitudine: quæ verò distendebatur in latitudine, occupabat medium palmæ. Sed & grandior per alia quædam loca visa est cecidisse. Hoc anno nihil vini in pago Remensi nisi parum admodum fuit. Nordmanni omnem Brittanniam in Cornu-Galliæ, in ora scilicet maritima, sitam depopulantur, proterunt atque delent, abductis, venditis, ceterisque cunctis eiectis Brittonibus. Hungari Italiam, partémque Franciæ, Regnum scilicet Lotharij, deprædantur. C

920. ANNO DCCCCXX. penè omnes Franciæ Comites Regem suum Karolum apud vrbem Suessionem *, quia Haganonem Consiliarium suum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat, reliquerunt. Herìueus autem Remorum Archiepiscopus accipiens Regem, cùm omnes eum deseruissent, duxit eum ad hospitia sua in villa quæ dicitur Carcasiria. In crastinum verò venerunt in Crusniacum Remensis Episcopij villam. ibique manserunt donec Remis venirent. Sicque deduxit eum per septem ferè menses, vsquequo illi suos Principes, eúmq; suo restitueret Regno. Postea profectus est Archiepiscopus Herìueus super Mosam, propter quoddam castellum in terra sui Episcopij situ, quod nominant Macetias *, recipiendum, quod tenebat Erlebaldus Comes pagi Castricensis contra illum. quem tunc etiam habebat excommunicatum, propter illa quę ipsius Episcopatus familiæ frequentia ingerebat mala, proptérque Altmontem Eccle-

* Suessionicam

* M Macherias

CAROLVS SIMPLEX.

A sitæ Remensis, quod furtim irruperat, castrum. Archiepiscopus autem postquam præfatum castellum, id est Macerias, cum suis fidelibus per quatuor ferè hebdomadas obsedisset, deserente tandem illud Erlebaldo recepit. Et dispositis inibi custodiis, reuersus est Remis. Qui Erlebaldus profectus ad Regem, qui tunc morabatur in pago VVarmacensi, sedens contra Henricum Principem Transrenensem, ibi ab hostibus Regis sibi superuenientibus interfectus est. Hoc anno, sequenti quoque, agitatur inter Hilduinum Episcopum & Richarium Abbatem de Episcopatu Tungrensi contentio. Siquidem Rex illud Episcopium Richario, quia Hilduinus à se desciuit, cui prius ipsum con esserat, dedit. Herimannus verò Archiepiscopus Hilduinum ibi Episcopum, eligente Clero, ac populo fauente, necnon Gisleberto, quem plurimi Lotharienses Principem relicto Karolo Rege delegerant, ordinauit. Karolus verò reuersis ad se Lotharienfibus, & ipso Gisleberto, Richario Abbati, non Hilduino Episcopo, ipsum Episcopatum consentiebat. Remis in Monasterio Sancti Petri ad portam Basilicarem, cereus, quem ibi posuerant hi ciues qui Romam ad visitanda Apostolorum limina profecti fuerant, accensus est etiam ter igni cœlesti. Ad idem quoque Monasterium quædam puella aduenerat nomine Osanna de pago Vonzinse *, carnem non comedens, neque panem ab annis iam duobus edere valens, cui multæ visiones ostendebantur. Hęc in ipsis diebus, hebdomada plena, iacuit immota: & sanguinem cum omni admiratione sudauit ita, vt frons eius tota & facies vsque ad collum operiretur sanguine. in qua vita, vel tantum calor remanserat, halitu etiam tenuissimè spirante. B Tunc quoque multa se vidisse perhibuit, ex quibus aliqua dixit, plurima quę viderat, se dicere non audere professa est. Tunc etiam circa Remensem vrbem mel in spicis inuentum est, & flores quibusdam in arboribus maturis vel collectis iam fructibus.

* Cod. Thuanus Vozinse

ANNO DCCCCXXI. incarnati Verbi, Rodulfus Episcopus mõtis Lauduni moritur. Cui succedit Adelelmus eiusdem loci Thesaurarius, Remis à domno Herriueo Episcopus ordinatus. Anglorum Romam proficiscentium plurimi inter angustias Alpium lapidibus à Sarracenis obruti sunt. Synodus apud Trosleium habita, cui præsedit Heriueus Archiepiscopus, præsente quoque Karolo Rege: cuius obtentu Herlebaldus ibi Castricensis absoluitur. Richardus Marchio de Burgundia obiit. Karolus Rex in Regnum Lotharij abiit, receptisque per vim quibusdam Ricuini infidelis sui præsidiis, & facta pactione vsque ad Missam sancti Martini cum Heinrico Principe Transrenensi, reuersus est in montem Lauduni. Tempestates hoc anno diuersis in locis plurimæ, homines quoque fulmine exanimati, & domus incensæ. Æstus in æstate magnus, & fœni plurimum. Siccitas ingens tribus ferè continua mensibus, Iulio, Augusto, atque Septembri. Rotbertus Comes Nordmannos, qui Ligerim fluuium occupauerant, per quinque menses obsedit: acceptisque ab eis obsidibus, Brittanniam ipsis, quam vastauerant, cum Nannetico pago concessit. quique fidem Christi cœperunt suscipere. C Erluinus Beluacensis Episcopus obiit. Karolus iterum pacem cum Heinrico firmat. 921.

ANNO DCCCCXXII. Karolus Regnum Lothariense ob persecutionẽ Gisleberti & Ottonis, rapinis, sacrilegiis, atque incendiis, etiam in tempore Quadragesimæ, sicut & tota hieme vastat. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Episcopium Tungrense, reuersus est, ordinatus à Iohanne Papa Episcopus, Hilduino ab ipso Papa excommunicato, qui etiam illò abierat Episcopus. Drogo Episcopus de Tullo moritur, cui succedit Goslinus. Berengario Langobardorum Imperatore Regno ab Optimatibus suis deturbato, Rodulfus Cisalpinæ Galliæ Rex ab ipsis in Regnum admittitur: & Hungari, actione prædicti Berengarij, multis captis oppidis, Italiam depopulantur. Karolo denique Laudunum regresso, Hugo filius Rotberti post Pascha super Vidulam venit, vbi apud villam Fimmas, Heriuei Archiepiscopi fideles cum quibusdam Franciæ Comitibus obuios habuit. Quo cum eisdem super Axonam in pagum Laudunensem profecto, propter prædictum Haganonem, cui Rex Abbatiam Rothildis amitæ * suæ, socrus autem Hugonis, dederat, nomine Calam, Karolus cum Heriberto & Haganone clam Laudunum egressus, ob Haganonis amorem, huius causa timoris trans Mosam profectus est. Quem insecutus Hugo, cum ceteris pugnatorum 922.

* M amiter

CAROLVS SIMPLEX. duobus millibus, vsque Mosam, Gislebertum Lothariensem obuium habuit: cum quo à patre, qui eum prosequutus fuerat, & super Axonam in pago Laudunensi sedebat, ad colloquium reuocatus reuertitur. Quo comperto, Karolus, Mosa retransmissa, cum nonnullis qui ad se venerant Lothariensibus, villas Remensis Ecclesiæ deprædari, necnon incendere cœpit. Alrmontem quoque castrum bellando, non sine clade suorum, cepit, atque diripuit. Robertus igitur super Maternam fluuium Rodulfo filio Richardi genero suo procedit obuiam. quem subsequens Karolus cum Lothariensibus Maternam transiit, & castrum Sparnaci direptum est ab Haganonis complicibus. Rotbertus etiam, præfato Rodulfo cum Burgundionibus veniente, fluuium transiens subter Sparnacum non longiùs tribus leugis ab exercitu Karoli castra metatus est. Vbi vna magis ebdomada consederunt vtrimque, ad colloquium ceteri præter Haganonem & Karolum venientes. Hugo interea filius Richardi ad Rotbertum veniens, ducentos circiter ex his, qui cum Haganone erant, obuios habuit in villas Episcopij Remensis abeuntes prædari. Quibus captis, tribus tantùm occisis, equos cum armis abstulit, & ad suos ignominia oneratos remisit ceteros. Hinc Rotbertus apud Calmiciacum, & Karolus circa Remis castra metati sunt. Vbi cùm tribus continuis consedisset diebus, vna scilicet à ciuitate leuga, & nonnulli ex equis illorum caperentur à ciuibus Remorum, vna tantùm die, Dominica videlicet Pentecostes, contra vrbem pugnauerunt: vbi nonnullis occisis ex Lothariensibus, vulneratisque plurimis, nox prælium diremit. Audito denique, quòd hi, qui cum Rotberto erant, Laudunum captum haberent, & thesauros Haganonis, qui inibi erant, dispertiti essent, & vnum B de fratribus eius ibi comprehendissent, Karolus cum Haganone Laudunum contendit. Lotharienses quidam regrediuntur ad sua, quidam cum Karolo pergunt. Rotbertus super Axonam tentoria fixit. Karolus, abnegato sibi introitu Lauduni, resedit super fluuium Saram, & Rotbertus castra metatus est super Aleam. Et cùm cotidie, copiis Rotberti crescentibus, decrescerent Karoli, clam tandem secedens cum Haganone trans Mosam proficiscitur. Franci Rotbertum seniorem eligunt, ipsique sese committunt. Rotbertus itaque Rex Remis apud sanctum Remigium ab Episcopis & Primatibus Regni constituitur. Heriueus Remorum Archiepiscopus obiit tertia die post consecrationem Rotberti Regis, scilicet sexto Nonas Iulij, quarto die antequam vicesimum secundum sui Episcopatus expleret annum. Cui successit in Episcopatum Seulfus, qui tunc eiusdem vrbis ministerio fungebatur Archidiaconatus. Apud Camaracum visi sunt quasi tres soles apparere, vel Sol tres orbes à se inuicem distantes habere. Item duo in cœlo spicula contra se vtrinque propinquantia, donec nube sunt cooperta. Item duo stipites sibimet in cœlo propinquantes, quousque similiter operti sunt nube. Rotbertus filium suum Hugonem in Regnum Lotharij mittit, cum aliquo Francorum agmine propter Capræmontem Gisleberti castrum obsidione liberandum, quod Karolus premebat obsessum. Quo comperto, Karolus obsidionem relinquit, & Hugo, acceptis obsidibus à quibusdam Lothariensibus, ad patrem remeauit. Terræmotus in pago Camaracensi factus, ex quo domus inibi nonnullæ subuersæ sunt. In pago quoque Parisiaco, in villa quæ dicitur Gesedis*, multa miracula in Ecclesia sancti Petri à quarto superiore anno, ex quo scilicet reliquiæ de barba ipsius Apostoli illuc sunt relatæ, facta memorantur. Ita vt inter cæcos & claudos vel contractos, amplius quàm centum septuaginta sanitate donati referantur. Dæmoniaci verò, quotquot illò abierunt, sano sensu, pulsis dæmonibus, redierunt. præter alia innumerabilia quæ ibidem sunt acta. C

* Cod. Diuion. Iesedis

923. ANNO DCCCCXXIII. Rotbertus in Regnū Lothariense proficiscitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obuiam venit in pagum Ribuarium super fluuium Ruram. Vbi se inuicem pauerunt, & pacta amicitia, darisque ab alterutro muneribus, discesserunt. Vbi etiam quidam Lotharienses dederunt obsides, & inducias à Rotberto acceperunt vsque in Kal. Octobris. Nordmanni Aquitaniam Aruerniámque deprędantur. Contra quos VVillelmus Dux Aquitaniorum, & Ragemundus pugnauerunt: & cæsa sunt ibi ex Nordmannis duodecim millia. Boso filius Richardi Ricuinum in lecto languentem occidit. Karolus cum suis Lothariensibus inducias, quas nuper à Rotberto acceperant, infringentibus, Mosam transiens ad Atiniacum venit, & antequam Rotbertus suos fideles adunare potuisset,

A super Axonam insperatè, vbi Rotbertum sub vrbe Suessionica sedere comperérat, adiit: & in crastinum, die Dominica, hora iam sexta præterita, Francis dehinc illa die prælium non sperantibus, plurimis quoque prandentibus, Karolus Axonam transiit, & super Rotbertum cum armatis Lothariensibus venit. Rotbertus verò, armatis his qui cum eo erant, contrà processit. Commissóque prælio, multis ex vtraque parte cadentibus, Rotbertus quoque Rex lanceis perfossus cecidit. Hi tamen, qui erant ex parte Rotberti, Hugo scilicet filius ipsius, & Heribertus, cum ceteris, victoria potiti, Karolum cum Lothariensibus in fugam verterunt: sed, ob mortem Regis sui Rotberti, eos persequi destiterunt. Campum verò obtinuerunt, spoliáque ab eis, maximè autem rusticanis, & ex Suessionicæ vrbis suburbio confluentibus, direpta sunt. Lotharienses denique, perditis multis angariis, quas Rotgarius Comes accipiens in Laudunum castrum abduxit, relictóque infra Regnum Franciæ Karolo, reuertuntur ad sua. Karolus dehinc Heribertum Comitem, Seulfum Archiepiscopum, ceteró sque Regni Primates, multis Legationibus vt ad se reuertantur exorat. Quod illi renuentes, pro Rodulfo in Burgundiam transmiserunt, qui ociùs cum multa suorum manu illis occurrit. Auditó que Franci, quòd Karolus ad se venire Nordmannos mandasset, ne illi coniungerentur, inter Karolum atque Nordmannos super Isaram fluuium cum Rodulfo medij resederunt. Túncque, Karolo trans Mosam refugiente, Rodulfum cuncti eligunt. RODVLFVS filius Richardi Rex apud vrbem Suessionicam, in Monasterio sancti Medardi, constituitur, & Heribertus Comes Bernardum consobrinum suum, cum aliis Legatis consilium, quod per illos agebarut, vt fertur, ignorantibus, ad

CAROLVS SIMPLEX.

RODVLFVS REX.

B Karolum dirigit: qui ab eisdem sacramentis persuasus, ad Heribertum cum paucis proficiscitur. Quique eum in castello suo super Somnam apud Sanctum Quintinum suscepit. Indéque his, qui cum eo venerant, remissis, Karolum in quandam munitionem suam, quæ vocatur Castellum-Theodorici, super Marernā fluuium deduci fecit: ibíque illum, subministratis victui necessariis, sub custodia detinuit. & sic ipse Rodulfum Regem in Burgundiam prosecutus est. Interea Ragenoldus Princeps Nordmannorum, qui in fluuio Ligeri versabantur, Karoli frequentibus Missis iampridem excitus, Franciam trans Isaram coniunctis sibi plurimis ex Rodomo prædatur. Cuius castris superuenientes fideles Heriberti, qui per castella remanserant, adiunctis sibi Rodulfo priuigno Rotgeri & Ingobranno Comitibus, prædam ingentem eripuerunt, & captiui mille ibidem liberati sunt. Quo cognito, Ragenoldus exagitatus furore, in pagum Atrabatensem prędatum progreditur. Cui obuius factus Comes Adelelmus, sexcentos ex eis strauit, ceteris fuga prolapsis. Cum quibus Ragenoldus ad munitionum suarum properat refugia, indéque quantas potest exercere non desinit prædas & latrocinia. Quibus vrgentibus causis, Rodulfus Rex ab Hugone filio Rotberti accitus, de Burgundia venit ad Compendium super Isaram. & audito quòd Nordmanni pagum Beluacensem deprædabantur, illò transiit cum Seulfo Archiepiscopo, & Heriberto Comite, aliisque quibusdam, & electis viris fortibus, Itta * fluuio transito ingressus est terram, quæ

C dudum Nordmannis ad fidem Christi venientibus, vt hanc fidem colerent, & pacem haberent, fuerat data. Partem quoque ipsius terræ Rex cum Francis, quia ipsi Nordmanni pacem, quam pepigerant propter promissiones Karoli, qui eis latitudinem terræ pollicitus fuerat, infregere, cædibus & igne deuastat. His verò eum rebus intentum Legati adeunt Lothariensium, se suaque ipsi subdere spondentium. Quorum Legatione reuocatus ab hac deuastatione, cum Primatum, qui secum aderant, consilio, Lothariensibus obuiam pergit: Hugone & Heriberto Comitibus ad pręsidium patriæ trans Isaram relictis. Lotharienses illi obuiam iuxta Mosomum veniunt, & vxor ipsius nomine Emma, Regis Rotberti filia, Remis interim ab Seulfo Archipræsule consecratur Regina. Rodulfus à plurimis Lothariensium susceptus in Regno, petitur à VVigerico Metensium Episcopo receptum ire quoddam castrum in pagum Elisatium, nomine Zabrenam. Vbi toto penè demoratus autumno, Castellanis *, quia Transrenenses erant, auxilium ab Heinrico frustra expectantibus, tandem obsidibus ab eis acceptis, Laudunum ad vxorē suam reuertitur. Interea Nordmānis quosdam pagos nostros trans Isaram, & nostratibus eorum terram deprędantibus, crebris alternatim directis Legationibus, pacem Hetiberto Comiti & Seulfo Archiepiscopo pollicentur, cetérisque

* M. Ita

* M. Castellanis qui

RODVLPHVS REX. Francis qui cum ipsis contra Nordmannos sedebant: si tamen eis terra daretur, quam spaciosam petebant vltra Sequanam. Rodulfo interea Rege, vt dictum est, Laudunum reuerso, obsides illi mittunt, & inducias ab eo vsque ad medium Maium accipiunt. Dum hæc geruntur, Heinricus, inuitantibus se Gisleberto Comite & Rotgario Treuirorum Præsule, qui necdum se Rodulfo subdiderant, Rhenum transmisisse, Regnúmque Lotharij deprædari nunciatur. Depopulatus est autem quod inter Rhenum & Mosellam interiacet, gregum armentorúmque abductione, ac ceterarum opum exhaustu, cum plurimorum quoque iuuenturis captiuitate. Quique audito quòd Rodulfus exercitum non tantummodò è Francia, quin ex omni cogeret Burgundia, in suo se Regno recepit, datis induciis Lothariensibus vsque Kal. Octobris sequentis anni. Otho tantum, ex his qui se Rodulfo commiserant, ad Heinricum defecit. VVilgericus * Episcopus Zabrenam vt recepit, euertit. Camaracus malè prouiso conflagrauit incendio. Alter Rodulfus Cisalpinæ Galliæ Rex, quem Italici abiecto Rege suo Berengario in Regnum receperant, cum ipso Berengario conflixit, eúmque deuicit, vbi mille quingenti viri cecidisse dicuntur. Seulfo Archiepiscopo Archiepiscopalis infula, quæ pallium nominatur, ab Iohanne Papa transmittitur. Multitudo Anglorum limina sancti Petri orationis gratia petentium inter Alpes à Saracenis trucidatur. Dado Virdunensium Episcopus obiit, & Episcopatus eius Hugoni ab Rodulfo Rege conceditur, quiquc Presbyter Remis ab Seulfo Archiepiscopo consecratur.

* D. VVigerius

924. ANNO DCCCCXXIV. incipiente, fit exactio per Franciam pecuniæ collaticiæ, quæ Nordmannis pacto pacis daretur: & Rodulfus Rex profectionē parabat in Aquitaniam, quia VVillelmus eiusdem regionis Princeps subdi sibi differebat. Qui, comperto quòd Rodulfus in Aquitaniam cum hostili manu properaret, ei obuiam super Ligerim venit, & intercurrentibus alternatim Legatis, tandem ad colloquium super ipsum flumen Ligerim infra pagum Augustidunensem conuenere. Vbi tota die immorati, Rodulfus ex hac, VVillelmus ex illa fluminis ora, nuntiis vtrimque progredientibus: sicque die consumpta, flumen tandem VVillelmus transiens, ad Rodulfum iam noctu peruenit, & equo desiliens, ad Regem equo insidentem pedibus accessit. Quem postquam Rex osculatus est, vtrimque discessum. In crastino ad Regem regreditur VVillelmus, & octo dierum acceptis induciis, post finitam ebdomadam sese Regi committit. Et Rex illi Bituricensem pagum restituit, quem illi nuper auxilio fretus Rorberti necdum tamen Regis vi dempserat cum ciuitate Biturigis. Heriberto denique Parronam *, & Hugoni filio Rotberti Cinomannis dedit. Seulfus quoque Episcopus terram sancti Remigij coniacentem in Lugdunensi prouincia, de qua Herueus Episcopus nihil habuerat, ab Hugone de Vienna, qui eidem colloquio interrat, reimpetrauit. Inde reuersi circa quoddam castellum venimus, quod dicitur Mons sancti Ioannis. Hoc Ragenardus inuaserat, ac retinebat. Hortatu tamen nepotum suorum VValonis & Gisleberti, ceterorúmque, quos Rex ad id expugnandum miserat, obsidem Regi filium suum transmisit. Quem Rex exoratus à propinquis Ragenardi, & Hugone fratre suo, recipi iussit: & Ragenardo inducias dedit, ceterósque omnes, qui cum Ragenardo erant, obstrictos sacramento reliquit. Interea Gislebertum Berengarius, qui sororem ipsius habebat, comprehendit, quémque, oblatis obsidibus sibi pro eo filiis Ragenarij fratris ipsius Gisleberti, dimisit. Idem verò Gislebertus dimissus, terram Berengarij Ragenariique fratris sui, & Isaac Comitis, deprędationibus plurimis vastat. Post hæc Regi Rodulfo Legatos, vt ab eo reciperetur, dirigit. Quod Rex fidelium suorum consilio, ipsius abominatus periuria & instabilitatem, facere contempsit. Hungari ductu Regis Berengarij, quem Langobardi pepulerant, Italiam depopulantur. Papiam quoque, vrbem populosissimam atque opulentissimam, igne succendunt: vbi opes periere innumerabiles, Ecclesiæ XLIII. succensæ, vrbis ipsius Episcopus cum Episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumóque necatur: atque ex illa penè innumerabili multitudine, ducenti tantùm superfuisse memorantur, qui ex reliquiis vrbis incēsæ, quas inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Hungaris, vitam murósque ciuitatis vacuæ redimentes. His expletis, Hungari per abrupta transeuntes Alpium iuga, veniunt in Galliam. Quos Rodulfus Cisalpinæ Galliæ Rex, & Hugo

* D. Peronam

A Viennensis, inter angustias collium Alpinarum claudunt. vnde inopinato per deuia montis euadentes, Gothiam impetunt. Quos insequentes prædicti Duces, stetnunt ex eis quos repetire potetant. Interea Berengarius Italiæ Rex à suis interimitur. Nordmanni cum Francis pacem ineunt sacramentis per Hugonem & Heribertum Comites, Seulfum quoque Archiepiscopum, absente Rege Rodulfo. eius tamen consensu terra illis aucta, Cinomannis & Baiocæ pacto pacis eis concessæ. Hungari, qui Gothiam vastabant, pestem quandam perpessi, capitum inflatione ac dissinteria penè cuncti, paucis euadentibus, nunciantur esse consumpti. Rodulfus Rex Franciæ Placitum habuit * apud Atiniacum. Tunc indè profectionem parans in Regnum Lotharij, grauissimo languore corripitur: cuius vi recidiua, dum iam conualescere putabatur, opprimitur: & penè desperatus à pluribus, Remis ad sanctum Remigium se deferri fecit *. Vbi nonnulla dona largitus, ceterum, præter vxoris partem, quicquid sibi thesaurorum supeterat, per Monasteria Franciæ Burgundiæq; direxit: & quatuor ebdomadibus apud sanctum Remigium demoratus, tandem redintegrata sanitate, Suessionicam petiit vrbem, indéque regreditur in Burgundiam. Heinricus æquè in ipsis Sarmatarũ finibus, valitudine corporis, tota detinetur æstate. Interim contentio inter Gislebertum & Ragenarium fratrem eius, nec minor inter Bosonẽ & Othonem, cædibus, incendiis, ac deprædationibus vtrobique paratur. Isaac quoque Comes quoddam castellum Stephani Camaracensis Episcopi dolosa infestatione

Margin: RODVLFVS REX. — * D. tenuit — * D petiit

B comprehendens, incendit. Præsidij etiam Heriberti turris super Maternam fluuium, vbi Karolus custodiebatur, subitaneo conflagrauit incendio. Ragenoldus cum suis Nordmannis, quia nondum possessionem intra Gallias acceperat, terram Hugonis inter Ligerim & Sequanam depopulatur. Synodus Episcoporum Remensis dioeceseos apud Trosleium Octobri mense habita, Seulfo Archiepiscopo præsidente, in qua Isaac Comes ad emendationem & satisfactionem venit, pro his quæ praue aduersus Ecclesiam Camaracensem perpetrauerat, & vadatus argenti libris * centum, pacatur cum Stephano præfatæ vrbis Episcopo, præsente Heriberto, & pluribus Franciæ Comitibus. Rodulfus Rex castellum Montis sancti Iohannis, id Ragenardo, inuito licet, deferente, recepit. sicque Franciam repetiit. VVillelmus & Hugo filius Rotberti cum Ragenoldo de sua terra paciscuntur, & Ragenoldus cum suis Nordmannis in Burgundiam proficiscitur. Inluminationes candelarum hoc anno multæ per diuersa Franciæ loca, otto repentè lumine, factæ, & visiones Sanctorum cuidam Presbytero nomine Ebrulfo in villari Mosomo proximo commanenti ostensæ. Remis in Ecclesia sanctæ Mariæ sollemnitate omnium Sanctorum quidam diu contractus, cuius coxæ cruribus inhæserant iunctæ poplitum neruis ita tetractis, virtute diuina solutus & erectus est.

Margin: * M. libras — 925.

ANNO DCCCCXXV. tedintegrante, Ragenoldus cum suis Nordmannis Burgundiam depopulatur. cum quo VVarnerius & Manasses Comites, Ansegisus & Gozcelinus * Præsules, congressi apud montem Calaum, Nordmannorum plusquam

C DCCC. sternunt. VVarnerius Comes ibi, equo cui sedebat occiso, captus & interẽptus est, & Ansegisus Trecassinæ vrbis Episcopus vulneratus. Quo Rodulfus Rex comperto, in Burgundiam cum quibusdam ex Francia, militibus scilicet Remensis Ecclesiæ, & Abbone Suessionensi Episcopo, paucis etiam aliis secum comitantibus, proficiscitur, Heriberto quoque Comite se prosequente. Collectáque ex Burgundia militum manu non pauca, venit vsque ad castra Nordmannorum super Sequanam. Ibique ab iis * qui ex Francia perrexerant, pedestri pugna certatum ad castra. Videntes verò quòd illi, qui erant cum Rege, pars scilicet exercitus maxima, neque castra inuaderẽ, neque equis desilire temptarent, compulsis in castra Nordmannis, qui fuerant ad pugnandum egressi, quibusdam quoque prostratis, à castrorum peruasione discedũt, castráque duobus vel tribus millibus à Nordmannorum castris metantur in girum, Hugone Rotberti filio è contra super Sequanam hac ex parte castra metato. Vbi, propinquiorem castrorum obsidionem procrastinantibus Francis, & de die in diem differentibus, naues à Parisio venturas expectando, eruptione clam facta quorundam nostrorum, veluti fertur, assensu, Nordmanni sua castra linquentes, & saltum quendam, iter suum tutandi gratiâ, petentes, euadunt. Nostrorum verò quique regrediuntur ad sua. Ieiuniis itaq; cœptis Quadragesimalibus, Heribertus cum Gisleberto, indéque cum Hugone

Margin: * D. Gotcelinus. — * M. aliis

RODVLFVS REX. locutus, Regem accersiuit ex Burgundia. Qui festinanter adueniens, Camaracum Lotharienfibus atque Gisleberto proficifcitur obuiam. Quique hoc Placitum omittentes, super Mosam ad eum veniunt, fuique Gislebertus & Otho efficiuntur. Nordmanni de Rodomo fœdus quod olim pepigerant irrumpentes, pagum Beluacensem atque Ambianensem depopulantur. Ambianis ciuitas malè prouifo confugientium igne fuccenfa eft. Sic & Atrabatis fubitò exorto conflagrauit incendio. Nordmanni vfque ad Nouiomagum prædatum veniunt, & fuburbana fuccendunt. Caftellani cum fuburbanis egredientes, Nordmannos repellunt, fternunt quos poterant, partem fuburbij liberant. Baiocenfes interim terram Nordmannorum vltra Sequanam deprædantur. Quo comperto, Parifiaci & ipfi quoque cum quibufdam fidelibus Hugonis filij Rotberti, & quorundam caftellorum oppidanis, partem quandam pagi Rothomagenfis, qui poffidebatur à Nordmannis, cis Sequanam, depopulati funt; villis fuccenfis, pecoribus abductis, nonnullis etiam Nordmannorum interfectis. Heribertus Comes interea cum paucis Francorum, quia parum adhuc herbæ inueniebatur equis, tranfitum Nordmannis prohibendi gratia, fuper Ifaram refidebat. Nordmanni terræ fuæ cognita vaftatione, in fua feftinanter rediere. Heinricus denique Renum tranfiens, oppidum quoddam nomine Tulpiacum, quod Gisleberti fideles tutabantur, vi cepit: nec diu demoratus, infra Regnum Lotharij ad fua trans Renum regreditur, obfidibus à Gifleberto acceptis. Hilgaudus Comes, & ceteri maritimi Franci, loca fibi vicina nuper à Nordmannis poffeffa peruadentes, deuaftant. Rodulfus interea de Burgundia reuertitur in Franciam, &, vt fe ad bellum contra Nordmannos præpararent, Francis banno denunciat. Heribertus igitur expeditione cœpta contra Nordmannos cum militibus Remenfis Ecclefiæ, Arnulfus quoque Comes, & ceteri maritimi Franci, præfidium quoddam Nordmannorum adgrediuntur, quò etiam Rollo Princeps eorum mille Nordmannos præter ipfius inhabitatores oppidi ex Rodomo tranfmiferat. Idem verò caftrum fecus mare fitū vocabatur Auga. Quod circumdantes Franci, vallum, quo pro antemurali cingebatur, irrumpunt, murúmque infringentes confcendunt. & oppido pugnando potiti, mares cunctos interimunt, munitionem fuccendunt. Nonnulli tamen euadentes finitimam quandam occupant infulam. Quam adgredientes Franci, maiore licèt mora quàm oppidum ceperant, capiunt. Quod videntes Nordmanni, qui armis vitam pro poffe tutabantur, poftquam fpem vitæ amififfent, quidam fe fluctibus immergunt, quidam, vt enatarunt, iugulati funt. Et alij quidem Francorum necabantur gladijs, alij proprijs fe oppetebant telis. Sicque omnibus proftratis, & præda non modica direpta, Franci reuertuntur ad fua. Rodulfus autem Rex cum Hugone & Burgundionibus in pago Beluacenfi fedebat. Per idem tempus Seulfus Remorum Archiepifcopus obiit, expletis in Epifcopatu annis tribus & diebus quinque. Heribertus Comes Remis venit, & vaffallos ipfius Ecclefiæ, fed & Clericos de electione rectoris ad fuum confilium intendere fecit. Hugo filius Rotberti pactum fecuritatis accepit à Nordmannis, terra filiorum Balduini, Rodulfi quoque de Gaugeio, atque Hilgaudi, extra fecuritatem relicta. Epifcopatus Remenfis Heriberto Comiti commiffus eft fub obtentu filij fui Hugonis admodum paruuli, necdum, ceu ferebatur, quinquennis. Abbo Epifcopus Romam petit cum Legatis Heriberti Comitis. Heinrico cuncti fe Lotharienfes committunt, & ipfe Bernuino Dadonis Epifcopi nepoti Epifcopium Virdunenfe concedit. Qui & expulfo Hugone Presbytero, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur Epifcopus.

926. ANNVS DCCCCXXVI. incipiebat, & Rodulfus Rex cum Heriberto Comite, & quibufdam maritimis Francis, Nordmannos in pago Atrabatenfi quodam faltu coarctatos obfidebat: cùm repentè poft aliquot dies noctu eruptione cœpta, Nordmanni caftra Regis aggrediuntur. Ibique Regi, ne à Nordmannis comprehenderetur, fuccurfum ab Heriberto, fuccenfifque cafis quibufdam, pugnatum ad caftra. Nordmanni tandem à caftrorum peruafione repulfi recedunt. Rex ibi vulneratus, & Hilgaudus Comes interemptus eft. Nordmanni mille & centum dicuntur ibidem occifi. Sicque Rodulfus Laudunum reuertitur, & Nordmanni vfque in pagum Pontenfem filueftria loca deprædantur. Hungari quoque Reno tranfmeato vfque in pagum Vozinfem* prædis incendiifque defæuiunt. Luna quartadecima, Sabbato fancto Pafchæ, die Kalendarum Aprilium, paffa defectum

* D. Vonzinfem.

A & in pallorem conuersa est, quadam luminis relicta particula, veluti esset secun- RODVLFVS REX.
da. Sicque aurora iam incipiente, in sanguineum tota mutata est colorem. Corpus sancti Remigij, & aliorum quorundam Sanctorum pignora, Hungarorum metu Remis à suis Monasteriis sunt delata. Inter quæ sanctæ quoque VValleburgis reliquiæ, ad quas nonnulla exercebantur miracula. Exactiò pecuniæ collaticiæ, Nordmannis pacto pacis dandæ, publicè fit per Franciam atque Burgundiam. Data igitur pecunia, pax vtrimque est cum iuramento firmata. Hinc exercitus ex Francia Burgundiáque cum Rodulfo Rege & Heriberto Comite proficiscitur super Ligerim, & acceptis obsidibus ab vrbe Niuernensi, quam frater Villelmi contra Regem tuebatur, in Aquitaniam ad persequendum VVillelmum, qui à Rege fortè desciuerat, transeunt: insequuntúrque fugientem, donec rumor infestationis Hungarorum, quòd iterum iam Renum transissent, exercitum in Franciam repedare coëgit. Hugo filius Bertæ Rex Romæ super Italiam constituitur, expulso Rodulfo Cisalpinæ Galliæ Rege, qui Regnum illud peruaserat, & alteri feminæ viuente vxore sua se copulauerat, occiso quoque à filiis Bertæ Burchardo Alamannorum Principe, ipsius Rodulfi socero, qui Alpes cum ipso transmearat, Italiam Regni gratiâ recuperandi, genero. Hugo Presbyter expulsus Virduno defungitur. Ebrardus quoque Transrhenensis in Regnum Lotharij mittitur ab Heinrico, iustitiam faciendi causâ, & Lotharienses inter se pace consociat. Rodulfus Comes filius Heiloidis * obiit. Non multò post etiam Rotgarius vitricus * D. Helluidis.
B eius, Comes Laudunensis pagi, decessit. Hugo filius Rotberti filiam Eaduuardi regis Anglorum, sororem coniugis Karoli, duxit vxorem.

ANNO DCCCCXXVII. inter Rodulfum Regem & Heribertum Comitem, pro 927.
Laudunensi Comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo dari petebat, concedente illum Rege cuidam filiorum Rotgarij nomine Rotgario *, simultas exoritur. * D Rorgerio.
Acies igneæ Remis in cœlo mense Martio mane quadam die Dominica visæ. Cui signo pestis e vestigio successit, quasi febris & tussis, quæ mixta quoque mortalitate in cunctas Germaniæ Galliæque gentes irrepsit. VVidricus Metensis Antistes defungitur. Heribertus Comes Legatos suos trans Renum dirigit ad Heinricum. Quibus reuersis, euocatur ad colloquium Heinrici per eosdem. Ad quos properans, cum Hugone Rotberti filio pace firmata, muneribus Heinricum honorat, & honoratur ab illo. Ibi etiam Heinricus Episcopium Metensium, contempta electione ipsorum, cuidam, vt ferebatur, Dei seruo dedit, cognomento Bennoni. Hugo filius Rotberti, & Heribertus Comes, contra Nordmannos pergunt, qui super fluuium Ligerim morabantur. Tempestas maxima pagum Laudunensem concussit, & Suessionicum: qua domus euersæ, arborésque multæ fuerunt euulsæ, homines exanimati per loca diuersa quamplures. VVillelmus Aquitanorum Princeps obiit. Nordmanni de Ligeri postquam obsessi sunt ebdomadibus quinque ab Heriberto & Hugone, datis accepitísque obsidibus, & concesso sibi pago Namnetico, pacem pepigere Francis. Synodus sex Episcoporũ apud Trosleium habita, con-
C tradicente Rege Rodulfo per Missos Heriberti Comitis, & mandante illi vt Synodũ differret, sibique obuiam ad Compendium veniret. Quod ille agere renuit, Synodo verò interfuit. Vbi Herluinus Comes ad pœnitentiam venit, pro vxore quam duxerat alia viuente. Post absolutionem Synodi, Heribertus Comes Laudunum ingredi voluit. Præuenit autem eum Rodulfus Rex, missis illò militibus ad custodiam loci. Ipse denique subsecutus, idem castellum ingressus est. At Heribertus Karolum de custodia eiecit, secúmque in pagum Veromandinsem, scilicet ad Sanctum Quintinum deducit. Rodulfus verò in Burgundiam reuertitur, Rotgarij filiis cum vxore sua ad custodiam Lauduni relictis. Qui egredientes, loca quæque deuastant circa Codiciacum Episcopij Remensis castrum. Karolus igitur cum Heriberto colloquium petit Nordmannorum, ad castellum quod Auga vocatur: ibique se filius Rollonis Karolo committit, & amicitiam firmat cum Heriberto. Metus interea falsi rumoris Hungarorum, & fugæ per Regnum Lothariense agitantur & Franciam.

ANNO DCCCCXXVIII. inchoante, in ipsis sollemniis ortus Christi, Rodulfus de 928.
Burgundia cum hostili Burgundionum manu venit in Franciã, prædando, & etiam loca quædam incêdendo. Cui Hugo filius Rotberti obuiam properat: venientésq; super Isaram, inter Rodulfum & Heribertum Comitem sequester & medius fuit,

RODULPHUS REX. & ab Heriberto obsides accepit, donec iterum ad denominatum Placitum conue- A
nirent. Quo facto, Rodulfus in Burgundiam reuertitur, non valens suadere coniugi suæ, Lauduno discedere. At Heribertus Comes Remis cum Karolo venit, indéque litteras mittit Romam Iohanni Papæ, significans ei de restitutione & honore Karoli, vt ille sibi etiam sub excommunicationis interminatione mandauerat, se pro viribus decertare. Rodulfus Rex, & Heribertus Comes, iterum ad Placitum iam infra Quadragesimam veniunt. Regina vxor Rodulfi Laudunum reliquit, & in Burgundiam redit. Heribertus Comes Lauduno potitur, & exinde Placitum cum Nordmannis habuit ipse & Hugo filius Rotberti, amicitiámque cum eis pepigerunt. Filius tamen Heriberti Odo, quem Rollo habebat obsidem, non redditur illi, donec se committit Karolo pater, cum aliis quibusdam Franciæ Comitibus & Episcopis. Tempestates variæ diuersis locis effusæ. Otgarius Ambianensium Præsul, vir sanctus & plenus dierum, obiit. Cuius vita vsque ad annos centum & amplius prolata refertur. Heribertus Comes quandam munitionem filiorum Rotgarij, quam dicunt Moritaniam super Scaldum fluuium, vi cepit & diruit. Interea Missus Heriberti Comitis Româ reuertitur, nuncians Iohannem Papam à VVidone fratre Hugonis Regis, propter simultatem quandam inter illos

*T.retrusū exortam, reclusum * in carcerem. Odalricus Aquensis quidam Episcopus in Ecclesia Remensi recipitur ab Heriberto Comite ad celebrandum Episcopale duntaxat ministerium, vice Hugonis ipsius Comitis filij adhuc paruuli, conceditúrque B
ipsi Odalrico Abbatia tantùm sancti Timothei, cum Præbenda canonica. Heinri-

*D.Germaniæ cus Germanicus * Princeps cum multitudine Germanorum Renum transiit: & supra Mosam veniens, obsidet quoddam castrum Bosonis Comitis nomine Durofostum, pro eo quòd Boso ad legem venire nolebat de quibusdam Abbatiis, & terra

*T.Episcopatuum, Episcopij *, quam potestatis auctoritate ceperat, & pertinaciter Heinrici præcepta spernens, detinebat. Mitténsque ad Bosonem, pacem spondet, si ad se veniat. Qui acceptis obsidibus, pacto securitatis ab Heinrico, venit ad eum, eíque fidelitatem, & pacem Regno, iuramento promittit, terram quam vi ceperat reddit, data sibi alia recompensationis gratiâ: pacatúrque tam ipse quàm Regenarius cum Gisleberto, & ceteris Lothariensibus. Hugo & Heribertus ad Heinricum colloquij causâ proficiscuntur. Indéque reuertentes, obuiam pergunt Regi Rodulfo. Rursúsque Heribertus se illi committit, iterum redacto sub custodia Karolo. Deinde cum Rodulfo proficiscitur in Burgundiam, obuiam Hugoni Italiæ Regi. Vindemiæ penè peraguntur infra mensem Augustum. Hugo Rex habens colloquium

*M.Viennensem cum Rodulfo, dedit Heriberto Comiti Prouinciam Viennensem * vice filij sui Odonis. Benno Metensis Episcopus insidiis appetitus, euiratus, luminibúsque priuatus est. Rodulfus Rex Remis veniens, pacem facit cum Karolo, reddens ei Atiniacum, muneribúsque honorans illum.

929. ANNO DCCCCXXVIIII. Heribertus & Hugo Comites contra Bosonem Rodulfi Regis fratrem proficiscuntur, propter quosdam Rothildis alodes nuper C
defunctæ, quos à Bosone peruasos repetebat Hugo gener ipsius Rothildis. At Heribertus Comes Victoriacum Bosonis castellum cepit. & post hæc inducias dant Bosoni vsque ad finem Maij mensis. Boso ad Heinricum profectus, pacem publicè iurare compellitur. Deroldus Medicus Episcopatum Ambianensem adipiscitur, Albero Metensem, Bennoni quadam Abbatia sustentationis tenore concessa. Heribertus & Hugo Monasteriolum castellum Herluini filij Hilgaudi Comitis obsident, tandémque acceptis obsidibus reuertuntur. Iohannes Papa, dum à quadam potenti femina cognomine Marocia Principatu priuatus sub custodia detineretur, vt quidam, vi, vt plures astruunt, actus angore defungitur. Karolus quoque

*D.Parronam apud Perronam * obiit. Simultas inter Hugonem & Heribertum Comites exoritur, recepto Herluino, qui erat Hugonis, ab Heriberto. Viæ Alpium à Sarracenis obsessæ, à quibus multi Romam proficisci volentes impediri reuertuntur.

930. ANNO DCCCCXXX. Rodulfus Rex Nordmannos de Ligeri, qui Aquitaniam deprædationibus infestabant, in pago Lemouicino vno prælio penè deleuit, & Aquitanos sibi subditos fecit. Heribertus Arnoldum, qui erat Hugonis, recepit. Diuersi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. Rodulfus Rex in Franciam veniens, pacem inter eos atque Bosonem multo labore per diuersa Placita componit, & Heribertus Victoriacum Bosoni

A reddit. Adelelmo Laudunensium Præsule defuncto, Gozbertus nepos eius Episcopium adipiscitur. Heribertus Ansellum Bosonis Vassallum, qui Victoriacum tenebat, cum ipso castello recipit, & Codiciaeum illi cum alia terra concedit. Rodulfo Rege in Burgundiam regresso, Lotharienses in Franciam cum Gisleberto obuiam veniunt Hugoni, & oppidum quoddam nomine Duagium, quod Arnoldus tenebat, adactum obsidione capiunt. Interea homines Bosonis Victoriacum proditione recipiunt, & Mosomum fraude peruadunt. Boso, relictis quibusdam fidelibus suis ad custodiam Mosomi, proficiscitur ad obsidionē castri præmemorati. At Heribertus à quibusdam Mosomensibus euocatus superuenit insperatus, transmissáque Mosa vadis inopinatis, & intrans oppidum, porta latenter à Castellanis aperta, vasallos Bosonis, qui ibi relicti ad munimen loci fuerant, omnes capit. Remis infra & circa Ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum ab Aquilonari & Orientali parte, paulo ante initium diej, apparuit.

RODVLFVS REX.

ANNO DCCCCXXXI. Rodulfus Viennam profectus, Karolo Constantino Ludouuici Orbi filio, qui eam tenebat, subiectionem pollicitante, reuertitur, & Turonum ad sanctum Martinum orationis gratiâ proficiscitur. Lotharienses interea Duagium capiunt, & Hugo illud Rotgario filio Rotgarij concedit. Heribertus verò castrum sancti Quintini Arnoldo pro eo reddidit. Græci Sarracenos per mare insequentes vsque in Fraxinidum saltum, vbi erat refugium ipsorum, & vnde egredientes Italiam sedulis prædabantur incursibus, Alpibus etiam occupatis, celeri Deo propitio internicione proterunt, quietam reddentes Alpibus Italiam. Die Purificationis beatæ Dei genitricis Mariæ, Remis in Ecclesia ipsius qui-
B dam Canonicorum famulus, custos Ecclesiæ sancti Dionysij & sancti Tedulfi, subitò perculsus, contractis obriguit neruis tam manuum quàm basium, ruentíque sibi pauimenti os visum est adhæsisse lapidi. Quo paulo pòst resoluto, tam manibus quàm cruribus rigore constrictis, defertur immobilis. Atque pòst quinta die Dominica manus ei resoluuntur ad Missam, & crura similiter ad Missam quintadecima. Cui res similis die Circumcisionis Domini ante quinque annos in eadem acciderat Ecclesia. Et resolutus ibidem post triginta dies in ipsa Purificationis fuerat sollemnitate. Robertus Episcopus * Turonensis Ecclesiæ Româ temeans, sub Alpibus noctu infra tentoria cum comitātibus secum interimitur à latronibus. Gislebertus filius Manassæ à Rege Rodulfo desciuit propter Aualonem castrū, quod ab eo Emma Regina abstulerat. Simúlq; recedit Richardus filius VVarnerij ob eandē rationem. Item inter Gislebertum Lothariensem & Bosonem simultas exoritur, pacato Bosone cum Heriberto. castrúmque Bosonis Durofostum à Gisleberto capitur. Itémque sub ipsis diebus Moritania, munitio filiorum Rotgarij, ab Arnulfo filio Balduini. & Heribertus amicitiam Gisleberti Lodhariensis accipit. Boso relicto Heinrico ad Rodulfum Regem vadit. Indéque rediens, Catalaunicum castrū vi cepit, exussit, atque subuertit, ob inimicitias Bouonis Episcopi, cuius homines quosdam Bosonis membris truncauerant. Rodulfus Rex in Franciam reuertitur, & Heriberto Comite ab illo deficiente, Rex iuncto sibi Hugone, quoddam ca-
C stellum Heriberti Donincum * nomine capit ac diruit. Deinde Arrabatem obsidet. Heribertus Comes, adiunctis sibi per Gislebertum Ducem Lothariensibus, contra Regem vadit, pactísque induciis vsque Kal. Octobris vtrinque disceditur. Interim quidam fidelium Heriberti, Remensi ex vrbe profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam nomine Brainam, quod ipse Hugo ab Episcopo Rotomagensi tulerat, capiunt atque subuertunt. Rodulfus Rex litteras Remis mittit ad Clerum & populum, pro agenda electione Præsulis. Ad quæ illi respondent, se id agere non posse, saluo suo electo, & electione manente quam fecerant. Heribertus Comes ad Heinricum proficiscitur, eique sese committit, & exercitus Regis atque Hugonis Laudunensem & Remensem pagum deprædātur. Rodulfus Rex pergens ad Atiniaeum, Hugonem ad Heinricum mittit. à quo Heinricus aceptis obsidibus, & pacta securitate, trans Renum recedit. Interea Brittnoes, qui remanserant Nordmannis in Cornu-Gálliæ subditi, cōsurgentes aduersus eos qui se obtinuerant, in ipsis sollemniis sancti Michaelis omnes interemisse dicuntur, qui inter eos morabantur, Nordmannos, cæso primùm duce illotum nomine Felecan. Rodulfus Rex cum Hugone & Bosone, ceterísque suis, Remorum obsidet vrbem. Quam tertia tandem hebdomada post obsidionem, aperientibus sibi

931.

* D. Archiepiscopus.

* D. castrū Donincum

D. Attoldum eis qui erant in ciuitate, ingressus, ordinari facit ibi Præsulem Attaldum Monachum ex Cœnobio sancti Remigij, qui iampridem, ipso tamen anno, reliquerat Heribertum, & transierat ad Hugonem. Bodonem quoque Catalaunensem Episcopum, qui à se desciuerat cum Heriberto, Rex capiens, tradit custodiendum Hugoni, & ipsius Episcopatum Miloni Clerico tradidit*. Sicque pergens Laudunum, obsidet inibi Heribertum, qui ibidem sese concluserat cum suis. Nec diu persistens locum petit egrediendi. datóque sibi spatio, recedit, dimissa vxore sua in arce, quam infra Laudunum ipse construxerat. Ad quam postea capiendam maioris laboris & moræ opus Regi fuit: qua vix tandem potitus in Burgundiam reuertitur, Aquitanis discordantibus obuiam proficiscens. Incon Nordmannus, qui morabatur in Ligeri, cum suis Brittanniam peruadit, victísque & peruasis, & cæsis vel eiectis Brittonibus, regione potitur. A

*D. tribuit.

932. Anno DCCCCXXXII. Rex Rodulfus in Burgundiam reuersus, quædam castella Gisleberti & Richardi, qui à se desciuerant, recepit. Airardus Nouiomensis Episcopus defungitur, & quidam Clericus eius vrbis, qui fieri cupiebat Episcopus, Adelelmum Comitem noctu in ciuitatem latenter muto conscenso recipit. A quo manè loci milites vrbe propulsi, collecta secum nonnulla suburbanorum manu, ciuitatem aggrediuntur, annitentibúsque qui infra muros remanserant ciuibus, quidam exusta porta, quidam per Ecclesiæ fenestram ingrediuntur. Adelelmus in Ecclesiam confugiens, secus altare cum quibusdam, qui secum introierant, interemptus est, & ciues vrbem recipiunt. Heribertus Comes, Hamme* castro recepto, Hebrardum fratrem Herluini, qui illud tenebat, capit. Rodulfus Rex cum Hugone locutus Bouonem Episcopum in gratiam recipit, eique suum, Catalaunense scilicet, Episcopium reddit. VValbertus Corbeiensis Abbas Nouiomensibus ordinatur Episcopus. Rodulfus Rex Gisleberto recepto, à Burgundia reuertitur in Franciam. ibique Abbatia sancti Medardi, quam Heribertus tenebat, potitus, regreditur in Burgundiã. Hugo Ambianensem cum quibusdã Episcopis Franciæ obsidens ciuitatẽ, quam tenebant fideles Heriberti, crebróque quatiens bello, sumptis tandem relinquit obsidibus, & obsidione castrum circũdat S. Quintini. Milo, qui Catalaunense deprædabatur Episcopium, excommunicatur ab Artaldo Archiepiscopo, ceterísque Remensis dioceseos Episcopis. Hugo castellum Sancti Quintini, postquam duobus mensibus obsederat, oppidanorum tandem deditione capit. In crastinum postquam illud ingressus est, contractus vnus in Ecclesia ipsa erigitur. Ragemundus & Ermingaudus Principes Gothiæ Regi se Rodulfo committunt. Lupus quoque Acinarius Vasco, qui equum ferebatur habere annorum plusquam centum, adhuc tamen validissimum. Gislebertus cum Lotharienfibus, inuitante se Hugone, Perronam obsidet, vbi congressione frequenti plures occiduntur Lotharienses: reliqui munitionem capere non valentes recedunt, locuto prius Gisleberto Duce cum Rege Rodulfo, mediante Hugone Rodulfus Rex cum Hugone Hamum castellum Heriberti obsidet, acceptísque obsidibus ita relinquit. Gozberto Laudunensium Præsule defuncto, Ingrannus Decanus monasterij Sancti Medardi Episcopus Lauduni ordinatur. Boso frater Regis, & Bernuinus Episcopus Virdunensis, incendiis inter se deprædationibúsque bacchantur. Heribertus trans Renum ad Heinricum proficiscitur. B C

*D. Hámo

933. Anno DCCCCXXXIII. missi Remensis Ecclesiæ & Amalricus Romã redeuntes pallium Artaldo Præsuli deferunt, nunciántque Iohannem Papam filium Mariæ, quæ & Marocia* dicitur, sub custodia detineri à fratre suo nomine Albrico, qui matrem quoque suam Marociam clausam seruabat, & Romam contra Hugonem regem tenebat. Hungari se in tres partes diuidunt, quorum pars vna Italiam petit, alia terram Heinrici trans Renum inuadit. Contra quos profectus Heinricus cum Baioariis & Saxonibus, ceterísque quibusdam sibi subiectis omnibus, omnes vsque ad internicionem sternit: quorum triginta sex milia cæsa referuntur, præter eos quos absorbuit fluuius, & qui viui capti sunt. Richarius Episcopus Tungrensis quoddam castellum Bernardi Comitis, quod ipse Bernardus apud Archeias in pago Porcinse construxerat, euertit, eo quòd suæ in Ecclesiæ terra situm esset. Vienna Rodulfo Regi, tradentibus eam his qui eam tenebant, deditur. VVillelmus Princeps Nordmannorum eidem Regi se committit. Cui etiam Rex dat terram Brittonum in ora maritima sitam. Rodulfus Rex munitionem

*T. Marozia

A nem Heriberti, quæ dicitur Castellum-Theodorici, obsidet ebdomadas sex. Postea VValo qui custodiebat illud, Reginæ Emmæ se committit: eiusdémq; fidei vel prouisioni castrum dimittitur. VValdricus Episcopus Autisiodorensis obiit, & VVido loci * Archidiaconus Episcopium adipiscitur. Synodus inter obsidendum prædictum præsidium celebratur, congregatis nonnullis Franciæ vel Burgundiæ Præsulibus. Cui præsederunt domnus Artaldus Antistes Remorum, & domnus Teudolus * Turonensis Episcopus. Tunc quoque domnus Artaldus Hildegarium ordinauit Episcopum vrbis Beluacensis. Odo filius Heriberti Hammum præsidium tenens, pagum Suessionicum atque Nouiomensem prædis incendiisque proterit. Heribertus pater eius ad Sanctum Quintinum clam veniens, tertia die postquàm venit, castrum pugnando cepit, oppidanis non repugnantibus, solis tantùm custodibus Hugonis obnitentibus. Quos capiens Heribertus, accepto ab eis sacramento, dimisit ibi: relictis etiam ex suis ad oppidi tutelam complicibus. Quod audiens Hugo, mox adueniens castrum recepit, & quendam nobilem Clericum nomine Teduinum ab Heriberto ibi dimissum apprehendens, suspendio necat, cum quibusdam aliis: nonnullis verò aliis membra diuersa decidit. Indéq; proficiscens cum domno Artaldo Episcopo, munitionem nomine Raugam, tradentibus eam Heriberti custodibus, sine difficultate capit. Hugo Rex Italiæ Romã obsidet, & Sarraceni meatus Alpium occupant, atq; vicina quæque loca deprædantur. Artaldus Ar-

Rodulfus.

* D. VVido eiusdem loci.

* T. Teutolo.

B chiepiscopus Fulbertum vrbi Camaracensi Præsulem ordinat. Heribertus Castrũ-Theoderici super Matetnam fluuium positum, tradentibus illud sibi quibusdam, quos ibi ad custodiam VValo reliquerat, recipit, dispositisque recedit custodibus. Quod audiens Hugo, idem castrum quantociùs obsidere prosequitur.

ANNO DCCCCXXXIIII. obsidentibus prænotatam munitionem Rege Rodulfo, & Hugone Comite, quarto tandem mense, ascendente noctu muros custodibus dormientibus VValone cum suis, pars oppidi capitur. arx tamen tutior, ab Heriberti fidelibus retinetur. At Regis militibus insistentibus, non multò post obsides dedunt, & ab obsidione disceditur. Remis in Ecclesia beatæ genitricis Mariæ solemnitate Annunciationis Domini, dum sacrum Missarum ab Artaldo Præsule inibi celebraretur, quidam iuuenis contractis poplitum neruis repere solitus, repentè resolutis extendentibúsque se genuum crurúmque compagibus, assurgit, recreptatóque gressu iam diu oblita recepit vestigia. Item in Ecclesia sancti Hilarij ante portam Martis cæcus quidam nomine Paulus illuminatur, admonitus priùs in somnis vt ad ipsum locum veniret, ibique lumen recipere deberet. Rex iterum cum Hugone, neglectis ab Heriberto, quos sui dederant, obsidibus, omissam repetit obsidionem *. Heinricus Gislebertum & Ebrardum cum Episcopis Regni Lothariensis ad Rodulfum Regem pro Heriberto dirigit, redditóque Regi Castello-Theoderici, Hammus atque Petrona Heriberto conceduntur vsque Kalend. Octobris. Arnulfus de Flandris filiam Heriberti olim sibi iuramentis alterutro datis depactam sumit vxorem. Heribertus per Veromandensem pa-

934.

* M. munitionem.

C gum messes eorum, qui se reliquerant, vel quibus Hugo ipsam terram dederat, colligens, Peronam deduci facit. Igneæ Remis in cælo acies visæ sunt discurrere, & quasi serpens igneus, & quædam iacula ferri pridie Idus Octobris manè ante lucis exortum. Mox subsecuta est pestis diuersis afficiens humana corpora morbis. Diaconus quidam Viridunensis nomine Adelmarus languore depressus, spiritum visus est amisisse: sed antequam feretro imponeretur reuersus, ita surrexit validus, vt sibi nihil videretur ægritudinis fuisse perpessus. Qui se diuersa suppliciorum vel refrigerij loca vidisse testatur, séque ipsum loco pœnali deputatum, Dei verò genitricis precibus, beato quoque Martino intercedente, ad agendam pœnitentiam præsenti vitæ redditum. Gislebertus cum Lotharienfibus in Franciam Heriberto venit in auxilio, velut oppidum Sancti Quintini obsessurus. Sed antequam ad illud peruenirer, Missi Hugonis ei venientes obuiam pacem inter Hugonem & Heribertum, dato vtrimque iureiurando, vsque ad Maium mensem pepigerunt, & Lotharienses regrediuntur ad sua. Religio regulæ Monachorum in quibusdam Monasteriis per Regnum Lothariense reparatur. & Emma Regina defungitur.

ANNO DCCCCXXXV. Rodulfus Rex quoddam castrum Gosfridi vocabulo Vi- 935.

riliacum, quod contra eum quidam Aquitanorum tenebant, obsidens cepit, & A
RODVLFVS. Gosfrido reddidit. indéque in Franciam remeauit, & Gosfridum trans Renum ad Heinricum direxit. Hoc Rege Lauduni degente tumultus ipso die sancto Paschæ inter regios & Episcopi milites exoritur, vbi nonnulli non modo laici, sed etiam Clerici quidam vulnerati vel interempti sunt. Vnde Rex Suessionis placitum cum Regni Primatibus habuit. Deinde locutus cum Missis Heinrici, ad eius properat colloquium. vbi etiam Rodulfus Rex Iurensis interfuit. Pactaque inter ipsos amicitia, etiam Heriberrũ cum Hugone pacarunt, redditis quibusdam suis eidẽ Heriberto possessionibus Sed & Heinricus Bosone recepto, terram, quam prius habuerat, ei ex magna parte restituit. Hungari per Burgundiam diffundunrur, prædisq;, incendiis, ac cædibus, non tamen diu, debacchati, cõperto Rodulfi Regis aduenru, in Italiam transmeant. Artaldus Archiepiscopus VVifredum quendam Monachum Taruuanensi ordinat Ecclesiæ Præsulem. Rodulfus Rex Diuionum castrũ, quod Boso Comes ceperat, eiúsq; complices retinebant, obsidet. Lotharienses cũ quibusdam Comitibus è Saxonia, Heriberti scilicet amicis, quasi ad colloquium Hugonis cum multo exercitu veniunt. Sed quia Hugo castellum Sancti Quintini Heriberto renuit reddere, ipsam munitionem obsidet; belloque pressam turātium tandem redditione recipiunt, atque subuertunt: parantésque Laudunum obsidere, mandato Rodulfi Regis in propria reuertuntur. Interea Boso frater Rodulfi B Regis in expeditione obsidionis castri S. Quintini moritur, & delatus ad sanctum Remigium sepelitur. Rodulfus Rex graui per totum autumnum decubat ægritudine. Nordmanni, qui pagum Biturigensem deprædabantur, à Biturigensibus & Turonensibus bello aggressi perimuntur. Synodus septem Episcoporum apud S. Macram domno Artaldo Archiepiscopo præsidente celebratur, in qua prædones & Ecclesiasticarum rerũ peruasores ad correptionem venire vocantur.

936. ANNO DCCCCXXXVI. Ingrannus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus obiit. Sub iisdem ferè diebus Rex Rodulfus defungitur, sepelitúrque Senonis ad sanctam Columbam: cuius Ecclesia, factione quorundam paulò antè fuerat incensa. Brirtones à transmarinis regionibus Alstani Regis præsidio reuertentes terram suam

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. repetunt. Hugo Comes trans mare mittit pro accersiendo ad apicem Regni suscipiendum LVDOVVICO Karoli filio, quem Rex Alstanus auunculus ipsius, accepto prius iureiurando à Francorum Legatis, in Franciam cum quibusdam Episcopis & aliis fidelibus suis dirigit. Cui Hugo, & ceteri Francorum Proceres, obuiã profecti, mox nauim egresso in ipsis littoreis harenis apud Bononiam sese committunt, vt erat vtrimque depactum. Indéque ab ipsis Laudunum deductus, ac regali benedictione ditatus, vngitur, atque coronatur à domno Artaldo Archiepiscopo, præsentibus Regni Principibus, cum Episcopis xx. & ampliùs. Episcopatus Laudunensis datur Rodulfo eiusdem loci Presbytero, à ciuibus concorditer electo, quique à domno Artaldo consecratur Episcopus. Rex & Hugo in Burgundiam pergunt, & vrbem Lingonum, quam Hugo frater Rodulfi ceperat, obsident, fugientibúsque his, qui eam custodire videbantur, sine bello recipiunt: acceptísque C obsidibus ab Episcopis Burgundiæ vel Primatibus Parisius veniunt. Heinrico Rege sub iisdem diebus obeunte, contentio de Regno inter filios ipsius agitatur. Rerum tandem summa natu maiori nomine Othoni obuenit. Luna quarta, decima sanguineo colore obducta pridie Nonas Septembris noctem minimè videbatur illustrare. Iohanne Papa fratre Albrici defuncto, Leo quidam Dei seruus Romæ Papa constituitur. Hugo Italiæ Rex Romam nisus capere, afflicto suo exercitu fame, & equorum interitu, pacta tandem pace cum Albrico, dans ei filiam suam coniugem, ab obsidione desistit. repertísque quibusdam fratris sui Bosonis contra se, vt fertur, insidiis, eundem fratrem suum dolo capit, atque in custodia mittit. Sarraceni in Alamanniam prædatũ pergunt, & reuertentes multos Romam petentes interimunt. Hugo filius Rotberti cũ Hugone filio Richardi, dispertita inter se Burgundia, pacem facit. Adelelmus Siluanectensium Præsul obiit.

937. ANNO DCCCCXXXVII. Siluanectensium Præsul ordinatur Bernuinus, ex Cœnobio sancti Crispini. VValberto quoque Nouiomagensium Præsule defuncto, succedit Transmarus Monasterij sancti Vedasti Præpositus. Ludouuicus Rex ab Hugonis Principis se procuratione separans, matrem suam Lauduni recipit. Hugo cum Heriberto pacatur. Heribertus Castellum quod dicitur Theodorici, VVa-

A lone sibi aperiente, recipiens, ipsum VValonem, cùm iam suus esset effectus, in vincula conijcit. Cæli pars ardere visa, & Hungarorum persequutio ab eadem parte per Franciam insecuta est: qua villæ & agri depopulati, domus Basilicæque conflagratæ, captiuorum abducta multitudo. Nonnullas tamen Ecclesias, ignibus applicitis, non valuere succendere. Ecclesiam sanctæ Macræ * duabus etiam segetum metis, quæ parietibus penè ipsius adhærebant, exustis, accendere nequiuerunt. In Ecclesiam beati Basoli, cùm quidam Hungarorum ascendere super altare nitens aræ manum applicuisset, ipsa manus eius altaris adhæsit lapidibus, nec omninò quiuit auelli, donec ceteris Hungaris aræ saxum circa ipsam manum incidentibus, partem lapidis, qui manui eius inhæserat, in admirationem omnium proferre coactus est Ethnicus. Quidam Presbyter de Bouonis-curte (sic enim villa vocatur eius Ecclesiæ) nomine Adalgarius captus est ab eis, & abductus vsque in pagum Biturigensem. Qui cùm esset in vinculis & compedibus ferreis, noctu visio cuidam concaptiuo apparuit, iussúmque est vt diceret eidem Presbytero, quatinus fugam caperet, vt se resolutum videret. pariterque cum visione catena ipsius reserata est. At ille mortem metuens, quam barbarus ei sæpè minabatur, si eum de fuga fortè reprehendisset, catena sibi pedes reuinciens, & seram quæ exilierat à compede requirens, iterum munire sibi sera studuit vincula, non ausus euadere fuga. Nocte altera iterum visio præmemoratæ facta est captiuæ, quæ Presbyterum ad ineundam fugam roboraret. iterúmque vincula ipsius resoluta sunt. B Animatus ad id tunc tandem Presbyter fugam petiit, & in palude quadam diebus aliquibus latens, vbi præterisse barbaros comperit, patriam tum demum repetiit. Is nobis retulit, quòd viderit in hac captiuitate quendam Orbacensis Cœnobij Monachum nomine Hucbaldum, quem frequenter Ethnici trucidare voluerunt, nec carnem eius incidere potuerunt. Deum ergo eum esse dicere cæperunt. Quidam, vt hic Presbyter refert, nudum eum vidit in medio positum, & sagittis vndique appetitum, nec sommotenus saltem cute præcisa vulneratum. Resiliebant enim ab eius corpore, vt ab adamante, relisæ sagittæ, nec signum ictus vllum eius apparebat in cute. Sed & gladio cum omni conatu eum nudum se vidisse percuti dicit, ac nihilominus caro ipsius intemerata permansit. Brittones ad sua loca post diutinam regressi peregrinationem, cum Nordmannis, qui terram ipsorum contiguam sibi peruaserant, frequentibus dimicant prælijs: superiores pluribus existẽtes, & loca peruasa recipientes. Rodulfus Iurensis ac Cisalpinæ Galliæ Rex obiit. Cui filius paruus Conradus in Regno succedit. Abbo Suessorum Præsul defungitur, & VVido filius Fulconis Andegauensis, sancti Martini Turonensis Canonicus, eius Episcopatu potitur.

LVDOVVICVS VLTRAMARINVS.

*T. Magræ.

ANNO DCCCCXXXVIII. Rex Ludouuicus quoddam castrum nomine Montiniacum, quod quidam Serlus latrocinia exercens tenebat, vi cepit. Ipsum verò Serlum per deprecationem domni Artaldi Archiepiscopi vitâ donauit, & oppidum euertit. Heribertum per deprecationem Hugonis ad pacem recepit. Tusciacum super Mosam, cum villis aliis ad ipsam pertinentibus, quas pater ipsius matri eius C dotis iure dederat, quasq; Rotgarius * Comes tenebat, ipso reddente recepit, dum eas hostili manu repetiit. Inde reuertẽs Corbenacum castellum, quod pater eius S. Remigio tradiderat, quódq; peruaserat Heribertus, Rex sibi à Monachis commissum, per vim recepit, & homines Heriberti, qui erant in eo, comprehensos, rogãte domno Artaldo Archiepiscopo, abire permisit. Hugo Princeps filius Rotberti sororem Othonis Regis Transrenensis, filiam Heinrici, ducit vxorem. Ludouuicus Rex maritima loca petens, castrum quoddam, castrúmque * supra mare, quod dicunt Guisum, restaurare nisus est. Dúmque eum Arnulfus moratur, homines Heriberti quoddam castrum Remensis Ecclesiæ, quod vocant Causostem, super Maternam fluuium, ab Artaldo Præsule constructum, prodente VViperto quodam capiunt: & Ragebertum, qui eidem castro præerat, secum abducunt, villásque circumpositas crebris deprædantur infestationibus. Interea Ludouuicus Rex euocatus ab Artaldo Archiepiscopo regreditur, ingressúsque Laudunum, arcem nouam nuper ab Heriberto inibi ædificatam obsidet, multísque machinis suffosso euersóque muro, cum magno tandem capit labore. Inde ad colloquium proficiscitur Hugonis fratris quondam Rodulfi Regis; Odone filio Heriberti, qui se illi nuper commiserat, ad Lauduni tutelam relicto;

938.

*D. Rotgerius.

*D. portâque, supra mare, quẽ.

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. Præmissus verò Hugo ad Regem venit, & amicitiam ei sacramento promittit. Gislebertus cum Lothariensibus Hugoni & Heriberto venit in adiutorium contra Regem Ludouuicum, castrúmque Petræpontem vi capiunt. Arnulfus Comes & Heribertus inter Regem Ludouuicum & Hugonem dilationem accipiunt, pacem sacramento paciscentes vsque ad finem Ianuarij mensis. Nec mora, Ludouuicus Rex consilio Hodouuini * & Gerardi, qui dimiserant Rodulfum Episcopum Laudunensem, & transierant ad Hugonem, res vel thesauros Lauduni repertos diripit, atque dispertit. A

* D. Odoini.

939. ANNO DCCCCXXXVIIII. Ludouuicus Rex Hugoni filio Richardi proficiscitur obuiam. Cum quo de Burgundia reuertens, pergit contra Hugonem filium Rotberti, & Vvillelmum Nordmannorum Principem. Qui, quoniam villas nuper Arnulfi Comitis quasdam prædis & incendiis vastauerat, excommunicatur ab Episcopis qui erant cum Rege, simul cum Heriberto, qui oppida quædam villásque Sancti Remigij peruasas pertinaciter detinebat. Hugo datis obsidibus pacem paciscitur vsque Kal. Iunij. Bernuinus Virdunensis Episcopus obiit. Lotharienses Othonem suum Regem deserunt, & ad Ludouuicum Regem veniunt, qui eos recipere distulit, ob amicitiam, quæ inter eos Legatis ipsius Othonis, & Arnulfo Comite mediante, depacta erat. Castellum Herluini maritimum, quod vocatur Monasteriolum, Comes Arnulfus tradente quodam proditore cepit, & vxorem ipsius Herluini trans mare cum filiis ad Alstanum Regem mittit. Nec longum, collecta Nordmannorum non modica manu, Herluinus castrum pugnando recepit, & ex militibus Arnulfi, quos intus inuenit, nonnullos interemit: quosdam verò propter vxorem recipiendam reseruauit. Lotharienses iterum veniunt ad Regem Ludouuicum, & Proceres ipsius Regni, Gislebertus scilicet Dux, & Otho, Isaac atque Theodericus Comites, eidem se Regi committunt. Episcopi verò, quoniam Rex eorum Otho secum detinebat obsidatum, Ludouuico Regi se committere differunt. Otho Rex, Reno transmisso, Regnum Lothariense perlustrat, & incendiis prædisque plura loca deuastat. Anglorum classis ab Alstano Rege suo in auxilium Ludouuici Regis transmissa, mari transito, loca quæque Morinorum mari deprædatur contigua: nullóque negotio propter quod venerant peracto, remenso mari, propria repetunt loca. Otho Rex colloquium habuit cum Hugone, & Heriberto, Arnulfo, & Vvillelmo Nordmannorum Principe, & acceptis ab eis pacti sacramentis, trans Renum regreditur. Rex interea Ludouuicus Viridunensem pagum petit, vbi quidam Regni Lothariensis Episcopi sui efficiuntur. Indéque in pagum proficiscitur Elisatium, locutúsque cum Hugone Cisalpino, & quibusdam ad se venientibus receptis Lothariensibus, nonnullis quoque Othonis Regis fidelibus trans Renum fugatis, Laudunum reuertitur, & Rodulfum Laudunensem Episcopum proditione insimulatum castro eiicit. sed & homines ipsius rebus Episcopij priuat, & easdem res suis hominibus confert. Gislebertus Dux Lothariensium trans Renum profectus prædatum, Saxonibus se dum reuertitur insequentibus, in Renum fertur desiluisse cum equo: ibique vi enecatus vndarum postea reperiri non potuit, vt fertur. Quidam tamen ferunt quòd à piscatoribus sit repertus & humatus, atque propter spoliorum ipsius ornamenta celatus. Ludouuicus Rex in Regnum Lothariense regressus, relictam Gisleberti Gerbergam duxit vxorem, Othonis scilicet Regis sororem. Collecta diuersorum hominum, quæ Romam petebat, à Sarracenis peruasa & interempta est. Brittones cum Nordmannis confligentes victoriâ potiuntur, & quoddam Nordmannorum castellum cepisse feruntur. Quidam homines Arnulfi terram Herluini deprædantes, ab eodem Herluino perempti sunt. Otho Rex in Regnum Lothariense regrediens, penè cunctos ad se redire coëgit Lotharienses. Hugo Albus ad eius proficiscitur cum Heriberto colloquium. Et reuertentes, loca quædam fidelium Remensis Ecclesiæ deprædantur, incendúntque nonnulla. B C

940. ANNO DCCCCXL. Berengarius Virdunensis Episcopus consecratur ab Artaldo Remensi Archiepiscopo. Rex Ludouuicus abiit obuiam Vvillelmo Principi Nordmannorum, qui venit ad eum in pago Ambianensi, & se illi commisit. At ille dedit ei terram, quam pater eius Karolus Nordmannis concesserat, indéque contra Hugonem perrexit. Quo ad se venire detrectante, reuertitur Laudunum. Dedit autem Rex Artaldo Episcopo *, ac per eum Ec-

* D. Archiepiscopo.

A clesiæ Remensi, per Præceptionis regiæ paginam, Remensis vrbis monetam iure perpetuo possidendam. Sed & omnem Comitatum Remensem eidem contulit Ecclesiæ. Artaldus Episcopus Causostem munitionem obsidet, quam quinto tandem die, Ludouuico Rege illuc veniente, hi qui erant intus reddentes deserunt. nec longum, subuersa funditus, ab his qui recepêre dissipatur. Missi Hugonis ad Regem veniunt, & de pace cum eis Rex inter Artaldum Præsulem & Heribertum laborare studet. Deinde ad castrum quoddam, quod Heriueus nepos Heriuei quondam Archiepiscopi super fluuium Maternam tenebat, vnde & villas Episcopij Remensis circunquaque positas deprædabatur, proficiscitur cum Artaldo Episcopo. Nec mora, acceptis obsidibus ab ipso Heriueo, reuertitur Remis. Pergénsque in crastinum ad Sanctum Remigium, sese ipsius Sancti committit intercessionibus: promittens vadibus libram argenti se daturum annis singulis. Monachis quoque eiusdem loci Præceptum de eodem castello dedit immunitatis. Hugo Princeps filius Rotberti, iunctis sibi quibusdam Episcopis tam Franciæ quàm Burgundiæ, cum Heriberto Comite, & VVillelmo Nordmannorum Principe, Remensem obsidet vrbem. Sexta obsidionis die deserente omni pene militari manu Artaldum Episcopum *, & ad Heribertum transeunte, idem Comes Heribertus vrbem ingreditur. Artaldus Præsul ad Sanctum Remigium euocatione Procerum & Episcoporum profectus, persuasus est vel conterritus à Principibus Episcopij se procuratione vel potestate abdicare. Concessaque sibi Abbatia Sancti Basoli, & Auennaco Monasterio, ad Sanctum Basolum commoratutus abscessit. Hugo & Heribertus locuti cum quibusdam Lothariensibus, ad obsidionē Lauduni proficiscuntur cum Vvillelmo, relicto Remis Hugone Diacono Heriberti filio, iampridem ad Episcopatum ipsius vrbis euocato *. Ludouuicus Rex post sex vel septem ebdomadas à Burgundia rediens, assumpto secum Artaldo Archiepiscopo, cum propinquis ipsius pariter cum eo comitantibus, quorum beneficia Heribertus Comes abstulerat, in Remensem venit Campaniam: transitóque fluuio Axona, Laudunum contendit. Quo comperto, Hugo & Heribertus, relicta obsidione Lauduni, noctu ad munitionem Petræpontem deproperant. Indéque Othoni Regi obuiam proficiscuntur. Cui coniuncti, ad Atiniacum eum perducunt, ibique cum Rotgario Comite ipsi Othoni sese committunt. Ludouuicus Rex ingressus Laudunum, victus sui prouidet necessaria. sicque eum Hugone Nigro & Vvillelmo Pictauensi Burgundiam repetit. Otho Rex Heinrico fratri suo Regnum Lothariense committit. Túmque cum diuersarum gentium, quas secum abduxerat, multitudine, post Ludouuicum in Burgundiam proficiscitur: habens secum Conradum filium Rodulfi Regis Iurensis, quem iamdudum dolo captum, sibique adductum retinebat. Castráque metatus super Sequanam, obsides ab Hugone Nigro accepit, cum iuramento ne esset nocumento Hugoni vel Heriberto, qui se subdiderant eidem Othoni. Quo facto, reuertitur ad sua. Hugo filius Heriberti Remis à VVidone Suessionico Præsule Presbyter ordinatur. Ludouuicus Rex Laudunum redit. Ego denique disponens orationis gratiâ sepulchrum sancti Martini visere, retentus sum ab Heriberto Comite, clam me quibusdam accusantibus apud eum, quòd sui causa nocumenti vel filij sui vellem proficisci. Fecitque me sub custodia detineri, ablatis à me rebus quas de Episcopatu tenebam, cum Ecclesia quam regebam in Culmisciaco. Sicque plenis quinque mensibus sum detentus. Rex Ludouuicus Petræpontem munitionem bello aggressus est, & obsides accipiens, recessit ab ea. Deinde in Regnum Lothariense cum Artaldo Episcopo *, & aliis fidelibus suis, profectus est. Otho quoque Rex Reno transito aduersus eum venit, sed ab eorum fidelibus inter eos induciæ determinatæ sunt. Puella quædam virgo paupercula, de villa quæ dicitur Lauenna, nomine Flothildis, Visiones Sanctorum manifestè vigilánsque & in spiritu videre asseuerat, ac quædam futura prædicebat. Quæ post sequentem annum in ipsa Natalis Domini nocte decessit. Hoc anno acies diuersorum colorum in cælo visæ sunt mense Decembri nocte Dominica. Collecta transmarinorum, sed & Gallorum, quæ Romam petebat, reuertitur: occisis eorum nonnullis à Sarracenis. nec potuit Alpes transire propter Sarracenos, qui vicū Monasterij S. Mauricij occupauerant.

[Margin: LUDOUUICUS VLTRAMARINUS.]
[Margin, at B: * D. Archiepiscopum]
[Margin: * D. electo.]
[Margin, at C: * D. Archiepiscopo.]

ANNO DCCCCXLI. Gerlandus Senonensis Archiepiscopus vrbe sua depellitur à Frotmundo, quem Hugo Albus eidem ciuitati præfecerat, culpa- 941.

A

to Gerlando quòd Vvaloni fauerit homini Heriberti Comitis, qui Frotmundum vel suos à præfata expulerat vrbe. Heribertus Comes Synodum conuocauit ad determinandam controuersiam inter filium ipsius Hugonem, & Artaldum Archiepiscopum. Sed impediente Hugone, atque satagente ne fortè ad fidelitatem & auxilium Ludouuici Regis congregarentur, omisére Conuentum. Rex Ludouuicus Burgundiam petens, comperit Rotgarium Comitem prope se fortè metatum. Quem aggressus, comprehendit cum his qui cum eo erant super fluuium Maternam, secúmque in Burgundiam duxit. Hugo & Heribertus Comites Episcopos conuocant Remensis dioeceseos. Qui conuenientes apud Suessionem in Ecclesia sanctorum Crispini & Crispiniani, tractant de statu Remensis Episcopij, definiúntque, conquerentibus Clericis atque nobilibus laicis diu Pastore sedem ipsam vacare, vt quoniam Artaldus Episcopus iurauerat quòd nunquam se de ipso Episcopatu intromitteret, ad ipsius gubernationem reuerti non deberet. Hugo verò filius Heriberti Comitis, qui priùs ad ipsum Episcopatum fuerat euocatus, Clero populóque petente, ordinaretur Episcopus. Ibique me Hugo primum de exilio iussu suo euocat. Indéque Remos adeuntes Episcopi, eundem Præsulem electum consecrant apud sanctum Remigium. Rotgarius Comes datis obsidibus dimittitur à Rege Ludouuico, Duagium castellum reddens Arnoldo. Monasterium Sancti Theodorici diuinis illustratur miraculis. Crux maior Ecclesiæ Remensis auro cooperta, gemmisque preciosis ornata, ab eadem furtim aufertur Ecclesia. Canonici Montisfalconis oppressione Virdunensis Episcopi prægrauati, deserentes Cœnobium suum, corpus sancti Balderici patroni sui deferunt Remis. Ludouuicus Rex Burgundiam petens, Rotgarium Comitem cum Hugone Nigro ac Gisleberto pacificauit. Indéque Laudunum remeans, Arnoldum cum Landrico fratre ipsius eodem castro proditionis insimulatos expulit, & Rotgario * Laudunensem Comitatum dedit. Compertóque, quòd Hugo Albus ab obsidendum Laudunum properaret, Burgundiæ partes cum Artaldo Episcopo & Rotgario Comite repetit. Quo circa Victuriacum * castrum deuersante, Hugo & Heribertus Laudunum obsident. Sumptis autem secum Rex quos vndecumque colligere potuit, in pagum Porcensem venit. Quo audito, Hugo & Heribertus, scilicet quòd Rex eis appropinquarer, obsidione relicta properant contra, & insperatum Regis inuadentes exercitum, nonnullos sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus à suis, & eximere se bello coactus, vix euasit: Artaldo Episcopo & Comite Rotgario comitantibus secum. Artaldus Episcopus perditis rebus, quas ibi habuerat, ad Hugonem & Heribertum accessit: & datis sacramentis, prout ab eo quæsierunt, redditísque sibi Abbatiis Sancti Basoli & Auennaco, cum villa Vindenissa, & pacta pace cum Hugone Præsule, ad Sanctum Basolum illic habitaturus deuenit. Hugo & Heribertus obsidionem Lauduni relinquunt. Ludouuico Regi filius nascitur, & præmissi Comites cum Vvillelmo locuti, mox Lauduni repetunt obsidionem: proditionem castri sibi fieri rati. Nullóque, quod arbitrati fuerant, patrato negotio, reuertuntur in sua. Ludouuicus Rex à Karlo Constantino in Vienna recipitur: & Aquitani ad eum veniunt, illúmque suscipiunt. Hugo & Heribertus, Vvillelmus & Arnulfus simul loquuntur, & Heribertus indè ad Othonem ad Regem trans Renum proficiscitur.

B

* D. Rotgerio.

* D. Vitriacum.

C

942. Anno dccccxlii. Ludouuicus Rex firmatis sibi Aquitanis Laudunum reuertitur. Nec diu moratus, non obtenta pace in Burgundiam reuertitur. Legatus Stephani Papæ nomine Damasus, Episcopus Romæ, ob hanc Legationem peragendam ordinatus, in Franciam venit, afferens Litteras Apostolicæ Sedis ad Principes Regni, cunctósque Franciæ vel Burgundiæ habitatores, vt recipiant Regem suum Ludouuicum. Quod si neglexerint, & eum amplius hostili gladio persecuti fuerint, excommunicationis depromens interminationem. Pro qua re colloquentes Episcopi Remensis dioeceseos cum Heriberto Comite, deprecati sunt eum vt intercederet apud Hugonem Principem pro receptione Regis. Proditores quidam Remis reperti, & interfecti sunt: quidam rebus Ecclesiæ priuati, ab vrbe depellũtur. Legati Remensis Ecclesiæ Roma regressi pallium deferũt Hugoni Episcopo ab Stephano Papa transmissũ. Cum quibus pariter & Legatio venit Principibus Regni, vt Ludouuicum Regem recipiant, & sic Legatos suos Romã

A dirigant. Quod si vsque ad Natiuitatem Domini facere non procurauerint, excōmunicandos tunc fore se nouerint. Domnus Odo Abbas pro pace agenda inter Hugonem Regē Italiæ & Albricum Romanū Patricium apud eundē Regem laborabat. Idem verò Rex Hugo Sarracenos de Fraxinido eorū munitione disperdere conabatur. Rotgarius Comes apud VVillelmū Nordmannorū Principem functus Legatione pro Ludouuico Rege, ibidem defunctus est. VVillelmus Regem Ludouuicum regaliter in Rodomo suscepit. Item VVillelmus Pictauensis, & Brittones cum suis Principibus, ad Regem venerunt. Cum his ergò Rex super Isaram venit. Hugo verò & Heribertus cum Othone Duce Lothariensium, destructis pontibus, & ablatis nauibus, cum his quoque, quos habere poterant, ex altera parte fluminis consederunt. Et agitata inter eos per internuncios controuersia, tandem dantur induciæ à medio Septembri vsque ad medium Nouembris, & obsides accipiuntur vtrimque: à Rege quidem, filius Heriberti minor. Qui etiam Rex, tam ipse quàm VVillelmus, sed & Hugo, mittunt obsides Othoni Regi per Othonem Ducem. Fames magna per totam Franciam & Burgundiam: mortalitas quoque maxima boum grassata est in tantum, vt valde pauca huiusmodi animalia in his remanserint terris. Ludouuicus Rex Othoni Regi obuiam proficiscitur, & amicabiliter se mutuò suscipientes, amicitiam suam mutuò firmant conditionibus. Multúmque de pace inter Regem Ludouuicum & Hugonem laborans Otho, Hugonem tandem ad eundem Regem conuertit. Heribertus etiam

B pariter cum æquiuoco filio suo ipsius Regis Ludouuici efficitur. Reuertente Rege, Remensis dioceseos Episcopi ad eum veniunt, & ipse quoque Rodulfum Laudunensem recepit, ac suum eidem restituit Episcopium. Domnus Odo venerabilis Abbas, multorum restaurator Monasteriorum, sanctæque Regulæ reparator, Turonis obiit, & sepultus est apud Sanctum Iulianum *. *D. Martinum.

Anno DCCCCXLIII. Arnulfus Comes VVillelmum Nordmannorum Principem ad colloquium euocarum dolo perimi fecit. Rex Ludouuicus filio ipsius VVillelmi nato de concubina Brittanna * terram Nordmannorum dedit: & quidam Principes ipsius, se Regi committunt, quidam verò Hugoni Duci. Heribertus Comes obiit, quem sepelierunt apud Sanctum Quintinum filij sui. Et audientes Rodulfum filium Rodulfi de Gaugiaco quasi ad inuadendam terram patris eorum aduenisse, aggressi eundem interemerunt. Quo audito, Rex Ludouuicus valde tristis efficitur. Artaldus Episcopus, relicto Cœnobio Sancti Basoli, ad Regem profectus est. At ille promittit ei se redditurum Remensem Episcopatum. Quique assumptis secum fratribus suis, & aliis qui abiecti fuerant ab Episcopatu Remensi, Altmontem castrum occupat. Cum quibus Rex Ludouuicus etiam Mosomum aggressus, repellitur à fidelibus Hugonis Episcopi, quibusdam suorum interemptis. Suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit, in quibus multum congestarum periit frugum. Hugo Dux Francorum crebras agit cum Nordmannis, qui pagani aduenerant, vel ad paganismum reuertebantur, con-

C gressiones: à quibus peditum ipsius Christianorum multitudo interimitur. At ipse nonnullis quoque Nordmannorum interfectis, ceterisque actis in fugam, vrbem * Ebroicas, fauentibus sibi qui tenebant illam Nordmannorum Christianis, obtinet. Ludouuicus Rodomum reperens, Turmodum Nordmannum, qui ad idolatriam gentilémque ritum reuersus, ad hæc etiam filium VVillelmi aliósque cogebat, Regique insidiabatur simul cum Setrico Rege pagano, congressus cum eis interimit. Et Herluino Rodomum committens, reuertitur ad Compendium, vbi eum expectabat Hugo Dux cum nepotibus suis Heriberti filiis, de quibus recipiendis frequens agitabatur intentio. Quorum Rex primùm tunc Hugonem Episcopum mediatoribus Othone Duce Lothariensium, & Adelberone Præsule, Hugone quoque Duce præcipuè insistente recepit. Eo tenore, vt Abbatiæ, quas reliquerat * ad Regem profectus, Artaldo Episcopo restituerentur. Aliud etiam Episcopium ipsi prouideretur. Fratribus quoque & propinquis eius honores, quos ex Episcopatu Remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à Rege. Item Ludouuicus Rex Rodomo profectus, Ebroicas * ab Hugone Duce recepit, & apud Parisium depressus infirmitate penè tota decubuit ægrotus æstate. Hugo Præsul Amblidum cepit castrum, atque combussit, quod Rotbertus & Rodulfus fratres Remis expulsi detinebant.

Margin notes: LVDOVVICVS REX. — 943. — *D. Buttannam — * D castrū Ebroas — * D. deseruerat — * Ebroas

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

* D. amputatis manibus

Vnde & deprædationes per Episcopium Remense faciebanr. Herluinus cum Arnulfo congressus, victoriáque potitus, eum quoque, qui VVillelmum Nordmannorum Principem interemerat, occidit, & amputatas * manus ipsius Rodomum transmisit. Item præfatus Hugo Episcopus Altmontem munitionem obsidet, quam tenebat Dodo frater Attaldi Episcopi. Tandémque accepto paruulo ipsius filio obside, discedit, Rege quoque mandante. Hugo Dux filiam Regis ex lauacro sancto suscepit, & Rex ei Ducatum Franciæ delegauit, omnémque Burgundiam ipsius ditioni subiecit. Idem verò Hugo Arnulfum cum Rege pacificauit, cui Rex infensus erat ob necem VVillelmi. Otho Rex quosdam fideles Ludouuici, qui sibi insidiabantur, comprehendit, & in custodia misit. Vnde inter ipsos Reges exoritur scandalum. A

944. ANNO DCCCCXLIIII. Ludouuicus Rex in Aquitaniam proficiscitur cum Regina Gerberga, & locutus cum Ragimundo Gothorum Principe, ceterísque Proceribus Aquitanorum, reuertitur in Franciam. Castrum quoddam vocabulo Montiniacum, in pago Suessionico situm, quod erat ex Abbatia Sancti Crispini, quam dudum perceperat*, reddentibus eam sibi filiis Heriberti, & Ragenoldo dederat, proditione quorumdam oppidanorum fideles Regis ceperunt: occiso Andrea quodam, qui illud tenebat ad fidelitatem filiorum Heriberti, sed & proditore ab Andrea perempto. Ambianensem quoque vrbem, quam tenebat Odo filius Heriberti, fauente Deroldo Episcopo, & tradentibus ipsius Episcopi fidelibus, domestici Regis recipiunt. Ex quibus rebus ita gestis exoritur iterum discordia inter Regem & filios Heriberti. Otho Dux Lotharienſium vità decessit. Hugo Dux Francorum pactum firmat cum Nordmannis, datis vtrimque & acceptis obsidibus. indéque profectionem parat cum filiis Heriberti, obuiam profecturus Othoni Regi in Regnum Lotharij. Sed idem Rex aduentum suum differens, Herimannum quendam Ducem cum ingenti dirigit exercitu. Ludouuicus Rex, pace facta inter Herluinum & Arnulfum, castrum Ambianensium eidem Herluino dedit. Filij Heriberti quandam munitionem Radulfi cuiusdam fidelis Ludouuici Regis nomine Clastris, sitam in pago Veromandinse, proditione capiunt. Et eodem Rodulfo clam euadente, thesauros ipsius inuadunt atque diripiunt, municipiúmque vacuum derelinquunt. Hugo Dux colloquium Herimanni petit, qui missus erat obsidere castella Ragenarij ac Rodulfi fratrum, Ludouuici Regis fidelium. Qui resistendi Herimanno præsidium non habentes, veniam, datis muneribus multis ad Othonem Regem, deposcunt. Is equidem Palatium Aquis deueniens, cum Lotharienſibus colloquium habuit: vbi Missi Regis Ludouuici, sed & Hugonis Ducis Legati ad eum venerunt. Qui Legatos Regis honorificè suscipiens, Legatis aduersabatur Ducis: donec Manasses quidam Missus Hugonis, videns Legatos Ludouuici valdè Legationi suæ aduersos existere, mandata sibi ab hoc Rege data nuper ad ipsum Othonem perferenda, quæ priùs aperire noluerat, in medium protulit: pandens exprobrationes non modicas, quas sibi Rex Ludouuicus Othoni Regi perferre præceperat. quòd scilicet periurus esset Otho de iuramentis quæ Ludouuico iurauerat. adiiciens & alia indecora nonnulla. Quibus admodum permotus Otho, Missos Ludouuici, quia verbis Manassæ contradicere non valebant, abiiciens, Legatos Hugonis honorabiliter habuit: omnésque sibi fideles ab auxilio seu participatione Ludouuici sese submouere præcepit. In Transrenensibus Germaniæ regionibus quidam homo erat, cui manus abscissa fuerat, & post annos quatuordecim, sicut asserunt qui eum nouerunt, subitò dùm noctu dormiret ei ex integro restaurata est. In iisdem partibus per quosdam pagos ignei globi ferri videbantur in aëre, quique nonnullas illic circumuolantes incenderunt domos & villas: à quibusdam verò locis, crucibus oppositis, cum benedictione Episcopali, & aqua benedicta, repellebantur. Regij milites Episcopatum Remensem deprædantur, & filij Heriberti Abbatiam sancti Crispini, Ragenoldus quoque Abbatiam sancti Medardi. Sicque alterutris debacchantur rapinis atque deprædationibus. Tempestas nimia facta est in pago Parisiaco, & turbo vehementissimus, quo parietes cuiusdam domus antiquissimæ, qui validissimo constructi cemento in Monte qui dicitur Martyrum diu perstiterant immoti, funditus sunt euersi. Feruntur autem dæmones tunc ibi sub equitum specie visi, qui Ecclesiam quandam, quæ proxima stabat, destruentes, eius trabes

* D. receperat.

B

C

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

A parietibus memoratis incusserunt, ac sic eos subruerunt. Vineas quoque Montis ipsius euulserunt, & omnia sata vastauerunt. Subsecuta mox Brittonum pernicies, qui discordiâ inter se Principum Berengarij & Alani diuisi, à Nordmannis, cum quibus pactum inierant, peruasi, & magna cæde attriti. Ciuitas eorum Dolus nomine capta, & Episcopus eiusdem confugientium in Ecclesiam multitudinum stipatione oppressus, & enecatus est. Reparatis denique Brittones viribus certamen ineunt, in quo superiores Nordmannis extitisse visi sunt. Tertia tandem congressione inita, magna ex vtraque parte cecidit multitudo. Victoria verò potiti Nordmanni Brittones vsque ad internecionem cædunt, & eos à terra ipsorum disperdunt. Ipsique Nordmanni, qui nuper à transmarinis venerant regionibus, eorum terram inuadunt. Ludouuicus Rex in terram Nordmannorum proficiscitur cum Arnulfo & Herluino, & quibusdam Episcopis Franciæ ac Burgundiæ. Arnulfus itaque præcedens Regem, quosdam Nordmannorum, qui custodias obseruabant apud Arcas, fudit, & Regi transitum præparauit. Sicque Rex Rodomum perueniens, à Nordmannis in vrbe suscipitur: quibusdam mare petentibus qui eum nolebant recipere, ceteris omnibus subiugatis. Hugo Dux cum suis, & quibusdam Burgundiæ Proceribus, trans Sequanam faciens iter, Baiocas vsque peruenit, & ciuitatem obsedit, quam Rex ei dederat, si eum ad subii-
B ciendam sibi hanc Nordmannorum gentem adiuuaret. Receptus autem Rex à Nordmannis, mandat Duci vt à præfatæ ciuitatis obsidione discedat. Quo discedente, Rex in eam ingreditur. Vnde & discordiæ fomes inter Regem concitatur & Ducem. Sed & pro eo quòd Rex obsides ab Ebroicensibus, qui Hugoni subditi erant, accepit, quos eidem Duci reddere noluit.

ANNO DCCCCXLV. Adhuc Ludouuico Rege apud Rodomum degente, Gerberga Regina filium Lauduni peperit, qui Karolus ad catezizandum vocatus est. Reuersus Rex Laudunum, & cum Arnulfo locutus, dispositis quibusdam rebus, Rodomum regreditur. At Bernardus Siluanectensis Comes, & Tetbaldus cum Heriberto castellum Regis Montiniacum Paschæ diebus aggressi capiunt, incendunt, ac diruunt. Idem quoque Bernardus venatores & canes Regis inuadens, equos eorum, vel quæque sibi visa sunt, aufert. Compendium etiam Regalis sedis oppidum peruadit, cum quibusdam villis eidem sedi subiectis. Rex Ludouuicus, collecto secum Nordmannorum exercitu, Veromandinsem pagum deprædatur. Assumptóque cum illis Herluino cum parte militum Arnulfi, sed & Artaldo Episcopo cum his, qui dudum Remis eiecti fuerant, Comitibus quoque Bernardo ac Theoderico nepote ipsius, Remorum obsidet vrbem. Vastantur circumquaque segetes, villæque diripiuntur, & partim exuruntur: nec non Ecclesiæ plures effringuntur. Quotiens pugnatum ad portas, vel circa murum, vulnerati ex vtraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique Dux præliatus cum Nordmannis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica clade fudit, & à terminis suis eiecit. Post hæc Remis ad Regem mittit, dans ob-
C sides vt Ragenoldus ex parte Regis ad colloquium sibi occurrat: Quo abeunte, tractat cum eo, vti Rex obsides ab Hugone Episcopo accipiat, & ab obsidione Remensi discedat: quatenus idem Præsul denominato Placito ad reddendam rationem de omnibus, quæ Rex ab eo quæsierat, accedat. Quibus hoc sibi tenore datis, Rex ab obsidione recedit, post quintamdecimam, quo ciuitas obsessa fuerat, diem. Igitur circa Missam sancti Iohannis, Hugo Dux Placitum cum Rege per sequestres habuit, in quo nihil certum de pace inter ipsos componenda gestum, nisi tantùm quòd inducias ad inuicem sibi dederunt vsque ad medium mensem Augustum. His ita gestis, Rex Ludouuicus, assumpto Herluino & quibusdam domesticis suis secum, Rodomum petit. Domnus Theotilo venerandus vrbis Turonicæ Præsul obiit, qui dum de pace inter Regem & Principes componenda certaret, hisque studiis occupatus à Lauduno rediret, ægritudine corporis in ipso deprimitur itinere. Cúmque vltimum iam exhalaret spiritum, apparuit signum quoddam luminis per aëra discurrens, cubitum longitudinis habere visum. Cuius lumine ad depellendas noctis tenebras sufficienter perfuncti sunt, qui funus eius deducebant. Talique potiti solamine per millia ferè, ceu fertur, ducenta, Turonicam vsque corpus eius perferunt vrbem. Quódque, in Monasterio Sancti Iuliani, quod idem vir sanctus summa instituerat religione, iuxta sepulchrum dom-

945.

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. ni Odonis reuerenter humatur, & exinde ipsum Templum diuinis illustrari miraculis declaratur. Dum Rex Ludouuicus moraretur Rodomi, Haigroldus Nordmannus, qui Baiocis præerat, mandat ei quòd ad eum venturus esset condicto tempore vel loco, si Rex ad illum locum accederet. Veniente denique Rege cum paucis ad locum denominatum, Haigroldus cum multitudine Nordmannorum armatus aduenit: inuadénsque socios Regis, penè cunctos interimit. Rex solus fugam iniit, prosequente se Nordmanno quodam sibi fideli. Cum quo Rodomum veniens, comprehensus est ab aliis Nordmannis, quos sibi fideles esse putabat, & sub custodia detentus. Hugo quoque Rex Italiæ Regno depulsus à suis, & filius ipsius in Regnum susceptus est. Hugo Præsul Almonrem castrum obsidens, post septem ferme obsidionis ebdomadas recipit, reddente illud Odone*, tali sub tenore, vt filium ipsius & filium fratris sui suscipiens idem Episcopus, concederet eis terram patrum suorum. Hugone Duce de Regis ereptione laborante, Nordmanni filios ipsius Regis dari sibi obsides quærunt, nec aliter Regem se dimissuros asserunt. Mittitur igitur ad Reginam pro pueris. Illa minorem mittens, maiorem fatetur se non esse missuram. Datur igitur minor, & vt Rex dimittatur, Vvido Suessorum Episcopus sese obsidem tradit. Dimissus itaque Rex à Nordmannis, suscipitur ab Hugone Principe: quique committens eum Terbaldo cuidam suorum, proficiscitur Othoni Regi obuiam. Qui Rex nolens loqui cum eo, mittit ad eum Conradum Ducem Lotharienſium. Cum quo locutus Hugo, infensus Othoni Regi reuertitur. Richario Tungrensium Præsule defuncto, idem Episcopium Rex Otho Hugoni Abbati Monasterij Sancti Maximini nolenti atque refugienti dedit, cúmque ordinari fecit Episcopum: & ita remeat trans Renum. In pago Parisiacensi, necnon etiam per diuisos circumquaque pagos, hominum diuersa membra ignis plagâ peruadunrur: quæque sensim exusta consumebantur, donec mors tandem finiret supplicia. Quorum quidam, nonnulla Sanctorum loca petentes, euasêre tormenta. Plures tamen Parisius in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ sanari sunt, adeo vt quotquot illò peruenire potuerint, asserantur ab hac peste saluati. Quos Hugo quoque Dux stipendiis aluit quotidianis. Horum dum quidam vellent ad propria redire, extincto referuescunt incendio, regressique ad Ecclesiam liberantur.

*D. Dodone.

946. ANNO DCCCCXLVI. quidam motus inter filios Hetiberti agitantur pro hereditatum distributione suarum: qui tamen Hugone Principe auunculo ipsorum medianre pacantur, diuisis sibi, prout eis competens visum est, rebus. Hugo Rex Italiæ à suis in Regnum recipitur. Edmundus Anglorum Rex Legatos ad Hugonem Principem pro restitutione Ludouuici Regis dirigit, & idem Princeps proindè Conuentus publicos cum nepotibus suis, aliisque Regni Primatibus agit. Marinus Papa decessit, cui successit Agapitus: & pax inter Albericum Patricium & Hugonem Regem Italiæ depaciscitur. Hugo Dux Francorum, ascito secum Hugone Nigro filio Richardi, ceterisque Regni Primatibus, Ludouuicum Regem, qui ferè per annum sub custodia detinebatur apud Terbaldum Comitem, in Regnum restituit, recepto Lauduno castro, quod Regina Gerberga tenebat, & eidem Terbaldo commisso. Qui Dux Hugo renouans Regi Ludouuico regium honorem vel nomen, ei sese cum ceteris Regni committit Primoribus. Edmundus Rex transmarinus defungitur. Vxor quoque regis Othonis soror ipsius Edmûdi decessit. Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum Legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo. Qui maximum colligens ex omnibus Regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens Cisalpinæ Galliæ Regem. Quibus Rex Ludouuicus obuiam profectus, satis amicabiliter & honorificè suscipitur ab eis. Sicque pariter Laudunum venientes, consideratáque castri firmitate, deuerterunt ab eo, Remensem aggredientes vrbem. Quam cingentes obsidione, ingenti vallarunt exercitu. Videns autem Hugo Præsul obsidionem se tolerare non posse, neque tantæ resistere multitudini, locutus est cum quibusdam Principibus qui videbantur sibi esse amici, videlicet cum Arnulfo qui eius sororem, & Vdone qui amitam ipsius habebat vxorem, sed & cum Herimanno Vdonis fratre: & quæsiuit ab eis quid sibi foret agendum. Qui tale consilium dederunt ei, vt egrederetur cum suis, & relinqueret vrbem, quia id dispositum à Regibus erat vt omnimodis expelleretur, neque in-

A teruenire possent apud Reges pro ipso, quin eruerentur ei oculi, si vrbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto, ac suis intimato, post tertiam obsidionis diem, cum penè cunctis qui secum tunc aderant militibus egressus est. Sicque Reges cum Episcopis & Principibus ingredientes vrbem, domnum Artaldum Præsulem, qui dudum fuerat eiectus, iterum intronizari fecerunt. Quem Rotbertus Treuerensis Archiepiscopus & Fredericus Magonciacensis accipientes, vtraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Getbergam Reginam Remis, ipsi Reges cum exercitibus suis terram Hugonis aggrediuntur: & vrbem Siluanectensem obsidentes, vt viderunt munitissimam, nec eam valentes expugnare, cæsis quibusdam suorum, dimiserunt. Sicque trans Sequanam contendentes, loca quæque præter ciuitates grauibus atterunt prædationibus, terrámque Nordmannorum peragrantes, loca plura deuastant. Indéque remeantes, regrediuntur in sua. Deroldus Ambianensium Præsul vitâ decedit.

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

ANNO DCCCCXLVII. Hugo Princeps moto exercitu in Arnulfi terram proficiscitur, obsidétque quasdam munitiones ipsius. Nullóque patrato, prout sperauit, negotio, reuertitur in sua. Rex quoque Ludouuicus cum quibusdam Lotharienfibus Mosomum, quod Hugo præsul Remis eiectus retinebat, obsedit. Sed nec ipse quippiam pro votis efficiens, recedentibus tandem post mensem Lotharienfibus, ipse Remos regreditur. Bouo Catalaunensis Episcopus obiit. Eligúntque sibi Catalaunenses quemdam nobilem adolescentem Clericum nomine Gibuinum. Ludouuicus Rex Aquis Pascha cum Othone Rege celebrat[a], & regiis honoratur ab eo muneribus. Hugo Princeps à quibusdam præsumptiose persuasus, Remensem cum Hugone Præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem. Frustratóque voto, resistentibus fidelibus Regis & Artaldi Archiepiscopi, octauo postquam aduenerant die, illusi recedunt. Hugo Præsul, adnitente auunculo suo Hugone, ordinat Ambianis Episcopum Tetbaldum quendam Ecclesiæ Suessionicæ Clericum. Ludouuicus Rex expetente Arnulfo Comite Atrabatem proficiscitur, cum Artaldo Episcopo. Indéque cum Arnulfo ad obsidendum Monasteriolum castrum Rotgarij filij Herluini progrediuntur: pósque laborem inefficacem, pluriúmque mortes suorum, spe priuati regrediuntur ad propria. Tempestas magna Remis effusa est per vnius omne noctis spatium, cum coruscationibus continuis, & terræ motu: adeò vt putei replerentur, & domus nonnullæ subuerterentur. Conuentus Placiti Regum Ludouuici & Othonis super Charam fluuium intrante mense Augusto celebratur: Hugone Principe circa Mosomum & Duodeciacum castra metato, vbi res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis Ecclesiæ Præsules ab Episcopis auditur. Et quia Synodus tunc conuocata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda denunciatur. Interim verò sedes Remensis Artaldo conceditur. Hugo alter Præsul in Mosomo commorari permittitur. Treugæ vel induciæ belli inter Regem Ludouuicum & Hugonem Principem vsque ad Synodi tempus Othone Rege mediante disponuntur. Heriueus nepos Heriuei quondam Archiepiscopi, habens munitionem quam ædificauerat citra Maternam fluuium, villas circumquaque deprædabatur Remensis Episcopij: excommunicatus ad Artaldo Præsule pro his quas inuaserat Ecclesiæ rebus. Contra cuius prædones egressi quadam die Ragenoldus Comes, & Dodo frater ipsius Præsulis, cum quibusdam Ecclesiæ militibus, ipsos grassatores in fugam agunt. Quo audito, idem Heriueus armatis his quos secum habebat militibus, à munitione sua egressus contra nostros ad pugnam, & congressus cum eis, interemptus est cum quibusdam suorum. Ceteri omnes in fugam versi sunt, vulneratis ex vtraque parte nonnullis. Corpus eiusdem Remos à victoribus perlatum est. Hugo Præsul assumens secum Tetbaldum de Lauduno, cum aliis nonnullis malefactoribus, in Culmisciacum, ceterásque contiguas villas tempore vindemiæ venit. Qui omne pene vinum ex his colligentes, in diuersos pagos abducunt. Synodus prædicta Virduni habita est, præsidente Rotberto Treuerensi Præsule, cum Artoldo Remensi, Odolrico Aquensi, Adhelberone Mettensi, Gostino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi, Mirnegardo Vuerdensi, Israhele Brittone, præsente Brunone Abbate fratre Regis Othonis, Agenoldo quoque & Odilone, cum aliis quibusdam venerandis Abbatibus. Ad quam Hugo Episcopus euocatus, missis

——— etiam duobus ad eum deducendum Episcopis, Adalberone & Goslino, venire noluit. Vniuersa verò Synodus domno Artaldo Remense tenendum adiudicauit Episcopium. Indicitur iterum Synodus Idus Ianuarij habenda. A

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

948. ANNO DCCCCXLVIII. Synodus prædicta celebratur in Ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, à domno Rotberto ceterisque Treuerensis dioceseos Episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc Hugo Præsul, & locutus cum Rotberto, Synodum noluit ingredi. Literas verò quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per Clericum suum, qui eas Romà detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes: hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopium. Quibus lectis, ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus, & ceteris sapientibus qui aderant, responderunt: non esse dignum vel congruum, vt mandatum Legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus deferente Frederico Præsule Mogonciacensi coram Regibus & Episcopis tam Galliæ quàm Germaniæ susceperat, & partem iam præceptionis ipsius exegerat, propter illas Literas intermitteret, quas insidiator Artaldi Præsulis exhibebat: immò quod regulariter cœptum fuerat, canonicè pertractaretur. Sicque præceptum est, vt recitaretur Capitulum XVIIII. Carthaginiensis Concilij de accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatū est secundum definitionem ipsius Capituli, vt Artaldo Præsule retinente communionem & parochiam B Remensem, Hugo, qui ad duas iam Synodos euocatus venire contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopij abstineret, donec ad vniuersalem Synodum, quæ indicebatur Kalend. Augusti, sese purgaturus occurreret. Ipsumque Capitulum mox in carta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem cartam Rotberto Præsuli remisit, hoc verbis remandans, quòd ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Arnulfus Comes castrum Monasteriolum, fauente Hugone Principe, capit. Interea proclamationis Litteræ à domno Artaldo diriguntur ad Sedem Romanam. Domnus igitur Agapitus Papa Vicarium suum Marinum Episcopum mittit ad Othonem, propter euocandam & aggregandam generalem Synodum. Litteræ quoque ipsius Papæ mittuntur ab vrbe Romana speciatim quibusdam Episcopis Galliæ Germaniæque, vocantes eos ad Synodum. Quæ Synodus congregata est ex præcepto præfati Papæ in Engulenheim Palatio regali, in Ecclesia beati Remigij honore dicata, VII. Id. Iunij, causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter Regem Ludouicum & Hugonem Principem: inter Artaldum quoque Remensem * Episcopum & Hugonem illicitè substitutum eidem vrbi Præsulem. Quæ dissensiones omne perturbauerant regnum Francorum. Ad quam Synodum celebrandam adueniente prædicto Marino Sedis Apostolicæ Vicario, conuenerunt etiam Germaniæ Præsules, cum quibusdam Galliarum Episcopis, Rotbertus videlicet Treuerensis Archiepiscopus, Artaldus Remensis, Fredericus Maguntiacensis, VVicfredus Coloniensis, Adeldacus * Hammaburgensis, Hildebaldus Mirnegardouurdensis, Goslenus Tullensis, Adelbero Mettensis, Berengarius Virdunensis, Fulbertus Camaracensis, Rodulfus Laudunensis R, ichoo VVarmacensis, Rainbaldus * Spirensis, Poppo VVitziburgensis, Conradus Constantiacensis, Odelricus Augustensis, Thethardus Hildinesheinsis, Bernardus Alfurtstedensis, Dudo Paderburnensis *, Lioptacus Ribunensis, Michaël Radisponensis, Farabertus Tungrensis, Dodo Osnebrugensis, Eueris Mindensis, Baldricus Traiectensis, Heroldus Salzburgensis, Adalbertus Bazsoensis, Starchandus Eistenciensis *, Horath Leouuicensis *, VVikardus Basiliensis, Lidac * Ribuensis. Residentibus his Præsulibus in Ecclesia prædicti loci, post præmissas preces secundum ordinem celebrandi Concilij, & post lectiones sacræ auctoritatis, ingressis gloriosis Regibus Othone ac Ludouuico, & simul residentibus, post allocutionem præfati Marini Sedis Apostolicæ Legati, exsurgens Ludouuicus Rex è latere & consessu domni Regis Othonis, proclamationis suæ querimoniam propalauit coram præmisso Romanæ Sedis Vicario, ceterisque considentibus Episcopis: referens qualiter accersitus fuerit à transmarinis regionibus per Legatos Hugonis, ceterorúmque Franciæ Principum, ad suscipiendum suæ paternæ hæreditatis Regnum, cunctorúmque votis & clamationibus Procerum militiæque Francorum sublimatus & conse- C

*D. Remorum Archiepiscopum.
*D Adaldachus.
*D. Reimboldus.
*T. Poderbrunensis.
*D. Eistenensis.
*T. Leo funicensis.
*D. Liefdac Ripuensis.

LVDOVVICVS VLTRA MARINVS.

A consecratus sit ad apicem regalis moderaminis obtinendum. Postea verò circ-ctus sit à præfato Hugone, & dolis appetitus, ac comprehensus, per annum integrum sub custodia fuerit ab eo detentus: nec aliter eius absolutio potuerit obtineri, nisi Laudunum castrum, quod solum tunc Regina Gerberga cum fidelibus suis ex omnibus suis regiis sedibus retinebat, Hugone illud occupante dimitteret. De his omnibus malis, quæ post Regni susceptionem passus fuerat, si quis obiiceret quòd sui facinoris causa eidem fuissent illata, indè se iuxta Synodale Iudicium, & Regis Othonis præceptionem, purgaret, vel certamine singulari defenderet. Deinde surgens Artoldus Archiepiscopus, protulit secundum iussionem Papæ Romani, quam ei delegauerat, litis initium atque tenorem, quæ versabatur inter ipsum & Hugonem subrogatum sibi Ecclesiæ Remensis Antistitem. Post quarum Literarum recitationem, & earum propter Reges iuxta Teoriscam linguam interpretationem, ingressus Synodum quidam Sigiboldus præmissi Hugonis Clericus, attulit Literas quas Roma detulerat, quásque iam in alia Synodo Mosomi propalauerat: asserens easdem Literas sibi Romæ ab ipso, qui aderat, Marino Vicario datas. Qui Marinus proferens Literas, quas idem Sigiboldus Romam tulerat, præcepit eas coram Synodo recitari. In quarum recitatione repertum est, prout ipsæ Literæ fatebantur, quòd VVido Episcopus Suessionicus, Hildegarius quoque Beluacen-
B sis, Rodulfus Laudunensis, cetérique cuncti Remensis dioceseos Episcopi, easdem Literas ad Sedem delegauerant Apostolicam, pro restauratione Hugonis in sede Remensi, & expulsione Artoldi. Post quarum lectionem exurgentes Artoldus Præsul, & præfatus Rodulfus, qui in eisdem Literis nominabatur, Fulbertus quoque Camaracensis Antistes, easdem Literas refutarunt: astruentes, quòd eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus cùm idem Clericus contraire non posset, licèt in eos calumniis obstrepens, præcepit domnus Marinus, suggerens vniuersæ Synodo, vt sibi consilium & rectum iudicium proferrent super huiusmodi calumniatore, & calumniarum in Episcopos delatore. At illi, postquam delator publicè confutatus est falsa detulisse, lectis Capitulis de huiuscemodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter censent eum quo fruebatur honore priuari debere, ac secundum Capitulorum tenorem in exilium detrudi. Diaconatus igitur, quo fungebatur, ministerio multatus, à conspectu Synodi reprobatus abscessit. Artoldo verò Præsuli, qui omnibus se Synodis præsentabilem fecerat, non refugiens Synodale Iudicium, Episcopium Remense iuxta Canonum instituta, & Sanctorum Patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda consessionis die, post recitatas diuinæ auctoritatis lectiones, & Marini Vicarij allocutionem, suggessit domnus Rotbertus Treuerensis Archiepiscopus, vt quoniam iuxta sacræ legis instituta restauratum atque restitutum fuerat Remense Ar-
C toldo Præsuli Episcopium, in eiusdem sedis inuasorem Synodale perageretur Iudicium. Præcepit itaque Marinus Vicarius, vt canonicam super hac præsumptione Synodus proferret Sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholica recitari Capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum instituta Canonum, & sanctorum decreta Patrum, Sixti, Alexandri, Innocentij, Zosimi, Bonefacij, Celestini, Leonis, Symmachi, ceterorúmque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicauerunt, & ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ peruasorem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Ceteris quoque diebus Synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis, & Ecclesiis quæ Presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immò vendebantur indebitè, & auferebantur à laicis illicitè: prohibitúmque ac statutum, ne id omninò præsumeretur ab aliquo. Sed & de aliis Ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla. Interea Rex Ludouuicus deprecatur Regem Othonem, vt subsidium sibi ferat contra Hugonem, & ceteros inimicos suos. Qui petita concedens, iubet vt Conradus Dux cum exercitu Lothariensium in eius pergat auxiliũ. Interim verò dum congregetur exercitus, Rex Ludouuicus cum ipso Duce maneat, & Episcopi

LVDOVICI VLTRAMARINVS.

Artoldus atque Rodulfus, qui erant cum Rege, ne quid in via paterentur aduersi, A degerent cum Lotharienſibus Epiſcopis. Manſimus itaque cum Rotberto Treuerenſi, Rodulfus Laudunenſis cum Adhelberone Merenſi, ebdomadas fere quatuor. Exercitu denique collecto, Lotharienſes Epiſcopi Moſomum perunt, ipſumque obſidentes caſtrum atque oppugnantes, milites qui erant ibi cum Hugone ad deditionem compellunt: & acceptis obſidibus, pergunt obuiam Ludouuico Regi, & Conrado Duci in partes Laudunenſis pagi. Obſident igitur ibi Dux & exercitus quamdam munitionem, quam ædificauerat & tenebat Terbaldus, in loco qui dicitur Monſacutus; qui & Laudunum contra Regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes, tandem non ſine mora capiunt. Indéque Laudunum adeunt, & in Eccleſia ſancti Vincentij congregati Epiſcopi, prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem verò Principem vocant literis ex parte Marini Legati Apoſtolicæ Sedis & ſua, venire ad emendationem pro malis quæ contra Regem & Epiſcopos egerat. VVido denique Sueſſionicæ vrbis Epiſcopus ad Regem Ludouuicum veniens, eidem ſeſe committit, pacatúrque cum Artoldo Archiepiſcopo, ſatisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quoque Dux filiam Ludouuici Regis ſacro de fonte ſuſcepit. Sicque recepto Moſomo caſtro & euerſo, Lotharienſes reuertuntur in ſua. Igitur Hugo nullam moram faciens, collecta ſuorum multa Nordmannorúmque B manu Sueſſionicam adgreditur vrbem, & obſidens oppugnat, cæditque nonnullos. Iniectis etiam ignibus domum matris Eccleſiæ ſuccendit, ſimúlque clauſtra Canonicorum & partem ciuitatis. Nec tamen ipſam capere valens vrbem reliquit, & quandam munitionem, quam Ragenoldus Comes Ludouuici ſuper Axonam fluuium, in loco qui dicitur Rauciacus, ædificabat, deuenit, ipſámque adhuc imperfectam caſtris vallauit. Sed nec ipſam cepit. villas tamen Remenſis Eccleſiæ caſtris ſuis contiguas deuaſtauit. Plures quoque colonorum prædones ipſius interemerunt, violantes Eccleſias, & in tantum debacchantes, vt in Culmiſciaco vico tam infra quàm circa Eccleſiam ferè quadraginta homines interficerent. ipſúmque Templum rebus penitus exſpoliauerunt. Multiſque flagitiis tunc perpetratis, Hugo tandem cum ſuis regreditur graſſatoribus. Itaque milites, qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicato, ad Artoldum Præſulem reuertuntur. Qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recepit, quoſdam verò abiecit. Poſt hæc Treuiros proficiſcitur ad Synodum, cum Epiſcopis Sueſſionico, Rodulfo Laudunenſi, & VViefredo Morinenſi. Quò peruenientes, Marinum ſeſe præſtolantem repererunt, cum Rotberto Archiepiſcopo. Ceterorum verò Lotharienſium vel Germanorum Præſulum illic inuenere neminem. Conſiderantibus* igitur illis, ſciſcitari cœpit Marinus Vicarius, quid egiſſet poſt præmiſſam Synodum Hugo Princeps erga ipſos vel Regem Ludouuicum. At illi referunt ſuprà memorata, quæ ipſis & Eccleſiis eorum intulerat, mala. Requirit ergo de vocatione ipſius Principis Marinus, vtrum perlatæ fuiſſent ei Litteræ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui C reſpondetur ab Artoldo Archiepiſcopo, quòd quædam eorum perlatæ ſunt, quædam verò perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipſius graſſatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris quàm quibuſdam internuntiis. Requiritur itaque, ſi adſit aliquis ex parte ipſius Legatus. Vbi cùm nullus fuiſſet inuentus, decernitur expectàdum, ſi fortè aduenturus eſſet in craſtinum. Quód cùm minimè contigiſſet, & omnes qui aderant tam Clerici quàm illuſtres laici eum excommunicandum eſſe adclamarent; definitur ab Epiſcopis hanc excommunicationem adhuc differendam vſque in diem Synodi tertiam. Tractatur autem de Epiſcopis, qui vocati fuerant, & venire diſtulerant, vel his qui ordinationi Hugonis participes extiterant. Et VVido quidem Sueſſonicus ſe culpabilem, proſtratus coram Marino Vicario, & Artoldo Archiepiſcopo, confitetur. Intercendentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artoldo Archiepiſcopis, abſolui ab hac noxa meretur. VViefredus Morinenſis immunis ab eadem ordinatione reperitur. Adeſt Transmarini* Nouiomenſis Epiſcopi Legatus quidam Presbyter, aſtruens eundem Præſulem ita graui langore detentum, vt ad eandem Synodum venire non valuerit. Id quoque noſtrates, qui aderant, adteſtantur Epiſcopi. Tertia tandem

* forſ. Conſedentibus.

* Transmari.

A die, insistente præcipuè Liutdulfo Legato & Capellano Regis Othonis, quoniam idem Rex id omninò fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes inimicus Ludouuici Regis, pro suprà memoratis malis ab ipso perpetratis. Eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis quibus iniuriam fecit, deueniat. Quòd si facere contempserit, Romam proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudo-Episcopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Iuo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi vrbe, alter post damnationem eiusdem Hugonis in Siluanectensi, ab eo constituti. Excommunicatur etiam quidam Clericus Laudunensis nomine Adelomus, quem accusauit Rodulfus Episcopus suus, eò quòd Tetbaldum excommunicatum in Ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Beluacensis Episcopus Literis præfati Marini, vt veniat coram ipso, vel eat Romam rationem redditurus coram domino Papa pro illicita ordinatione prædictorum pseudo-Episcoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus Heriberti Comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra Episcopos agebat. His ita gestis, Episcopi reuertuntur in sua. Liutdulfus autem Capellanus Othonis Marinum Vicarium deducit ad Regem suum in Saxoniam, vbi consecraturus fuerat Ecclesiam Vuldensis Monasterij. Post cuius consecrationem, idem Marinus, exacta hieme, Romam reuertitur. Hoc anno defunguntur Episcopi, Geruncus Biturigensis, & Rodulfus Laudunensis. Nascitur Regi Ludouuico filius, quem Præsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens. B

LVDOVVICVS VLTRAMARINVS.

ANNO DCCCCXLIX. Laudunenses, qui fidelitati Ludouuici Regis attendebant, eligunt sibi Præsulem Roriconem Diaconem ipsius Regis fratrem, quémque consecrat Artoldus Archiepiscopus Remis. Qui tamen non receptus Lauduno, apud Petræpontem munitionem resedit. Ambianenses Tetbaldum, quem eis Hugo constituerat Episcopum, exosi, castrum Arnulfo Comiti produnt. Qui aduocans Regem Ludouuicum, oppidum ipsum cepit, Tetbaldum expulit, Ragembaldum illuc Attrabensem quendam Monachum, quem iidem Ambianenses priùs sibi delegerant, introduxit. Quique Remos à Rege perductus, ordinatur Episcopus ab Artoldo Archiepiscopo. Almontem munitionem, quam tenebat Dodo frater domni Artoldi Episcopi, milites Remensis Ecclesiæ, qui recepti non fuerant ab ipso Præsule, furtiua capiunt proditione: & aduocantes Hugonem excommunicatum in oppidum suscipiunt, indéque per villas Episcopij circumpositas rapinis desæuiunt. Imminente denique Paschali sollemnitate, Gerberga Regina proficiscitur ad fratrem suum Othonem Regem, & Aquisgrani Palatio Pascha cum ipso celebrat. Ibi tunc diuersarum gentium affuêre Legationes, Græcorum scilicet, Italicorum, Anglorum, & aliorum quorundam populorum. Regressa Remos Regina cum fraterni auxilij pollicitatione, Rex Ludouuicus Laudunum improuisus aggreditur, & noctu muro latenter à suis ascenso, disruptísque portarum seris, oppidum ingreditur: capitque custodes, præter eos qui turrim regiæ domus conscenderant, quam ipse ad portam castri fundauerat. Hanc itaque capere non valens, à ciuitate secludit, ducto intrinsecus muro. Quo comperto, Hugo Comes illò cum suis proficiscitur, & Rex Conradi Lothariensium Ducis auxilium missa Legatione petit. Hugo verò appropians turri ante portam metatur, & introducens in arcem custodes cum sufficiente victu, recedit à monte. Rex igitur obuiam pergit Conrado, & ipse Dux cum Rege locutus inducias belli disponit inter ipsum & Hugonem vsque ad mensem Augustum, dum Rex idem locuturus pergat ad Regem Othonem. Cum quo postquam locutus est, Remos reuertitur, vbi Adalbertus filius Heriberti ad eum veniens, ipsius efficitur. Ragenoldus Comes, iunctis sibi quibusdam fidelibus Artoldi Præsulis, munitionem quandam construit in fluuio Materna, scilicet apud Maroillum. Codiciacum castrum domno Artoldo Præsuli redditur ab his, qui custodiebant illud ex parte Hugonis Comitis, vel Tetbaldi, quique se committunt eidem Archiepiscopo. Almontem præsidium, quod ingressus cum suis tenebat Hugo quondam Episcopus, obsident Dodo frater domni Artoldi cum fidelibus ipsius, & Theodericus Comes, & ante portam ipsius castri castra sibi constituunt atque præmuniunt. Hugo Comes collecta suorum multa Nordmannorúmque manu, Laudunum adit, 949. C

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. & suos qui arcis domum tenebant educit, aliósque cum sufficiente victu custodes introducit. Et profectus hinc in pagum Porticensem, supra Caldionem * castra metatur. Indéque ad Regem Ludouuicum Remis degentem, quasi pacis petendæ gratia, mittit. Insperatúsque interim Laudunum aggressus capere nisus est, frustratóque consilio reuertitur in sua. Rex verò, euocato Arnulfo, & quibusdam Lotharienfium, post eum proficiscitur vsque in pagum Siluanectensem. Arnulfus itaque suburbium ciuitatis ipsius igne succendit, & sic ad propria regrediuntur. Hugo igitur, non modico tam suorum quàm Nordmannorum collecto exercitu, in pagum Suessionicum venit, & missis ad Regem Episcopis, VVidone Autisiodorensi, & Ansegiso Trecasino, Ragenoldum Comitem sibi accersit. Et ita, dato alterutrim iureiurando, treugæ sunt acceptæ vsque octauas Paschæ. Nec longum pòst, Rex cum Arnulfo locutus est. Ragenoldus Comes castrum quondam Heriuei, videlicet Castellionem, conscenso noctu muro capit, & Dodo frater domni Artoldi tertia deinde die Altmontem simili pene modo recipit. Agapitus Papa Synodum habuit apud Sanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis Episcopi apud Ingulenheim factam confirmauit: excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludouuico Regi satisfaciat. Bernardus quidam partium Hugonis, habens castellum super Isaram fluuium nomine Calnacum *, se cum ipso castello committit Adalberto Comiti. Quædam Ecclesia in honore sanctæ Mariæ dicata super Arnam riuum claris illustratur miraculis, & sanitatum præsidiis. Item altera Ecclesia in ipsius honore super Pictum riuolum sita, pene simili resplendet nitela.

* T. Candionem.

* Colmacum.

950. ANNO DCCCCL. Rex Ludouuicus ad Othonem Regem proficiscitur trans Mosellam, consilium quærens & auxilium ab eo de pace fienda inter se & Hugonem. Qui promittit se missurum ei Ducem Conradum cum Lotharienfibus, ad id exequendum. Qui Dux veniens cum Episcopis quibusdam & Comitibus, locutus est cum Hugone de paciscenda pace. Quódque apud ipsum inuenit, Ludouuico Regi renuntiauit. Sicque ad Othonem redit, dimissis apud Ludouuicum quibusdam Comitibus, qui voluntatem Regis Hugoni significent. Itaque Rex Ludouuicus & Hugo Princeps super Maternam fluuium pacem facturi cum suis deueniunt. Et residentes isti ex hac parte fluuij, illi ex altera, Legatos sibi inuicem mittunt: & mediantibus atque sequestris Conrado Duce, Hugone Nigro, Adelberone quoque ac Fulberto Episcopis, Hugo ad Regem venit, & suus efficitur, pacatúrque cum Arnulfo Comite, & Ragenoldo, atque Artoldo Episcopo, reddens Regi turrim Lauduni. Post hæc iterum colloquium Hugo cum Rege apud Compendium habuit, vbi datur Episcopatus Nouiomensis Rodulfo, Archidiaconatus eiusdem Ecclesiæ ministerio fungenti, quem ipsi Nouiomenses sibi deligerant dari Præsulem. Nec longum pòst, Hugo cum exercitu Ambianensem petit vrbem, ibíque in turri, quam Ragembaldus Episcopus tenebat, recipitur. Alteram verò turrim, quam Arnulfi Comitis homines custodiebant, obsidet, Rege Lauduni ægritudine decubante. Otho Rex, qui quandam VVenedorum magnam obsederat vrbem, nomine Praidam *, Regem ipsorum in subiectionem recipit, sed & Hungaros sibi subditos facit. Homines Ragenoldi Comitis quandam munitionem Rodomensis Ecclesiæ super fluuium Vidulam sitam, quam vocant Brainam, furtiuo capiunt ingressu. Vnde iratus Hugo Princeps, ad Regem mittit, & Rex illò profectus eosdem inuasores expellit. Inde ipsum castrum prioribus reddit custodiis. Deinde colloquium petit Hugonis. quoddum haberetur, custodes castri Codiciaci, qui desciuerant à domno Artoldo Præsule, Tetbaldum Comitem in ipso recipiunt oppido. Quare iratus Rex, rogat Hugonem, vt reddat ipsam sibi munitionem. Sed quoniam non potuit obtinere, Tetbaldo Comite modis omnibus obsistente; infensus Laudunum, Hugone inconsulto, recessit, Tetbaldus à Codicioco plures eorum, quos intus inuenerat, expulit. Dominus Artoldus præfatum Rodulfum Nouiomensium electum Remis ordinat Episcopum. Berengarius quidam Princeps Italiæ, veneno, vt ferunt, necato Lothario Rege Hugonis filio, Rex efficitur Italiæ.

* D. Praehem.

951. ANNO DCCCCLI. Ludouuicus Rex Aquitaniam cum exercitu petit. Sed antequam eandem ingrederetur Prouinciam, Karlus Constantinus Viennæ

A Ptinceps, & Stephanus Aruetnotum Ptæsul ; ad eum venientes, sui efficiuntur. LVDOVVICVS VLTRA MARINVS. Idem verò Episcopus opimis eum honotat muneribus. VVillelmus quoque Pictauensis obuius ei fuit. Dúmque moratur Aquitaniam Rex intrate, graui corripitur infirmitate. Quem suscipiens Letoldus * quidam Burgundiæ Comes, * D. Letaldus. qui tunc etiam suus nouiter effectus erat, vtiliter eum in ipsa ægritudine obseruauit. Reparatis igitur sibi viribus, Rex in Franciam regreditur. Interea Fredericus Adelbetonis Episcopi fratet, qui filiam Hugonis Ptincipis sibi desponderat, in hoc Regnum veniens, munitionem in loco qui dicitur Banis *, inconsulto Rege vel Regina construete cœpit, & loca circumposita crebris deprædationibus * M. Fanis. diripit. Pro qua re valde molestus Rex Ludouuicus, Legationem suam dirigit ad Othonem. Hugo Ptinceps ad eumdem Regem Othonem, inuitatus ab eo, vadens, duos illi præmisit leones: & ipse mox secutus, honorificè ab eodem in diebus Paschæ susceptus est. Decenterque habitus ab eo, pet ipsos Paschalis solemnitatis dies exultanter Aquis cum eo mansit. Multisque donis opimè ab eo muneratus reuertitur, deducente se Duce Conrado vsque ad fluuium Maternam. Qui Dux Conradus quibusdam infensus Lothariensibus turres quorundam deiicit, & quosdam Virdunensium honoribus priuat. Raginarij verò Comitis quoddam castellum capit, cetera ipsius obsideri facit. Legati Regis Ludouuici ob Othone regressi nunciant, nolle, immò prohibere Othonem Regem, ne Fredericus vel aliquis suorum
B vllam munitionem in hoc Regno habeat, nisi consensum Regis Ludouuici super hoc sibi obtinere queat. Hungati ab Italia transcensis Alpibus egressi, Aquitaniam ingressi sunt; ibique tota penè demorati æstate, multis hanc regionem rapinis & interminationibus * attriuerunt. sicque per Italiam reuersi sunt in terram suam. D. internetionibus. Ludouuicus munitionem quandam nomine Brenam, quam quidam prædones, Gotbertus scilicet, ac frater eius Angilbetrus, munierant, obsidet: penutiáque famis oppressam, tandem capit ac diruit. Inde reuersus, ad colloquium Atnulfi & Hugonis proficiscitur. At Hugo, quoniam infensus erat Arnulfo propter castrum Monasteriolum, & terram quondam Herluini, quam idem Arnulfus occupauerat, ad ipsum colloquium venire noluit: sed ipsam terram ingressus cum Rotgario Herluini filio, quoddam castrum obsedit. Rex autem petente Atnulfo ad eum misit, ipsámque obsidionem resolui fecit: induciásque vel treugas inter ipsos vsque ad Kalendas Decembris accepit. Gerberga * Regina mater Ludouuici Re- D Ottogeba, al. Otgiua. gis egressa Lauduno, conducentibus se quibusdam tam Heriberti quàm Adalberti fratris ipsius hominibus, ad Heribertum proficiscitur. Qui suscipiens eam, ducit in coniugem. Vnde Rex Ludouuicus iratus, Abbatiam sanctæ Mariæ, quam ipsa Lauduni tenebat, recepit, & Gerbergæ vxori suæ dedit. Fiscum quoque Atoniacam suo dominio subdidit. Otho Rex Italiam adiit, ad cuius aduentum Berengario Langobardorum Rege ab vrbe Papia fugiente, ipse Otho eandem ingreditur vrbem. Vxorem quoque Lotharij Regis defuncti, filij Hugonis, sororem Conradi Regis Iurensis, sibi coniugem ducit. Sarraceni meatum Al-
C pium obsidentes à viatoribus Romam petentibus tributum accipiunt, & sic eos transire permittunt.

ANNO DCCCCLII. Otho Rex Legationem pro susceptione sui Romam dirigit. 952. Qua non obtenta, cum vxore in sua regreditur. dimissis ad custodiam Papiæ quibusdam ex suis. Ludouuicus cum Gerberga Regina Laudunum repetit. Berengarius Rex ad Conradum Ducem, qui Papiæ remanserat, venit. A quo in fide ipsius susceptus, ad Othonem perducitur. Quem ille benignè suscipiens, concessis eidem rebus, prout sibi visum fuit quibusdam, in Italiam pacificè redire permisit. Ipse quoque Otho post celebrationem Paschæ Papiam regreditur. Hugo Comes cum suis super Maternam fluuium venit. Cui occurrit Dux Conradus cum quibusdam Lothariensibus, obsidéntque pariter munitionem apud Maroillum, quam Ragenoldus Comes cum hominibus domni Artoldi Præsulis intra ipsum fluuium nuper construxerat. Instructisque multis vndique machinis, fortiter opprimunt: tandémque, non sine suorum damno, capiunt atque succendunt; iis qui intus erant, ad fidem Conradi egressis. Nepotes Hugonis Heribertus & Rotbertus, interim in loco qui dicitur Monsfelicis sibi munitionem instruunt. Sicque tam Hugo quàm Conradus reuertuntur in sua. Nec mora, Rex Ludouuicus & Artaldus Archiepiscopus, profecti cum Comite Ragenoldo super Maternam

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. fluuium, munitionem, quam præfati Principes succenderant, restruunt, custodésque ibi plures instituunt. Inde Rex cum Ragenaldo proficiscitur in partes Victuriaci castri, quod tenebat VValterius quidam, qui nuper à Rege defecerat, & cum ipso castro se Heriberto subdiderat. Cuius villas deprædationibus incendiisque deuastant. Necnon Pontigonem fiscum, quem Heribertus inuaserat, aliámque munitionem Rex contra Victuriacum instruit, & quosdam sibi fideles ex partibus VValterij ad custodiam ibi dimittit; ipsámque munitionem Odalrico Abbati cuidam ex Burgundia committit, & sic Laudunum reperit. Nec mora, Remos cum Regina reuertitur. Artoldus Archiepiscopus in Monasterio sancti Basoli Monachos mittit, expulsis Clericis qui seruiebant ibi: committens illud Hincmaro & Rotmaro Abbatibus. A

953. ANNO DCCCCLIII. incipiente, Hugo Princeps Legatos mittit ad Regem Ludouuicum, pro pace & concordia inter ipsos firmanda: petens vt Regina Gerberga suum petat colloquium. Quod & fecit, muneribúsque ab eo honorata Remos rediit. Obtinuítque Hugo à Rege, vt munitio, quæ contra Victuriacum castrum constructa fuerat, solueretur. Placitum ergo concordiæ ac pacis Rex & Hugo mediante Quadragesima iniere Suessionis. Exoritur interea inter Othonem Regem, & Liudulfum filium eius, Conradum quoque Ducem, & quosdam Regni ipsius Primates, discordia. Nato siquidem Regi filio ex moderna coniuge ferebatur eidem puero Rex Regnum suum promittere: quod olim priusquam Italiam peteret, Liudulfo delegauerat, & Magnates suos eidem promittere fidelitatem iureiurando fecerat. Rex igitur Conradum à Ducatu Lothariensium remouet, & Conradus quærebat vt Regem caperet. Quo comperto, Rex cautè se agere cepit, de interitu verò Conradi quærere, Conradus autem oppida sua munire. At Ragenarius ei iam dudum inimicus, quoddam ipsius ob fidei munitissimum castrum. Collecta igitur Conradus, quanta potuit, militum manu, ad resoluendam properat obsidionem. Quibus mutuò congressis, & pluribus vtrimque interemptis, Conradus in fugam versus est, & in vrbem Maguntiam ingreditur. Interea Gerberga Regina Lauduni geminos est enixa, quorum vnus Karolus, alter vocatus est Heinricus. Sed Heinricus mox post baptismum defunctus est. Synodus quinque Episcoporum apud Sanctum Theodericum in territorio Remensi celebratur, Artoldo Archiepiscopo præsidente. Ad quam vocatus Ragenaldus Comes ob res Ecclesiasticas ab eo peruersas, venire noluit: sed deprecatus est Regem, ne excommunicaretur, vt ad Synodum mitteret. Cuius excommunicatio, Rege petente, tunc intermissa est. Otho Rex vrbem Maguntiam, vbi Conradus se receperat, obsidet, tandémque post duos ferè menses cum egresso ad se Conrado locutus, & obsidibus ab eo acceptis, trans Renum regreditur. Nec mora Conradus dimisso Maguntiæ militum suorum præsidio, Mettensem appetit vrbem, quam mox furtiua peruadit ineptione. Otho Rex vocatus à fratre Heinrico, Baioariam petit: quam filius eius Liudulfus, captis quibusdam vrbibus, deuastabat. Conradus, Metensem quoque vrbem, post non modicam ipsius deprædationem, hortatu, ceu fertur, Agenoldi Abbatis reliquit. VVicfredus Coloniensis Antistes defungitur, & Bruno frater Regis Othonis inibi Pontifex ordinatur. cui etiam Rex Otho Regnum Lothariense committit. B C

954. ANNO DCCCCLIV. præmemoratus Conradus, pacto cum Hungaris inito, eos per Regnum Lothariense deducit, vsque in terram Ragenarij scilicet æmuli sui, atque Brunonis Episcopi. Nimiáque peracta deprædatione, cum præda magna, captiuorúmque multitudine, Regnum ingrediuntur Ludouuici. Sicque per pagos Veromandensem, Laudunensem, atque Remensem, Catalaunensem quoque, transeuntes, Burgundiam intrant. Quorum non parua manus tam prælijs quàm morbis interiit. ceteri per Italiam reuertuntur in sua. Ludouuicus filius Regis Lauduni defungitur. Ludouuicus Rex egressus Lauduno, Remensem, velut ibi moraturus, repetiit vrbem. Antequam verò ad Axonam fluuium perueniret, apparuit ei quasi lupus præcedens. Quem admisso insecutus equo, prolabitur, grauitérque attritus Remos defertur; & protracto langore decubans, elephantiasis peste perfunditur. Quo morbo confectus diem clausit extremum, sepultúsque est apud sanctum Remigium. Gerberga Regina mittit ad Hugonem, eius consilium & auxilium petens. Quam ille ad colloquium asciscit, & venientem honorificè suscipit atque consolatur, ac de

A prouectione filij eius in Regnum pollicetur. Liudulfus expulso Heinrico patruo suo, totius Baioariæ nanciscitur Principatum. Lotharienses iam Conradi Ducis infestationibus, quàm mutuis inter se deprædationibus, laceantur. Fulcarius Decanus Monasterij sancti Medardi Nouiomensium Remis ordinatus Episcopus. Fredericus frater Adelberonis Episcopi Hugonis Principis filiam ducit vxorem. Rauciacum munitionem Ragenoldi Heribertus Comes per quosdam satellites suos furtiua inuadit irruptione. LOTHARIVS puer filius Ludouuici apud sanctum Remigium Rex consecratur ab Artaldo Archiepiscopo, fauente Hugone Principe, ac Brunone Archiepiscopo, ceterisque Præsulibus ac Proceribus Franciæ, Burgundiæ, atque Aquitaniæ. Burgundia quoque & Aquitania Hugoni dantur ab ipso. Castrum Rauciacum Ragenoldo redditur, datis quibusdam villis Heriberto ex parte Ragenoldi, & Regina Gerberga cum filio Rege Laudunum reuertitur. Nec longum pòst, milites Ragenoldi quandam munitionem Heriberti, quæ dicitur Monsfelicis, trans Maternam fluuium clandestina irreptione capiunt. Heribertus igitur & Robertus frater eius eandem munitionem obsident, & Heribertus Legatos Remis ad Ragenoldum mittit pro reddendo sibi oppido. Abnuit Ragenoldus, nisi ab obsidione discedatur, & ad examinis rationem conueniant pro subreptis mutuò sibi castris. Quo facto, villas recipit ab Heriberto, quas pro prædicto castro dederat, B & oppidum Montisfelicis Heriberto reddit. Albrico Patricio Romanorum defuncto, filius eius Octauianus, cùm esset Clericus, Principatum adeptus est: quique postea, defuncto Agapito, suggerentibúsque sibi Romanis, Papa vrbis efficitur.

ANNO DCCCCLV. Rex Otho Hungaris de locis suis prædatum progredientibus obuiam profectus, pugnauit cum eis, & vicit, nec eos ingredi Regna sua permisit. Hugo Princeps Gerbergam Reginam cum filio suo Rege Lothario Parisius honorificè ad Pascha suscipiens, decenter secum per plures detinuit dies. Inde cum ipso Rege in Aquitaniam profectus, vrbem Pictauim petiit. VVillelmum verò ibi non inueniunt, ipsam tamen vrbem obsident, diùque in eadem obsidione residentes nihil proficiunt. Castrum tamen sanctæ Radegundis vrbi contiguū Ragenoldus Comes clandestina inreptione cepit, & succensum est. Tandem post duos menses exercitu victus indigentiâ fatigato, ab obsidione discedirur. VVillelmus, collecto exercitu suo, exercitū Regis insequitur. Quo audito, Rex & Hugo contra redeunt. Quorū multitudine comminus visa, VVillelmus in fugam vertitur. Quem regiæ acies insecutæ, multos Aquitanorum interimunt, nonnullos nobilium viuos capiunt. VVillelmus cum paucis vix euadit. Hungari cum immēsis copiis & ingenti multitudine Baioariam ingrediuntur, volentes venire in Franciam. Contra quos Otho Rex cum Burislao Sarmatarū Principe, & Conrado iā sibi pacificato, pugnauit: & eosdem Hungaros interimens, cunctos penè deleuit. Conradus autem, qui valde fortiter ea die pugnauerat, & Regem præcipuè de victoria cōfortauerat, ibidem peremptus est. Post hoc bellum, pugnauit Rex Otho cum duobus Sarmatarū C Regibus: & suffragante sibi Burislao Rege, quem dudum sibi subdiderat, victoria potitus est. Fulchario Episcopo defuncto, tandem post quinque menses Hadulfus quidam Laudunensis Clericus à Nouiomensibus electus, ab Arraldo, Roricone, & Gibuino, Remis ordinatur Episcopus. 955.

ANNO DCCCCLVI. Rex Otho Placitum habuit apud Engelenheim cum Lotharienfibus, à quibus & obsides accepit de cunctis penè ipsorum oppidis. Item aliud Placitum ab eo post Pascha Coloniæ habitum est, vbi non paucos à Lotharienfibus thesauros accepit. Móxque pestilentia super Germaniam omnémque Galliam effusa, interiere nonnulli, plures graui sunt langore confecti. Rotbertus Treuerensis Episcopus, Ragnarius, & Baldricus, ac duo alij Episcopi, ex ea peste sine mora defuncti sunt. Lotharius Rex munitionem quandam super Carum fluuium, quam Ragenarius Comes Vrsioni cuidam Remensis Ecclesiæ militi abstulerat, pugnando recepit. Et infantes Ragenarij, ac milites quosdam ibidem inuentos, secum abduxit. ipsúmque castrum direptum incendit. Hugo Princeps obiit. Gerberga Regina colloquium habuit cum Brunone fratre suo, vbi prædicto Ragenario sui milites & infantes redduntur. Reginæ verò possessiones, quas illi quondam Gislebertus Dux dotis nomine dederat, restituuntur. Episcopatus Treuerensis cuidam Heinrico Regis Othonis propinquo datur. Fulbertus 956.

——— Camaracensis Episcopus defungitur, & ipsum Episcopium cuidam Berengario A
LOTHARIUS Transrenensi Clerico tribuitur, nepoti Bouonis Catalaunensis quondam Episcopi. Quique Remis ordinatur ab Artoldo Episcopo.

957. ANNO DCCCCLVII. quadam nocte in mense Ianuario illustrata est Ecclesia Remensis sanctæ Dei genitricis repentè paulò post mediam noctem magno splendore, præsente domno Artaldo Archiepiscopo, admirante quoque pariter VVithardo Custode. Lotharius Rex in superiorem profectus est Burgundiam. Bellorum tumultus agitantur inter Brunonem ex Præsule Ducem, & Ragenarium Comitem, ceterósque Lotharienses. Item in Francia inter Balduinum filium Arnulfi, & Rotgarium quondam Herluini, ob castrum Ambianense. Rotbertus filius Heriberti se Lothario Regi committit. Lotharius Rex cum matre sua, & amita * sua relicta Hugonis, obuiam pergit in pagum Camaracensem auunculo suo Brunoni. Videns verò Ragenarius non posse se venienti resistere multitudini, ad Brunonem venit. At quia quæsitos date noluit obsides, eum Bruno comprehendens sub custodia secum deduxit. nec multò post trans Renum in exilium misit. Liudulfus Othonis filius, qui penè totam obtinuerat Italiam, obiit, sepelitúrque Maguntiæ apud sanctum Albanum.

958. ANNO DCCCCLVIII. castrum Codiclacum quidam fideles Artaldi Præsulis clandestina capiunt inruptione. Harduinus subiectus Tetbaldi, cui Terbaldus idem B commiserat castrum, videns oppidum captum, cum suis confugit in arcem. Erat autem turris illa firmissima. Ad quam expugnandam veniens Rex Lotharius cum domno Artaldo, & nonnullis aliis Episcopis atque Comitibus per duas ferè hanc obsidet ebdomadas. Tandem nepotibus Harduini acceptis obsidibus, ab obsidione disceditur. Tum Tetbaldus adueniens oppido non recipitur, reuersúsque per pagum Laudunensem & Suessionicum, rapinis desæuiens, in sua regreditur. Homines Tetbaldi munitionem quamdam, quæ vocatur Fara, tradentibus eam sibi quibusdam proditoribus, capiunt. Ad quam obsidendam Rorico Præsul Laudunensis, cum militibus Ecclesiæ Remensis, & aliis, quoscumque asciscì potuit, amicis aduenit. Rege tandem Lothario aduentante, mediantibus Heriberto ac Rotberto fratribus, castrum iussione Tetbaldi redditur. Otho Rex aduersus Sarmatas abiit. Bruno Coloniensis Archiepiscopus eum exercitu Lothariensium per Franciam proficiscitur in Burgundiam, locuturus cum sororibus ac nepotibus suis.

959. ANNO DCCCCLIX. Bruno etiam * in Franciam venit, & apud Compendium cum
D. iterum. Regina sorore, ac nepotibus suis discordantibus pro quibusdam castris, quæ Rex Lotharius ex Burgundia receperat, colloquium habuit. Obsidibúsque datis, pacem inter ipsos vsque in futurum tempus Placiti pepigit. Lotharius Rex cum matre Regina Coloniam proficiscitur in diebus Paschæ, moraturus hac festiuitate cum auunculo suo Brunone. Dátaque illi securitate de Regno Lothariense, & quibusdam acceptis ab auunculo donis, Laudunum reuertitur. Lotharienses à Brunone Duce desciscunt, suadente quodam Immone, qui eius pridem Consiliarius extiterat, & ab eo nuper recesserat, propter oppida quædam ipsorum nouitia, quæ C idem Dux euerti præcipiebat, aliáque onera ipsis insueta, quæ illis imponere velle ferebatur. Quibus postmodum reuocatis, Fredericum quendam Comitem eis vice sua præfecit. Arnulfus Comes Remis venit, & Ecclesiam sanctæ Mariæ non modico argenti pondere munerauit. Vnde arcæ, quibus sancti Calixti, sanctique Nicasij, ac sanctæ Eutropiæ, membra, ceterorúmque Sanctorum quorumdam pignera continentur, ornatæ vel coopertæ sunt. Sed & quendam Euangeliorum huius Ecclesiæ Librum auro argentóque decorauit. Monasterio quoque sancti Remigij dona contulit. Castrum Diuionum Rotbertus Comes inuadit, Regis expulsis fidelibus. Quapropter accitus Bruno Regis ac Reginæ petitione in Burgundiam venit cum Lothariensibus, aliisque sibi subditis populis; idémque castrum, sed & Trecas ciuitatem, quam præfatus potiebatur Rotbertus, obsidione vallat.

960. ANNO DCCCCLX. apud Altmontem castrum proditores quidam deprehensi sunt à Manasse nepote domini Artaldi Præsulis, ac damnati suspendio. Inter quos etiam Presbyter quidam. Munitio, quam vocant Maceriàs, sita supra Mosam infra terram Remensis Ecclesiæ, Artaldo Archiepiscopo redditur, coram Frederico Lothariensium Duce, à Lantberto qui eam tenere prohibebatur. Richardus
* D. Transsequani. filius VVillelmi Nordmannorum Princeps filiam Hugonis trans Sequanam *

A quondam Principis duxit vxorem. Diuionem quandam munitionem, quam Regis Lotharij fideles tenebant, Robertus frater Heriberti fidelem Regis se fallens, dolo ingressus inuadit, regiis expulsis custodibus. Ad quam recipiendam Rex cum matre Regina profectus, ipsum obsidet castrum. Bruno Præsul cum Lotharienſibus, & aliis sibi subditis, illuc adueniens, obsides à Rotberto accepit quos Regi tradidit. Quorum vnus, Odalrici Comitis filius, proditor comprobatus & iudicatus, atque decollatus est: alter viuus retentus. Otho & Hugo filij Hugonis mediante auunculo ipsorum Brunone ad Regem veniunt: ac sui efficiuntur. Quorum Hugonem Rex Ducem constituit, addito illi pago Pictauensi ad terram quam pater ipsius tenuerat, concessa Othoni Burgundia. Audiens autem Bruno quosdam aduersum se Lotharienſium insurgere, illò cum festinatione regreditur, Rege ad obsidionem cum suis consobrinis dimisso. Quidam Brunonis hostium Rotbertus nomine, Manuuium * castrum muniebat, alter. Immo munitionem quam dicunt Capræmontem. Ad cuius obsidionem appropeians Bruno, loca circumquaque rebus exhausta repetit, sicque abundantem alimentis obsidet hostem. Datis ergo treugis, Coloniam ingreditur. Rex quoque Lotharius, Diuionis munitione recepta, intromissisque custodibus suis, Laudunum reuersus est. * D. Namucum.

ANNO DCCCCLXI. VVido Præsul Autisiodorensis obiit. Otho filius Hugonis quondam Principis ad Regem Lotharium in ipsis festi Paschalis diebus Laudu- 961.
B num venit. sed & nonnulli tam Franciæ quàm Burgundiæ Proceres. Placitum regale, diuersorúmque Conuentus Principum, Suessionis habetur. Ad quod impediendum, si fieri posset, Richardus filius VVillelmi Nordmanni accedens, à fidelibus Regis quibusdam peruasus, & interemptis suorum nonnullis, in fugam versus est. Hugo filius Rotgarij quondam Comitis defungitur, & apud Sanctum Remigium sepelitur. Artaldus Remensis Archiepiscopus decessit pridie Kal. Octobris. Lotharius Rex cum matre Gerberga Regina, & quibusdam Franciæ Proceribus, Burgundiam petiit. quò quidam ex Aquitania Præsules ac Primates ad eum venerunt.

ANNO DCCCCLXII. Gerberga Regina fratris Brunonis colloquium petiit. eique hic frater eius ne Hugoni Remense redderetur Episcopium, prout frater ipsius * petebat, suggessit. Otho Rex Romam pacificè adiit, & amabiliter exceptus, atque honore illic Imperiali sublimatus est. Quod Berengarius Italiæ Rex indignè ferens, regiones, quas regere debebat, incendere, atque vastare cœpit. Lotharius locutus cum Hugone consobrino suo, petitus est ab eo, vt præfato Hugoni Remensem restituat Episcopatum. Indéque inducias paciscuntur vsque ad medium mensis Aprilis. Synodus tredecim Episcoporum in pago Meldensi super Maternam fluuium, ex Remensi videlicet ac Senonensi diocesi, celebratur: præsidente Senonensi Præsule, satagentibus quibusdam Episcopis, vt Hugoni sæpedicto redderetur Remense Episcopium. Renitentibus autem præcipuè Roticone Laudunensi, & Gibuino Catalaunensi, Præsulibus: & asserenti-
C bus, quod à tot Episcopis excommunicatus à minore numero absolui non poterat. Ita relinquitur vsque ad interrogationem Papæ Romani. Rex Lotharius cum Arnulfo Principe locutus, pacem fecit inter ipsum & nepotem ipsius omonymum eius, quem infensum hic Comes habebat ob necem fratris eiusdem, quem de infidelitate deprehensum idem Comes interimi fecerat. Tunc ipse Princeps omnem terram suam in manu Regis dedit, ita tamen vt ipse in vita sua inde honoratus existeret. Tetbaldus quidam cum Nordmannis confligens victus est ab eis, & fuga dilapsus euasit. Qui seniorem suum Hugonem proinde offensum * habens, ad Regem venit. A quo, sed & à Gerberga Regina, benignè susceptus, & miti consolatione refocillatus, abscessit. VVlfoldus * Abbas Monasterij sancti Benedicti Præsul efficitur Carnotensis. Legatio veniens ab Iohanne Papa, intimat præfatum Hugonem quondam Episcopum, tam ab ipso Papa, quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum: sed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cuius Legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiscopum, elegimus ad Episcopum Remensem Odalricum illustrem Clericum Hugonis cuiusdam Comitis filium, fauente Lothario Rege cum Regina matre, præfatóque Brunone. Quique Remis ordinatur ab Episcopis VVidone Suessionico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Nouiomensi, VVicfredo Virdunensi. Die Natiui- 962. * D. frater ipsius petebant. * D. infensum. * D. VVlfaldus.

Lotharius *T. tandem spiritu surgens purgatus est immundo. tatis Dominæ nostræ Dei genitricis dæmoniacus quidam seruus Gerbergæ Reginæ nudus accurrens per mediam Ecclesiam vsque ad altare, ibidem prostratus iacuit vt mortuus; tandem à nequam * spiritu surgens purgatus est. Ipsa die quidam cæcus nomine Heribertus ibidem est inluminatus. A

963. ANNO DCCCCLXIII. Odalricus Remensis Archiepiscopus Proceres Franciæ, qui possessiones quasdam Remensis occupauerant Ecclesiæ, vocari fecit. Ego verò fractus ætate, & attritus infirmitate, ministerio me abdicaui Prælaturæ, coram eodem Præsule. Quique me hoc absoluens iugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Frodoardo* septuagesimo ætatis meæ anno. Catalaunensem vrbem, præsule Gibuino egresso, Heribertus & Robertus fratres obsident: explicitisque tandem nundinis, igne succendunt. Milites turre loci quadam conscensa liberantur.

* D. Flodoardo.

964. ANNO DCCCCLXIV. hiems magna & aspera valde fuit vsque Kalendas Februarij mensis. Domnus Præsul Odelricus Tetbaldum quendam Procerem excommunicat propter castrum Codiciacum, & quædam prædia sancti Remigij, quæ improbè obtinuerat, & pertinaciter retinebat. Heribertus Comes villam Sparnacum ei reddidit, & amicitiam præfati Præsulis impetrauit. Ceteras quoque villas Remensis Ecclesiæ, quas occupauerat, eidem Pontifici repetenti non ambigit reddere. B

965. ANNO DCCCCLXV. Otho filius Hugonis, qui Burgundiæ præerat, obiit. Et rectores eiusdem terræ ad Hugonem & Odonem Clericum fratres ipsius sese conuertunt. Arnulfo quoque Principe decedente, terram illius Rex Lotharius ingreditur, & Proceres ipsius Prouinciæ, mediante Roricone Præsule Laudunensi, eidem subiiciuntur Regi. Quo Laudunum repetente, mater ipsius Gerberga Regina cum filio Karolo puero ibidem remansit. Odelricus Archiepiscopus Sparnacum ab Heriberto recepit, & Codiciacum à Tetbaldo. quemque à vinculo excommunicationis absoluit, & filio ipsius, qui eidem se commiserat, ipsum concessit castrum. Otho Imperator ab vrbe Roma regrediens Coloniam venit, ibique Gerbergam Reginam sororem suam, cum filiis Lothario Rege Karolóque puero ad se venientem, excepit; & cum eis, aliisque magnis Proceribus Placitum magnum habuit. Qui Romæ, Octauiano Papa, à quo fuerat susceptus, & ad Imperij regenda gubernacula benedictus, ab vrbe digresso, & sæpè illum reuocante Imperatore, à quo, quia de inreligiositate sua corripiebatur, reuerti nolente, congregata Synodo, Iohannem illustrem quendam eiusdem Ecclesiæ Clericum per electionem Romanorum, Papam ordinari fecit. Sed eo Papiam ingrediente, Octauianus à Romanis recipitur. nec multo pòst vita decessit. Iohanne verò cum Imperatore demorante Papiæ, Romani quendam Benedictum ipsius Ecclesiæ Scriniarium eligunt, atque Pontificem sibi ordinari faciunt: qui in Iohannis electione consenserat, & eidem subditus extiterat. Imperator Otho Romam reuersus, conuocata magna Synodo, Iohanne in sede sua restituto, Benedictum Episcopum* totius Synodi iudicio depositum secum abduxit, & in Saxoniam direxit. C

D. Episcoporum.

966. ANNO DCCCCLXVI. Lotharius Rex vxorem accepit Emmam filiam Regis quondam Italici. Odelricus Archiepiscopus Ragenoldum Comitem excommunicat pro villis, Ecclesiæ Remensis, quas pertinaciter detinebat. Et ipse Comes loca quædam eiusdem Episcopij cum suis peruadens, rapinis incendiisque deuastat.

HVCVSQVE CHRONICA FRODOARDI PRESBYTERI.

In Dinionensi Exemplari hoc loco additum est.

Eodem tempore directæ sunt Literæ à quodam Comite Duci Aquitanorum, hæc continentes. Duci Aquitanorum G. Rainaldus Comes Portiuensis, quicquid quilibet bonus æstimar primum, De collocutione nostra, & de profectione, de qua me monuisti, contradico omninò. Nam ætas & alia impedimenta officiunt itineri nostro. Sed de genealogia, seu de parentela, quam me præsente narrare volebas, quod inde noui, Litteris tibi mea cura mandat. Mathildis & Alberada filiæ fuerunt Gerbergæ. De Mathilde processit Rodulfus Rex, & Mathildis soror eius. De Alberada Ermentrudis. De Mathilde filia Mathildis, Berta. De Ermentrude Agnes. De Berta Geraldus Geneuensis. De Agnete VVido.

Et hic deficit illud Exemplar. Quæ sequuntur, sunt ex alio vetustiore.

IPSO anno vir vitæ venerabilis, & Remensis Ecclesiæ Presbyter, nomine Frodoardus, honore sanctitatis venerandus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ cælicus, ceterarúmque virtutum insignibus abundanter oppletus, præcedentis Libelli, aliorúmque Librorum dictator egregius, quinto Kalendas Aprilis terrenæ peregrinationis relinquens exilia, ciuica, vt credimus, adeptus est iura. Mira & inaudita inundatio pluuiæ, & fragor tonitrui, ac coruscatio fulgoris, decima Kalendas Augusti accidit. LOTHARIVS

DCCCCLXVII.

DCCCCLXVIII.

DCCCCLXIX.

DCCCCLXX.

DCCCCLXXI.

DCCCCLXXII.

DCCCCLXXIII.

DCCCCLXXIV.

DCCCCLXXV.

ANNO DCCCCLXXVI. destruxit Adelbero nomine non merito Archiepiscopus arcuatum opus, quod erat secus valuas Ecclesiæ sanctæ Mariæ Remensis: supra quod altare sancti Saluatoris habebatur, & fontes miro opere erant positi. Et B in ipso tempore Quadragesimæ, maioris ebdomadæ feria quarta, tertia decima Kalendas Maij, Indictione quarta, circa mediam diem, bellum agitur inter Karolum Regis fratrem, & Godefridum atque Arnulfum Lotharienses Comites. In quo bello ceciderunt ex parte Karoli de Proceribus, Emmo de Longia, qui erat miles Hugonis Ducis, & Hetdo fidelis Karoli, & alij. Ex parte verò Godefridi multò plures; & ipse Godefridus lanceâ perfossus ad terram cecidit. Tandem à suis post Solis occasum vtcumque sublatus deportatúsque est. Qui postea per spatia temporum vixit, sed numquam pristinæ sanitati plenissimè restitutus fuit. Arnulfus quippe, vt ferunt nonnulli, fugam tandiu remeans tenuit, quousque in propria veniens, quiescere quiuit. Ipso in anno tertia decima Kalendas Ianuarij Præsul Rorico sanctæ Laudunensis Ecclesiæ, qui erat langore paralysis correptus, post multas ac debitas Deo pro ipsa infirmitate redditas gratias, vita decessit, videlicet vigilia sancti Thomæ Apostoli post Laudes Dei matutinales. Ipso anno circa mensem Augustum, septem denariis emebatur vini modius. 976.

ANNO DCCCCLXXVII. Adelbero iuuenis, qui erat ex Lotharij natus Regno, Riconi Episcopo successit tali modo. Septima decima Kalendas Februarij, in Natale sancti Marcelli Papæ donum Episcopij Laudunensis Ecclesiæ in ipsa accepit Ecclesia Lotharij Regis largitione. Deinde nona Kalendas Aprilis, vigilia videlicet Annuntiationis Dominicæ, Presbyter ordinatus in præscripta sanctæ Mariæ Ecclesia ab Archiepiscopo Adelberone, Remis denique postea Kal. Aprilis E- C piscopus est ordinatus in sancto Palmarum die. Exin Laudunum rediens, sacrum Chrisma sacrauit Ecclesiastico more. Die verò Paschæ primum* in propria resedit sede. Hadulfus Nouiomensis Episcopus, qui erat tempore prolixo paralysi pessimè percussus, Natiuitate sancti Iohannis Baptistæ, quæ tum temporis Dominica accidit die, spiritum exalauit. Ipso anno tempore vindemiæ magna fuit copia vini, in tantum vt non amplius pro vno vini modio venditores, nisi aut quinque, aut quatuor, seu tres denarios ab emptoribus accipiebant. 977. * T. primæ.

ANNO DCCCCLXXVIII. vir domini Malcallanus natione Hibernicus in vigilia sancti Vincentij Leuitæ & Martyris vitam transitoriam, quam habebat exosam, deseruit, & cum Deo viuo, cui indesinenter dum adiuueret seruiuit, viuere feliciter inchoauit. Qui præfatus Abbas in corpore humatus quiescit in Ecclesia beati Michaëlis Archangeli. Cuius Abbatiam, dum corporaliter in hoc seculo viuens mansit, pio moderamine rexit. 978.

EXPLICIT.

Diuionensis Codex, quo in Frodoardi editione non parum adiutus est P. Pithæus, statim initio superioris Chronici, alieno sanè loco, habuit Somnia siue Visiones Flotildæ, cuius sub anno DCCCCXL. *mentio est. Quæ etsi ad rerum historiam parum pertinere videri possint, & verò in vetustiore Exemplari non extent, omissa tamen noluit, sed hîc adiici curauit.*

LVDOVICVS VLTRAMARINVS. ANNO Dominæ Incarnationis DCCCCXL. Ostensæ sunt Visiones, quæ hic A sunt descriptæ, cuidam virgini puellæ nomine Flothildæ, in Lauenna Remensis territorij villa: quas vidit prænominato anno, in mense Martio, in Quadragesimali Ieiunio.

Primùm quidem raptam se vidit esse in spiritu, & assistere in quodam miræ pulcritudinis loco, vbi Redemptorem nostrum se vidisse narrabat sedentem, & quasi innixum, vel accubantem supra beati Petri Apostoli pectus. Cui assidebat etiam beatissima Dei genitrix virgo Maria, quæ beatum Petrum rogauit, vt hanc puellam sibi donaret. Est enim subiecta Monasterio sancti Petri nomine Auennaco. Viditque abeuntes inde Dominum nostrum & sanctum Petrum: beatam verò Mariam quasi tristem inibi remansisse. Tum vidit se hæc puella altiùs subleuari, & luminaria circa se, quasi candelas adhibitas. Deinde vidit columbam candidissimam volantem, de cuius ala dextera decidere sibi videbatur penna. Postea stellas sibi appropinquantes, séque vltra Lunam ferri conspexit, mirámque gloriæ pulcritudinem intueri. Item post dierum quindecim spatium ad eundem se locum raptam vidit, vbi erat multitudo senum tristantium: inter quos videbatur quidam pulcherrimus senex canicie niuea decorus, alba indutus, qui contra prædictos ceteros senes videbatur irasci, quique hanc puellam visus est ducere in quandam planiciem, vbi erat arbor valde pulcra, húncque locum sancti Mauricij dixit esse, & hanc puellam ibidem præcepit orare, ibique iussit eam sanctum B Laurentium & sanctum Hilarium deprecari. Hæc vbi cœpit illa referre, postea audiuit dæmones in nocte quasi extra domum patris sui, vbi illa degebat, sonitum magnum confuso furore facientes. Tunc apparuit ei quidam Clericus reuestitus, sacras oblationes niuei candoris ferens in manu. Sequenti nocte vidit se in medio armatorum equitum positam, qui eam comprehendere nitebantur, sed contingere nequaquam valebant. Vnde & inter se valde fremebant. Deinde alia nocte vidit se ab his comprehendi, & in quendam puteum iactari, séque exinde raptim, vbi ad medium eius deuenit, erui, ac super eos deferri. Quam idem inimici iterum captare volebant, sed aduenientes duo præclari Clerici eam exinde auferebant, & in quendam pulcherrimum locum, inimicis insequentibus, deportabant: eámque non eripere de manibus persequentium poterant, cùm eam in quodam lectulo stratis cooperuissent. Hostes enim eam accipientes in quandam vallem profundissimam detulerunt, vbi eam deicere volebant, sed non poterant. Reportarunt autem eam ad quandam aquam maximam, vbi eandem nisi sunt proiecisse. quæ vidit aquam ipsam mox diuidi, & inimicis disparentibus, se licenter egredi. In ipso verò egressu, videbatur canis candidus eidem adgaudere, quem tamen illa timens pertransiit, & ad quendam locum in medium decentium Clericorum deuenit, qui eam gratanter excipiebant, & potum ei in vase pulcherrimo, quasi aquam clarissimam, offerebant. Item alia nocte vidit quatuor dæmones vbi erat, ingredientes, quos valde timuit: & cùm se signare vellet, vnus eorum quasi minitans prohibebat, dicens, quòd hoc anno adhuc eorum regnum foret. Vidit etiam Sanctum Remigium & Sanctum Lantbertum cum multitudine albatorum Clericorum C libros tenentium, & pedibus nudis assistentium. Inter quos vidit Artoldum Episcopum. Beatum verò Remigium audiuit dicentem cum mœrore, quòd Francica terra decorem & potestatem suam perdidisset, nisi generaliter populi Dominum deprecarentur, ieiunantes certis feriis, & Dei misericordiam implorantes. Artoldum verò Præsulem increpauit, quòd Deo seruire debuisset, qui in tam magnum periculum introisset. Ad quam increpationem ipse Præsul foras egressus est, & ab igne absumi visus est. Deinde beatum Remigium conquerentem cum ceteris audiuit, quid Franci de suo Rege facere vellent qui per ipsorum petitionem mare transierat, & cui fidelitatem iuramento promiserant: & quia mentiti Deo & ipsi Regi fuissent, & quia Rex super illum nisi Deus, regnaturus non esset dum ipse adviueret. Vidit quoque Artoldum Episcopum à quatuor Clericis ex præfato incendio eripi. Colloquebatur etiam inter se præfata multitudo Clericorum, quòd sacerdotes Dei non faciebant ministerium suum. Et sanctum Lantbertum, in cuius honore Ecclesia ipsius villæ dedicata est, audiuit à se requirentem, vbi essent reliquiæ ipsius loci. Vnum autem ex ipsis sanctis Clericis de iuramentis, quæ tam innumerabiliter fiunt, querentem audiuit, & sanctum Martinum de signis

quare

A quare non fiebant, scilicet, quia Deo non placebat, loquentem. Et quomodo starent maiora altaria, si minora deciderent. Præcepitque illi sanctus Lantbertus, vt ea quæ viderat enarraret. Postea cùm venissent ad ciuitatem homines illarum villarum, inter quos habitabat, Deum precaturi cum crucibus, vidit veniens cum eis vbi appropiauerunt ad murum ciuitatis, ipsum murum dæmonibus opertum: beatum verò Remigium & sanctum Martinum deforis eisdem crucibus obuiantes. Ad quos dæmones loquebantur, dicentes, quòd eorum hæc vrbs esset, eo quòd opera ipsorum inibi fierent. Audiuítque beatum Remigium ad ipsos dicentem, quòd ea die opera Dei ad hanc vrbem accederent: qui quasi lacrymans & tristis, cum sancto Martino vrbem ingressus est, & postea ipsos non vidit donec in Ecclesiam introiit, ibique iterum eos vidit quasi flexo genu orantes. Post hæc alia vice vidit sanctum Petrum & sanctum Martinum præcipientes sibi, vt veniret ad Hugonem filium Heriberti Comitis, cui tunc redditus erat Episcopatus Remensis, & diceret ei vt prohiberet iuramenta quæ tot fiebant, & maximè, Dei amorem iurare. Presbyteros etiam cum feminis habitare; & quia digni non essent Sanctorum reliquias contrectare, qui ipsas quoque litteras ignorarent quas legebant. Quæ veniens, retulit eidem Hugoni quod sibi fuerat imperatum. Deinde in ipsa nocte Epiphaniæ vidit se esse apud sanctum Remigium, viditque ibi multos collectos Clericos, & calicem sibi dari quasi ad offerendum sacerdoti. Quem cùm obtulisset vni eorum, aspexit duos ex ipsis Clericis egredientes, & eam vsque ad ciuitatem deducentes, atque in Ecclesiam sanctæ Mariæ perducentes: vbi conspexit inesse multitudinem dæmonum. Et dum ad chorum vsque peruenisset, vidit se à Clericis recipi, & mox omnes eos recessisse, præter illos qui eam deduxerant, quos vidit altare sanctæ Trinitatis discooperuisse atque lauisse, & aqua benedicta irrigasse. Indéque altare sanctæ Mariæ circumisse, vnique ipsorum claues cecidisse, quas eam recipere præcipiebat, eásque se vidit recepisse. Sed & libros eosdem Clericos contrectare videbat, de quibus dicebat vnus eorum, quare facti fuissent ipsi libri, cùm deberent esse in loco vbi semper viderentur quæ inibi habebantur scripta. Tunc vidit ipsos Clericos multitudinem dæmonum de eadem Ecclesia eiecisse, & extra ciuitatem contra Monasteria puellarum expulisse, ibique quasi equum candidum eosdem dæmones in fossatis muri conculcasse. In Purificatione quoque sanctæ Mariæ vidit noctu se esse in Ecclesia ipsius viuæ, & vidit ibi beatam Mariam & multitudinem Sanctorum, qui altare ipsius Ecclesiæ destruere videbantur, atque irrigare aqua benedicta locum ipsius altaris, & tria altaria pro eo restituebant. Tum quidam eorum pulcherrimus omnium se super altare, quod medium restiturum fuerat, prosternebat. Videbatur etiam loqui cum Præsule nostro Hugone, præcipiens ei vt ipsum locum exornaret: viditque ibi multitudinem librorum, & quasi super ipsos libros eundem Præsulem nostrum accubitantem. Postea quadam Dominica nocte vidit ad se in domum patris sui ingredientem sanctum Petrum & sanctum Martinum cum multis aliis: videbátque ibi duo haberi altaria, vnum ante altare positum, & se offerētem oblationem suam. Alia vice vidit quasi cruces illuc deferri, & aquam clarissimam perinde currere, & duas aues candidissimas in eadem aqua se accipere, secúmque deferre. Item vidit se esse in quodam amœno loco, velúmque nigrum se super caput habere. de quo cùm requisisset, audiuit quòd fieri nonna deberet. In nocte verò parasceues ante Pascha, vidit se esse ante quendā locum horribilem & igne repletum, ante quem crux erat posita ex vna parte candida, ex altera, qua ipsum locum prospectabat, ignea. In quem locum intromitti videbat multos à dæmonibus, plures tamen & maiores foras remansisse: audiebátque vocem dicentem, quòd hi essent Archidiaconi, & Præpositi, Iudicésque & Maiores, atque Decani, quos ibi videbat residentes. Item quinta feria Paschalis festi videbat duo vasa legumine plena, vnum pisi, alterum lentis; ex quibus eleemosyna distribuebatur, & vas lentis exhauriebatur, vas verò pisi non deficiebat. Item ea nocte, qua crux ablata fuit ab Ecclesia sanctæ Mariæ Remis, videbat se esse ad portam ciuitatis Treuirensem dictam, & ipsam crucem ferri à nigerrimis hominibus, linteo tamen candido cooperta: audiebátque vocem rogitārem, quid tum adoraturi isti boni homines essent? & personas de eadem cruce contendentes audiuit, ipsámque crucē ab his qui eam detulerant auferebant. Postea vidit alia nocte iterum eandem se renuisse, & subitò disparuisse. Cuius crucis

aurum postea ex parte repertum, Remisque relatum est, & quidam huius auctores A
sacrilegij capti, atque suspendio interempti sunt. Præfata verò puella, post quam visiones prænotatas viderat, non longum superuixit tempus, sed quasi post circulum duorum annorum, in ipsa nocte vigiliarum Natalis Domini obiit, ipsaque die in Ecclesia sancti Lantberti sepulta est.

CONTINVATIO EX ALIO CHRONICO QVOD VVILLELMI NANGII MONACHI S. DIONYSII VIDETVR.

A Petro Pithœo post Frodoardum adiecta.

LOTHARIVS 977. ANNO DCCCCLXXVII. Goffridus & Arnulfus Comites expulsi de Comitatu Montensi à Karolo fratre Regis & Hugone Capet Duce Francorum, qui congregato ingenti exercitu filios Raginarij Longi-colli nepotes suos, qui eorum filias vxores duxerant, consensu Lotharij Regis, in hereditatem paternam restituerat, Imperatorem adierunt de expulsione sua querimoniam facientes: B intimantes etiam quòd Rex Francorum Lotharius, quòd impedimentum post obitum Guarnerij auctoritate Imperatoris factum existimaret, iniuriam sibi in personis consanguineorum illatam in terra ipsius Imperatoris personaliter intendebat in proximo vindicare. Sed Imperator paruipendens relata, & cupiens inter ipsum & Regem Franciæ consobrinum suũ amorem continuari, Ducatum Lotharingiæ dedit Karolo fratri Lotharij, ipsúmque rogauit, vt ab insolentiis istis excogitatis desisteret, & fratris sui moribus obsisteret quantum posset. Quod & facere studuit: sed nequiuit Regis animum immutare.

978. ANNO DCCCCLXXVIII. Lotharius Rex Francorum promissi non immemor, congregato exercitu valde copioso, Lotharingiam intrat, & eam sub ditione sua redigit: in ciuitatéque Metensi Baronum recepit homagia. Transiens inde ad Palatium Aquisgrani, vbi Imperator Otho residebat, omnia circumcirca diripuit, Othone, quòd imparatus erat ad pugnam, cum sua vxore fugiente. Ibique dapibus Imperatoris, & ferculis iam pro prandio paratis, refocillato exercitu, Rex inde distraxit quicquid prædabile potuit reperiri, totámque adiacentem Prouinciam rapinis & incendiis vastauit absque resistentia, & inde sine obice rediit in Franciam. Otho autem Imperator tantam iniuriam ægrè ferens, & properans ad vindictam, post recessum Lotharij cum copioso exercitu per Lotharingiam Franciam ingressus, & Remensem, Laudunensem, Suessionensémque Prouincias, omnia deuastando, pertransiens, vsque Parisius venit, & suburbium ciuitatis incendit. In Francia quoque manens à Kalendis Octobris vsque ad Kal. Decemb. C fines eius diuersa clade vastauit: Ecclesiis tantùm, Dei amore, immunitate concessa. Imperator quendam nepotem habebat, qui se extollendo iactaurat, quòd lanceam suam infigeret in portam Parisiensis vrbis. Sed suburbio accenso, cùm ad ipsa accessisset, de ciuitate erumpentes eundem cum multis aliis occiderunt. Iam Rex Lotharius, Hugone Capucij Comite Parisiensi & Heinrico Duce Burgundionum fratre suo euocatis, ingentem congregauerat exercitum. Cum quo subitò irruens super hostes, eos fugere compulit, quos etiam persequutus est vsque ad Suessionensem vrbem. Illi autem ingressi fluminis alueum, quod dicitur Axona, nescientes vadum, maximum detrimentum perpessi sunt. Nam plures multò consumpsit aqua quàm gladius: & tot ibi perierunt, vt etiam aqua redundaret cadaueribus. Aqua enim replaerat ripas suas. Lotharius autem constanter persequens eos tribus diebus & tribus noctibus, & vsque ad * flumen quod fluit intra Ardennam, interfecta ex hostibus maxima multitudine, cum triumpho reuersus est in Franciam. Otho autem Imperator cum his qui euaserant confusè repatrians, non apposuit vltrà redire in Franciam.

* al. ad Mosam fluuium qui

ANNO DCCCCLXXX. Lotharius Rex Francorũ contra voluntatẽ Principum Regni sui Remis pacificatus est cũ Othone Imperatore, deditque Othoni in beneficium

A Lotharingiæ Ducatum. quod magis corda prædictorum Principum contristauit, & maximè Hugonem Capucij Parisiensem Comitē, & Henricum fratrem eius Ducem Burgundiæ. Otho Imperator Italiam repetit, euocatus à Papa vt Ecclesiæ succurreret. Vbi Apuliam & Calabriam Italiæ prouincias ad ius Imperij Græcorum appendentes ad Imperium Romanum conatus trāsferre, maximè propter affinitatem quam occasione vxoris suæ Theofaniæ cum Græcorum Imperatore habebat, à Græcis auxilio Sarracenorum victus, tædio & angore Romæ moritur, & ante beati Petri Ecclesiam in tumba marmorea honorificè sepelitur anno DCCCCLXXXIII. LOTHARIVS

ANNO DCCCCLXXXIV. Quoniam Lotharingi Franciam collimitantes rapinas exercebant, Lotharius Rex inuadere Lotharingiam decreuit, & rursum recuperare. Exercitu igitur congregato, regionem subintrauit: Virdunum quoque ad deditionem coēgit, & Godefridum ipsius vrbis Comitem captiuum secum adduxit. 984.

ANNO DCCCCLXXXV. Lotharius Rex videns Othonem Imperatorem Othonis filium, quem Barones Theutonici de manu Heinrici Ducis Bauariæ filij Heinrici fratris Othonis primi Imp. extorquentes, in Regno paterno sublimauerant, virtute suorum militum proficere, mandatis & apicibus eius obtemperans, Virdunum vrbem reddidit, & Godefridum Comitem de carceribus liberauit, tractatúmque concordiæ cum patre suo iam pactum cum eo stabiliuit. 985.

ANNO DCCCCLXXXVI. Lotharius Rex Franciæ plenus dierum obiit, & Remis in Ecclesia S. Remigij sepultus est, Hugoni Capet cognato suo commendans filium LVDOVICVM iuuenem, qui post eum regnauit. 986.

C ANNO DCCCCLXXXVII. Ludouicus Rex Francorum sine herede moritur, & apud Compendium in Ecclesia sanctorū Martyrum Cornelij & Cypriani sepelitur. Tunc Francis Regnum transferre volentibus ad patruum eius KAROLVM Ducem Lotharingiæ fratrem Lotharij Regis, dum ille rem ad consilium defert, & accipere Regnum tardat, Regnum Frācorum capit HVGO CAPVCII Comes Parisiensis, & Dux Francorum, filius Hugonis Magni Comitis quondam Parisiensis ex Haouide sorore Othonis primi Imperatoris. Hic adminiculante Richardo Duce Normanniæ cum nonnullis Baronibus Regni, eodem anno coronatus in Regem Remis, regnauit annis IX. Etiam eodem anno isto Rex Hugo, vt Regnum securiùs tenere posset & tueri, ROBERTVM filium suum, robustum equidem iuuenem & agilem, Regem post se designauit, & coronari fecit in vrbe Aurelianensi. Sic, vt aliqui dicunt, translatum est Regnum Francorum de progenie Karoli in progeniem Comitum Parisiensium. Aliis tamen, nec sine causa, videtur quòd in Hugone isto non defecit progenies Karoli Magni. Arnulfus siquidem Imperator Romanorum filius Karlomanni filij Ludouici Germanorum Regis, fratris Karoli Calui Regis Francorum & Imperatoris, genuit Ludouicum iuniorem Imperatorem. Qui Ludouicus duas tantùm habuit filias, Placidiam & Matildem: quarum primogenita Placidia nupsit Conrardo filio Conrardi Comitis, qui post Ludouicum iuniorem imperauit. Matildis verò data est vxor Henrico filio Othonis Ducis Saxonum. Qui Henricus mortuo Conrardo & eius vxore Placidia sine heredibus, imperauit cum vxore sua Matilde, de qua genuit primum Othonem Imperatorem, & duas filias, Gerbergam vxorem Ludouici Regis patris istius Ludouici sine herede mortui, & Haouldam matrem istius Hugonis Capucij. Per quæ patet, quòd ipse descendit de progenie Karoli Magni. Hoc etiam attestatur Innocentius Papa, qui in Decretali sua Ludouicum VI. qui descendit ab isto Hugone Capet, adstruit processisse de progenie Karoli Magni. Quod stare non posset, si iste Hugo de eadem progenie non descendit. Sed nec iste Hugo Regni inuasor aut vsurpator aliqualiter est iudicandus, quem ad tantam dignitatem eiusdem Regni Proceres elegerunt & euexerunt, quémque & diuinum patri suo factum oraculum ad istud Regnum prædixerat assumendum. In gestis enim sanctorum Richarii & Valerici legitur, quòd Hugo Magnus Comes Parisiensis pater istius Hugonis, ipsorum Sanctorum corpora, quæ translata ab Ecclesiis suis in Flandriam fuerant, & reposita in Ecclesia sancti Bertini apud sanctum Audomarum terrore Normannorum, qui tunc Franciam vastabant, per visionem admonitus ad suas fecit Ecclesias reportari. Ipsi autem Hugoni Magno post hoc factum, per visionem à sancto Valerico dictum fuit, quòd propter hoc quod fecerat, eius generatio post ipsum in Regno Francorum vsque in septimam, id est, in perpetuum regna- 987. LVDOVICVS V. HVGO CAPETVS.

HVGO CAPETVS.

ret. Sic Hugo iste Rex Francorum factus videtur per Domini voluntatem. Istum A igitur Hugonem, qui & de genere Karoli descendit, & qui, velut Aaron, honorem Regni non sibi assumpsit, quin potiùs ab omnibus Regni Baronibus præcedente diuino oraculo, dicamus ad prædictum Regnum communi omnium consensu ritè electum, & non temerarium inuasorem.

988. ANNO DCCCCLXXXVIII. Karolus Dux Lotharingiæ Regnum Francorum sibi, vt dicebat, ex auita & paterna successione debitum contra Hugonem Caputij Regem consanguineum suum reperit, cúmque bello perurgens Laudunum vrbem intrat. Hugo autem Rex audiens Karolum hoc rutum municipium expertiisse, vnde poterat facillimè vbique cõtinuare discursiones hostiles, mox collecto exercitu vrbem aggreditur, & eam per circuitũ obsidione cingi iussit, vt famis inediâ tandem ciuitas premeretur, cùm aliter capi non posset. Introitus & exitus sedulò custodiuntur. Sed hoc obsessi, mense obsidionis secundo, ægrè ferentes, subitò prosilientes, castra obsidentium incenderunt, & ipse Rex, pluribus ex suis interceptis, fugiens vix euasit.

989. ANNO DCCCCLXXXIX. Karolus Dux fugato Hugone Rege per Regnum grassando liberè, Montemacutum, locum munitissimum cepit, & expugnauit. Suessionem vsque vastando procedit. Inde Remos per compendium aggreditur, & capta vrbe per auxilium Aldegarij Presbyteri, Laudunum ingenti onustus prædâ B reuersus est.

990. ANNO DCCCCXC. Hugo Rex Francorum collecto exercitu valdè copioso, Laudunum vrbem, vbi manebat Karolus Dux Lotharingiæ cũ vxore sua filia Herberti Comitis Trecarum, obsidere decreuit. Sed cernēs quòd ciuitas vi assultuum inexpugnabilis esset, consilium habuit cum Anselino traditore vetulo Laudunensium Episcopo, qui erat Consiliarius Karoli principalis. Is enim Anselinus Episcopus, nocte quadam cunctis quiescentibus, Hugoni Regi portas aperuit: & tunc captus & vinctus Karolus cum vxore sua positus fuit à Rege Hugone Aurelianis in carcere, vbi & tandem mortuus est. Habuit autem Karolus iste duos filios, Ludouicum scilicet, & Karolum, & duas filias, Hauuidam*, & Emengardem. Ludouicus* successit patri in Ducatu Lotharingiæ. Emengardis verò nupta fuit Comiti Namursiæ, de qua descendit Balduinus Comes Hannoniæ, cuius filiam Ysabellam desponsauit Philippus Augustus Rex Francorum, & genuit ex ea Ludouicum Regem patrem sancti Ludouici Regis, quem dicimus etiam hoc modo descendisse de progenie Karoli Magni.

* leg. Gerbergam, * imò Karolus habuit filium primogenitum nomine Othonem, qui patri successit in Ducatu, non hic Ludouicus, vt ex Sigeberto & aliis cōstat.

*   *   *

EPITAPHIA LOTHARII FRANC. REGIS, GERBERGÆ REGINÆ, ET ALIORVM.

C

Epitaphium Lotharij, qui VI. Non. Mart. decessit, à Gerberto positum.

CVIVS ad obsequium coiêre Duces, bonus omnis
Quem coluit, fate Cæsaribus, monumenta doloris
Cæsar LOTHARI *pratendis luce secunda,*
Terrifici Martis quod eras conspectus in astro.

VERSVS SVPER TVMBAM GERBERGÆ REGINÆ FRANCIÆ. Quæ iacet in Choro Ecclesiæ S. Remigij Remis.

FRANCORVM *specimen, Francis memorabile nomen,*
Hoc Regina sacro GERBERGA *locatur in antro.*
Grandis honor Regni, cui vita Monastica cordi.
Hac Era Remigio sua rerum contulit almo,
Sol quintus Maij quam vidit carne resolui.
Remigij meritis cui detur vita perennis.

A VERSVS ALII AD HONOREM EIVSDEM GERBERGÆ.

REGVM stirpe sata, rebus speciéque beata,
Moribus ornata, fidei pietate probata,
Iure superlata Francis GERBERGA vocata,
Concidit in fata, sed è carne satis decorata.
Defluit ingrata sanies, & quidquid humata,
Et desolata caro debet non adamata.
Non super optata facies, possessio lata,
Non mihi gemmata vestis fuit hac operata,
Quin Regina data sim vermibus, vt patre nata
Paupere. Dilata mors esse potest reserata,
Non autem ablata. Mala, lector, plange patrata.
Non semper grata venit vt fuit hora putata.

VERSVS SVPER TVMBAM ARNVLPHI ARCHIEPISCOPI REM.
Qui iacet in Choro sancti Remigij.

HIC *iacet* ARNVLPHVS *Regali stemmate fusus,*
Remorum Præsul, nulli pietate secundus.
B *Spes inopum, pes debilium, pastor Monachorum,*
Assertor veri, rigidi seruator honesti:
Quem fera mors rapuit, quæ nulli parcere nouit.
Flete Patrem Monachi lacrimarum fonte perenni.

VERSVS SVPER TVMBAM ALBRADÆ COMITISSÆ,
Quæ iacet in choro S. Remigij iuxta Gerbergam Reginam.

Hoc ALBRADA *locor de puluere puluis in antro,*
Et genus Heroüm proteror hic miserum.
De primo qualem contraxi puluere sortem,
Ac causam sortis hæc monimenta ferunt.
Particulas Sol quinque means lustrarat Aquarij,
Hæc me cùm tenebris obruit vrna suis.

VERSVS SVPER TVMBAM RAGINALDI COMITIS,
Qui iacet in eodem Choro S. Remigij.

PLEBIS *amor, Procerúmque decus, pietatis amator,*
Hîc RAGENOLDE *solueris in cinerem.*
Inter opes, clarúmque genus, conspectus in armis,
Prætuleras ferro, pacis amore, togam.
C *Sol quintodecimo radiabat velleris auro,*
Cùm suprema tibi clauserat hora diem.

A Episcopis diademate regio se coronari, ac sceptro Regni se insigniri partim blanditiis, partim minis extorsit. sed nequaquam huius præsumptionis lætos habuit exitus. Denique contra Regem Carolum exercitu moto, tandem in Suessionicis campis commisso ab vtrisque partibus prælio, à Regis eiusdem militibus in bello illo perimitur. Exercitus tamen ipsius victoriam obtinuit. Vnde defectionis illius socij nequaquam interitu ipsius sunt territi. Quin potius Herbertus Comes Virmandensium, infando scelere, dominum suum Regémque totius Franciæ iam dictum CAROLVM dolo captum, vinculis irretitum, Paronnam direxit, tenebroso recludendum domicilio. Huius tempore, anno videlicet Dominicæ Incarnationis DCCCCV. mediante Maio, v. feria apparuit stella circa ipsum Septentrionem à parte Circij emittens radium magnum versus Euroaustrum, quasi longissimam hastam inter Leonem & Geminos trans Zodiacum : & visa est ita ferè XXIIII. diebus.

CAROLVS SIMPLEX.

905.

CAROLVS autem clausus ergastulo animam, non corpus custodia exemit, relinquens filium ex Eadgiua Anglorum Regis filia susceptum nomine LVDOVICVM. Hic calamitatis paternæ inuolui metuens procella, ad Anglos-Saxones maternæ affinitatis gratiâ inuitatus se contulit, vbi per multum temporis deguit. Igitur mortuo Carolo, & Roberto ab eius Ducibus, vt dictum est, in pugna Suessionica interfecto, & Ludouico Caroli filio fugiente ad Anglos, quia Regni status B in incertum agebatur, maximè cùm Hugoni Roberti filio, qui postea probis actibus Magni nomen promeruit, pueriles obsisteret ætas, quo minus regium assumeret diadema, & Herberti cunctos haberet odium propter crudelitatem, quam in dominum suum Regem exercuerat, tandem RODVLPHVS magni & incliti Ducis Burgundionum Ricardi filius Regno sublimatur totius Franciæ, anno ab Incarnatione Domini DCCCCXVII. qui strenuus armis, consilio prouidus, largus muneribus, Regnum quod susceperat in maxima pace & tranquillitate tenuit. Siquidem armis Danorum compescens incursus perpetuos, Gallias vsque adhuc ab eorum impetu facit manere quietas. Quippe cùm per septem annorum spatia iidem Dani, qui & Normanni, Neustriam & Aquitaniam deuastando, Auernum vsque peruenissent, idem Rex gloriosus Rodulphus ab Aquitanis in auxilium euocatus, cum exercitu valido festinus accurrit. Commissóque prælio cum iisdem Normannis in loco qui dicitur ad Districta, Deo se iuuante, pene vsque ad internecionem deleuit ipsos. Qui verò euadere potuerunt, in oris Galliæ super Oceanum consederunt, in vrbibus scilicet quas ipsi primo impetu desolauerant, eo tamen pacto, vt Christiani fierent, permittente Rege. Sedémque suam vocauere à nomine suo Normanniam. Porrò ipsi Danorum fuêre genus. Iuxta quos habitationem habent Brittanni, qui pulsi à Britannica insula dudum à Saxonibus, eandem regionem, quam modò incolunt, sibi vindicantes, appellauêre à sua gente Britanniam, quæ prius Cornu Galliæ dicebatur. Hic quàm seuerus in coërcendis sanctæ Dei Ecclesiæ prædonibus, quàm largus in eleemosynis, quanto studio omC nem Ecclesiasticum ordinem excoluerit, amator totius pietatis & religionis, non est facile differere. Hic post nonum decimum Imperij sui annum, Incarnationis verò Dominicæ DCCCCXXXVI. obiit, sepultúsque est Senonas in Monasterio sanctæ Columbæ virginis, relinquens ibi suam coronam & capellam, altari, calicibus, filacteriis, libris argento & auro decoratis, & aliis insignem ornamentis.

RODVLPHVS.

917.

936.

EO decedente LVDOVICVS Caroli Simplicis filius, quem superiùs ad Anglos transiisse diximus, ab Hugone Magno, cuius superiùs meminimus, reuocatus, specie tenus Regno redditus est patrio. Hic laboriosa habuit tempora : contra quem Tetboldus Carnotensis Comes inimicitias exercens cepit, incarcerauit, diúque vinctum tenuit. Huius temporibus gens Vngariorum vaginam suæ habitationis egressa, totam Galliam peruagata est, cædibus, rapinis, incendiis omnia deuastans. Cui cùm nemo contraire auderet, tandem, miseratione Omnipotentis propitia, ad sua rediit, abducens secum greges captiuorum. Hic Gerbergam sororem Othonis Imperatoris in coniugium duxit, ex qua duos filios suscepit, Lotharium, & Carolum. Karolus æuo iunior priuatus in suis ædibus senuit. Lotharius patri successit. Secundo Vngari Gallias incursant biennio exacto à prima eorum infestatione, & maximè Aquitaniam depopulati ad propria regrediuntur.

LVDOVICVS VLTRAMARINVS.

954. Lvdovicvs autem post amministratum per xviii. annos Regnum, diem A clausit vltimum, anno Dominicæ Incarnationis dcccclIV. quo anno filius eius Lotharivs in Regem nobiliter Remis est eleuatus. Cuius anno tertio, videlicet Dominicæ Incarnationis dcccclvi.iv. Nonas Septembris, Luna versa est in 956. sanguinem, eodémque anno mense Iunio signum mirabile apparuit in cœlo, Draco scilicet magnus & sine capite. Sequuta statim est mors Hugonis Principis Francorum, Burgundionum, Brittonum, atque Normannorum. Eodem anno eclypsis Solis facta est xv. Kal. Ianuarij, & stellæ à prima hora vsque horam tertiam apparuerunt. Porrò Lotharius per triginta annorum curricula Regno nobiliter amministrato, veneno, vt dicitur, ab vxore potatus obiit anno Incarnationis Dominicæ dcccclxxxv. Cui successit Lvdovicvs filius eius, huius prosapiæ regalis Rex vltimus, qui apud Compendium patre defuncto, sublimatur in Regno. Hic adolescens immatura præuentus morte destitutum proprio herede Francorum Principatum, vt pote expers coniugij, dereliquit. Qui etiam, vt refertur, malefico periit potu. [Nonnulli* adhuc puerum Blanchiam vel Blandinam accepisse vxore tradunt.]

Lotharivs

Lvdovicvs IV.

* Hæc non sunt in vetust.

Decessit verò Incarnationis Dominicæ anno dcccclxxxvii. & sepultus est Compendio in Monasterio SS. Cornelij & Cypriani. Patruus autem ipsius Carolvs, quem priuatum fenuisse suprà prælibauimus, paternum volens obtinere B Regnum, incassum laborabat. Nam eius voluntas nullum habuit effectum. Eo enim spreto, Francorum Primates communi consensu Hugonem, qui tunc Ducatum Franciæ strenuè gubernabat, Magni Hugonis filium, cuius iam mentio facta est, Nouiomo sublimant Regio solio, eodem anno quo Ludouicus adolescens obiit: & vnctus est Hvgo Remis v. Non. Iul. Carolus autem captus positus in carcere in Siluanectensi vrbe, vbi genuit Ludouicum & Carolum, qui mortuo patre pulsi à Francia ad Imperatorem Romanorum confugerunt. Ita Francorum Regum secunda deficiente linea, Regnum in tertiam est translatum, in qua primus extitit Robertvs, qui à Carolo, vt diximus, interfectus est. Secundus filius filij eius Hugo, qui Magnus dictus est. Is Robertum filium suum sibi consortem legit Regni, & benedici fecit Remis Kal. Ian. Ipse verò per decem annos continuos Regno potitus est cum eodem filio Roberto, & defunctus est viiii. Kal. Nouemb. ac sepultus in æde S. Dionysij iuxta patrem suum anno
996. dccccxcvi. Huius temporibus floruerunt Fulbertus Carnotensis, & Abbo Floriacensis.

Quæ sequuntur in eadem Membrana, pertinent ad Robertum Regem & posteros vsque ad annum mcx. *dabuntúrque suo loco.*

AQVITANICAE HISTORIAE FRAGMENTVM, C

Recens emendatum, ac plerisque in locis auctum ex vetustiorum Codd. fide.

Interea Carolo Caluo de sæculo migrante, regnauit pro eo in Francia filius eius Lvdovicvs Balbvs, nec vltra Imperium accepit aliquis de Regibus Franciæ. Sed Baioarij & Alamanni ex gente eorum creauerunt sibi Regem Ottonem: Longobardi similiter ex gente sua Regem Adalbertum, deinde Arduinum. Et Romani de Senatoribus suis eleuauerunt in Regno Albericum, cuius frater Octauianus Papa ordinatus est. Defuncto Rege Ludouico, regnauit pro eo filius Carolvs cognomento Insipiens vel Minor*. Quo tempore, defuncto VVlgrino Non. Maij, & sepulto iuxta Basilicam sancti Eparchij, quinto anno post eum Oliba Episcopus diem clausit, & Anatolus in loco eius Pontifex ordinatus tertio anno vitam finiuit. VVlgrinus autem multis prœliis laborauerat frequenter cum Normannis. Hac de causa ædificauerat castrum Marciliacum & Mastatium, vt essent munimen contra paganos: miserátque in Marciliacum Robertum legis doctum, & cum eo amicum suum fidelissimum

*al. Iunior.

Carolvs Simplex.

A nomine Ranulfum. fecerátque eũ Vicecomitem suum. Idémque Ranulfus habuit tres filios, Lambertum, Arnaldum, atque Odolricum. VVlgrinus verò filiis suis reliquit, Alduino quidem Egolismam, VVillelmo verò Petragoricam & Aginnum, quam assumens vindicauerat propter sororem VVillelmi Tholosani, quam in matrimonium acceperat. Tunc Franci coniurantes contra Carolum iuniorem, eiiciunt eum de Regno, & ODONEM Ducem Aquitaniæ eleuant. Quo tempore Rodulfus Rex Burgundiæ cum hoste fortissimo Lemouicinum appulit, & congregati sunt contra eum innumerabiles hostes Normannorum. Et commisso prælio in loco qui dicitur ad Destricios, vsque ad internecionem deuastati sunt pagani: & exinde fugientes, non vltra fiduciam præsumpserunt veniendi in Aquitaniam. Rodulphus autem gratias Deo, pro cuius amore animam suam posuerat, referens, cum magno triumpho regressus est. Et Normanni regressi sedem sibi in Rotomago constituunt cum Principe suo Ruino *, qui factus Christianus captiuos plures ante se decollare fecit in honore quos coluerat Deorum, & item infinitum pondus auri per Ecclesias distribuere iussit Christianorum in honore veri Dei, in cuius nomine baptismum susceperat. Cuius filiam Adelinam Ranulfus Comes Pictauiensis vxorem habuit, nullúmque ex ea filium suscepit. Habuit autem ex alia coniuge filium nomine Eblum*. Idem Ranulfus consanguineus fuit ipsius VVillelmi Comitis Aruernensis, summámque amicitiam cum Ruino * Principe Normannorum habuit. Et quia pugnator erat fortissimus, à Rege Odone valdè honorabatur. Et dum regalem Aulam assiduaretur, veneno necatus, in extremis sancto Geraldo ibi tunc præsenti paruulũ filium suum Eblum* commisit tutandum. Ademarus autẽ filius Emenonis, Sancia in coniugio copulata Alduino Comiti Eugolismensi, & Guillelmo Petragoricensi familiarissimus existens, honore eorum, ac si frater, potiri videbatur. Qui à Rege Odone vocatus ad Palatium, prouectus est Pictauis Comes. Regressúsque à Palatio Geraldus clam subductum filium Ranulfi à Pictauis VVillelmo Duci Aquitaniæ, Comiti Auernis, credidit nutriendum, cuius propinquus erat. Eo tempore ipse VVillelmus cùm non haberet prolem, Cluniacum Monasterium in fundo proprio, quod est in Burgundia, nouiter fecit. Qui cùm sororem suam in matrimonio desideraret coniungere sancto Geraldo, nullatenus quiuit, quia cœlibem vitam semper ducens, cùm sæpè ad copulam suaderetur amore filiorum, respondebat sanctus Geraldus: Vtilius est, inquit, mori sine filiis, quàm relinquere malos heredes. Erat etiam Ademarus Comes Pictauiensis amator Ecclesiæ. Cúmque prolem nec ipse haberet, vnà cum vxore sua Sancia de futuro seculo prospiciens sibi, concessit quædam ex iure proprio Ecclesiis Christi prædia: Sancto Carrofo quidem Voertam, sancto Martiali Moltonium *, Sancto Ioanni Neiriacum, S. Hilario Corcolmum, S. Eparchio Godoruillam. Eo tempore Ebo Bituricensis cœpit ædificare Cœnobium Dolense in honore Dei matris, C quod postea integrauit Rodulfus filius eius: vbi magnam cohortem Monachorum congregauit regulariter degentem.

CAROLVS SIMPLEX.

ODO.

* Roso.

* Ebalum.
* Roso.

* Ebalum.

* Moltonum.

HIS diebus Otho Rex Baioariorum, Longobardorum Regnum sibi subiecit. Simili modo defuncto Alberico, consensu Octauiani Papæ, Romanorum Imperator promotus est. Quo defuncto, imperauit filius eius pro eo, id est Otho. Francorum verò Rege Odone obeunte, regnauit pro eo ARNVLPHVS filius eius pauco tempore, & mortuus est. Iterum Carolus minor Regnum suscepit, vnxitque eum Ardebertus Episcopus. Contra quem iterato Francorum Proceres conspirati, eum Regno pellentes, ROTBERTVM Ducem sibi pro eo Regem constituerunt. Tunc inter se diuisi sunt Franci: sed maior pars Rotberto fauebat. Carolus denique accito ab Othone Imperatore auxilio, cum multo exercitu, partim de Baioaria, partim de Francia, ingressus Franciam, conserto prælio Rotbertum interfecit die Ascensionis Domini apud vrbem Suessionis, in quodam prato eidem vrbi contiguo. Regnúmque recuperans, Hugoni filio Rotberti Ducatum permisit regendum. Carolo de seculo migrante, LVDOVICVS pro eo regnauit. Quo tempore Nicephorus Imperator Basilium & Constantinum paruulos educans Constantinopoli, Saracenorum Regnum inuasit, & Antiochiam aliásque fortissimas ciuitates expugnans Christianis Græcis restituit. Quem Imperatrix mater Basilij, metuens ne super filios suos tyrannidem ageret, dolo euocatum in Basilica Palatij, dum genibus curuatus in Sabatho sancto Paschæ preces Domino funderet, gladio necare

ROBERTVS.

LVDOVICVS

iussit. Quod factum diu latuit, donec suspecti Satrapæ Græcorum monumentum A-cius egerentes, confossum corpus gladiis repererunt. Tunc Ademarus Comes Pictauiensis defunctus est, & Pictauis iuxta Basilicam S. Hilarij iv. Nonas Aprilis sepultus. Guillelmus quoque Dux Aruernis mortuus est, & filius Ranulfi Eblus Aruernis & Pictauis simul Comes promotus est. * de filia Ruini. Post mortem siquidem VVlgrini filius eius Alduinus triginta annis vixit. Hic muros ciuitatis Egolismæ restaurare cœpit. Quo tempore Gunbaldo Pontificatum agente, repetentes Nortmanni crebras irruptiones per Pictauorum terminos exercebant. Vnde factum est, vt Monachi Sancti Carofi preciosum lignum crucis ad custodiendum Egolismam deferrent, cum diuersis ornamentis Ecclesiæ: & cessante infestatione Nortmannica, Alduinus in ciuitate sua retinere temptauit omnibus diebus supradictum sanctum lignum, nolens reddere commendatum. Hac de causa iussit adornare Ecclesiam Saluatoris foris muros in capite Basilicæ S. Eparchij, vbi sanctum lignum deputaret. Vnde per annos septem langore corporis multatus est ipse, & in populo suo ira fames vehementissima grassata est, vt quod hactenus incompertum fuit, de vulgo vnus alterum ad deuorandum requireret, & multi alios ferro perimentes, carnibus more luporum humanis vescerentur. Quibus actus Alduinus necessitatibus, vno ante mortem suam anno remisit Carrofum preciosum lignum per manus filij sui VVillelmi cognomine Sectoris-ferri, cum capsa aurea quam ipse cum gemmis construi imperauerat. Vbi contulit Lubeliaco villam, & mox cessauit plaga. Et ipse post annum defunctus vi. Calendas Aprilis, iuxta patrem tumulatus est. Post cuius mortem secundo anno occisi sunt à Bernardo in vltionem Sanciæ sororis suæ, quam occidere conati sunt, Lambertus Vicecomes Martiliacensis, & Arnaldus frater eius. VVillelmus autem Sector-ferri honorem eorum restituit Odolrico fratri eorum, qui minor natu erat, fuitque ei suus Vicecomes, sicut Ranulfus fuerat Vicecomes VVlgrinno. Hic denique Bernardus mortuo patre suo VVillelmo, qui fuit frater Alduini ex VVlgrinno, Comes Petragoriensis effectus est. VVillelmus verò Sector-ferri Egolismæ Principatum obtinuit, & communem habuerunt totum honorem ipse & Bernardus consanguineus eius. Ademarus tamen supradictus, qui sororem Bernardi Sanciam vxorem habuit, decem annos superuixit Alduino. Sancia verò vitam terminans ii. Nonas Aprilis, inhumata est iuxta Basilicam beati Eparchij. Eo tempore Gunbaldus Episcopus decedens, successorem habuit Fulcaldum. Tunc VVillelmus Sector-ferri & consanguineus eius Bernardus, adgregato conuentu nobilium, iterum restituerunt Monachicum habitum in Basilica beati Eparchij, præficientes eidem Monasterio Mainardum Abbatem. Qui in fronte Basilicæ beati Eparchij construxit elegans Oratorium in nomine sanctæ Resurrectionis. Tunc domnus VVillelmus per testamentum concessit ad eundem locum beati Eparchij hoc donum: Ecclesiam sancti Hilarij in Petragorico sitam in vicaria Piliacense: Ecclesiam sanctæ Eugeniæ sitam in Santonico in vicaria Pedriacense: Curtem Fradoreuillam & villam Dairtiaco, villam Muiniaco *, villam Romanoreuilla cum ipsa Ecclesia: Mansum vnum in Godoruilla. Quod testamentum confirmare iussit, & firmauerunt manibus propriis, quorum nomina hæc sunt, Bernardus Comes, Arnaldus filius Bernardi, Odolricus Vicecomes, Ademarus Vicecomes, Arnaldus filius VVillelmi, Ademarus filius VVillelmi. Sancto Martiali dedit similiter Cantreeiacensem Ecclesiam in Engolismensi, pariterque Manauco Ecclesiam in Lenionicino cum omnibus adiacentiis & massis. Icterio filio suo de Villaboensi dedit Cellam Fruinensem.

*Aluiriaco.

B

C

INTEREA defuncto Ebalo Duce, filiorum eius alter Comes, alter Episcopus factus est. Ebalus enim annuente Ludouico Rege Pontifex Lemouicæ factus est. VVillelmus verò cognomento Caput-stuppæ Aucrnis, Vallatis, Lemouicæ, & Pictauis Comes prouectus, Dux Aquitaniæ extitit. Hic suo germano Abbatiam sancti Hilarij ac sancti Maxentij, cum nonnullis aliis possessionibus in Pictauiensi solo præbuit. Fuit autem Eblus bonus pastor Ecclesiæ: ædificauitque castellum Lemouicæ Sedis, castellum S. Hilarij, & Canonicos ibi constituit, quia infestatione Normannorum idem locus à Monachorum prisca habitatione desciuerat. Restaurauit & Monasterium sancti Maxentij, & castellum in circuitu perfecit. Restaurauit & Monasterium sancti Michaëlis ad Heremum, & multa alia laudabilia in opere Domini egit. Qui defunctus sepultus est in Basilica supradicti

A Monasterij sancti Archangeli. Tunc Ruino defuncto, filius eius VVillelmus pro eo Principatum habuit, & Christianus cum gente sua fuit. Quo etiam defuncto, Richardus filius eius in Principatu Rotomagi succedens, Christianus factus ædificauit in Nortmanda*, quæ antea vocabatur Marcha Franciæ, & Britanniæ, Monasterium sancti Michaëlis de Monte, vbi Monachos ordinauit. Itémque Monasterium Fiscanum in honore summæ Trinitatis, vbi sepultus est ipse, & Monachos ibi posuit. *Normannia.

FRANCORVM interea Rege LVDOVICO vita exeunte, regnauit pro eo LOTHARIVS filius eius, ex Gerberga Regina progenitus. Quo tempore Fulcaldus Episcopus Egolismensis, postquam præfuit duodecim annis, defunctus est, & successit in Episcopatu Ebulus, qui & ipse duodecim annis præfuit. VVillelmus denique Sector-ferri (qui hoc cognomen adeptus est, quòd loricatum Nortmannum in luctamine ense proprio nomine Corto durissimo per media pectoris & ventris secuit vna tantùm percussione) claudens diem, sepultus est iuxta Basilicam beati Eparchij, & per triginta annos pro eo principati sunt Bernardus Comes, deinde filij eius Arnaldus cognomento Borracio, deinde VVilhelmus Talerandus, deinde Ranulfus Bomparius: quem Arnaldus filius VVillelmi Sectoris-ferri bello prosternens, Comes Egolismæ in loco patris sui extitit. His temporibus Aimiricus non Monachus, Abbas sancti Martialis, successor Gonsendi, moritur, & in fine Monachus extitit. Quia Rex Ludouicus timens eius tyrannidem, Abbatiam * sancti Martialis ei commiserat, sacramentis tamen iurare fecit eum vt Monachus LOTHARIVS *Honore.

B futurus esset. Tunc Guillelmo Duce Capite-stupæ apud Sanctum Maxentium in Monastico habitu defuncto, & sepulto apud Ecclesiam S. Cypriani, Ducem pro eo filium eius VVillelmum Aquitania habuit. Rex autem Lotharius terminans vitam, filium reliquit LVDOVICVM, qui vno tantùm anno superuixit, & Regnum pro eo accipere voluit CAROLVS patruus eius: sed non potuit, quia Deus meliorem elegit occulto iudicio. Nam Franci inito communi consilio eum abijciunt, & HVGONEM Ducem filium Hugonis Regem eligunt. Hac de causa Episcopus montis Laudunensis Ascelinus ebdomada maiore ante Pascha, in qua est Cœna Domini, velut Iudas Christum, & ipse tradidit Carolum. Qui Aurelianis in carcere trusus vsque ad mortem, ibi genuit filios Carolum & Ludouicum, & mortuus est. Et expulsi sunt filij eius à Francis, profectique sunt ad Imperatorem Romanorum, & habitauerunt cum eo. Eo tempore Othone secundo moriente, Otho filius eius tertius actu & nomine Imperium assumpsit. Qui Philosophiæ intentus, & lucra Christi cogitans, vt ante tribunal iudicis duplicatum talentum redderet, Domini voluntate populos Vngriæ vna cum Rege eorum ad fidem Christi conuertere meruit. Hic Gerbertum Archiepiscopum Rauennæ propter summam Philosophiam summo amore excolens, ordinauit eum Papam, vocauitque HVGO

C nomen eius Syluestrum. Et Præfectus Romæ Crescentius cùm contra Othonem Imperium vellet arripere, tandem coactus, in turre quæ vocatur Intercœlos diu euasit: sed expugnata ipsa turre captus, & patibulo suspensus est. His diebus sanctus Abbas Maiolus Cluniacensis migrauit ad Dominum.

* * *

 A

ODORANNI MONACHI
S. PETRI VIVI SENONENSIS
CHRONICON,

Quod ille iam ſexagenarius cum aliis Opuſculis ſuis in vnum Corpus collegit anno M.XLV.

Huius Chronici Fragmentum antehac publicauit P. Pithœus. Sed nunc prodit integrum ex Bibliotheca Cl. viri Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis. B

675. ANNO ab Incarnatione Domini DCLXXV. obiit ſanctus Emmo Senonenſis Archiepiſcopus. Hic priuilegium libertatis vnà cum Prouincialibus Epiſcopis Monachis ſancti Petri fecit ſynodaliter temporibus Chlotarij Regis, & Baltechildæ matris eius.

688. ANNO DCLXXXVIII. Pipinus Auſter Maior domus Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus ſanctus VVlfrannus Senonum Archipræſul Freſiam prædicare cœpit.

712. ANNO DCCXII. obiit Pipinus ſenior, & filius eius, qui dicitur Carolus Martellus, Principatum vſurpauit.

721. ANNO DCCXXI. obiit Beda Preſbyter Hiſtoriographus Anglorum.

741. ANNO DCCXLI. migrauit ad Dominum S. VVlfrannus, & Carolus Princeps obiit, quo mortuo Carlomannus & Pipinus filij eius Principatum ſuſcipiunt.

750. ANNO DCCL. Pipinus ſtaturâ puſillus electus eſt in Regem, & Childericus, qui de ſtirpe Regis Chlodouei remanſerat, tonſoratus. Hic deficit Regnum Chlodouei. His temporibus migrauit ad Dominum ſanctiſſimus Ebbo Senonum Archiepiſcopus, & ſepultus eſt in Monaſterio ſancti Petri Apoſtoli, vbi vſque in præſentem diem glorioſis miraculis fulget.

764. ANNO DCCLXIV. Pipinus Rex moritur, & filij eius Carolus, qui dicitur Imperator Magnus, & Carlomannus, eliguntur in Regno.

767. ANNO DCCLXVII. Carlomannus obiit.

804. ANNO DCCCIV. obiit Alcuinus Philoſophus, Abbas ſancti Martini. Alcuinus & Carolus diſputauerunt de Philoſophia, qui Liber extat. G

814. ANNO DCCCXIV. obiit Carolus Imperator Magnus, & Ludouicus filius eius, qui Pius dicitur, Regnum Francorum, & Imperium Romanorum ſuſcepit.

828. ANNO DCCCXXVIII. obiit Hieremias Senonum Archiepiſcopus. Hic præcepta Imperialia ſanctæ matris Eccleſiæ Senonum, & Monaſteriis, & Cellis ad ſe pertinentibus obtinuit, ad munimen & defenſionem contra omnes iudiciarias poteſtates.

833. ANNO DCCCXXXIII. Hludouicus Pius Regnum amiſit, & Lotharius filius eius vſurpauit, eodémque anno Hludouicus recepit.

840. ANNO DCCCXL. obiit Hludouicus Pius Imperator.

841. ANNO DCCCXLI. actum eſt bellum inter Carolum Regem, qui dicitur Caluus, & Lotharium, & Ludouicum, & Pipinum, apud Fontanetum.

847. ANNO DCCCXLVII. tranſlata ſunt Sanctorum Martyrum corpora, Sauiniani, Potentiani, Altini, atque Eodaldi, in Baſilica S. Petri à VVenilone Archiepiſcopo, VIII. Kal. Septemb.

865. ANNO DCCCLXV. obiit VVenilo Archiepiſcopus Senonum, qui Ludouicum fratrem

A fratrem Caroli vnxit in Regem in Burgundia. Huic succeßit Egil Abba.

Anno DCCCLXX. obiit domnus Egil Archiepiscopus, qui priuilegium san- 870.
cto Petro fecit de altare Alsonis villæ. Hic Lothario iuniore concedente, & Tre- CAROLVS
iectensium Episcopo iubente, ex ipsius diocesi, & Monasterio quod dicitur Pro- CALVVS.
mia, assumptus, à Carolo Rege in Monasterio Flauiniensi Abba est constitutus.
Postea Senonum Archiepiscopus ob sui merita factus, quiescit in Monasterio S.
Petri. Quo mortuo, Ansegisus venerabilis Episcopatum suscepit. Hic Carolum
Caluum vnxit in Regem.

Anno DCCCLXXIV. Carolus Imperator tertius, qui dicitur Caluus, filius 874.
Hludouici Pij, cùm secunda profectione Romam peteret III. Cal. Octob. in ipso
itinere obiit, & Ludouicus filius eius Regnum suscepit. Huius Caroli temporibus
facta sunt Capitula in Pontigone à Leone Apocrisiario.

Sancta Synodus, quæ in nomine Domini, vocatione domni Ioannis ter bea-
tissimi vniuersalis Papæ, & iussione domini Caroli perpetui Augusti congregata
est in loco qui vocatur Pontigonis, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. 876.
Indictione IX. Regni præfati inuictissimi Imperatoris XXXVII. Imperij autem pri-
mo, XIII. Cal. August. hæc Capitula, quæ subtus adnexa sunt, instituit.

Cap. I. Obeunte Hludouico, qui Romani Imperij iura regebat, domnus
Ioannes ter beatissimus Papa per Iadericum Veliternensem, Formosum Por-
tuensem, Ioannem Arelatinum, necnon per Ansegisum Senonensem, venerabi-
les Episcopos, domnum Carolum tunc Regem ad limina SS. Apostolorum inuita-
B uit, cúmque Ecclesiæ ipsius defensorem auctorémque elegit, imperialique diade-
mate coronauit, cúmque præ cunctis solum specialiter eligens, qui Romani Im-
perij sceptra teneret. Cuius sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse
confirmauit, pari consensu omnes confirmauimus.

Cap. II. Sicut domnus Ioannes Papa sanxit, commonente, & consentiente,
ac condecernente domno ac gloriosissimo Carolo Imperatore semper Augusto,
Ansegisum venerabilem Episcopum Senonum suam vicem tenere, & Primatum
ei Galliæ & Germaniæ contulit, in euocanda Synodo, & definiendo canonicè, si
quælibet insurrexerint necessaria, & vt grauiora quælibet ad ipsius notitiam
referat: & nos vnanimiter omni deuotione laudamus, & vt ita ipse Primatum
teneat Galliæ & Germaniæ decernimus, & sancimus, cunctique successores eius in
propria vrbe.

Anno DCCCLXXVIII. Ioannes Papa Romanus ad Gallias veniens, primò
Arelatum nauigio aduectus, per Lugdunum, aliásque ciuitates vsque ad Trecassi- 878.
nensem vrbem accessit, ibique cum Hludouico filio Caroli collocutus ad Italiam
repedauit.

Anno DCCCLXXIX. obiit Ludouicus Rex Bugundionum frater Caroli.

C Anno DCCCLXXXIII. obiit Ansegisus venerabilis Senonũ Archiepiscopus, & 879.
sepultus est in Monasterio S. Petri. Hic corpora SS. Præsulum & Confessorum Leo- 883.
nis, Vrsicini, Ambrosij, atque Agricij in Monasterio S. Petri transtulit, & ab vrbe
Roma caput S. Gregorij Doctoris plumbo inclusum, cum brachio S. Leonis Docto-
ris deferens, in eodem Monasterio conseruandum reposuit. Huius temporibus cor-
pora SS. Martyrum Sanctiani atque Augustini de villa quæ dicitur Sancceias à
fratribus iam dicti loci, & Presbytero eiusdem nomine Eodaldo trãslata sunt in eo-
dem Monasterio VIII. Kal. Iul. Præterea domnus Ansegisus postquam Primatum
totius Galliæ obtinuit, & superna moderatione secundus Papa appellari meruit, Iu-
dæos certa de causa, & Moniales ab vrbe Senonica expulit, & ne vlteriùs in ea ha-
bitaculum manendi haberent, & sub anathematis iugulo interdixit.

Anno DCCCLXXXVI. obiit Hludouicus filius Caroli III. Imperatoris. Hoc
anno II. Cal. Decembr. ascenderunt Normanni à Parisius Senonis. Et sequenti 886.
mense Maio redierunt in Franciam, iam defuncto Euurardo Archiepiscopo, & or-
dinato VValterio in loco eius. Qui eodem anno vnxit ODONEM in Regem. Hic
priuilegium Monachis S. Petri fecit de Abbatis electione. ODO.

Anno DCCCXCVI. Richardus Princeps Burgundiæ recepit Senonas * contra 896.
VValterium Archiepiscopum, & VVarnerium Comitem. *al. Sennis.

Anno DCCCXCVIII. obiit Odo Rex, & Carolus Simplex Regnum accepit. 898.

Anno DCCCCXXII. Robertus Princeps vnctus est in Regem, & eo anno 922.

CAROLVS. XVII. Cal. Iul. factum est bellum inter Carolum & Robertum, vbi interfe- A
ctus est Robertus. Carolo verò à cæde belli victore reuertente, occurrit illi Heribertus infidelium nequissimus, & sub fictæ pacis simulatione in castro, quod Parrona dicitur, vt hospitandi gratia diuerteret compulit, & sic eum dolo
RODVLFVS. captum retinuit. Illic positus Carolus, anno DCCCCXXIII. RODVLPHVM nobilem filium Richardi Principis Burgundionum, vna cum consilio Hugonis Magni Francorum Ducis, & Procerum Francorum, in Regnum sublimauit. Quo mortuo anno DCCCCXXXV. accersiens vna cum Francis Hugo Dux HLVDOVICVM filium iam dicti Caroli, datis sacramentis Otgiuæ matri eius, in Regno constituit.

954. ANNO DCCCCLIV. obiit Hludouicus Rex, & Lotharius filius eius Regnum
LOTHARIVS suscepit.

956. ANNO DCCCCLVI. obiit Hugo Dux Magnus, & filius eius Hugo Ducatum suscepit. Et Gislebertus Comes Burgundionum obiit, & honorem eius cum filia nomine Leudegarde, ex qua postea à Radulpho Diuionensi pipicus * factus est, Otho frater Hugonis Ducis recepit. Aliam verò filiam nomine VVerram duxit in matrimonium Robertus Comes Trecasinorum. Mortuo verò Othone, Ainricus frater eius Ducatum suscepit Burgundiæ.

986. ANNO DCCCCLXXXVI. obiit Lotharius Rex, commisso filio suo LVDO- B
LVDOVICVS VICO iuuene Hugoni Duci, vna cum Regno.

987. ANNO DCCCCLXXXVII. obiit Hludouicus Rex iuuenis, qui nihil fecit, do-
HVGO. nato Regno Hugoni Duci, qui eodem anno Rex factus est à Francis. Et eodem anno Robertus filius eius Regum piissimus Rex ordinatus est. Hîc deficit Regnum Caroli Magni.

ROBERTVS. ANNO DCCCCXCVIII. obiit HVGO Rex, filio suo Roberto regnante.

999. ANNO DCCCCXCIX. obiit Seuuinus Archiepiscopus, qui iacturam Monasterij sancti Petri, quam Anastasius Archiepiscopus antecessor eius releuare cœperat, in pristinum restituit statum: ibique sub districtione regulari ordinauit Abbatem Rainardum, cuius etiam corpus in eodem Monasterio est sepultum. Hic ab vrbe Roma per manum Ioannis Papæ Archiepiscopale pallium, quo antecessores eius infulati sunt, & Primatum Galliæ suscepit. Hic etiam Monasterium sancti Petri Milidunensis ab imo releuauit, & Monachos in illo mittens, Abbatem VValterium eis præfecit. Hic matrem Ecclesiam S. Stephani, quæ igne cremata fuerat, ab epistilis erigens, & ex integro perficiens, signis & ornamentis Ecclesiasticis decorauit, & adiunctis sibi Milone Episcopo Trecassensium & Eriberto Autissioderensium, Rocleno quoque Niuernensium, cum maximo honore dedicauit. C
Eadem quoque die ad stipendia Clericorum ibidem Deo famulantium tria Altaria sub priuilegij testamento delegauit. Deinde brachium sancti Leonis Papæ cum digitis sancti Ebonis ab Abbate Rainardo, & à fratribus Monasterij S. Petri multa prece obtinens, auro & gemmis ornauit, & eidem Casæ Dei contulit. Pro quibus mutua vicissitudine, & pro remedio animæ suæ, de altario S. Sauiniani, quod xxx. passus à cripta Monasterij abest, & de altario S. Sanctiani, quod est in villa Sanceias, & de altario S. Petri, quod est in villa quæ Alsonus vocatur, & de altario S. Lupi, quod est in villa quæ Naudus dicitur, perpetua priuilegia vna cum consensu & voluntate Papæ Romani & Coëpiscoporum suorum, Sancto Petro eiusque Monachis fecit. Decreuit etiam vt Abba eiusdem Monasterij in Conuentu Abbatum vel Clericorum post Episcopum primus sedeat, & inter ceteros eiusdem Episcopatus Abbates primatum teneat. Ipse autem talem se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Tabulam quoque ex auro & argento ante altare sancti Stephani construxit, de qua postmodum ante Monasterium facta est turris.

1002. ANNO M.II. obiit Ainricus Dux Burgundiæ.

1003. ANNO M.III. obsedit Robertus Rex Autissiodorum, & vastauit Burgundiam.

1015. ANNO M.XV. recepit Robertus Rex ciuitatem Senonum, & Rainardus Abba Monasterij S. Petri obiit. Hic Monasterium S. Petri ab imo renouauit, & claustra Monasterij cum domibus ad se pertinentibus ex toto reædificauit. Tabulam etiam auream & argenteam ante altare construxit, Crucem auream cum

A gemmis fabricauit, signis, codicibus, palliis, sacris vasis, & reliquis ornamentis Ecclesiasticis idem Monasterium ditauit. Insuper & regulari tramite Monachos instruens, liberalibus disciplinis edocuit.

ANNO M.XXIII. ODORANNVS Monachus, postquam Crucifixum & puteum Monasterij fecit, peccatis suis promerentibus insidias à falsis fratribus perpessus, Deo propitio vix mortem euasit. Qui apud S. Dionysium aliquantisper commoratus, cum maximo honore propriis sedibus est redditus. 1023.

ANNO M.XXXI. obiit Rotbertus Rex Pius, qui fuit erga sanctos Dei supplex, beniuolus, & deuotus, & totius religionis amator egregius. Hic peractis diuersis restaurationibus Ecclesiarum, necnon ornamentis sanctorum corporum, sanctum corpus sancti Sauiniani auro & gemmis argentóque ornauit. Quod qualiter actum sit, paucis est differendum. 1031.

FACTVM est, dum quodam tempore Rotbertus Rex Romam peteret, vt CONSTANTIA Regina vnà cum Hugone filio paruulo Tillo remaneret. Quod vt Berta Regina dudum causa consanguinitatis à Rege repudiata comperit, prosecuta est eum, sperans se fauentibus ad hoc quibusdam Aulicis decreto Apostolico restituturam toro regio. Vnde Constantia Regina timens se amoueri à regio latere, inenarrabili detinebatur mœrore. Quæ dum nocte quadam ob hoc nimiis cogitationum tumultibus pulsata obdormiret, apparuit ei per visum inenarrabili claritate circundatus vir quidam Angelicis decoratus canis, in sacerdotali habitu virgam pastoralem gestans manu. Quem nimiò terrore perterrita dum requireret quisnam esset, innotuit se esse Episcopum, & appellari Sauinianum. Qui & dixit: Constans esto Constantia, quia Deo propitio liberata es ab imminenti tristitia. Illa verò de tam præclara visione perterrita, facto mane cœpit à circumstantibus Clericis sollicitè perquirere, si illis in regionibus haberetur Episcopus, qui Sauinianus diceretur. Quibus ignorantiam suam profitentibus, vnus ex eis, qui in Monasterio S. Petri fuerat nutritus, redeunte Rege Aurelianorum futurus Episcopus, nomine Theodericus, respondit pro omnibus: Est Domina in Monasterio S. Petri Sauinianus primus Senonum Archiepiscopus, qui per martyrij triumphum vnà cum sociis peruenit ad cælestis regni brauium. Si huius Martyris deuotè adieris præsentiam, id quod promisit, absque dilatione noueris te consecuturam. At illa de tanti viri consilio gaudens effecta, citissimè vnà cum filio expetiit sancti Petri limina, & diutissimè lacrymas fundens ante corpus beati Martyris, totisque viribus se committens eius fidei, gaudens remeauit ad propria de visitatione tanti patroni confortata. Nondum transierat dies tertia, cùm subitò adest intempesta nocte Legatus Regis ante ianuam, nuncians in proximo adfuturam eius præsentiam. Qui Deo ducente propriis sedibus restitutus, vt verissima approbaretur promissio Martyris, deinceps propriam coniugem magis quàm eatenus dilexit, & sub eius nutu omnia iura regalia, & quæcumque possidere videbatur, manere disposuit. Sed illa minimè oblita promissionis Sancti, satagere cœpit qualiter exornaretur corpus eius gemmis & auro, quod diu inclusum plumbo ab antiquis Patribus absconditum fuerat sub aruo. Et Regi suggerens sua vota, Deo auxiliante ad ea implenda paratum illum inuenit per omnia. Qui accersiens ODORANNVM eiusdem loci Monachum, qui ad hoc opus perficiendum videbatur idoneus, commisit vnà cum Regina, eius fidei tantæ pietatis opus. Dederunt igitur Senonis in primis per manum VValdrici Præpositi argenti meri libras IV. Deinde Senonis per manum VVillelmi Cubicularij argenti meri solidos LV. Postea miserunt per manum Odonis Paratgij argenti meri solidos XXXVII. Miserunt etiam à Parisiis per manum Odoranni Monachi auri solidos XVII. & denarios VIII. & gemmas pretiosissimas. His ita patratis, restat vt mirabilia Dei, quæ in fabricis huius operis oculis nostris vidimus, & ex parte manibus contrectauimus, Christi fidelibus intimemus. Quæ silentio tegere, crimen est admittere.

IGITVR occupatus Rex variis seculi curis intermisit aliquantulum, ad Monasterium mittere sumptus cœpti operis. Tranquillitate verò percepta mandauit per Francolinum iam dicto fratri, vt concito gradu veniret Druis ad suscipiendum munus operis. At ille vespertina synaxi expleta, & vt mos est

Monachis, percepta benedictione Abbatis, ire perrexit ad cacumina Druensis A castri. Veniens verò post Solis occasum ad sanctæ Columbæ portum, transfretauit eum suis Icaunam fluuium. Cúmque paululum substitisset in littore, inter ceteras stellas quibus nox illustrabatur, vidit quoddam sydus exurgere, eo quo æstiuo tempore solet horam diei primam sol demonstrare. Quod exiliens de sui ortus loco virtute diuina cœpit ferri velociter per aëra, petens cœli eminentiora loca, penè vsque ad illud punctum, quo ea tempestate solet fieri hora sexta. Quem cùm famulus equo præparato, cui insidere debebat, hortaretur, quia nox imminebat, vt « ascenderet: Sustine me paululum, inquit, & intuere cum tuo socio mirabilia Dei, « quæ hactenus non vidi. Quo miraculo famuli attoniti, ignorantes quid præsagij præferret, signaculo Crucis se muniunt, & Deo sanctóque Sauiniano pauefacti toto corde se committunt. Stella verò in loco quo venerat paululum substitit, & retrogrado cursu ad locum vnde venerat in vnius horæ spatio iterum rediit; quam pene vsque ad tertiam vigiliam noctis contemplantes, eam inter cetera sydera implere cursum solitum viderunt ouantes, & inter se quid demonstraret conferentes. Quibus animo occurrit, quòd cœptum iter prospero gressu peragerent, & demum voti compotes conciti ad domum redirent. Dantes prætera sese maturiùs labori cœpti itineris, per squalidam Belsam, eo surgente à mensa peruenerunt ad Palatium Regis. Præmissa verò salutatione Regis & Reginæ, vt ve- B racissima apparerent syderis præsagia: Suscipiens, inquit Monacho Regina, quæ » sancto Sauiniano pro posse disposuimus ad præsens mittere munera, festinus re- » uertere ad propria, quia nos summo mane disposuimus abire alias. Et statim proferens auri tredecim solidos ad publicam monetam Aurelianensem appensos: Si tibi, inquit non sufficit monetæ ponderatio, præbeat fidem proprio oculo iterata » propensio. Quo ponderatore, nihil aliud quàm quod Regina prædixerat fuit inuenire. Regressus itaque Monachus voti compos ad Monasterium, postquam Regis ex parte & Reginæ dixit Abbati & fratribus aue, protulit auri fului sancto Sauiniano transmissum munus de cassilide. Appensum ergo palam omnibus, per manum Franeolini Ostiarij & Raimberti Cellerarij Regis, trutina vrgente inuentum est septem denarios plus habens. Vnde stupefactus frater qui detulerat, & ceteri admirantes, cognouerunt pro certo, quia qui syderis mutatione in eundo dignatus est ostendere miraculum, & qui ex nihilo fecit totum mundum, in sacculo fidei ob meritum Martyris concessit exuberare fuluum, sub septiformis numero spiritus, aurum. Et qui ad redimendum filios viduæ, Helisæi interceßu fecit super excrescere oleum, exigui auri munusculum deuotione Regis & Reginæ fecit maximum. Et caput Christi Deus, qui per Prophetã suum dixit, *Argentum & aurum meum est*, quicquid membris suis, id est sanctis Martyribus confert, alterius non est. Postea dedit Rex per manum Odoranni Monachi Senonis, auri vncias octo, & argenti meri solidos xv. In perficiendo verò opere, ne fieret Regi oneri, fregens requisitio auri & argenti, additæ sunt de thesauro Ecclesiæ quinque vnciæ auri, & tres libræ argenti meri.

Descripto itaque apparatu Deo dignissimi operis, operæ precium est exarari miraculum anserino vomere, quod Dei omnipotentia præsentibus nobis dignata est agere in sancti Martyris translatione. Optata festiuitatis eius dies, qua ab antiquis Patribus eius venerabile corpus vna cum sociis in Basilica sancti Petri translatum est adpropinquabat, & Rex aliquantulum Senonis commoratus redire disponebat Parisius. Vnde euocans Archiepiscopum Leothericum, humiliter postulauit, vt Monasterium adiret, & sancti Martyris corpus de locello plumbeo, in quo ab antiquis Patribus positum fuerat, in aurea capsa, quam illi parauerat, transponeret. At ille sexta feria, cui succedente die Dominica futura præstolabatur festiuitas, ad Monasterium veniens summa cum veneratione, vnà cum fratribus monita Regis impleuit, corpúsque S. Eodaldi, quod cum eo reperit, cum corpore S. Sauiniani ponens, ossa pueri paruuli cum eo humati reposuit vnà, & expletis Missarum solẽniis edẽdum abut. Fratre verò, sub cuius arbitrio & prouidentia totius operis fabrica constabat, in Choro Monasterij residẽte, & imagines argenteas, quas operculo capsæ superponi disposuerat, cera molli refouente, superuenit ex improuiso duce puero paruulo quidam cæcus postulans se intromit-

A ti in cripra, vbi S. Sauiniani repositum erar corpus. Qui sciscitatus à Monacho quis esser, & vnde, vel cuius rei gratia aduenisset, professus est se esse rusticum, & in pago V Vastinense in villa quæ Fonranas dicitur habere habitaculū ad manendum, & proprio nomine vocari Mainardum. Et ammonirum nocte prærerita in somnis, vt ad S. Sauiniani præsenriam venirer, & lumen oculorum ibi reciperet. Erat enim rriennium, ex quo lumen amiserat oculorum. Inrromissus itaque ad Sanctum diutius orauit, sed nihil luminis ipsa die percipere meruit. Nimio verò suauitatis odore, vt ipse dixit, replerus, ad propria est reuersus. Adueniente igitur die Dominica, adest Rex cum suis Episcopis & Proceribus, Abbatibus quoque & Clericis, necnon & populo innumerabili, ad transuehendum corpus sancti Martyris. Quem suscipiens vnà cum filio suo ROBERTO, propriis scapulis reposuit cum manibus suis illò, vbi in præsenti veneratur à fidelibus populis. Peracto deinde solemni officio, & Rege recumbenre ad mensam, Monachisque edenribus, sedebat ibi sæpe factus Monachus, vbi eum perendie sedenrem supra scriptus inuenerat cæcus. Qui nutu Dei ducenre se puero superueniens, dixit se irerum in somnis ammonirum, vt quanrociùs repeteret S. Sauiniani auxilium. Et proiiciens se solo tenus ante præsenriam Sancti, eius suffraganribus meritis visum recepit. Et qui eousque à paruulo puerulo ducebatur, eo ducenre puer ad domum reuertirur. Rex verò surgens à mensa orationis causa, vt mos illi erat, solus remansit in Ecclesia. Qui dum oraret, contigit vt sæpedictus frater Ecclesiam intraret. Quem aspiciens eminus, tranquilla manu innuit, vt accederet propiùs. Cui, Enarra mihi, inquit, S.

B Porenrianus S. Sauiniano quid fuerit. At ille, quòd socius eius in itineris labore, & successor in honore, & collega Martyrij fuerit, humiliter intulit. Tunc Rex grauiter cœpit conqueri, & pugnis pectus rundere, eo quòd eos ab inuicem separasset corpore. Et promittens se eum socio reddirurum, commisit eidem fratri triginta & tres solidos meri argenti, vt inde inciperet præparare scrinium S. Porenriani. Sed dum ista agitabat agere, præuentus superna vocatione reddidit Deo debitum patris nostris Adæ.

Cui miserere Deus, clemens, pius atque benignus.
Et sanctis iunge cunctipotens Domine.
Petre memor famuli semper tuus sis Odoranni.
Sauiniane potens Odorannum respice clemens.

ANNO MXXXII. obiit Leothericus Archiepiscopus. Hic dedit S. Petro villam qua Atcia dicitur, cum duabus Ecclesiis, S. Michaëlis scilicet, & sanctæ Mariæ, Sanctique Ebonis cum appendiciis suis. Et terram de Tillido, quæ reddit solidos II. de censu. Hic per manum Gerberti Papæ, qui & Syluester dictus est, pallium Archiepiscopale Romæ suscipiens, Primarum etiam Galliæ per baculum eius recepit. Huius temporibus corpus sanctæ Beatæ sororis S. Sanctiani, quod cum eo 1032.

C minus studiosè ab Heriberto Canonico larenter fuerat transpositum, ab Odoranno Monacho meliusculè cum eius corpore est collocatum, & caput scrinij eorum auro & argento, quòd ipse labore, vt ita dicam, proprio acquisiuit, ornatum. Corpus S. Serotini discipuli S. Sauiniani in præsenti Capitulo qualiter vel à quibus in Monasterio S. Petri sit delatum, cur minimè scriptum sit, studiosus lector nequaquam reputet segniriæ nostræ, sed potiùs ignorantiæ. Præterea pro certo scimus, quòd Basilica, in qua primùm iacuit, à Nortmannis euersa, & funditus sit deleta. Corpus verò eius in Monasterio S. Petri transpositum in pace requiescit, & fulgens miraculis piè petentibus apud Deum necessaria adquirit.

A

GENEALOGIA BEATI ARNVLPHI METENSIS EPISCOPI,

Quæ ex Regibus Francorum sumpsit initium, & post ipsum in tantum creuit, vt ex ipso genere Imperatores Romani crearentur. necnon Principes, Duces, Comites, Marchiones, & multi alij Barones dicuntur ex ipsius consanguinitate ferè per totum Imperium Christianorum processisse.

Ex vetusta Membrana inter Metensis quondam scolæ reliquias reperta.

ANAFLEDES Regina Gothorum genuit filios, Childebertum Regem, Chlotharium Regem, Clodomerum Regem, Theodoricum Regem, & filiam Malabergam Reginam Theoringorum. Hæc genuit filium Lotharium. De fratribus Malabergæ Clothatius genuit filios Guntharium, Childericum, Grannum, Heribertum, Guntrannum Regem, Cilbericum Regem, Sigebertum Regem, & filias Blithildem & Clotildem. Clodomerus Rex frater Chlotarij Regis genuit Clodoaldum. Theodericus Rex frater Clodomeri Regis genuit Tiebertum. Tiebertus Theobaldum. Guntrannus Rex filius Chlotarij Regis genuit filios, Clodomirum, Clodoueum, Lotharium Regem. Lotharius Rex Dagobertum & Charibertum. Dagobertus genuit Clodoueum & Sigibertum Reges. Clodoueus genuit Childericum, Lotharium, Theodericum Reges. Theodericus Rex genuit Clodoueum & Hildebertum Reges. Hildebertus Rex genuit Dagobertum Regem. Childericus filius Clotharij Regis genuit Theodobertum & Meroueum. Sigebertus filius Clotharij genuit Childebertum Regem. Childebertus Rex Theodericum Regem & Theodobertum. Horum Theodericus genuit Childebertum, Corbenum, Meroueum. Sigebertus genuit Dagobertum Regem. B

BLITHILDIS filia Clotharij habuit Arnualdum Comitem Palatinum ex Ansberto. Arnualdus Comes genuit beatum Arnulphum Comitem Palatinum, qui postea fuit Episcopus Metensis. Hic Arnulphus genuit Anchisum Ducem & Comitem Palatinum, & Glodulphum Episcopum, & VValgisum. Anchisus genuit Pipinum Maiorem domus ex Begga sorore S. Gertrudis de Niuella. Hic genuit Grimoaldum, Drogonem Duces, & Carolum Regem Martellum dictum ex Alpade sorore Dodonis, qui sanctum Lanbertum Episcopum Leodiensem martyrizauit. Carolus Martellus genuit Pippinum nanum Regem, & Charlomannum pòst Monachum, Pippinus Rex genuit Carolum Magnum Regem Franciæ, & pòst Imperatorem, & Carlomannum Regem. Karolus Imperator genuit Pippinum, Carolum, Lodouuicum Pium Imperatorem, Hugonem, & Dodonem * Episcopum. Carolus filius Karoli Imperatoris genuit Berhardum. Berhardus Pippinum. Pippinus Berhardum, Herbertum, & Pippinum. Lodouuicus Pius filius Karoli Imperatoris genuit Karolum Regem & Imperatorem Francorum, Lotharium Imperatorem, à quo dicta Lotharingia, & Lodouuicum Regem Germaniæ, fratres. Inter hos tres fratres facta est diuisio Regni. Ex his primus Karolus Imperator genuit Carlomannum, Carolum, & Lodouuicum Regem Francorum. Hic Karolus Rex genuit Lodouuicum Regem. Hic genuit Lotharium Regem Francorum, Lotharium * Ducem. Hic genuit Lodouuicum Regem Francorum. Hoc mortuo sine liberis translatum est Regnum ad Hugonem Capet filium Hadeuuidis, de quo postea dicemus. C

* al. Drogonem.

* leg. Carolum.

LOTHARIVS Imperator filius Lodouuici Pij Imperatoris genuit Lotharium. (Hic excommunicatus fuit.) Lodouuicum Imperatorem, Karolum, fratres. Horum Lodouuicus genuit Ermengardam & Lodouuicum Regem. Lodouuicus filius Lodouuici Imperatoris Rex Germanorum, genuit tres filios Reges Germanorum, Carlomannum, Lodouuicum, & Karolum. Horum Carlomannus genuit Arnulphum Imperatorem. Hic genuit Lodouuicum Imperatorem, & Cendeboldum. Lodouuico defuncto sine liberis, translatum est Imperium ad quendam

A Conradum de stirpe ipsius, & de Conrado ad Henricum, qui de genere Saxonum primus fuit Imperator. de quo postea dicemus. Sed priùs de Hugone, ad quem Regnum Francorum translatum est.

HADEVVIDIS, Girberga, Bruno Episcopus & Dux Coloniæ, Otho Imperator, & Henricus Dux, fratres & sorores fuerunt. Horum Hadeuuidis genuit Hugonem Regem Francorum, & Beatricem vxorem Friderici Ducis. Hugo genuit Robertum Regem Franciæ, Robertus Regem Franciæ Henricum, & Adelam. Henricus Philippum Regem Franciæ, & Hugonem Comitem Magnum. Philippus genuit Lodouuicum Regem Franciæ. Hugo Magnus genuit Rodulphum, & Henricum, & tres sorores eorum. Adela soror Henrici Regis Franciæ genuit Mathildem Reginam Anglorum, Balduinum Comitem, & Robertum Comitem. Mathildis genuit Guillelmum & Henricum Reges Anglorum, & Adelam Comitissam. Balduinus frater Mathildis genuit Balduinum Comitem, & Arnulphum. Arnulphus genuit Balduinum Comitem. Robertus frater Mathildis genuit Robertum Comitem ex Gertrude. Hic Robertus genuit Balduinum Comitem ex Clementia.

BEATRIX filia Hadeuuidis superioris genuit Theodericum Ducem. Theodericus Fridericum Ducem, Adelada, Fridericus Dux genuit Beatricem & Sofiam. Beatrix genuit Mathildam ex Bonifacio. Sofia genuit Theodericum de Monçonz, & Fredericum, fratres. Horum Theodericus genuit Rainaldum, Theodericum, Fridericum, VVilhelmum, & Stephanum, fratres. Fridericus frater Theode-
B rici de Monçonz genuit Petrum de Luscebenborc*. Theodericus filius Theode- *al. Lucelenburc.
rici de Monçonz genuit Theodericum. Rainaldus frater Stephani Metensis Episcopi genuit Rainaldum, Hugonem, & Theodericum nunc electum Metensem, & quatuor filias. Fridericus frater Episcopi Metensis genuit Lodouuicum. Adela sororFriderici Ducis genuit Fulconem & Gallerannum, & filiam vnam quam habuit Henricus de Liemborc* pater Pagani de Arluns. Rainaldus frater Theoderici ele- *al. Limburc.
cti Metensis genuit Theobaldum Comitem de Monçons ex filia Comitis Campaniæ, quæ fuit soror Reginæ Franciæ, quæ Regina genuit Philippum de Gonesse Regem Franciæ ex Lodouuico Rege. Philippus Rex genuit Lodouuicum, qui mortuus fuit apud Monpancier in reditu de Auenione. Iste Lodouuicus genuit Lodouuicum, qui modo regnat, anno scilicet Domini M C C L X I. Theobaldus Comes de Monçons habuit duos fratres, Henricum Comitem de Bar, qui mortuus fuit sine liberis, & Rainaldum Episcopum Carnotensem. Ipse verò Theobaldus genuit ex Loreta filia Comitis de Los Thomascetam vxorem Friderici Ducis Lotharingiæ, ex qua idem Dux genuit Iacobum Episcopum Metensem, & Theobaldum & Matheum, Duces Lothoringiæ.

GIRBERGA soror Hadeuuidis superioris genuit Lotharium Regem Franciæ,
C & Karolum Ducem, Mathildam, & Albradam, fratres & sorores. Horum Lotharius genuit Lodouuicum Regem Franciæ. Karolus Dux genuit Ermengardam, Othonem Ducem, & Gerbergam, fratres & sorores. Horum Ermengardis genuit Albertum Comitem, [* & filias duas, Hadeuuidem & Emmam de Los. Horum Albertus genuit Albertum Comitem.] Albertus genuit Fridericum Episcopum, Godefridum, Henricum, Albertum, fratres. De sororibus, Hadeuuidis Theodoricum Ducem, & Gerardum Comitem, fratres. Horum Theodericus genuit Simonem Ducem. Simon genuit Matheum Ducem. Matheus Simonem Ducem ex sorore Friderici Imperatoris, & Fridericum de Bittes. Fridericus autem de Bittes genuit Fridericum Ducem Lothoringiæ, qui fuit gener Theobaldi Comitis Barensis, & habuit ex filia eius, sicut prædiximus, Iacobum Metensem, Episcopum, Theobaldum & Matheum Duces, & Reginaldum Comitem de Castres. Processit etiam ex eadem stirpe Imperiali domnus Robertus de Florenges, ex cuius consanguinitate descendit venerabilis domnus Philippus Episcopus Metensis, qui modò tenet sedem cathedralem, scilicet anno Domini M. C C L X I. Gerardus frater Alberti[1] genuit Giselam, & Hugonem[2], & Lambertum. Lambertus genuit Henricum Comitem Louaniensem. Hic Henricus genuit Henricum, & Godefridum fratres. Henricus filius Gerbergæ genuit Adeleidam, Chunegundem, & Adelam. Mathildis filia Gerbergæ genuit Eustachium Comitem Boloniensem, & Gerbergam Friderici Ducis vxorem. Eustachius Comes genuit Balduinum Regem Hierusalem, Gode-

* Hæc omissa in Mēbrana Metensi, ex alia vetustiore nunc primùm addita sunt.

1 Fort. leg. Theoderici, & certè ita videtur, cùm alterius Gerardi supra non meminerit, quàm illius, qui fuit frater Theoderici Ducis.

2 Hic deesse videtur initium generis Gerbergæ secunda filia Caroli Ducis.

fridum Ducem, & pòst Regem Hierusalem, ex Ida. Gerberga soror Eustachij Comitis ex Friderico Duce habuit filiam mutam*. Hæc genuit Henricum de Lembure. A

* al. Iuntha.

MATHIDIS soror Lotharij Regis Franciæ & Karoli Ducis genuit Rodulphum Regem Burgundiæ, Bertam, Guepam, & Mathildam. Horum Berta genuit Othonem Comitem Campaniensem. Hic Otho genuit Theobaldum Comitem. Theobaldus genuit Stephanum, Othonem, Hugonem, fratres, Comites. Guepa soror Bertæ & Mathildis genuit Giselam vxorem Regis Conradi. Hæc habuit ex Conrardo Henricum Imperatorem tertium. Hic Henricus genuit Henricum quartum Imperatorem Cæsarem Augustum ex Agnete. Mathildis soror Guepæ & Bertæ genuit Arnulphum Comitem Flandriensem, Godefridum Ducem, Gozelonem Ducem, fratres. Horum Arnulphus genuit Balduinum. Hic genuit Balduinum ex Chunegunde. Hic genuit Balduinum & Robertum ex Adela. Gozelo frater Arnulphi & Godefridi genuit Godefridũ Ducem, Odam, & Regelindam*. Horum Godefridus Dux genuit Godefridum gipposum & Henricum Comitem Louaniæ. Regelindis soror Godefridi Ducis & Odæ genuit Albertum Comitem Nammucensem. Hic Albertus genuit Godefridum, Fridericum, Henricum, & Albertum, fratres.

* al. Gedelindam.


ALBRADA soror Lotharij Regis, Karoli Ducis, & Mathildis, genuit Ermendrudam. Hæc genuit Agnetem. Hæc aliam Agnetem. Hæc genuit Henricum quartum Imperatorem ex Henrico Imperatore tertio. Hic Henricus Imperator genuit Conrardum & Karolum cognomento Henricum ex Berta. B

OTHO Imperator frater Brunonis Coloniensis Episcopi, & Henrici Ducis, genuit Hudicam*, & Othonem secundum Imperatorem, fratres. Horum Iudica genuit Othonem Ducem. Otho Henricum & Chononem fratres. Horum Henricus genuit Conrardum Imperatorem, & Lidulphum, fratres.

* al. Budicam, Ludicam, & Iudam.

HENRICVS Dux frater Othonis primi genuit Henricum Ducem. Hic genuit Henricum Imperatorem, & Giselam vxorem Stephani Regis Hungrorum. Hæc genuit Bernardum. Hic genuit Idam Namucensem, & Reginam Francorum, vxorem Angelberti Marchionis, & Gertrudem Comitissam Flandriensem, & Reginam Nacorum.

Hactenus habuit antiqua Membrana Mediomatricum Ecclesia.



ADDENDA SVPERIORIBVS.

DE CAROLO MAGNO.

Sup. pag. 188.

VERSVS DOMINI MAGISTRI IN AVLA. siue is Paulus Diaconus, siue Alcuinus fuit.

Ex vetusto Cod. MS. eruditi viri Philippi Loyautè in suprema Curia Aduocati.

B

CVLMINA cernenti Lectori littera prome,
FARDVLFVS CAROLO condidit ista suo.
Qui quondam propriæ fuerat dum sceptra secutus
Gentis, in aduersas fata rulêre vias.
Attamen hic fidei dominis seruauit honorem,
His Regni quamuis vltima meta foret.
Tandem victoris CAROLI felicibus armis
Cessit, & in melius fors sibi cessit iter.
Huic quoque, dum fidei saluaret munera Regi,
Rex sibi præcelsus plurima dona dedit.
Inter quæ SANCTI DIONYSI Rector vt Aulæ
Fieret, indulsit pacificus CAROLVS.
Hanc benefactori construxit prouidus Ædem,
In qua cum famulis gaudeat ipse suis.
Ipse suis seruis, fidei quos vincula nectunt,
Lætitiam Princeps præbeat armipotens.
C More tamen veterum consurgere iussit auorum
Culmina, quæ fulgent Regis amore, domus.
Vt quoties Rector præclara Palatia lustret,
FRADVLFI famuli sit memor ille sui.

HANC tibi, præcursor Domini, FRADVLFVS opimam
Condidit ornatam diuinis cultibus Aulam,
Vota tibi reddens, supplex quæ vouerat olim,
Exilij primum cœpit dum nosse laborem.
Annuit his CAROLVS dictis pulcherrimus Heros,
Quem placidum voluit vestris sibi reddere Christus
Pro meritis famulum, magnis & honoribus auxit,
Nunc sibi soluendi voti est concessa potestas.

NVNC igitur nobis dum cessa est copia fandi,
Nomen amicitiæ crescat vbique suæ.
Crescat & audaci assiduum sub pectore votum,
Quod sibi longæuum addet in orbe diem.
Addet & æternam per præmia plurima palmam,
Quam sibi perpetuus seruet in arce Deus.

A

CARTVLA felici fer dulcia carmina vati,
Gaudeat vt multis nostro modulamine lustris.
Audeo nam fari magno succensus amore:
Care vale, care, care Magister, aue.

IAMQVE ades Hisperiis PIPINVS Rector ab oris,
Vt cumules CAROLI gaudia magna patris.
Nam velut Eois consurgit Phœbus ab astris,
Gentibus Occiduis sic decus ipse nites.
Expectate diu saltem nunc adfore gaudent
Alpibus è gelidis te pater atque genus.
Principe, cum tanto plebs, Clerus, ara, Sacerdos,
Aduentus vestri gaudia magna metunt.
Nam quantum tardas studuisti fingere moras,
Sollicitus patrio corde nitebat amor.
Longius & quantum diludunt gaudia mentem,
Fortiùs absentis prolis imago places.
Hoc germanus agit CAROLVS, præsentia patris
Carpitur egregij fratris amore sui.
Moratur, causásque morandi se perimatur *
Callibus ambiguas difficilésque vias.
Suspiria surgunt, missósque incassat euntes,
Segnitiem putans quicquid abesse potest.
Quem CHLODOVVIH, quamuis eodem teneatur amore,
Solatur, fratris mitiùs acta ferens.
Parce, inquit, germane, tuis desiste quereri.
Aduenict noster, credo, sodalis amor.
Namque ego præsentis caperem dum præmia noctis,
Adstetit egregij fratris imago mei.
Méque per amplexus & plurima gaudia lusit.
Dixit abscedens: Prospera cuncta gero.
Et citò præcaris obtutibus adfore vestris
Me scito, & CAROLO hæc refer acta meo.
Nam non complentur crescentis cornua Lunæ
Quam sibi te socio oscula fida dabo.
Iam donante Deo non somnia cernimus vitrò,
Somni sed fructus ANGILBERTVS ego.
Nam te Lingonicis amplector victor in aruis,
Vix passus verbis miscere verba piis.
Te patrius vexabat amor, me torret vterque,
Ipsius assiduus, nunc tuus altus amor.
Expectate diu, spacium da quæso precanti,
Vt paucis verbis plurima verba feres.
Sis felix, solitus nostrum renouare dolorem.
Nam citò discedens vulnera nostra nouas.
Sit tecum qui cuncta tegit præcelsa vel ima,
Ducat incolumem per vada, pérque viam.
Vt te suscipiat gremius venerande parentis,
Christi defensus tegmine sanus eas.
Sic vos coniunctos defensio diua per annos
Protegat à cunctis munere macte malis.
O cur non merui Regis tunc cernere vultus,
Cùm te complectens oscula pura daret.
Cum CAROLVS sitiens & CHLVDVVIH anxius Heros
Ancipitem risum vix sibi corda tegunt.
Quid CHRODTHRVDIS agat, quid BERTA & Regia fari
Expectans poterit, gaudia tanta ferens?

A Quid Gis * & Teodrada simul cum prole retractant, *for. Gisla
Cerera regali quas tuus agit amor.
Quid Gisla egregij sponsa præpulchra Tonantis
Quid Lvitgardis ouans Regis amore luat.
Quid Hildibaldvs præcellens ordine vatis,
Quidve Duces, Comites, quid puer, atque senes.
Cunctos alrus amor sacratis legibus vrit,
Vultibus & vestris lumina fixa renent.
Hæc maneant patri & germanis gaudia pacis,
Hæc maneanr Francis festa beara bonis.
Hoc firmet Christus Regnum dominaror ab astris,
Vt vigeat prolis pollear ipse pater.
Te Carolvs germanus amet, ru dilige amantem:
Vos Chlvdovvih gemino nectire amore pio.
Ipse repensabit vobis dilectus amorem,
Sic pariter proprium discite amare patrem.

VERSVS ALII DE CAROLO MAGNO, ET EIVS LIBERIS.

B

Ex Poemate MS. Theodulphi Aurelianensis Episcopi.

Hinc adstent pueri, circumstent indè puellæ:
Vinea lætificet sicque nouella parrem.
Stent Karolvs, Hlvdovvicqve simul, quorum vnus ephebus,
Iam velut alrerius os iuuenale decus.

Et nunc ardenres acies Rex flectat ad illos,
Nunc ad virgineum flectat vtrimque chorum.

Scilicet ad Bertam & Chrodtrvdh, vbi sit quoque Gisla,
Pulchrarum vna soror sit minor ordo rrium.
Est sociata quibus Levtgardis pulchra virago,
Quæ micat ingenio cum pietatis ope.

Berta rosas, Chrotrvdh violas, & lilia Gisla,
Nectaris ambrosei præmia quæque ferat.
C Rothaidh poma, Hiltrvdh Cererem, Tetdrada Lizum:
Queis variæ species, sed decor vnus inest.

Voce valens, sensúque vigil, sermone politus
Adsit Ricvlfvs nobilis arte, fide.
Qui etsi longinquâ fuerit regione moratus,
Non manibus vacuis iam tamen ipse redit.
Dulce melos canerem tibi, ni absens dulcis Homere esses:
Sed quoniam es * hinc mea Musa tacet.
Non Ercambaldi sollers præsentia desit,
Cuius fidam armat bina tabella manum,
Pendula quæ lateri manuum cirò membra reuisat,
Verbáque suscipiat quæ sine voce canat.

Stet Leuita decens Fredegis sociatus Osvlfo,
Gnarus vterque artis, doctus vterque benè.
Nardus & Ercanbald si coniunganrur Osulpho,
Tres mensæ poterunt vnius esse pedes.
Pinguior hic illo est hic est quoque tenuior illo:
Sed mensura dedit altior, ecce pares.

VERSUS EIUSDEM THEODULPHI EPISCOPI, A

De FULRADO *Abbate S. Quintini.*

QUUM denis lustris ternos minus inclytus annos
Rex ageret KAROLUS sceptra tenendo pia,
Rebus & humanis exemptus culmina Regni
Linqueret ingentis Rex Ludouice tibi.
Dátque octingentis Christi incarnatio felix
Addere curriculis quatuor atque decem.
Condere cœpit opus huius venerabilis Aulæ
Abbas FULRADUS nobilitate cluens.
Namque huic HIERONYMUS, CAROLUS parer extitit illi,
Qui propriæ specimen gentis ad astra tulit,
Bella gerens, pacémque tuens, qui culmina Regni
Ad ptolem misit auxiliante Deo.

EPITAPHIA FASTRADÆ REGINÆ CAROLI M. CONIUGIS.

Ex Lib. VII. *Antiq. Treuerensium Christophori Brouueri.* B

794. ANNO DCCXCIV. Fastrada Caroli coniux vitam reliquit: femina, cui tametsi crudelitatis & sæuiciæ notam ascribat Eginardus, pietatis laude clarissima. Hæc in vita magno dentium dolore vexata, cùm ad D. Goaris Basilicam remedium doloris oratum venisset, continuò, vt supplex facta est, præsenti incommodo caruit. Sepulta est Moguncíaci in æde D. Albani, ante aram beatæ genitricis Dei Mariæ, in Aquilonari vestibulo, cùm iam Richolfus Archiepiscopus Lulli successor eodem in loco Monasterium inchoasset. Ceterùm Reginæ candido marmori insculptus sepulcralis hic positus olim titulus.

Inclyta FASTRADÆ *Reginæ hîc membra quiescunt,*
De medio quam mors rigida flore tulit.
Nobilis ipsa viro coniuncta & iure potenti est:
Sed modo cœlesti nobilior thalamo.
Pars illi melior CAROLUS *Rex ipse remansit,*
Cui tradat mitis tempora longa Deus. C

Hæc de Fastradæ Reginæ titulo ex probæ notæ veterum monumentis, Cœnobitæ eiusdem loci memoriæ mandauêre, cùm fortè Moguncíaci primariam ædem inspiciens, Epitaphium ab hoc longè diuersissimum reperiebam eidem Fastradæ positum, quod ascititio tamen cultu fucatum, literarúmque peregrino quodam ductu, ac ipso denique metri sono, huic se ætati sponte subtraheret. Ponetur hîc, vt penes alios ista quoque sit diiudicatio. Nam priori olim subiectum fuisse, ex clade quapiam, vel conflagratione ædis, interpretor.

FASTRADANA *pia* CAROLI *coniunx vocitata,*
Christo dilecta iacet hoc sub marmore tecta,
Anno septingentesimo nonagesimo quarto
Quem numerum metro claudere Musa negat.
* Christe quem Virgo peperit. ** Rex pie, quem gessit Virgo licet hic cinerescit,*
Spiritus heres sit patriæ, quæ tristia nescit.

Adiiciuntur deinde sæculi nobis proximi versus hi,

Quæ FASTRADANÆ *coram monumenta tueris,*
Haud isto primùm fixa fuêre loco.
Aede sed Albano sacra, castísque propinqui
Martyribus claro vertice collis erant.
Nunc ea, quòd periit flammis hostilibus ædes,
Mota locis zelo sunt monumenta pio.

A

VERSVS DE GEROLDO COMITE, FRATRE HILDIGARDIS REGINÆ, CAROLI M. CONIVGIS. Qui in certamine contra. Hunos cæsus est anno DCCXCIX.

Excerpti è Poëmate VValafridi Strabi Abbatis Augiensis ad Grimaldum Capellanum.

QVIN etiam quondam Comitem sacer ille GEROLDVM 799.
Angelus asseruit requiem captasse beatam,
Martyribúsque parem, quo gloria summa beatis
Ciuibus æternæ reddit dulcedinis haustum.
Et quando zelum Domini conceperat, inquit,
Gentibus infidis Christi defendere plebem;
B Congrediens, huius sumpsit dispendia vitæ.
Æternis ideò meruit fulgere trophæis,
Munera perpetuæ capiens ingentia vitæ.
Hic vir in hac patriâ summa bonitate nitebat,
Moribus egregius, verax, mansuetus, honestus,
Cui Regina soror LVDOVICI cara genetrix
HILDIGARDES erat, parili bonitate venusta.
Viribus ille potens, sanctóque potentior actu.
Defuerat soboles, paritérque & defuit hæres.
His igitur verbis sese compescere cœpit.
Denegat hæredem Dominus, manet ipse superstes.
Quod dedit accipiet, Mariæ commendo beatæ.
Sic votum factis sequitur, magis omnibus isti
Profuit ille loco, cuius nitet Augia donis.
Bella mouet CAROLVS duros, tum Cesar in Hunos.
Hoc cecidit bello populo certante GEROLDVS.
Tunc dominum famuli lacrimis sumpsêre referti,
Húcque reportatum tam longa per auia corpus
C Insulanensis humus contexit in æde Mariæ.

EPITAPHIVM EIVSDEM GEROLDI COMITIS.

MOLE sub hac magni seruantur membra GEROLDI,
Huius iura loci cunctis qui viribus auxit,
Pannoniis vera Ecclesiæ pro pace peremptus,
Oppetiit sæuo Septembribus ense Kalendis.
Sideribúsque animam dedit, artus Saxo fidelis,
Abstulit, huc retulit, dignóque hîc clausit honore.

FRAGMENTVM CHRONOLOGICVM, Sup. pag. 90. in fine.

Quod ex Cod. MS. Sancti Galli apud Heluetios edidit Henricus Canisius Tom. VI. antiquarum Lectionum.

ANNO DCCCIII. ab Incarnatione Domini, Indictione XIV. anno XXXVIII. 803.
regnante CAROLO Imperatore, VIII. Idus Februarij die Veneris, diuisum est Regnum illius inter filios suos, quantum vnusquisque post illum haberet. **.

I.

FRAGMENTVM DE LVDOVICO PIO IMP. ET EINARDO ABBATE,

Ex Narratione Odilonis Monachi ad Ingrannum S. Medardi Sueßion. Abbatem, de aduentu & susceptione corporum SS. Martyrum Tiburtij, Marcellini, Petri, & aliorum.

818. DOMNVS & Augustus noster, videlicet totius Orbis Romani Princeps, Francorúmque Regni pater piissimus, felix, & prouidus Imperator totius Monarchiæ, CLVDOVICVS scilicet illius augustæ & venerandæ memoriæ KAROLI MAGNI filius, qui ad liberandum Orbem tyrannicis inordinationibus, & ad comprimenda domestica mala, diuinæ dispositionis sublimatus est gratiâ: postquam paterni suscepit Imperij gubernacula, totius sanctæ Ecclesiæ fideles & filios per quatuor mundi climata pio moderamine prouexit ad supernæ felicitatis emolumenta. Hic inter sibi collatæ virtutis & gratiæ munera, honestæ fidei pariter & documenta dedit, & ornamenta Religionis Ecclesiasticæ multipliciter condecorauit. B Multa quoque corpora Sanctorum de pluribus Italiæ partibus in Regna Francorum detulit, vbi maximè populus nobilitate superbus, armorum strenuitate decorus, non minima laude sapientiæ, simul industriæ & prudentiæ, pollet & præualet vtique. Cuius ingenij solertia beatissimi & omnifariâ laude dignissimi Sebastiani Martyris corporalis gleba, simul & beatæ memoriæ Gregorij Papæ sanctissima membra penes Suessorum mœnia in Basilica summi Confessoris Christi Medardi deportata pariter & conlata videntur & habita. Cùm ergo innumerabilis miraculorum frequentia tunc temporis assiduè fieret in Sanctorum præsentia, per longa mundi spatia tanti odoris fragrantia non minima redolet virtutum notitiâ.

VNDE contigit, vt quadam die, dum præfatus Imperator hiemaret Aquisgrani Palatij, sub tempore inter prandium plura cum Optimatibus suis loquendo exorsus est regio more. Inter quæ plurima verborum colloquia subitò beati Sebastiani Martyris impegit translationis gaudia, & virtutum ipsius magnalia. De neglectis quoque Martyrum sepulcris, quorum Romæ ingens esset copia, prolixitas sermonis subsequitur non minima. Factum est autem, dum hæc agerentur, vt quidam Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine Deusdona pro suis necessitatibus Regis adiret imploraturus clementiam. Dum verò diutiùs in Palatio moraretur, C cum EINARDO Abbate, Palatij Regalis scilicet domestico, familiaritatem illius præ ceteris Palatinis promeruit, & omnem humanitatis exhibitionem ab eodem Abbate sine vlla impropetatione suscepit. Inter hæc dum aperto propter quod venerat negocio Romam redire disponeret, ab eodem Abbate multa donaria recepit in sua, & maximè multorum præsentia, ad perficiendam suæ reuersionis diligentiam. Igitur de Aquisgrani Palatio profecti, prædictus scilicet Abbas EINARDVS, & præfatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ad Augustam vsque vrbem Suessorum perueniunt. Ea tempestate domnus Imperator ob amorem inclyti Martyris Sebastiani, cum omni apparatu, & suorum Procerum comitatu, in Monasterio deuenerat S. Medardi, sanctum Pascha prout competebat deuotissimè celebraturus. Huic spectaculo vir venerandæ memoriæ HILDVINVS Abba aderat in omnibus, qui & prædictum Abbatem EINARDVM, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum, altiùs & honorificè suscepit, & familiatiùs tractauit, suorúmque secretorum conscios adhibuit. Inter hæc familiaritatis obsequia supra modum iocundari, & immensum lætati, Paschales dies prosecuti sunt gaudentes. Denique accepta benedictione repedationis suæ iamdictus Diaconus diuersæ promissionis admodum largus, beati TIBVRTII Martyris Hilduino Abbati promittit venerabile corpus. EINARDO quoque Abbati fideliter spondet, vt si fidelem Legationem secum dirigeret, multas Sanctorum reliquias in propria reciperet. Quibus promissionum dictis vehementer exhilarati, domnus videlicet Hilduinus Abba & Einardus, ambo Legatos diligenter eligunt exquisitos, prudentiâ videlicet industrios, & astuciâ conspicuos. Sic cum præfato Diacono iter aggressi, Romam quanta possunt celeritate præproperè tendunt. **

A

FRAGMENTA ALIA.

Ex Libris de Translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri, auctore EINHARDO *Abbate.*

CVM adhuc in Palatio positus, ac negotiis secularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quendam locum secretum, atque à populari frequentiâ valde remotum nactus, atque illius, cui tunc militaueram, Principis LVDOVICI liberalitate consecutus sum. Is locus est in saltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Moenum fluuios medius interiacet, ac moderno tempore ab incolis & circummanentibus Odanuuald * appellatur. In quo cùm pro modo facultatum ac sumptuum non solùm domos & habiracula ad manendum, verùm etiam Basilicam diuinis officiis congruentem, non inde cori operis ædificassem: dubitare cœpi, in cuius potissimùm Sancti vel Martyris nomine atque honore dedicari deberet. Cúmque in hac animi fluctuatione plurimum temporis esset euolutum, contigit vt quidam Diaconus Romanæ Ecclesiæ nomine Deusdona, pro suis necessitatibus Regis opem imploraturus ad Palatium veniret. B Ibíque aliquandiu moratus, cùm peracto propter quod venerat negocio Romam redire pararet; quadam die humanitatis causâ velut peregrinus ad prandiŭ nostræ paruitatis à nobis est inuitatus: ibique inter prandendum plura locuti, eo vsque sermocinando peruenimus, vt de translatione corporis beati Sebastiani, ac neglectis Martyrum sepulcris, quorum Romæ ingens copia est, mentio fieret. Indè ad dedicationem nouæ Basilicæ nostræ sermone conuerso, percontari cœpi, quonam modo ad id peruenire possem, vt aliquid de veris Sanctorum reliquiis, qui Romæ requiescunt, mihi adipisci contingerer. Hîc ille primò quidem hæsitauit, & qualiter id fieri posset se nescire respondit. Deinde cùm me de hac re sollicitum simul & curiosum esse animaduerteret, altera die se percontationi meæ responsurum esse promisit. LIB. I. CAP. I. * Odonoualt.

POST hæc cùm iterum à me fuisset inuitatus, protinus è sinu libellum mihi porrexit, rogans vt eum solus perlegerem, sibique de his, quæ in eo scripta eranr, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, & vt ille petiit, solus secretè perlegi. Continebatur in eo, esse sibi domi plurimas Sanctorum reliquias, eásque se mihi dare velle, si meo fultus adiutorio Romam reuerti potuisset: compertum sibi fore, quòd duos mulos haberem, quorum si alterum sibi darem, ac secum hominem meum fidelem mitterem, qui illas reliquias ab illo reciperet, mihíque deferret, statim eas mihi esse missurum. Complacuit mihi suadentis consilium, statuíque fidem sponsionis incertæ celeriter experiri: ac proinde dato quod C petebat iumento, addita etiam propter viaticum pecuniâ, Notarium meum nomine Ratleicum, quia & ipse orandi causâ Romam eundi votum habebat, cum eo pergere iussi. II.

IGITVR de Aquisgrani Palatio profecti (nam ibi eo tempore Imperator cum suo comitatu erat) Augustam Suessorum venerunt: ibique HILDOINO Abbati in Monasterio S. Medardi locuti sunt, quia memoratus Diaconus ei pollicitus est, se efficere posse, vt corpus beati Tiburrij Martyris in eius veniret potestatem. Quibus ille promissionibus illectus, misit cum eis quendam Presbyterum, hominem callidum, nomine Hunnm, iubens vt acceptum ab eo memorati Martyris corpus deferret. Indè iter ingressi, Romam quanta potuerunt celeritate perrexerunt.* III.

GERVVARDVS Palatij Bibliothecarius, cui tunc tẽporis etiam Palatinorum operum ac structurarum à Rege cura commissa erat, de Nouiomago, veniens, Palatium Aquense petebat. Is cùm in memorato fundo (nempe Gangludẽ in pago Mosano) quadam nocte mansisset, quæsiuit ab hospite suo, si aliquid noui de Palatio nuper audisset. Cui ille, Nihil, inquit, modò apud Aulicos tam celebre est, quàm signa & virtutes quæ fiunt in domo EINHARDI per quosdam Sanctos, quorum reliquias in Oratorio domus suæ habere dicitur. Ad quarum venerationem omnes vicini nostri quotidie festinant, & quicũque infirmus illò fuerit adductus, illicò curatur. * LIB. IV. CAP. VIII.

Hæc de miraculis beatorum Martyrum, quæ in Palatio gesta sunt, in præsenti Opere commemorasse sufficiat. Nunc ad eas virtutes veniendum est, quæ in his locis factæ sunt, ad quæ religiosis viris petentibus, ac me largienre venerandæ corũdem Martyrum reliquiæ venerunt, & in quibus hactenus cum magna reue- CAP. IX.

LVDOVICVS PIVS. tentia coluntur. Quæ primus omnium GEORGIVS Presbyter, & Rector Monasterij S. Saluij Martyris, quod in pago Fanomartensi, in vico Valentianas appellato, in ripa Scaldis fluuij situm est, me dante suscepit, & per quendam Diaconum ad memoratum Monasterium de Aquensi Palatio destinauit.* A

Cap. x. ANNO quattodecimo, Christo propitio, Imperij LVDOVICI Augusti, cùm ad corroborandam Christiani populi fidem, sicut in initio nascentis Ecclesiæ, signa & prodigia in ipse Regis Palatio per merita Sanctorum suorum Dominus dignaretur ostendere: petiit & obtinuit GEORGIVS Presbyter Aquisgrani Palatio ab EINHARDO Abbate reliquias beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, quorum corpora ipse de Roma per homines suos allata nuper acceperat: eásque in capsa, quam auro & gemmis decenter ornauerat, reconditas, per Diaconum suum, nomine Theothardum, ad Basilicam S. Saluij Martyris, quam ipse tunc temporis per beneficium Regis tenebat, dirigere curauit. *

Cap. xvi. HÆC sunt miracula atque virtutes, quas Dominus noster Iesus Christus per merita sanctorum Martyrum suorum Marcellini & Petri in vico Valentianas, ad salutem humani generis operari dignatus est. Quæ memoratus GEORGIVS Presbyter Libello collecta nobis mittere curauit, & nos huic Operi nostro censuimus inserenda. Hic est GEORGIVS Veneticus, qui de patria sua ad Imperatorem venit, & in Aquensi Palatio organum, quod Græcè hydraulica vocatur, mirificà arte composuit. * * B

Sup. pag. 550.

DE ADELHARDO COMITE PALATII, postea Abbate Corbeiensi, & de eius fratribus ac sororibus, Caroli M. propinquis.

Ex vita eiusdem Adelhardi, auctore Paschasio Radberto.

QVI (nempe ADHELARDVS) cùm esset Regali prosapia, PIPINI MAGNI Regis nepos, CAROLI consobrinus Augusti, inter Palatij tyrocinia omni mundi prudentiâ eruditus, vna cum Terrarum Principe Magistris adhibitus, elegit magis iustitiæ fore & veritatis amicus, quàm in illicita consentire etiam multis oblectatus blanditiis.

ERANT igitur quinque vnius viri semine propagati: quorum trium Imperator Augustus familiari vsus consilio, vna secum fundabili quadratura Francorum Imperium satis admodum dispositum regebat Reipub. augmentatum. C

Erat autem maior natu senex noster sanctissimus, ætate ac gratiâ Domino consecratus: maturior consilio, eximior omnibus sanctitate.

Deinde VVALA virorum clarissimus, qui ei successit, postea Monachorum Pater eximius, tunc temporis primus inter primos, & cunctis amabilior vnus. Nimia familiaritate Regi inhærens, & maxima Præfecturæ dignitate subiectus. In Senatu clarior cunctis, in militia verò prudenti animo fortior vniuersis. Quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negocio, vt longè plus censeretur amore posse, quàm omnium fastus etiam, & tyrannis reliquorum. Erat enim iustitiæ custos, & decus honestatis, oppressorum quoque iustus oppressor.

Quibus inhærebat ex latere sexu soror GVNDRADA, nomine dispar, sed virtutibus proculdubio compar, fratribus assiduitate præsens. Siquidem virgo familiarior Regi, nobilium nobilissima: quæ inter venereos Palatij ardores, & iuuenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum, & inter omnia libidinum blandimenta, sola meruit (vt credimus) reportare pudicitiæ palmam, & potuit, vt dicitur, carnis spurcitias illæso calle transire.

Reliqui verò duo, videlicet BERNARIVS noster, & THEODRADA soror eius Deo deuota, quæ iam reddito fructu nuptiarum, secûdum castimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Iesu cum Maria domi sedebant: illa quidem Suessione Sanctimonialium tegens vitam: iste verò Christi discipulatus nobiscum habens formam. Vtrique tamen ad vnum brauium supernæ vocationis currere festinabant.

A Denique si rursus eos diligenter attendis, tres eorum sunt siquidem qui continentiæ triumphum sortiuntur, & duo qui primùm castum meditantur connubium: ad postremum verò vtrique pariugum Monasticæ disciplinæ trahunt.

At verò Corbeia tunc multorum quoque ore iamdiu laudata mœrens, ac flens, cùm de tanto viduata patrono lugeret, in consolationem sui meruit suscipere VVALAM clarissimum virum inter reliquos quos habebat nobiles velut tyronem Christi, quem postea post decessum fratris vice Christi gaudens sibi exultat Patrem habere.

Inde igitur est, mi pater omnipotens, quòd BERNARIVS noster Litinum remittitur, VVALA verò tuus in Corbeia, vt dixi, tyro recipitur. THEODRADA namque quasi innocens sub sancta professione Suessione relinquitur. Porrò præfata GVNDRADA ad sanctam Radegundem quondam Reginam mittitur, idcirco vt cui communicauerat ex parte florens inter Palatij discrimina, imitaretur virtutum eius insignia, & cùm ea die noctúque Deum exorans, de se suisque interim consolationem consectando reciperet.

De conditione iam vltra quid loquar, qui, vt præfatus sum, Regali ex progenie clarus effulsit? Necnon & de altera conditione, vtrum proprius vt ipsi dicunt adoptiuúsne an abdicatus fuerit, ingeram? cùm & BERNARDI filius fuisse, fratris Magni PIPINI Regis, & Dei esse adoptiuus non abnuitur?

Sepulta sunt autem decenter membra charissimi Senis in Basilica beati Petri Apostoli sub fastigio inter eiusdem medioximæ quatuor Ecclesiæ centra, tectus B polito lapide. Super quem octonis sculptum versibus musici carminis haustu dignè legitur.

Hic iacet eximius meritis, venerabilis Abba
Noster ADELHARDVS, *dignus honore senex.*
Regia progenies, Paradisi iure colonus,
Vir caritate probus, moribus, atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam post octauas Domini hic carne solutus
Succedente die astra petiuit ouans.

VERSVS DE LEGIBVS INSTITVTIS

Sup. pag. 229. in fine.

à Pipino, Carolo M. & aliis Francorum Regibus.

C *Ex Præfatione Benedicti Leuitæ in Libros III. posteriores Capitulorum eundem Regum.*

AVREA progenies felici stemmate pollens,
Francorum virtus, perpetuúmque decus,
PIPINVS quondam micuit sublimiter, atque
CARLOMANVS agens quæ placuêre Deo.
Censores etenim veri pietatis amore
Ecclesiæ Leges instituere sacras.
Quas dum Lector ouans descriptas legerit istic,
Nec minus & Iura posteriora legat.
Hinc Cæsar KAROLVS diuino munere fretus,
Nobiliter Proceres rexit in orbe suos.
Quorum sceptra piis vnà moderatus habenis,
Sanctorum vicit inclyta gesta Patrum.
Virtutum gemmis Dauid, reliquósque secutus,
Insigni famâ fulsit vbique sui.
Quid memorem multas domuit quas denique gentes,
Equis & remeans clara trophæa tulit?
Nec mirum, coluit dum Regis iussa superni;
Decernens sanctis Iura tenenda viris.

Ob quæ promeruit cœlestia scandere regna, A
Qua quoque percepit præmia larga satis.
Inde LVDOVICVS Regno successit auito,
Eximius Princeps, diuus, & Orbis apex.
Augusto nituit sub quo GERMANIA cultu,
Cultori tribuens commoda multa suo.
Pacis amator enim Cæsar, pietatis & almæ,
Consuluit populis, plebibus atque suis.
Scilicet vt Regum renouans sancita priorum,
Prudenter titulos adderet ipse pios.
Quapropter moriens penetrauit sydera cœli,
Soluens præcelso cantica digna Deo.
Hinc etiam sequitur soboles veneranda per orbem
Ipsius insigni nomine digna patris.
LODOVICVS enim fluuij cis littora Rheni
Imperat, & gentes comprimit ecce feras.
Necnon LOTHARIVS parili ditione potitus,
FRANCORVM Cæsar sceptra tremenda vehit.
Tum KAROLVS Regnum Gallorum sorte retentat, B
Nomen aui referens auxiliante Deo.
Nos quibus illa tenent terni quæ Iura Libelli,
Obtulimus scripta semper habenda sibi.
Quorum norma docet iugiter nos viuere rectè,
Et studiis Domino ritè placere piis.
Hæc resecant prauos æquo moderamine mores,
Viuendi normam contribuendo piis.
Namque patrant multi funestas sæpè rapinas,
Nonnulli violant Templa dicata Deo.
Sunt alij scelerum fœdati labe suorum,
Fistula quos omnes commemorare nequit.
Sed cohibet tales Legum censura sacrarum,
Decretísque vetat ista patrare piis.
Ergo duces laudare decet per carmina fortes,
Munere virtutum qui micuêre sacro.
FRANCIA sub quorum sceptris tutissima mansit,
Libertate vigens, colla superba terens.
Quam variæ gentes dominam timuêre seueram: C
Vt pote quas armis cœpit ouando suis.
Vnde sibi nomen meruit, decus atque perenne,
Deuictis populis celsa trophæa ferens.
Cœlestis patriæ donati munere Reges
Exultant iugiter, & sine fine canunt:
Alta poli cuius subierunt culmina læti,
Quos deuota chelys iam resonauit ouans.
Felices nimium, quos Aula beata receptans,
Cœlicolis iunxit ciuibus ipsa libens.
Non ibi iam metuunt furuas nocuásque tenebras,
Quin potiùs veræ lucis amœna vident.
Sic Euangelici testatur pagina Bibli,
Quòd mundi lumen sit Deus altitonans.
Hoc iubar exhilarat superorum corda virorum,
Irradiánsque procul nubila tetra fugat.
Hoc etiam Vatum cecinit pulcherrimè quidam
Olim, quòd Dominus lux sit amanda Deus.
Cui decus, & virtus, laus & veneratio semper,
Imperiúmque manet cuncta per æua sacrum.
Ipse tibi tribuat prolixæ tempora pacis,
Credita qui plebi férsque talenta tibi.

A

FRAGMENTVM DE NORMANNORVM GESTIS CIRCA PARISIACAM VRBEM, ET DE DIVINA IN EOS VLTIONE, Sup. pag. 517.

Tempore Caroli Calui Regis Francorum.

B *Ex Libris Miraculorum sancti Germani Episcopi Parisiensis, quos tunc scriptis mandauit* HAIMONVS *siue* AIMOINVS, *Cœnobij S. Germani de Pratis Monachus.*

EX LIB. I.



ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCXLVI. Regis autem præcellentissimi CAROLI sexto, cùm Regnum Francorum post obitum LVDOVICI Imperatoris varias diuisum esset in partes, & peccata populi crescerent, sanguisque sanguinem tangeret, Deo permittente, flagitiis quidem exigentibus actum est nostris, vt exteræ nationes è propriis egrederentur sedibus, videlicet gens Danorum, qui propriè NORTMANNI, id est Septentrionales homines appellantur, & superbo tumentique corde cum valido nauium apparatu Christianorum fines intrarent. Qui huc illúcque furentes, atque cum magna superbia cuncta gyrantes, cœperunt vastando diuersas insulas maris: donec nemine sibi resistente fluuium Sequanæ ingressi, Rothomago forte incredibili applicarent. Cúmque in eadem ciuitate aliquantisper demorantes, regionis Principes (quod absque ingenti contritione cordis effari nequimus) adbellandum pigros timidósque aduerterent, exeuntes à nauibus longè latéque diffusi, cœperunt vtriusque sexus multitudinem trucidare, captiuare, villas, Monasteria, Ecclesiásque depopulando cremare, totámque suæ libidinis immensitatem, cum omni crudelitate in populum Dei debacchando exercere; quousque ad locum, qui vocatur Caroliuenna, ventis velísque suæ malignitati iusto Dei iudicio secundantibus, vltra spem securi nauigando peruenirent. Tunc gloriosus Princeps Rex CAROLVS, quia propter subitaneum eorum ascensum ex toto non poterat, conuocata aliqua exercitus sui parte, venit primùm ad Monasterium machari Dionysij, vt eius orationibus fultus, securiùs contra Dei suósque pergeret hostes. Denique vt erat, vti adolescens animo armísque strenuus, ad supradictum locum pugnaturus accessit: paratus non solùm dimicare, sed etiam pro fide próque defensione sanctæ Dei Ecclesiæ laudabiliter mori. Cuius aduersarij cognoscentes aduentum, diuerterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, vbi quædam parua tantùm pars populi erat. Quibus confestim in fugam versis, in insula quadam eiusdem fluuij ad opprobrium Christianorum plus minus centum vndecim captiuos sudibus suspenderunt, multósque alios per domos & arbores confixerunt, atque nonnullos per villas campósque miserabili insecutione trucidantes peremerunt. Ipsóque sanctissimo Paschalis festiuitatis Sabbato Parisius peruenientes, vacuam penitus ipsam vrbem, quondam populosam, & omnia in circuitu illius Monasteria suis habitatoribus deserta repererunt. Timor siquidem & metus vniuersos inuaserat, vtpotè meritò iniquitatis diuino enudatos auxilio, atque ideò mundanæ defensionis destitutos solatio. Quis, rogo, non doleret, antequam bellum committeretur fugatum exercitum, antequam iaceretur sagitta confossum, ante scuti allisionem ignominiosè subactum? Vniuersorum namque

CAP. I. 846.

C

ordo penitus in Ecclesia confusus, atque à bonitatis studio permutatus, hoc ipsa A
priuatione boni vsque ad exitij fomitem digna satis vltione promeruerat. At pius Pater, iustus delinquentium semper corrector, correctorúmque clemens susceptor, non hoc intulit, vt nos ob innumera delictorum nostrorum pondera crudelis damnaret, sed vt per immensam benignitatis suæ largitatem afflictos emendaret. Tunc, proh dolor! sanctissimum beati Germani corpus de suo effossum sepulcro, in possessionem quandam eiusdem Ecclesiæ, quæ Cumbis dicitur, delatum est. Sed quæ facundia, quisve sermo exponere posset, qualis, dum hæc agerentur, quantúsque in eadem Ecclesia exririt luctus? Senes itaque ac iuuenes, pueri flebant & infantes, vt pote nemo sese à lacrymis temperare valens. Similiter & aliorum corpora Sanctorum in eodem pago degentium extumulata, atque per diuersa sunt loca deportata, exceptis membris dunraxat macharij Dionysij, sociorúmque eius Martyrum. Quæ licèt à suis fuerint abstracta sepulchris, propter tamen Regis præsentiam non sunt tunc ad alia loca transire compulsa. Statuerat quippè, populo videlicet à se labente, vt vel iam dicti Martyris Monasterium defenderet, eò quòd diuæ memoriæ genitor illius eum, cùm esset paruulus, eidem Sancto speciali traditione commendasset.

CAP. VI. IN memorato denique Caroliuennæ loco ipsi Nortmannorum populi se victores, séque superiores esse conspicientes, dum adhuc morarentur, exeuntes è nauibus, Cellam nostram, quæ contra vel secus eúndem locum posita est, cursu propero festinantes intrauerunt. B Vnde miraculum, quod illic tunc factum comperimus, optimum si narretur putamus. Namque in eadem Cella Ecclesiis Apostoli Petri almíque Germani ignem térque quatérque supponere nitentes, cùm defecissent, eas incendere amborum meritis non valentes, claustra eiusdem Cellæ tandem egressi, horreum, quod ibi erat iuxta positum, intrauerunt, ex quo tantus flammarum globus aëris alta petens ascendit, quòd quasdam arbores vltra etiam iam dictam Cellam virentes incenderet, ipsas verò Ecclesias intactas integrásque vt erant relinqueret. Cùm insuper ventus australis validissimè flaret, totúmque ferè incendium eandem in partem proiiceret, ilicò septentrionalis e regione spirans intumuit, atque in alterius partis latus australem mira conuersione reflectens, omnem vim ardoris pariter retorsit. Ita mirabilis Deus, qui per famulos suos secum fulgentes in cœlis semper mira communi pietatis gratiâ operatur in terris.

CAP. VII. CVM igitur Sabbato Paschali diffusa nauium classe Parisius, vt suprà dictum est, venissent, in crastinum cùm suos iam Sol lucifluos emitteret radios, propria totum illustrans lampade mundum, è nauibus prorumpentes, ipsam ciuitatem, vt præmisimus, vicináque suburbana absque habitatoribus repererunt. Ingressique C Monasterium beatissimi Germani, Dei fanum, residuúmque Ecclesiæ, quod securitatis damno remanserat apparatum, contaminare, pollutísque manibus cœperunt destruere. Sed quia Domino miserante, nec ibi virtus defuit eiusdem sanctissimi Patris, minimè debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi Creator ad laudem sui nominis gratiâ ipsius Pontificis ostendere dignatus est miracula. Quæ quia nemo nostrûm interfuit, penitus ignorabamus: postea tamen à fidelibus Missis LVDOVICI Beuuariorum Regis, Kobbone videlicet, aliísque, quos ad Principem Nortmannorum HORICH nomine Legationis causâ direxerat, ea cognouimus. Qui nobis illa fideliter narrauerunt, quemadmodum ipsi intestati sunt coram Horich, qui præsentes ex parte viderunt, atque ex parte ab ipsis, qui tunc in ipsa Ecclesia, quando hæc gesta sunt, simul aderant, Christianis audierunt. Nam cùm trabes Ecclesiæ miserrimus ille populus, quia erant abiegnæ, & idcirco habiles nauigio, incidere tentauisset, tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem beati Stephani inualidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt: atque confracti incredulas Deóque odibiles animas, aliis timore perculsis, exhalantes, perpetuas descenderunt ad vmbras, vbi edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.

CAP. VIII. CVMQVE illud Dei templum à trabibus ita cassatum, totúmque simul depopularetur Monasterium, accidit vt vnus eorum etiam apud eos nefandissimus, ad Confessionem domni Germani strictum gladium polluta gestans manu (mira quidem dicentur) deueniret, columnámque marmoream, quæ ibidem orantibus ad dexteram sita erat, tredecies totius corporis annisu veluti capulans hostem percu-

A teret. Cui continuò manus dexteræ, qua columnam ipsam inciderat, virilitas euanuit, vt post primum diem, quemadmodum idem Kobbo vidit, qui & eas incisiones, nobis ignorantibus præsens ostendit, vsque ad infelicem eius ex hac vita decessum semper immobilis aridáque, & vt fuerat extensa, permaneret. Manubrium verò ferri ita manui compaginatum inhæserat, vt nunquam ab ea, aliquo ingenio vel arte, nisi cum/ cutis parte auelli potuerit. Qui tandiu nimia vexatione compatientis corporis cruciatus est, donec miserrimam finiret vitam, plenus indignationis, manibus dæmoniorum deuectus ad tartareas sedes Cocyti, fœtidúmque lacum Auerni. CAROLVS C. E. 10.

OPERÆPRECIVM fore credimus, si & illud magnum narretur miraculum: Igitur dum ipsum sanctissimum Oratorium à crudelissima impiè violaretur turba, tanta subitò nebulæ est densitate repletum, eiusdémque obscœni violatores ita diuini iudicij excitate perculsi, quatenus id metu ac tremore nimio pauefacti linquere cupientes, vix ostia vel fores, per quas intrauerant, inuenire valerent. Sicque in oberrando diutiùs fatigati, tandem erumpentes quantociùs effugerunt, tali ab illo die tantóque peruasi terrore, quo nec ausi vlteriùs essent quacumque fœdirare ipsam contaminare Ecclesiam. Insuper & ita dysenteriæ morbo exindè, vt est vulgarum, sunt afflicti, vt dum quotidie morerentur, nullus ex tanta multitudine se putaret euadere. Interea simulato langore, Legationis causam dirigunt ad præcellentissimum Regem CAROLVM, vt eos cum pace fideles suscipiens, ad propriam, dato Regni tributo, redire permitteret patriam. His ita placitis, Rege B quidem nolente, Principibus tamen quibusdam, vt fatebatur, muneribus læsis, RAGENARIVS Dux eorum, cunctique Principes, ad Regem, qui tunc in Monasterio martyris Dionysii residebat, adducuntur: per Deos, pérque omnia, quibus maximè se protegi & saluari putabant, testantes numina vel arma, quatenus nequaquam vlteriùs vel sui Regni*, nisi fortè auxiliatores intrarent aut contingetent. Qui ita dimissi, atque pro sui euasione, quam minimè sperauerant, gauisi, per iter quo venerant, accepta auri argentique summa inposita, læti redierunt. Sed reuertentes, morbo, quo in prædicta Ecclesia perculsi fuerant, quotidiè deficientes, cruciabantur, cruciatique nequissimas miserabiliter animas expirauerunt: nemine, quos secum habebant, Christianorum huiusmodi plagam sentiente. In quibus omnibus Dei est consideranda potentia, eiúsque pietas amplectenda, qui tam misericorditer saluat innocentes, támque terribiliter Sanctos suos mirificando punit profanos. CAP. 12.

RAGENARIVS Dux, auctórque totius memorati mali, ante præfatum Horich Nortmannorum Principem cum ingenti superbia veniens, ostendit ei quod secum hinc apportauerat aurum, argentúmque multum: dixitque quòd opinatissimam Parisius ciuitatem captam haberet, quódque mansionem Germani senis, C quæ in eadem terra decentissima habetur, intrasset, insuper & quòd omne CAROLI Regnum sibi ratione tributi subiugatum haberet. Horich autem dum talia non crederet, iussit iam dictus Ragenarius partem incisæ trabis Monasterij diui Germani, serámque portæ Parisiaeæ vrbis ante eum in testimonium adduci. Præterea retulit ei, quàm bonam, quámque fertilem, vti omnibus repletam copiis inuenisset terram, populum verò eam incolentem ad dimicandum pauidum ac timetem. Referebátque dicens, quòd maiorem ibi mortui quàm viuentes haberent virtutem, nullúmque sibi inuenerint resistentem, præter Germanum senem mortuum. Hæc cùm diceret, tremens ilicò ac pauens corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum corám assistere, cúmque se baculo, quem manu gestabat, grauiter flagellare. Quod videntes Horich videlicet vniuersique sibi adstantes, ipseque Kobbo LVDOVICI Regis illuc directus Legatus, ex hoc quod acciderat stupore nimio permoti, admirati sunt. Idem verò Ragenarius sic humiliatus ac repentè contritus, aliorum manibus citò sublatus recessit: qui maximis per triduum tormentis ignominiosè afflictus, præcepit tandem vnam auream suæ similitudinis statuam fieri, atque per eundem Kobbonem Germano seni deferri, spondens se, si euaderet, Christianum deinceps futurum, Deúmque Christianorum indubitanter crediturum. Sed quia non erat ex ouibus Christi, idcircò quod petebat obtinere non meruit. Ita prorsus inflatus, quemadmodum nobis idem Kobbo manifestum fecit, ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec visus, nec CAP. 13.

CAROLVS CALVVS. odoratus, vel gustus in eius corpore mortis tempore discerni potuerit. Sicque diffusis ad postremum visceribus medius crepuit, vitámque miserrimus inanem finiuit. Statua verò sacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerat retenta, veluti immundissima, à mundissimo cordium inspectore refutata remansit.

CAP. XII. SED adhuc qualiter qui residui fuerant ex hac defecerunt vita, prosequendo narremus. Ab eo sanè die, quo Monasterium almi Præsulis Germani ingressi sunt, donec pœnaliter cuncti interirent, ita vt diximus turgenti sunt, Kobbone teste, viscerum inflatione perculsi, quatenus omnis eorum cœtus etiam in patria quotidie moriens periret, præter quos Horich postea iussit occidi. Timens etenim ipse, eiúsque Optimates, & populus pariter vniuersus, huiusmodi morte pessima damnati, præcepit omnes, qui residui erant, exceptis paucis fugâ lapsis, quos nec mortis credimus euasisse exitium, decollari, eorúmque capita, veluti satisfaciens morbo, Christiano, qui captiuus illic erat, populo tradi. Nam ita clades ingrassata Deo permittente sæuiebat in plures, vt penè quicumque morbidum tangeret, eodem extemplò attactus morbo & ipse deficeret. Insuper iussit cunctos captiuos, qui Christianitatis vocabulo censerentur, in Regno suo perquiri, eósque cum libertate & honore absque alicuius contradictione in suam patriam reuerti. Qui etiam hæc, & alia vltrà quàm sint inserta, dicebant. Nos tamen ea, quæ à videntibus percepimus, solummodò ponere disposuimus, magnum satis habentes, quòd victoriam, B quam populi multitudo communi obstante crimine ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus inclytus meritis, gloriosus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit.

EX LIBRO II.

CAP. X. DIGNVM ducimus, quod in sequentibus rythmo continetur, recolendum interserere miraculum. NORTMANNI verò apud eundem locum, qui dicitur Oscellus, in quadam Sequanæ insula residêtes, Parisius sæpè, dum prorsus placebat, nauali excursu veniebant. Redimebantur ergo omnia in circuitu vicina Monasteria, ne illorum sæuitiâ impositis ignibus cremarentur. Studebántque prætereà vicissim, equis, quatenus aliquos nobilium gratiâ pecuniæ capere possent. Vnde veluti ex mitissimi viri domini LVDOVICI Abbatis redemptione non modicum & incomparabile acquirebant lucri negocium. Et quotienscumque tale quid agere disposuissent, dissimulabant se multis diebus ante nullatenus quoquam ire, ne cui illorum furtiuus innotesceret aduentus. Proinde decreuerant mutua silentíque consideratione Parisius, siue ad nostrum aliquando percurrere locum, omnésque ibidem sub malè fida securitate commorantes insperatè decipere. Restiterant C siquidem in eodem Monasterio qui ipsum custodirent, Fratres ferè viginti. Quibus matutinale orto iam crepusculo Paschalis sacrosanctæ festiuitatis officium celebrantibus, assunt Nortmanni, qui Parasceue die equis ascensis iter arripuerant veniendi. Quos quidam nostrorum equites præuenientes, eorum eis quamuis serò malignum nunciauerunt aduentum. Illis autem non credentibus, sed magis laudibus diuinis insistentibus, pagani sine mora insequentes venerunt, eundósque vt erant in Ecclesia circumeinxêre psallentes. Tunc, quod magnum fuit declinandi subsidium, clausis in eorum oculis Ecclesiæ portis, omnes sese in quæque latibula vel puteos immergentes absconderunt, quo non ex omnibus nisi vnum equo fidentem, tanti Præsulis suffragantibus meritis, interficerent. Itaque fugientibus ante conspectum eorum ibant: nec aliter inquam verissimè, nisi vt quidam illorum ante enudatos etiam gladios, cùm esset dies, illæsi transirent. Quibus ita angelica cœlitus administratione saluatis, interfectis prænunciis, atque aliis in circuitu & in medio Monasterij ex familia plurimis, omnia veluti spurcissimi inuasores quæque in Ecclesia vel extra inuenerant diripientes, cum prouentus exultatione Cellario Fratrum igne supposito reuersi sunt. Tunc vniuersi de qualibuscumque, quibus se abdiderant, egressi latebris, concurrente etiam hinc indè populo ciuitatis, subuerterunt tandem Spiritus sancti gratia ignis ardorem, iam ad cuncta consumenda spacia altiora petentem. Neque, quod postea nostris iteratò contigit delictis, locus tunc penitus crematus dispèriit.

CAP. XVI. PERVENIMVS ergo psallentes, nimia lassitudine, ac Solis ardore fatigati, hora

A quasi sexta ad Monasterij ianuam. Annus autem circuli resurgentis Christi octingentesimus sexagesimus tertius, dies verò mensis XIV. Kalendas computabatur Augusti. Tunc hymno, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, incœpto, intrauimus Ecclesiam, deponentes eiusdem sacrosanctum corpus super ipsum, in quo priùs iacuerat, sepulcrum. Facta oratione, ac pro omni qui conuenerat cœtu peracta Missarum celebritate, intulimus illud in S. Symphoriani cryptam, vbi primùm migrans quieuerat, atque post eiusdem sancti Martyris altare in præparato sibi tumulo venerandum posuimus. Vnde euolutis temporum spatiis, atque Monasterio iam ex parte reædificato, adueniens gloriosus sempérque pius Rex CAROLVS, RICHILDIS Regina, simúlque Pater & Pastor noster dominus Gauzlinus Abbas, & Ingeluuinus Episcopus, aliique Præsules, siue Regni sui Principes, retulerunt eadem sanctissima membra cum laudibus & hymnis ad proprij locum sepulcri. CAROLVS CALVVS.

INSCRIPTIONES DE CAROLO CALVO IMPERATORE.

B

Ex veteri Codice Euangeliorum Monasterij S. Dionysij, apud, Ioann. Auentinum Libro IV. Annalium Boiorum.

ATQVE is, de quo dixi, aureus Codex, scilicet Liber auratus atque gemmatus, ob honorem diui Dionysij iussu Imperatoris CAROLI CALVI, Rectoris Occidentalium Francorum, aureis litteris scriptus, & Ædi eiusdem diui amplissimæ in agro Parisiorum sitæ dono datus, vitam & diuinam philosophiam Christi Domini Deíque nostri, quos quatuor Euangelistas vulgus nuncupat, continet. In liminari pagina Imperator Carolus Caluus, Rex Franciæ Occidentalis, depictus cultu regio, solio residet in alto: dextrâ læuâque adorabundi, ac supplices cornucopiæ exhibent, cum hisce carminibus,

FRANCIA grata tibi, Rex inclyte, munera defert,
GOTTHIA te pariter cum regnis inchoat altis.

Circum Regem hæc pentametra exametráque elegiaca scripta leguntur:

Hîc residet CAROLVS, diuino munere fultus,
Ornat quem pietas, & bonitatis amor.
C *HLVDOVICI iustus erat, quo Rex non iustior alter,*
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.
Alma viro peperit IVDITH de sanguine claro,
Cùm genitor Regnis iura dabat propriis.
Hîc nomen MAGNI CAROLI de nomine sumpsit,
Nomen & indicium, sceptra tenendo sua.
Istius imperio Codex resplendet, & auro,
Qui bona construxit multa fauente Deo.

Ad vmbilicum hi versiculi sunt:

Bis quadringenti volitant, & septuaginta
Anni, quo Deus est Virgine natus homo.
Ter denis annis CAROLVS regnabat, & vno,
Cùm Codex actus illius imperio.
Hactenus vndosum calamo descripsimus æquor,
Litteris ad finem nostra carina venit.
Sanguine nos vno patris matrísque creati,
Atque sacerdotis seruat vterque gradum.
En Beringarius, Leuthardus, nomine dicti,
Queis fuerat sudor difficilísque nimis.
Hîc tibi met, Lector, succedant verba precantis,
Vt dicas, cupiant regna beata poli.

A

EPITAPHIVM CAROLI CALVI REGIS FRANC. ET IMP. Quod in Nantuacienſi Monaſterio illi poſitum fuit.

Ex Nomenclatura Abbatiarum Galliæ Cl. Roberti.

HVIVS quoque loci (Nantuæ ſcilicet) Abbas Siagtius intereſt Sacro Pipini à Papa Stephano apud Sanctum Dionyſium peracto, & ab eodem Stephano Epiſcopus Oſtienſis factus. Hic etiam aliquot annos quieuit corpus CAROLI CALVI Regis & Imperatoris, quouſque transferretur in Ædem Dionyſianam Pariſiorum DCCCXCIV. Cuius Caroli effigies ſpectabatur in pariete antequam dealbaretur Eccleſia MDXCIX cum hoc Epitaphio.

Hoc Domini CAROLI ſeruantur membra ſepulcro,
Conſpicuus Romæ qui fuit Imperio,
Dardanidæque ſimul gentis, non ſceptra relinquens,
Sed potiùs placidè regna tenens alia:
Eccleſiámque pio tenuit moderamine Chriſti,
Semper in aduerſis tutor & egregius. B
Italiam pergens febribus corrumpitur atris,
Et rediens noſtris abiit in finibus
Quem Deus excelſis dignetur iungere turmis,
Sanctorúmque choris conſociare piis.
Quinta dies menſis lumen cùm panderet Orbi
Octobris, ſpiritum reddidit ille Deo.

EPITAPHIVM ALIVD EIDEM CAROLO POSITVM in Monaſterio S. Dionyſij.

IMPERIO CAROLVS CALVVS *Regnóque potitus*
&c. vt ſuprà pag. 473.

FINIS.

A 

APPENDIX AD TOMVM II: HISTORICORVM FRANCIAE,

Continens Epistolas Bonifacij Archiepiscopi Maguntinensis, Alchuini, Eginhardi, Frotharij Episcopi Tullensis, Lupi Abbatis Ferrariensis, Gerberti, & aliorum: quæ ad HISTORIAM Regum secundæ Stirpis, seu CAROLINGORVM, quoquomodo pertinent.

BONIFACII ARCHIEPISCOPI MAGVNT. EPISTOLÆ.

B

AD GRIPONEM FILIVM CARLI MAIORIS DOMVS.

EPISTOLA I.



ONIFACIVS *seruus seruorum Dei* GRIPONI *filio* CARLI *optabilem in Christo salutem.* OBSECRO & adiuro pietatem vestram per Deum Patrem omnipotentem, & per Iesum Christum filium eius, & per Spiritum sanctum, per sanctam Trinitatem, & vnitatem Dei, vt si tibi Deus potestatem donauerit, vt adiuuare studeas seruos Dei sacerdotes Presbyteros, qui sunt in Thuringia, & Monachos & ancillas Christi defendere contra Paganorum malitiam, & adiuuare Christianum populum, vt eos Pagani non perdant, & ante tribunal Christi mercedem habeas perpetuam. Et cognoscite, quòd memoria vestra nobiscum est coram Deo, sicut & pater viuus & mater iam olim mihi commendarunt. Deprecamur Deum Saluatorem mundi, vt dirigat viam vestram & vitam ad salutem animæ vestræ, vt in gratiâ Dei semper hîc & in futuro seculo permaneatis. Epist. XXVI. inter editas.

C Interea mementote, fili carissime, quia iuxta vocem Psalmigraphi, *Omnis homo sicut frenum dies eius, & sicut flos agri ita florebit.* Et Apostolus ait, *Totus mundus in maligno positus est.* Et item in Euangelio Veritas dixit: *Quid enim proderit homini, si lucretur vniuersum mundum, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et iterum in Euangelio de gloria iustorum: *Ecce fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* Et Paulus Apostolus de beatitudine vitæ æternæ: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quid praparauit Deus diligentibus se.* Facite ergo, fili, vt mercedis vestræ præmia in alto cœlorum culmine clarescant, & crescant. Valete vos in longitudine dierum in Christo optamus. Psal. 102. 15. 1. Ioan. 5. 19. Math. 16. 26 Math. 13. 43 1. Cor. 2. 9.

CARLI MAIORIS DOMVS AD EPISCOPOS, DVCES, COMITES ET VICARIOS.

EPISTOLA II.

DOMINIS *sanctis & Apostolicis in Christo patribus Episcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domesticis, seu omnibus Agentibus, Iunioribus nostris, seu Missis decurrentibus, & amicis nostris, illustris vir* CAROLVS *Maiordomus benè cupiens vester.* COGNOSCATIS qualiter Apostolicus vir in Christo Pater BONIFACIVS Episcopus Epist. XXXII. inter editas.

ad nos venit,& nobis suggessit, quòd sub nostro mundeburgio vel defensione eum A recipere deberemus. Quod ita nos gratanti animo hoc fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi, fecimus ei manum nostram roboratam dare, vt vbicumque vbi & vbi ambulare videtur, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburdio & defensione quietus vel conseruatus esse debeat, in ea ratione, vt iustitiam reddat, & similiter iustitiam recipiat. Et si aliqua causatio vel necessitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non potuerit, vsque ad nos quietus vel conseruatus esse debeat, tam ipse, quàm qui per ipsum sperare videntur: vt e inullus vllam contrarietatem vel damnationem aduersus eum facere non debeat, nisi vt omni tempore sub nostro mundeburdio vel defensione quietus vel conseruatus residere debeat. Et vt tertiùs credatur, manu propria subterfirmauimus, & de annulo nostro subter sigillauimus.

BONIFACII ARCHIEPISCOPI AD FVLRADVM ABBATEM SANCTI DIONYSII, Pippini Regis Capellanum.

EPISTOLA III. B

Epist. XCII. inter editas.

BONIFACIVS *seruus seruorum Dei gratiâ Christi Episcopus, carissimo consacerdoti* FVLRADO *Presbytero perennem in Christo charitatis salutem.* FRATERNÆ dilectionis tuæ spiritalem amicitiam, quam sæpè in necessitatibus meis pro Dei intuitu fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persoluere non possum; sed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cœlorum culmine mercedis præmia in gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine depreceor, vt quod bono initio cœpisti, cum bono fine perficias: id est, vt meo verbo gloriosum & amabilem Regem nostrum PIPPINVM salutauéris, & illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus quæ mecum fecit: & vt illi referas, quod mihi & amicis meis similiter videtur, vt vitam istam temporalem, & cursum dierum meorum per istas infirmitates citò debeam finire. Propterea deprecor Celsitudinem Regis nostri pro nomine Christi filij Dei, vt mihi nunc viuenti indicare & mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim penè omnes peregrini. Quidam Presbyteri per multa loca ad ministerium Ecclesiæ & populorum constituti. Quidam sunt Monachi per Cellulas nostras, & infantes C ad legentes * literas ordinati sunt. Et aliqui seniores, qui longo tempore mecum viuentes laborauerunt, & me adiuuabant. De his omnibus solicitus sum, vt post obitum meum non disperdantur: sed vt habeant mercedis vestræ consilium, & patrocinium Celsitudinis vestræ: & non sint dispersi sicut oues non habentes pastorem, & populi prope marcam Paganorum non perdant legem Christi. Propterea almitatis vestræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filiolum meum LVLLVM, & Coepiscopum, si Deus voluerit, & sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum & Ecclesiarum conponere & constituere faciatis prædicatorem & doctorem Presbyterorum & populorum. Et spero, si Deus voluerit, quòd in illo habeant Presbyteri Magistrũ, & Monachi regularem doctorem, & populi Christiani fidelem prædicatorem & pastorem. Propterea hoc maximè fieri peto, quia Presbyteri mei prope marcam Paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere possunt, sed vestimenta ibi inuenire non possunt, nisi aliundè consilium & adiutorem habeant: vt sustinere & indurare in illis locis ad ministerium populi possint, eodem modo sicut ego illos adiuui. Et si pietas Christi hoc vobis inspirauerit, & hoc quod peto consentire & facere volueritis, per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ, hoc mihi mandare & indicare dignemini, vt eo lætior in mercede vestra viuam, vel moriar.

* forte. legendas.

A

PIPPINI REGIS FRANCORVM AD LVLLVM EPISCOPVM,

EPISTOLA IV.

PIPPINVS *gratiâ Dei Rex Francorum vir illuster domino sancto Patri* LVLLO *Episcopo*. COGNITVM feimus sanctitati vestræ, qualem pietatem & misericordiam Deus fecit præsenti anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris: post tribulationem autem, magnam atque mirabilem consolationem, siue abundantiam fructus terræ, quam modò habemus. Et ob hoc, atque pro aliis causis nostris, opus est nobis illi gratias agere, quia dignatus est seruos suos consolari per eius misericordiam. Sic nobis videtur, vt absque ieiunio indicto, vnusquisque Episcopus in sua parochia Litanias faciat, non cum ieiunio, nisi tantùm in laude Dei, qui talem nobis abũdantiam dedit: & faciat vnusquisque homo suas elemosynas, & pauperes pascat. Et sic præuidere faciatis, & ordinare de verbo nostro, vt vnusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. Valete in Christo. *Epist. XCVI inter editas.*

B

BONIFACII AD PIPPINVM REGEM,

EPISTOLA V.

DOMINO *excellentissimo* PIPPINO *Regi Francorum Bonifacius Episcopus in Domino salutem*. CELSITVDINIS vestræ clementiæ magnas gratias agimus, & Dominum IESVM CHRISTVM precantes, vt vobis in regno cœlorum æternam mercedem retribuat, eò quòd petitiones nostras clementer exaudire dignati estis, & senectutem meam atque infirmitatem consolari. Nunc autem gloriose fili, cognoscas, quia per misericordiam Dei credo, quòd possim in seruitio vestro iterum esse. Propterea petimus vos, vt nobis indicetis, si ad Placitum vestrum debeamus venire, vt vestram voluntatem perficiamus. Quidam seruus Ecclesiæ nostræ, & ipse mendacissimus, qui nos arte fugiebat, Ausfrid nomine, veniens ad nos cum indiculo vestro, rogans vt ei iustitiam faceremus, misimus illum ad vos cum ipsis literis cum misso nostro, vt cognoscatis quia mentitus vobis est: petentes vt nos pro mercede vestra defendatis contra tales falsarios, & eorum mendaciis non credatis. Valete in Deo semper. *Epist. XCII inter editas.*

C

PIPINI REGIS AD BONIFACIVM ARCHIEPISCOPVM,

EPISTOLA VI.

PIPPINVS *Rex Francorum V. C. Bonifacio Archiepiscopo & Legato Germanico ab Apostolica Sede directo*. QVIA veneranda pietas tua nostram excellentiam postulauit pro Monasterio, quod à te nouiter instructum est in solitudine Bochonia iuxta fluuium Fulda, in loco quem beatæ memoriæ CAROLOMANNVS germanus noster legitima donatione tibi concessit, vt sicut ex auctoritate sancti Petri Principis Apostolorũ, pro quo Legatione fungeris, priuilegio Sedis Apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis Præcepto roboretur: placuit nobis tuæ petitioni assensum præbere. Et ideò hanc nostram præceptionis seriem, ob honorem Dei & venerationem S. Petri, conscribi iussimus, per quam priuilegium Sedis Apostol. à b Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum, cunctorumque fideliũ nostrorum, per omnia roboramus: præcipientes vt nullus Sacerdotũ in Regno nostro diuinitus nobis cõcesso, in præfato Monasterio iurisdictionẽ *Epist. CLI. inter editas.*

aliquam sibi vendicet, præter Apostolicam sedem, ira vt nisi ab Abbate Monaste- A
rij fuerit inuitatus, nec Missarum solemnia ibi quisquam præsumat celebrare. Sed
iuxta id, quod subiectum constat, Apostolicæ Sedi, firmitare priuilegij inconcussè
roboratum, permaneat. Locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet
vel possidet, quàm quas futuris temporibus iuribus ipsius Monastérij diuina pietas
augere voluerit, ex donis, oblationibus, decimísque fideliũ, absque vllius personæ
contradictione firmitate perpetua fruatur. Si autem quisquam nostræ auctoritaris
Præcepto repugnare voluerit, sententiam Apostolicæ districtionis, quæ in priuile-
gio expressa est, experiatur. Vt tamen hoc, quod ob amorem Dei, & venerationem
sancti Petri auctoritate nostra firmauimus, stabile permaneat, manu nostra robo-
ratum, & tam annuli nostri impressione, quàm fidelium nosttorum adstipulatione
subnixum. Vale.



EPISTOLAE III.

Nunc primùm in lucem editæ ex Bibliotheca Thuana. B

INCERTI AD PIPINVM REGEM, EPISTOLA I.

DOMINO *clementissimo, & à Deo electo & sublimato,* PIPPINO *Regi quàm
magnificentissimo; ille humilis seruus, & clientulus vester, Oratórque per om-
nia sedulus, per hanc Epistolam vestram magnitudinem in Domino Domino-
rum opto & mitto sempiternam salutem.* Gratias itaque ago omnipotenti
Deo, summa cum prosperitate in seruicio Domini mei perueni. rece-
prúsque ab eo solita benignitate illius in præsentia gratiosus consisto. Multa nam-
que ab eodem piissimo Rege melliflua verba de vestris partibus inquisitus fui, sed
in cunctis exquisitionibus quibusque libenter audiri merui. Talibus omnipotens
mihi ministrauit responsis, quæ animum illius velut suauissima melodiâ, ac sacræ
iucunditatis gaudio inrigarunt. Et ideò ineffabilis illius clementia erga Excellen-
tiam vestram, sicut dignum est, optimam habet voluntatem. Quoniam verò om-
nia quæ dicta sunt ille seruulus vester viua voce vobis potest narrare fuerunt qui-
dam ex pares, quos & amicos habere putabam, pectore venenoso currentes, ante- C
quam venissem, meam conati sunt accusare miseriam. Sed ille, qui cunctorum no-
uit occulta, misertus est famulo suo, eorúmque machinamenta magis iuuare cœ-
perunt quàm aliquem dolum inurerent. Cuncta verò, quæ latenter mentiendo
ad aures præclaras nisi sunt accusare coram cunctis Principibus, idem ipse clemen-
tissimus Rex mihi famulo suo dignatus est clementer narrare. quod, & hæc omnia,
præfatus ille vestris in auribus prudentiùs potest referre. Habere autem illum
vnum ex veris amicis, & fidelem seruulum, non dubitetis. quia inquantum mens
illius præualuit, de profectu vestro in gloria coram Domino nostro viriliter certa-
re studuit ille noster, quem vti anima mea in vestra diligeban amore, non erubuit
nece mea suas examinare sagittas: & saltim de parte mea in Regis præsentia ver-
ba non vera iactare. Sed ille, qui iniqui Architofelis ad nihi um redegit consilium,
voluit & eius subitò conterere nequitiam, & gratia Domni potiùs vt dignus es-
sem mihi benignus concessit. Habeo enim ego seruulus vester dispositum, vt mis-
sum meum citiùs cùm potuero in vestro dirigam seruitio. Sed nunc de præsente
pro benedictionis causa per illum dirigo vobis munuscula parua, non tamen paruo
voluntatis affectu, id est cusinos II....... eos vultu serenissimo respicere digne-
ris. Commendo me, omnésque res sancti il. ac nostras, & cunctis parentibus nostris
seruulis vestris sub defensione aliarum vestrarum multis felicitet annis quæso
Deu..... serenitati vestræ. Confestim cùm hunc recènsitum habueritis indicu-
lum, igni ad deuorandum trademini. *

A

EPISTOLA II.

CARVS *cariſſimo, dilectus dilectiſſimo, filius in Chriſto Patri, il. ille humilis illi Abbati in Domino ſempiternam ſalutem.* Duo enim ſimul noſtro verſantur in animo, admiratio videlicet, & triſtitia. Quare? quia poſtquam à veſtra dilectione corpore, non mente, ſeparati ſumus, neque per miſſum, neque per mellifluos apices veſtros, de deſiderabili proſperitate veſtra, quam Deo teſte ſemper audire, & videre deſideramus, certi effici meruimus. Notum igitur ſit ſapiétiæ veſtræ, quoniam v. Kalend. Auguſtas ſaumas noſtras partibus Palatij dimittere diſpoſitum habemus, & poſtea propter opus Eccleſiæ tres dies ſtare, eáſque feſtinanter deinde Domino auxiliante ſequi volumus: ea videlicet ratione, vt XVIII. Kalend. Septembris ad Magantiam eſſe poſſimus. Nam ſi vobis placuerit, ſicut diſpoſitum habetis, vt per nos veniatis, tunc ſecundum voluntatem veſtram iter noſtrum diſponere habemus. Nulla enim
B cauſa eſt, exceptis his quæ per nullum ingenium mutare poſſumus, quæ voluntatem veſtram, inquantum Chriſto auſpice valemus, nobis dimittere faciat. Fuimus namque ad locellum veſtrum in loco qui dicitur il. ipſum manſum conſiderauimus, ibíque noſtrum repaſtum ex noſtro adducere præcepimus, & vnà cum noſtris veſtriſque fidelibus in amore veſtro illic lætati ſumus. Inde nauigio piſces capiendo, ad villam...... peruenimus. TASSILO verò, vt ſperamus, fidelis veſter, de his quæ ab eo quæſiuimus prudenter nobis in omnibus reſponſum dedit. Et putamus, ſi eum probaueritis, & ſecundum ſcientiam vel doctrinam veſtram aliquod ſeruitium ei iniunxeritis, quòd vobis exindè placere curabit. Precamur denique, vt illo Præpoſito veſtro præcipiatis, vt de illo manſo quod veſtra caritas nobis beneficiauit, bonum certamen ſecundum promiſſionem veſtram facere ſtudeat, qualiter nobis vobiſque exindè merces adcreſcat. De plumbo autem & materiamine ſimiliter demandate, qualiter nauigio iuxta volũtatem veſtram de Sancto illo vſque ad locum vbi Signa confluit in mare, nos ita adducere poſſimus, quatenus Dominum meum Sanctum illum amatorem veſtrum vnà cum omnibus Sanctis, quorum reliquias in Monaſterio habemus, interceſſores exindè habeatis. Deus omnipotens eius temporibus in præſenti ſeculo vos ſanum & incolumem cuſtodiat, & in futuro cum ſanctis Angelis lætabundum efficiat. Amen.

C

CATHVVLPHI AD DOMNVM CAROLVM REGEM,

EPISTOLA III.

DOMINO *Regi piiſſimo, gratia Dei celſiſſimo,* CAROLO *verè cariſſimo, Regno Chriſti rectiſſimo, vltimus namque* CATHVVLPHVS, *tamen veſter ſeruulus intimo corde puro in ſpiritu ſalutem ſancto.* Domine mi Rex, igitur precor te, vt illius ſemper recorderis, ſicut credo, qui de nihilo te creauit, etiam ex minimo fecit maximum. Nam terreni nihil eſt parentis, niſi tantùm vt humorem corporis, in qua eſt naſcendi, cum ſenſu voluptatis materiam emittat vel recipiat, & tra * tunc à Deo eſt, in quantum quod peccatum non eſt. cetera namque à Deo ſunt omnia. Conceptus ſcilicet ipſe, & corporis informatio, & inſpiratio animæ, & partus incolumis, & quæcumque deinceps ad hominem conſeruatum volentis Dei eſt, & illius munus eſt quod viuimus, quod ſpiramus, iuxta illud: *Flatus hominis in manu Dei eſt.* Item, *Manus tuæ fecerunt me,* & reliqua. Et hæc ſunt communia omnibus hominibus. Propriis etiã beatitudinibus & ſpecialibus, ô ô Rex mi, honorauit te Rex tuus ſuper alteros coætaneos tuos, & ſuper anteceſſores tuos coronâ gloriæ beauit te. Prima, de Regis dignitate, Reginâque, ſed & inſuper. Illorum namque precum ſpecialiter Deum precantium, maximè matris, ſicut Deo placuit, indè, conceptus & natus, imò à Deo, Rex mi, & hoc verbum diligenter conſidera. Secunda, quòd primogenitus es, & benedictionem illius, ſicut ſcriptum eſt, accipies iuxta

illud, *Omne primogenitum quod aperit vulvam sanctum Domino vocabitur.* Tertia vt de fratris tui insidiis in omnibus Deus te conseruauit, vt de Iacob & Esau legitur. Quarta, quòd sortisti Regnum cum fratre tuo Francorum. Quinta non minimum est beatitudinis signum, quòd Deus transtulit illum de Regno terreno, & exaltauit te super omne hoc Regnum sine sanguinis effusione ..... mira pietas & magna cleméția Dei in illa die cum exercitu Francorum. Stultus ..... sapiens gratiâ egens, vel. Sexta, quòd Langobardorum exercitus ante faciem tuam sine publico bello in fugam conuersus. Septima, Alpes intrasti inimicis fugientibus, opulentissimam quoque ciuitatem etiam Papiam cum Rege sine cruoris effusione cum omnibus thesauris eius adprehendisti. Octaua, quòd auream & Imperialem Romam intrasti, & Italiorum Regna cum omnibus preciosis à Rege Regnorum suauiter accepisti. Quantis etiam modis ante faciem tuam inimicis in fugam conuersis & victor extitisti, & hoc impletum est de te quod in Psalmis legitur, quanquam de Christo & de Dauid maximè intelligitur, *Persequar inimicos, & comprehendam illos*, & reliqua. Item ex persona Dei patris. *Et inimicos eius in fugam conuertam.* Et iterum. *Et ego primogenitum ponam illum*, & rel. Et item in Moyse, *Deus pugnat pro nobis.* Item sanctus Paulus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos est?* Sic de Iosue, de Dauid, de Ezechia, de Iuda Machabeo, & rel. Nunc igitur, Domine mi Rex, pro his modis beatitudinum, nocte & die cum omnibus exercitibus tuis da gloriam Deo Regi Regnorum, & gratiarũ actiones, cum omni Regno tuo: quòd ipse te exaltauit in honorem gloriæ Regni Europæ, & adhuc etiam maiora præstat tibi horum namque prædictorum, si illum exaltas cum suis hoc modo. Memor esto ergo semper, Rex mi, Dei Regis tui cum timore & amore, quòd tu es in vice illius super omnia membra eius custodire, & regere, & rationem reddere in die iudicij, etiam per te. & Episcopus est in secundo loco, in vice Christi tantùm est. Ergo considerate inter vos diligenter, legem Dei constituere super populum Dei, quòd Deus tuus dixit tibi, cuius vicem tenes, in Psalmo, *Et nunc Reges intelligite*, & rel. Item, *Seruite Domino in timore*, & rel. Item, *Adprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*, & rel. Exempla perplurima sunt, vt legem exaltetis. Primùm, pauca vobis scribo, sicut Canones promunt, & totius Christianitatis lex continet per Dei mandatum. Post fidem Dei, & amorem & timorem, vt sæpiùs habeas Enchiridion, quod est Librum manualem, legem Dei tui scriptam in manibus tuis, vt legas illam omnibus diebus vitæ tuæ. vt tu sis in sapientia diuina, & secularibus litteris imbutus, sicut Dauid, & Salomon, & ceteri Reges fuerunt. Item dixit Deus ad Moysem de Regibus: *Cùm sederit in solio Regni sui, numquam recedet Liber Legis de manibus suis. non vxores plures habeat, non superbum super coætaneos suos, non elatum, non inuidiosum*, & rel. Sed ..... iudicare inter pauperem & potentem, & pauperem eripere de manu potentis. & Christianum vendere numquam in paganam gentem dimittere, væ, væ, Christi membrum coniungere membro diaboli, animam perdere, redditor precij eius ante thronum Christi. Sponsam Christi vestire cum ornamentis super omnia, id est Ecclesiarum priuilegia constituere maxima, Monachorum vitam & Canonicorum cum Episcopis tuis, simul Virginum Monasteriorum, regere, & non per laicos, quod scelus ..... sed per spiritales pastores emendare. Super omnia Deum timentes, sicut scriptum est in lege, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & rel. Comites, Centenarios, Quinquagenarios, Decanos, & rel. munera non accipientes, vt Lex Dei destruatur ..... pecuniæ, sed tecum omnia disponentes in timore Dei secundum Legem. quia non sunt omnes Episcopi qui dicuntur Episcopi. Sic Comites, sic & rel. ô, ô, væ, væ! Paucas firmiter columnas, vt timeo castra Dei, tecum habes sustentare. Sunt autem octo columnæ Regis iusti propriæ. In his adtende diligenter. Prima est, Veritas in rebus Regalibus. Secunda, Patientia in omni negotio. Tertia, Largitas in muneribus. Quarta, Persuasibilitas in verbis. Quinta, Malorum correptio & constrictio. Sexta, Bonorum eleuatio & exaltatio. Septima, Leuitas tributi in populo. Octaua, Æquitas iudicij inter diuitem & pauperem. Has ergo octo columnas si obnixè seruas, eris tunc Rex, quòd Rex dicitur à regendo, sicut Regnum à Regibus: & Regnum tuum erit benedictum cum diebus tuis, cum vxore & filiis. Et tunc erit aëris & tempestatum tranquillitas, terræ, maris, cum omnibus in eis nascentibus fœcunditas. & dominaberis etiam multis feliciter Gentibus, & inimici tui ante faciem tuam cadent, & rel. Econtra, sicut dixit sanctus Pa-

[Margin notes: A; B; Deut. 17.; C; Iusti Regis octo virtutes.]

A tricius, pro Regis iniustitia, sui ipsius infelicitas erit, vxoris, filiorum quoque, dissentio populorum, fames, pestilentia, infœcunditas terræ, maris quoque, tempestatibus fructus terrarum diuersis percussi, & ab inimicis suis superatus & expulsus de Regno. Et sicut habes exempla sufficienter in his diebus, & parrum tuorum, sicut de VVaepero, & de Desiderio, filióque eius, Regnísque illorum, & rel. Sicut Roboan, Achaz, Achab, & reliqui Reges Iudæorum, qui fecerunt malum in conspectu Domini, & non ambulauerunt in mandatis Dei. Tu ergo, Rex mi, hæc omnia lege, & diligenter considera, ne honorem tuum hîc & in futurum perdas. Sed bonum consilium cum sapientibus tuis ini. pone consilium maximè cũ timentibus Deum, & ex illis elegeris per ciuitates, & Monasteria, & per omne Regnum tuum leges renouate, & iniusta destruere. Et legem scientibus, munera non accipientibus, sed recta disponentibus, id est cum Episcopis & Comitibus probatis, & rel. vt spinas & tribulos & scandala vitiorum possis de Regno tuo extirpare, & exercitum Christianorum membra Christi piè regere. In primis ergo Pastoribus prædictis canones namque mandant, & lex totius mundi prima Romana, immò Deus, vt sepulcra Christianorum pacem habeant. Sin aliter, puniantur per legem. Maleficos, vene-

B ficos, tempestarios, strigas, pithonissas, fures, homicidas, maximè in Ecclesiis Dei ..... trias, adulteros, rapaces, falsidicos in publico, vel qui rapiunt Christianos in gentilitatem. periuratores maximè in Ecclesia Dei, & falsa moneta ..'.... non reddentes, Ecclesiarum spoliatores, vel raptores viduarum, pupillarum, & orphanorum ..... iniuriam facientes, & raptores viduarum, vel virginum, & Sanctimonialium ...... & omnia incesta. Hæc & his similia corrigere, vel damnare, pro vindictæ legis .... Administer Dei es in his omnibus & vindex, & rel., ... & illum exalta in his omnibus prædictis in laude. quòd ipse te honorificè super omnes antecessores tuos gentis tuæ exaltans, iuxta illud, *Exaltate Dominum Deum nostrum*, & rel. Item, *Iubilate Deo omnis terra*. Item, *Omnis terra adoret te*. Item, *Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, & cantent in Canticis Domino*, & rel. Ergo, mi Rex, si vobis placeat hoc consilium pro his omnibus, pro te, & pro exercitu Christianorum, vt vnum diem post ieiunium in anno in honore sanctæ Trinitatis, & vnitatis, & Angelorum, & omnium Sanctorum, celebrem constituas super Regnum tuum, cum consilio Synodi Francorum, & Missam sancti Michaëlis, & sancti Petri passionem in publico celebrare Regno tuo constitues. Hæc & his similia tibi faciente, tunc certè cũ magna felicitate & beatitudine, tu & membra Christi tecum, hîc & in futuro regnabitis cum Angelis & Archangelis sine fine, & cum omnibus Sanctis manebitis in gaudio in secula seculorum, amen. Hæc verò pauca, domne Rex mi, de

C multis excarpsi, quæ ad memoriam venerunt. Placuit mihi rustico verbo quamuis, sicut sum ignarus, tamen vobis scribere in vestram pietatem, confidens vt meæ stultitiæ venia detur, & vestra merces apud Deum copiosior fiat. Valete apud Deum. Viue feliciter semper in æuum.

Cantemus Regi Regum benè semper honorem.
Nam Christo laudes sanctóque Petro sine fine
Triplice concentu CARLVS *mi Rex populorum*
Laudemus sanctam Trinitatem, sed Deum vnum.
Quid tibi nam Regnum sine bello fortiter augens?
Hic Deus adiutor validè tibi semper adinstat
Impia qui tulit tibi semper bella per orbem,
Obruit infortes simul, & humiles honorauit.
Nomine nam dignus quoque quo Deus alme vocatur.
Gloria sit semper Trinitati, sed simul vnum.

O, ô, dies prope sunt. Qui nunc tenet teneat, donec dimidium fiat. Lege, & intellige diligenter.

A

ALBINI FLACCI ALCHVINI ABBATIS, CAROLI MAGNI MAGISTRI, EPISTOLÆ.

AD DOMNVM REGEM CAROLVM, De prædicatione veræ fidei, & baptiſmo Catholico nouellis populis.

EPISTOLA I.

B

Epiſt. vn. inter editas.



OMINO *excellentiſſimo, & in omni Chriſti honore deuotiſſimo* CAROLO *Regi Germaniæ, Galliæ, atque Italiæ, & ſanctis verbi Prædicatoribus, humilis ſanctæ matris Eccleſiæ filiolus* ALBINVS *æterna gloria in Chriſto ſalutem.* GLORIA & laus Deo Patri, & Domino noſtro Ieſu Chriſto; quia in gratia ſancti Spiritus, per deuotionem & miniſterium ſanctæ fidei, & bonæ voluntatis veſtræ, Chriſtianitatis regnum atque agnitionem veri Dei dilatauit, & plurimos longè latéque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria, ô beatiſſime Rex, in die æternæ retributionis, quando hi omnes, qui per tuam ſollicitudinem ab idolatriæ cultura ad cognoſcendum verum Deum conuerſi ſunt, te ante tribunal Domini noſtri IESV CHRISTI in beata ſorte ſtantem ſequentur; & ex his omnibus perpetuæ beatitudinis merces augetur? Ecce quanta deuotione & benignitate pro dilatatione nominis Chriſti, duritiam infelicis populi SAXONVM per veræ ſalutis conſilium emollire laboraſti. Sed quia electio necdum in illis diuina fuiſſe videtur, remanerent huc vſque multi ex illis cum diabolo damnandi in ſordibus conſuetudinis peſſimæ. Tuam tamen, ô veritatis & ſalutis multorum amator, optimam voluntatem maiore gloriâ & laude Chriſto remunerare placuit. Gentes populóſque HVNORVM antiqua feritate & fortitudine formidabiles, tuis ſuo honore militantibus ſubdidit ſceptris: præuenientéque gratiâ colla diu ſuperbiſſima ſacræ fidei iugo deuinxit, & cæcis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit. C

SED nunc præuideat ſapientiſſima & Deo placabilis deuotio veſtra pios populo nouello prædicatores, moribus honeſtos, ſcientiâ ſacræ fidei edoctos, & Euangelicis præceptis imbutos, ſanctorum quoque Apoſtolorum, & prædicatione verbi Dei exemplis intentos: qui lac, id eſt ſuauia præcepta, ſuis auditoribus in initio fidei miniſtrare ſolebant. Dicente Apoſtolo Paulo, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed necdum poteſtis.* Hoc enim totius mundi prædicator, Chriſto in ſe loquente, ſignificauit, vt noua populorum ad fidem conuerſio mollioribus, quaſi infantilis ætas lacte, eſſet nutrienda: ne per auſteriora præcepta fragilis mens euomat quod bibit. Vnde & ipſe Dominus Chriſtus in Euangelio reſpondit interrogantibus ſe, quare diſcipuli illius non ieiunarent, dicens: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.* Alioquin vtres rumpuntur, *& vinum effundetur, & vtres peribunt.* Alia eſt enim, vt beatus Hieronymus dicit, puritas virginalis animæ, & nulla prioris vicij contagione polluta: & alia, quæ ſordibus, & multorum libidini ſubiacuerit.

HIS ita conſideratis, veſtra ſanctiſſima pietas ſapienti conſilio præuideat, ſi melius ſit rudibus populis in principio fidei iugum imponere decimarum, vt plena fiat per ſingulas domus exactio illarum: an Apoſtoli quoque ab ipſo Deo Chriſto edocti, & ad prædicandum mundo miſſi, exactiones decimarum exegiſſent, vel alicubi demandaſſent dari, conſiderandum eſt. Scimus, quia decimatio ſubſtantiæ noſtræ

A valde bona est. Sed melius est illam amittere, quàm fidem perdere. Nos verò in fide Catholica nati, nutriti, & edocti, vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare. Quantò magis tenera fides, & infantilis animus, & auara mens illarum largitati non consentit? Roborata verò fide, & confirmata consuetudine Christianitatis; tunc quasi viris perfectis fortiora danda sunt præcepta, quæ solida mens religione Christiana non abhorreat.

Illud quoque maximâ considerandum est diligentiâ, vt ordinatè fiat prædicationis officium, & baptismi sacramentum: ne nihil profit sacri ablutio baptismi in corpore, si in anima ratione vtenti Catholicæ fidei agnitio non præcesserit. Dicit itaque Apostolus, *Omnia vestra honestè cum ordine fiant.* Et ipse Dominus in Euangelio discipulis suis præcipiens ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Huius verò præcepti ordinem beatus Hieronymus in Commentario suo, quem in Euangelium sancti Matthæi scripsit, ita exposuit: Primùm doceant omnes gentes, deinde doctas intingant aquâ. Non enim potest fieri, vt corpus baptismi capiat sacramentum, nisi anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vt quorum vna est diuinitas, sit vna largitio, noménque Trinitatis vnus Deus est. *Docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Ordo præcipuus. Iussit Apostolus, vt primùm docerent omnes gentes, deinde fidei tinguere sacramentum: & post fidem ac baptis-
B ma quæ essent obseruanda præciperent. Ac ne putemus leuia esse quæ iusta sunt, & pauca, addidit, *Omnia quæcumque mandaui vobis:* vt qui crediderunt, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt.

IGITVR infantes ratione non vtentes, aliorum peccatis obnoxij, aliorum fide, confessione per baptismi sacramentum saluari possunt: si confessæ pro se fidei integritatem, congrua adueniente ætate, custodient. Dicit verò Apostolus, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Illa tantùm oris confessio proficit ad salutem, quæ firmiter cordis credulitate tenetur.

Igitur ille ordo in docendo virum ætate perfectum diligenter, vt arbitror, seruandus est, quem beatus Augustinus ordinauit in Libro, cui, *de catechizandis rudibus*, titulum prænotauit. Prius instruendus est homo de animæ immortalitate, & de vita futura, & de retributione bonorum malorúmque, & de æternitate vtriusque sortis. Postea, pro quibus peccatis & sceleribus pœnas cum diabolo patiatur æternas; & pro quibus bonis vel benefactis, gloriâ cum Christo fruatur sempiterna. Deinde fides sanctæ Trinitatis diligentissimè docenda est, & aduentus pro salute humani generis filij Dei Domini nostri Iesu Christi in hunc mundum exponendus. Et de mysterio Passionis illius, & veritate Resurrectionis, & gloria Ascensionis in cœlos, & futuro eius aduentu ad iudicandas omnes gentes, & de resurrectione
C corporum nostrorum, & de æternitate pœnarum in malos, & præmiorum in bonos, mox, vt prædiximus, mens nouella firmanda est. Et hac fide roboratus homo & præparatus, baptizandus est. Et sic tempore opportuno sæpiùs Euangelica præcepta danda sunt per sedulæ prædicationis officium, donec adcrescat in virum, & digna efficiatur Spiritui sancto habitatio, & sit perfectus filius Dei in operibus misericordiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. Qui viuit & regnat in Trinitate perfecta, & vnitate benedicta, Deus & Dominus per omnia secula seculorum, amen.

ITEM AD DOMNVM REGEM,

EPISTOLA II.

DOMINO *in Domino dominorum dilectissimo* DAVID *Regi*, FLACCVS *fidelis Orator sempiternæ beatitudinis in Christo salutem.* REVERTENTI me de VVicus, propter causas necessarias, quas ibidem habuimus disponere, occurrerunt mihi visitanti religiosissimam SOROREM VESTRAM Excellentiæ vestræ dulcissimi apices, in vestra prosperitate amabiles, & in diuina misericordia laudabiles, qui numquam in se sperantes deserit. Sicut de domno Apostolico nuper actum, per vestras suauissimas Literas audiuimus. Qui etiam vestræ beatissimæ præsentiæ *Epist. XII. antea edita.*

gaudet aduenire, vt innotuit nobis cartula benignitatis vestræ. De qua multas bonitati vestræ gratias agimus, quòd solita pietate nostri nominis memoriam habere dignati estis. Non solùm de hac præsenti memoria vestræ egregiæ pietati gratias agimus continuas, sed etiam de omni bonitate vestra, quam in nostram peregrinationem verbis vel factis semper ostendistis: fidelis in promissis, verus in perficiendo promissa. Quapropter fides vestra, & caritas non ficta, & intercessio continua in arcano cordis mei thesauro vestram iugiter amplectitur beatitudinem. O dulcissime decus populi Christiani, ô defensio Ecclesiarum Christi! consolatio vitæ præsentis! Quibus tuam beatitudinem omnibus necessarium est votis exaltare, intercessionibus adiuuare, quatenus per vestram prosperitatem Christianum tueatur Imperium, fides Catholica defendatur, iustitiæ regula omnibus innotescat. A

Ecce quid actum est de Apostolica Sede in Ciuitate præcipua, in dignitate excellentissima. quæ omnia vestro tantummodo seruantur iudicio, vt prudentissimo consilio sapientiæ vobis à Deo datæ temperata consideratione corrigantur quæ corrigenda sunt, & conseruentur quæ conseruanda sunt: & quæ clementer diuina gessit pietas extollantur in laudem nominis illius, qui saluum fecit seruum suû, & liberauit à persecutione exsecrãdę infidelitatis. Vestra verò sapientissima animi prudentia, dum omnia intelligat, quid cui conueniat personæ, in benefaciendo, siue in vindicando, fiat quod Deo placeat: & omnibus bona in vobis voluntas ostendatur, laudetur, & ametur. Hoc certissimè pietas vestra agnoscat, quòd nullius hominum auri vel argenti munuscula tantùm lætificant Flacci vestri animum, quantum beatitudinis vestræ apices omni gaudio reficiunt. Ideò supplici voto deprecor, vt sæpiùs in beatis fieri, quod me semper amare agnoscitis. B

De illo itinere verò longo & laborioso Romam eundi, nullatenus infirmum, & cotidianis fractum doloribus corpusculum meæ fragilitatis perficere posse arbitror. Desiderium iam habuissem, si potestas esset, peragendi. Ideo obsecro clementissimam paternitatis vestræ beniuolentiam, vt dimittatis me fideliter & instanter orationibus cum Deo seruientibus apud S. Martinum vestrum iter adiuuare. Et vtinam, vt quandoque diuina gratia vobis concedat libertatem à populo nefando SAXONVM iter agere, Regna gubernare, iustitias facere, Ecclesias renouare, populum corrigere, singulis personis ac dignitatibus iusta decernere, oppressos defendere, leges statuere, peregrinos consolari, & omnibus vbique ætatis & cœlestis vitæ viam ostendere: vt sit consolatio omnibus in aduentu vestræ pietatis, clarissimísque vestræ nobilitatis filiis benedictio copiosa per vestra benefacta adcrescat, sicut per solius omonymi tui DAVID Deo dilectissimi Regis sanctitatem, vt legitur, omnibus nepotibus suis Regulis Throni potestas conseruata fuit. In his enim & huiusmodi religionis exercitationibus filiorum exaltatio, & Regni felicitas, & populi sanitas, & frugum vbertas, & totius boni iocunditas: tibíque cœlestis Regni beatitudo, Christo Deo perficiente, crescit, & augetur, dulcissime DAVID, diebus æternis. C

Det tibi consilium pacis, simul atque salutis,
DAVID amor populi, Christus vbique pius:
Omnipotens cuius defendat dextera semper,
Victorem faciens téque, tuósque simul.
Nomen vt æternum toto laudetur in Orbe,
Illius ex vobis pro pietatis ope.
Aspice, cunctorum vita, spes, forma salutis,
Qualiter ad vosmet tota recurrat ouans.
Qui tristis venit, redeat iam lætus ad vrbem,
Per pia dona patris, consiliúmque sacrum.
Quod petit inueniens, quódque sperauit adeptus,
Hinc quoque laudes hymnidicas referens.
Qui mundo talem tribuit sub tempore nostro
Rectorem sacra regmine iustitia.

A

ITEM AD DOMNVM REGEM.

Exhortatio ad iustitiam, pro impietate quæ gesta est in Apostolico.

EPISTOLA III.

DOMINO *dilectissimo, atque omni honore dignissimo* DAVID *Regi*, FLACCVS *veteranus miles perpetuam in Christo salutem.* LITERAS prosperitatis vestræ, vt consolationis nostræ, magno amore & digno fauore suscepimus: Dei omnipotentis clementiam conlaudantes, qui vos fideléfque vestros prosperis successibus pollere fecit, & inimicos sui nominis vestræ potentiæ subdidit pedibus. Hoc enim faciat Deus, & hoc addat, vt triumpho terroris vestri inimicas vbique subiciat gentes, & suauissimo suæ dilectionis iugo in Christiana fide ferocissimos subiciat animos: vt solus Deus & Dominus noster Iesus Christus credatur, colatur, atque ametur. Vestra clarissima voluntas in hoc omni laboret studio, vt Christi nomen clarificetur, & eius diuina potestas per fortitudinis vestræ triumphos multis terrarum Regnis innotescat: quatenus non solùm magnitudo potestatis te Regem ostendat, sed etiam instantia seminandi verbi Dei in laude nominis Domini nostri Iesu Christi prædicatorem efficiat. Ideo diuinæ gratia his duobus mirabiliter ditauit muneribus, id est terrenæ felicitatis imperio, & spiritalis sapientiæ latitudine: vt in vtroque proficias, donec ad æternæ beatitudinis peruenias felicitatem. Parce populo Christiano, & Ecclesias Christi defende: vt benedictio superni Regis te fortem efficiat super paganos. Legitur quendam veterum dixisse Poëtarum, cùm de laude Imperatorum Romani Regni, firitè recordor, cecinisset, quales esse debuissent, dicens: *Epist. XIII. inter editas.*

B

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quem versiculum beatus Augustinus in Libro de Ciuitate Dei multa laude exposuit. Quamuis magis nobis attendendum sit Euangelicis præceptis, quàm Virgiliacis versibus. Nam & ipsa Veritas ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et alibi, *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.* *Matth. 5.*

Quòd verò nobis vestræ bonitatis in Christo beata voluntas de Apostolici Pastoris mirabili sanitate demandare curauit; decet enim omnem populum Christianum in hac clementia diuinæ protectionis gaudere, & laudare nomen sancti Dei nostri, qui numquam deserit sperantes in se, qui impias compescuit manus à prauo voluntatis effectu, volentes cæcatis mentibus lumen suum extinguere, & seipsos impio consilio proprio priuare capite. Quicquid verò de illis agendum sit, vestra cautissima considerare libet sapientia: quæ optimè nouit, quid cui conueniat personæ, & quid cui sit facto retribuendum: vel quomodo ille pius Pastor, diuina ab inimicorum manibus liberatus protectione, securus in sua Sede Deo Christo deseruire valeat.

C

Quòd verò vestræ benignitatis literæ FLACCO taciturnitatis culpam ingerunt, cum feruor mensis Augusti dudum, non voluntaris efficacia pigrum efficit. De pueris verò nostris quos pedibus paternis Romam pergere præcipis; velim scire, quando, vel vbi, vel quibus comitantibus, vestræ beatitudini occurrere debeant. De quibus in vestræ Excellentiæ literis scriptum inuenimus, *Quiete*, inquis, *quiescente, pro te tua munera inire valen.* Fateor quidem vobis iubentibus, & iuuantibus, laboris mei possunt inire sudorem. Munera verò mea illis necdum concedo, quæ vestra frequenter largitate accipere solebam. Nam & Moyses, quem nobis quasi ad exemplum proponitis, pugnâ peracta, & Amalechitis fugatis, prædam reductam ipse populo distribuit. Et David, Syriâ per Ioab Principem militiæ subiecta, aurum & gemmas preciosissimas ad Templi dedicauit ornatum. Sed & Amanitarum Regis diadema proprio imposuit capiti, licèt Ioab labores sustinuisset militiæ.

Sed & de hoc, quod mihi improperare voluistis, me fumo sordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus præponere: scio vestram legisse prudentiam Salomonicum illud elogium, *Melius*, inquit, *sedere in angulo domatis, quàm cum mu-* *Prou. 21.*

liere litigiosa in domo communi. Et vt eum pace dicam, magis ferrum nocet oculis, quàm fumus. Turonis enim fumosis tectis contenta, Deo donante, per vestræ bonitatis prouidentiam in pace permanet. Roma verò, quæ fraterna discordiâ initiata est, insitum dissensionis venenum huc vsque tenere non cessat: vestræque venerandæ dignitatis potentiam ad huius pestis compescendam perniciem, è dulcibus Germaniæ sedibus festinare compellit. Nos verò lacrymis absentiam, & precibus iter vestrum continuis prosequimur: diuinam humiliter obsecrantes clementiam, quatenus vos, vestrósque simul, cum omni prosperitate sanos ducat, & reducat gaudentes. Vestræ verò pietatis literæ nullatenus consentio, vt obliuiscantur mei: sed sæpiùs veniant in spiritu consolationis, vt osculentur iterum, iterúmque telegantur, & in cordis thesauro perpetua dulcedine consetuentur.

Tempora concedat Christus felicia Regni
Huius, & æterni, DAVID *amate, tibi.*

ITEM AD DOMNVM REGEM, EPISTOLA IV.

Epist. XVIII. in-ter editas. DOMINO *desiderantissimo* DAVID *Regi, Iaccus matricularius æternam in Christo salutem*. DVLCEDO dilectionis vestræ & fiducia probatæ pietatis, sæpiùs me hortatur vestræ auctoritati dirigere litterulas: officióque syllabarum indagare, quod fragilitas corporis obstat voluntati implere posse. Sed rerum nouitas supetuenientium nouos iterum cogit edere apices, vt cartula ferat cordis affectum, & fundat preces ad aures pietatis vestræ: quæ nunquam, vt verè fateor, cassatæ in conspectu misericordiæ vestræ fuerunt. Nec meas pro vestra stabilitate & salute cassatas in conspectu Dei credo, quia libenter diuina suscipit gratia lacrymas, quæ ex caritatis fonte profluunt.

Dictum est mihi aliquos ex amicis FLACCI tui, EDELARDVM scilicet Doroensis Ecclesiæ Metropolitanum, & primæ Sedis in Britannia Pontificem, vestram adire velle pietatem. Ministrum quoque olim OFFANÆ Regis CEILMVNDVM, de regno Mercionum*. Sed & TORHCMVNDVM HEDILREDI Regis fidelem famulum, virum in fide probatum, strenuum in armis: qui fortiter sanguinem Domini sui vindicauit. Hi omnes mihi valdè fuerunt fideles, & adiutores itineris mei, vel meorum defensores puerorum, huc illúcque discurrentium. De quibus optimam vestram deprecor clementiam, solita benignitate suscipere eos; quia mihi necessarij fuerunt vnusquisque in loco suo. Sæpiùs cognoui Sacerdotes religiosos, & in Christi seruitio deuotos; necnon viros fortes, & fideles in seculari dignitate, vestræ laudabiles esse æquitati. Nam optimus quisquis, & in sua sibiipsi probatus conscientia, bonos diligere non dubium est. Edoctus omnipotentis Dei exemplo, qui summum est bonum. Et omnis rationabilis creatura, quantum boni habet, eius bonitate inluminata habere certissimum est. Ipsa Veritate dicente: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.*

* *f. Merciorum.*

Perpetuam Christi tribuat tibi gratia lucem,
Cum Sanctis pariter DAVID *amate Deo.*

ITEM AD DOMNVM REGEM, EPISTOLA V.

Edit. XIX. DOMINO *piissimo* DAVID *Regi, Albinus perpetuæ beatitudinis salutem*. SVMMA Deus Trinitas vestræ bonitati, omnium dilectissime DAVID, æterna restituat beatitudine, quicquid pietatis vel benignitatis in me famulum vestrum, sicut prima cognitione aduentus mei ad vos misericorditer promisistis, ita omnia fideliter implestis: & ad cumulum plenissimæ veritatis, quæ semper vestri pectoris insidet thesauro, centuplum addidistis, vt cunctorum luce clarius oculis patescit, auribusque

búsque per longinquas terrarum resonat multorum. Quid enim addi potuit felicitati peregrinationis meæ, vel vestræ bonitatis iudicio super me minus digno, his
A omnibus donotum largitionibus? Vel quales gratiarum actiones vestræ misericordiæ condignas persoluere possum, nisi perpetua piæ orationis sedulitate misericordissimi Dei omnipotentis clementiam deprecari; quatenus æterna remuneratione in cœlesti beatitudine omnia multipliciter reddat in meam vestræ largissimæ bonitatis benefacta paruitatem? Quod vt meam liceat apud sanctum Martinum cotidie instantiam agere, supplex suppliciter, humilis humiliter, deuotus deuotè obsecro: quia valde infirmatus corpore, nil aliud itineris vel laboris perficere valeo. Omnis igitur corporis mei, vt verè fateor, dignitas & fortitudo recessit, abiit, & cotidie fugiet; nec in hoc, vt reuereor, seculo reuertetur.

Speraui atque optaui, me, transactis diebus, vestræ adhuc vel semel beatitudinis faciem videre. Sed ingrauescente infimi corporis flebilitate, omnimodis hoc idem fieri non posse probatum habeo. Quapropter deprecor vestræ inuictæ bonitatis misericordiam, vt nullatenus mens sancta, voluntas benigna, quæ in vobis est, meæ irascatur infirmitati: sed pia compassione fessum concedat requiescere, orationibúsque pro vobis instare, & præuenire faciem æterni Iudicis in confessione & lacrymis. Vt si quoquo modo, Deo Iesu miserante, metuendas antiqui hostis accusationes euadere valeam, & aliquem Sanctorum habere adiutorem merear, mecum stantem, pro meáque intercedentem fragilitate, ne tradar in manus inimicorum meorum.

B O quàm timendus est omni homini dies ille, & quàm necessarium est vnicuique præparare se in occursum Domini Dei sui! Hortante nos ipsa Luce, quæ illuminat omnem hominem, atque clamante: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Sed & quomodo in ea luce ambulare debeamus, alio ostendit loco, dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

D AVID, *in æternum tecum sit gratia* CHRISTI,
Vt vigeas, valeas, victor in orbe potens.
Post hæc & teneas cœlestia regna beatus,
Cum Sanctis pariter semper in arce poli.
Multiplici Christus reddat tibi munera mitis,
In me quod bonitas contulit ecce tua.
Gramnia quot tellus habeat, vel littus arenas,
Tot, miserante Deo, DAVID, *habeto vale.*
Inclitus æternis DAVID *feliciter annis,*
In Christo meritis viuat vbique sacris.

C

ITEM AD DOMNVM REGEM,

De laude sapientiæ, & de vitæ desiderio quietæ.

EPISTOLA VI.

DOMINO *desiderantissimo, & omni honore dignissimo* DAVID *patri patriæ, Albinus matricularius præsentis & futuræ beatitudinis salutem.* BENEDICTVS Dominus Deus, & benedicta perpetua illius misericordia super seruos suos. Pro quorum prosperitate & salute vos, dulcissime DAVID, prosperè duxit, & pacificè reduxit, conseruauit, honorauit, & exaltauit; atque in omni loco aduentus vestri lumen iustitiæ pietatisque ante faciem vestræ beatitudinis splendescere fecit. Quatenus totius caligo iniquitatis, nebula peruersitatis, serenissimo sapientiæ vestræ splendore discuteretur. Beata gens, cui diuina clementia tam pium & prudentem prouidebat rectorem. Felix populus, qui à sapiente & pio regitur Principe, sicut in illo Platonico legitur prouerbio, dicentis felicia esse regna, si Philosophi, id est amatores sapientiæ, regnarent, vel Reges philosophiæ studerent: quia nihil sapientiæ in hoc mundo comparari poterit. Hæc est namque, quæ humilem exaltat, Alias XXIII

& potentem gloriosum efficit, & in omni persona laudabilis existit. In qua decus A est & pulcritudo vitæ præsentis, necnon & gloria perpetuæ beatitudinis: quia solummodo vera est sapientia, quæ beatos & æternos efficiet dies. Hæc enim vestram optimam sollicitudinem, domine mi DAVID, semper amare & prædicare agnoscebam, omnésque ad eam discendam exhortari, immò & præmiis honoribúsque sollicitare, atque ex diuersis mundi partibus amatores illius vestræ bonæ voluntati adiutores conuocare studuistis. Inter quos, me etiam infimum, eiusdem sanctæ sapientiæ vernaculum, de vltimis BRITANNIÆ finibus adsciscere curastis, atquo vtinam tam vtilem in domo Dei seruulum, quàm promptulum vestræ obedire voluntati! Quia diligens diligebam in sacratissimo pectore vestro, quod in me vos velle inuenire intellegebam.

Vnde cotidie auida cordis intentione suspensis in verba venientium auribus, sollicitus eram quid mihi nunciarent de domino meo dulcissimo DAVID: quando domum rediret, quando patriam reuerteretur. Tandem aliquando, quamuis serò, vox optata concurrentium desiderij mei insonuit auribus: Iam iámque veniet, iam Alpes transiuit, quem tanto animi tui feruore, ô Albine, adesse optasti. Tum ego repetens, iterum atque iterum lacrymabili voce clamaui: O Domine Iesu, quare non das mihi pennas aquilæ? Quare non translationem Abacuch Prophetæ vna die, vel etiam hora concedis, vt amplectar & osculer vestigia illius carissimi mei? & super omne quod in hoc mundo amari potest, dulcissimi oculos videam clarissimos? verba audiam iocundissima? Vel quid tu, inimica tempore importuno, me opprimis febris: & non permittis me solita corporis mei alacritate fungi, vt vel tardè fiat quod citò non valet? Attamen hoc aduentus vestri gratissimo lætus nuncio, confestim Candidum nostrum vestræ obuiam sanctissimæ dilectioni dirigere studui, habens in manu munuscula gratiâ senioris, certus * clientelli, & in ore necessarias Magistri voluntates: quem benignitas vestra vt clementer audiat obsecro. B

Tempus est, vt agnoscat infirmitas fragilitatem suam, & tota se conferat in stabilitatem animæ suæ: vt quamuis exterior homo annorum numero, vel morborum molestia conteratur, tamen renouetur desiderio salutis æternæ interior de die in diem. Quod qualiter fieri debeat, mens mea vestræ pietatis expectat consilium. Nam si præceps pugnantium præsumptio sæpe in periculum cadit: quantò magis qui spiritale inire cogitat certamen, si consilio non regitur prudenti, per vices incerta sudat victoria? Quod ne fieret, sancta prohibuit Scriptura dicens: Omnia fac per consilium, postea non pœniteberis. Hoc optimè sciens, mei ipsius minus confidens, dispositione vestræ prudentiæ me subicere consilio decreui. Quia, vt verè fateor, quicquid per Dei miserantis gratiam mihi vestra pietatis prouidentia dispo- C suit agendum, omnimodis prosperè mihi peruenisse probaui. Nam ferè ante hoc quinquennium, seculares occupationes, Deum testor, non ficto corde declinare cogitaui. Sed vestræ piæ prouidentiæ consilio, translatus sum in seruitium S. MARTINI, fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ sanctioni, donante Deo, proficuum. Non recessit tamen de corde prioris voluntatis effectus, sicut transacto anno vestræ pietati iam prædixi.

Hæc omnia vestra consideret bonitas, & pia promissione disponat, quia, vt prædixi, tota meæ mentis intentio ad bonitatis vestræ verissimè respicit consilium. Nec alio se quolibet credit, quia in te tota infirmitatis senectutisque meæ consolatio intendit. Inter fratres in Ecclesia sancti MARTINI Deo fideliter seruientes viuere, vel requiescere, Deo miserante, sine vlla dubitatione desidero. Eiusdémque beatissimi pectoris * vestri participem esse in vita æterna vestram dilectionem perpetualiter opto. Hócque Deum assiduis precibus obsecro, vt præsens vita excellentiæ vestræ eius Sancti intercessionibus adiuuetur, protegatur, & consistat. Et post hanc æterna cum eodem beatitudine perfrui merearis, domine dilectissime, & desirantissime DAVID.

*f. patroni.

A

ITEM AD DOMNUM REGEM.

De prosperitate, & populi Christiani prouidentia.

EPISTOLA VII.

GLORIA & laus Deo omnipotenti, pro salute & prosperitate vestra, dulcissime mi DAVID, atque pro omni honore & sapientia: in quibus te speciali gratiâ omnibus supercellere fecit. Perpetua gratiarum actio resonet, & assidua sanctarum intercessio orationum ad Deum dirigatur; quatenus longæua prosperitate feliciter viuas, valeas, & regnes, ad correctionem & exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ: vt sub protectione tuæ venerandæ potestatis secura quietè Deo deseruiat. Effudi pridem preces supplicationis meæ per Candidum famulum vestrum, quas precor clementi animo vestram suscipere pietatem. Quicquid animus suggessit meus mihi, totum misi in aures eius, vt conseruaret in corde, vestræque veridico ore patesceret pietati. Edit.XXIV.

Sed noui rerum euentus nouos iterum caritatis penna exarare meam deuotionem apices exhortantur. Audiui siquidem, quod sine dolore & lacrymis non dicam,
B MAGANFREDVM fidelem vestrum, nobisque carissimum amicum, in Beneuentana diem obisse patria. Vnde rogatus sum à Fratribus sancti Petri, litteras dirigere bonitati vestræ, pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus Ecclesiam, vt merces vestra esset ex illarum aliquibus, si vestræ videatur prouidentiæ: similiter & prò atrio intra muros ciuitatis, vnde Fratribus sancti Petri habitatio honesta construi potuisset. De his omnibus vestra consideret bonitas, quid Deo placeat, vestróque nomine honorabile fiat, & bonitati amabile.

Sed multo maior & plus necessaria populo Christiano causa occurrit, preces prostrato effundere corpore ante pedes pietatis vestræ. Primò ne irascatis fidelissimæ caritati meæ, quæ me maximè debitorem benignitati vestræ verissimè agnosco. Secundo etiam loco, & hoc intimo cordis affectu, deposco, vt sanctissima sapientiæ vestræ consideratio prouideat quid Deo placeat, vel quid populo proficiat Christiano de expeditione hostili in Beneuentana terra, ne maius sibi eueniat damnum de fidelibus tuis. Optimè nosti quomodo diuina pro te pugnabat prouidentia. Patrem fratrémque huius impiissimi hominis in breui tulit articulo. Sic etiam, sic faciet credimus, si illius sancta voluntas disponit, vt & iste pereat, sine aliquo fidelium damno tuorum eueniat. Talia possunt ferre meliùs ex consillo, quàm aperta
C expugnatione per tempus finem habere. Quo plus humiliat se homo sub manu omnipotentis Dei, eò citiùs vindicat iniurias seruorum, qui ait: *Mihi vindictam, ego retribuam*. Id est, mihi seruate vindictam, & ego pugnabo pro vobis. Nam Dauid, de quo ipse Dominus tam sublime protulit testimonium, *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum*. Ipse igitur Semei sibi maledicentem prohibuit occidi; optans sibi pro patientia humilitatis suæ à Deo dari benedictionem.

Hæc etiam acutissimæ sapientiæ inuestigatio disponat, secundum rationis viuacitatem, & secundum salutem fidelium tuorum: considerans quomodo animus illorum sine præsentia beatitudinis tuæ longum sufferat laborem. Deum inuoco testem cordis mei hæc plena fide, & perfecto prosperitatis vestræ in omnibus desiderio scripsisse: Obsecrans supplici deuotione, hæc eadem patienter vestram legere beatitudinem: nec aliquid iracundiæ in meam habere præsumptionem, talia vestræ ingerentis sapientiæ. Licèt caritas mea stulta videri valeat, tamen numquàm infidelis, nec in minimo nec in maximo inueniri poterit. Fiducia enim probatissimæ humilitatis vestræ hæc scribere præsumpsit.

Fortè quislibet dicit: Quid iste homo alienis se ingerit rebus? Non agnoscit nihil mihi alienum vestræ prosperitatis esse debere: quam super salutem corporis mei, vel vitæ meæ longæuitatem diligere me testor. Tu prosperitas Regni. Tu salus populi. Tu decus Ecclesiæ. Tu omnium protectio fidelium Christi. Nobis igitur sub vmbra potentiæ, & sub tegmine pietatis tuæ, diuina concessit gratia teli-

giosam ducere vitam; atque secura quiete Deo Christo deseruire. Ideo sollicita mente, & pia intentione, pro tua prosperitate & salute curam habere, & intercedere iustum & necessarium habemus, Domine desiderantissime, atque omni honore dignissime DAVID Rex. A

AD PONTIFICEM RIGBODVM TREVERENSIS CIVITATIS, COGNOMENTO MACHARIVM.

EPISTOLA VIII.

Edit. XXXIV. PIO *Patri, & amico carissimo Machario Monacho & Pontifici, Flaccus Albinus in caritate Christi salutem.* QVOD Deus coniunxit, seculum non separat. Ecce qui venit ignem mittere in corda suorum, ille faciat ardere quod incendit: nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari Dei die noctuque ardere præcipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in tabernaculum spiritale, ne occidatur ab eo qui suum semper ardere iussit. Quis est ignis Dei, nisi caritas? & quis alienus, nisi amor seculi? Ideò duo seruari sunt ex filiis Aaron propter duo præcepta caritatis, & duo perierunt propter seculi amorem & amatorem illius. Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Amemus quod non auferetur, fugiamus quod auferri potest. Impium est, diligentem non diligere, & retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis Deus? Retribuit nobis pro malis nostris bona sua: retribuemus ei pro bonis suis bona nostra. Quæ sunt bona nostra, nisi vt diligamus eum, & mandata eius obseruemus? Quæ sunt mandata illius, nisi vt diligamus inuicem? In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. B

Cur ista tam longo repetita principio, nisi vt scias ardorem cordis mei? Pene mihi melius esset, te pauperem habere præsentem, quàm diuitem absentem. Quid mihi diuitiæ, si non habeo quem amo, si non considero quem desidero? Tua potentia mihi est miseria. Vbi est dulcissimum inter nos colloquium? Vbi sacrarum literarum studium desiderabile? Vbi læta facies, quam conspicere solebam? Vbi communio caritatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Vbi saltim memoria nominis nostri? Ecce totus præterit annus, quo nec literarum consolatio oculis aduenit, nec salutationis officium auribus insonuit. Quid peccauit pater, vt à filio obliuisceretur? quid magister, vt discipulus neglexerit eum? Fortè exaltatio seculi dedignata est nomen magistri in illo. Aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O si mihi nomen esset Virgilius! Tunc semper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota pertractares * intentione, & iuxta prouerbium illius, essem apud te, C

* al. perscrutateris.

Tunc felix nimium, quo non felicior vllus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, quia non sum quem diligis? an tuam laudo sapientiam, quia diligis illum qui non est? Flaccus recessit, Virgilius accessit: & in locum Magistri nidificat Maro. Hoc dolens dictaui, vel propter obliuionem mei, vel propter absentiam tui: paululum ferociori pumice cartam terens, vt vel iratus aliquid rescriberes. Quia bos lassus * fortius figit vngulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere, vt intellegam studium, in quo otium istius anni exercuisti. Et quo thesauro cor impleris tuum, pande nobis, vt tecum gaudeamus in bono tuo. Vtinam Euangelia quatuor, non Æneides duodecim pectus compleant tuum, & te auehat quadriga ad cœlestis regni palatium, vbi est honor indeficiens, & regnum sempiternum: vbi pro me intercedere, credo, memor eris: quia vt illuc venires, exhortari gaudebam.

* al. lesus.

AD MAGENHARIVM COMITEM SENONICÆ CIVITATIS.

EPISTOLA IX.

Edit. XXXV. DILECTO *in Christo Magenhario Comiti, humilis Leuita Albinus salutē.* AVDIVI vos, vir venerande, nostrę paruitatis optasse cōloquia, & vt verè fateor, vestrā valdo

A desideraui pr[illegible] vt dulci conlocutione vestræ prudentiæ consolarer. Sed quia tetum eu[illegible] non valuit, visum est mihi condignum, litteris implere quod verbis non potui, & meam in vos ostendere dilectionem, & vobis vtilia per cartam suadere, vt vester profectus meus esset fructus. Vt qui in sublimi dignitate positus es in [illegible], per opera iustitiæ & misericordiæ cœlestem tibi mercaris honorem. Cogita, quòd transitoria sunt hæc omnia, quæ in hoc seculo habemus. Et quia necessarium est vnicuique hominum æternam sibi per temporalia benefacta promereri gloriam. Quapropter, vt ad perpetuam peruenias, Deo donante, beatitudinem, nulla te seculi delectatio, nulla carnalis concupiscentia impediat. Sed esto in iudiciis iustus, in operibus misericordiæ pius, viduis & orphanis quasi pater, defendens eos ab omni violentia.

Esto quoque Ecclesiis Christi quasi frater, vt per orationes seruorum Dei, inter pericula hostium, fluminum, viarum, infirmitatum, diuina te protegat dextera, regat, atque conseruet semper vbique. Fac, vt quotidie pauperes de pane tuo comedant, quia miscetotum consolatio tibi erit æterna remuneratio. Esto quoque in consiliis prouidus, sapiens in cogitationibus, modestus in sermone, Deum semper habens præsentem, quatenus illius loquens voluntatem *, eius dignus efficiaris protectione. Corpus tuum in castitate, & animum in sobrietate conserua. Fidelis esto ad dominos, quos dedit tibi Deus, ad amicos benignus, ad omnes homines æquus, & miseris largus. Debitoribus, vel in te peccantibus culpas ignosce, vt tibi ignoscat Deus, si quid contra eius fecisti voluntatem.

* al. veritatem.

B Tuis quoque diligenter præcipe subiectis, vt iusti sint in iudiciis, misericordes in miseros, Deum timentes, Ecclesiámque Christi honorantes, vt illorum bonitas tibi in mercedem computetur. Sæpè subiectorum peccata Rectoribus imputantur, si minus diligenter eos admonent Prælati quomodo facere debent: sicut eorum bona dominis prosunt ad præmia, qui eos studiosè erudiunt, Deum timere, eiúsque obedire præceptis.

Obsecro ne me præsumptuosum arbitreris hæc tibi scribentem. Caritas Christi, & vestræ salutis amor, & vestræ bonitatis fiducia, hæc monuit scribere: optans vos & præsentem habere prosperitatem, & futuram promereri beatitudinem. Diuina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectissime.

AD RIGBODVM EPISCOPVM, QVI ET MACHARIVS.

EPISTOLA X.

C DILECTO *Patri Machario, humilis Leuita Albinus salutem.* CARITATIS dulcedinem litterarum officia implere non possunt, tamen qualecumque lumen illius ostendere nituntur. Sicut digito præsens homo ostenditur, ita literis absentis caritas demonstratur. Fateor, meæ mentis dilectio tui tædet absentiam: essétque aliquod amoris refrigerium, si vel tui cordis affectum per alterius audirem os, vel cùm litteras legerem, quem ardentiùs cuperem, intelligerem. Non disiungit seculum, quos Christi caritas coniunxit. Et veniat per eum optata dies videndi, qui omnes dies creauit ad videndum. Multa tecum habuissem conferre, si tuæ conloquutionis familiaritate vti valuissem. Veniet tempus, dum vult ille, qui disponit omnia tempora. Cum omni caritatis dulcedine valeas, fili, frater, amice. Edit. X L.

AD RICVLFVM ARCHIEPISCOPVM MAGENS. CIVITATIS, COGNOMENTO DAMOETAM.

EPISTOLA XI.

PROBATISSIMO *amico Damætæ Albinus salutem.* NIMIVM mihi longum videtur tempus, quòd tuæ dilectionis faciē non vidi, verba nō audiui. Et quantū ex præ- Edit. XLI.

ſencia tui gaudebat animus, tantum in abſencia contriſtatur. Quid faciet mens niſi lugeat, dum paucos habet amicos? Proh dolor! Sed illi ſemper abſentes. Tamen quod valeo faciam; te memorans ante Dominum, tibi proſpera ſemper illius concedere clementiam deprecans, cuius dilectione tuum ſemper impleatur pectus. Hæ ſunt veræ diuitiæ, quæ numquam decipiunt habentem, nec in ipſa morte amittuntur, ſed plus abundant, dum cernitur quod amatur. Inter temporalia & æterna hoc intereſt. Aliquid plus diligitur antequam habeatur, vileſcit autem cùm aduenerit. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quàm deſideratum. Ideò plus amemus æterna, quàm temporalia, vt in æternitate beatè & feliciter viuere mereamur. Valetò in ſecula. A

AD ANGELBERTVM PRIMICERIVM PALATII PIPPINI REGIS.

EPISTOLA XII. B

Edit. XLII. FIDELI *amico & venerabili Angelberto Primicerio, humilis Leuita Albinus ſalutem.* MEMOR conditæ inter nos amicitiæ, has litteras vobis dirigere præſumpſi, deprecans, vt benignè harum portitorem litterarum ſuſcipere dignemini, & peregrinationis illius viis Dominum Pipinum Regem ſubuenire deprecamini. Regum verò merces in miſerorum iuuamine, & maximè peregrinorum, ſacra ſancti PETRI Principis Apoſtolorum limina petentium, magna apud diuinam conſtat eſſe clementiam. Inſuper cariſſime frater, deuotiſſimè deflagito, vt dona dulciſſima, & mihi multùm neceſſaria, id eſt, Sanctorum reliquias tranſmittere cures. Hilarem enim datorem diligit Deus. Qui te abundare faciat in omni bono, & inter Sanctorum gloriam conſtituat, quorum mihi reliquias tua beneuolentia dirigat. Floreas, fili, virtutum coronis, ſapientiæ decore, & ſancta dilectione ad Deum, & bona fide ad homines in æternum.

2. Cor. 9.

AD ATHILHARDVM ARCHIEPISCOPVM ET CEOLVVLFVM. C

*al. Aedilhardum.

EPISTOLA XIII.

Edit. XLI. KAROLVS *gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, Athilhardo Archiepiſcopo, & Ceoluulfo Coepiſcopo illius æternæ beatitudinis ſalutem.* NVLLATENVS veſtram terræ longinquitatē vel procelloſi maris latitudinem, fœderatæ in Chriſto amicitiæ iura diſrumpere fas arbitramur. Seu quāto longiore ſpacio humana diuiditur conuerſatio, tanto probatiore fide pietatis pactum ſeruari debebit. Quia ſæpè in præſentia timor, vel erubeſcentia in facie foris oſtendit, quod homo intus in corde non retinet. Igitur ſancta fides in abſentia laudabilis extat, & in præſentia venerabilis conſiſtit. Vnde & in eius fiducia, quam pia olim allocutione præsētes pepigimus, hos miſeros patriæ ſuæ exules veſtræ dreximus pietati. Deprecantes, vt pro eis intercedere dignemini apud fratrē meum cariſſimum OFFANVM Regē, quatenus pacificè, & abſque alicuius iniuſtitiæ oppreſſione in ſua liceat conuerſare patria, & cuilibet deſeruire. Nam Dominus illorū Vmhtinſgſtan diē obiit; qui vt nobis viſum fuit, fidelis ſuo fuiſſet domino, ſi in patria licuiſſet perſeuerare. Sed vt mortis euaderet periculum, vt dicere ſolebat, fugit ad nos: ſemper paratus ſe ab omni purgare infidelitate. Quem propter reconciliationem, non propter inimicitias, aliquantiſper retinuimus apud nos. His verò contribulibus ſuis ſi pacem precari valeatis, remaneant in patria. Sin verò dutiùs de illis frater meus reſpondeat, illos ad nos remittite inlæſos. Melius eſt peregrinari, quàm perire: in aliena ſeruire patria, quàm in ſua mori. Confido de bonitate fratris mei, ſi obnixè pro

A illis intercedatis, vt benignè suscipiat eos pro nostro amore, vel magis pro Christi caritate, qui dixit: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Intercedentem pro nobis vestram sanctitatem diuina pietas incolumem custodiat in æternum.

AD ADRIANVM PAPAM, EPISTOLA XIV.

BEATISSIMO, *& omni honore dignissimo, & Pontifici magno* ADRIANO *Papæ, humillimus omnium sanctæ Ecclesiæ filiorum Albinus æternæ beatitudinis salutem.* Edit.LXIII

VENERABILIS, atque toto orbe laudabilis vestræ bonitatis, Pater optime, pietas, mihi vltimo sanctæ Ecclesiæ seruulo quantulamcumque attulit fiduciam, vestram deprecandi clementiam, vt me, licet indignum, paternæ pietatis amore in gremium sanctissimæ intercessionis vestræ colligere dignemini. Scio certissimè vestræ deuotionem Sanctitatis pro populo iugiter totius orbis intercedere Christiano: tamen specialius aliquid pro his egisse, qui vestræ almitati seipsos obnixa humilitatis obsecratione commendant, & maiore credulitate ad tantæ auctoritatis confugiunt suffragia. Scio me per sacri baptismatis adunationem de illius esse ouili Pastoris, qui pro suis ouibus animam ponere non dubitauit: quas etiam post acutissimam suæ resurrectionis gloriam beatissimo PETRO Principi Apostolorum, ob trinam magnificæ dilectionis confessionem, pascendas commendauit: cui etiam cælo, terrisque, æternam ligandi ac soluendi potestatem delegauit.

Huius re, excellentissime Pater, vt Vicarium sanctissimæ Sedis agnosco, ita & mirificæ potestatis hæredem esse confiteor. Ecce ego vna sum regiminis vestri ouicula, sed valde peccatorum maculis morbida. Quapropter me totum tuæ offero Sanctitati, Pater piissime, sanandum: & medicinali potentiâ, quæ tibi post longas sanctorum Patrum series hæreditaria successione à Deo Christo tradita esse dignoscitur, me iubeas salutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis esse solutum. Nam mihi cum Euangelicæ humilitatis regula fas esse video dicendum: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum; dic verbo, & sanabitur puer meus.* Qui mox, vt sperauit, inuenit: vt credidit, accepit. Matth.8.

O beatissima lingua oris vestri, in qua est æternæ medicina salutis, per quam cæli aperiuntur credentibus! Numquam, obsecro, hæc sileat: semper admoneat & sanet, semper aperiat perpetuæ beatitudinis ad se confugientibus portas. O Domine IESV, fac eum longæua valere & viuere prosperitate: & qui talem populo tuo dedisti Pastorem, hunc pietatis tuæ dexterâ multis temporibus conseruare digneris, quatenus cum multiplici laboris sui mercede ante thronum tuæ veniens gloriæ, audire mereatur: *Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth.25.

Iam aliquas petitiones propriæ necessitatis meæ his quoque litteris insererem. Sed quia electissimus domni mei Regis missus, filius equidem meus carissimus ANGILBERTVS, ad beatissimam summæ auctoritatis vestræ dirigitur paternitatem, non esse necesse putaui litteris exarare, quod ille vir fidelis & prudens meliùs viua voce secundum mandatum domni Regis, auribus excellentiæ vestræ poterit intimare. Nam inter ceteras fidelissimæ directionis, quam ad vos habet, legationes, meæ quoque necessitatis postulationes eidem præfato regiæ voluntatis secretario commendauit: quem omnibus amicis valde fidelem esse probauimus, maximè vobis, vt verè dignum est, sanctissime Pater, qui vestram laudabili voce bonitatem, sæpissimè domno Regi sub præsentia multorum testium narrare solebat, & egregiæ pietatis per vos gesta, puræ fidei verbis de vobis proferre studuit, quatenus piæ dilectionis fidem ostenderet, & vestræ almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.

A

AD AGINVM EPISCOPVM, EPISTOLA XV.

Edit. LXV. DILECTISSIMO *Agino Episcopo, Albinus Magister salutem.* RECORDETVR caritas vestra, quòd præsenti conloquutione aliquas mihi Sanctorum Reliquias dirigere promisisti, vt honorificetur Deus in illis, & nostra protegatur vita cum illis, & vestra accumuletur merces pro illis. Ecce adest gerulus fidelis, filius equidem meus ANGILBERTVS *: per cuius manum mittere poteris, quod vester * amicus nobis dirigere curauerit. Obsecro, vt veraciter perficias quod hilariter promittebas. Si quid enim benignitas vestra huius religiosæ peritionis peregerit, humilitas nostra gratissimè accipiet: vobisque, secundum temporis opportunitatem, & voluntatis vestræ agnitionem, remunerare non desister. Et vbicumque Sanctorum parrocinia perferuntur, ibi cotidie orationes pro vobis aguntur. Diuina te vbique comitetur benedictio, sanctissime Pater.

* al. ENGILBERTVS. * f. noster.

B

AD FRATRES LVGDVNENSES. EPISTOLA XVI.

Edit. LXIX. RELIGIOSÆ in Christo conuersationis vestræ, per LAIDRADVM electum Pontificem laudabilem audiens sollicitudinem, magno esse me gaudio deliburum fateor. Quia Christus fons totius bonitatis, tales adhuc in his diebus, quando multorum refrigescit caritas, sui sancti nominis habet confessores. Qui onera secularium occupationum abicientes, leue Christi iugum propriis imponere ceruicibus gestiunt: & veram, quæ foras timorem mittit, caritatem & pectoribus suauiter retinent, & operibus veraciter ostendunt. Sed nunc tota hilaritate mentis cœpti itineris cursus peragendus est: quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Quia si torpens pigritia clam boni operis inrepserit, mox malitia palam mali operis succrescit. Origo est iniquitatis, amissio bonitatis. Et dum suæ voluntatis sequitur homo affectum, mox diuinæ seruitutis perdit effectum. Inde prima Angeli ruina fuit, qui in sua gaudens potestate, à summo se declinauit Bono. Et qui gloriosior fuit ceteris in conditione, factus est miserior omnibus in perditione. Vnde se superbia erigit, inde maximè deicitur. Ideò, præcipuè necessaria est Deo seruientibus humilitas obedientiæ. Christus suis parentibus legitur esse subditus, vt nos humilitatis suæ exemplo ad bonum informaret obedientiæ. Quæ est Monachorum vita, nisi caritas, humilitas, & obedientia? Hæ sunt semitæ, quæ ad æternæ arcem ciuitatis euntem deducunt in eis, si Catholica fides, quæ per dilectionem operatur, comitatur currentem in istis.

Matth. 10. & 24.

C

Luc. 2.

Nouas verò, fratres carissimi, Hispanici erroris sectas tota vobis cauete intentione. Sanctorum Patrum in fine sequimini vestigia, & vniuersali Ecclesiæ sanctissima vos adiungite vnanimitate *. Scriptum est, *Terminos Patrum tuorum ne transgrediaris.* Et Symbolo Catholicæ fidei noua nolite inserere, & in Ecclesiasticis Officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere. Per Apostolicæ doctrinæ publicam pergite stratam. Nec per diuerticula cuiuslibet nouitatis in dexteram vel in sinistram à via regia declinate.

al. vnitate. Prou. 22.

[* De adoptione verò, quam quidam iniuriosè Christo Deo ingerere contendunt ex auctoritate Synodali habetis responsum. Vnitas verò personæ, in duabus Christi naturis naturalem Deo Patri Filium esse confirmat. Quia nequaquam in proprio, & in adoptiuo, potest esse persona. Igitur Christus proprius est Deo Patri Filius, & nos per illum adoptiui, non ille nobiscum adoptiuus. Sicut ille solus sine peccato, sic ille solus sine adoptione. Patre in baptismo attestante: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et Apostolo: *Qui proprio filio suo non pepercit.* Quid

A plura de his dicimus, de quibus sufficienter dictum habetis, nisi quòd qui illum adoptiuum Deo patri esse credit, per illum Deo patri adoptiuus esse non creditur?

Audiuimus quoque aliquos in illis partibus adfirmare, salem esse in sacrificium Corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec vniuersalis obseruat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. *Tres sunt*, iuxta Apostolum Ioannem, *qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis.* Tria sunt, quæ in sacrificio huius testimonij offerenda sunt; panis, & aqua, & vinum. Sicut enim spiritus viuificat corpus, ita panis confirmat cor hominis. Sicut enim sanguine liberauit nos Christus, ita & vino lætificat. Item de aqua, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Sic & panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento vllius alterius infectionis, debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquæ, purgatissimum. Igitur aqua vtrique conueniat. Ex aqua & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi. Aqua & vinum in sanguinem consecrabitur Christi. Sicut enim aqua & sal, sicut huius sectæ dicunt auctores, vnius sunt naturæ: infunde carnem recentem aqua, & aliam sale consperge, videbis citò si vnam aqua & sal habuerint effectiuam potentiam. Numquid caro Christi computruit in sepulcro, vt nunc sale indigeat corpus eius in sacrificio? Quòd itaque in veteri lege sal præcipitur in victimis habendum, significatio tunc fuit futuræ rei intellegendæ, non obseruatio in præsenti tempore habendæ: sicut omnia Iudaicæ legis sacrificia, quæ iuxta Apostolum in figura contingebant illis. Scripta sunt autem propter nos. Littera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Huius verò sacratissimæ oblationis figura in Melchisedech præcessit, qui vinum & panem Deo summo offerre solebat.

B

Huius quoque mysterij sanctificatio nostræ salutis portendit effectum. In aqua verò, populus intellegitur credentium. In granis tritici, vnde farina efficitur, vt panis fiat, adunatio totius Ecclesiæ designatur: quæ igne sancti Spiritus in vnum decoquitur corpus, vt suo capiti membra compaginentur. Item in aquis, quæ vino miscentur, figura, vt diximus, gentium designatur. In vino autem, sanguis Dominicæ Passionis ostenditur. Atque ita, dum in Sacramentis aqua tritico vel vino miscetur, fidelis populus Christo incorporatus adiungitur. Sed de huiusmodi figurationibus Epistolaris angustia diu me disputare prohibet. Sed & Canones Carthaginienses Cap. XXIV. De Sacrificio corporis & sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit: hoc est panem & vinum aqua mixtum.

C

Tertia quoque nobis de HISPANIA, quæ olim Tyrannorum nutrix fuit, nunc verò scismaticorum, contra vniuersalem sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem, de Baptismo quæstio delata est. Adfirmantes quidam, sub inuocatione sanctæ Trinitatis vnam esse mersionem agendam. Videtur enim Apostolus huic obseruationi esse contrarius, in eo loco, vbi ait: *Consepulti enim estis in Christo per baptismum.* Scimus enim Christum, licet hoc synecdochicè sit intelligendum, tres dies & tres noctes in sepulcro fuisse. Ipso dicente ad Iudæos, *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Possunt tres noctes, tres mersiones, tres eleuationes designare. Sicut Christus tertia die resurrexit, ita & nos tertio die de fonte vitalis lauacri eleuati in nouitate vitæ cum illo ambulemus. Legimus & in Epistola sancti Papæ Leonis, quam de Baptismo ad omnes Siciliæ conscripsit Episcopos: vbi post congruam disputationis seriem ita subiunxit, dicens: Quamuis ergo & illa quæ ad gloriam pertinent CHRISTI, in vnam concurrant eandémque personam; totúmque quod in illo, & virtutis diuinæ est, & infirmitatis humanæ, ad nostræ reparationis tendat effectum: propriè tamen in morte crucifixi, & in resurrectione mortui, potentia baptismatis nouam creaturam condi ex vetere, vt in renascentibus & mors Christi operetur, & vita. Dicente beato Paulo Apostolo, *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, & cetera, quæ latiùs Magister Gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputauit. Et apparet ex huius doctrina, regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem & illud tempus

electum: in quo per similitudinem formámque mysterij, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipso capite sunt gesta congruerent: dum in baptismatis regula & mors interit interfectione peccati, & sepulturam triduam imitatur trina demersio, & ab aquis eleuatio resurgentis instar de sepulcro. Sed & beatus Hieronymus in Libro secundo Tractatus in Epistolam sancti Pauli ad Ephesios, in expositione sententiæ, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: Vnus Deus & pater omnium, qui super omnes & super omnia, & in omnibus nobis;* de trina mersione ita ait: Si enim, vt æstimant Ariani, Deus pater solus est Deus, eadem consequentiâ, solus erit Dominus Iesus Christus, & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed absit, vt non sit vel in dominatione diuinitas, vel in diuinitate dominatio. Vel vnus est Dominus, & vnus est Deus: quia Patris & Filij dominatio, vna diuinitas est. Propterea & fides vna Deus, quia similiter in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum credimus. Et baptisma vnum. Eodem enim modo in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intellegitur Deus. Et miror qua consequentia in vno vocabulo, eodem opere, & eodem sacramento, naturæ diuersitatem Arrius & Macedonius suspicentur, concordante * impietate discordia, & à creatura in Filio & in Spiritu sancto cœnosum fontem tenentes, diuersos hæreseon riuulos dixerunt vnum baptisma. Et contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, & contra omnes hæreticos, vt sciant non habere se baptisma, sed in vna Christi Ecclesia fontem esse vitalem. B

Potest vnum baptisma & ita dici, quòd licèt ter baptizemur propter mysterium Trinitatis, tamen vnum baptisma reputetur. Vnum quoque baptisma est in aqua, & in spiritu, & igne: & de quo loquitur, *Baptisma habeo baptizari.* Et alibi, *Baptismate meo baptizabimini.* Sunt etiam Versus beati Ambrosij Episcopi de ternarij excellentia nobilissimi, quos ad confirmationem trinæ mersionis huic Epistolæ inserere placuit.

Omnia trina vigent sub maiestate Tonantis.
Tres, Pater, & Verbum, sanctus quoque Spiritus, vnum.
Trina salutaris species crucis, vna redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem à morte recepit.
Trina dies Ionam tenuit sub viscera cœti.
*Tres pueri cernêre * Deum flagrante camino.* — * cernunt Dominum.
Ter sabaoth sanctum referens benedictio psallit.
Ter mer gendus aqua est, cui gratia plena lauacri.
Testibus & stabilis constat tribus actio cuncta.
Terno mense suis redeunt sua tempora membris. C
Tres sunt ætates, flos, & robor, egra senectus.
*Tres moduli * in causis, iudex, defensor, & actor.* — * medij.
Tres in secla gradus, ortus, transcursio, finis.
Tres spem quæ palpant, requies, lux, gloria vitæ.

AD LEONEM PAPAM.

EPISTOLA XVII.

Edit. LXXII. * al. gloriosissime.

DOMINO *beatissimo, atque omni honore nominando Leoni Papæ, humilis Leuita Albinus æterna in Christo gloria salutem.* SVSCIPIAT, obsecro, sanctissima pietas vestra, Pater carissime *, benigno animo nostræ paruitatis litterulas, & me deuotum vestræ dilectionis famulum agnosce. Semper sanctæ Romanæ Sedis beatissimos, quantum valui, Principes & Pastores amaui: cupiens illorum sanctissimis intercessionibus inter oues Christi numerari, quas Deus Christus post resurrectionis suæ gloriam beato PETRO Principi Apostolorum pascendas commendauit. Quod verè dignum esse fateor, omnem illius gregis multitudinem suo Pastori, licèt in diuersis terrarum pascuis commorantem, vna caritatis fide subiectam esse; &

A sicut pio Pastori condecet, magnam commissi sibi gregis curam habere, & sedula pietatis ammonitione, & sanctitatis intercessione præuidere *, ne aliqui ex illis per præcipitia errorum à via veritatis, vel perpetuæ pascuis vitæ exorbitare incipiant. Gregis sanitas gloria est Pastoris, & multiplicatio illius merces æterna. * al. prouidere.

Ecce tu sanctissime Pater, Pontifex à Deo electus, Vicarius Apostolorum, hæres Patrum, Princeps Ecclesiæ, vnius immaculatæ Columbæ nutritor. In te fides respondeat *, deuotio fulgeat, caritas abundet. Congrega nos filios sanctæ Dei Ecclesiæ, paternæ miserationis affectu, tuis sanctissimis orationibus, & dulcissimis sacrarum litterarum exhortationibus, intra firmissimum Ecclesiæ solidiraris ouile, ne aliquis ex nobis errabundus lupina rapacitate foris inueniatur deuorandus. Nam splendentia cœlestis militiæ agmina, natiuitatis Domini nostri IESV Christi gaudia primò pastoribus, qui supra suos deuotè vigilarunt greges, nuntiare venerunt. Ecce tuis sanctissimis vigiliis ad pastoralem sollicitudinem, probatissime Archimandrita, Angelicas à supernis sedibus visitationes adstare non dubitamus: quorum auxilio quæcumque diuinam poposceris pietatem, impetrare te posse credimus. Vnde ego vltimus sacratissimi ouilis vernaculus, & morbida peccatis ouicula, spe præcipuæ bonitatis vestræ animatus, ante sanctissimos paternitatis tuæ pedes * al. resplendet. fulget, abundat.

B animo prostratus suppliciter deposco, quatenus dirissima * peccatorum meorum vincula per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem soluere digneris, & paternæ pietatis precibus cursum vitæ meæ, qui restat, ad perpetuæ portas ciuitatis dirigere studeas. * al. durissima.

Grandia posco quidem, sed caritas grandia nouit dare. Poscentem pro filia viduam Christi clementia non spernit, sed ait, *O mulier magna est fides tua; fiat tibi sicut vis*. Fides me hortatur hæc poscere, spes confirmat impetrare: caritas, credo, negare non præsumit. Christus pro nobis, cùm inimici essemus, mori non dubitauit: quanto magis te, Pater sancte, pro amicis orare velle, credendum est? Sub te pastore augeatur grex Christi. Tu consolator mœrentium, adiutor laborantium, spes ad te clamantium, lux vitæ, religionis decus. Locus in quo stas, omnibus te honorabilem facit, & morum nobilitas laudabilem, & pietatis deuotio amabilem. Et qui sedem sanctorum tenes Patrum, eorum exemplis inhæreas semper, vt cum illis multiplici laboris mercede Domini Dei tui gaudia intrare merearis. Iste filius meus carissimus ANGILBERTVS *, vobis patefacere valet nostræ paruitatis erga Apostolicam Sedem deuotionem, etiam & voluntatis nostræ petitiones, quem vestræ paternitati valde fidelem esse agnoui: & ideò nostræ necessitatis causas illi iniunximus, vt per os illius pietatis vestræ aures mei cordis audiant obse- Matth. 15. * al. ENGILBERTVS.

C crationes.

AD PAVLINVM PATRIARCHAM.

EPISTOLA XVIII.

VENERANDO *viro Paulino Aquileiensi Patriarchæ Albinus salutem.* ACCEPTIS sapientiæ vestræ apicibus, & caritatis muneribus per hunc huius præsentis cartulæ gerulum, valde sum gauisus, cognoscens prosperitatem vestram, & memoriam nostri, quã semper paterna pietate vt habeas in orationibus sacris supplex obsecro: memor semper benignæ deuotionis, quam Iob habuit in filios suos. Salus filij, merces est patris: & laus genitoris, filius sapiens. Præsens verò harum portitor litterarum vestro auxilio & patrocinio nostræ sit commendatus petitioni. Ipse viuo officio linguæ nostras vel suas vobis ostendet necessitates. Maiorem nostræ salutationis seriem ANGILBERTVS filius communis noster ROMAM iturus, volente Deo, vobis dirigit. Sed nulla cartula sufficit caritatis effari dulcedinem, quam pleno ore anima mea de tuo hauserat pectore. Testis est veritatis ille spiritus, per quem caritas diffusa est in cordibus nostris. Edit. LXXIII. Iob. 1. Prou. 10. Rom. 5.

Viuendo felix, felix, Pater optime, viue,
Atque memor nati semper vbique, vale.

A

AD ITHERIVM, EPISTOLA XIX.

Edit. LXXV. DILECTISSIMO *Patri Itherio Albinus salutem.* GRATIAS agamus Deo IESV, vulneranti & medenti, flagellanti & consolanti. Dolor corporis, salus est animæ, & infirmitas temporalis, sanitas perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus voluntatem Saluatoris nostri. Sed nunc noli tardare. Fac quod facturus es. Curre dum lucem habes. Festina ad eum qui vocat te. Quod necessitas cogit, voluntas præueniat. Esto scriba sapiens, negotiator fidelis. Vende terrena, & eme cœlestia. Quid spectatur diei crastini incertitudo? Non sit dilatio in salute animæ. Quod animo cogitatur, opere perficiatur. Quod infirmitas optauit, sanitas peragat. Testis est, qui omnia nouit, mei cordis, hoc plena caritate, & fideli consilio me suadere. Scio, me post te, in loco tuo talem non habere amicum. Sed magis te velim amicum habere in honore permanentem, quàm pereuntem: & intercessorem apud Deum gaudere, quàm largitorem in seculo. Petatur à Deo auxilium, vt amicorum confirmet consilium, & suis iter salutis ostendat, & dirigat in viam pacis quos proprio redemit sanguine. B Ecce quali precio empti sumus. Non amemus ea, quæ nos separant ab eo, qui nos vsque ad mortem suæ carnis dilexit. Plurimos dies seculo satis seruiuimus: vel paucos, qui restant, viuamus Deo nostro, vt digni efficiamur faciem illius videre, qui dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Lætus lege, & constanter incipe, feliciter perfice, & sit Dominus tecum in æternum.

Ioan. 12. Matth. 12. Matth. 5. Matth. 5.

AD VSVALDVM, EPISTOLA XX.

Edit. LXXIX. DOMINI *Dei saluatoris mundi sanctissimæ Congregationi, & pio Patri Vsualdo, humilis Leuita Albinus salutem.* LAVDABILEM vestræ beatitudinis conuersationem, & condignam vestro nomini vitam laudamus, & Dominum in vobis, qui tales sui sancti nominis dignatus est habere confessores. Nec enim frustra speciali vocabulo Monachi Sancti Saluatoris vocamini: nisi quia estis meritis, quod nomine dicimini. Imò & tam nobilis Rex nobiles debet habere ministros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore castos, in animo sobrios, omni bonitate eximios, C clarissimis adsuetos triumphis, non fuga vitam defendere, sed in acie firmiter stare, viriliter pugnare, fortiter vincere, quatenus cum gloriosa victoriæ palma æterni Regis ciuitatem intrare mereamini. Hoc considerantes, fratres, adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec cognominetur Christus in vobis. Et ad finem firmum, cœptum iter beatæ conuersationis peragite, vt vnusquisque cum Apostolo dicere dignus efficiatur: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui,* fidem seruaui. *De reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex.*

2. Tim. 4.

Vestræ petitionis & voluntatis ad domnum Regem, quantum valui, fui adiutor, secundum quod mihi fraternitatis vestræ missus suggessit: mihique adiutricem LIVDGARDAM piissimam in Deo feminam adduxi. Sed obsecramus, vt sanctissimis orationibus vestris nostrum pro vobis laborem remunerare dignemini. Nam olim per ANGILRAMNVM* Archiepiscopum, & sanctæ Capellæ Primicerium, meipsum vestræ commendaui sanctitati. Sed modò quasi singulorum genibus * prouolutus, obsecro vt me in huius vitæ salo fluctuantem pietatis precibus ad portum perpetuæ quietis, diuina donante gratia, transportare dignemini: vt & ego animæ meæ salutem fraternæ intercessionis iuuamine habere merear, & vos æternæ retributionis mercedem à Deo pro caritatis officio dignè accipere mereamini. Omnipotens Deus exaudiat pietatis vestræ preces, & multis prodesse concedat: vobisque perpetuę præmia gloriç donare dignetur, carissimi, & desiderantissimi fratres.

* al. ENGILRAMNUM. * al. pedibus.

KAROLI

A

KAROLI AD HOMERUM, Admonitio ad Leonem Papam,

EPISTOLA XXI.

KAROLVS *gratiâ Dei Rex, & defensor sanctæ Ecclesiæ, Homero Auricolario salutem.* DIVINA regente misericordia iterum, & prosperè te adducente ad dominum APOSTOLICVM Patrem nostrum, ammoneas cum diligenter de omni honestate vitæ suæ, & præcipuè de sanctorum obseruatione Canonum. De pia sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatione secundum opportunitatem conlationis inter vos, & animi illius conuenientiam. Ingerásque ei sæpiùs, quàm paucorum honor ille quem præsentialiter habet, annorum, quàm multorum est perpetualiter merces: quæ datur benè laboranti in eo. Et de simoniaca subuertenda hæresi diligentissimè B suadeas illi, quæ sanctū Ecclesiæ corpus multis malè maculat in locis. Et quicquid mente teneas sæpiùs querelis agitasse inter nos Sed qualis mihi esset conlatio cum beato ADRIANO Papa prædecessore illius, de construendo Monasterio ad sanctum Paulum, nullatenus dimittas suggerere illi, vt volente Deo reuertens, certum mihi responsum habeas referre. Dominus Deus ducat te, & deducat, cum omni prosperitate. Dominus Deus regat & dirigat in omni bonitate cor illius, vt faciens faciat quod sanctæ suæ proficiat Ecclesiæ. Vt sit nobis pius Pater, & pro nobis præcipuus intercessor, vt idem Deus, & Dominus noster Iesus Christus nos in sua florere faciat voluntate, & cursum, qui superest nobis, vitæ nostræ, ad perpetuæ stabilitatis quietem perducere dignetur. Vade cum prosperitate, proficiens in veritate, reuersurus cum gaudio, Homeriane puer. Edit. LXXXIII.

ITEM KAROLI AD LEONEM PAPAM,

EPISTOLA XXII.

C KAROLVS *gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum, Leoni Papæ perpetuæ beatitudinis in Christo salutem.* PERLECTIS excellentiæ vestræ litteris, & audita Decretali Cartula, valde, vt fateor, gauisi sumus seu in electionis vnanimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, & in promissionis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices diuinæ pietati agentes gratias: quia nobis post lacrymabile doloris vulnus, quod animæ nostræ dilectissimi Patris & fidelissimi amici obitus inflixit, talem vobis solita suæ clementiæ prouidentia solatium perdonare dignatus est. Vnde & vestræ sanctitati quasi vicario lætitiæ munere, per eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi misericordiam, qui sanctæ suæ Ecclesiæ in vestræ beatitudinis exaltatione consuluit, nostram omniumque fidelium nostrorum demandamus prosperitatem. Necnon & pacificam in Dei voluntate totius Regni nostri innotescimus vnanimitatem: vt æquè in nostræ deuotionis gaudeatis, sicut & nos in vestræ sanctitatis lætemur successibus. Edit. LXXXIV.

Sed & hoc vestræ sanctissimæ beniuolentiæ innotescimus, quòd cùm dilectionis munera Patri meo dulcissimo, prædecessori vestro dirigere paraueram, vt caritatis, quam in eo habui, munificentiæ largitate monstrarem magnitudinem, & suauissimæ inter nos familiaritatis fidelitas multorum ostenderetur oculis: Ecce subitò, quod sine dolore non dicam, sine lacrymis non cogito præ tristitia, obitus illius legatione consternatus, & vbi lætitiæ parauerant insignia, ibi me tristitiæ turbauerunt lugubria. Et si Apostolus de mortuis contristari prohiberet, tamen caritas lacrymas elicere non cessat. Non quasi mortuum plangentes, sed quasi melius cum Christo viuentem recordantes. Si nos corporali præsentiâ amisisset,

non tamen ſpiritali ſuffragio illum nos amittere arbitramur. Sed magnum diuina nobis præuidebat gratia ſolatium, dum vos, vir venerande, in locum illius ſubrogauit: vt eſſet, qui cotidie apud beatum Petrum Principem Apoſtolorum pro totius Eccleſiæ ſtabilitate; & qui pro ſalute mea, meorúmque fidelium, immò & pro totius ſtabilitate regni nobis à Deo dati intercederet, & paterna pietate nos in filium ſibi adoptaret dilectionis pacificam vnanimitatem. A

ANGILBERCTVM manualem veſtræ familiaritatis veſtræ direximus ſanctitati, quem priùs, ſicut promiſimus per religioſos viros CAMPOLVM & ANASTASIVM, beatiſſimo Patri noſtro, prædeceſſori veſtro, dirigere curauimus, ſed vt præfati ſumus, dum exenia omnia parata erant, lugubri paternæ mortis nuntio repente tardarum eſt iter illius: ſed modò lætiores de veſtræ ſanctitatis ſucceſſione facti, quod deſiderauimus in illo pio Patre agere, in vobis perficere ſtudemus. Illique omnia iniunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis neceſſaria eſſe videbantur: vt ex conlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel Patritiatus noſtri firmitatem neceſſarium intellegeretis. Sicut enim cũ beatiſſimo prædeceſſore veſtro ſanctæ paternitatis pactum inij, ſic cum beatitudine veſtra eiuſdem fidei & caritatis inuiolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis veſtræ diuina donante gratia, ſanctorum aduocata precibus me vbique Apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtra ſemper deuotione defendatur. B

Noſtrum eſt, ſecundum auxilium diuinæ pietatis, ſanctam vbique Chriſti Eccleſiam ab incurſu paganorum, & ab infidelium deuaſtatione, armis defendere foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire. Veſtrum eſt, ſanctiſſime Pater, eleuatis ad Deum cum Moyſe manibus, noſtram adiuuare militiam: quatenus vobis intercedentibus, Deo ductore & datore, populus Chriſtianus ſuper inimicos ſui ſancti nominis vbique ſemper habeat victoriam, & nomen Domini noſtri IESV CHRISTI toto clarificetur in orbe. Veſtræ verò auctoritatis prudentia Canones vbique ſequatur, quatenus totius ſanctitatis exempla omnibus euidenter in veſtra fulgeant conuerſatione. Et ſanctæ admonitionis exhortatio audiatur ab ore, quatenus luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Omnipotens Deus veſtræ auctoritatis beatitudinem ad ſanctæ ſuæ Eccleſiæ exaltationem per multa annorum curricula incolomem conſeruare dignetur.

ITEM KAROLI AD REGEM OFFAM, EPISTOLA XXIII. C

Edit. LXXXV. KAROLVS *gratiâ Dei Rex Francorum, & defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ, dilecto fratri & amico* OFFÆ *Regi ſalutem.* PRESBYTER iſte, & Scottus, apud nos moratus eſt aliquanto tempore in parrochia HILDEBOLDI Colonienſis Epiſcopi, ſed reprehenſibilis factus, vt fertur, à quodam accuſatore, quòd carnem diebus quadrageſimalibus comediſſet. Noſtri verò Sacerdotes iudicare renuerunt, quia plenum teſtimonium accuſantium ſuper eum non inuenerunt. Tamen nec eum loco conſueto habitationis ſuæ propter infamiam diutiùs morari permiſerunt: ne Sacerdotalis honor apud imperitum vulgus viléſceret, vel rumigera loquela aliqui hortarentur violare ſanctum ieiunium. Viſum eſt noſtris ſacerdotibus illum ad ſui Epiſcopi, vbi Deo votum fecit, dirigere iudicium. Idcirco veſtram deprecamur prouidentiam, vt iubeatis illum ſecundum opportunitatem temporis & prouectionis, in ſuam tranſponere patriam, vt ibi iudicetur, vnde exiuit. Nam ibi quoque ſanctæ Dei Eccleſiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honeſtas in conuerſatione, ſecundùm Canonicam ſanctionem diligenter obſeruari debebit: vt vna, perfecta, & immaculata columba, cuius pennæ deargentatæ, & poſteriora eius in ſpecie auri clareſcere debent. Vita, ſalus, & proſperitas, tibi tuiſque fidelibus à Deo Chriſto detur in æternum.

A

AD DOMNVM REGEM.

EPISTOLA XXIII.

DOMINE mi dilectissime, & dulcissime, & omnium desiderantissime mi DAVIN: tristis est FLACCVS vester propter infirmitatem vestram. Opto, & toto corde Deum deprecor, vt citò conualeatis, vt gaudium nostrum sit plenum in vobis, & sanitas vestra sit plena anima & corpore. Domine mi, memor sit pietas vestra captiuorum, dum est PIPPINVS tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficij, quod vobiscum de HVNIS diuina fecit clementia: & propter prosperitatem imminentium rerum, vt clementissima illius potentia omnes aduersarios sui sancti nominis vestris velociter subiciat pedibus: sed & de peccantibus in vos, si fieri possit, & vestræ videatur prouidentiæ, aliqua de aliquibus fiat indulgentia & remissio. Tamen propter incognitas illorum causas cautiùs de his loquor. Vos enim ipsi optimè scitis quod vtile est Regno vobis à Deo dato, & B paci sanctæ Dei Ecclesiæ proficuum. Facientes faciatis in omnibus voluntatem Dei, quatenus illius sanctissima gratia vos proficientes vbique protegat, tegat, & custodiat, Domine, & dulcissime, & desiderantissime. Edit. xc.

AD PIPPINVM,

EPISTOLA XXIV.

NOBILISSIMO *nobisque amantissimo filio Pippino in Christi dilectione salutem.* Edit. XCI.
GRATIAS agimus beniuolentiæ tuæ, simul & pietati domni Regis, qui piè consentit petitioni redemptionis captiuorum. Scio vos in talibus pietatis operibus promereri benedictionem, & longæuam regni prosperitatem adipisci. Et tu, excellentissime iuuenis, nobilitatem generationis morum nobilitate adornare studeas. Et Dei omnipotentis voluntatem atque honorem tota virtute implere contende; quatenus illius inæstimabilis pietas solium Regni tui exaltet, & terminos dilatet, & gentes tuæ subiciat potestati. Esto largus in miseris, pius in peregrinis, de- C uotus in seruitio Christi: seruos illos & Ecclesias honorificè tractans, & vt sedula illorum oratio te adiuuet. Esto honestus in conuersatione, castus in corpore. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, & non sint alienæ participes tui: vt benedictio tibi à Deo data in longam nepotum procedat posteritatem. Esto fortis in aduersarios, fidelis in amicos, humilis Christianis, terribilis paganis, affabilis miseris, prouidus in consiliis. Vtere consilio senum, & seruitio iuuenum. Et æquitatis iudicia in Regno tuo, & laus Dei vbique horis competentibus resonet, & maximè in præsentia pietatis tuæ. Quia huiusmodi deuotio in officiis Ecclesiasticis Deo te amabilem faciet, & hominibus honorabilem efficiet. Sint tibi sobrietatis cogitationes in corde, veritatis verba in ore, honestatis exempla in moribus: vt te diuina vbique clementia exaltet & custodiat. Hæc obsecro carta tecum in testimonium amoris mei pergat. Et si non sit digna tuæ venerationis cingulo suspendi, tamen eius admonitio digna sit in corde tuæ sapientiæ recondi.

Viue Deo florens, læta gaudénsque salute.
Dextera te Christi protegat, atque regat.
Obsecro, commendes Albini vt nomen vbique,
O fili, famulis per tua regna Dei.

A

AD DVLCISSIMVM FILIVM HOMERVM,

EPISTOLA XXV.

Edit. XCII. DILECTISSIMO *filio vir fluctiuagus salutem.* Te abeunte, tentaui sæpius ad portum stabilitatis venire: sed Rector rerum, & dispensator animarum necdum concessit posse, quod olim fecit velle. Adhuc ex radice cordis nascentes cogitationum ramusculos ventus tentationum flagellat, vt consolationis flores, & refectionis fructus nutriri nequiuerint. Tota nocte laborantes nihil cepimus. quia necdum in litore IESVS stetit, præcipiens in dexteram nauigij rete mitti. Patrocinia Sanctorum non obliuiscere. Res Ecclesiasticæ pulcritudinis oculis occurrentes noli neglegere, vt acquiras. Nostra rusticitas auara est de talibus: vestra nobilitas larga est de omnibus. Memor esto Poëtici præsagij:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Hoc de te, tuóque itinere prophetatum esse quis dubitat? si Christum SIBYLLA, eiúsque labores, prædixit venturum, cur non NASO HOMERVM, eiúsque itinera præcecinit? Paululum propter refectionem animi rhetorica lusi lepiditate. B

Sed vt iterum ad seriem rugosa fronte reuertar: Te verò vnanimem deposcens amicum, te custodem animi obsecrans, vt consilium salutis animarum nostrarum, cum suffragiis sanctorum Apostolorum à Deo depreceris. Nam nos ambos, vt recognosco, quædam necessitatis catena constringit, & libero cursu voluntatis castra intrare non permittit: nec est qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferni ferrea claustra contriuit: qui est via, & veritas, & vita. Via, pergentibus per illum: veritas, venientibus ad illum: vita, manentibus in illo. Quid habeo plus scribere? quia omnia necessaria nosti. iuxta opportunitatem portantis, semper dirige mihi literas, vt sciam de prosperitate tua, & itinere tuo, quando, vel quò venias miserante Deo. (Ioan. 14.)

Prospera cuncta, precor, faciat tibi Christus, HOMERE,
Qui te conseruet semper vbique. Vale.

AD DAMOETAM FILIVM,

C

EPISTOLA XXVI.

Edit. XCIII. FLACCVS *Albinus Flauio Damœtæ filio carissimo salutem.* Tuæ congaudeo dilectioni, & præstatæ fidei congratulor. quia semper vbique tè fidelem inueni, & beniuolum erga me agnoui, sicut filium in patrem; nec aliter inueni, nisi vt voluntas tua semper meam subsequuta est voluntatem. Ideo tædium habet animus meus de absentia faciei tuæ: tamen in caritate cordis mei, te semper præsentem habeo, Deúmque pro tua deprecor prosperitate, vt te mihi in gaudium, tibique ipsi in salutem longæuis conseruare dignetur temporibus. Sed valde sollicitus sum de itinere tuæ profectionis in hostem, quia plurima solent in talibus euenire pericula rebus. Tamen qui iustitiam habet eundi, & pro Deo decertandi, fiduciam potest habere de auxilio illius, pro cuius amore tantum subire laborem non formidat. Tu verò iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare, orationibus seruorum Dei vndique munire memento: vt Angelus Domini te inter omnia aduersa tueatur, & comitetur, quatenus cum securitate vadas, & cum pace reuertaris.

Ego penè quasi orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit: Martinus in Vicos apud sanctum Iodocum infirmus remansit. pro cuius sanitate, vt Dei depreceris clementiam, obnixè flagito. De Mopso, qui apud S. Martinum, sicut audisti, infirmatus est, nihil aliud audiui

A cectum, nec te abeunte missos illius vidi. Sed pene tristitia totus absorptus fui in filia mea, quæ tres dies penè desperata fuit. Sed modò donante diuina misericordia per preces seruorum Dei, & eleemosynarum largitatem, benè consolari sumus in ea, quia benè recuperata est. Ecce qualibus pater tuus agitatus est fluctibus. Tu, fili carissime, cum tuæ reuerentiæ commilitonibus pro eo intercedere satage, quatenus spiritus consolationis hos eius animi motus tranquilla pace componere dignetur, & DAVID dilectum suum, & vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. Æternæ patriæ ciuem te faciat diuina clementia, dilectissime fili.

AD AERICVM DVCEM,

EPISTOLA XXVII.

VENERANDO *viro Aerico Duci, Albinus Magister salutem.* SATIS mihi sacræ lectionis intentio, & piæ humilitatis conuersatio placet in vobis, & in qua Edit. XCIV.
B meæ paruitatis familiaritet mansiunculam visitare non spreuistis. Vnde & gratias agimus vestræ benignitati, Deúmque dilectissimè * pro vestra deprecamur sospitate, quatenus tuæ fortitudinis dexteram contra aduersarios sancti sui nominis victricem vbique faciat, & ab omni aduersitate diabolicæ fraudis, seu à cunctis inimicorum insidiis, suæ magnæ pietatis potentiâ clementer custodiat: cuius sanctissimam voluntatem in obseruatione mandatorum illius, quantum humanæ possibile sit fragilitati, intentissimè efficiens, vt te in prosperis regere, & in aduersis protegere dignetur. Plura tibi, vir venerande, de Christianæ pietatis obseruatione fortè scripsissem, si tibi doctor egregius, & pius cœlestis vitæ præceptor PAVLINVS meus præsto non esset: de cuius corde emanat fons viuentis aquæ, in vitam salientis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ conciliatorem, ne alicubi tuæ conuersationis pes impingat: sed recto itinere currens, diuina donante gratiâ, ad perpetuæ portas vitæ peruenire mereatur. Viue, & vale feliciter in æternum.

*al. dilectissime.

KAROLI REGIS, AD NICEPHORVM IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANVM.

C

EPISTOLA XXVIII.

CVM in omni humanæ actionis initio Domini sit auxilium inuocandum, maximè in hoc, quod modo inter nos DEO mediante agitur, negotio, Domini & Saluatoris nostri IESV Christi omni modo sunt imploranda suffragia: vt qui nomine illius signati sumus, & in dispensatione passionis eius ab æterno mortis periculo nos redemptos esse confidimus, ea quæ ipso inspirante inchoamus, ad honestum & vtilem perfectionis terminum perducere mereamur: in cuius nomine, atque honore Legatū fraternitatis tuæ, quem ad bonæ recordationis filium nostrum PIPINVM regem misistis, ARSATIVM scilicet, gloriosum spatarium ad nos cum verbis, & literis...... tuæ, benignè atque honorificè suscepimus. Et quamuis ad nos missus non fuisset, veluti ad nos missum, adhibita diligenti cura, & audiuimus, & cum eo, de his quæ detulit, quia prudentem animaduertimus, colloquutionem habuimus. Nec immeritò, cùm tanta esset, non solùm in literis, quas attulit, sed etiam in verbis, quæ ex ore illius nostris auribus insonuerunt, optatæ ac semper optandæ pacis copia, vt valdè nos, & quibuscumque Deum amantibus huiuscemodi Legatio placere potuisset: quæ vtique tanto fuit caritatis, ac pacis fauo respersa, vt in palato cordis cuiusque fidelis veram possent sapere dulcedinem, possetque iudicari penitùs insipiens, cui talia videntur insipida. Propter quod postquam illum in fines Regni nostri peruenisse comperimus, veluti præscij optimæ, ac Deo complacitæ legationis eius, temperare nequiuimus, oppurtunè cum ad nostram præsentiam venire fecimus; maximè tamen, quod is, ad quem illum Edit. CXI.

missum esse constabat, dilectus filius noster PIPINVS Rex, diuino iudicio iam rebus humanis excesserat, neque nos illum cum infecto negotio tanto, ad quod perficiendum directus erat, vacuum reuerti, pati potuimus. A

Et non solùm propter hoc, sed etiam quod ex tempore, quo primo Imperij tui anno MICHAELEM Metropolitanum, & populum, Assiduum Abbatem, Callistumque gloriosum candidatum, ad constituendam nobiscum pacem, & foederanda, atque adunanda haec duo in Christi caritate, longaeua tua misit dilectio. Veluti in specula positi, longa fuimus exspectatione suspensi, praestolantes, siue per Legatum, siue per epistolam, quando meritorum scriptis nostris, amabilia fraternitatis tuae responsa susciperem. Iámque, vt se habet humanae mentis infirmitas, prope desperatio cordi nostro incipiebat oboriri. Sed fidentes, sperabamus in eo, qui nunquam deserit sperantes in se, quod secundum Apostolum, labor noster in ipso vacuus, & inanis esse non deberet: ac desiderium nostrum, quod, vt confidimus, ipsius inspiratione concipimus, secundum diuitias misericordiae suae, complere, & quandocunque ad effectum perducere deberet. Idcirco audito aduentu memorati Legati dilectionis tuae, Arsatij gloriosi spatarij, magnoperè gauisi sumus, confidentes, nos de rebus incertis ad optatam certitudinem peruenturos, & de his, quae praedictis missis tuis ad te perferenda dedimus, responsum esse recepturos. Et re vera ita factum est. Sensimus enim ex parte mea, quod desideramus, ad completionem votorum nostrorum, diuini fauorem auxilij, & in verbis, ac literis, quae per legationem memorati Legati perlata sunt, quamuis ad filium nostrum scripta, & directa essent, non minimam nos desideratae responsionis accepisse portionem. Proinde omnipotenti DEO, non quales debuimus, sed quales potuimus, gratias agimus, quòd cordi dilectionis tuae, quam quaesiuimus, ac desiderabilem pacis voluntatem inspirare dignatus est, orantes secundum Apostolum, vt DEVS, qui vobis in hac pace velle tribuit, ipse perficere tribuisset. Propter quod nihil morantes, sed omni cunctatione, ac dubitatione penitùs abiecta Legatos nostros praeparauimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos. B

(Margin: 2.Thess.3. Philip.4. Philip.2.)



ALCHVINI ABBATIS CARMINA

EPITAPHIVM FVLRADI ABBATIS SANCTI DIONYSII. C

Carm. CXXIII.



PRESBYTER egregius valde & venerabilis Abba,
Strenuus actu, opere, pectore, mente pius,
Corpore FVLRADVS tumulo requiescit in isto.
Notus in Orbe procul noster in Orbe Pater.
Inclytus iste sacrae fuerat Pastórque Capellae,
Hic decus Ecclesiae promptus in omne bonum.
Haec domus alma Dei magno est renouata decore,
Vt cernis, ector, tempore quippe suo.
Iste pio Patres magno dilexit amore,
Relliquias quorum haec domus alma tenet.
Credimus idcirco coelo societur vt illis,
In terris quoniam semper amauit eos.

EPITAPHIVM MAGINARII, QVI FVLRADO SVCCESSIT.

Carm. CXXIV.

Hic sit sub pedibus tibi, MAGINARE, Magistri
Iam sacra mundanis temporibus requies.
Te pius ille Pater teneris nutriuit ab annis,
Tu quoque successor eius honoris eras.

A Hoc, heu! perparuum rexisti tempus ouile,
Floribus in mediis mors mala te tulerat.
Sed quem Christus amat, illi mors nulla nocebit:
Post mortem melius viuit in arce Poli.
Moribus in fuis quapropter viuite Christo,
Qui legere vultis carmina nostra, precor.
Obsecro, meque piis precibus commēdite Christo,
Vt merear ciuis vrbis adesse Deus.

VERSVS DE ARA SANCTI PETRI,

Quam Hildeboldus Præsul apud Coloniam Regis KAROLI *iussu metallis vestiuit.*

Rex KAROLVS Christi magno deuotus amore — Carm. CCVIII.
Iusserat hanc aram sacris vestire metallis,
Ad decus Ecclesiæ, propriam sibimetque salutem.
B Petrus Apostolico princeps in agmine primus
Hoc altare regat, simul & hæc templa tuetur,
Adiuuet & precibus famulorum vota suorum.
Hoc opus Antistes Rege mandante peregit
HILDILBALDVS ouans Agripina Præsul in vrbe.
Hic pro Rege Patres Christo pia munera ferte,
Vt conseruet eum cœlestis gratia semper.
Hæc est alma domus donis solidata supernis.
Hanc regat omnipotēs magno cum Principe Petro.
Sit tibi certa salus, veniæ spes, ianua vitæ,
Quisquis corde pio lacrymas hac fundis in aula.

EPITAPHIVM HADRIANI I. PAPÆ

Quo Carolus Magnus sepulcrum ipsius decorauit.

C Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
HADRIANVS requiem Papa beatus habet. — Carm. CCXVII.
Vir cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus iam gente parentum,
Sed sacris longè nobilior meritis.
Exornare studens deuoto pectore Pastor,
Semper vbique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit, & cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris peruigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Vrbs caput Orbis, honor inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Ianua sed vitæ mors melioris erat.
Post patrem lacrymis KAROLVS hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper.
Cum Christo teneas regna beata poli.
Te clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus vnus amor, optime Præsul, eras.
Nomina iungo simul titulis, clarissime, nostra,
HADRIANVS KAROLVS, Rex ego, túque Pater.

Quisque legas versus, deuoto pectore supplex, A
Amborum, nutis dic, miserere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies, carissime, membra,
Cum sanctis anima gaudeat alma Dei.
Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, Iudicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor esto tui nati, Pater optime, posco,
Cum patre, dic, natus pergat & iste meus.
O pete regna, Pater felix, cœlestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol igni como rutilus splendescit ab axe,
Laus tua sancte Pater, semper in Orbe manet.
Sedit beatæ memoriæ HADRIANVS Papa
Annos XXIII. M. X. D. XVII. Obiit VII. Kal. Ian.

VERSVS AD CAROLVM *Imperatorem.* B

Carm. CCLXXI.

CARMINA dilecto faciat mea fistula DAVID,
Laurigero Dauid carmine dignus erit.
Dauid amor populi, Dauid laus, gloria plebis,
Atque decus Regni, spésque corona suis.
Ite per Hespericas Musæ concentibus vrbes,
Clamantes, Dauid semper vbique vale.
Terra, polus, pelagus, resonet hoc voce sonora,
Dicat & Orbis honor, sit cui vita salus.
Hoc optent precibus simul agmina sancta polorum,
Hoc tribuat clemens Christus ab arce poli.
Vt viuat, regnet multis feliciter annis
Ad laudem populi Dauid in Orbe pius.
Transacto & felix præsentis tempore vitæ,
Cum Christo teneat regna beata poli.
Ad te nunc Dauid referat mea fistula voces,
Quas precor vt solita iam pietate legas.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris, C
Decantat, laudat nocte diéque simul.
Atque piè patris Martini pronus ad aram,
En poscit lacrymis prospera cuncta mihi.
Tecum sancte Pater pergat miseratio semper,
Iustitiæque decus, & pietatis amor.
Gaudeat vt populus te iam veniente per vrbes,
Totus vbique simul, cum senibus iuuenes.
Hoc tua perueniat bonitas, Pater optime Regni,
Vt tua permaneat laus, honor, atque decus.
Tu Pater es patriæ, præclari & Pastor ouilis.
Te timeat prauus, te pius omnis amet.
Nec tibi subripiat quorumdam praua voluntas,
Qui sua fortè volunt, nec tua, nec Domini.
Roma caput mundi, primi quoque culmen honoris,
In qua gazarum munera sancta latent.
Quæ modo disrupto plangit sua viscera fœtu,
Per te sanabit saucia membra citò:
Vt pater & populus concordi pace regantur,
Vt mens vna fiat, quos habet vna fides.
Quos genuit Christo Christi confessus amorem
Clauiger æthereus Petrus in orbe pius.

A Ne turbata fluat per mundum fluminis vnda,
Vnde solebar aqua pura manare priùs.
Plurima nempe tibi sunt emendanda per Orbem,
O Rex, ô rector, ô decus Ecclesiæ.
Simoniaca quidem pullulat malè pestis in Orbe,
Muneribus dantur mystiea dona Dei.
Quæ Deus æternus cunctis impendere graris
Iusserat, vt gratis accipit ipse dator.
Stat quoque iudicium causæ sub munere dantis,
Sportula iustitiam vertit in ore senis.
Muneribúsque datis veniunt ad pocula testes,
Impia iam purgat ebrieràsque reum.
Opptimit & miseros quorumdam sæua potestas,
Impleat vt saccos diues ab ore suos.
Impunè discurrunt facientes furta larrones,
Vltores scelerum sunt etiam socij.
Talia compescat tua, Rex, veneranda potestas,
B Rectorem Regni te Deus instituit.
Grex est quippe tuus populus, tu pastor ouilis,
Nobilis, egregij, magnus in Orbe Parer.
Vt tua nobilitas sic & sapientia cunctis
Præcellet, virtus, laus, honor, atque decus.
Ad te respiciunt famulorum vota tuorum,
Quid tua expectantes mens pia præcipiat.
Ipsa caput mundi spectat te Roma pattonum,
Cum Parre & populo pacis amore pio.
Quos reuocare quidem studeat tua sancta voluntas
Ad pacis donum per pia verba Dei.
Erige subiectos, & iam depone superbos,
Vt pax & pietas regnet vbique sacra.
Pastor Apostolicus iam primus in Orbe Sacerdos,
Per te cum populo gaudeat ipse Parer.
Rector & Ecclesiæ per te Rex rirè regarur,
Et te magniporens dextra regat Domini.
C Vt felix viuas lato regnator in Orbe,
Proficiens facias cuncta Deo placita.
Angelus ætheria veniens cœlestis ab arce,
Qui tecum maneat nocte diéque simul.
Prosperè qui semper te, Rex, deducat euntem,
Et redeuntis iter proregat atque regat.
Vt te suscipiat victorem FRANCIA gaudens,
Obuia palmaris & manibus veniat.
Hoc tribuat Christus mundi mirissimus auctor,
Vt veniens venias, Dauid amare, citò.
Hoc mihi cunctipotens donet clementia Christi,
Vt videam faciem lætus in Orbe tuam.
O Pater, ô Pastor, rector, spes alma tuorum,
Sit tibi vita, salus sit sine fine. Vale.

A

CAROLI M. IMP.
AD PIPINVM FILIVM IN ITALIA REGNANTEM, EPISTOLA.

Extat apud Sigonium an. 803.

CAROLVS *serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, ac per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, dilectissimo filio suo* PIPINO *glorioso Regi sempiternam in Domino salutem.* PERVENIT ad aures clementiæ nostræ, quòd aliqui Duces, eorúmque Iuniores, Castaldij, Vicarij, Centenarij, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes, vel discurrentes mansionaticos, & par. . . . . . accipiunt non solùm à liberis hominibus, sed etiam ab Ecclesiis Dei, Monasteriis videlicet virorum ac puellarum, & Zenodochiis, atque per diuersas plebes, insuper seruientes Ecclesiarum Dei in eorum operâ, id est in vineis, campis, seu pratis, necnon & in eorum ædificiis illos faciunt operari. sed carnaticum & vinum contra omnem iniustitiam ab eis exactare non cessant: & multas patiuntur oppressiones, nisi Ecclesiæ Dei seruientes. Ideò, carissime fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, vt hoc anno hanc causam diligenter & prudenter inquirere facias: & si veritas est, quod ita factū sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas; quatenus in diebus nostris citiùs pax Ecclesiarum Dei, siue illarum seruientium in omnibus conseruetur, & vt merces copiosa nobis, & tibi exindè iugiter accrescat. Audiuimus etiam quòd quædam Capitula, quæ in lege scribi iussimus, per alia loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quòd nos nequaquam hanc causam per nosmetipsos conditam * habeamus, & ideò eam nolunt obedire, ac consentire, ac pro lege tenere. Tu valde nosti quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis Capitulis. Et ideò admonemus tuam amabilem dilectionem, vt per vniuersum Regnum tibi à Deo commissum ea nota facias, & obedire atque implere præcipias. B

* cognitam



A

EGHINARDI ABBATIS EPISTOLAE,

Ex vetusto Codice MS. Laudunensi.

EPISTOLA I.

DILECTISSIMO *in Christo fratri* ANSGISO *venerabili sempiternam in Domino salutem.* OBSECRO dilectionem tuam, vt non grauiter, sed potiùs misericorditer & amicabiliter accipere digneris,
B quod apud te pro necessitate huius quondam hominis nostri, nunc autem hominis domni LOTHARII, apud te intercedo, vt eum beneficium quod ego illi dedi, sub qualicumque .... habere permittas, vsque dum nos illi de altero beneficio ex largitate dominorum nostrorum aliquam consolationem Domino adiuuante facere potuerimus. Habebitis me magis promptum atque deuotum ad vestram voluntatem atque vtilitatem perficiendam, si meas petitiones in hac causa adimplere dignamini.

II.

RELIGIOSO *Christi famulo* GOZBERTO *venerabili Abbati Eghinardus peccator.* PRECOR vt sanctitas vestra cognoscere dignetur de causa hominis istius nomine Bebonis, quòd ego beneficium illi dedi de Monasterio S. Chlodouualdi propter hoc quòd mihi benè seruiebat. Sed postquam eum domno Lothario commendaui, impetraui à domno Imperatore vt ei confirmationem faceret de eodem beneficio ad dies vitæ suæ. Propter hoc rogo & obsecro dilectionem vestram, ne
C illi permittatis aliud impedimentum fieri de ipso beneficio, donec nos Domino volente vobiscum loquamur. Hæc ideò vobis mando, quia cognosco quorumdam hominum prauam voluntatem, & infinitam cupiditatem, quæ de proximorum damnis nullam habent curam, in eo quòd suæ auidissimæ cupiditati satisfacere valeant. Opto vt semper valeatis in Domino.

III.

REVERENTISSIMO *Christi famulo Amalhario Eghinardus peccator.* NESCIO quis præuenit aduentum pueri vestri, qui mihi litteras vestras attulit, & effecit vt tibi mandaret..... quatenus proximo Palmarum die ad Imperatorem venisses. Sed postquam .... litteras vestras accepi, & Imperatorem de his quæ voluisti interrogaui, præcepit mihi vobis scribere, vt sanctum Paschæ diem domi celebrassetis, & ceterum comitatum vestrum post vos venire iuberetis, eo modo vt quando ille ad vos in Palatio venisset, mandatis acceptis, & ratione legationis vestræ vobis insinuata, sine mora iter vestrum adgredi valeatis. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

IV.

DOMINO *sancto & merito venerabili* OTGARIO, *reuer. Archiepiscopo Eghinardus peccator.* FRATER iste nomine VVerdricus de congregatione S. Bonifacij est, & conuersatur apud nos per licentiam Abbatis sui, pro eo quod noster propinquus est. Quem ideo....... mittimus, vt eum ad Diaconatus officium ordinare iubeatis, si videritis canonicè fieri posse per talem rationem, quæ continetur in

Epistola Abbatis eius, quam nuper ad me cùm eum de eadem causa consulerem atque rogarem direxit. quam etiam vobis per eundem fratrem ad legendum misi. In qua vt arbitror statim intelligerẽ potestis, vtrum illa consecratio modò fieri possit, an in aliud tempus differenda sit. Oro & opto, vt sanctitatem vestram sibi deuotè seruientem superna gratia semper & vbique custodiat, sanctissime ac reuerentissime Pater. A

V.

VENERABILI *in Christo* IACOBO *reuerentissimo Episcopo Eghinardus peccator.* ISTE Clericus nomine Otmarus detulit mihi litteras sanctitatis vestræ, in quibus me rogastis, vt eidem Clerico licentiam darem vobiscum manendi, qui in hac regione & natus & nutritus est. Et ego qualitatem causæ considerans, decreui adsensum præbere petitioni vestræ, eo videlicet modo, vt idem Clericus cum suis fratribus & matre sicut rogastis, licentiam habeant vobiscum manendi, & censum suum annis singulis persoluant ad S. Seruatium, sicut eis à fratribus nostris constitutum est. De ordinatione verò eiusdem Clerici in vestra sit potestate, vt indè faciatis quicquid vobis optimum esse videbitur. quia vos & mores & conuersationem illius cognoscitis, & scitis vtrum ad aliquem ordinem sacrum suscipiendum idoneus sit. Opto sanctitatem vestram nostri memorem semper in Christo benè valere. B

VI.

DILECTISSIMIS *in Christo Fratribus & deuotis Christi famulis Egilolfo, & Humberto æternam in Domino salutem.* SCIO vos non latere, quòd bonæ memoriæ VVolfgarius Episcopus me petente beneficiauit homini nostro Gerberto in pago Dubargavve, in loco qui dicitur Asgbah de ratione S. Kiliani mansos III. & mancipia XII. Sed quia in hoc diutius manere non potuit, nisi dum ille in corpore vixit, precor benignitatem vestram, vt memoratum Gerbertum illud beneficium habere permittatis sicut modò habuit, vsque dum in hac sede Episcopus fuerit ordinatus: & inter me & illum conuenerit, quid de ipso beneficio fieri debeat in futurum. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

VII.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri viro* POPPONI *glorioso Comiti Eghinardus in Domino salutem.* . . . . . . res homines confugerunt ad limina beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, fatentes se culpabiles esse, qui in præsentia vestra conuicti . . . . . . quodam furto quod commiserunt furando feramina in Dominica foreste. cuius partem compositionis iam soluerunt, & adhuc soluere . . . . . . sed vt asserunt non habent vnde soluere propter paupertatem suam. Proinde precamur benignitatem vestram, vt eis propter amorem Christi Martyrum, ad quos confugerunt, inquantum possibile est parcere dignemini, ne penitus pereant per huiusmodi culpam, sed potiùs sentiant sibi apud vos profuisse, quòd ad sanctorum Martyrum sepulchra confugerunt. Opto vt semper benè valeatis in Domino. C

VIII.

* *fort.* Rotgatio.

DOMINO *sancto & merito vener. R.G.R.O.* reuer. Episcopo.* PRESBYTER quidam nomine Hruodradus venit ad me, dicens se esse de fisco vestro Manniaco, & accepisse licentiam à Chorepiscopo vestro & ceteris fratribus Romam pergendi, & hoc in mense Martio: Sed pòst cùm venisset ad Mogontiacum, non potuisse inuenire homines cum quibus illud iter peragere potuisset. ac propter hoc diuertit ad quendam pagensem nostrum, qui ei cognitus fuerat, nomine Hildebertus, & mansit apud eum donec inueniret homines Romam euntes, quos se nunc inuentos habere dicit; & rogauit me vt apud vos impetrare ei licentiam illud iter peragendi. Vult enim, sicut ipse asserit, illud iter quã celerrimè potuerit peragere, & ad locum suum reuerti. Propter hoc precor sanctitatem vestram, vt ei sicut ipse rogat licentiam donare dignemini, & vt illi non noceat quòd tam diu inter vias moratus est. quia multis impedimentis accidentibus inuitus fecit quod emendare non potuit.

Optamus

A Optamus Sanctitatem vestram nostræ imbecillitatis memorem semper, in Christo benè valere, sanctissime ac reuerentissime Pater.

IX.

DILECTISSIMO *fratri* GEBOINO *glorioso Comiti Palatij Eghinardus in Domino salutẽ.* ROGO dilectionem vestram, vt hunc pagensem nostrum nomine Dauid necessitates suas tibi referre volentem exaudire digneris: & si causam eius rationabilem esse cognoueris, locum ei facias ad domnum Imperatorem se reclamare. Est enim idem homo domni Hlutharij. & ideò non tantùm propter peritionem meam, sed propter honorem & amorem senioris sui, debes illum adiuuare. Opto, vt te sanum & incolumem citò videre merear.

X.

DOMINO *sancto & merito vener.* HETTI *reuer. Archiepiscopo Eghinardus peccator.* SICVT ex litteris Sanctitatis vestræ vos velle cognouimus, ita sine dilatione facere curauimus: mittendo videlicet vobis reliquias, quas vos habere velle ad dedicationem nouæ Basilicæ vestræ scripsistis. Et quidem libenter id fecimus, qui talem fiduciam in vobis habemus, vt quæcumque particula de sacris beatorum Mat-
B tyrum cineribus ad vos peruenerit, talis ei honor exhibeatur, qualem totis eorum corporibus exhibere debueramus, nisi desidia & negligentia à debito illis honore retardaret. Quod autem per nos cognoscere voluistis, minimè vos de his certiores reddere valemus. qui pene nihil inde ad nostram notitiam sciet peruenire, neque nos de his magnopere curiosi sumus, de quorum cognitione nullam vtilitatem, & paruam percipimus voluptatem. Optamus Sanctitatem vestram nostra imbecillitatis memorem in Christo semper bene valere, sanctissime & reuerentissime Pater.

XI.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri viro* HRVOTBERTO *glorioso Comiti æternam in Domino salutem Eghinardus peccator.* ROGO benignitatem vestram, vt mihi mandare dignemini, quid vobis placeat vel vt modè fieri debeat de causa Alahfridi hominis nostri. vtrum ex toto dimittenda sit, an ille adhuc sperare debeat, ad suam iustitiam per vestrum adiutorium peruenire mereatur. Nam ego totam causam, & qualiter à vobis per veraces homines inquisita est, simul cum
C ADALHARDO & GEBVINO Comitibus Palatij, domno Imperatori indicaui. & ille respondit mihi mirum sibi videri, cur illa causa iam finita non fuisset. Ideo precor dilectionem vestram, vt non mihi mandare dedignemini, quid prædictus homo noster de ipsa sua causa facere debeat. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

XII.

IN *Christi nomine Eghinardus Abbas Luutharde Presbytero & Eremberto Vicedomino, fidelibus nostris in Domino salutem.* NOTVM sit vobis, quòd nos VVillibaldo Presbytero fideli vt credimus nostro iniunctum habemus, vt censum nostrum recipiat ab hominibus nostris, tam apud S. Bauonem, quàm in Blandinio Monasterio. Propter hoc mittimus illum ad vos, quia volumus vt ei adiutorium faciatis, vt eum ad nos perferre valeat. Et cùm receptus fuerit, volumus vt vos illum ad hoc adiuuetis, vt eundem censum & pleniter, & in bono argento recipiat. Opto semper benè valeatis in Domino.

XIII.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri viro* POPPONI *glorioso Comiti Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* DICTVM est mihi, quòd me rogastes, vt de tribus Capitulis te certum facerem. Quod vtique mihi ad faciendum de vno illorum difficile est: id est femina, quam tu melius quàm ego nosti, si à te sine culpa in coniugium possit adsumi. Nam de dispensa, quam in Aquis accepistis, nullam volo aliam retributionem nisi amicitiam tuam. De Iopila verò quando in simul fuerimus locuti, iuxta quod tunc inter nos conuenerit facere paratus sum. & ideo tibi modò plura per litteras meas indicare non possum. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

A

XIV.

DILECTISSIMO *fratri Geruuardo Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* DVBIVM mihi est, vtrum de te sentire debeam, quòd aut litteras meas non intellexisses, aut de periculo meo non curasses. Sed faciliùs in eum sensum adducar, vt arbitrer propter aliquas occupationes scripta mea à te parum diligenter lecta & intellecta fuisse, quàm vt credam caritatem tuam comminati mihi periculi curam non habuisse. Hortaris enim, immò consilium das, vt omissis Martyrum excubiis, quibus indesinenter adesse & interesse iussus sum, Palatium petam: cùm mihi septem dierum absentia pœnalis futura denunciata sit. quæ non solùm in mora in Palatio facienda, sed ne in itinere quod ad Palatium pergendum est caueri potest, præsertim à me qui tam propter viæ difficultatem, quàm corporis imbecillam valetudinem, rarò celeriùs quàm septem dierum spacio de Aquis ad Martyrum limina potui peruenire. Sed iam nunc rogo atque obnixè deprecor, vt scriptum quod tibi misi iterum relegere atque intellegere, mihíque, sicut te iamdudum per litteras meas rogaui, quid tibi de illa reuelatione atque mandatis, quibus obstrictus sum, videatur, rescribere non graueris. Non deerunt perlatores, si hoc quod scripseris Bonotto Vicedomino nostro mittere volueris. Opto vos semper benè in Domino valere, carissime atque amantissime frater & domine. B

XV.

DILECTISSIMÆ *sorori* BLIDTHRVT, *Boma amica & benè cupiens tua, æternam in Domino salutem.* QVIDAM seruus vester de Makesbah nomine VVenilo quandam liberam feminam accepit sibi in coniugium, & modo timendo iram vestram simul & domini sui Albuuini, confugit ad limina sanctorum Marcellini & Petri. Pro quo rogo caritatem tuam, vt mea vice apud illum intercedere digneris, quatenus ei liceat cum sua & tua gratia feminam illam quam accepit habere. Opto vt semper bene valeatis.

XVI.

DILECTISSIMO *amico nostro* HATTONI *glorioso Comiti Eghinardus æternam in Domino salutem.* QVIDAM homo vester nomine Hunno venit ad limina sanctorum Marcellini & Petri, veniam postulans pro eo quòd conseruam suam ancillam vestram sibi in coniugium sociasset sine vestra iussione. Propter hoc precamur benignitatem vestram, vt à nobis indulgētiam de hoc facto percipere mereatur, si delictum eius veniā dignum fuerit iuuentū. Opto vt semper bene valeatis in Domino.

XVII. C

REVERENTISSIMO *Christi famulo* HRABANO *vener. Abbati Eghinardus peccator.* QVIDAM homo vester nomine Gundhartus rogauit nos pro se apud vestram sanctitatem intercedere, vt sine offensione vestra, immò cum gratia vestra sibi liceat iter exercitale, quod præsenti tēpore agendum est, omittere, ac domi manere: asserens se ad hanc remansionem magna cogi necessitate, pro eo quòd faidosus sit, & cum inimicis suis, & his qui vitæ eius insidiantur, hoc iter agere non audeat. præsertim cum illo Comite, cum quo ire iubetur, quem sibi dicit esse inimicissimum. Ideò rogat vt eum in tantum periculum vestræ iussionis auctoritas non impellat. sibi curæ esse, séque prouidere, vt cum exactore heribanni, si venerit & eum compellauerit, sine vestro labore se pacificet. Non vos rogarem de hac causa, nisi angustias eius atque pericula comperta haberem. Opto vt semper bene valeatis.

XVIII.

DILECTO *amico nostro Marchrado Vicedomino Eghinardus æternam in Domino salutem.* Duo serui S. Martini de villa Hedabahc nomine VVillirannus & Otbertus fugerunt ad limina beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, pro eo quòd frater eorum quendam socium suum occidisset: rogantes, vt eis liceat soluere illum vveregeldum pro fratre suo, & vt ei membra perdonentur. Proinde rogamus dilectionem tuam, vt in quantum possibile est ei parcere digneris propter amorem, Dei & Sanctorum eius, ad quorum limina confugerunt. Opto vt semper benè valeas in Domino.

A

XIX.

IN *nomine Domini Dei & saluatoris nostri* IESV *Christi*, HLVDOVICVS *diuina ordinante prouidentiâ Imperator Augustus, G. Comiti.* NOTVM sit tibi, quia volumus vt quando hæc Epistola nostra ad te venerit, statim sine vlla dilatione præpares te ad hoc. vt xv. Kal. Ianuar. id est vi. diebus ante Natale Domini obuiam Misso nostro H. venias in villa nostra quæ dicitur Heilambrunno. Et quicquid ille tibi de verbo nostro simul cum aliis Comitibus & fidelibus nostris ad faciendum iniunxerit, facere studeas, & taliter exindè agas, qualiter in tua fidelitate bonam habemus fiduciam. Benè vale.

XX.

IN *nomine Domini Dei & saluatoris nostri* IESV *Christi*, HLVDOVICVS *ordinante diuina prouidentiâ Imperator Augustus, H. fideli nostro.* NOTVM sit tibi, quòd volumus, vt vnum de filiis tuis vasallis nostris, quem tu nôueris quòd hoc meliùs facere possit, præparatum esse iubeas, vt quando R. Comes & H. missus noster per illum nobis aliquid mandare voluerint, sine mora vel tarditate ad Turonos pergere possit. quia ibi aut nos ipsos, aut dilectam coniugem nostram Domino valente inuenturus est.
B Vide vt nullam exindè habeas negligentiam, si gratiam nostram velis habere. Opto vt semper benè valeas in Domino.

XXI.

IN *nomine Domini Dei & Saluatoris nostri* IESV *Christi*, HLVDOVICVS *diuina ordinante prouidentia Imperator August. T. fideli nostro.* NOTVM sit tibi quia volumus, vt ad hoc te præpares vt quandocumque HRT. *Comes & H. missus noster per te nobis aliquid mandare voluerint, statim sine morâ vel aliqua tarditate cum ipso mandato ad Turonos pergere possis. quia ibi aut nos ipsos, aut dilectam coniugem nostram, Domino volente, inuenturus es. Vide nullam exinde habeas negligentiam, si gratiam nostram velis habere. *Hrotbertus.

XXII.

DILECTO *fratri & amico A. Misso Dominico, Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* PVTABAM tibi benè cognitum esse, quòd homines nostri, quos in istis
C partibus habemus, secundum ordinationem & iussionem domini Imperatoris ad custodiam maritimam fuerunt non solùm eo tempore quando ille.... oriam profectus est, sed etiam quando Aurelianos perrexit. Et ideò non videtur mihi iustum esse, vt heribannum soluere debeant, qui non aliubi fuerunt, nisi vbi ipse Imperator præcepit. Et ideò precor dilectionem tuam, vt nobis spacium indè dones, donec domnus Imperator venerit, & nos illum ammonebimus de iussione sua. & ille tunc præceperit, qualiter illi placuerit. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

XXIII.

IN *Christi nomine Abbas Eghinardus, Vicedomino & fideli nostro salutem.* NOTVM sit, quia volumus vt homines aliquos mittas ad Aquis, qui mansiones nostras emendent atque restaurent, & ea quæ nobis ibi necessaria sunt ad habendum, id est farinam, bracem, vinum, formatem, & cetera secundum consuetudinem tempore opportuno illuc venire facias. Boues vero qui occidendi sunt volumus vt facias ad Ludiuacam venire, & ibi occidere. vnum ex his volumus vt dari facias Hruotlonge, & illa minutalia atque interaneâ, quæ ad nostrum opus seruari non possunt. volumus vt dentur ad illam familiam quæ ibidem est. Nos verò, Domino adiuuante, si vita comes fuerit, volumus circa Missam sancti Martini ad Palatium venire. & ideò volumus vt hæc omnia iunioribus nota facias, eisque ex verbo nostro præcipias, vt similiter de expensa nostra faciant, sicut te facere præcipimus. Benè vale.

XXIV.

A

IN *Christi nomine Eghinardus dictus Abbas, N. in Domino salutem.* NOTUM tibi facimus, quia cerâ indigemus ad seruitium nostrum, & hoc in istis locis recuperare non possumus, quia paruus prouentus mellis fuit per hos duos annos in istis regionibus. Ideò volumus vt tractes atque consideres eum N. qualiter si fieri potest vnam soumatam nobis faciatis simul eum vasallis nostris, qui ad nos de istis partibus post Missam sancti Bauonis reuertuntur. Benè vale, & ora pro nobis.

XXV.

DOMINO *sancto & merito venerabili N. reuer. Eghinardus peccator.* Quidam seruus S. Mariæ nomine N. ad vestræ Sanctitatis pertinens potestatem, venit ad limina beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, pro scelere quod commisit, interficiendo socium suum propter scandalum quod inter eos fuit exortum. Proindè precamur Sanctitatem vestram, vt ob reuerentiam eorumdem Martyrum, ad quorum limina confugit, ei parcere dignemini, vt indulta membrorum integritate, verberúmque pœna, liceat illi solutione pecuniæ componere atque emendare quod mala voluntate commisit. Optamus Sanctitatem vestram semper in Christo benè valere, sanctissime ac reuerentissime Pater. B

XXVI.

E *V. S. S.* FRVMOLDVS filius N. Comitis, cuius N... sororem habet, magis infirmitate quàm senectute confectus, (nam continuo ac graui pedum dolore vexatur) habet beneficium non grande in Burgundia, in pago Genauuense, vbi pater eius Comes fuit, & timet illud perdere nisi vestra benignitas illi opituletur, eo quòd præ infirmitate qua premitur ad Palatium venire non potest. Ideirco precatur vt in ista necessitate domnum Imperatorem rogare dignemini, vt permittat se habere beneficium quod auus eius illi concessit, & pater habere permisit: quousque viribus receptis ad eius præsentiam venerit, ac se sollemni more commendauerit. Bene vale igulorum * amantissime. sic optet igulus tuus vetulus & infirmus.

XXVII.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri viro N. glorioso Comiti, Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* N. vassus dominicus frater vxoris N. Comitis, morbo pedum & senectute grauis volebat venire ad domnum Imperatorem: sed non potuit propter infirmitatem suam. Cùm primùm potuerit venier ad seruitium eius. Interim postulat vt sibi liceat beneficium suum habere, quod ei domnus Karolus Imperator dedit in Burgundia in pago Genauuense, vsque dum ille ad præsentiam eius venerit, ac se in manus eius commendauerit. Mihi quoque rectum & vtile videtur vt ita fiat, sicut ipse desiderat, quia vir bonus ac prudens est, & bonæ famæ inter vicinos suos, & vos benè faciatis, si eum in hac re adiuuare dignemini. Opto vt semper benè valeatis in Domino. C

XXVIII.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri N. glorioso Comiti, Eghinardus æternam in Domino salutem.* ROGO benignitatem vestram; vt hunc iuuenem N. apud domnum Imperatorem adiuuare dignemini, vt beneficium quod ipse & frater suus habent non perdant. Habent enim in pago Turnacense mansos XV. & vltra Renum mansos V. Ipse vult cum beneficio quod in Turnacense est seruire domno Imperatori, & vt frater suus cum illo quod vltra Renum est, se ad N.. commendet, & tamen communiter illud beneficium totum habeant. sed ille non vult ei ad hoc consentire, nisi domnus Imperator illi præcipiat. Nam nisi hoc factum fuerit, perdunt illud beneficium quod vltra Renum habent. Ideò precatur bonitatem vestram, vt indè domnum Imperatorem rogare dignemini, vt fratrem eius sic facere iubeat. & ipse paratus est facere firmitatem, qualem domno Imperatori placuerit, quod beneficium suum communiter eum fratre suo habere non vult semper. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

XXIX.

A DOMINO *sancto & merito venerabili N summi Dei Sacerdoti, Eghinardus peccator.* VENIENTEM ad nos Eburonem propinquum & fidelem vestrum gratanti animo suscepimus, existimantes eum diutiùs apud nos esse mansurum. Sed quia ille ad vos redire festinat, noluimus illum sine litteris nostris dimittere, ne si vacuis manibus rediret, ad nos non venisse putaretur. De his tamen causis, vnde se certi aliquid ad vos allaturũ existimauit, nihil vobis certi significare, aut per illum indicare possum, quia mutatio rerum, quæ nuper in hoc Regno facta est, in tantum nos conturbauit, vt penitus ignoremus quid agere debeamus, nisi vt secundum verba Iosaphat oculos nostros ad Dominum dirigamus, & iuxta verba Philonis imploretur diuinum, quando humanum cessat, auxilium. Ipsum autem larotem præsentium Eburonem, quamuis nobis propinquus sit, carissimum vestræ dilectioni commendamus. Confidimus enim in Deo, licèt nunc fieri non posset, quòd eum iterum opitulante diuina clementia lætum & hilarem opportuno tempore ad vos remittere debemus. Optamus vt sanctitatem vestram benè valentem, & nostri memorem diuina gratia semper & vbique custodiat.

B XXX.

KARISSIMO *filio VVssin in Domino salutem.* VEREOR namque fili, & valde metuo, quòd relicto ouili neotui nec mei memor esse debeas. quia iuuentus immatura, nisi frenis disciplinæ coercita, haud facilè per iustitiæ incedit vias. Quamobrem, mi nate, stude probos æmulari mores, & quem te semper sequi hortabar ne vllo pacto offensum habere velis: sed professionis tuæ memor, quantũ ipse annuerit cui te totum commisisti, eius mandatis insiste discendis. His edoctus, & in opere eorum assuetus nullo vitâlis scientiæ cõmodo carebis. Sicut te præsens monui in studio discendi te excere, & quicquid ex ipso lucidissimo & abũdantissimo magni Oratoris ingenio assequi nobilis scientiæ potueris, nihil intactum relinque. maximè autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento. quoniam Grammatica & Rhetorica, ceteráque liberalium artium studia vana sunt, & valde nociua seruis Dei, nisi per gratiam diuinam bonis moribus subesse noscantur. quia scientia inflat, caritas verò ædificat. Melius mihi quidem est, vt te mortuum videre contingat, quàm inflatum & scatentem vitiis. Non enim Saluator à se miraculorum
C facta, sed mansuetudinem & cordis humilitatem discere præcepit. Quid plura? sæpè hæc & alia huiusmodi à me audisti. Vtinam aliquando contingat istis delectari, quibus mundicia cordis corporisque per Dei auxilium assequitur! Misi igitur tibi verba & nomina obscura ex Libris Vitruuij quæ ad præsens occurrere poterant, vt eorum notitiam ibidem perquireres. Et credo quòd eorum maxima pars tibi demonstrari possit in capsella, quam domnus E. columnis eburneis ad instar antiquorum operum fabricauit. Et propter illud quod Vitruuius nominat scenographiam, interroga quid sit quòd Virgilius in III. Georgicorum libro scenam vocat. Dicit enim,

Ad delubra iuuat cæsos videre iuuencos,
Vel scena vt versis discedat frontibus, vtque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni. Vale.

XXXI.

DOMINO *sancto & merito vener. Episcopo, Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* QVAMVIS me multum contristet, quòd te, amantissime Domine, per . . . in hoc molestissimo corporis vestri labore positum: audio tamẽ non minimam capere consolationem, quòd hunc laborem tibi proficere, & ad purgationem animæ pertinere non ignoro. Credo enim quòd ideò te diuina misericordia tamdiu in hoc morbo corporali macerari permittat, qùòd te hoc corpore migrantem emendatum recipiat. De orationibus verò pro te faciẽdis certã facio caritatem tuam, inquãtum mihi Deus vires & possibilitatem cõcedere dignatus fuerit, per eos quos auditione dignos æstimare possum, certare curabo, quemadmodũ & te erga meã pusillanimi-

tatem fiduciam habere cognosco. De recuperanda corporis salute licèt numquam A
sit desperandum, quia potens est Deus de creatura sua facere quicquid voluerit: tamen
melius est vnicuique nostrûm ad certa se præparare, quàm propter incerta
quod necessarium est, velut meliora spectando, negligere. Opto vt semper benè valeas
in Domino.

XXXII.

KARISSIMO *meo Eghinardus peccator iam in extremo positus, tuos tamen tuorúmque donec superest flatus Deo teste fidelis.* COMMENDO, dilectissime mi, tuæ caritati animam è corpore subdito peccatis egressam, vt eam in tuo, tuorúmque fidelium cõsortio adscribi digneris: quatenus sanctarum studiis orationum, piorúmque precibus fratrum misera adiuuata anima locum quiddam refrigerij accipere mereatur. His itaque propter nimiam magnámque angustiam carnis vel spiritus breuiter prælibatis, deprecor dilectissime mi, vt summam pro amore Dei ac meæ vilitatis amicitiæ Ecclesiarum meæ paruitati commissarum adhibeas curam, ne post obitum meum lupi locum sanctitatis inuadant rapaces, gregémque humillimum dispergant. Sed potiùs eis talis concedatur rector, qui Deum amare nouerit vel timere, & his qui subditi sunt mediocriter subuenire. Fratres verò nostri cuíque fidelissimi ex Monasterio N. fratet quidam inter eos, proximum mihi sibi præesse B optauerunt; iuuenem quidem ætate, sed moribus vt puto senem, cuiúsque progeniem benè nosti, filius N. fratet N. & multorum nobilium proximus, quem VVormaciam direxerunt, & adhuc viuentem me dum N. me visitare dignatus est, præsentem commendauerunt. Qui valde & cum multis lacrymis mihi vel propinquis meis adstante N. Comite promisit........N. precibus compulsus annuit. Quòd si apud Deum factum sit, ipsum loco meo optassent. Vnde memento dulcissime, vt hoc non differatur, sed vt fiat maximè adhibe certamen. Mitto pallium vnum, quem rogo fratribus ad S. Seruatium date iubeas, vt mei mentionem faciant. Tuæ caritati mulum meum date præcepi. IMMA soror dilectissima his esto adiutrix, tibíque animam commendo. Iam plura loqui angustia non permittit. attamen animam meam iterum precibus vestris commendo.

XXXIII.

DILECTIS *in Christo fratribus & amicis N. Comiti, N. Iudici, gloriosis Missis domni Imperatoris, Eghinardus in Domino salutem.* HOMINES nostri, qui de istis partibus ad nos veniunt, solent nobis narrare de bona voluntate & de benignitate vestra erga nos, in eo quòd homines nostros seruatis, & eis parcitis in qualicumque loco illis parcere potestis, tam in heribannis, quàm in aliis causis ad vestrum missaticum pertinentibus. Vnde vobis, vt dignum est, magnas agimus gratias, Deúmque C rogamus & Sanctos eius, vt vobis non solùm hîc in præsenti vita, sed etiam in futura congruam factis vestris mercedem retribuere dignetur. Promittimus etiam quòd & nostram paruitatem ad voluntatem vestram faciendam paratam habere debeatis. Benè valete.

XXXIV.

AD LOTHARIVM ADMONITIO.

VIVAT Dominus meus piissimus Augustus in perpetuum. Quantam curam & sollicitudinem erga magnitudinem vestram mea pusillitas gerat, non facilè verbis explicare valeo. quoniam æquè vos atque piissimum Dominum meum patrem vestrum semper dilexi, & æqualiter ambos saluos esse volui, postquam vos in societatem nominis & Regni cõsensu totius populi sui adsumpsit, meæque paruitati præcepit vt vestri curam gererem, ac vos de moribus corrigendis, & honestis atque vtilibus sectandis sedulò commonerem. Sed licet in his meam operam minus quàm debuit vtilem vobis sitis experti, tamen voluntas fidelis non defuit, nec adhuc quidem deest, quæ me tacere non permittat. quin potiùs cogit vt vos de vestra cognoscat, quòd quidam homines sua potiùs quàm vestra commoda quærentes mansuetudinem vestram sollicitent, vobísque persuadere conentur, vt postposito paterno consilio, & obedientia debita derelicta locum vobis ad regendum atque custodiendum à piissimo genitore vestro commissum dimittatis, & ad illum ipso inuito, & neque volente neque iubente veniatis, & apud eum quamuis illi non

A placeat permaneatis. quo quid peruersius vel indecentius excogitari potest? Videte qualis sit, & quantum mali habeat ista persuasio. In primis siquidem, vt meæ pusillitati videtur, hortatur vos vt Dei præceptum, quo parentibus honor exhiberi iubetur, parui pendatis, & longæuitatem, quæ pro remuneratione conseruati mandati promittitur, pro nihilo habeatis. Deinde, vt abiecta obedientiâ inobedientiam pro illa adsumatis, & contra eum, sub quo subiectionem humiliter vos agere debueratis, per elationem contumaciter erigatis. tum vt per contemptum & inobedientiam caritate depulsa, discordia, quæ numquam inter vos vel nominari debuit, in tantùm excrescat, vt inter quos amor esse debuit odium enascatur. quod ne veniat summopere cauendum est. Credo enim prudentiam vestram minus latere, quanta abominatio sit apud Deum filius contumax & parentibus inobediens, cùm eum Deus, sicut in Deuteronomio legere potestis, per Moysen ab omni populo lapidari præcepit. Quapropter admonendum censui neptitatem vestram, vt per prudentiam à Deo vobis concessam caueatis periculum vestrum. neque arbitremini hanc diuinam sententiam posse à quolibet contemni, licèt in veteri lege conscripta sit. Est enim vna de multis, quas maiores ac doctores nostri, cùm videlicet patres tam præsentibus quàm præteritis temporibus, tam Christianis quàm
B Iudæis, obseruandas esse censuerunt. Amo vos, Deus scit, & ideo tam fiducialiter ammoneo. nec vos vilitatem personæ admonentis, sed salubritatem consilij considerare debetis. Opt.

XXXV.

DOMINO *sancto & merito vener. N. reuerentissimo Abbati N. peccator.* AMICORVM meorum relatione didici, N. Abbatem an Episcopum nominare debeam ignoro. quis ille sit vos optimè nostis, quòd in rebus ad suum profectum pertinentibus vestro salubri & prudentissimo soleat vti consilio. Quapropter visum est mihi vestram sanctitatem precari, vt apud memoratum virum pro nepote ipsius Eburone, qui nunc Metis moratur, loqui, cúmque rogare dignemini, vt eum spe quam illi fecerat non fraudaret, sed potiùs in promissa ei erga se benignitate permanere vellet. In eo videlicet, vt in paupertate constitutum de facultatibus suis adiuuare dignetur, vt propter penuriam & indigentiam rerum necessariarum necessitas illi non eueniat illum locum omittendi, in quo eum ipse constituit. Quod profectò eueniet, nisi ab eo ne eueniat fuerit antè prouisum. leuiter hoc prouideri poterit, si in promissis suis, quibus eum ad sibi consentiendum permanere voluerit. Opto sanctitatem vestram nostræ pusillitatis memorem semper in Christo benè
C valere in Domino.

XXXVI.

DILECTO *fratri & amico carissimo N. Eghinardus æternam in Domino salutem.* N. Comes rogauit me, vt te precarer de illis porcis, quos tu in eius ministerium ad pascendum misisti: vt ei liceret eosdem porcos sibi retinere, vsque quo crassiores & meliores fierent, & ille eos iusto precio ad opus dominicum comparasset. Ille enim sciens nostram amicitiam, putauit me hoc apud te impetrare potuisse. Et ego in tua dilectione confidens, peto vt voluntatem eius in hac causa adimplere non graueris. Opto vt semper benè valeas in Domino.

XXXVII.

IN *Christi nomine Eghinardus N. Vicedomino.* MIRAMVR valde propter quid omnia sic remanere potuissent, sicut remanserunt quæ tibi facienda commisimus. Nam sicut audiuimus, de illa annona, siue ad farinam, siue ad bracem faciendam, quam ad Mulinheim mittere debuisti, nihil misisti. nec aliud aliquid, nisi triginta porcos, & illos ipsos non bonos, sed mediocres, & tres modios de legumine. De cetero nihil. Et non solùm hoc, sed etiam illud quod in toto hiberno isto, nec te, nec missum tuum aliquem videre potuimus, qui nobis aliquid de istis partibus adnuntiaret. Quòd si maiorem vtilitatem de Fredeslare habere non possumus, nisi quantum tu nos inde habere fecisti, nescimus cur illud beneficium habere debemus. Nunc ergo si tibi de gratia nostra vlla cura sit, rogamus vt negligentiam tuam emendare studeas, & nos citò certos efficias quid de te sperare debemus.

XXXVIII.

DILECTO *fratri N. Eghinardus in Domino salutem.* VOLUMUS vt Egmunalo de verbo nostro præcipiat, vt faciat nobis lateres quadratos habentes in omnem partem duos pedes manuales, & quatuor digitos in crassitudinem, numero L X. & alios minores similiter quadratos habentes in omnem partem vnum semissem & quatuor digitos, & in crassitudine digitos três, numero C C. Misimus tibi per hunc hominem de semine lapitri. quod volumus vt in largo loco seminari facias, qui solet in magnam herbam excrescere. Bene valete.

XXXIX.

HLUDOVICI IMP. AD EMERITANOS.

IN *nomine Domini Dei & Saluatoris nostri* IESV *Christi* HLUDOVICUS *diuina ordinante prouidentiâ Imperator Augustus.* Omnibus Primatibus, & cuncto populo Emeritano in Domino salutem. Audiuimus tribulationem vestram, & multimodas angustias, quas patimini per crudelitatem Regis Abdiramam, qui vos per nimiam cupiditatem rerum vestrarum, quas vobis auferre conatus est, sæpissimè violenter oppressit. Sicut & patrem eius Abolaz fecisse comperimus, qui iniustis superpositionibus censum, cuius debitores non eratis, sibi soluere cogebat, & propter hoc de amicis inimicos, & de obedientibus sibi contrarios atque inobedientes effecerat. quia & libertatem vobis tollere, & iniustis cēsibus ac tributis vos onerare atque humiliare molitus est. Sed, vt audiuimus, vos semper sicut viri fortes iniurias ab iniquis Regibus vobis inlatas fortiter repulistis, & crudelitati atque auiditati eorum viriliter restitistis. Quod & vos modò facere multorum relatione didicimus. Quapropter complacuit nobis ad vos has litteras dirigere, vósque consolari, atque exhortari, vt in ea qua cœpistis libertatis vestræ defensione contra crudelissimum Regem perseueretis, & furori atque sæuitiæ illius, sicut hactenus fecistis, cedere non dignemini. Et quia idem Rex certissimus aduersarius & inimicus tam noster quàm & vester est, communi consilio contra sæuitiam eius dimicemus. Volumus enim cum Dei omnipotentis adiutorio proxima æstate exercitum nostrum ad Marcam vestram mittere, vt ibi præparatus sedeat, & expectet donec vos mandetis quando promouere debeat, si ita vobis bonum visum fuerit. vt propter vos adiuuandos eundem exercitum contra communes inimicos nostros, qui in Marca nostra resident, dirigamus. Ad hoc vt si Abdiraman vel exercitus eius contra vos venire voluerit, isti per nostrum exercitum impedianrur, vt illi & exercitus eius in adiutorium contra vos venire non valeant. Nam certos vos facimus, quòd si ab illo vos auertere, & ad nos conuertere volueritis, antiquam libertatem vestram plenissimè, & sine vlla diminutione vobis vti concedimus, & absque causa vel tributo immunes vos esse permittimus, & non aliam legem, nisi qua ipsi viuere volueritis, vos tenere iubemus, nec aliter erga vos agere volumus, nisi vt vos amicos & socios in defensione Regni nostri honorificè habeamus. Optamus vos in Domino semper bene valere.

B

C

XL.

COGNOSCERE dignetur piissima Domina nostra, quòd ego seruus vester postquam de Aquis exiui, tantis corporis incommodis affectus sum, vt de Traiecto vix decimo die peruenire possem ad Valentianas. Ibi me tam magnus renium simul ac splenis dolor inuasit, vt ne vnum quidem miliarium in integro die valeam equitando conficere. Quapropter supplico pietati vestræ, vt mihi liceat cum gratia vestra nauigando ire ad sanctum. N. ibique iacere quousque mihi Deus omnipotens vires ad iter faciendum dare dignabitur. Nam cùm primùm equitare potuero, vel ad vos, vel ad domnum Imperatorem venire festinabo, vtrum vobis placuerit vt faciam. Nunc humiliter deprecor pietatem vestram, vt me apud misericordissimum Dominum meum, cùm ad illum veneritis, excusare dignemini, de eo quòd ad vos non veni. Deus testis est, quòd de valetudine mea nullam falsitatem vobis scripsi. Et non solùm hoc, sed etiam quòd multò grauiora sunt alia quædam

A incommoda quæ patior in memetipso, de quibus nisi fidelissimo nullam possum habere loentionem. Hoc tamen scitote, quòd maiorem vobis coram Deo mercedem in præsenti adquirere non potestis, quàm si effeceritis vt mihi liceat ad seruitium sanctorum Christi Martyrum, cùm primùm valuero festinare. Possum enim illuc in quindecim diebus de sancto N. nauigando peruenire. Si me imbecillitas corporis non impediret, non has litteras mitterem, sed potiùs ipse venirem, & in his quæ apud vos aguntur simul vobiscum essem *. Nunc in magnis angustiis positus oro benignitatem vestram, vt apud piissimum domnum & Imperatorem nostrum pro me intercedere dignemini. Nam iussit mihi Regina, quando de Aquis egressa est, quia simul cum ea ire non poteram, post se ad Compendium venire. Cuius præceptis obtemperans cum magna difficultate vix in decem diebus veni ad Valentianas. Inde quia equitare non valui, vsque ad sanctum N.. nauigaui. Nam & nimia ventris solutio, & renium dolor sic in me alternando sibi succedunt, vt nulla dies fuerit postquam de Aquis promoui, quin hac vel illa infirmitate laborarem. Sunt pariter hæc & alia quæ mihi ex illo morbo, in quo anno præterito iacui, cōtigerant, B dextri videlicet femoris continuus torpor, ac splenis penè intolerabilis dolor. His passionibus affectus valde tristem ac penè omni iucunditate carentem duco vitam. in eo maximè quòd timeo me alibi quàm velim, & aliud agentem, quàm sanctis Christi Martyribus seruientem, esse moriturum. Quapropter adiuro vos & obtestor per beatos Christi Martyres Marcellinum & Petrum, vt pro mea paruitate apud piissimum Imperatorem intercedere dignemini, vt non mihi succensere velit pro eo quòd illi, sicut hi qui potuerunt, in occursum non venissem. Venissem si potuissem, & veniam cùm primùm potuero. & siue absens siue præsens, fidelis ei permanebo. Precor igitur caritatem vestram, vt tam de actis quàm de agendis apud vos rebus per litteras vestras me quantò celeriùs potueritis certum facere dignemini. Opto vt semper benè valeatis in Domino. Omnia quæ nunc in hoc Regno geruntur, reuelantibus Christi Martyribus, ante biennium futura prædicta sunt.

* Duæ in vnam hic coaluerunt.

XLII.

MAGNO *Domino seruus modicus*. MEMOREM esse Dominum meum piissimum quomodo mihi licentiam dedistis, vt quando Domina mea ad vos pergeret, tunc ego ad beatorum Christi Martyrum seruitium faciendum proficiscerer. sic facere volui. Sed Domina mea iussit me post se ad Compendium venire. Et ego iussis C eius obediens, cùm primùm caballos meos habere potui, post illam ad Compendium pergere cœpi. In qua profectione splenis simul ac renium dolore correptus in tantum affectus sum, vt vix in decem diebus de Traiecto ad Valentianas venissem. Ibi cùm me iam equitare non posse sentirem, veni mane ad sanctum N. nauigandi..... Atque ibi nunc in magnis angustiis ac doloribus positus, quæso atque oro vt pietas vestra mihi licentiam dare dignetur pergendi ad locum, in quo piorum patronorum vestrorum sacrata corpora quiescunt. Possem enim illuc nauigiò in xv. diebus de sancto N. venire. Magnam vobis coram Deo mercedem cōparare potestis, si me ad seruitium Sanctorum suorum ire permittitis, si tamen illò viuus peruenire potuero. Credo quòd illi sancti Martyres pro vobis apud Deum intercedere debeant, si eorum seruitium vestro seruitio anteponere volueritis. Nam ego in nullo alio loco Regni vestri maiorem profectum vobis facere possum, quàm ibi, si me ad hoc adiuuare volueritis.

XLIII.

DOMINO *sancto & merito venerabili N. reuerentissimo Episcopo, Eghinardus peccator.* OMNIPOTENTI Deo & Domino nostro IESV Christo quantas valeo gratias agere non cesso, quia gloriosissimum & à Deo conseruatum sempérque conseruandum, Dominum meum. HL. Augustum saluum & incolumē, ac te mihi carissimum vnà cum illo de Italia venisse cognoui. & opto atque oro, vt ille me citò permittat illò venire, vbi vestrā corporali præsentiā perfrui merear. Tamē interim paruitatē meā tuæ caritati, ac per te illius pietati commendo, ac deprecor, vt ex nullius persuasione sinistri aliquid de mea pusillitate suspicari dignemini. Testor Deū, & sanctos Martyres Marcellinum & Petrum, quòd amorem & deuotionem, qua erga

vos affectum me esse scio, vobis explicare non valeo. Et ideò fiducialiter peto, vt A
cùm venero tales vos erga me inuenire merear, qualiter me de vobis meritum esse non dubito. Opto Sanctitatem vestram nostræ imbecillitatis memorem in Christo semper bene valere.

XLIV.

DOMINO *sancto ac meritò venerabili E.E.S.S.* QVAMVIS per plura sint, de quibus cognoscendis mihi cura esse potest, duo tamen sunt quorum me in præsenti maior curiositas tenet. Vnum, vbi & quando generalis ille Conuentus habendus sit. alterum si domnus HLOTARIVS in Italiam reuerti, aut cum patre manere debeat. De his duobus certum me facere caritas tua non grauetur. Nam horum notitia plus quàm ceterarum rerum, quæ apud vos aguntur, indigeo, quoniam ex his pender quid ego facere debeam, si diuina pietas mihi fauere dignabitur, vt aliquid vtilitaris facere valeam. Opto vt te, amicorum meorum amantissime, benè valentem citò videre merear.

XLV.

DILECTISSIMO *fratri G. glorioso Comiti, atque Optimati, Eghinardus sempiternam in Domino salutem.* SEMPER beniuolam erga me sensi dilectionem vestram, sed B
numquam plus quàm modò, quando mihi licentiam impetrastis pergendi ad seruitium sanctorum Marcellini & Petri. qui ob hoc factum apud Deum intercessuri sunt. Et ideò benignitati vestræ quantas valeo gratias ago, & obnixè deprecor, vt secundum bonam consuetudinem vestram pro me semper esse dignemini tam apud domnum Imperatorem, quàm apud filios eius, maximéque apud domnum Hlotharium Aug. in cuius pietate licèt immeritus magnam habeo fiduciam. Ceterùm rogo vos, vt pro pictore deuoto iuniore vestro mercedem habere velitis, & eum adiuuare, & apud domnum Imperatorem pro illo intercedere dignemini, si congruum locum videritis, ne per cuiuscumque inuidiam beneficium suum amittat, quod dominis suis benè seruiendo adquisiuit. Mihi non est necesse vobis nominare, qui sunt illi quos in hac causa timeat, quoniam æquè mihi ac vobis noti sunt. Tantùm rogo, vt inquantum potestis eum adiuuare dignemini. Opto vt semper benè valeatis in Domino.

XLVI.

SVMMA *veneratione dignissimo N. reuerentissimo Abbati, Eghinardus peccator.* SICVT me petitionis meæ memorem esse, sic te promissionis tuæ oblitum esse non arbitror, licèt multa & varia rerum impedimenta postea accidissent, quæ illud colloquium nostrum non solùm ad tempus sopire, sed etiam obliuioni perpetuæ tradere C
potuissent. Illud dico colloquium, quando in Palatium simul positi de recto Basilicæ beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri, quam ego nunc licèt cum magna difficultate construere molior, locuti sumus, & constitit inter nos de plumbo emendo contra pretium quinquaginta librarum. Sed quamuis opus Basilicæ nondum ad hoc perductum sit, vt tegendi necessitas me admonere compellat, tamen propter incertum vitæ mortalis terminum semper videtur esse festinandum, vt bonum quod nobis inchoatum Domino auxiliante perficiatur. Proinde precor benignitatem tuam, vt me de eodem plumbo emendo per litteras tuas digneris facere certiorem. vt scire valeam si aliquid indè adhuc inchoatum sit, & si nondum inchoatum est, quando inchoari, & Domino adiuuante perfici idipsum negocium debeat. Idcirco oro tuam permagnam caritatem, vt me de hac re per litteras tuas certiorem facere non graueris. Opto vt mei memor semper benè valeas in Domino.

XLVII.

Deest initiũ Epistolæ. *** DE statu rerum Palatinarum nihil mihi scribere peto, quia nihil ex his quæ aguntur audire delectat. De ceteris amicis meis, si te excepro aliquis remansit, magna est mihi cura cognoscere vbi sitis, & quid agaris. Ideo caritari tuæ has litteras mittere curaui, vt te commonefacerem scribere mihi de his quæ aguntur erga te. id est quali vteris valitudine, vel quando euenire possit, vt

A vita comite ad inuicem nos videamus. Sæpè enim te videre, ac tecum loqui desideraui: sed numquam audentiùs quàm modò, quia numquam mihi maior incubuit necessitas, vt de agenda vita cum amico conferrem atque tractarem quodcum nemine libentiùs facio quàm tecum. quòd in nullius fide maiorem habeo fiduciam. Misi per hunc puerum litteras ad N. Abbatem, quem rogo si ire potuerit, per aliquem tuorum vsque ad illum deduci facias, aut si fortè propter lassitudinem iumentorum, vt venire solet, longiùs ire non poterit, precor vt litteras quas Folconi mitto ab eo accipias, & ei per aliquem dirigas, cúmque preceris, vt mihi respondeat, atque responsum quod ei dare placuerit tibi remittat. & tu ad me cùm primùm idoneum perlatorem inueneris, ipsum responsum facias peruenire. Opto te, amicorum amantissime, semper in Christo benè valere, & mei memorem esse.

XLVIII.

DOMINO *sancto & merito venerabili N. reuerentissimo, Eghinardus peccator.* ISTE Presbyter nomine N. rogauit me plurimùm vt pro illo apud vos intercederem, vt erga illum misericorditer agere dignaremini. qui sicut ipse asserit in magna B paupertate constitutus est, & nunc maximè quando ipsum paruum beneficiolum, quod habuit in Baioaria ablatum est ab illo, & alteri datũ. & nunc nescit quid agere, vel qualiter seniori suo seruire debeat, nisi per vestram intercessionem domnus HL. ei aliquod solatium ad vitam præsentem sustentandam dare dignabitur. Opto vt mei memor semper benè valeas in Domino, & paruitatem meam piissimo Imperatori commendare digneris.

XLIX.

DILECTISSIMO *fratri ac fidissimo amico N. glorioso Optimati, Eghinardus æternam in Domino salutem.* QVI fidem vestram tam benè probatam habeo, vt nullatenus dubitare possim, quin in omnibus meis meorúmque necessitatibus ad vestræ caritatis auxilium confugiam. Idcirco & nunc præsentes pagenses & familiares meos Am... & Theotoum cum his litteris ad vos direxi, precans vt eos more solito amanter suscipere, & in necessitatibus eorum, quas vobis insinuauerint, apud domnum HL. Augustum, & piissimum patrem eius adiuuare dignemini, sic vt illi similiter in vobis, sicut & ego, magnam habeant fiduciam. Opto vt semper benè valeatis, amicorum optime atque carissime.

C

L.

DOMNVS meus piissimus genitor vester iussit N. . . . . . de Monasterio N. vt nobis adiutores & cooperatores . . . . . in constructione beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri patronorum vestrorum. Sed illi, vt mihi videtur, nihil de illo opere facturi sunt, nisi iussio clementiæ vestræ ad eos veniat, vt eis denuò præcipiat, vt secundum dispositionem domni & genitoris vestri nos adiuuẽt in opere prædicto. Quapropter vt vobis causam memorati operis notam facerem, has meæ paruitatis supplicatorias litteras vestræ magnitudini mittere curaui, per quas rogo & humiliter peto, vt propter amorem & honorem Christi Martyrum patronorum vestrorum, curam habere dignemini de constructione Basilicæ illorum, vt per vestrum adiutorium hoc perficiatur, & detis nobis ad memoratos Episcopos sacram iussionem vestram per litteras gloriosissimæ auctoritatis vestræ, quas contemnere non audeant. & inde vobis coram Deo merces adcrescat, & beati Martyres pro vobis intercedant, & Regnum vestrum semper augeatur atque firmetur, & tutum ac defensum maneat ab insidiis atque infestatione malignorum spirituum, & maleuolorum hominum. Opto & oro, vt benè valeat Dominus meus Rex, & viuat in æternum.

LI.

PRO quodam amico & familiare meo, N. . . . videlicet fidele vestro pietati vestræ supplicare volo, vt eum suscipere dignemini, & quando in vestras manus se commendauerit, aliquam consolationem ei faciatis de beneficiis, quæ hîc in nostra vicinia absoluta & aperta esse noscuntur. Est enim homo nobilis & bonæ fidei,

A

LVI.

NOVO & insolito siderum ortu infausta quædam & tristia potius quàm læta vel prospera miseris ventura significari mortalibus, penè omnibus veterum æstimauit auctoritas. Sola sacri Euangelij Scriptura salutarem nouæ Stellæ apparitionem fuisse testatur, quam Chaldæorum vidisse sapientes, & recentem æterni Regis ortum de illius clarissimo fulgore conicientes, munera tantæ Majestati conuenientia venerabiliter obtulisse narrantur. Sed eius stellæ, quæ nuper apparuit, horrida & parum læta facies, ab omnibus qui eam se vidisse testati sunt, fuisse, ac minaciter flagrasse nunciatur. quæ vt reor congrua meritis nostris præsagia fecit, & cladem qua digni sumus venturam indicauit. Quid enim interest vtrum homine vel stella nunciante imminens ira generi prædicetur humano? Hoc tantùm est necessarium, vel intelligatur superuacuam non fuisse sideris...... sed ammonuisse mortales, vt pœnitendo, & Domini misericordiam flectendo futurum cerrent declinare periculum. Sic in prædicatione Ionæ Niniuæ subuersio ciuitatis, quæ fuerat per illum prænunciata hominibus......... diuina miseratione dilata est. Fecitque Deus .... per Hieremiam Prophetam permisit, cùm eum in domum figuli ***.

B

LVII.

MAGNIFICO *& honorabili atque inlustri viro N. glorioso Comiti, Egbinardus aeternam in Domino salutem.* DOMNVS Imperator mandauit per Dagolfum venatorem, N. Comes faceret conuenire ad vnum locum illos Comites qui sunt in Austria, id est Hattonem, & Popponem, & Gebehardum, & ceteros socios eorum, vt inter se considerarenr quid agendum esset, si aliquid noui de partibus Baioariæ fuisset exortum. Tunc visum est illis benè esse, vt & tu & Atto in eodem placito fuissetis. Ideo rogant vos, vt consideretis, atque illis mandetis in quali loco videatur aptissimum esse vbi illis conloquium. Nam H. videtur, vt hoc benè esse possit.

LVIII.

OPTVTIBVS præstantissimi Antistitis humillimi clientuli vestri apices præcipuæ seruitutis dirigere satagunt: intimantes deuotionem iuxta modum eorum possibilitati pronam fieri. Si almitas vestræ celsitudinis mandare non dedignauerit in omni obsequio vestro vestrorúmque, & deinceps siue iuxta clementiam præsentiæ vestræ positi, seu vbicumque versare videntur, libenter professi sunt vestris mellifluis obtemperare mandatis. Nunc verò quamuis nullis exigentibus meritis, tamen alloquio vestræ promissionis confisi monere non titubant pietatem vestræ caritatis. Valeat beatitudo vestra.

C

LIX.

HONORANDO *atque sublimato, & spiritu sapientia repleto ..... Magistro atque præcipuo Capellano domnæ Imperatricis ..... vestri fideles clientuli per hanc scedam paruitatis nostræ ...... beatitudinis vestræ optamus perennem salutem.* RECORDETVR bonitas vestra de causa quam quondam locuti fuimus, vt sicut nos exhortastis, & largire promisistis, ita feliciter implere procuretis apud illum quem vos sciris, & inquirire vtrum nos ad illum, an parte in alia tendere debeamus. Et nobis per fidelem gerulum, aut per vestros apices citò remandare dignemini. Pro confidentia enim magna quam in vobis habemus, tam audacter vobis scripsimus necessitatem nostram. De vestra verò sospitate nobis intimare dignemini, quia vestra sanitas nostra est lætitia, & vestra lætitia nostrum est gaudium. Hoc optamus, hoc desideramus, hoc cupimus audire, vt fiat multis feliciter annis. Valete nunc & semper, vir gloriosissime in Christo IESV, & in omnibus Sanctis eius. Amen.

LX.

INLVSTRIS *dignitatis virum, atque nobilissimæ sublimitatis dominũ M. V. & gloriosum, fidelissimi ac deuotissimi, vestraque in omnibus Excellentia paratissimi famuli fideli & op-*

tabili aggredimur seruicio. MAXIMAS & si fieri posset...... sublimitatis vestræ A
Celsitudini referimus grates, quòd nostræ petitioni assensum præbentes ad effectum perduxistis de Capella in villa Lensi constituta. Tamen misistis..... qui nos exinde vestire venit, idipsum sicut iussistis fecisset, nisi hominis VV. fratris vestri hoc contradixissent. Attamen ipse locus valde vastatus est, ita vt nullum omninò tegumen tectorum inibi remanserit, quod non venditum, alienatum, vastatúmque sit, excepta Basilica quæ etiam ex parte corruit. Nos autem causâ vestræ mercedis hoc fixum in animo habuimus, vt quæ præsenti anno adquirere possemus, ad restaurationem loci expenderemus. quod & facere cupimus, si ita per mans...... statuit atque decreuit. Vester itaque Missus...... laboratis nihil ibi inuenit, quia omnia vastata erant, excepta dominicata decima, quam ex vestro verbo saluari præcepit...... debeat an non, à nobis penitus ignorarur. Hæc ideò vestræ sublimitati exposuimus, vt vestra Celsitudo cogitet & statuat, quomodo restaurari possit. & ne periculum alicuius proueniat, si domus Deo dicata negligatur, & adnulletur. Quicquid ergo vestræ Excellentiæ exindè libuerit, per vestrum Missum nostræ modicitati insinuare dignetur. Vestram sublimitatem diutino tempore Christus protegat, paritérque ad vitam æternam perducat, Amen.

B

LXI.

PRÆVIO *insigni atque egregiæ nobilitatis viro N. VV. & G. vestræ sublimitati per omnia deuoti & dediti fidele in omnibus obsequium atque seruitium optamus.* QVONIAM sublimitas vestra nostræ modicitati aliquod seruicium iniungere voluit, quia id ad effectum nondum venit, causam vestræ Celsitudini innotescimus. Clericus fratris vestri A. quem vestro iussu conseruitio ipsius A. suscepimus, indiculum quem nostræ patuitati misistis secum abstulit, vt excusationem vestro fratri ex nostra parte faceret, quòd pro vestro seruicio opus eiusdem imperfectum remaneret, & in ipso indiculo mensuræ quas nobis transmisistis pariter ablatæ sunt, quæ à nobis hactenus nullomodo reperiri possunt. Quapropter ipsas mensuras nobis transmittite, & quantum valemus de vestro seruitio elabotare cufabimus. Valere in Domino vestram sublimitatem iugiter exoptamus.

LXII.

EMINENTISSIMÆ *atque excellentissimæ summáque veneratione nominandæ* HERMENGARDI *Imperatrici Augustæ N.. totis nisibus omnique seruitutis affectu fidelis, prosperitatem atque beatitudinem in* IESV *Christo Domino opto perennem.* EPISTOLAM vestræ sublimitatis ad me perlatam qualibus vobis placuit refertam sermonibus C
accepi, acceptámque perlegi. Perlectæ paucis respondere decreui. Dixistis namque insperatam ad vos peruenisse opinionem, scilicet quòd pacem Ecclesiæ perturbare, & fraternam euertere niterer concordiam. & hoc opus dæmonibus adscripsistis. Dæmones quippe, vt manifestissimè patet, dissensione & perturbatione bonorum hominum gaudent, & discordia delectantur. Et hoc verum est, quia quisquis zelo stimulatus liuoris in pace consistentem Ecclesiam nefariis conatibus turbat, & veræ fraternitatis diffidium amat, partieeps dæmoniorum efficitur. A quorum participatione Domini misericordia immunem me perpetuò reddere dignetur. Non enim vniuersalem discordiam cupit, qui tantùm iustitiam propriam quærit. Et ideò dæmonum opus minimè ago, quia non iniquitatem, sed potiùs æquitatem & iustitiam quæro. Nam si ratio consideretur, ille veriùs & dicendus & credendus est partieeps esse dæmonum, qui iniquitatem diligit, & iustitiam non facit. & ita discordiam semper æquitati præponit, & ab hac intentione numquam recedit, sicut ille est qui Seniorem vestrum incitat, vt taliter aduersum me agat. Si enim benefactorum esset memoria, & præterita recolerentur tempora, inueniretis me sæpiùs pro Seniore vestro certasse, vt pacem haberet & concordiam: & propterea totum in me odium prouocasse, quod tempore beatæ memoriæ domni Imperatoris erupit. ita vt eius offensam incurrerem propter illum, & omnes penè Maiores natu Francorum aduersum me indignarentur. Post obitum etiam illius quotiens pro vtilitate illius me opposuerim, reminisci potestis si vultis. Nam quan-

A tum in me fuit, semper in hoc laboraui, vt ipsi inter se concordes efficerentur. Et in hoc Senior meus, & fideles eius hactenus persistunt, & perseuerare cupiunt, si ex parte illius ritè obseruatum fuerit. Nunc autem versa vice pro amore pacis talibus remuneror præmiis. & qui pro aliorum iustitia laboraui, iustitiam meam perdidi, & ob hoc imitator dæmonum dicor, quòd tantùm iustitiam requiro. Ego denique naturam ceterorum hominum habeo, quia eos qui mihi bona faciunt diligo, & eos qui mihi vbicumque possunt aduersantur refugio atque declino. Propterea ergo de pace eorum studui, vt non deterior, sed melior indè fierem. Quisquis igitur vobis dicit, quòd inter filios Senioris mei, qui me nutriuit, discordias seminem, fallitur. Neque enim in hoc Seniorum discordiam, & Regni perturbationem esse arbitror, si iustitiam meam quæsiero. De qua nequaquam priùs silebo, donec eam Christo annuente adipiscar. Quidam verò arbitrantur me idcirco Seniori vestro infidelem esse, quia Seniorem meum non reliqui, & illi me non subdidi. Quòd si hoc propter res transitorias facerem, neque illi, neque cuiquam rectè intelligenti postmodum acceptus essem. De discordia autem istorum Regum valde metuo, & dolens dico, quia dum illi puerile attendentes consilium discordes inter se existunt, citò forsitan, quod vtinam absit, externorum sapientum & fortium inimicorum virtute & studio ad feram concordiam reuocabuntur, qui nos vndique circundant. Quòd autem subiunxistis, quòd quædam loca sancta adire
B decreuerim, atque à iure proprio subtrahere tentauerim, non satis intelligo quid dicere velitis. Non enim recolo me vspiam hoc egisse, quia per Domini clementiam, & Senioris mei misericordiam, tantam rerum copiam habeo, vt nihil de locis sanctis iniustè abstrahere sit necesse. Idcirco autem tam multa inutilia & vana facilè de me credere potestis, quia multa & innumera vobis mendacia de me dicta sunt ab his quibus benè creditis, qui vobis vera dicere deberent. Quòd verò addidistis familiaritatem vestram me habuisse, vsque dum animum meum erga vos beneuolum esse sensistis; scitote gratissimam vtrique mihi fuisse familiaritatem vestram. sed in quo nunc eam offenderim nescio. Et licèt vos repentina quædam & subita exagitet mutatio, ego tamen in fide semel cœpta libentissimè perseuerabo. Ceterùm, obsecro serenitatem vestram, vt reiectis ab animo tumultuantium indignationum procellis, & remoris mendacium hominum adulationibus, blandum atque tranquillum pectoris portum pandite, méque solita mentis lenitate infra tutissimi littoris sinum vndè abiectus fueram reuocate. vt absque vllo dubietatis scrupulo, sicut hactenus fui, fidelis vobis existere queam. Nam si quid boni postea didici, eo deinceps vtilior & fidelior vobis ero, quò magis in studio doctrinæ profeci. Veruntamen Deus solus nouit qua mentis puritate, & ex quanta cordis deuotione fidelis vobis fuerim, & sim, & semper esse cupiam.

Multò plures erant in Codice Ms. sed lineis adeo paßim exesis & corrosis, vt describi non potuerint.

FROTHARII EPISCOPI TVLLENSIS EPISTOLÆ.

Ex antiquis Membranis Carnotensibus nunc primùm editæ.

EPISTOLA I.



EGREGIO viro, *& cum summa veneratione nominando* HILDVINO *à Deo electo Patri & Magistro, Frotharius humilis Episcopus perpetuæ beatitudinis in Domino opto salutem.* SALVTE corporis & animæ vestram iugiter celsitudinem potiri, & felici sublimatione tam in cœlesti virtutum charismate, quàm in terrenæ dignitatis nitore diutiùs augmentari, toto mentis adnisu, totius animi intellectu, toto pectoris robore desideramus, optamus, poscimus. Cupimus nihilominùs vestræ dignitatis ora contemplari, vestræ solertiæ eloquiis in Domino perfrui: quin etiam templa piissimæ religionis intueri, quibus & spiritalia monita capiamus, & salutaria sanctitatis ornamenta sumamus. Nam etsi corporali intuitu vestri ordinis splendidissimum nequeo contemplari decorem, sed assiduè cum spiritualibus cum ineffabili gaudio contemplor obtutibus. Immo & mihi meisque huiusmodi vestigia frequenti adhortatione non omitto inculcare sectanda. Non enim valeo tantæ iucunditatis gesta, & tam pia diuinæ seruituris obsequia memoriâ non retinere, quæ apud vestram deuotissimam paternitatem me constat nuper vidisse. Quis enim semel ea conspiciens non animo salubriter infigendo depingat, quorum recordatio summæ pietatis est solidatio? quorum executio perpetuæ quietis est adeptio? Iussio diuina mihi omnibúsque vestræ deuotionis exercitia cernentibus pro fauore, vt ea prosequi dignè valeamus, adspiret, & vobis pro ostenso sectandi operis exemplo perpetuæ recompensationis præmia feliciter concedat. Amen.

DOMINO Imperatori literis innotescimus ego & Smaracdus Abba, qualiter Ismundus Abba & Monachi eius quadam simultate à se inuicem discordent. Vestra pia sollicitudo agat, vt illi Monachi votum suum Deo promissum implere valeant, & easdem literas ad eius præsentiam vestra paupertas deferat.

II.

ILLVSTRISSIMO *viro & toto affectu colendo ac desiderando Gerungo summo Sacri Palatij Ostiario, Frotharius gratia Dei Episcopus æternam in Christo salutem.* VESTRÆ prosperitatis, vestrique profectus semper sumus memores. Et idcirco diuinam misericordiam sæpiùs pro vestra salute imploramus, vt vos ad sua mandata perficienda iugiter accendat, & ad multorum profectum longæuo tempore conseruet: & sic piè, sobriè, & iustè viuentem præsentis naufragij pelagus transmeare amminiculo faciat, vt post ad portum quietis æternæ perductum perenni retributione feliciter coronet. Sciatis igitur nos in huiusmodi intentione assiduè manere, & his diebus pro vita & sanitate vestra Missas tantas & Psalteria tanta Fratres nostros decantasse. Sciatis denique nos domno Imperatori literas per præsentem missum nostrum dirigere; vnde petimus, vt si domnus Hildoinus deest, ante domnum Imperatorem vos eum mittatis. Valete in Domino semper, & nostri memor estote.

A

III.

AD AVRES misericordiæ vestræ reducimus, piissime Imperator, ego Frotharius Episcopus & Smaracdus Abba, quòd tempore Fortunati Mediolacensis Monasterij Abbatis, per iussionem vestram Smaracdus ipsius Monasterij Monachis portionem de Abbatia dedit, vt regulariter viuerent. Et idcirco benè & secundum Regulam vixerunt, quousque Fortunatus recessit. Sed cùm suscepisset Hismundus ipsum Monasterium, recepit illorum portionem, & promisit se eis omnia necessaria regulariter administraturum. Quod postea sæpiùs aliter illis euenisse testantur. Vnde & nunc venerunt ad nos, reclamantes & dicentes so nec regulariter viuere interiùs, nec regulariter alimenta corporis sumere exteriùs. Venimus itaque pariter illuc, & ita esse inuenimus, & cognouimus ex parte negligentiam ipsorum Monachorum, ex parte negligentiam Abbatis eorum. Promisit ergo iterum se per omnia emendare velle quidquid hactenus negligenter ex sua parte fuerat actum. Cui rei & nos consensimus, & vt illi Monachi adsensum præberent laborauimus. Sed illi timentes ne, sicut sæpiùs euenerat, aut per eum, aut per eius ministros illius promissio frustraretur, nec eius promissionibus iam amplius credere, nec eius emendationem se recipere posse dixerunt, nisi
B illis portio redderetur, sicut dudum illis dare iussistis. Quod quia ipse sine vestra iussione nullatenus se facturum dixit, ideo illi omnes pariter communi intentione, communique prece postulauerunt, vt illis licentiam darem ad vestræ pietatis præsentiam recurrendi, & vestram misericordiam implorandi: dicentes se magis velle de eodem Monasterio expelli, & in peregrinatione, & mendicitate viuere, quàm falsis promissionibus vlteriùs credere, & sub falso Monachorum nomine militare. Quamobrem dedimus eis licentiam ad vos veniendi. Hæc autem vestræ sapientiæ innotuimus, vt priusquam ad vos veniant caussas acclamationis eorum dinoscatis.

IV.

EXCELLENTISSIMO *ac Nobilissimo viro celsóque honore dignissimo, nom* summo Sacri Palatij Ostiario, Frotharius humilis Episcopus, & omnis Tullensis Ecclesia, Canonicorum videlicet & Monachorum, Virginum, ceterorumque fidelium caterua, æternam in Christo optamus salutem.* MEMORES vestri in sacris orationibus sumus, & Deum cœli ac terræ pro sospitate corporis & animæ vestræ sæpiùs deprecamur, scilicèt vt vos & in hac vita ad profectum nostrum aliorúmque fidelium diutiùs conseruet incolumem, & post obitum vitæ æternæ tribuat feliciter esse participem. Sciat igitur sublimitas vestra, quòd postquam nuper ad vos direxi missum nostrum, Synodum parochiæ nostræ plenè conuocaui, & pro salute vestra Missas & Psalteria decantari feci. quod & sæpiùs agere ob vestri prosperitatem & debemus, &
C cupimus. Vos verò nostri semper reminiscimini, & pro necessitatibus atque profectibus Ecclesiæ nostræ laborare ne pigritemini, videlicet de illa ratione, pro qua ad vos Catallonis* vassallum nostrum direxi, & nunc domino N. exinde literas dirigimus, vestrámque beniuolentiam precamur, vt cum illo pariter ex hoc decertetis, N. id ipsum suadeatis vt vobis de huiusmodi causa consentiat, quia ad eius ministerium eadem possessiuncula pertinet. Taliter hinc vestra sollicitudo vigilet, qualiter in vobis fideles vestri confidimus. Valete semper in Christo.

* Forte Gerungo, vt supra.

* Catalaunis.

V.

NOBILISSIMO *viro, & cum omni honore nominando N.. Frotharius Episcopus æternam in Domino opto salutem.* NOTVM sit dilectioni vestræ, quia semper vestri memores sumus in sacris orationibus, & vestram sanitatem iugiter manere desideramus. Vnde & modò pro vobis decantari feci Missas & Psalteria. Vos quoque nostri semper reminiscimini, & quidquid vobis iste missus noster significauerit, facere studete. Valete in Domino ter, quater, & centies.

VI.

A

NOBILISSIMO *viro, & nimiæ dilectionis affectu colendo Sichardo diuina prouisione venerabili Magistro, Frotharius Episcopus humilissimus & præsentis & perpetuæ felicitatis in Domino opto salutem.* QVANTVM vestræ celsitudinis statum omnigenis opibus ingiter florere, & omnibus prosperis vbique exuberare desideremus, & diuinæ cognitionis nouit intuitus, & mox vt occasio venerit seruiendi, vestræ cognoscere poterit industriæ sensus. Quod & nunc quidem veraciter, vt credimus, agnoscit, quia prudenter intelligit charitatem quibuslibet præpeditam obstaculis, & in corde inuiolabiliter teneri, & in operis exercitio plerumque non exhiberi. Sed si quid hactenus de vestris obsequiis minus egimus, vestra nos iussio deinceps admoneat, vt sicut dignum est, vobis sedula seruitute famulemur. Ceterùm obsecramus vestræ pietatis clementiam, vt hunc puerum famulum vestrum Haudulfi Comitis filium, ante Seniorem nostrum Domnum Lotharium introducatis, & causas necessitatis ei quas vobis innotuerit apud eum digna impetratione obtineatis: vt quemadmodum de multis aliis, ita & de isto vestra amplificetur eleemosyna & merces, & in præsenti tempore de nobis & de ipso habeatis seruitium, & à Deo sempiternæ recompensationis accipiatis præmium. B

VII.

INNOTESCO clementiæ vestræ, serenissima Imperatrix, ego Frotharius humilis Episcopus, quòd quasdam iniustitias fecerunt in nostra parochia missi vestri, id est nomen illis, quia alias Ecclesias à nobis secundùm Ecclesiasticam dispositionem ordinatas aliter ordinauerunt, & abstulerunt de quibusdam Ecclesiis hoc quod ad illas iustè & rationabiliter pertinebat. Sed & de Ecclesia istius Presbyteri vestri tulerunt dimidium mansum, & dimidiam suam decimam, & dederunt homini laico contra canonica statuta, & contra ministerium ac voluntatem nostram. Nos autem scimus quòd vestra iussio & vestra voluntas fuit, vt rectitudinem & iustitiam facerent, & contra ministerium sacrum nihil præsumerent. Quamobrem si vestra voluntas est vt emendetur, mandate nobis, & nos secundum vestrum præceptum hęc omnia ita emendabimus vt vestra exinde crescat eleemosyna, & merces augeatur æterna. Semper Ecclesiam Dei defendite, & Ecclesiasticam legem exaltate, vt vos omnipotens Dominus ab omni malo defendat, & ad exaltationem cœlestis regni feliciter perducat, Amen.

VIII.

NOBILISSIMO *viro & toto mihi affectu colendo* DROGONI *gratia cooperante diuina Metensis Sedis Antistiti, perpetuam in Christo opto salutem.* DESIDERABILEM tuæ dignitatis personam oppido contemplari proficuo aspectu desidero, & de vtilibus quibusque ac nostro ministerio congruentibus rebus tecum salutifera conlatione sermocinari cupio. Profectò enim in verbis tuis, vt pote gratiosis atque dulcoratis, inuenietur amici gratia, & summæ iucunditatis in labiis tuis resonabit suauitas, quibus & salutare audientis visceribus poculum, & vitale tribuatur alimentum. Sed huius desiderij mei atque voluntatis paulò pòst, si vita comes fuerit, obtinebo effectum, tunc videlicet cùm pro denuntiata militia Hesperiam proficisci cœperimus: aut cùm peracto militari certamine ad conuentum generalem Palatio * confluxerimus. His explicitis, tuæ innotescimus dilectioni, Leutfredum huius Epistolæ gerulum nos adisse, poscentem vt de sui connubij, quod inter nos asseueratur exercuisse, tibi significemus rationem. Cuius rei ad præsens inuestigare ad liquidum nequiuimus certitudinem, quam vobis significantius, cùm ad prædictum deuenerimus Palatium, intimare poterimus. Valere te in Christo feliciter opto. C

IX.

EXCELLENTISSIMÆ *nobilitatis viro, & cum summa veneratione nominando Hilduino à Deo electo Patri & Magistro, Frotharius Episcoporum humilissimus, & omnis Tullensis Ecclesiæ, Canonicorum videlicet, & Monachorum, Virginum, ceterorúmque fidelium*

A *caterua, sempiternæ felicitatis in Christo salutem.* PERSPICVVM nobis est, paternitatem vestram ad vtilitatem profectúmque sanctæ Ecclesiæ nutu ordinante diuino cœlitus ordinatam, videlicet vt vestro patrocinio multi & temporaliter & spiritualiter foueantur, & in sancta religione diutissimè conseruentur. Quamobrem diuersas hominum vos constat suscipere causas, & susceptas ad aures deferre Imperiales, vt ob huiusmodi laborem & studium sempiterna vobis augescat merces & præmium. Quocirca & nos quoque suppliciter flagitamus, vt diutiùs ad ornamentum sanctæ Ecclesiæ conseruemini, & familiæ Christianæ proficuum iugiter præbeatis gaudium. Sciat itaque celsitudo vestra, nos his diebus concilium subditorum nostrorum conuocasse, & pro salute cordis ac corporis vestri Missas & Psalteria decantari fecisse, quod & crebrius agere ob felicitatem vestri & debemus & cupimus. Vos autem nostri solita pietate reminiscamini, & caussam necessitudinis, atque vtilitatis Ecclesiæ nostræ, quæ vobis nuper significata est, si competens adfuerit locus, domno Imperatori significare non dedignemini, scilicet de duobus mansis ad Basilicam beati N... pertinentibus, & quondam de possessione beati Stephani subtractis. quos ille tenet, qui imbecillitate corporis prægrauante nec ad militiam valet egredi, nec ad Palatium quippe deseruire. Quæ possessiuncula, si vestræ clementiæ libet vt in ius debitum reddatur, secundum constitutionem vestram, eiusdem præfato possessori vel per præstariam, vel per beneficium B valet restitui. Tandem vt domus Dei non amittat quod ei iustè debetur & competit. Sunt quoque & alio loco sex mansiali æ Basilicæ in honore beati N... constructæ adiacentes, sed & alij quadraginta Ecclesiæ beati N.... pertinentes, eodem modo de iure Ecclesiæ nostræ dudum subtracti, de quibus dissitudine* priscæ constitutionis inolescente, nec census soluitur vllus. Hinc igitur vestra vigilet pia sollicitudo, vt quod olim iuri Ecclesiastico iustè mancipatum est, per vestram prouidentiam illuc tempore congruo redhibeatur perpetuo possidendum, ita dumtaxat vt nec Ecclesia rebus debitis defraudetur, nec possessores earum eadem possessione priuentur. Nunc tamen ne nostræ paruitatis petitio vestræ celsitudinis auribus oneri existat, tantum de prædictis duobus mansis modo laborare dignemini. De reliquis, cùm ad vestram sublimitatem deuenero, & eorundem seriem testamentorum vestræ industriæ liquidiùs propalauero, hinc inde qualiter visum vestræ serenitati fuerit, agere quibit. Sed & cùm de iisdem aliquid loqui vobis placuerit, si illum fidelem vestrum, amicum nostrum, vobiscum adsumpseritis, per omnia vestris ex hoc obsecundabit obsequiis. Taliter hinc vestra agat prudentia, qualiter in vestra tuitione filij vestri confidimus. Paternitatem vestram nostris iugiter suffragantem profectibus cœlestis protectio vsquequaque muniendo gubernet, & sempiterno vigore prosperè valere concedat.

* Desuetudine.

X.

NOBILISSIMÆ *dignitatis viro, & celso honore dignissimo Drogoni diuina fauente gratia Ecclesiæ Metensis Episcopo, Frotharius exiguus item Episcopus perpetuam in Christo opto salutem.* C AMOREM & dilectionem vestri pio cultu conseruans felicem vitam longæuis annorum curriculis vos ducere gratulamur, & id nutu concedi superno sedulò flagitamus. A vobis quoque eiusdem mihi caritatis iura rependi, & inuiolabiliter conseruari suppliciter expeto, vt hoc spiritualiter glutino vobis connexus & vestris conloquiis recreer, & salutiferis studiis atque exemplis proficuè informer. Ceterùm, sciat vestra dilectio mihi oppido displicere de quibusdam Monachis Cœnobij vestri, cui Erlefredus rector esse videtur. Cùm enim nostræ parrochiæ isdem adiaceat locus, & habitatores eius nostro munimine Deo adnuente protegi debeant; egrediuntur quidam eorum parrochiam nostram absque nostro permissu & licentia, quasi ob quasdam reclamationes, & quò tendant penitus ignoro. Porro si ad vos veniunt, aut molestiam vestris auribus inferunt, ordo canonicus erga nos debuerat conseruari, vt mihi illorum querelæ paterent, & nostro pari consultu correctio eis congrua daretur. Quod quia hactenus negligenter omissum est, vestra id deinceps industria digna emendatione corrigi debeat: vt nec vestræ aures vlteriùs hac in re molestentur, nec nobis ius canonicum, & reuerentia debita auferatur. Est præterea alia vestræ dominationis Cella sita in VVarengissi villa, quam etiam Monachi sine mea licentia inhabitare noscuntur. Sed

quia inter eos me constat adoleuisse, in Cœnobio videlicet Gorzensi, hæc vtcumque mea paruitas tolerat. Denique illud vestræ paternitati non sileo, quòd quædam vestri iuris Basilicæ in prouidentia nostra consistunt, quæ nec mansorum subiectione fulciuntur, nec Sacerdotum præsentia custodiuntur. Pro quibus omnibus vestra ordinatio Legarum ad nos mittat, quo instanter hæc emendentur. Antequam enim in præfatis Cellis vel Ecclesiis congrua emendatio fiat, nihil nobis de eorum ordinationibus vel dispositionibus Ecclesiasticis præsumendum est. Nam & in præmisso Monasterio Vosgensi, quidam vestri missi ob rectitudinem faciendam illuc directi, nihil vtilitatis, ni fallor, ibi gesserunt: sed magis discordiam multiplicantes, eosdem Fratres deteriores per omnia reddiderunt. Decet verò vt & in Monasteriis, & in Ecclesiis, & in omnibus quæ vestræ ditioni subdita sunt, talis ordinatio & rectitudo seruetur, quatenus & nos & vniuersi finitimi vestri vestris exemplis instituamur, & per vos ad veræ religionis studium vtcumque perducamur, veluti per summum Pastorem ac rectorem nobilissimum plebis. Valeat paternitas vestra prolixo tempore feliciter in Christo. Amen. A

XI.

EXCELLENTISSIMÆ *nobilitatis viro, & gloriosa dignitatis apice sublimato Hilduino, à Deo electo Patri & Magistro, Frotharius Episcoporum extimus, & vniuersa Ecclesia Leucorum ciuitatis perennem in Christo suppliciter optamus salutem.* VT longæuis temporibus vestra felici vigore & prospero cursu valeat paternitas, creberrimis precum supplicationibus diuinam clementiam & ore & corde deposcimus. Dum enim vestri regiminis tutelam nobis soliro Dei gratia præesse annuerit, cœlestis protectionis munimen nostris adesse profectibus veraci experimento dinoscimus. Nunc itaque vestra misericordia, quemadmodum semper consueuit, pro nostra laborare dignetur necessitudine, quia seruitium nobis valde onerosum iniungitur, quod absque difficultate nequaquam vires nostræ peragere possunt. Præcipitur enim vt in Aquis Palatio operemur, & laboribus ibidem peragendis insudemus. Sed ab hoc opere alia seruitia & necessitates nos reuocant, & si vestræ pietati libet, etiam opportunam satis excusationem prætendũt. Recordari siquidem vestra paternitas valet, quòd cùm in Palatio Gundumuillæ domnus Imperator hoc anno staret, vestram continens manum, iussit vt in fronte ipsius Palatij solarij opus construerem, de quo in Capellam veniretur. Adiecit quoque, quòd quempiam illic plerumque manere fuisset, vestri personam tacitè innotescens. Præcepit nihilominus, vt in pariete ipsius domus ligneo, alterum operis lapidei parietem superadiicerem, & quamlibet huiusmodi opera sinr festinanter explenda. Et tamen adhuc tertius labor nostræ cœptæ Basilicæ adhibendus, de qua nihil postquam hinc secessistis egimus: quia impediti sunt hactenus homunculi propter tempus hyemis, & tempus sationis. Istiusmodi laboribus addita est nobis nolentibus necessitudo, & miseræ infelicitatis aduersitas. Quidam namque seruus peccati ac noster, inuidens sodali suo cellarario nostro, ob quod ei in ministerio præferretur, horreo, quo ruri segetes erant redactæ, quarum esu nos sustentari vsque tempus messis credebamus, pestiferum latenter ignem supposuit, & mox vniuersa quæ illic habebãtur consumpsit: seruus infelix, seruus ingratus, & sæuo anathemate permultandus, qui tantæ vitæ subsidiis sub momento priuauit. Denique familiam sancti Stephani adeo præteritorum annorum fames adnihilauit, & ad tantæ perduxit paupertatis miseriam, vt vix sumptibus fragilis vitæ sustentari vllatenus valeant. Vnde nec censum ab eis debitum exigere possum, nisi ex opere manuum, pro quo rursus à me pascuntur, & nec sic recuperari vtiliter queunt. Hæc & supradicta pia consideratione perpendere dignamini, & à prædicto seruitio nos liberare ne pigeatis. Alioquin per me ipsum ad præsentiam domni Imperatoris, & vestram præsentiam suppliciter obsecrabo, vt hoc onus curæ pastoralis à me submoueatis, quia illud mea paruitas taliter ferre non valet. & valde vtilius est me ab istiusmodi cura submoueri, quàm per meæ auctoritatis fiduciam tot oues Domini exitio discriminis interire. Agat ergo Dominus meus ex hac petitione erga me, vt benè semper egit, & valeat per multa annorum curricula feliciter in Christo. Amen. B C

A

XII.

REVERENDO, *omnique honore dignissimo Domino & Patri Frothario Præsulum benignissimo, VVicardus minimus Abbatum cum Fratribus meis perennis gloriæ opto salutem.* QVAM gratiarum actionem de beneficiis, quæ solo mercedis cœlestis intuitu paruitati nostræ impenditis, virorum optime, vobis rependemus, qui non solùm pastorali curâ intima nostra, verùm pia quoque sollicitudine exteriora nostræ substantiæ procurare dignamini? Insuper ad cumulum vestræ caritatis circa nos demonstrandum, quod nobis auro ditius esse potest, S. Apri reliquias, nec non & beatæ suæ conuersationis actus, humilitati nostræ nunc mittere estis dignati. Sed pro his omnibus, pro cuius amore hoc geritis, ptorsus vobis ipse manentis retributionis fructum restituere non obliuiscetur. Quod tamen possumus, minimas preces nostras supernæ maiestati vestræ salutis causa offerre meminerimus: & in temporalibus vbicumque nobis dignatio vestra imperare voluerit, deuotissimi, paratissimique fore studebimus. Agat itaque benignitas vestra vt benignè cœpit, non solùm de rebus & hominibus super ipsas commorantibus, quæ in promptu nobis sunt: sed & de illis, quas idem ipsi homines nostri, qui passim & liberè habitare videntur, emerunt. vt videlicet semper Domini saluatoris respectui sint mancipatæ, cum illis ipsis qui eas possident. Qualiter autem super hoc agendum sit, vestræ B prudentiæ manifestiùs liquet. Videtur tamen nobis, si vos vtile iudicaueritis, vt quicumque de ipsis mancipiis sunt qui se subtrahere de nostra dominatione moliuntur, seruitutem suam coram vobis tevvadiare faciatis, vt deinceps per iustitiam subacti hanc fraudem perpetrare nequeant. Mittimus dignationi vestræ donationem illarum rerum exemplatam, pariter cum ipsa & domni Imperatoris exemplationis Cartam, quam nostro Monasterio de teloneo, vt nusquam in toto suo Regno à nobis exigeretur, fecit. emunitatem etiam similiter exemplatam. Valere vos multum optamus, Domine & Pater, feliciter in Christo.

XIII.

EXIMIO *mihique perdilecto Frothario Episcopo Aldricus sempiternam salutem.* ORATIONVM vestrarum opitulatione fulciri necesse habui, sicut ipse vobis eam expetens sæpè testatus sum. Sed nunc illa vsquequaque indigeo, cùm vt vos æstimo audisse indigno mihi Episcopalis cura iniuncta est, quæ me sicut indignum, ità quoque imparatum inuenit. Nam cùm olim Monasticæ disciplinæ operam dans Fratrum curam ipsis cogentibus susceperim, quod ferre compellor, nullatenus potuit esse suspectum. Quamobrem excepta Dei clementia totum me ad precum vestrarum confero, reliquorúmque amicorum familiare præsidium, obsecrans vt vitium mearum fragilitatem earum iugitate adiuuare dignemini. Et quia prudentiæ meæ fiduciam ad tantum opus idoneè exequendum nullam habeo, quæso vt vestra sacra intentio apud Deum obtinere elaboret; quatenus & me ipsum syncerè custodiam, & commissorum mihi curam eo miserante venerabiliter saltim exer- C ceam. Benignitatem benè ex hoc agentem Dominum perpetua incolumitate beatificare opto, reuerentissime Præsul.

XIV.

EXCELLENTISSIMO *atque summo honore dignissimo Hilduino à Deo electo Patri & Magistro, Frotharius Episcoporum humillimus, & vniuersa Tullensis Ecclesia caterua perpetuæ benedictionis in Christo opto salutem.* DE OMNIBVS necessitatibus atque indigentiis nostris ad vos semper recurrimus, vtpote patrem vnicum & defensorem piissimum, cuius patrocinio assiduè indigemus, cuius amminiculo sæpiùs subleuamur. Constat quippe protectionem vestram ianuam adesse salutis, vestrúmque regimen portum solidissimæ quietis. Subueniat itaque solito nobis clementia vestra, & paterno succurrat affectu. Importuni vobis crebriùs supplicando existimus, sed vestræ celsitudinis serenitas nullatenus nos ob eandem importunitatem aspernetur: verùm ingruentis necessitudinis indigentiam considerare dignetur. Domnus enim Imperator suggestione mea quandam villam Basilicæ sancti Apri reddidit, quam Pipinus auus ipsius eidem donauit. Hanc verò per beneficium nostrum

quidam Hispanus nomine Ioseph hactenus tenuit, eámque dum adhuc viueret desertam fecit, & ad nihilum deduxit: & ipsius loci seruientes opprimendo destruxit. Ipse autem nunc de hac vita migrauit, & residua est illi coniux ipsius cum filio paruulo, qui sunt ex familia domni Imperatoris. Sed & ipsa causa charitatis & dilectionis, vel per eleemosynam domni Imperatoris, de eodem beneficio decem mansos & vineam quadraginta modios vini fere valentem dare volui. reliquos verò viginti mansos ad opus Fratrum prædictæ Ecclesiæ restituere curaui. Prædicta autem mulier datum meum dispexit, & nunc ad Palatium veniens totum ipsum beneficium furtim, & absque nostra nititur præripere voluntate. Vestra verò prudentia id agere nunc secundum pristinæ pietatis consuetudinem dignetur, vt prædictæ res in possessione S. Apri permaneant, & ipsorum Fratrum vsibus debita victualia præbeant: quatenus & S. Apri merita, & ipsorum Fratrum piæ postulationes vobis proficiant in vitam æternam. Valere vos semper optamus, sancte ac reuerentissime Pater. A

XV.

EXCELLENTISSIMÆ *venerationis honore dignissimo Hilduino Domino verè sanctissimo Senneca * plebis humillima deuotio æterna prosperitatis in Domino salutem.*

* Senonica.

QVIA diuina inspirante misericordia fastidiosæ importunitatis nostræ clamoribus, mi Domine, sæpè compati dignati estis: idcirco etiamnum nimia compulsi necessitate vestræ Celsitudinis aures inquietare præsumpsimus. Nouimus etenim, reuerentissime Domine, quomodo prioribus petitionibus nostris benignè & misericorditer adsistere dignati estis, quomodo etiam à nullis nostris meritis, & quod nunquam futurum sperabamus, alteram nobis electionem impetrare, ac concedere studuistis. Sed quoniam peccatis nostris, vt credimus, exigentibus, vora & desideria, quibus Sanctitatem vestram toties pulsare ausi sumus, plurimum impedita ad effectum peruenire non meruerunt, idcirco & hac vice ad vos causas miseriæ nostræ referre compulsi sumus. Fecimus, Domine mi, & nunc secundam electionem, & inuenimus hominem ex nostris à puero nobis benè notum, genere & moribus non infamem, docilem ætate, huic officio congruum, litteratoriæ professionis non vsquequaque ignarum, diuinæ quoque scientiæ non penitus expertem, quarundam etiam aliarum artium portionem habentem. Quem cùm obtulissemus, nullatenus putantes reiiciendum, ipsis Missis Dominicis impedientibus, quod optauimus non meruimus adipisci. Propterea vestræ pietatis vestigiis animo prouoluti flebiliter postulamus, vt tamdiu rem suspendere dignemini, quousque eum scripto homine ad vestram Celsitudinem properantes, ipsi vobis melius nostram pandamus memoriam. Etsi quidem ad hoc onus ferendum persona quam dicimus sufficere minùsue poterit, dignationis vestræ iudicio aut suscipiatur, aut reprobetur. Dùm amplius nec nos adquisitis occasionibus quidam sic crucient, nec à nobis abiectissimis vestra mansuetissima sublimitas diutius Inquietetur. His itaque clementiæ vestræ suggestis, atque vtinam imperratis, oramus supernam misericordiam vt multimoda vos prosperitate valere concedat, & æternæ beatitudinis gaudia consequi quandoque permittat. EXIMIO DOMINO ET VERÈ SANCTISSIMO HILDVINO SACRIS NEGOTIIS À DEO PRÆLATO SENONICÆ VRBIS ABIECTA HVMILIS ECCLESIÆ PERPET. B C

XVI.

INCLYTO *& omni nobilitate præclaro* EINHARDO *Domino Sanctissimo Senonicæ Ecclesiæ humillima deuotio.* PRÆSVMPSIMVS mi Domine, auribus clementiæ vestræ necessitatis nostræ causas humiliter innotescere, vt per vestram pietatem de his celeriter mereamur consolationem recipere. Notum vobis esse credimus, quòd nobis indignissimis à domno Imperatore concessum fuerat, vt ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam. Sed cùm illum, quem scitis, elegissemus, & à serenitate domni Imperatoris non pleniter fuisset receptus, permissum nobis iterum est vt alium, si potuissemus, ex nobis huic officio congruum inueniremus. Sed cùm esset inuentus, vt credimus, in Dei & domni Imperatoris seruitio habilis, nescimus ob quam caussam à Missis Dominicis non est plena beneuo-

A lentia susceptus. Vnde vestram oramus benignitatem, vt ex nobis in adiutorium esse dignemini; quatenus ipsum, de quo dicimus, ad præsentiam domni Imperatoris nos ipsi deducamus, & qualiter iusserit discutiatur, & probetur si nobis prodesse valeat, & in seruitio Dei aptus esse possit, an minus. Optamus vos diuinis semper muniri præsidiis, & immortalitatis corona quandoque gloriari, piissime & reuerentissime Domine. SANCTISSIMO ET PIISSIMO DOMINO EINHARDO MERITO VENERABILI SENONICÆ VRBIS VILIS ET ABIECTA CONGREGATIO.

XVII.

INCLYTÆ *& omni nobilitate clarissimæ* IVDITH *gloriosæ Imperatrici, Senonica Ecclesia humillima deuotio.* PRÆSVMPSIMVS, mi Domina, auribus clementiæ vestræ necessitatis nostræ causas humiliter innotescere, vt per vestram pietatem de his celeriter mereamur consolationem recipere. Notum vobis esse credimus, quòd nobis indignissimis à domno Imperatore concessum fuerit, vt ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam. Sed cùm illum, quem scitis, elegissemus, & à serenitate domni Imperatoris non plenè fuisset receptus, permissum nobis est iterum, vt alium si potuissemus ex nobis huic officio congruum inueniremus. Sed cùm esset inuentus, vt credimus, in Dei & vestro seruitio habilis, nescimus
B ob quam caussam à Missis Dominicis non est plena beneuolentia susceptus. Vnde vestram oramus benignitatem, vt ex hoc nobis in adiutorium esse dignemini: quatenus caussa suspendatur, donec ipsum, de quo dicimus, ad præsentiam domni Imperatoris, & vestram, nos ipsi deducamus, & qualiter iusseritis discutiatur, & probetur si nobis prodesse valeat, & in seruitio vestro aptus esse possit, an minus. Optamus vos diuinis semper muniri præsidiis, & immortalitatis coronâ quandoque gloriari, piissima & serenissima Domina. EXCELLENTISSIMÆ ET OMNI NOBILITATE CLARISSIMÆ IVDITH IMPERATRICI PLEBIS SENONICÆ HVMILLIMA DEVOTIO.

XVIII.

DOMINO *beatissimo, & vnica dilectionis affectu colendo Hetti suprema largiente prouidentia Treuerorum Ecclesiæ Archiepiscopo, Frotharius Episcoporum extimus in Christo salutem.* TANTO ardore æstuo vestræ paternitatis sublimitatem intuendi atque affandi, ac si multorum iam temporum labantur volumina, quibus vestro aspectu vel vestris conloquiis perfrui nequiuerim. Nam & inde me vsquequaque fateor anxiari, quòd nuper mihi de Palatio egredienti defuit facultas vobiscum loquendi. Vnde & inexplebilibus desideriis ora dulcedinis vestræ his in partibus citiùs inuisere opto. Quapropter vestris literis mihi significari expeto, quando huc pro legatione vobis iniuncta venire, vel quando Synodale Concilium iuxta modernam constitutionem debeatis conuocare. De his ob id præcipuè sollicitus maneo, quia & ipse secundum Imperiale præceptum ad prouidendas mansiones, in quibus Le-
C gati suscipi debent, scilicet à Monte Iouis vsque Palatium Aquis ire debeo, & infra mensem Octobrem egrediens ante solemnitatem beati Andreæ domum regredi cupio. Sed si vos infra eundem mensem has in partes proficisci cognouero, præsens adesse curabo, vt vestri famulator & adiutor in omnibus existens, à vobis rursus & in spiritalibus rebus congruum supplementum recipere merear. Nostri in omnibus reminiscentem vos in Christo benè opto valere.

XIX.

FROTHARIVS *misericordia Dei Episcopus VVighardo merito & sanctitate venerabili Abbati, & vniuersæ Congregationi salutem.* DE profectu atque vtilitate vestra sollicitudinem & curam me assiduè sciatis habere, & de his quæ nuper significastis, seu de Clerici vestri ordinatione, quidquid rationabiliter & idoneè possumus adimplere velle. Ceterùm, peto vt vestro amminiculo tria carra vini de Bonna faciatis nobis perduci ad Palatium Aquis, & quidquid iterum vobis de nostro seruitio competit remandate. Valete in Domino semper.

A

XX.

FROTHARIVS *gratiâ Dei Episcopus Tullensis Ecclesiæ Aglemaro venerabili Abbati perpetuam in Christo opto salutem.* NOVERIT me dilectio tua corporis incolumitate vtcumque vigere, & pro sospitate cordis ac corporis tui supernæ pietatis clementiam sæpiùs flagitare. Cupio enim te longæua felicitate potiri, & post huius vitæ calcem supernæ quietis charismate perenniter recreari. Ceterùm, sciat me fraternitas vestra in nouis Ecclesiæ nostræ ædificiis vestro suffragio indigere. Vnde peto vt nobis mittas ad decorandos parietes colores diuersos, qui ad manum habentur, videlicet auri pigmentum, folium Indicum, minium, lazur, atque prasinum, & de viuo argento iuxta facultatem. Hæc nobis dirigito, & à nobis debitum seruitium iterum exigito. Caritatis enim indissolubili nexu adstricti vicissim nobis famulari, & fraterna obsequia redhibere compellimur. Valete in Domino semper.

VESTRA dudum largissima à Deo data prouidentia ouile sanctæ Ecclesiæ ita manibus meis commisit, vt inruentium luporum morsus contrairem, eósque pariter quanta voluissem virtute comprimerem atque necarem. Sed quia adhuc de eodem certamine tempus rationem reddendi non est, referam tamen interim vestræ industriæ in nece luporum corporalium qualiter decertaui. Postquam enim B illud Episcopium mihi commendastis, interfeci in vestris forestibus lupos CCXL. interfeci dico, quia me iubente & ingenuante capti fuerunt. Explicit. Amen.

XXI.

FROTHARIVS *gratiâ Dei humilis Episcopus, nimia dilectionis affectu colendo* HVGONI *famulo Christi deuotissimo æternam in Domino salutem.* QVIA vos sanum ac sospitem fore per instantem vestræ Celsitudinis nuntium cognoscere merui, summa quidem cordis alacritate gauisus sum. Felicitatem enim vobis corde & corpore inesse semper desidero, & id omnibus votis exposco. Sed indè minus gratulatus sum, quòd tam citò vestræ dignitatis præsentia ad tempus priuamur. Putabamus siquidem hactenus, atque desiderabamus, vt de tam pia celsaque progenie duæ saltim lucernæ nobis remanerent, quarum splendore & meritis nos & vicinos nostros inluminare, atque inmeliorare gauderemus. Ceterùm ex hoc non modicè contristor, quia nec adhuc vobis, prout debueram, seruitium impendi, nec modò, vt oportuerit, diuersis curis ingruentibus, famulari sufficio. Nam ad horum itinerum incommoda, quæ vel nunc egimus, vel acturi sumus, seu ad dona regalia, quæ ad Palatium dirigimus, penè quidquid ex optimis equis babuimus distribuere compulsi sumus. Pauci qui remanent huc vsque equabus progignendi causa inhæ- C serunt. Vnde & nunc carnibus consumpti cum decore ad solita obsequia mancipari nequeunt. Proinde quia ad præsens talem non habuimus, qui ad subuectionem vestram dignus existeret, sciat vestra beniuolentia, quòd cùm regressus Deo adiuuante de prædicto itinere fuero, talem præparabo qui vel vobis has in partes repedanti, vel vestro misso sine rubore dari possit. Illud autem quod vestræ industriæ carius & ditius fuit, reliquias videlicet S. Apri Confessoris Christi, vobis dirigimus. S. Apri subsidium implorantes, vt huc cum incolumitate festinè redeatis, & à nostra deuotione digni seruitij commoda capiatis. Valere vos in Christo feliciter optamus.

XXII.

FROTHARIVS *gratiâ Dei Episcopus reuerentissimo ac tota deuotione colendo illo venerabili Abbati, & vniuersæ Congregationi sub regimine vestro Deo militanti, in Domino opto salutem.* NOVERIT dilectio vestra, me corpore vtcumque vigere, vestræque salutis cupidum fore. Ceterùm immensas vestræ dilectioni rependimus gratias, quia fidelem virum, & sacris artificiis idoneum nobis direxistis. Cuius quidem industria artis admodum placet, eiúsque religionis dignitas grata spectantibus existit. Quem peracto obedientiæ suæ officio ad vos remittemus, ex illa rem, Domini annuente gratia, vestris conspectibus repræsentamus. Valeat vestra dignitas in Domino.

EXCEL-

XXIII.

A EXCELLENTISSIMO *ac nobilißimo viro, celsóque honore dignißimo*, GERVNGO *summo sacri Palatij Ostiario, Frotharius humilis Episcopus, & omnis Tullensis Ecclesiæ, Canonicorum videlicet, Monachorum, Virginum, ceterorumque fidelium caterua, æternam in Christo optamus salutem.* MEMORES vestri in sacris orationibus sumus, & Deum cœli ac terræ pro sospitate corporis & animæ vestræ sæpiùs deprecamur. Scilicet vt vos & in hac vita ad profectum nostrum, aliorúmque fidelium, diutiùs conseruet incolumem, & post obitum vitæ æternæ tribuat feliciter esse participem. Ceterùm, nouerit celsitudo vestra me oratorem vestrum multis necessitatibus vrgeri, quibus compellor ad præsentiam domni Imperatoris venire, eiúsque pedibus supplicitet prouolui: quatenus eius misericordia per vestrum adiutorium, & de ingruentibus modò necessitatibus solatium. * Quapropter deprecor magnitudinem clementiæ vestræ, vt mihi secretè per vestras literas, vel per præsentem missum nostrum remandare dignemini, quo tempore venire possim ad vos, & per vestrum consilium atque auxilium illi necessitates meas valeam significare. Valere vos opto in Christo.

XXIV.

B NOBILISSIMO *viro, & cum omni honore nominando* GERVNGO, *Frotharius gratia Dei Episcopus æternam in Domino salutem.* SEMPER vestri in sacris orationibus memores sumus, petentes vt vobis longæ vitæ sanitas in hostem prædonetur, & post æterna requies tribuatur. Sciatis igitur, quòd postquam nuper vobiscum in Palatio locutus sum, Missas c. & Psalteria L. pro vestra salute decantari fecerimus. Vos autem precamur, vt more solito mei memores sitis, & si in partes Hispaniæ propter custodiam & sollicitudinem me Senior noster isto hyeme futuro destinare voluerit, vos ab illo seruitio excusare me dignemini. Nostis enim quia ipse domnus Imperator sequenti anno locum nostrum vult visitare, & tunc illi seruire non potero sicut cupio, nisi à prædicto seruitio per vos fuero absolutus. Vale multum in Domino.

XXV.

IN *nomine Domini nostri Iesu Christi.* HETTI *misericordiâ Dei Archiepiscopus Diœceseos Treuirensis, nec non & Legatus Hluduuico serenißimo Imperatori, venerabili Fratri Frothario Tullensi Episcopo æternam salutem.* NOTVM sit tibi, quia terribile Imperium ad nos peruenit domni Imperatoris, vt omnibus notū faceremus qui in nostra Legatione manere videntur, quatenus vniuersi se præparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam, quoniam insidiante satana Bernardus Rex disponit rebellare

C illi. Propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo domni Imperatoris, vt solerti sagacitate studeas cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus Vassis Dominicis, vel cuncto populo parrochiæ tuæ, quibus conuenit militiam regiæ potestati exhibere, in * quatenus omnes præparati sint: vt si vespere eis adnuntiatum fuerit, manè, & si manè, vesperi, absque vlla tarditate proficiscantur in partes Italiæ, quia domnus Imperator suum iter præparat, vt quanto citius poterit in partes illas vna cum fidelibus suis pergat.

XXVI.

FROTHARIVS *gratia Dei Ecclesiæ Tullensis Antistes, Teutderico & Ragenardo venerabilibus viris, cum vniuerso grege vobis commisso, perpetuæ beatitudinis in Domino opto salutem.* QVOTIES vestræ dignitatis personam cum his, qui vobis sub nostro regimine subditi sunt, benè ac salubriter vigere cognosco, diuinæ pietati vberrimas gratias refero. Quoties verò vel vos ac plebem vestram ad diocesim nostram pertinentem vtcumque infirmari, vel periclitari audio, ingenti mœrore ac doloris anxietate afficior, & veluti pro filiis charissimis, atque ouibus propriis vndique contristor. Quod his diebus fateor accidisse, cùm scilicet mortiferam pestem acerrimè grassatam me contigit agnouisse. Siquidem significatum mihi est, deuastatione luporum quosdam vestrorum hominum superatos, & ruinis subitis funditus ab hac vita esse extinctos. Quam quidem plagam per fraudem diabolicam, diuino iudicio permittente, in omnibus factam esse non ambigo. Siquidem peccatis nostris exigentibus multi aduersa, permittente Deo, patimur, quæ minimè nobis acciderent si ei vt dignum fuerat tota mente quotidie famularemur. Quod enim cum graui

gemitu dicendum est, abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. Ob hoc tot plagas cœlestis censura disponente, ingruentes, tot aduersitates dæmonicæ instigationis miseria nostra tolerat generi humano infestas. Siquidem cùm his præteritis annis inopiam famis multimodam ob ariditatem segetum, vel grandinis irruptionem, perpessi fuerimus; præsenti anno fertilitatem messium, atque vbertatem vinearum murium deuastatione consumptam conspicimus. Ad extremum, quod cum luctu dicendum est, luporum rabida infestatione animas hominum Christianas subitò necari videmus. Quæ facta cur nostræ præsentiæ non antea significaueritis, vsquequaque miror. Venissem quippe ad vos, & tam per verbi prædicationem, quàm per manus impositionem ac confirmationem, pectora fluctuantium hominum corroborare satagerem. Quod quia adhuc non, in proximis diebus, si vita comes fuerit, acturus sum. Nunc autem moneo, vt præcipiatis omnes Presbyteros in illis locis commanentes ad vestra Monasteria pariter conuenire, & per triduum ieiuniis & letaniis insistere, cilicio & sacco obuolui, cinere conspergi, & communi supplicatione Domini clementiam obnixè deprecari: vt eius exuberans misericordia non secundùm merita nos diiudicet, nec secundum iniquitatum nostrarum scelera vltionem ex nobis capiat. quin potiùs propitiatus expectet, & ad pœnitentiam recurrentes misericorditer suscipere dignetur. Omnem itaque populum ad confessionem & pœnitendinem pro peccatis suis Sacerdotes prouocent, & quæ ignoranter à plebe commissa sunt digna emendatione soluantur: ne subitò nos exitialis morbus absumat, & inferni voracitas perenniter cruciandos absorbeat. Et si mens nostra charitatis amore Dei conspectibus renuit famulari, saltim mortis formidine à malis retracta in salutiferis actibus conualescat.

XXVII.

HIEREMIAS *minimus Christi famulus, carissimo & semper diligendo & amplectendo Fratri Frothario venerabili Episcopo sempiternam opto salutem.* QVID gratiarum actionem referam pro his quæ meæ paruitati per præsentem internuncium remandare dignatus es, nescio. Vnum tamen scribo, quia charitas tua, sicut consueta est facere, liberali modo se facturam promisit. Etsi quidem si aliter sinceritas tua significasset, nullo modo credere potuissem, quamuis tu mihi totus notus, & manifestissimè sis manifestus. Nunc autem præmisi hunc puerum nostrum ante carra nostra, & cetera stipendia, vt de eis iubere digneris, sicut tuæ dilectioni mihi mandare placuit: eo scilicet modo, vt cuncta salua perducantur ad locum, quò ire iubemur. Præterea contigit in nostra Prouincia præsenti anno sal fore carissimum, eo quòd propter pluuias in aeris* maritimis, vbi fieri solebat, non potuisset perfici vsque ad hoc tempus, quo nobis videtur, vt ibi aliquid indè, licet non pleniter, fieri possit. Quapropter misi libram, vt consideretis qualiter carra nostra sale inde mihi reuertantur onusta, quia absque sapore salis Christiani vita, vt nostis, infatuata est. Hoc aut ita age sicut rogo, aut ipsum argentum tuis vsibus retine. Omnipotentis virtus te à malis omnibus opto protegat, & quæ sibi beneplacita sunt tota mente sectari faciat.

* areis

XXVIII.

HETTI *gratia Dei Archiepiscopus venerabili in Christo & cum summa reuerentia nominando Frothario Episcopo Tullensi saluberrimam imploras in Domino salutem.* MEMINISSE volumus sagacitatem vestram monitionis, quam instanti anno simillimis apicibus suscepistis expressam. Non nescitis enim, cum qua cautela hoc mandatum suscepimus domni Imperatoris, nos in Diœcesi nostra, & Episcopi singuli in Parrochiis suis, id est de regula augendæ Religionis, & de in ministratoriis canonicorum officinis: vt si quibus in locis benè compræ essent, deinceps cum summa diligentia ornarentur. Nunc autem in proximo est placitum, quo sine dubio sciscitabitur de obtemperatione mandati sui Dominus mandati. Quapropter scrutemini diligenter in Parrochia vestra, in vestris aliorúmque Monasteriis, si præfata regula dignè per omnia conseruetur. Et si officinæ iuxta ipsius decreta constructæ atque innouatæ contineantur: vt cùm Imperiali solertiæ præsentabimur, deiecta procul molimenta aliorum vna nobiscum ex omnibus illi à nobis veritas nuncietur. Per trienniū enim hæc monitio facta est. Idcirco nulla potest inueniri occasio. Ideóque quantò cuique fuerit imperfectior, tantò & fragilior. Valere in Domino, & paruitatis nostræ nolite obliuisci. Deus pacis & dilectionis sit vobiscum. Amen.

XXIX.

A REVERENTISSIMO *ac desiderantissimo Domino Patri ac Fratri Frothario Ecclesiæ Tullonensis Episcopo* *, *permissione atque ordinatione diuina Lingonensis Episcopus sempiternam in Domino Iesu Christo opto salutem.* NECESSARIVM & consequens esse putamus de his, quibus nos dispensatio diuina præesse voluit, debitam semper curam & sollicitudinem gerere: vt illa scilicet quæ illis necessaria & vtilia esse videntur, nostris valeant vel precibus, vel obsequiis adipisci. Vnde & clericum nostrum Bertigangô nomine dignationi ac deuotioni vestræ direximus: vt sicut vobis moris & consuetudinis est, ad officium Sacerdotij ordinare eum non dignemini. Immò quia sic de humanitate ac benignitate vestra confidimus, dignamini tamen libenter audire. Et si vos in aliquo impedit, vt eum ordinare non conueniat, opuscula vestra nobis libertatem concedat, vt eum ordinare licentiam habeamus. Nos autem, siue quod ad Deum pertinet famulatu, siue omnibus officiis, quibus tam sublimis persona honorari debet, promptos semper ac deuotissimos nullatenus dubiteris. Optimè semper in Domino valeatis, reuerentissime ac desiderantissime Pater Domine & frater. * Albericus

XXX.

B VNICÆ *dilectionis affectu colendo Domino Patri & Coepiscopo Frothario Albericus indignus & inutilis nomine tenus tantum Episcopus imprecatur felicitatem.* SI secundo in omnibus vtimini euentu, estis vt iugi optamus voto. De cetero, innotescimus dilectioni vestræ, quia quemdam vicum habemus in vestra parrochia, qui dicitur Bosonis Monasterium. Sed nunc & nomen pariter cum priuilegio ac censu perdit, propter Teuderici scilicèt à vobis dedicatas nouas Capellas. Vnde tuam fraternam deprecor dilectionem, vt secundum sinceritatem Episcopalem ac Ecclesiasticam sanctionem agatis, ne propter nouellas Capellas antiquissima quod per tot annos tenuit perdat Ecclesia, & mihi non sit necesse pro hoc Episcopalem pulsare conuentum. quia vos non absque culpa, & ego reus esse potero, si per nos amittit quod semper tenuit. Sed de hoc quicquid decernit vestra paternitas, nobis recipite per harum gerulum literarum. Opto vestram sanctitatem à Domino gubernari, mei meminisse.

XXXI.

REVERENTISSIMO *ac totâ dilectione colendo Hittoni gratia Dei Episcopo; Frotharius humilis Tullensis Episcopus æternam opto salutem.* VESTRÆ paternitatis statum feliciter vbique vigere, & in omnibus prospetè agere desideramus. Quamobrem & diuinam sæpiùs clementiam omni intentione imploramus, omni prece deposcimus, toto nisu, toto animo obsecramus; vt vestræ bonæ deuotionis profectum semper adaugeat, vestræ remunerationis fructu salubriter reseruato. In labentis temporis cursu cum multa vos sospitate diutiùs conseruet, vt & hic multorum orneris gloria filiorum, & in cœlis plurimorum socieris contubernio Sanctorum. Vos quoque, vestróque regimini subditos obsecramus fideles, vt nostri reminiscentes in sacris orationibus vicem rependant, nostrámque fragilitatem orando munire, atque tueri non desinant. His ita omissis, vestræ dilectioni innotescimus nuntiatum nobis esse, quòd inter vos & Bettarium fidelem vassallum nostrum quædam contentio sit oborta, pro eo quòd illius seruus vestram ancillam furto subductam aliquandiu celauerit, & in sua potestate retinuerit. * *Cetera desiderantur.*

C (margin letter beside "poscimus")

EPISTOLAE TRES RECLAMATORIAE AD LVDOVICVM PIVM IMPERATOREM.

I.

IN *nomine Domini nostri Iesu Christi*, HLODOVVICO *Magno Imperatori.* DOMINATIONI vestræ, Domine mi, quod loqui non audeo, sed pro magna necessitate mea peto sanctitatem vestram, ego ATTOTAM indignus Presbyter, & de natiuitate mea seruus vester sum. Modò peto sanctitatem vestram, vt dignetur consolationem vestram in me peccatorem im-

pendere: quia non habeo refugium vllum nisi ad vos, & vbi tota gens refugium A habet. Frotuuinus * Clericus habet Ecclesiam vnam in Comitatu ERKENGARIO. Deinde hortauit me Frotuuinus cantare in illa Ecclesia, & super omnia habere debuissem medietatem de illa decima. In eo modo sic seruiui ad illam Ecclesiam annum & dimidium, quo nihil indè accepi, vnde nos conuentionem habuimus. Postea rogaui illum partem meam de illa decima, & ille exarsit nimio furore in animo suo super me, & venit per noctem super me cum parentibus suis, Albrico, & Kebahardo, & VVolframmo, sic flagellauerunt me, vsque dum vix animam diuiserunt in corpore meo. Ego miser miserrimus petiui Dei misericordiam, & sanctum Remedium. & reclamaui per nomen vestrum, & illi dixerunt: Nec Sancti, nec homo vllus me liberare debuisset de manibus eorum. Postea traxerunt me ad altare sancti Remedij, & fecerunt me iurare stabilitatem ad illam Ecclesiam. & aliud sacramentum fecerunt me iurare, vt non debuissem è diebus meis reclamare me ad vestram Pietatem, nec ad Missum vestrum, vt mihi fecissent iustitiam. Tunc petiui iustitiam meam ad illos, sed minimè inueni. Modò timeo inconsecrationem meam. timeo quod illi non timuerunt. Propter hoc deprecor sanctitatem vestram, vt ad iustitiam meam valeam peruenire. quod non possum inuenire nec iustitiam, nec misericordiam apud illos, nisi per misericordiam vestram, & pro redemptione animi patris vestri, cui seruus antea fui.

* Fortuuinus.

II.

B

PIISSIMIS auribus vestris, clementissime ac gloriose Imperator, non præsumptionis audacia, sed pro magna necessitate mea, suggerere conabor: qualiter à me peccatore, & mea sorore, paterna hereditas nostra erat primò elongata, & adhuc etiam abstracta. Et ideò, piisime Imperator, & omnium indigentium misericordisime suffragator, multum indigemus patrocinio vestro: quatenus per misericordiam ac eleemosynam vestram, ad ipsam hereditatem peruenire valeam: eo quòd vllo modo aliter nobis ea restitui non valet, nisi per vestram deuotisimam sempérque beneuolam iustè faciendi clementiam. His ita, Domine mi, vtcumque prædictis, audire dignetur Excellentia vestra reclamationem miseriæ nostræ. Fuit namque nobis, serenisime Imperator, pater nomine Richarr, & patruelis nomine Richolf, ambo Saxones, & hereditas eorum in ipsa exriterat Saxonia. Dum autem in seruicio patris vestri felicis memoriæ domini CAROLI Imperatoris extiterunt, propinqui eorum atque pagenses, causa Christianitatis, furore se super eos turbantes, omnia quæ in domibus propriæ elaborationis habuerunt, cuncta raptim diripuerunt, eò quòd in fide Christianitatis velle eos persistere senserunt, & eam negare vllo modo noluerunt. Postea verò contigit vt dominus Imperator patruelem meum Richolf miserit in Missaticum super Elbam, cum his inferiùs scriptis, id est..... Comite, Gotessedo Comite,..... Comito, &...... Qui omnes vnà ibidem fuerunt occisi propter Christianitatis stabilimentum. Quo C audito, perrexit pater meus Richart nunciare hoc domino Imperatori CAROLO: & dum in illa via fuit, apprehensa est ipsa mater mea ab eisdem viris, qui illos præfatos Missos antea interfecerunt, & inter manus fideiussorum commendaram reliquerunt, ceteráque omnia, quæ ibidem in sumptibus vel aliis quibuslibet rebus reperta sunt, secum per rapinam diuiserunt. Quod cùm compertum fuit patri meo, transiuit latenter, & eam quasi furtim àrripuit, fugítque cum ea in pagum, qui vocatur *Marstheim*, in maternam hereditatem suam. Et sic mansit ibi, donec ex iussione domini Imperatoris Saxones facta trãsmigratione de Saxonia per partes educti sunt: & tunc etiam temporis cum eisdem pater meus & mater educti fuerunt. Quibus verò eductis, & in ipsa transmigratione per quanta qualibet spatia commorantibus, à propria abalienati terra, de hac luce pater meus interueniente extremo die substractus est, & remansit sola mater mea, & ego, sorórque mea: & adhuc Deo miserante nos tres superstites existimus. non tamen peruenimus ad paternam hereditatem nostram. Ideóque, piissime Imperator, qui omnibus pauperibus, etiam cunctis indigentibus stabile refugium pro Dei amore misericorditer impendere non cessatis, nobis quoque paterna hereditate despoliatis pro vestra eleemosyna auxiliari sub hac reclamatione nostra vtcumque faciatis,

A & per fideles vestros idipsum inuestigare dignemini, vtrum iustè ad nos pertinere debeat an non: si tamen apud vestram sanctissimam decretum fuerit Excellentiam. Multi enim testes de ipsis pagis super hac ipsa re adhiberi possunt, qui hanc rem benè sciunt, & eam detegere veraciter valebunt, ô clementissime ac serenissime Imperator.

III.

DOMINO *in Domino dominorum optimo, victoríque maximo* HLVDOVICO *Imperatori gloriosissimo virtus, vita, victoria, salúsque continua longæuis temporibus per omnipotentem Dominum hac omnia vobis stabilita.* LITERAS quidem humillimas summæ Magnitudini vestræ adpræsentare suppliciter conamur, & probatissimam clementiam vestram appellamus, totus Clerus, omnísque plebs sub carissima dominatione vestra degens in parochia Mogontiensis Ecclesiæ: non hæc faciens per audaciam, neque per præsumptionem, sed propter nimiam necessitatem, quæ quotidie in ipsa parochia grassatur, absente diu & procul versante suo Pastore. O Domine piissime, nonne vestra clarissima potestas, sanctissimáque voluntas in hoc se studio semper exercuit, vt CHRISTI nomen clarificetur, colatur atque ametur, & eius diuina potestas per fortitudinis vestræ constantiam multis terrarum locis innotescat? Vnde & probatissima solicitudo vestra laborare non cessat, vt Ecclesia
B Christi Domini nostri custodiatur, adunetur, regatur, tueatur, & à perfidorum doctrinis intrinsecus purgetur. Et ad hoc studium cum magna deuotione satis prompti existitis ob impetranda præmia patriæ cœlestis, & æternæ beatitudinis. Ideirco, Domine, quoniam talia circa Dei Ecclesias agitis, nolite obliuisci Ecclesiarum plebísque in parochia nostra consistentium, ne diutiùs somno torpescant Pastore carentes. Quapropter clementissime Domine, precamur omnes, precamur singuli, quasi corporaliter dulcissimis pedibus vestris prouoluti, vt Pastorem, quem iam pridem vestra largissima concedente gratiâ suscepimus, eundē iterum pro eleemosyna vestra suscepturi gaudeamus: vt in ipsa sede, super qua eum prudentissima sapientia vestra consedere fecit, Domino Christo, & Sanctis eius, vobísque valeat deseruire: quatenus vestra miserāte misericordiâ, Ecclesia sancti Martini sanctíque Albani Martyris Christi ab eo viduata non fiat, in quorum honore atque amore, sicut optimè nouit carissima sapientia vestra, priùs eum ibi disposuistis officio fungi Sacerdotis. Scimus enim eum vobis esse in omnibus fidelem, beneuolum, humiliter subiectum, ritéque benignum, & in eo maximè libentérque laboraturum, quo valeat benè piissima Excellentia vestra in hoc tempore illæsa existere, & in æterna beatitudine cum Sanctis omnibus triumphata in cœlo gaudere. Sed quid dignè nostra ex parte possumus obtendere contra sagacissimam sapientiam vestram, dum nullus tam doctus, támque idoneus prudentiâ sit, quem vestra non præcellat industria? Felix populus, felixque omnis clerus, qui tali Principe regitur, talíque defensore gubernatur, protegitur. Hoc faciat Deus, & hoc addat, quatenus non solùm magnitudo potestatis vestræ Principem vos esse ostendat, sed etiam instan-
C tia gubernandi domos Dei in laudem sancti nominis eius protectorem & gloriosum triumphatorem longè latéque perficiat. His ita, Domine, vtcumque suppliciter prædictis, recordari deuotissimam clementiam vestram optamus, de Pastore nostro exiguo vestro famulo OTGERO, intercedentibus his Sanctis superiùs nominatis, vt sicut cœpistis, ita perficiatis: quatenus in sua sede vestra concedente gratia, Deo & Sanctis eius seruiat, vestrámque orationem cum nobis omnibus die noctúque exerceat. Amen.



A

BEATI LVPI ABBATIS FERRARIENSIS EPISTOLÆ.

Ex editione Papirij Massoni, quæ cum vetusto Cod. Ms. recèns collata est, & plerisque in locis emendata.

PRÆFATIO PAPIRII MASSONI.

FERRARIA *antiquum nomen adhuc retinet, éstque Monasterium Galliæ in diœcesi Senonum, quod Beslehemiticum etiam appellatur, quatuor tantùm millibus à Montargi oppido distans, in Lugdunensi via ad Lupam amnem sito, qui in Sequanam influit. Eius Monasterij* B *Abbatem fuisse* LVPVM, *& ex Synodo Suessionensi habita Caroli Calui temporibus anno* DCCCXLIII. *& ex hoc Epistolarum Libro satis apparet. Quin & sancti Iudoci Monasterio, vel Cellæ maritimæ ad ostium Cantij, inter Stapulas & Montrolium vrbes posita, etiam præerat. Quam sibi ereptam, & Odulfo Comiti attributam à Rege, posteáque redditam, pluribus Epistolis nunc queritur, nunc lætatur. Sunt autem hæ non contemnendæ, propter rerum, & eorum ad quos scribuntur, dignitatem. Nam ad domnum Apostolicum Benedictum III. scribit, & Leonis decessoris eius Epistolâ ad Nomenonium mentionem facit. Ad maximos Principes Lotharium Cæsarem, Carolum Galliæ, & Edelulphum Angliæ Reges. Sed ad Carolum multò plures leguntur, quòd Senonibus & Francorum genti in Gallia imperaret. Ad doctos quoque suæ ætatis viros, Einhardum & Rabanum, quos præceptores suos honorificè vocat: Ionam Aurelianensem Episcopum, cuius extant Libri de cultu imaginum eidem Carolo dicati, Hincmarum doctissimum Rhemorum Metropolitanum, & Hilduinum à quo scripta sunt Areopagitica. Vt alios prætercam, excepto Marcuuado Abbate Prumiensi. Prumia vulgò* Prom *Monasterium est in finibus Treuirorum. Et virum illum magni fecisse Lupus videtur. Ac ipse quidem ab Aldrico decessore Guenilonis Episcopi Senonum, in Germaniam studiorum causâ missus est, quòd in ea Prouincia tunc florerent literæ. Fuítque deinceps curiosus optimorum Librorum, & quos è Germania, Italia, Anglia, Galliáque sibi ad exscribendum mitti petiit, vt ex pluribus locis apparebit. Ceterùm, quia vnicum Exemplar harum Epistolarum in veteribus membranis à Petro Daniele ex ipso Monasterio Ferrariæ allatum penes me habui, ídque propter vetustatem multis locis corruptum, quibusdam lacerum & mutilum; fieri non poterit vt hic Liber integer & incor-* C *ruptus doctis hominibus videatur. Maluimus tamen vtcumque affectum legi, quàm omninò non esse. Inuenientur enim fortasse alia, quamquam hoc scio in tota Senonum prouincia non reperiri, vbi & multa Monasteria & frequentes Ecclesiæ sunt, & Lupus honestissimis parentibus natus est. Vtilitatem verò magnam afferet iis, qui volent illius temporis calamitates nosse, quæ nostris nihilò mitiores fuere.*

AD EINHARDVM, EPISTOLA I.



HARISSIMO *nostro Einhardo Lupus salutem.* DIV cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne excellentiæ vestræ scribere. Et cùm me ab hoc officio aliæ rationabiles causæ, tum etiam ea maximè deterrebat, quòd posse id contingere videbatur, vt dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilicet quòd præpropero & inusitato prorsus ordine, ab ipso familiaritatis munere inchoauerim, qui nec primordia notitiæ contigissem. Ita vehementer æstuanti, facilis, & modesta, & quæ sanè philosophiam deceat, animi vestri natura tantę rei obtinendę spem tribuit. Verùm vt aliquid rationis afferre

A videat, taceo quidem secularium literarum de amicitia sententias, ne quoniam eis adptimè incubuistis, Horatianum illud doctissimorumore tritum meritò accipiam: *In Siluam ne ligna feras.* Dominus certè noster, nedum aliquam aspernandi amicos occasionem relinqueret, diligendos omnes inimicos præscripsit. Itaque patienter quæso & benignè aduertite animum, dum altiùs meas repeto cogitationes, vt nosse possitis quàm hoc non perperam nec iuuenili moliar leuitate. Amor literarum ab ipso ferè initio pueritiæ mihi est innatus, nec earum, vt nunc à pleris que vocantur, superstitiosa otia fastidio sunt. Et nisi intercessisset inopia præceptorum, & longo situ collapsa priorum studia penè interissent, largiente Domino, meæ auiditati satisfacere fortitan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem CAROLVM, cui literæ eo vsque deferre debent, vt æternam ei parent memoriam, cœpta reuocari, aliquantum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum Ciceronis dictum: *Honos alit artes, & accenduntur omnes ad studia gloria.* Nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant, & velut in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgò aspectantes, siquid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alij dignam Sapientiæ palmam non capiunt, alij famam verentur indignam, à tam præclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter B seipsam appetenda Sapientia. Cui indagandæ à sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptáque ab eo artis accepi, quoniam à Grammatica ad Rhetoricam, & deinceps ordine ad ceteras liberales disciplinas transire hoc tempore fabula tantùm est. Cùm deinde Auctorum voluminibus spatiari aliquantulum cœpissem, & dictatus nostra ætate confecti displicerent, propterea quòd ab illa Tulliana ceterorúmque grauitate, quam insignes quoque Christianæ religionis viri æmulati sunt, aberrarent, venit in manus meas opus vestrum quo memorati Imperatoris clarissima gesta, (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) clarissimè literis allegastis. Ibi elegantiam sensuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in Auctoribus notauetam, ibidemque non longissimis periodis impeditas & implicitas, ac modicis absolutas spaciis sententias inueniens, amplexus sum. Quare cùm & ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum præcipuè propter expertam mihi illius libri facundiam, desideraui deinceps aliquam nancisci opportunitatem, vt vos præsentes alloqui possem, vt quemadmodum vos meæ paruitati vestra tum probitas, tum sapientia fecerat claros, ita me vestræ sublimitati meus etiam erga vos amor, & erga disciplinas studium commendaret. Neque verò id optare desistam, quamdiu ipse incolumes in hac vita vos esse cognouero. Quod posse contingere hoc magis in C spem ducor, quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus sum. Nam à præfato Episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, vti ab eo ingressum caperem diuinarum Scripturarum. Ergo cùm ad vos iturum hinc eius nuncium competissem, primò quasdam verborum obscuritates, à vobis vti elucidarentur, mittendas proposui. Deinde præstare visum est, vt etiam hanc Epistolam dirigere debuissem, quæ si à vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Sed semel pudoris transgressus limitem, etiam hoc postulo, vt quosdam Librorum vestrorum mihi hîc pòsito commoderis. Quamquam multò sit minus Libros quàm amicitiam flagitare. Sunt autem hi, Tullij de Rhetorica Liber, quem quidem habeo, sed in pleris que mendosum. Quare cum Codice istic reperto illum contuli, & quem certiorem putabam mendosiorem inueni. Item eiusdem Auctoris de Rhetorica tres Libri in disputatione ac dialogo de Oratore, quos vos habere arbitror, propterea quòd in breui voluminum vestrorum post commemorationem Libri ad Herennium, interpositis quibusdam aliis, scriptum reperi: Ciceronis de Rhetorica. Item, explanatio in libros Ciceronis. Præterea Auli Gellij Noctium Atticarum. Sed & alij plures in prædicto breui, quos, si Deus apud vos mihi gratiam dederit, istis remissis accipiens describendos mihi dum hîc sum auidissimè curare cupio. Exonerate quæso verecundiam meam, quæ supplico facientes: méque timantem amatas literarum radices, earum iam iocundissimis expleri fructibus, illo vestro facundissimo eloquio incitate. Quæ si meruero, tantorum beneficiorum gratia quoad vixero semper mihi habebitur. Nam quæ vos eorum merito sit remuneratio secutura, non opus est dicere. Pluri-

ma scribenda in alia mens suggessit, sed vestrum ingenium meis ineptiis vltra remorari non debui, quòd scio vel exterioribus occupatum vtilitatibus, vel circa intimas & abditas Philosophiæ tationes intentum. A

AD EVNDEM, EPISTOLA II.

DESIDERANTISSIMO *præceptori Einhardo, Lupus.* MOLESTISSIMO nuncio de excessu venerabilis vestræ coniugis æstuanti, plusquam vnquam vobis nunc optarem adesse, vt vestram mœstitiam vel mea compassione leuarem: vel concepto sensu ex diuinis eloquiis assiduo sermone solarer. Verùm donec id Deus præstet etiam possibile suggero, vt memores humanæ conditionis, quam merito peccati contraximus, modicè sapientérque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lætioris fortunæ forti semper animo deuicistis. Inuocato itaque Domino nunc illas tolerantiæ vires expromite, ad quas charissimum quemlibet casu simili deprehensum probabiliter vocaretis. Opto vos valere feliciter.

EINHARDI AD LVPVM, EPISTOLA III.

EINHARDVS *Lupo suo salutem.* OMNIA mihi studia, omnésque curas tam ad meas quàm amicorum causas pertinentes exemit & excussit dolor, quem ex morte olim fidissimæ coniugis, iam nunc charissimæ sororis sociæ, grauissimum cepi. Nec finiri posse videtur, quoniam extinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet, vt inde penitus non possit auelli. Huc accedit, quòd ipsum dolorem identidem accumulat, & vulnus semel acceptum exulcerat, quòd vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt. Ac spes, quas in Martyrum meritis atque interuentione collocauimus, expectationem nostram ex asse frustrata est. Inde euenit vt solantium verba, quæ aliorum mœstitiæ mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potiùs faciant atque rescindant: cùm me æquanimiter ferre iubent infortunij molestias, quas ipsi non sentiunt. Atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudij vel lætitiæ valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium, cui mens constet, quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat: & qui infelicem ac miserrimum non iudicet, cùm in afflictione positus eum, quem votis suis fauturum fore crediderat, auersum atque inexorabilem experitur? Hæccine talia tibi videntur, vt suspiria, vt lachrymas homuncioni tantillo commouere, vt ipsum ad gemitum & planctum concitare, vt etiam in desperationis baratrum deiicere potuissent? Et vtique deiecissent, nisi diuinæ miserationis ope suffultus, quid in huiusmodi causis aut casibus maiores ac meliores nostri tenendum seruandúmque sanxissent, ad inquirendum subitò me conuertissem. B Erant ad manum doctores egregij, nedum non spernendi, verùm omnimodis audiendi atque sequendi. Gloriosus videlicet Martyr Cyprianus, & illustrissimi diuinarum literarum expositores Augustinus atque Hieronymus. Quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus, depressum graui mœrore cor sursum leuare conatus sum, cœpíque mecum sedulò reputare, quid super excessu charissimæ contubernalis sentire deberem. Cuius mortalitatem magis quàm vitam videbam esse finitam. Tentaui etiam si possem à memetipso exigere, vt id ratione apud me fieret, quod longa dies solet efficere: scilicet vt vulnus, quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit, cicatricem ducere, ac spontaneæ consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit. Et licèt saluberrima sint quæ à memoratis doctoribus ad mitigandum grauem dolorem velut à peritissimis idémque mitissimis medicis offeruntur, plaga quæ adhuc sanguinem trahit sanãdi maturitatem nondum admittit. Hîc fortasse miraris, ac dicis, ex huiusmodi occasione natum dolorem tam longum ac diuturnum esse non debuisse, quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur, quod ille quando inciperet, neque in potestate habuit, neque præsciuit. Metiri tamen posse videtur doloris ac mœroris magnitudo, siue diuturnitas, dictorum quæ acciderunt damnorum quantitate. Quæ ego cùm quotidie in omni actione, in omni negocio, in tota domus ac familiæ administratione, in cunctis, quæ vel ad diuinum, vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis, immaniter sentiam: C

A quî fieri poteſt, vt vulnus, quod tot ac tanta incommoda intulit, cùm crebro tangitur non recrudeſcat potiùs & renouetur, quàm ſaneſcat aut ſolidetur? Arbitror enim, nec vereor, quòd hæc opinio falſum me habeat, hunc dolorem atque anxietatem, quæ mihi de chariſſimæ contubernalis occaſione exorta eſt, perenniter mecum perſeueraturam: donec id ipſum temporis ſpacium, quod Dominus mihi ad hanc miſeram & temporalem vitam concedere voluerit, debito ſibi termino finiatur. Quam tamen proficuam potiùs mihi, quàm noxiam, hactenus experior: cùm animum ad læta & proſpera feſtinantem velut quibuſdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentémque ad reuocationem pietatis reuocet, quam ad ſpem & amorem longæuitatis odium atque obliuio ſenectutis illexerat. Video mihi non multum ſupereſſe temporis ad viuendum, licèt quantum id eſſe debeat mihi penitus ignoretur. Sed hoc certiſſimum teneo, & recens natum citò poſſe mori, & ſenem diu non poſſe viuere. Ac proinde longè vtilius ac beatius fore cenſeo, ipſam temporis incerti breuitatem cum luctu quàm lætitia ducere. Quia ſi, ſecundùm Dominicam vocem, beati ac felices erunt qui lamentantur & lugent: econtrariò infelices ac miſeri fient, qui dies ſuos in iugi & continua lætitia finire non metuunt. Gratias ago atque habeo charitati tuæ, quòd me per literas tuas conſolari dignatus es. Neque enim maius aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuiſti, quàm ægro atque iacenti manum exhortationis porrigendo, monendóque B vt ſurgerem: quem mente proſtratum, ac mœrore depreſſum ignorare non poteras. Benè vale, chariſſime ac deſiderantiſſime fili.

AD EINHARDVM, EPISTOLA IV.

EPISTOLAM veſtræ dignationis calamitatem, quæ dudum vobis contigit, grauiter querentem, haudquaquam mediocriter commota mente perlegi, confectúmque veſtrum animum tam diuturni mœroris anxietate vehementer indolui. Et quamuis qui me longè præſtent amicorum ſolatia, tentauerint hunc tantum leuare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, vt literis veſtris ſatis eminet, quòd ipſi caſus veſtri conſiderationem non ſatis ad ſe admiſerunt: eo vſque vt eorum quidam ſuper exceſſu gratiſſimæ quondam vxoris gratulandum monerent. Quod vt opinor nihil ad conſolationem pertinet, non tam ætatis leuitate & ingenij, quod exiguum ſentio, confidentia, quàm pro erga vos amoris magnitudine hæc rurſum qualiacumque ſint in veſtri ſolatium non ſum veritus cudere. Siquidem conſcius mihi ſum, intimum me nobiliſſimæ illius feminæ morte cùm veſtra tum etiam ipſius vice traxiſſe dolorem, quem atrociter exaſperantem veſtræ literæ C fateor recrudeſcere coëgerunt. Vnde nequaquam deſperauerim, quòd aliis necdum ſit datum, mihi vt aliquod ſolatium vobis perſuadere poſſim à Domino reſeruatum. Vilibus plerumque remedium quæritur, quod precioſiſſimis & artis vigilantiſſima compoſitis diligentia fruſtra diu tentatum eſt. Itaque firmamentum iuſti, vt vobis videtur, doloris veſtri duas in partes Epiſtolas mihi reddendo diuiſiſtis. Earum prima, quæ & vel maxima, illa eſt quòd vota veſtra & ſpes, quam in ſanctorum Martyrum interceſſione locaueratis, vos velut irrita fefellerunt. Altera, quæ proximè primam accedit, quòd ſiniſter ille caſus quantum vobis importauerit incommodi, quotidianis metiri negotiis cogimini, dum vos onus domeſticarum diuinarúmque rerum, quod illius memorabilis feminæ fida ſocietas leue fecerat, veſtris ex toto impoſitum ac relictum ceruicibus obruit. Reuera valida vtraque res, & quæ præter ſapientem, qui aduerſa quoque modicè ferre didicerit, facilè quemlibet ſua mole poſſit opprimere. Ac primò quidem, quam propoſui pariter conabor non ſubuertere, ac penitus auferre, quod prorſus impoſſibile perfectis etiam oratoribus ſi eſſet, video multò magis mihi: ſed tenuare, imbecillémque inſpectu rationis efficere. Certè hinc mouemini, certè hinc afficimini, quòd vos caſſa vota fruſtrata ſint, ac ſpes in Martyribus, immo in Domino ſita illuſerit. Quaſi verò id vobis omnimodò conſtet, quod tantoperè popoſciſtis veſtræ vxoríſque ſaluti conducere. Quod ſane ſi vobis ſatis exploratum fuiſſet, aerioris iuſtique doloris ingens eſſe videbatur fomes, dum vos non quaſi filium corriperet, ſed veluti in aduerſarium diuina cenſura deſæuiſſet. Attamen ſic quoque non deſperationis barathrum ſubeundum, ſed diuinitas infenſa precibus aſsiduis ac ſummiſſa

fuerat flectenda patientiâ. Nunc autem cùm Deus omnes homines saluos velit A fieri, ac in nomine ipsius, qui Saluator dicitur, nemo postulet nisi qui propriæ saluti proficua flagitarit, cùmque vos in nomine Saluatoris plena fide petieritis: quis non opinetur non exauditos quidem vos ad temporale votum, exauditos autem ad perpetuam salutem? Ego planè firmissimè crediderim, & vobis, & vxori, eius etiam immaturo excessu consultum. Quæritis quemadmodum? nempe quòd coniuges ex duobus corporibus in vnam redacti compagem, licèt concordissimè vixerint, non vno lecho resoluuntur: & quantùm ad vsitatum naturæ pertinet ordinem, necesse est vnum alteri superesse. Hinc iam vestra prudentia intelligit, quòd sententia in hominem diuinitus emissa, *Terra es, & in terram ibis*, differri aliquantulum potest: in perpetuum autem vitari non potest. Fidis optandum coniugibus, cùm vter eorum remansurus sit, eum fore superstitem qui sit & ad calamitatem ferendam robustior, & ad iusta de more Christiano curanda magis idoneus. Non enim sexu differentia virtutis, sed animo capienda est. Alioqui non video religiosi coniuges quemadmodum sibi sincero amore deuincti sint, cùm hæc ita se habere indubitata ratio persuadeat. Planum igitur est, verisimile esse non illi feminæ venerabili solùm, sed etiam vobis adeo magnum quiddam præstitum: dum quod vobis eligendum fuerat ipse vltrò ingesserit, quamquàm occulto, minimè tamen iniusto iudicio. Certè illa etsi ex vestro consortio multa didicerat, ita vt non sui sexus modò, verùm etiam turbam virorum sua insigni prudentia, grauitate, atque honestate, quæ res magnam vitæ humanæ tribuunt dignitatem, longè superaret, ac corpore femina, animo in virum profecerat, ad sapientiæ vestræ fastigium nunquam penitus aspirasset. B Nunquam tantum robur, sempérque similem, quam in vobis singulariter omnes mirantur, constantiam vllis vnquam profectibus æquauisset. Nunquam, si superuixisset, tantum vestræ, quantum vos & illius & vestræ perpetuæ saluti procurare potuisset. Ac per hoc, quoniam dum in hoc fragili versamur corpore omni perturbationis ita vacare non possumus, quin aliquando aliqua ægritudinis molestia quatiamur: quod posse sapienti contingere philosophi putauerunt, hoc vobis euenire optem, vt casus aduersos, vt primo aspectu apparet, quibus vulgò inculta mortalium multitudo subruitur, vestræ mentis sapientia sensu emolliat, immò diuinæ voluntati vestram contemperet. Deinde quia vitæ huius obscurissimas tenebras sermo diuinus irradiat, iuxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, quomodo ipse formet eandem vitam penitus intuendum est. Nimirum in Dominica oratione quotidie dicimus, *Fiat voluntas tua*, scilicet non nostra, quæ ignara rerum sibi salubrium falli consueuit, sed tua, quæ vt pote Dei futura præscit. Saluator quoque noster passione imperidente cùm dixisset, *Pater si fieri potest transeat à me calix iste*, assumpti hominis infirmitatem, immò membrorum suorum, propter quod ad has preces descenderat, imbecillitatem, sic diuina virtute consolidat. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Scilicet fallere fallique nescius magister, quod Deus suo nos exemplo instituit, vt cùm aduersa vrgerent, sic ea depellere precibus conaremur, vt in his etiam con- C tra nostrum votum eius fieri voluntatem salubriter amplecteremur. Recolite quæso Paulum, cuius tanta erat eminentia, vt in tertium raptus cœlum audierit arcana verba sanctæ Trinitatis, quæ non licet homini loqui: tamen Dominum orasse, quo à se angelum Sathanæ, quo tribulatur, summoueret, nec obtinuisse quod voluit, sed quod profuit. Reuocate in memoriam Dauidem, quatenus se pro impetranda filio vita macerarit. Et certè cùm tantus esset Propheta, ne responsum quidem diuinum tam immani confectus mœrore promeruit. *Quacumque autem scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Ergo perpendite qualiter Dauid cassam precum suarum expertus instantiam, consolationem ratione perceperit, ac iustitiæ Dei subiectus humiliter acquieuerit. Non estis tam fundatæ fortitudinis, quod præfato dictum est Apostolo vobis responsum accipite: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Siquidem & ipse mœrorem scriptæ orationis, si quis ei subortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud oportere deposuit. Huiusmodi præceptis & exemplis sacræ Scripturæ campi exuberant. Quæ, quoniam, vt insignis ait Poëta, *Non canimus surdis*, epistolarisque coarctat angustia, prætereiens vobis considerandia relinquo. Suffecerit hæc tantùm tetigisse, quæ sola recepta vulneris huius tumorem, quantùm

A mea fert opinio, mulcere atque lenire, largiente Domino, poterunt. Quamquam multa mihi volenti aliud etiam occurrat, quòd hoc Dei iudicium clementiæ potiùs quàm iracundiæ videri possit certissimum documentum. Namque flagellat omnem filium quem recipit. Affectum vestrum in vxoris amore forsitan subdiuisum non passus, putari potest ad se solum amandum reuocauisse, ac si quid eius corpori intemperanter diligendo plus iusto à vobis indultum fuerat, eiusdem corporis subtractione puniisse. Cúmque per Prophetam loquitur: *Non consurget duplex tribulatio*, quod LXX. Interpretum sic expressit translatio, *Non iudicat Dominus bis in idipsum*, hîc emendare dignatus est, quod vt homo excessistis. Nemo enim mundus à sorde, ne quid grauius in vos quandoque decerneret. Quare Dei amplecti deberis immensam pietatem, qui vos tuâ dignos iudicauerit correctione: quàm offensam metuere, disciplinæ illius verbera sustinentes. *Fili*, inquit Salomon, *noli deficere à disciplina Domini, & ne fatigeris cùm ab eo argueris. Quem enim Dominus diligit corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Denique quorum istic peccata non visitat, quosque florere pro voto permittit, in hos post mortem idem ita desæuit. De talibus in Psalmis legimus, *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Et in Iob: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Præterea hoc mihi subiicit mens, voluisse Dominum rebus ipsis vos experiri, quàm sit infelix qui in perpetuum abiungatur ab ipso, in quo & perpetua & vera delectatio, si tam immaniter afficiat, licèt fidissimi atque charissimi, tamen hominis mo-
B mentanea separatio. Cùm hæc verisimilia esse videantur, abolete quæso quantum potestis de qua sermo habetur mœrorem, & cum Iob dicite: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et cum Apostolo: *In Dei spatiamini laudibus dicentes, Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Restat pars altera suscepti negotij, quæ stringenda breuiter est, ne fortè plura dicens, sim oneri qui gestiam esse solatio. Hinc instaurari, immò perseuerare doloris vulnus asseruistis, quòd duplicatus quotidie dispositionis labor quid boni perdideritis admoneat, ac propterea nec finiri posse videatur. Id esse verissimum ipse concesserim, illúdque quod inter alia posuistis, non posse pro voluntate hominem dolori finem imponere, quem nec præsciat, nec imminentem queat effugere, vehementer approbo, sarisque catholicè dictum intueor. Non est enim in potestate hominis via eius, sed à Domino gressus hominum diriguntur, & humani liberras arbitrij eget omnimodo auxilio gratiæ Dei. Sed planè quæ facta sunt, infecta esse non possunt, nec dolor reuocare valet semel prærerita, nec est in homine vnde à seipso petat auxilium. Quocirca deprehensi quibuslibet angustiis, quo veriùs nos sentimus fragiliores, hoc oportet celeriùs ad diuinæ miserationis subsidium, velut ad portum tutissimum, confugiamus. Elegantérque illud dictum est: Necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Nec longus, dummodo conemur, terendus est labor. Nam qui ad se hoc modo vocat; *Venite ad me qui laboratis*, nitentes adiuuat, ad se peruenientes informat, in se permanentes proculdubiò coronat. Quare quod dixistis, memoratum dolorem quoad viueretis
C mansurum vobiscum, expressit hoc à vobis, sentio, concreta longo vsu magnitudo amoris. Sed in ea vos obstinatione animum relinquere quantùm audeo dehortor. Siquidem & illi, cuius causa emersit, nihil immoderatum proderit, & vobis multum nisi deponatur officiet. Quinimmò totum vos curandum sanandúmque Domino permittite, cui est perfacile, quod nostra natura difficillimum iudicat. Nam quis sperauit in Domino, & deceptus est? Obsecro totum cor vestrum ad rogandum Dominum effundite. Præstare vult qui se vt rogetur admonuit, *Petite & accipietis.* Petite vt ipse vobis affectum inspiret rogandi, & effectum ipse tribuat impetrandi. Dicite quod clarissimus idémque suauissimus auctor Augustinus. *Da quod iubes, & iube quod vis.* Siquidem sua nos Deus gratia, vt velle ac posse aliquid boni queamus, & præuenit & subsequitur. Quod euidenter in Psalmis didicimus, vbi scriptum est: *Deus meus; misericordia eius præuenit me vtique. Et Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vita mea.* Adquiescite Spiritui sancto per Dauid moniti: *Iacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Ac Domino fiducialiter dicite: *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me.* Et cum Apostolo iam exultantes in Domini laudibus ingeminare poteritis; *Omnia possum in eo qui me confortat.* Tristitia

enim feculi mortem operatur, haud dubium quin spiritualem: sed & corporalem, A
vt optimè nostis, sæpe consciscit. Quamobrem ærumnis vitiorum, quibus premimur, contristemur, & ab eorum falsa dulcedine, quanta possumus amaritudine separari nitamur: ac huius incolatum vitæ, in qua sine querela non viuitur, modestè feramus. Ceterùm veniam à Deo expectantes, in eo plena fide lætemur. Denique illud, quod in Euangelio promittitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, non de iis qui lugent de amissione charorum & temporalium commodorum, verùm de illis qui mœrent initio seiuncti à mortifera vitiorum delectatione, donec virtutibus Spiritus sancti gratia consolationem recipiant; vel de his, qui propter sua proximorum-ve peccata salubriter affliguntur, propter-ve illius felicis vitæ dilationem, cui votis omnibus suspiramus, rectissimè intelligitur. Proinde petentes quondam vxori refrigerium sempiternum, quæ mortem, vt credimus, non incurrit, sed exuit: vobis patientiam, & in bonis actibus perseuerantiam atque profectum postulate à Domino Deo vestro, & dicto citiùs consolationem vestro infundet pectori. Ita vt audiatis Apostolum cohortantem: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Ego sanè, quòd dignati estis vestros æstus mecum communicare, attentiùs & pro illa & pro vobis supplicare conabor. Credo quamuis non meo merito, vestra tamen Dominum humilitate placandum, qui absque respectu vestræ magnitudinis, cum mea paruitate conferre tam seria non horruistis. Ostendi, vt potui, & humana ratiocinatione, & diuinis auctoritatibus, non vos exauditos ad votum patienter ferendum, dolorisque vulnus, quod irremediabile videbatur, quemadmodum mitigari posset. B
Vestræ prudentiæ ac solitæ dignationis erit, quæ pia intentione non docendi, sed commemorandi causa profusa sunt, æquè pia mente lectitare: & si qua in his capi possit vtilitas, pro iure amicitiæ vestram deputare. Libellum de adoranda Cruce meo iudicio vtilissimum, quem meo nomini dedicastis, vt par fuit, amplexus sum. Atque vtinam morem mihi gerentes, sic omnia quæcumque ab initio enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non grauaremini. Profectò non mihi solùm, sed multis videtur hic labor prodesse. Tamen & pro hoc quod nunc mihi nec opinanti misistis, & pro aliis quibus à vobis institutus iam antea sum, maximas agens habénsque gratias, quid Deus vestræ indulgentissimæ dignetur inspirare pietati sollicitus præstolabor. Medio Maio vita comite hinc recedere decreui, quo tempore, Domino volente, sicut vobis si recordamini dixi, ad vos venturus sum, & aliquot apud vos dies facturus: vt & Libros vestros vobis restituam, & quibus indiguero discam, fruárque aliquamdiu vestro suauissimo alloquio, atque informer mihi gratissimo vestræ grauitatis & honestatis exemplo. Nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est. Quod etsi, quod penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, vt nullatenus vobis insalutatis, sanctorúmque Martyrum neglecto patrocinio, ad patriam remearem. Cupio te mei memorem benè valere in Domino, prosperísque pollere successibus, domine desiderantissime Pater, & de me optimè per omnia merite. C

AD EVNDEM EINHARDVM, EPISTOLA V.

FIDISSIMO *Patri Einhardo Lupus salutem.* MEMORIAM vos habere mei quàm gratum habeam, nequaquam facilè dictu est, præsertim cùm eminentiæ vestræ sublimitas eousque se submiserit, vt vltroneæ salutationis munus ac vitæ meruerim: quamuis optauerim vestris refici litteris, quantúmque iam æstus rei notæ deferbuerit discere, atque si vobis hinc à paruitate mea quicquam persuaderi potuerit. Ego certè quemadmodum pollicitus sum, & pro illius charissimæ sempiterno refrigerio specialiter ac quotidie Dominum supplico; & quod vobis vel in præsenti, vel futura vita conducibile credo, vigilanti perseuerantia postulare non desino. Proficiam ne aliquid vos forsitan sentiatis, haudquaquam tantùm dubitauerim harum fructum petitionum in diuina miseratione te ponere, ac licet serum, quantum ad voti spectat impatientiam, maturum tamen propter illius iustitiæ pondus sine dubio præstolari. Obsecro autem legite Libri sancti Augustini de Ciuitate Dei XXI. Titulum XXII. & videte si non his quæ scripsi paria de eadem calamitate vir ille diuini ingenij senserit. quæ planè numquam antè legeram. Sed cùm postea ea percutissem,

A curriſſem, admodum miratus ſum mea tam ſimilia ſenſu fuiſſe, vt ab his colorem traxiſſe penitus viderentur. Ceterùm profectionis in patriam, ac per hoc ad vos, tempus aliquantum producere coactus ſum. Namque venerabili viro Marcuuardo, per quem mea reuerſio adminiſtranda eſt, cùm in Italiam Legarus mitteretur, ac me priùs ad ſuum colloquium vt amiciſſimum euocauiſſet; mihi conſtat, vt hinc die qua ſignificaueram vobis recedens ſanctitatem veſtram petere debuiſſem. Verùm illuſtris Abbas Rhabanus poſtmodum regreſſus à Palatio foret, nec ne; per id temporis iſtic propter Legationem ſibi commiſſam ad liquidum ſcire non potuit. Atque ob eam rem hortatus eſt, vt reditum meum ad Non. Iun. differrem, quando ſolemnitas ſancti Bonifacij ſe abeſſe minimè fineret, niſi fortè ipſi quoque Imperialis iuſſionis, & ea quàm grauiſſima, præiudicaret auctoritas. Itaque, cùm ſuam poſt regreſſionem Marcuuardus ex me quæſitum, quando potiſſimùm reuerti vellem, miſiſſet: memoratæ rei cauſa equos huc adducendos vt pridie Non. Iun. curaret petij; quo Chriſto propitio VIII. Idus eiuſdem menſis iter ad vos poſſem arripere. Quod ille ſi vita comes fuerit indubitanter implebit. Quare certum diem quidem, quo ad vos venturus ſim, exprimere non audeo. Sed intra eam hebdomadam, quæ Non. Iun. cœperit, omninò me venturum, Deo volente confirmo. Atque vtinam exoneratum omni curarum moleſtia veſtrum reperire tunc merear animum, vt non vacet modò pro ſolita dignatione quæcumque amicalia vi-
B debûtur mecum conferere: verùm etiam vbi vel meum vel aliorum me deficit, veſtrum adſit conſultum ingenium. Cui quantum aſſurgam, quantùmque deferam; quantum denique eo me vel adiutum, vel adiuuandum credam, vt adulationis morſum effugiam, nolo amplius dicere. Deus viderit, cuius idipſum gratia procurauit. Interim hæc quæ ſubieci, paterna, qua me ſemper fouetis, pietate conſiderare dignemini, vt ea præuiſa mihi faciliùs expediatis. In priori Libro Arithmeticæ Boëtius, quarto Capitulo, ſic ponit: *Quod autem dictum eſt ſecundum duorum generum contrarias paſsiones, huiuſmodi eſt*, ab eo loco vſque ad hæc verba, quæ paucis interiectis ſubiiciuntur, *Spatio eſt maxima, paruiſsima quantitate*: minùs mihi quàm velim clarum eſt. In eodem Libro XXXI. Capitulo negat eſſe difficile diligentibus, præter quas ipſe expreſſerit partes, multiplices ſuper partientis ſecundum monſtratum à ſe modum ceteras reperiri. Quòd ſi per vos plenè quod paulo præmiſit ſuperiùs intellexero, vbi ait: *Vocabuntúrque hi ſecundum proprias partes duplex ſuperbipartiens*, & ſequentia; nimirum mihi non erit difficile. Idem Auctor eximius ſecundo eiuſdem Operis Libro, itémque ſecundo capite, *Et vt ait*, inquit, *Nichomachus inuſitaton*, ſiue vt alibi repert inuſitatum teorema, proficiens* &c. Quæ verba Græca quam habeant proprietatem, neſcio ſi rectè acceperim. In eodem Libro Cap. XXV. ab eo loco vbi ſcriptum eſt: *Omnis quoque cubus, qui ex tetragonorum ſuperficie in profunditatem corporis creuit*, vſque ad eum, *Angulos verò VIII. quorum ſingu-*
C *lis ſub tribus eiuſmodi continetur qualiter priorem*, fuere tetragoni*, vnde cubus ipſe productus eſt, vt verbo ipſius loquar, figuram rei ſubtilis non aſſequor; & vt per vos eius intellectum capiam vehementer indigeo. In Victorij quoque calculum præuia Dei gratia, veſtráque doctrina, ingredi cupio. Quinetiam in eiuſmodi dictionibus; vt eſt *aratrum*, *ſalubris*, & ſimilia, quæ non modò poſitione, ſed etiam natura penultimam videntur habere productam, magna hæſitatio eſt: in qua me adhuc laborare profiteor, vtrum-nam naturæ ſeruiendum ſit, vt penultima, vt eſt longa, pronuntietur: an propter illud quod Donatus ait, ſi penultima poſitione longa fuerit, ipſa acuetur, vt *catulus*; ita tamen ſi poſitione longa, non ex muta & liquida fuerit. Nam mutabit accentum, vt *pharetra*, in natura ſimul & tali poſitione productis, communis ſyllaba naturæ præiudicet, & accentus in antepenultimam transferatur. Namque nihil in Auctoribus ſolidum adhuc reperire potui, vnde vter eorum ſenſus aut aſtrui aut abdicari mihi poſſe videatur. Erit igitur veſtræ prudentiæ hanc ambiguitatem dirimere, & vtrum eorum aliquo documento fortiſſimo roborare. Si quidem ad difficultatem, quod certam hinc nullam reperio regulam, accedit etiam hoc quod in metro eiuſmodi, vt eſt *aratrum*, ſemper productam inuenio penultimam. Cùm ſi in naturaliter quoque longis communis ſyllaba valeat, manifeſtum ſit aratra nominatiuo, accuſatiuo, & vocatiuo pluralibus, per dactylum poni potuiſſe. Sunt & alia complura interroganda, quæ notata teneo, quæque commodius, ſi Deus, vóſque permiſeritis, præſens diſquiram.

Et obsecro per quam mihi pietatem gratuitò semper exhibuistis, vt quoad veniam A ad vos, quæ necessaria mihi scitis me vnde discam, nisi ex vobis restare, ex abditis vestræ memoriæ diligentiùs eruere, ac mihi iure charitatis & amicitiæ vltrò aperite dignemini: vt semina in me vestri figentes ingenij, frugem illius ad plurimos transmittatis. Præterea scriptor regius Bertcaudus dicitur antiquarum literarum, dumtaxat earum quæ maximæ sunt, & vnciales à quibusdam vocari existimantur, habere mensuram descriptam. Itaque si penes vos est, mittite mihi eam per hunc quæso pictorem, cùm redierit, scedula tamen diligentissimè sigillo munita. Aulum Gellium misissem, nisi rursus illum Abbas retinuisset, questus necdum sibi eum esse descriptum. Scripturum se tamen vobis dixit, quòd præfatum Librum vi mihi extorserit. Verùm & illum, & omnes ceteros, quibus vestra liberalitate fruor, per me, si Deus vult, vobis ipse restituet. Abdita in lege, & maximè Græca nomina, & alia ex Seruio item Græca, quæ initio vobis direxi, saltem nunc etiam ne grauemini explanare. Valeas clarissime præceptor, & Pater dulcissime, prosperisque perpetuò successibus polleas.

AD REGINBERTVM, EPISTOLA VI.

CHARISSIMO *& desiderantissimo Reginberto Lupus & Adalgus æternam salutem.*

GRAVITER in me Lupum literæ tuæ inuectæ sunt, quòd videlicet omni germanitate atque natura eousq; mentem exuerim, vt in felicitatem tuam saltem B consolatoriis apicibus fastidissem lenire, quando alterius subsidij conferendi nulla copia prouenisset. Vnde collegi literas meas nequaquam tibi redditas, quas per Marcuuardum Abbatem à Transrhenanis partibus ante hoc fermè triennium direxi, nec tamen illius incuria. Namque ipse, cùm te minimè inuenisset, gentili nostro Bodoni, quem nobis fidum credebat, monstratas literas tibi tradendas reliquit. Quod ille si compleuisset, cognouisses me fraterna pietate, non tua modò penitus miseratum incommoda, sed etiam recuperandæ fortunæ iam tum consilium agitasse. Verùm omittamus ista, quibus aut fraus aut negligentia detraxit effectum, præsentia magis vrgent. Hilarioris fortunæ faciem tibi aliquantulum aperiri vtcumque gratulamur, nec eius indulgentia te abuti volumus: sed omnem illius fructum in tua tuorùmque vtilitate collocare. Id quemadmodum facere debes meliùs intelliges, si tibi quæ nostra sunt innotescat. Superiore anno annitentibus amicis in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benignè omnino exceptus, & nunc, hoc est x. Kal. Octobr. Indictione prima, ad Palatium Regina, qua plurimum valet, euocante promoueo, multique existimant fore vt citò mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quòd si diuina exuberante gratia euenerit, non dubites ilicò te arcescendum, vt vna permissu Imperatoris degentes, communium studiorum exercitatione iucundissima perfruamur. Sin autem spes nostras euentus eluserit, rescribe, an velis me per amicos vt ab Imperatore locus tibi quidem reddatur in Monasterio tuo: apud me autem studendi gratia, quate- C nus vterque nostrum voluerit, conferatur. Cùm hæc ita se habeant, hortor ne diuinæ Scripturæ nulla tibi fuerit cura, cuius & vsus frequens est, & cognitio salutaris. Atque illud quæso præcipuè vt in mente habeas, firmâque semper memoriâ complectaris: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ*, & sequentia. Librum quem flagitasti misissem, nisi lator defuisset idoneus. Verùm & illum, & omnes quotquot diuinitus accepero, tecum, si vita comes fuerit, communicare desidero, tuâque non minùs quàm mea commoda indefinenter curabo. Siquidem puerilia iam deposui, tenet animum causarum amor vtilium. Ad quæ deprehendenda plurimum me adiuuari optimè de nobis meriti Adalgi germani nostri confiteor instantia, cuius nomine huius etiam Epistolæ vestibulum illustraui.

AD EVNDEM, EPISTOLA VII.

ÆQVVM ne fuisse putas, cùm te mearum rerum fidissimum fecissem custodem, si me tuarum exortem diu manere paterer? Ceterùm quanta me tui cura possideat, nedum tu nemo dubitauerit, si sospitatem nobis & quam animo præcipio facultatem Deus suffecerit. Namque quod scripsi, non eo te modo, quo

A dispofueras, apud me nunc posse studere, cùm ad me venetis, & nostra quæ literis comprehendi non possunt cognoueris, tua comprobabit prudentia. Quamquam si nulla mei status peruenerit, satius est, vt apprimè fis, & in Virgiliana lectione, vt optimè potes, proficias. Abundabis enim orio, meáque prona in te diligentiâ quàm temetipso, vt vis, magistro non tam fructuosè quàm laboriosè proficias. Domino enim largiente, & possum & adesse tibi incredibiliter cupio. Feci autem literas ad Auduinum & Eborum de tua reuersione, quam visitationis adumbraul vocabulo. Verùm deliberatio nostra, postquam veneris, manendum redeundúmne tibi sit, facilè inueniet. Præsentiam tamen tuam Kalendis Iulij, absque vlla retractatione, mihi exhibe. quam differri maximum non finit quod impendet negotium. Benè vale.

AD ADALGARDVM, EPISTOLA VIII.

SINGVLARITER *vnicéque dilecto Adalgardo Lupus in Domino salutem.* OBSEQVVTVS voluntati tuæ; quamquam grauatè, literas has ipse formaui, quæ si breuiores quàm voluisses vt erunt fuerint, tibi debebis imputare: qui à me inextricabiliter implicito, duo vno tempore eodémque angustissimo munera extorsisti. Sed ne diu temorer in talibus, intelligendum reor quod Priscianus ait in aliis non tatissimè, non absolutè quibuslibet verbis, scilicet vnde illi sermo erat, anomalis.
B Namque quòd alia penultima primæ & secundæ personæ producant, Seruius auctor est, qui in eo versu vbi Virgilius systolen fecit his verbis: *Egerimus no𝔰ti, & nimium meminisse necesse est.* r, inquit metri necessitate corripuit. Item Iuuencus, *Ne sanctum canibus dederitis nèue velitis*, licèt quidam præteritum perfectum subiunctiui & futurum differre scribant. Rarissimè autem id fieri in aliis anomalis, præter *voluerimus, ritis, ederimus, ritis*, & si quia sunt cetera huiusmodi, vt mea fert opinio, expeessit: quorum penultimas incunctanter producimus. *Doceberis* per *e*, penultimam dicendum, ipse Priscianus astruit, qui si cùm in actiuo, sic etiam in passiuo præsentis temporis declinationem dicitur docere, allotum temporum declinationem absque perfecto, & his qui ex eo nascuntur, quæ fit, inquit, secundum vnamquamque ex tribus coniugationibus. Ergo sicut præsens tertiæ coniugationis passiuum ab actiuo fit, interposita *r*, tantum vt ipse vigilanter admonuit in *e*, mutata, hoc est *legeris*, non *legeris* eodem modo, quia *docebo* seruat deductionem tertiæ coniugationis *doceberis*, actiui conuerterit in *e*. Multa ex hac & priore quæstione dici posse intelligo, sed epistolaris breuitas ea me reticere compellit. Habeo verò tibi plurimas gratias, quòd in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem. Quamquam librum, cuius mihi exinde folium direxisti, præoptarem videre. Est enim reuera venerabilis, & exactissimæ diligentiæ. Nec minus tibi gratulor pro commento Boëtii, nescio tamen adhuc an totum hic contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris. Hinc autem recastigatum in perpetuum velim, vt nihil mihi vnquam aut scribas, aut dicas ambiguum, quod tamen ipse compertum habeas, & in morem oraculorum Apollinis sententiam tuam aliqua obliquitate confundas. Siquidem neque verum Liber Tusculanarum nobis esset scriptus, neque quid Agio ageret, neque quos Libros inueneris, neque quod me satis sollicitat, verum hoc secessu emolumentum sis aliquod assecutus, expressisti. Ceterùm exercitus, & alij more tuo agunt, nec his noui aliquid accidit; nisi quòd interuentu Bosonij & Frosm. & librum recepi & in societatem obnitentibus omnibus sum admissus. Benè vale.
C

AD LEOTERICVM, EPISTOLA IX.

LVPVS *Abbas dilecto suo Leoterico salutem.* MOLIMINA hostium nostrorum, quæ literis nostris ex integro cognoscere concupisti, tam numero tàm callida támque tumentia extiterunt, vt si plenè exponeretur, Libri magnitudinem vindicarent. Vnde factum est, vt hac vice scriptori parcerem, tibi autem & quibusque beneuolis beneficij diuini seriem non quidem denegarem, sed in aliud tempus commodius vt credo differrem. Exitum tamen non tacui, propter quem & mihi & omnibus mei studiosis ingentes Deo sunt gratiæ & habendæ & referendæ. Guichardo, si cognoscendæ veritatis desiderio opus nostrum expetit, arbitror non negandum. Cauendum tamen prudenter, nedum prætendit discendi desiderium, nocendi aditum subdola mente timetur. Benè vale.

* al. MARCVVARDVM.

AD MARCVVADVM* ABBATEM PRVMIENSEM. EPISTOLA X. A

LITERARVM vestrarum non aliam, quàm fuit, esse decebat sententiam, cùm olim tantus nos charitatis feruor affecerit, vt eius refrigerandi nè parua quidem remanere posset suspicio. Res, quam secreto paruitati meæ significastis, quàm grata sit, æquis oculis, vt puto, Deus aspicit, & vobis ab eo qui pertulit fideliter exponetur. Gratias liberalitati vestræ super muneribus mihi & fratribus missis artificiosè non ego referre, cùm pro comperto teneatis, quòd sicut vestram beneuolentiam in nos singulariter experti sumus, ita priuatam quandam eius dignitatem animo speculemur. Ceterùm, vt ea quæ monuistis in me Deus operetur, vestrum erit assiduis orationibus impetrare: scilicet vt qui nostri vobis infudit curam, profectus concedat audire lætitiam. Quid super Suetonio Tranquillo, & Iosepho à vobis fieri optem, demonstrabit Egil nostrarum rerum fidus interpres. Salutate omnes Fratres ex nostra paruitate, specialitérque Gerungum, Faleoldum, & Ausbaldum*, & vt nostri benignè meminerint dignamini postulare.

* al. Ansboldum.

AD LOTHARIVM REGEM, PRO CELLA S. IVDOCI. EPISTOLA XI.

B

DOMINE præcellentissime Auguste, nos Fratres ex Cœnobio Ferratiensi, multis & maximis hoc anno pressi angustiis, erubescimus quòd totiens Celsitudinis vestræ maiestatem inquietare compellimur. Tamen recordantes quòd pro vobis fideliter orauimus & oramus, & promissionem adiutorij vestri tenentes, non desperamus nos impetraturos quod petimus. Cellam sancti Iudoci, quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatæ memoriæ pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, vt quod eleemosynæ superesset in nostrum vsum cederet. Hanc per surreptionem Rhuodingus à vobis obtinuit, nobísque legitimam donationem patris vestri repetentibus imposterum crimen inurit. Vnde petimus, vt inspecto edicto patris vestri, pro reuerentia beati Petri & beatæ Mariæ & Pauli, apud quos communem Dominum pro vobis exoramus, si hoc negotium terminare dignemini, vt non solùm inuasor Cellæ illius in præsenti iustè redarguatur, verùm etiam posteris calumniandi nos occasio auferatur. Nam & si Dominus noster pater quondam vester hoc nobis munus non concessisset, tam intentè pro vobis & laborauimus & laboramus, vt si eandem Cellam aut amplius quid à vestra excellentia peteremus, non esse nobis negandum vnanimiter confidamus. Ipse autem Deus inspiret prudentiæ vestræ, vt sicut hoc scandalum vestro tempore cœpit, ita etiam per vos firmissimum finem accipiat, vt hoc beneficio & nos & posteri nostri pro vobis, & filiis vestris nitamur eum attentiùs implorare, vósque sic tribuat imperare in terris, vt æternum regnum possideatis in cœlis.

AD PARDVLVM EPISCOPVM LAVDVNENSEM. EPISTOLA XII. C

CLARISSIMO *Præsuli Pardulo Lupus plurimam salutem.* CVM repeto memoria, intimos vos esse Regi, nihil miror quando ad fidei vestræ meritum & sine inuidia sapientiæ metior priuilegium, immò gaudeo plurimum quòd iacentes res Ecclesiasticas credo vestra industria subleuandas. Proinde fiducia familiaritatis hortor & moneo, ne perceptam à Deo gratiam negligatis. Talentum enim, vt optimè nostis, cum vsura restituendum à Domino accepistis. Ecce quanta vobis lucrandi vltrò confertur occasio. Monachi sanctæ Columbæ priuilegio & antiquorum & præsentium muniti Episcoporum, Regúmque & Imperatorum, & priscis & recentibus instructi Edictis, spem recuperationis aliquam nacti pietatis regiæ portum petunt, vbi tutum perfugium vestra intercessione cupiunt inuenire. Dignamini, quæso, legere quæ ferunt, & vt à Rege clementer audiantur efficere, & prudentię vestrę laudabili acumine ne grauemini aperire. Hij qui ante eum feliciter regnauerunt, quàm proficuum sibi & patriæ iudicauerunt, si Dei seruis postulata conce-

A derent. Ferte opem indigentibus, præstate refrigerium laborantibus, sit vestrum memoriale saltem aliquorum Dei seruorum instaurata libertas. Occupationum vestrarum intuitu parciùs rem suggero, quàm vestra mirabilis capacitas effectu tanti boni sufficienter intellectam desiderantibus patefaciat. Benignè mei memores cupio vos valere feliciter.

AD EDILVLFVM REGEM ANGLORVM, EPISTOLA XIII.

AD *laudem & gloriam Dei magnis laudibus efferendo Edilulfo Regi, omnium seruorum Dei vltimus Lupus Abbas ex Monasterio sancti Iudoci, præsentis temporis felicitatem & beatitudinis æternæ salutem.* QVONIAM regiminis vestri opinionem bonam cognouimus, & vires vobis à Deo collatas contra inimicos Christi audiuimus: omnipotentem Deum, qui easdem vires tribuit, precamur, vt contra omnes Christiani nominis hostes vos insuperabiles faciat, qui potestate sua incomprehensibili, sed tamen iusta, omnia semper dispensat. Verùm quia meam paruitatem à vestra Excellentia separat continens, obsequendo notus vobis fieri cupio, maximè postquam vestrum in Dei cultu feruorem ex Felice didici, qui Epistolarum vestrarum officio fungebatur. Præcipite igitur quicquid possibile mihi creditis, & me in omnibus
B ad famulandum paratum inuenietis. Sed vt vos ad promerendum Dominum excitemus, certandi vobis prioribus materiam ostendimus, & in præsenti speciale, & in futuro seculo mercedem proculdubio præbituram. Ecclesiam in Monasterio nostro, quod est mediterraneum, & Ferrarias appellatur, ac Betlehem à conditore impositum nomen possidet, operire plumbo molimur, post Dominum in honore beati Petri, & omnium ceterorum Apostolorum consecratam. Cuius operis si dignamini vos esse participes, precamur. Estote igitur in Dei honorem ad hoc perficiendum adiutores, non meriti nostri, sed respectu diuinæ mercedis, quia qui sine vestra largitione pro vobis intercessores sumus, alacriores erimus si vobis & nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium, munus acceperimus. Erimus tamen, sicut ante significauimus, in omne, quicquid nobis possibile iniunxeritis, parati. Omnipotens Deus ad propagationem, & conseruationem suæ fidei, vos & posteritatem vestram diutissimè regionis vestræ faciat esse participes, & quandoque sempiternæ beatitudinis heredes.

AD FELICEM, EPISTOLA XIV.

DILECTISSIMO *amico Felici, Lupus Abbas Monasterij Ferrariensis, atque sancti Iudoci, salutem.* LICET aliquot anni fluxerint, ex quo nos inuicem, largiente Dei gratia, in Monasterio Ferrariensi primò cognouimus, nec postea euenerit
C opportunitas, quod optaui, vt familiariter loqueremur: tamen quia in neutro nostrum feruor charitatis refrixit, precor vt apud laudabilem vestrum Edilulfum mea petitio vestrâ diligentiâ sortiatur effectum. Siquidem recordatur quantæ illum liberalitatis prædicaueritis, per literas flagito, vt quoniam statui Ecclesiam beati Petri principis Apostolorum in Monasterio Ferrariensi tegere plumbo, ad diuturnitatem contignationis, vt ad augmentum bonorum suorum, ex eodem plumbi metallo ad memoratum opus, quātum ei Deus inspirauerit, nobis dignetur largiri. Quod si exuberante Dei clementia, & vestra cooperante industria, obtinuero, vestræ rursum erit sollicitudinis, vt munificentiæ illius beneficium ad villam Stapulas prouehatur. Nos autem sicut & in literis præfato Regi directis expressimus, & pro illo semper orare parati sumus, & si quid possibile nobis iniunxerit, celeriter exequi. Cupio vos valere feliciter.

AD LEOTALDVM, EPISTOLA XV.

LVPVS *Abbas Leotaldo suo, salutem.* NON eram nescius te id animo continere, quod literis expressisti: quoniam penè omnia sunt mihi ac frequenter in oculis, quibus modis beneuolentiæ germanus animus sit solitus respondere. Vnde autem te certiorem fieri poposcisti indulgentia det, scias me pro tempore benè valere, meisque dispositionibus, quas iustitia semper condire cupio, nihil quod sciam obsistere. Quamobrem bono animo esto, & pro nostra communi salute hoc sancto

tempore instantiùs deprecare. Patrem patratum nomen esse gradus sacerdotalis A
existimo, cùm is qui eo fungeretur tantum venerationis à ciuibus mereretur, vt
eorum pater factus diceretur, per quem ea faciebant, quæ in Setuio legis: vt hostes,
quos viribus superare moliebantur, priùs religione terrerent.

AD ORSMARVM METROPOL. TVRONVM. EPISTOLA XVI.

REVERENTISSIMO *Orsmaro Metropol. Lupus in Domino salutem.* GERMANI mei vestrique fidissimi relatione postquam mihi vestra opinio innotuit, miro semper ardeo desiderio experiri, quod illius diligentia delectabiliter prælibaui. Maximásque sanctitati vestræ ago & habeo gratias, quod vltrò certare beneficiis non fastidistis, memoratum fratrem episcopaliter excipiendo, & benignè fouendo: paruitatem verò meam ad vestrum amorem sincerissimo affectu inuitando. Quod an pura mente depromam facilè vestra prudentia colliget, si facultatem demonstrandi diuina vnquam gratiâ nactus fuero. Interim quod iam didicimus, quantum de vobis præsumere debeamus impendio supplicamus, vt Commentarios Boëtij in Topica Ciceronis, quos in chartaceo Codice, siue vt emendatiùs aliis dicendum videtur, chartinaceo, Amalricus in armario sancti Martini habet, obtentos ab eo nobis per hunc, quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemúsque, vt cùm quilibet quæsierit cuinam præfatum Codicem commodaturi B siris, nostra nomina supprimentes, quòd quibusdam propinquis vestris id magnoperè flagirantibus velitis eum mittere respondeatis. Si autem per vos illum accipere meruerimus, optimè tractabimus, & tempore opportuno remittemus. Super vestra incolumitate, nobisque gratissima prosperitate, literis nos certiores facere dignemini, & ne aliqua ex parte ad vos frustra misecimus pariter procurate.

EPISTOLA XVII.

QVAMQVAM vasta terrarum amplitudo diuersis nos secernat locis, tamen quia charitas illius, qui per fidem facit vnanimes habitare in domo Ecclesiæ, nos concordi sociat religione: æquum est, vt quæ dictante vtilitate vicissim vobis scribimus, germana reuerentia complectamur. Itaque frater vester post longos errores ad nos deuenit, delictique sui qualitatem simpliciter exposuit, quam literis comprehendere otiosum iudicauimus, quando & rebus & verbis illius scire volentibus absque difficultate constabit. Cuius condolentes calamitati, & congratulantes conuersioni, sanctitati vestræ has tenuitatis nostræ literas destinandas decreuimus, quibus imploramus vt excessus illius vindictam nostræ deprecationi remittere non dedignemini. Siquidem remetiraris fuæ adeo dignum refert pretium, vt si qui fortè sint eius inimici, tantæ, tam molestæ, tam denique infructuosæ peregrinationis illius exsaturari possint iniuria. Perdoctorum hominum adquiescens circumuentioni, penè vsque ad vltimas Galliæ partes adductus est, omnique ope nudatus, inde ad vos magno cum rubore, vt videtis, reuertitur. Quocirca vestra C clementia nostris flexa precibus, & culpam dignanter indulgeat, & pietatis gremium ei citiùs pœnitenti aperiat.

QVIBVSDAM FRATRIBVS EX MONASTERIO S. AMANDI. EPISTOLA XVIII.

CHARISSIMIS *Fratribus Lupus in Domino salutem.* CVRAM vestri nec me cupidè appetisse, nec insolenter excepisse vidistis, quòd paruitatem meam duplici onere grauari, non prouehi facilè sentiebam. Et nunc eandem curam in promptu est coniicere, me libenter deponere, nec alicui eam gerenti aliquatenus inuidere. Siquidem & sine dolore amittuntur, quæ absque delectationis illecebra possidentur, & iuxta beatum Apostolum siue ex veritate siue ex occasione Christus annuntietur, & in hoc glorior & glorificor. Proinde videtur mihi obediendum vobis esse cui præcipitur, & ad generale Placitum occurrendum, quod in prædio quodam Parisiorum cui Bc iogilo nomen est incipiet Kal. Iulij celebrari. Sacris

A edictis Regis obniti, præsertim hoc tempore, periculosum existimo. Exiguitatem verò meam, si vita comes fuerit, absque difficultate in Conuentu reperietis. Quòd si tardiùs quàm voluissetis præsentes vobis redditæ fuerint literæ, noueritis vestras IX. Kal. Iul. mihi fuisse allatas, & meas postridie eius diei traditas. Mei benignè memores cupio vos valere feliciter.

AD HERIBOLDVM EPISCOPVM, EPISTOLA XIX.

EXCELLENTISSIMO *Præsuli Heriboldo Lupus.* QVIDAM vestrorum Monachus, cui Ioanni nomen est, nobiscum in Monasterio nostro versatur, propter quandam necessitatem à quodam Fratre nostro vocatus, à me autem postea retentus, quòd & nobis prodest, & in Cœnobio eius vt audiuimus indigentia laboratur. Quò congregari vndique Fratres vos præcepisse comperiens, celsitudini vestræ hos direxi apices, postulans vt & hunc mihi aliquandiu concedatis, & quantum audeo suppliciter implorans, vt secundum ingenitam vobis benignitatem, & impositam officij diligentiam, loco illi consulatis: ne fortè fratrum penuria, non solùm bona vestra obscuret, verùm etiam Dei nostri, ad cuius quotidie iudicium properamus, prouocet offensam, & irreuocabilem acceleret vindictam. Res Ecclesiasticæ, & animarum cura, quanta cautela tractanda sint, nec admonita vestra vi-
B det prudentia. Proinde & vobis & illis Fratribus consulite, vt & de vestra indulgentia, & de illorum subleuatione glorificetur Deus, qui singulis citò retribuet quod merentur. Valeas Domine charissime, meique præcipuè in sacris orationibus meminisse digneris.

AD ALTVINVM, EPISTOLA XX.

CHARISSIMO *Fratri Altuino Lupus plurimam salutem.* LITERÆ sanctitatis tuæ III. Kal. Maij mihi redditæ sunt, quarum sententia pronum in me tuum declarauit affectum, haud quaquam sanè aliter, quàm perceperam animo ac firmissimè retinebam. Namque cùm tam concorditer, támque iucundè, ac forsan tam proficuè aliquandiu peregrè vixerimus, quî poterat amor tam longo vsu concretus labefactari? Infirmitatem verò, quam contigisse mihi audîsti, cognoscas exuberante circa me, vt semper & in omnibus, diuina gratia detrimenti nihil, at emolumenti plurimùm addidisse. Quippe nihil incommodi propter formidinem solam tulit. Orta enim in dextro inguine pustula, impendentem solùm minata est mortem. Tantam autem orationum peperit copiam, quacumque meum fama casum dissipauerat, vt opinari audeam cum diuino mihi beneficio procuratam. Regressus à trans-Rhenanis partibus, vbi statum loci nostri deprehendi, morem
C gerere statui quibus debebam, & fauente Dei clementia, firmissima fruor quiete, otiúmque meum est mihi pergratum conducibili lectionis negotio. Vides igitur nullos me itus moliri, ac reditus. Quocirca si tibi necessarium ducis meum colloquium, adultam æstatem propter pabuli penuriam præstoleris oportet, quando non impediente cura equorum facere nobiscum dies aliquot valeas. Interim quæ ex me quæsîsti, ea duntaxat quorum videor mihi attigisse notitiam, quàm possum breuiter absoluo. Communem syllabam ex muta & liquida fieri in eis solùm, quæ per naturam breuia sunt, nequaquam dubitauerim. Primò quòd natura penè semper arti præiudicat. Deinde quod vt sentiam huiusmodi suadent pronunciationes, *peccator* creat ex se femininum *peccatrix*: *amator*, *amatrix*: *venator*, *venatrix*; multáque similia, in quibus penultima syllaba nullus vmquam dubitauit ponendum accentum. Nam si positionem sequeremur, femininum genus acuta antepenultima proferremus. Quod quàm sit absurdum, immò barbarum, quis non intelligat? Postremò quæcumque natura produxerit, nullius Poëtæ testimonio vsquam correpta reperio, quamquam diu sit quòd id vigilanter quæsierim. Videtur ergo mihi, & quibusdam doctis, eisdémque studiosissimis viris, qui mecum talia pensitarunt, *salubris*, *aratrum*, & similia, accentu penultimo indubitanter moderanda. *Bibliothecam*, quemadmodum enunciare debeamus, Martialis versu ostenditur,

Quem mea non totum Bibliotheca capit.

In versibus moralibus, quos Alcuinus dicitur edidisse, statera sic posita est:

Non tibi sit modius duplex, nec statera duplex. A
Blasphemus Græcum esse non dubitabit, nisi qui id per p. & h. scribi parum attendit. Itaque Græcus quidam Græcos *blasphemus* dicere correpta penultima mihi constanter asseruit; & ipsum Einhardus noster astruxit. Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissimè celebratur, id nomen sic posuit. -- *Diuisor blaspheme Domini.* Hinc igitur longe latéque manauit, vt *blasphemus* & *blasphemo*, accentum in penultima syllaba sortirentur. *Nundinas* in Theodulfi Carmine legi producta penultima. Quod verum eius, an præceptorum auctoritate, penes illum fides habeatur. *Loquelam* & *querelam* per vnum l, Capri orthographiam sequentes, proferimus. *Medelam* verò, sicut *suadelam*, absque retractatione diceremus, ni coniugationis similitudinem confunderet diuersitas generis, & omnium penè exemplarium non contemnenda repugnaret concordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec temerè nostrum permutemus vsum, quoad si non sufficiunt quæ dixi, vel à nobis vel ab obnitentibus aliquid robustius inueniatur. Sistrum, musicum est instrumentum, quod Isis, vt scripsisti, manu gestare fingebatur: accessus & recessus Nili fluminis, eo significans. Vnde Cleopatram Virgilius, vt commentitiam eius potestatem sibi arrogasse solita subtilitate aperiret, -- *Patrio*, inquit, *vocat agmina sistro.* *Fialas* correpta penultima eâ causa dicimus, quòd fialæ dicuntur quia fiunt ex vitro, quod Græci hialim appellant. Hialim autem habes in Virgilio: -- *Carpebant hialim saturo fucata colore.* Item apud Martialem -- *Quid tibi cum fiala ligulam committere posses.* De Cometis, qui visi sunt, timendum potiùs, quàm disserendum videtur. Et quia de his nil vsquam diuina loquitur auctoritas, id opinari, immò metuere possumus, quod Gentiles illis apparentibus vsu deprehenderunt. Hi portendere Cometas pestilentiam, & famem, & bella tradiderunt. Hinc Mantuanus vates morte Cæsaris, ac bellis ciuilibus imminentibus, inter alia quæ ponit monstra: -- *Nec diri*, inquit, *totiens arsere Cometæ.* Iosephus quoque, priusquam euerteretur Hierusalem, fuisse stellam in morem gladij per totum annum super eandem vrbem. Sed vt in spem aliquam adducamur clementiora experiendi, refert Pompeius Trogus, Mitridatis Regis futuram excellentiam Cometâ præmonstratã, his verbis: Nam & eo quo genitus est anno, & eo quo regnare primum cœpit, stella Cometes per vtrumque tempus septuaginta diebus ita eluxit, vt cœlum omne flagrare videretur. Quartam cœli partem occupauerat, & fulgoris sui radiis nitorem solis vicerat; & cùm oreretur occumberétque, quatuor horarum spatium consumebat. Vidi ego præterea hoc Aprili, post mediam ferme noctem, stellam quandam sub obscuram, quæ sub Leone posita, radium ad spicam Virginis vsque porrexerit. Quam rem aliquot dies scrupulosè obseruans, stellam eandem contemplatus sum. Sed radium deinceps non vidi: deinde ipsa quoque stella sublata est. Librum quem petisti, multi, quibus non erat commodandus, meum post reditum flagitarunt. Quare ablegandum illum aliquò, ne periret contingeret, penè statui. Hunc à me cùm veneris forsitan impetrabis. Nam huic Clerico, etsi quòd tibi fidus est, hunc committi posse videbam, tamen non satis tutò, quòd pedes erat, te non aduertisse miratus sum. Ceterùm vt me super Episcopo nostro plenè certum non reddideris, tuli molestè, quoniam nullius me causæ quantum illius fatigant. Iam verò penè stomachor, quoniam non scripsisti quid Probus noster exerceat, scilicet verùm in saltu Germaniæ disciplinas liberales, vt seriò dicere solitus erat, ordine currat. An certè inchoatam Satyram, quod magis existimo, struens, Ciceronem & Virgilium, ceterósque opinione eius probatissimos viros, in electorum collegium admittat. Ne frustra Dominus sanguinem fuderit, & in inferno otium triuerit, si verùm sit illud Propheticum: *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* Vale charissime, & in amore nostro benignè perseuera. Ex paruitate mea digneris salutare Præpositum, & congregationem vestram, & precari vt pro me, & patre meo atque matre, Dominum exorare dignentur. B C

AD IONAM EPISCOPVM AVRELIANENSEM. EPISTOLA XXI.

MOLESTE' vos tulisse mearum literarum sententiam, non mediocriter mirari soleo, cùm si ea paulò diligentiùs consideretur, non modò dignitati ve-

A ſtræ nihil detogauerit, verùm etiam detulerit plurimum: quando id quod nos magna cogebat facere neceſſitas, vt veſtra pace poſſet fieri exorauit. Tantum enim abeſt me veſtram cogitaſſe iniuriam, vt ſincera charitate optem gradum veſtrum prædicationémque vos integritate vitæ ſemper æquare: nihilque in ea prorſus apparere, quod ſanctitatis veſtræ opinionem fuſcare præualeat. Hinc fuit, quòd propinqui veſtri Agij vobis expoſui, quæ à mulris culparetur, immodicam rapacitatem: vtque veſtra id feciſſe iactabatur voluntate, cùm à vobis deinceps compeſceretur, extra illam ea omnia geſſiſſe inſpicere volentibus emineret. Et quamquam fruſtra prioris iacturæ querelam omiſerim, & de illa, quam poſtmodum intulit, impellentibus his qui maximo affecti fuerant damno, queſtus fuerim Domino noſtro; atque ille vt ea in re lex conſeruaretur, ſe velle reſponderit perſequi negotium: reuerentiæ veſtræ conſideratione deſtiti, horrantibus id clariſſimo viro Eriboldo, & venerabili Fulcone, qui mallent me maximarum rerum quàm amicitiæ veſtræ diſpendia ſuſtinere. Vt autem verè vobis confitear, quòd eupio vos epiſcopaliter accipere in vrbe veſtra, & in villulis, quas extrinſecus habebamus. Nec tantùm quidem nobis relictum eſt vnde familia viueret, agrique fœnus acciperent. Fuit autem ibi non contemnenda vini & annonæ copia, ſalis quoque aliquanrulum. Quæ vendita vt veſtimentorum nobis præbitura erant ſolatia, & in expeditionibus, quæ hoc reipublicæ turbulento tempore exiguntur, quantulamcumque facultatem argenti.

B Quarum rerum tantam nunc patior anxietatem, vt illud mihi ſolùm occurrat dicendum: *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me.* Hinc enim me fratrum vexat inopia, hinc impendenda itineribus vehementer affligit pecunia: & penè omnibus rebus noſtris vndique aut ſublatis aut deuaſtatis, nuſquam niſi in Dei amicorúmque ſuffragio auxilium valeo reperire. Ceterùm de Abbate quondam noſtro, falſa neſcio quæ vobis relata eſſe audio, & ne apud vos ea vlteriùs præualeant, quæ ſuper ea geſta ſunt, quàm veriſſimè ſanctitati veſtræ ſignifico. Dominus noſter ne in Monaſterio noſtro eſſe permitteretur, iuſſit: præfarus de eo talia, quæ melius reticentur. Id reuerſus ad Monaſterium quàm molliſſimè eidem Abbati edixi, atque illi hominibus qui eum deducerent deputatis, equis, & veſtimentis, & argento ad viatieum conceſſis, cùm iuſſu domini Regis ſecundo Kalendas Decembris promouerem, conſtitui vt intra III. Non. memotati menſis Monaſterio decederet, quòd eo die ante dominum Regem me venturum ſperarem. Quòd cùm iuxta meam opinionem feciſſem per ſolemnem exceptionem, quæſiuit quidnam de præfato Abbate feciſſem. Ego, qui crederem ſic eundem Abbatem geſſiſſe, vt nobis conuenerat, præceptum eius me ſuper eo compleuiſſe reſpondi. Accepta igitur licentia, cùm pridie Idus Decembres Monaſterio propinquaſſem, comperi ſæpedictum Abbatem ibi adhuc morari. Hinc vehementer anxius, quòd aliter Domino noſtro dixeram, aliter inueniebam: præmiſi nocte qui ei honeſtè diceret,

C vt primo diluculo egrederetur, non eſſe honeſtum vt aut ego meum differrem ingreſſum, aut illum ibi contra Domini noſtri præceptum inuenirem. Cúmque ille mandaſſet ſe in craſtinum exire diſpoſuiſſe, ne aliquam inimicis calumniandi anſam relinquerem, remandaui me non antè ingreſſurum, quàm ipſe egrederetur. Ita ille Cœnobium egreſſus eſt, permiſſis ſibi omnibus, quæ illi antè largitus fueram, & nonnullis inſuper attributis. Quam rem aulicis familiaribus meis continuo ſignificaui, & opportunè egomet Domino noſtro expoſui, & mendacia quæ inde ſererentur declaraui. Non aliter me facere debuiſſe eis concorditer viſum eſt. Viderint qui alia inde ſparſerant, an perperam fecerint. Ego certè ſimplicem in hac parte oculum habens, lucidum fore corpus meum diuina auctoritate confido. Opto vos valere feliciter, & bonis omnibus abundare.

AD HLVDOVICVM VIRVM CLARISSIMVM. EPISTOLA XXII.

QVANTVM congaudeam ſucceſſibus veſtris proſperioribus, etiam ſi non ſcriberem facilè poſſetis ex antiquo noſtro amore colligere. Illud forſitan iuſtè flagitauerim, vt veſtra Celſitudo paruitatem meam non aſpernetur, ſed olim conceſſam notitiam condeſcenſionémque retinere dignetur. Me verò nouerit in ſui obſequium fideliter præparatum. Ceterùm veſtram opinatiſſimam flagito liberali-

tatem, vt duos nostros famulos à vestris fabris, quos peritissimos vos habere longè A latéque fama vulgauit, auri & argenti operibus erudiri iubeatis, vestro beneficio nobis & vicinis nostris plurimùm profuturos. Vnde ne nostra vota nimium differentur, si quod petimus obtinere meruerimus, vnum eorum, quos dirigere cupimus, ea iam imbuendum arte procurauimus. Aurum prætereà, quod hic frater noster apud vos deposuit, eidem iubete restitui, vt opere inspecto quid nobis agendum sit æstimare valeamus. Opto vos valere feliciter, & virtutum indies capere incrementum.

AD EVNDEM EX ODONIS PARTE. EPISTOLA XXIII.

CLARISSIMIS *honoribus meritò decorato Hludouico vltimus Abbatum Odo & vniuersa Ferrariensis Cœnobij vnanimitas plurimam salutem.* QVOTIENS aliqua perturbationis vel necessitatis procella quatimur, ad beneuolentiæ vestræ portum securi confugimus: quæ omnibus ad benefaciendum exposita, neminem repellit, qui sese opem petendo ingesserit. Verùm ne vos in longum ducamus, meministis nobis Zachariam Abbatem hoc anno commissum, quando & vestra prudentia in tantùm nobis fauit, vt penè non nobis, sed aliis commendaretur. Nunc idem Abbas dominum Regem adit, quid ei potissimum agendum sit ab eo quæsiturus. Habeat igitur vestra insignis industria tenuitatis nostræ considerationem, & dignetur elaborare, vt vel ad locum vnde ad nos venit, vel ad alium quemlibet iam dirigatur, quia vt B rem vobis vti est simpliciter fateamur, non mediocriter nos grauant expensæ, quæ illius hominibus tribuuntur, vnde per vos subleuari deposcimus: vt fit, vnde aliis ad nos confluentibus hospitalitatis gratiam impendere valeamus.

ITEM AD QVEM SVPRA. EPISTOLA XXIV.

SVMMIS *honoribus dignissimo Hludouico, Odo Abbatum vltimus plurimam in Domino salutem.* AFFECTVM vestræ beneuolentiæ pronum in paruitatem meam luce clariùs peruidens, ago multiplices gratias, Dominúmque fore pietati vestræ retributorem exopto. Ipse autem paratus sum, si quid iubere vestra dignetur excellentia, fideliter obtemperare. Ceterùm, impellit me necessitas iterum vestri adiutorij patrocinium suppliciter implorare. Namque postquam vobis auxiliantibus impetrata licentia, ab expeditione Aquitanica grauatus infirmitate redij, eadem penè semper attritus, necdum reualui. Quæ res me cum aliis ad conductum occurrerem placitum prohibuit. Misi tamen homines nostros vnà cum Comite pagi, qui expeditionis officia more solito exequerentur. Vestram igitur supplicamus pietatem, vt nos offensæ metu leuare dignemini. Siquidem quamquam ad obsequendum cum aliis paratissimam haberem voluntatem, imbecillitati tamen obuiare non potui.

ITEM AD QVEM SVPRA. EPISTOLA XXV. C

OMNI *reuerentiæ apice suspiciendo viro clarissimo Hludouico, O. omnium Abbatum vltimus, & vniuersa Ferrariensis Cœnobij societas in Domino salutem.* NON sumus nescij multarum maximarúmque causarum vndique confluentium vos molibus opprimi, eísque componendis vix tempora ipsa sufficere. Sed vestræ pietati eousque confidimus, vt apud vos nostris rebus locum semper patere credamus. Explicari autem vix potest, quàm simus parati vestræ voluntati, si quid iubere dignemini, obtemperare, & condignis excellentiam vestram obsequiis prosequi. Interim quod valemus, deuotissimas preces Domino Deo nostro pro vestra salute atque prosperitate, quam & nostram ducimus, indesinenter dependimus. Vos autem accipite iterum petitionem nostram, & vt effectum obtineat quæsumus dignanter instate. Homines nostri toto hoc fere biennio aut nobiscum aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati censu rei familiaris, in huiusmodi seruitio effuso onere paupertatis grauantur. Subueniat itaque illis vestra insignis clementia, & si possit fieri, licentiam domum reuertendi obtineant, vt possint paululum respirare, atque futuri seruitij rursus impendia præparare. Ceterùm fama versatur inter nos, Clericos Palatij diuersorum Cœnobiorum sibi dominium optare: atque poscere: quibus

A nulla sit alia cura, nisi vt suæ auaritiæ, oppressione seruorum Dei, satisfaciant. Vnde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam, vt tenuitas nostra per vos esse valeat tuta. Namque quia haud procul à nobis educati estis, apud nos quoque fuistis, qualitas Monasterij nostri vos minimè latet, vbi præter studium religionis, quo sibi nomen inter alia Cœnobia vindicauit, non est quod expetendum sit ei qui se magni facit. Nisi fortè tam sacrilegus quis inueniatur, qui stipendia Domino seruientium in suos audeat vsus conuertere, & eorum inopiam suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat, vt per vos accepta securitate liberiùs pro vobis Domino supplicemus.

MARCVVARDO ABBATI, ET SVHARDO. EPISTOLA XXVI.

REVERENTISSIMIS *atque clarissimis patribus Marcuuardo & Suhardo O. sempiternam salutem.* HOMINIBVS vestris, qui ad vos proficiscebantur, opportunitatem scribendi nobis vltro ingerentibus, officium nequaquam negleximus literarum; vestrámque sanctitatem precamur vt vicissim quàm potestis celeriùs nobis literas dirigatis, vestræ sospitatis qualitatem modúmque prosperitatis conti-
B nentes. Nos autem in quodam meditullio positi fluctuamus incerti, dum deprehendere non valemus quinam potissimum regionem nostram sibi debeat vindicare. Namque sicut relatio vestrorum hominum declarauit, varia hinc fertur opinio. Tamen suppliciter vestram poscimus paternitatem, vt si consensus omnium in Lotharium pronior fuerit, & apud eum sicut optamus, & credimus, diuina vobis locum ad seruorum Dei vtilitatem concesserit clementia, memores nostri esse non dedignemini, & peruersorum improbitatem ne pigeat vos quantum potestis à nostra paruitate, opitulante Dei gratia, propulsare. Optamus vos benè valere, & lætioribus in dies augeri successibus.

AD IONAM EPISCOPVM. EPISTOLA XXVII.

REVERENTISSIMO *Præsuli Ionæ Lupus æternam in Domino salutem.* LIBRVM vestrum sicut rogastis excurrimus; sed vt parcissimè dicamus in eo mutare nihil voluimus, vt operis vestri sitis ipsi correctores, cuius estis auctores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac ordinis vestri habenda consideratio, nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari.

C

AD EVNDEM. EPISTOLA XXVIII.

REVERENTISSIMO *Ionæ Episcopo opto perpetuam salutem.* PRIDIE, hoc est, IV. Idus Augustas, post horam nonam homines nostri ab expeditione Aquitanica reuersi, cuncta prospera retulerunt. Namque Aquitaniæ tutela tripartito diuisa est secundum opportunitatem locorum, militarium virorum multitudine distributa. Quarum vni parti, quæ apud Clarummontem agit, præest Modoinus Augustodunensium Episcopus, & Autbertus Auallensium Comes, cum aliis quibusdam. Alteri, quæ Lemouicis versatur, præsidet Gerardus Princeps quondam & charus Pipini Regis, cum sociis ad idem negotium idoneis. Tertiæ verò prælatus est Reindardus Comes Ecolesnæ constitutus. Dominum autem Regem eodem die, hoc est IV. Iduum Augustarum, ad Sanctum Martinum venire nunciauerunt, inde verò eius transitum per vrbem Aurelianensium. Quod putauerim verisimile, quoniam magnæ indolis Ludouicus Epistolare in Palatio gerens officium, mandare mihi studuit, vt aut ad vrbem Turonum, aut certè Aurelianensium domino Regi occurrerem. sic temperans hortamentum, si tamen per vrbem Aurelianensium iter habuerit. Ceterùm Gumboldus & Vgo redeunt supplices ad Regem, & proprios honores recuperaturi creduntur. Ipse verò Rex VIIII. Kal. Septembris ad Carisiacum, vita comite, venire disposuit.

AD GVENILONEM EPISCOPVM. EPISTOLA XXIX. A

DVM abundante iniquitate charitas iam refrixerit multorum, & plures lætari videmus cùm malè fecerint, & in rebus pessimis exultare, quando peccatis nostris Republica dissipata impunè peruersorum grassatur insania, legúmque metus aboletur: maximo debemus affici gaudio, si saltem aliquis inueniatur, qui memor futurorum seculi fugientis contemptum pia mente concipiat, & operante Dei gratia perfectionis apicem apprehendat. Quòd mihi quia moliri visi sunt duo Presbyteri nostri, quorum alter Ardegarius, alter Baldricus vocatur, vnum eorum (nam alterum ineuitabilis necessitas retinebat) vestræ reuerentiæ direxi, adiuncto militari viro, qui eum in itinere tueretur: vt à Presbytero vtriusque desiderium agnosceretis, & nuntij nostri relatione testatior eorum vita, prior & præsens deuotio appareret. Vestra verò prudentia relinquendi suos eis titulos copiam negauit facturam, vt liberiùs & districtiùs institutionem beati Benedicti sequantur, nisi fortè nostra paruitas auctoritatem vobis depromat absque vitio posse fieri. Id tametsi nunquam in controuersiam vocatum, vel audierim vmquam, vel magistra lectione compererim, tamen simpliciter quod sentio vestræ auctoritati aperiam. Dominus Iesus diuiti legalium præceptorum sibi obseruantiam arroganti, & audaciùs quid sibi deesset percontanti: *Vade*, inquit, *& vende omnia quæ habes*, & cetera. Vbi aperuit voluntariam paupertatem fore fructuosam, si illud impleatur quod alibi docet: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*, & reliqua. Quod nusquam fieri aut tutiùs aut meliùs potest, quàm in Monasterio vbi sic libertas voluntatis propriæ pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur, vt ex arbitrio Prioris subiectorum actio cuncta formetur. Quamquam quidam nostrorum exuberante Dei gratia ingenti vigore animi consortia humana vitauerint, & præfata Dominica sententia iam impleta, solitudines penetrauerint, & constanter in Dei opere penè totam ætatem consumpserint. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laicis proposuit, absit vt summoueat Sacerdotes. Sed dicat aliquis. Quid » plebes facient, quarum ab eis fuerat canonicè cura suscepta? Nimirum qui hos ad » implendum illud vocat, quod in Psalmo canimus: *Vacate, & videte, quia ego sum Deus*, procurabit alios quos animabus gubernandis præficiat. At, inquit, quem» admodum carnalem copulam non licet resoluere, nisi causa fornicationis: ita sus» ceptam semel pastoralem curam nefas est deponere, quandiu ouium saluti consuli » potest. Concedimus, nisi fortè coniugium qui constituit ipse dissoluat, & qui re» gimen imposuit ipse, vt sibi liberiùs vacetur, id relinquere occulta inspiratione » præcipiat. Namque qui iussit, vt quod Deus coniunxit homo non separet, idémque Deus est, quotiens libuit coniugia separauit: adeò vt etiam probabiles vtriusque sexus personas optimè nouerimus, resciso carnali commercio, in sacris locis separatim Domino militasse. Iam verò de Presbyteris quid dicam, cùm nullum ferè Monachorum reperiatur Monasterium, quò non aliqui eorum seculi tumultus declinantes concesserint. Quos si perperam fecisse conemur asserere, obruemur eorundem auctoritate qui nos & sanctitate superant, & sapientiâ fortè præcedunt. Neque enim frustra scriptum est: *Timor Domini ipsa est sapientia, & redire a. m. l. t. l. g. fi. a.* Siquidem vt de coniugiis taceam, quæ ob Dei amorem separata sunt, quorum magna nobis suppetit copia, certè Ferrariensis Monasterij, cui indignus deseruio, quondam nobis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui vsque ad senium Canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est Monachicam Religionem, assumpsit, atque donec diem obiret suo passus est subiici discipulo, quem ipsius voluntate ac Fratrum consensu Imperator LVDOVICVS memorato loco Abbatem præfecerat. Quin etiam decessor vester beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæsaris iussu, & mirabili bonorum annisu, nobis, cùm esset Abbas, ablatus, & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est, ad nos immutabiliter proposuerat regredi, Episcopali cura omissa, quando hanc vitam vt credimus feliciore mutauit. Quis hos viros Canones ignorasse dicat, nisi priùs ipse desipiat? Profectò primordia fidei Christianæ recolebant, quæ beatus Lucas commendans, ostendit tunc illis omnia fuisse communia, quando postquam singuli agrorum & quarumlibet possessionum pretia Apostolis, prout cuique opus erat, diuidenda permiserant, ipsi Deo soli vacabant, & erat eis cor vnum, & anima vna in Domino. B C

Nec

A Nec ab hac sancta societate Sacerdotes exclusos inuenio, cùm præfatus Euangelista hinc etiam nos instruendos prospiciens: *Multa*, inquit, *turba Sacerdotum*. O felices, siquidem tametsi qua longissimè absumus à tàm sanctorum virorum perfectione, tamen vestigia, & quædam vt ita dixerim liniamenta formæ Apostolicæ retinemus, dum nemo nostrum aliquid sibi vindicat, nec in seculares curas dissipare animum permittitur, & orationum, & abstinentiæ legitimam constitutionem persoluere regulari rigore, cui nos sponte submisimus, coarctamur. Nec mirandum, sed episcopaliter compatiendum vobis est, si multos Monachorum experti sitis à sua professione detestabiliter deuiare, cùm & natura humana prona sit ad malum, & hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania. Ceterùm, vt mea & multorum fert opinio, nullus intra sanctam Ecclesiam ordo est, vbi certiùs promereri Dominum fidelis anima possit, quàm si monasticæ disciplinæ studeat propositum integrè obseruare. Verùm ne nos magnifacere videamur, beatus Gregorius, cuius tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, patrem nostrum Benedictum his verbis commendat. Scripsit Monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Sanctus autem Benedictus Sacerdotes suscipi in Monasterium & posse & debere ostendit, cùm quamquã non facilem, tamen eis promittat ingressũ, & retinendi officium ex Abbatis iussione præbet auctoritatem. Quod nullo modò
B faceret, si soli admittendi essent criminosi. Nam & eos quidem interdum, sed difficillimè & vehementer compunctos recipimus. Venit enim filius hominis quærere, & saluare quod perierat. Cùm igitur beatus Gregorius Regulam Patris nostri Benedicti approbat, eadem autem Regula Sacerdotes cum officio suscipiendos censet, nisi qui contentioso spiritu laborat, & susceptos iam indè ab initio nostri Ordinis esse integræ vitæ Sacerdotes in Monasterium, minimè dubitat. Quapropter vestra paternitas dignetur hæc studiosiùs pertractare, & Presbyteris ad melius de bono tendentibus non cunctetur licentiæ aditum reserare: ne fortè quod nullatenus optamus, videamini Ordini nostro prouisa cœlitus incrementa derogare, quem summi & optimi Pontifices non solùm non infamauerunt, verùm etiam vt par fuit suis & laudibus ornauerunt, & exhortationibus cumularunt. Neque enim sacrorũ Canonum suspicienda censura, quantum dispicere valuimus, vsquam nostram infirmat sententiam, quam & auctoritate diuina & præclaris exemplis roborandam curauimus. Illud potissimum à vestra eximietate obtinuerimus, ne nostram admonitionem grauemini, quam non venditandæ scientiæ studio, sed implendæ charitatis officio assumptam, & rerum pondere & stili lenitate satis, vt opinor, appatet.

AD GODESCALCVM MONACHVM. EPIST. XXX.

C NI veritus fuissem, vt me ab obseruatione charitatis auersum, nullius flecti posse precibus putando, eandem charitatem offenderes, etiam nunc silentij latebram fouens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem, duabus videlicet ex causis. Altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenij vel imminuerem, vel detraherem. Altera, vt habita consideratione illorum, quos super eadem quęstione te sollicitasse olim cognoui, mediocritatem meam non præiudicare quorundam excellentię æstimatione propria comprobarem. Verùm autem illorum colloquio & rescripto potitus, quid ego hinc sentiam desideras experiri, quoniam de eisdem quæstionibus diuersa sentire quousque contra fidem non est, aut nulla aut parua culpa est. Quid mihi sentire visus sit beatissimus ac doctissimus Augustinus, in eo loco quem enodandum proposui, non grauabor exponere. Et illa quidem prior quęstio, quam, quia nullis diuinarum Scripturarum exemplis, aut testimoniis, aut ægrè aut nequaquam definiri poterat, in medio reliquit, penitus omittatur: scilicet an in illo cunctis exoprabili fidelibus culmine resurrectionis oculi carnis aliquid sint mentis simile habituri. Siquidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis acrimonia posse apprehendere, quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ, si vel opinari possemus, esset id extremæ dementiæ. Nec tamen felicitati nostræ in illa resurrectione aliquid derogabitur, si diuinitatis excellentia carnalibus oculis conspicua non fuerit: quando nullum hoc tempore dispendium intelligentiæ nos pati sentimus, si rationem, quam mentis acumine contuemur, manu perpetua, quod est incorporea, palpare non possumus. Nec indignum aliquid nostra patietur natura, si spiritus lon-

gè ſublimiori donetur excellentia, qui iam indè ab initio noſtræ natiuitatis tantùm A
excelluit, vt & in eo, etſi aliquandiu decolor propter peccatum, ſemper tamen Dei
perſeuerauerit imago, & ab eo in vnam eandémque perſonam radacta gubernata ſit
caro. Alteram verò quæſtionem, quibus verbis idem præcellentiſſimus Auctor moderatus
ſit, vigilanter conſiderantes, eorum mentem diſpiciamus. *Aut quod eſt*, inquit,
*ad intelligendum facilius, ita nobis erit Deus notus atque conſpicuus, vt videatur ſpiritu
in ſingulis nobis, videatur ab altero, videatur in ſeipſo, videatur in cælo nouo & terra noua,
atque in omni quæ tunc fuerit creatura.* Hactenus quid hæc verba obſcuritatis pariant
non video. Quippe clariſſimus, Auctótque diuinæ auctoritatis obſeruantiſſimus,
quemadmodum ſit futurus Deus omnia in omnibus, copioſiùs explicat: ſcilicet
quòd electis diuina gratia ad angelicam prouectis æquitatem, remoto priſtinæ ignorantiæ
nubilo, ſemetipſum plenè manifeſtet, ac ſua ineffabili viſione in perpetuum
beatificet, tantáque ſuæ præſentiæ lætificet euidentia, vt vniuſcuiuſque ſpiritus
dubitare non poſſit, quin nobis & reliquis ſanctis omnibus inſit Deus, æquè cuilibet
atque alicui creaturæ: ita vt rationabilem tantummodo ſui notitia glorificet,
irrationabilem verò, hoc eſt terram & cœlum, præſens vbique totus gubernando
contineat. Ac per hoc rationabili aderit per notitiam & præſentiam, irrationabili
per ſuam præſentiam, quæ tamen longè præſtantiùs quàm nunc ad electorum notionem
deducta, vt augmentum ſcientiæ, ita etiam incrementum felicitatis facturа
eſt. Nam & nunc præſentia ſua regit cœlum & terram, cuius veridica vox
eſt: *cælum & terram ego impleo.* Sed ad comprehendendum quemadmodum totus B
in cœlo, totus in terra ſit, acies mentis noſtræ caligat: quandiu corpus quod corrumpitur
adgrauat animam, ne naturæ ſuæ vim liberè queat exercere, quod cum
totius corruptionis non moleſtia modò, verùm etiam ſuſpicione fuerit liberatum,
glorificata duntaxat non mutata natura. Neque hinc nos errare permiſit, qui ait:
Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, tantámque
cum ſpiritu, cui nunc repugnat habuerit concordiam, vt cum eo deinceps nec
velit peccare, nec poſſit. Idem ſpiritus Domino ſuo tunc verè inhærendo, vnum
cum eo effectus, intueri merebitur habitatorem ſui, ſimiliúmque creaturarum, ceterarum
verò rectorem. Hæc eſt viſio, in qua ſcilicet conſtabit & ſecura felicitas, &
felix ſecuritas. Cui videndæ oculos non corporis, ſed cordis, hoc eſt mentis, mundare
veritas præcipit: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Huiuſmodi
verò mundationem fides hîc inchoat, illic charitas conſummat. Nam quouſque
affectus noſter dicere Domino poſſit, *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper
terram?* hoc eſt quamdiu in cœleſtis alicuius creaturæ potentia, vel excellentiæ
mundanæ illecebra, & non in Domino, à quo ſumus conditi, ſpem noſtræ beatitudinis
reponimus, craſſum glaucoma noſtris obductum oculis patimur. At cùm
ſalubriter ea ſordere cœperint, quæ priùs animum noſtrum pernicioſè aut eludebant
opinionum falſitate, aut oblectabant fallaci ſuauitate: paulatim Dei clementia
fatiſcente caligine, noſter viſus recuperatur, ac diuinorum præceptorum indies
exacuitur collirio, donec depoſita mortalitatis ſarcina, ad videndum eum,
in quem tota fuerat tranſlata intentio, perducatur. Præmonſtratis verbis, ſuper
quorum ſententia, non vt voluimus, ſed vt valuimus, (res, quam ſignificant, incom- C
prehenſibilis eſt) diutulè locuti ſumus. Idem mirabilis Auctor ſubiicit, *& per corpora
in omni corpore, quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie peruenientes directi.* Hîc vel
parum ſeculari literatura imbutus, nemo dubitat à communi ſubaudiendum, &
vt videatur ſpiritu per corpora in omni corpore. Opinionem enim illam, vt videri
poſſit Dominus carnalibus oculis, niſi aliquid mentis obtinuerint, ipſe manifeſtiſſimè
remouet. Quid verò in eo voluerit intelligi, quod ait, *Per corpora in omni corpore*,
ſcrupuloſiùs quæri poſſet, niſi eandem rem adhibita quadam ſimilitudine præſtruxiſſet.
Denique præmiſit: *Vitam quidem ſuam haud dubium quin ſpiritus, qua nunc
viuit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facítque viuentia, interiori ſenſu quiſque
non per corporeos oculos nouit. Aliorum verò vitas, cùm ſint inuiſibiles, per corpus videt. Nam
vnde viuentia diſcernimus à non viuentibus corpora, niſi corpora ſimul vitáſque videamus,
quas niſi per corpus videre non poſſumus?* Siquidem hac eius tam luculenta ſententia
colligitur, quòd per corpora, hoc eſt, per corporis oculos in omni corpore, quod
idem conſpexerint oculi, videndus ſit Deus non in ſua ſubſtantia, quod priuilegium
ſpiritui reſeruatur; ſed in euidentiſſima gubernationis præſentia. Sic enim

cùm per sensus corporeos vitas aliorum in corpore intuemur, non vitas inuisibiles
A aspicimus, sed eas tamen inesse viuificationis potentia dubitare non possumus. Nec sustinebunt quicquam contumeliæ oculi, si spiritu Deum vbique præsentem comprehendenre, illi eum tantummodo in corporibus, quò direxerint aciem, quemadmodum superiùs ostendi, poterunt intueri. Sicut neque nunc patiuntur aliquid ignominiæ, cùm sensu aurium dulcissimum quemlibet sonum capiente, ipsi intra metas proprij muneris cohibentur. Hic à me monstratus intellectus capituli, omnibus te quas proposuisti quæstionũ angustiis liberabit. Inter quæ etiam oculis nihil simile mentis habentibus in quouis corpore, nec propriè, nec figuratè, Dominum fore conspicuum declarabit. Namque proprietatem eius cognitione spiritus sibi dignitas vindicabit. Quòd autem tam euidenter creaturas suas diuina reget maiestas, vt ne oculos quidem corporeos latere possit: nihil præterquam quod geritur significare, omnis qui sobriè sapit, facilè aduertit. Ad hunc enim exitum circunstantia, sine superstitione peruicacia considerata, eautum instructúmque lectorem perducunt. Quod adeò mihi constat, vt etiam beatissimum Augustinum, si reuiuisceret, aliter quemquam sensisse, credam non mediocriter miraturum. Proinde semper soluendo, & numquam persoluendo charitatis debito, te, suspiciende Frater, exhortor, vt nequaquam vltra in talibus tuum ingenium conteras: ne his vltra quàm oportet occuparus, ad vtiliora vestiganda, siue docenda;
B minus sufficias. Quid tantopere quæramus quod nobis nosse necdum forsitan expedit? Certè diuinitus illustrata mens Deo loquitur: *Oculus non vidit Dominum absque te, quæ praeparasti expectantibus te;* & nos illius ineffabilis visionis plenissimam rationem complecti animo, concretis vitiorum sordibus adhuc grauato, desideramus? In amplissimo Scripturarum sanctarum campo interim spatiemur, earúmque meditationi nos penitus rotósque dedamus, faciémque Domini humiliter, piè, ac semper quæramus, quoniam inquirentibus Dominum non deficiet omne bonum. Eius erit clementiæ, vt dum consideratа nostra conditione, altiora nobis non quærimus, nec fortiora scrutamur, nos ad sublimiora & robustiora sustollere, purgatísque nostræ mentis obtutibus, quibus videri se posse reuelauit, semetipsum dignetur ostendere. Ceterùm daturus nec ne sit oculus post resurrectionem aliquid simile, mentis eius arbitrio relinquamus, cuius iudicio & hæc & alia innumera impunè quoad mortaliter viuitur ignoramus. Quaternionem, quem reperisti, nescio quis mihi sublegerat. Verborum verò, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnibus occurrit, & eam indagare maximè causarũ moles, quibus assiduè obruor, inhibuerunt, in aliud tempus distuli. Quamquam non sim nescius, Græcorum sermonum proprietates à Græcis potiùs expectandas. Sanè si quandó scribendum paruitati meæ decreueris, obsecto superfluis aut falsis laudibus non oneres, sed magis Domino supplices, vt me semper suæ laudis auidum faciat: meæ
C verò laudis fructum in illud tempus differat, quo laus erit vnicuique ab eo.

AD GVENILONEM. EPISTOLA XXXI.

SVMMA *veneratione colendo insigni Præsuli Gueniloni, Lupus plurimam salutem.* CVM ad Regem proficiscerer, & præmisissem sciscitari, quid me facere vellet, & ipse verò præcepisset, vt festiuitate beati Martini ad Monasterium eiusdem præclari Confessoris ei occurrerem; eum verò vtilitas publica aliò traxisset: missis iterum nuntiis per amicos, obtinui cum gratia licentiam reuertendi. Cur autem, sicut constituerat Dominus noster Rex, ad sanctum Martinum non accesserit, hæc vt nuntij nostri retulere causa fuit, quòd Britanni sibi præter solitum diffidentes, Regem nostrum in Britanniam versus euocauere, vt pars quæ contra NOMENOIVM sentiebat, ad eum tutò deficeret. De PIPINO, vnde vestra quæsiuit paternitas, nihil certi in Palatio dicebatur. Leuiter tantùm fama iactabat, eos, qui nuper ab eo desciuissent, in concordiam redituros. Quidam verò de Aquitania venientes, Nortmanos inter Burdegalam & Santones eruptionem his diebus fecisse retulere, & nostros, id est Christianos, pedestri cum eis prælio congressos, & miserabiliter, nisi quos fuga eripere potuit, peremptos. In quo bello comprehensum Ducem Vasconum SIGVINVM, & peremptum etiam iurando restati sunt. Quæ res, quàm vera sit Dominica sententia, *Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur;*

& discordiam amplectentibus qui fructus maneat, manifestat. Benè vos valere cupimus. A

AD LVDOVICVM. EPISTOLA XXXII.

DESIDERANTISSIMO *suo Hludouico Abbatum summo, Lupus præsentem & futuram salutem.* DICI non potest, quanto nuper dolore affectus sim, cùm in hac Reip. calamitate feliciter fallax fama dispersèrit, vos quoque inter alios cecidisse. Hunc mœrorem nullus vnquam dies, vt verè fatear, nisi eum vltimo mihi spiritu abstulisset. At veritate comperta, vt par fuit inexplicabili gaudio exultaui, quòd is viueret, cùm quo si possem, & esset necesse, iuxta illud Horatianum, ---- *meos dimiderem libenter annos.* Immensas itaque gratias omnipotenti Domino, omnium charissime, refero, quòd te mihi seruauit: quo seruato, ipse quoque seruatus sum. Præterea Domini nostri Regis aduersitati condolens, & ereptioni supra modum congaudens, instar illius Euangelicæ viduæ, quæ duo minuta in gazophilacium misit, quidquid muneris consequi potui per vos offerendum direxi. Quod gratum ei, sicut mihi & expedire videtis, quæso dignamini facere. Ideo autem dixi illi, me totum quod inuenire valuissem fideliter misisse, quòd propter eius frequens seruitium, quod prius à præcessoribus meis non exigebatur, & propter Cellæ nostræ subtractionem, & frumenti ante inauditam penuriam, omnia iam exhausta sunt: ita vt emptitio frumento Fratres iam inter se integrè sustententur, B eodem tanta prolixitate vsque ad nouas fruges victuri. Nec suffecere quæ ad communes vsus parata fuerant, sed vrgente ineuitabili necessitate, paucissima vasa, & cetera ornamenta Ecclesiæ nostræ dolentibus omnibus distrahuntur. Quæ res quò redundet, & quantum publicam prosperitatem impedire possit, nec ammonita vestra videt prudentia. Proinde vestram supplex imploro pietatem, vt Regi meas, & Fratrum necessitates, immò iam veras miserias aperiatis: suggerentes, vt quod suo maximo periculo in beatum Petrum & nos fecit, voti memor, quò se hoc anno obligauit, tandem aliquando immutare dignetur: vt & Principem Apostolorum in suis rebus dubiis adiutorem, & nos omnes ex corde possit habere intercessores. Neque enim contemnere debet orationes seruorum Domini, cùm de vno quolibet iusto dicitur: *Multum valet deprecatio iusti assidua.* & de pluribus Domini cultoribus facer insonet Psalmus; *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Nec de nostri instauratione Cœnobij tantùm, verùm etiam de totius Ecclesiæ statu, sollicitè vobis admonendum est, ne fortè, quod absit, quam integram accepit scissam nobis flentibus, hostibus autem eius tàm occultis quàm manifestis irridentibus, relinquere compellatur. Vtinam ei non contingat, quod Dominus suis contemptoribus comminatur, *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Nec experiatur quod ait Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* In expeditione Aquitanica olim, vt nostis, omnia perdidi. Superiore annò missus in Burgundiam, decem equos amisi. Nunc nos quàm significaui premit inopia. Cupio etiam, si Deo placet, quod didici, & semper disco, docere. Quas res, præter C vltimam, (ea enim velut Reipub. inutilis iudicaretur, quæ meo iudicio ceterarum est grauissima) si me euocare voluerit ad Comitatum Regium, quæso suggerite. Quoniam nisi spoliem aliquod altare, aut Fratres importabili affligam inedia, non habeo vnde octo dies in eius possim versari seruitio, donec nouæ fruges optatam referant facultatem. Nisi autem absque periculo possitis, militatium hominum nostrorum nolo vos ocium deprecari, quamquam & illis quàm sit necessarium vltrò cognoscitis. Congratulationis cartulam, si vtilem futuram ex morum eius qualitate deprehenderitis, hoc est vt ea ad benè agendum aliquo modo incitetur, ei ex paruitatis meæ nomine tradendam curate. Sin autem, quid animo contineant vos nosse suffecerit. De annuis donis, quæ adhuc penes me habeo, quid mihi agendum sit, per meum nuntium remandate. Munusculi similitudinem, quam nimia verecundia, quòd aliud non habui, celsitudini vestræ direxi, memores primæ amicitiæ nostræ, quæso ne dignemini aspernari, exiguitatis meæ benignè memores. Benè vos valere cupio, & ad bonorum emolumentum prosperis semper augeri successibus.

A EXHORTATIO AD DOMINVM REGEM CAROLVM.
EPISTOLA XXXIII.

PRÆCELLENTISSIME Domine, etsi dicere audeam amantissime: auditâ nuper statu vestri aduersitate, ineffabili dolore distabui. Namque mecum reputabam vestræ nobilitatis indolem, quam cupio ætatis maturitate, ac sapientiæ grauitate consummari, nimis immaturè nobis ablatam. Id quia irrecuperabile videbatur, quoniam id constanter fallax fama iactaret, totum me cum Fratribus, qui mecum Deo seruire satagunt, ad impetrandam salutem animæ vestræ contuleram. Cui vehementer timebam quorundam non satis Deûm timentium persuasiones obesse. Verùm quoniam sospitate vestra donati sumus incredibili gaudiô repleti, sincera fide maiestatem vestræ Celsitudinis admonemus, vt omnipotenti Deo nobiscum maximas gratias habeatis, & referatis, qui nobis quantum se amare debeatis ostendit: cùm, vt pace cunctorum dixerim, humano cessante auxilio, ipse vos potenter & piè seruauit, & quantum de eo præsumere debeatis manifestare dignatus est. Nolite igitur casu contrario nimium contristari, sed potiùs credite veridicis verbis eius; *Sine me nihil potestis facere.* &, *Non est volentis, neque currentis,*
B *sed miserentis Dei.* &, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.* &, *Omnis voluntas mea fiet.* &, *Non saluatur Rex per multam virtutem.* &, *Non est Domino saluare difficile in multitudine, vel in paucis.* &, *Qui glorificat me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Et spreto carnalium consilio, de quibus dicitur: *Dominus dissipat consilia gentium,* &c. *Consilium autem Domini in æternum manet.* Acquiescite consilio, quod per Prophetam ipse dignatur dare mortalibus: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te nutriet.* &, *Sperantes in Domino misericordia circumdabit.* &, *Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es.* &, *Immola Deo sacrificium, & inuoca me,* &c. Præterea mementote quòd Salomon ad regendum populum Israël, cui din in maxima pace præsedit, sapientiam potissimum postulauit. Nec spernatis etiam eorum hortamenta, qui Deum ignorantes, vtilia non tam sibi, quàm nobis vidêre. In quibus inuenitur, quòd antequam aliquid incipiamus, prudenter quid agendum sit debeamus inquirere: & cùm inuenerimus, matura festinatione proficere; & quod diu apparandum sit bellum, vt celeriter vincatur. Hæc breuiter Celsitudini vestræ suggessi, vt diuina & humana auctoritate quid vobis agendum sit, indubitanter possetis cognoscere. Det autem ipse Deus, vt spiritaliter & corporaliter, quantum cupio, valeatis.

AD ALTVINVM SENONENSEM MONACHVM.
C EPISTOLA XXXIV.

VENERABILI *Fratri Altuino Lupus perpetuam salutem.* Si tanta facilitate discuti possent à quoquam, quanta mouentur quæstiones, olim ad consummatam studiosi quique sapientiam euasissent. Nunc literarum studiis pene obsoletis, quotus quisque inueniri possit, qui de magistrorum imperitia, librorum penuria, otij denique inopia meritò non queratur? Quominus indignari mihi debes, si per exiguum otij, quod mihi vix obtingit indagandis quæ nesciam, quàm ventilandis quæ iam consecutus sum iudicem expendendum. Nec, vt opinor erro, si quibus diuinó fauore viam intelligentiæ & aperui, & planiorem feci, quam præcesserit sequendi necessitatem indicam. Hoc est lectione magistra, vel vtens vel vsus, si auditoribus meis aut præsentibus idipsum sermone, aut absentibus obstinato imponam silentio. Obtinuit tamen tua instantia, vt quædam ex iis quæ studiosè quæsisti enuclearem, *Locuples* penultimam genitiui producere, sic apud Priscianum probatur in lib. v. cùm de nominibus in *es* productam desinentibus disputaret. *Appellatiua verò*, inquit, *si sint ad homines pertinentia, quæ apud Græcos communia; & mobilia, apud nos communia sunt: vt hæres, locuples.* Item in vij. penultima tertiæ declinationis quando produci debeat & corripi, mira diligentia ostendens: *Producitur*, inquit, *in his, quorum nominatiuum in longam desinit seu natura, seu positione: vt sol solis, infans infantis.* Excipiuntur in *on* desinentia Græca; & in *o* tam Latina quàm notha, quæ aliquando corripiunt, aliquando producunt penultimam genitiui. Præterea in *m*, *s*, vel *b*, *s*, *t*, *p*, *s*,

vel *x*, desinentia, quæ penultimam genitiui sæpè corripiunt. Item *par*, *lar*, *vas*, *pes*, A *Ceres*, *compos*, *bos*, *sus*, *grus*, quæ producentia nominatiuos, corripiunt penultimam genitiui. Cùm igitur producta nominatiuo, vt natura & positione, penultimas genitiuorum consequenter producanr, his exceptis nominibus, quæ longa obseruantia deprehensa notauit, quoniam, ipso teste, *locuples*, in *es* productam finitur, eodem auctore genitiuo longa penultima profertur. Quod possem etiam poëtico testimonio confirmare, nisi apud contentiosos quoque tanti viri tantum posset auctoritas. *Locupleto* autem, quod penultima producta nequaquam dubito proferendum, sicut quoniam *robur roboris* corripitur, *robore* eadem penultima correpta pronuntiatur, actiuum esse in Cicerone possumus confirmare. Qua significatione etiam in Psalmo positum canimus: *Multiplicasti locupletare eam*. Apud memoratum auctorem Priscianum, in iam dicto VII. Lib. quid sentire de pronuntiatione *mulieris* debeamus deprehendi potest. In eo enim in *ex* correptam masculina, feminina, neutra, & communia inueniri dicit: in *er* autem producta Græca masculina, & vnum Latinum, & magis nothum, atque in sequentibus. *Corripientia*, inquit, *nominatiuum, in quibusdam corripiunt penultimam genitiui, in quibusdam producunt*. Producunt in *al* & in *el* neutra, & in *ar* neutra, deriuatiua. In *or* quoque desinentia alia producunt penultimam genitiui, vt *cursor*, *cursoris*; alia corripinnt vt *Hector*, *Hectoris*; alia verò omnia, quæ nominatiui terminationem corripiunt, similiter penultimam genitiui corripiunt. Excipitur, inquies, quod simplicis declinationem seruauit in composito, quamuis corripiat extremitatem nominatiui. Ergo si *mulier* B definit in *er* correptam, vnde nulla dubitatio est, nec inter excepta ab eo est positum secundum eum correpta penultima genitiuus eius efferetur. Ad hanc rem roborandam nullum adhuc poëticum habeo testimonium. Et quoniam, vt ipse air, nihil ex omni parte perfectum in humanis est inuentionibus, ab eo forsitan est non ignorantia, sed obliuione prætermissum. Quare in vsu mutando auctoritatis meæ periculum nolo facere, donec aut mea, aut amicorum diligentia aliquid hinc si non solidius, aut euidentius valeat inueniri. *Vlciscor*, & *vindico*, cur dixerit idem auctor insignis in vtraque significatione accipiendum, idem explanat: subinferens tam pro læso quàm contra lædentem accipiendum, vnde & vindicta non solùm pœna, sed etiam liberatio accipiatur. Quamuis & ex Virgilianis versibus sensus eius in promptu sit rectè considerantibus. In eo enim quod posuit,

Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi,

Vlta pro læso facit. Læsus enim Sicharbas, siue vt poetica licentia ponit Virgilius, Sichæus à Pigmalione fratre Didonis erat, à quo fuerat morte mulctatus. Maritum autem postea Dido vlta est, non ci, vt potc qui erat extinctus, pœnam aliquam inferendo, sed Pigmalionem, propter quem scelus commiserat, pecunia priuando. Itaque supplicium de eo qui læserat, pro eo qui læsus erat, sumpsit. Ita pro læso idem verbum accipitur, quo sensu acciperetur etiam si metro permittente dicere potuisset, vindicari virum. Sequens exemplum quod est: *Nunquam omnes, hodie moriemur inulti*, contra lædentem accipitur. Cùm enim Æneas socios ad C repugnandum Græcis, qui in suam potestatem vrbem redegerant, animaret, vsus est eo verbo, vt fingit Virgilius, quo significauit vindictam & vltionem suorum gentilium qui iam occidissent, & sui antequam occidissent, viriliter à lædentibus exigendum. Illud quod sequitur tangere nolui, donec in Liuio vigilantiùs indagarem, *Propitius* & per sibilum pronuntiari etiam à non parum doctis semper audiui. Et in antiquissimis exemplaribus nunquam nisi per *t*, scriptum inueni. *Stupeo*, an conuertat in præterito *u*, præsentis in *i*, apud Priscianum non discernitur. In veteribus tamen codicibus indifferenter expressum inuenies. Patronum nostrum Episcopum incolumem esse vehementer exulto. Probum autem non tam aliquid edidisse admiror, quàm non omnibus iam scribendi materiam abstulisse. Bene vale, & pro me, patréque meo, & matre, & per te, & per ceteros amicos Dominum exotare, si me amas, quæso ne cesses.

AD EBRARDVM MONACHVM, SVVM PROPINQVVM, EPISTOLA XXXV.

Assidvis vrges me, chariſſime, peritionibus, vt antiquitatem noſtræ pro-
pinquitatis & amicitiæ ſingularis literis proſequens, ſcribam aliquid quod eſ-
ſe tibi poſſit ſi non vſui, ſaltem delectationi. Hoc forſitan dignè feciſſem, ſi cùm
opus poſtulas materiam præbuiſſes. Verùm, quia gratum tibi fore dum ſcribam,
quidquid illud ſit, polliceris, in exquirenda materia nolui me operoſa torquere
diligentia, multo minus in elegantia ſolerti verborum. Quod igitur mihi nihil ta-
le molienti occurrit extemporaliter explicabo. Reminiſcentem in his noſtris re-
gionibus ſapientiam quoſdam ſtudioſiſſimè colere pergratum habeo. Sed hinc
haud quaquam mediocriter moueor, quòd quidam noſtrûm partem illius appe-
tentes inſolenter partem repudiant. Omnium autem conſenſu nihil in ea eſt, quod
iure excipi aut poſſit, aut debeat. Quare apparet nos ipſos nobis eſſe contrarios,
dum inſipienter ſapientiam conſequi cogitamus. Etenim plerique ex ea cultum
ſermonis quærimus, & paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem,
quod longè conducibilius eſt, proponant addiſcere. Sic linguę vitia reformidamus,
& purgare contendimus: vitæ verò delicta paruipendimus & augemus. Sed cùm
omnis ſapientia à Domino Deo ſit, vt literæ diuinæ demonſtrant, ordine congruo
B eam appetamus, & proculdubio conſequemur. Id autem nobis ex diuina auctori-
tate depromitur: *Fili*, inquit, *concupiſti ſapientiam, ſerua mandata, & Dominus præbet
eam tibi.* Vbi etiam quid ſit ſapientia ſummè ac pulcherrimè definitur. *Timor Domi-
ni*, inquit, *eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* Ceterùm de his qui perperam
viuunt, & integrè loqui concupiſcunt, & corruptos ſermones quàm mores aſper-
nantur, ſic inſtruuntur. *Omnis labor hominis in ore eius, & anima illius non replebitur.*
Quia dignum profectò eſt, vt qui primas partes eruditioni tribuit, non ſanctitati,
à refectione ſapientiæ exitiali ieiunio excludatur. Quocirca ſi vigilanter poliendo
incũbimus eloquio, multò maximè conſequendæ honeſtati atque iuſtitiæ operam
impendamus oportet. Sed cùm variæ ſint ſectæ Philoſophorum, ſuo vnaquæque
genere perfectæ, quarum nulla alij præiudicat, quominus cultores ſuos in Philo-
ſophiæ ſacrarium introducat, & diſcordi concordia omnes quodammodo vnian-
tur: palam eſt propoſitorum diuerſitatem, qua pacatiſſimus Dei populus inſepara-
biliter, vt ita dixerim, ſeparatur, non officere ad benè viuendum, & vario itinere
piè venientibus matris Eccleſiæ templum eſſe apertum, quando vnicuique ordini
ſua conſtet perfectio. Quanquam id poſtremum hoc ſit certius, quo diuina prǽſtant
humanis. Itaque hortor indolem tuæ nobilitatis, vti quicunque Religionis Chri-
ſtianæ gradus præ ceteris tibi animo ſederit, ſeruata ceterorum reuerentia in eo
cooperante Domino indies proficias, & integrum te in eo exhibeas. Quòd ſi potes
C ex bono ad meliorem, atque ab imo ad ſummum euadere, id te niti ſumma inten-
tione perſuadere velim, vt laborioſiùs auctori militans, ab eo glorioſiùs coroneris.
Iacta cogitatum tuum in Domino, vt ab eo inter incerta, perperuò felicia, & felici-
ter perpetua conſequaris. Illúdque ante omnia ſemper in oculis habeas, quòd
ipſe te fecerit, quòd perditum reformarit, quòd tàm crebris, tàm copioſis, tám-
que proficuis auxerit beneficiis, vt hinc illum laudandi concepta materia, dum ei
gratias de acceptis & habes & refers muneribus, fias ad accipienda maiora dignior,
& fretus humilitate perſeuerantiam in bonis actibus (quod eſt donum inamiſſibile)
ſortiaris. Sane dum his ſtudiis occuparis, honeſtas artes & ingenio dignas nolim
negligenter prætereas; verùm poſtules earum ſcientiam ab eo, qui dat omnibus
affluenter. & non improperat, & iuxta menſuram fidei tuæ tibi haud dubiè tri-
buentur. Valeas, chariſſime, & deſideratiſſime; & longa florens ætate ſalutiferis
quotidie creſcas virtutibus, meique ſemper benignè memineris.

AD ALTVINVM. EPISTOLA XXXVI. A

SI subitaneam nobis tuam attulisses præsentiam, infertilis profectò laboris retulisses dispendium. Namque, ita me variis & ineuitabilibus inuolutum offendisses negotiis, vt vix intra multos dies vna hora vacuas tibi aures præbere potuissem. Quinetiam Abbatis absentia intentioni tuæ plurimùm derogasset. Itaque quòd & ego, quemadmodum supra expressi, sum occupatus: & Abbas vix autumno reuersus creditur, si tibi ad nos veniendum existimatis, opportunitatis vides expectandum commercium. Ceterùm germanum tuum, vt supplicasti, orationibus, quòd potero, iuuare contendam.

AD HERIBOLDVM AVTISSIODOR. EPISCOPVM. EPISTOLA XXXVII.

SVSPECTÆ mihi amplitudinis vestræ nuper missæ fuerunt litteræ. Idcircò temperandum responsione putaui, quoad rei veritatem rescirem. Nunc quoniam communis frater & earumdem litterarum fidem, & vestri status patefecit veritatem; bonæ valetudinis vobis recuperationem quàm celerrimam exoptans, breuiter litteris respondeo. Si natura memores, quæ nos arctissimo necessitudinis vinculo nexuit, pristinique amoris qui nos vnicè singularitérque deuinxit, quorum vnum est euentus, alterum iudicij, sinceram mihi beneuolentiam exhibendam decreuistis, imò quia decreuistis, locorum interstitia quæ mihi questi estis detrimento esse non poterunt. Siquidem & frequenter inuicem videre nobis facultas est, & si quis casus impedierit, literale nobis haudquaquam deest commercium, quo vicissim intentiones nostras (si vestra cousque se summittit sublimitas) familiariter possumus reuelare. Ceterùm codicem annotationum beati Hieronymi in Prophetas, necdum à me lectum, vobis morem gerens dirigo, quem vestra diligentia citò aut exscribendum aut legendum procuret, nobisque restitui iubeat. Vnde vos monendum iudicaui, ne fortè vobis in multis assiduisque occupatis negotiis, nihil vobis collatura, nobis earumdem rerum obesset dilatio. Atque vtinam altissimum diuinúmque vestrum ingenium, quantùm posset fieri à communibus auersum negotiis, ad indaganda humanæ vel diuinæ sapientiæ transferretur secreta, profectò vestra nobilitas officiique clarissimus gradus, dignum sua amplitudine cepisset emolumentum. Quod nolim eo dictum à me accipiatis, vt me in hac parte perfectum iactanter existimem, aut vobis in aliquo prorsus conferêdum, nedum præferendum opiner. Sed sicut vos conuenientibus cumulatos congratulor honoribus, ita etiam ingeniis, maximè quæ excellent artibus, ornatos nosse desidero. Caius Iulius Cæsar Historiographus Romanorum nullus est. Commentarij belli Gallici, quorum ad nos manauit opinio tantùm, extant, nec quantum ad historiam quòd compertum habeam quicquam aliud. Nam ceterarum eius rerum gestarum, postquàm idem Iulius totius penè Orbis terrarum * molibus est oppressus, Hirtius eius Notarius in Commentarios seriem referendam suscepit. Eiusdem itaque Iulij Commentarios, vt primùm habere potuero, vobis dirigendos curabo. Cupio vos valere feliciter. C

* al. causarum mobilibus.

AD REGEM CAROLVM, EPISTOLA XXXVIII.

EXCELLENTISSIMO *Domino, iudiciéque sapientium multis & maximis Regnis dignißimo, summa veneratione nominando inclyto Regi Carolo, deuotißimus per omnia Lupus.* LICET ineuitabilis necessitas me ad tempus vestris aspectibus subtrahat, sic tamen animus meus vobis agglutinatus est, vt vos, & vestra semper in oculis habeam, & vt absque adulationis fuco verum vobis confitear, vix comprehensibili amore complectar. Nam cur ab omnibus bonis debeatis amari, facilè in vobis eminet; vnde quantum capio, quantum sufficio, quantum intelligo, vobis fidelis sum. Ceterùm præsentes meas necessitates per venerabilem Ludouicum, qui vobis non minus quàm decet fidus, Maiestati vestræ notas facere studui, quibus peto, secundum datam diuinitùs vobis prudentiam, cui omnes congratulamur, piè

A consulatis: vt Dei vestrique seruitij talia nunc valeam in primordio ponere fundamenta, quæ futuri obsequij deuotis molitionibus, opitulante eiusdem Dei gratia, & vestro fauore, respondeant. Me autem noueritis quotiescumque possum Dei clementiam intentis precibus implorare, vt concedat vobis prolixam sospitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem, vitiorum odium, possessionem virtutum, sicque vos faciat regnare in terris, vt Regnum non amittatis in cœlis.

AD EBROINVM EPISCOPVM. EPISTOLA XXXIX.

CLARISSIMO *Ebroino Lupus perpetuam salutem.* CAVSAS meas Ludouico nostro significaui, quas his literis repetere superfluum duxi, cùm eas, quæ illi redditæ sunt, vos lecturos & velim & sciam. Tantum postulo, vt in omnibus ita mihi adesse dignemini, sicut me confidere illis etiam literis cognoscetis. Misi vobis eburneum pectinem, quem quæso vt in vestro retineatis vsu, quo inter pectendum arctior vobis memoria imprimatur. Benè vos valere cupio.

AD RABANVM PRÆCEPTOREM SVVM. EPISTOLA XL.

B REVERENDISSIMO *Patri, eximióque præceptori Rabano, Lupus plurimam salutem.* NON potui hactenus gratias vobis agere; tamen quantas affectu habuerim occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem si idem Deus vitam vestram produxerit, optatámque pacem reformauerit, non erit impossibile quid animo geram factis ostendere. Namque consensu Fratrum nostrorum x. Kal. Decembr. Cœnobium Ferrariense mihi commissum est, Dominúsque noster Carolus mira me dignatione fouens gratia sua donauit. Vestra igitur beneuolentia me, vnáque congregationem mihi creditam, sacris orationibus quæso commendaro dignetur; vt sicut studia mea plurimùm eruditione adiuuistis, sic officij difficultatem assiduis precibus temperetis. Ceterùm, audiui sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, & rebus diuinis solummodò nunc esse intentos: Hatoni verò nostro curam sudoris plenam reliquisse. Cuius rei ordinem, simúlque alia quæcunque videbuntur, beatitudinis vestræ literis expectabo cognoscere. Opto vos benè valere, meíque perpetuò dignanter meminisse.

AD IMMONEM. EPISTOLA XLI.

C SANCTITATIS *merito sincerè suspiciendo venerabili Immoni, Lupus æternam salutem.* EPISTOLAM vestram me quàm molliter mulcentem, amicitiæque memoriam suauiter refricantem, vt par fuit, summa delectatione perlegi, eíque sensa menti penitus illapsa diligenti memoriæ commendaui. Nam si verè, vt scripsistis, me inter charissimos numeratis, erit forsitan venerabile quod peregrinationis molestia, præsertim tot quot inueniri facilè poterant neglectis oportunitatibus, epistolari solatio me leuare spreuistis. Quanquam tanti contemptus dolorem vehementer exulceret non actum quod sæpè inter nos constitit, vt quotiescunque nancisci possetis occasionem, quæ cognoscenda mihi essent vos potissimum panderetis. Verùm hæc aliàs. Ceterùm, propitio Domino Deo nostro, sospes regressus sum, prætérque Domini ac nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunij obitum, & quorundam aliorum amicorum, non est quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediderim. Cur autem vobis significari petieritis quos libros in Germania vel scripserim vel legerim: demiratus sum, nec satis causam comprehendere potui: nisi fortè mei experimentum argutè capere voluistis, propositis duabus rebus, quarum altera si cessisset videri poterat ostentationis, altera imprudentiæ puerilis. Itaque simpliciter vobis aperio, principem operam me illic destinasse lectioni, & ad obliuionis remedium, & eruditionis augmentum, libros paucos parauisse, nec Germanicæ linguæ captum amore, vt ineptissimè quidam iactauerunt, sarcinam subiisse tanti támque diuturni laboris. Quod autem studio humilitatis me inuigilare diuinis auctoritatibus

monuistis, pergratum habeo, & velim credatis me hactenus id agere, vt quod Deus me fecit, quódque suis beneficiis donauit, totum eius gratiæ assignem, & vt ea in me conseruans amplificet, summis precibus flagitem. Siquidem ad ea quæ proposuistis, illud etiam Euangelicum adiicio: *Habete sal in vobis.* &, *Pacem habete in vobis.* & quod fere totum cœlestium conscius docet Paulus, *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nec illud me fugit, quanquam omninò me magnum non sentiam, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Ad quæ tàm multa, tàm fortia, tandémque salubria hinc teneo documenta, vt ne somniare quidem possim diuinorum beneficiorum mihi aliquid arrogandum, sed planè qui aliqua diuina eminet gratiâ, non potest effugere varias diuersorum opiniones. Quandoquidem de Saluatore nostro, in quem nulla prorsus reprehensionis cadit suspicio, *Alij dicebant, quia bonus est, alij autem non, sed seducit turbam.* Quare sapienti firmissimum erit illic ac singulare suffugium, *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Benignè mei memores cupio vos benè valere. A

AD HINCMARVM EPISCOPVM REMENSEM. EPISTOLA XLII.

NON sum nescius, cùm tantis diuinæ gratiæ muneribus abundetis, vltrò vos cogitare apud Principem iuuandi bonos facultatem diuinitus accepisse, vt quod in se non habent in vobis possideant, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. Proinde familiaritatis fiduciâ moneo, vt dum tempus habetis, vsuram talenti multiplicare curetis: vt instar Solis, beneuolentiæ vestræ splendor cunctos irradiet, nec quenquam excipiat, nisi qui superba cæcitate lucem iustitiæ aspernatur. Nobilitatem vestræ generositatis ornat eruditio salutaris, altitudinem officij commendat religio professionis. Hæc vestræ Celsitudini non arrogantiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi, vt quoniam in vobis & nobilitas & sapientia conuenerunt, quantum hæc societas valeat etiam nolentibus emineat, qui ipsa quoque lumina Ecclesiæ obscurare contendunt. Loci nostri iactura vobis nota est, vt scilicet Rex Cellam nobis nulla mea culpa subtraxerit, quam pater eius etiam edicto contulerat, quòd competisset monachicæ Religionem apud nos durare non posse, nisi facultatum fulciretur augmento. Itaque ad tantam inopiam deuoluti sumus, vt hoc anno vix duorum mensium frumenti sustentaculum habeamus. Famuli, quorum seruitio carere non possumus, penè nudi sunt, nec quid his faciamus habemus. Plerique Fratrum nuditatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur, hospitalitatē paupertate compellimur imminuere, & hoc turbulento Reipub. tempore, his expensis, quæ maiores nostri congregauerunt, à Rege clementiam, à communi Domino patientiam flagitamus. Itaque tædio necessitatum afflictus, vacationem officij, ad quod à Fratribus & electus sum, subinde cogito. Verùm ab ea, & secularium perniciosa voracitate, & impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem Fratres relinquam, deducor. Cùm enim pro viribus, immò vltra vires Regi seruierim, & pro eo semper intentè orem, non solùm vt aliquid mediocritati nostri Cœnobij conferret non merui, verùm etiam hanc notam incurri, vt partem eius optimam seculari homini traderet, non tegendam, sed euertendam. Fecerit hoc mea vilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo seruiunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos, de quibus meritò Scriptura testetur: *Voluntatem timentium se faciet.* &, *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei.* Quid si secularis illius excellentia contulit? Nunquid illi postea gentem aliquam barbaram subiugauit? aut hoc sibi diffidens Regnum composuit? At si votum, quo vobis credo suggerentibus in Ecclesia beati Dionysij se obligauit, ex integro, absque respectu vllius personæ, Deo persoluisset, immò primò consiliis, quæ in Verno quæsita & inuenta sunt, acquieuisset, iam eum in pace regnare fecisset ille, de quo sacræ continent literæ; *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Canones eosdem, siue, vt vos vocatis, Capitula meo stilo tunc comprehensa vobis direxi, de quorum æquitate credo ætas posterior iudicabit, & deuotionis meæ non erit immemor cordium renúmque scrutator. Vos autem interim mihi quæso, & quibuscumque

A similia patientibus, Mardochæi constantiam, Hester pietatem impendite; vt hostes famulorum Dei vestra diligentia, imò diuina virtute, non vt tempore, cuius mentionem facio, ad suam perniciem, sed ad perpetuam salutem vincantur & opprimantur. Benè vos valere optamus.

AD HLVDOVICVM ABBATEM. EPISTOLA XLIII.

PRÆCELLENTISSIMO *Abbati Hludouico, Lupus æternam salutem.* DEBITA dona, quæ per vos Rex iussit, direxi, quæ vt ei grata fiant, vestra beneuolentia non aspernabitur procurare. Quia verò Odulphum cum Regina ad Regem venturum audiui, supplico vt memores nostri esse dignemini, scilicet vt Cellam nostram, in qua præter solum nihil penè aliud iam relictum est, tandem aliquando recipiam, quia eam nulla culpa mea perdidi, nec eas facultates noster habet locus, vt sine præfata Cella in eo durare possit religio. Namque inde cera Ecclesiæ, fratribus & famulis vestimenta, pisces, caseus, & legumina ministrabantur. Quibus omnibus vtinam non ad duplum detrimentum Domus* nostræ gementes careamus. Admonete igitur eum sui periculi, vt & sibi & nobis aliisque similiter à se afflictis consulat, nec timeat Dominum nostra consolatione placare, quem non timuit acerba oppressione offendere. Siquidem generalis religiosorum adsertio est, præter vindictam vltimam, quæ impendeat, nunquam eum felicitatis optatæ prosperitatem adepturum, donec redintegret Ecclesiam, quam diuisit, & grauibus ac maturis B bonorum, hoc est, Deum timentium consiliis adquiescat. Benè vos valere cupio.

* al. Domini nostri.

AD HINCMARVM. EPISTOLA XLIV.

SVMMA *veneratione suspiciendo Hincmaro Antistiti, Lupus omnimodam salutem.* EFFECTVM petitionis meæ nuper à Rege vestra digressio impediuit, quam vrgente necessitate his literis refrico, vt mea saltem importunitate, quæ ipsum quoque ingenuum pudorem excludit, vos ad subueniendum mihi & aliis eadem patientibus impellam. Neque enim congregandi auri, argentique, ac aliarum pretiosarum specierum sublatam nobis dolemus materiam: sed vnde vitam mediocriter sustentabamus, hoc est, vnde vestimenta, & alimentorum consequebamur omni tempore adiumenta. Cogimur itaque attrita & resarta ferre vestimenta, & famem penè semper solis oleribus & emptitiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi, apud nos consueta requirunt, nec inueniunt. Hospites præsentia tempora infamant, & Deus ad vindictam sine dubio prouocatur. Verùm quia sicut priori Epistolæ non adulatoriè, sed seriò comprehendi, totius Ecclesiæ causa vos dignitate ornatos, & familiaritate Principis donatos credimus, idque rebus cupimus approbari. Dum adesse Odulphus dicitur elaborare dignamini, vt se Rex tanto peccato exuat, & nos tam ingenti penuria liberet, ne tàm eùm nostra oratio C subleuet, quàm afflictio importabilis deprimat. Siquidem vestra suggestione institutus, magnam potest habere opportunitatem, vt quod perperam fecit immutet, scilicet si secularibus, quibus res Ecclesiasticas impertitus est, enumerer, quæ seipsum & illos pòst consecuta sint incommoda, & iratum Deum non nisi sua ei restituant esse placandum. Nec aliter eos virtutem & consilium recepturos, nisi ex corde ad ipsum Deum reuersi, rapinis abstineant, & suæ imbecillitatis conscii, eius omnipotentiæ se submittant. Quod nisi facere Dominus noster Rex accelerauerit, & trepidauerit, vbi non est timor, vltra quàm dici potest formido, ne citissimè suis inimicis gaudium paret exoptatum, nobis autem vnicè se amantibus opprobrium derelinquat. Benè vos valere cupio, & in dies ad meliora proficere. Imitatus veteres eruditionis artificio, etiam nunc nostra recuperare molitus essem, nisi hoc frustra tentans experimento proprio comperissem: & iam si Virgilius reuiuisceret, & totas tripertiti Operis vires mouendis quorundam cordibus expenderet, nec lectionem quidem præsentium adepturum.

AD DOMINVM CAROLVM REGEM. EPIST. XLV.

OMNIPOTENTIS Dei quæso recordamini, qui gratis dedit vobis vitam, nobilitatem, pulchritudinem, potentiam, laudabilémque prudentiam: & quod maius est omnibus, sui cognitionem. Et honorate eum in seruis eius, quia

ipsi vtpote habenti omnia, conferre nihil potestis. Polliceri dignatur ille, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Estote nobis nimium indigentibus misericordes, vt pro nobis beatitudinem misericordium ipse vobis restituat. A
Plus minúsve quadriennium est, ex quo L X X I I. Monachi, quos ad eorum votum electionémque mihi commisistis, quique indesinenter vobis in diuersa occupatis, pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, ac piscium indigentiam. Et publica hospitalitas peregrinis, iuxta constitutionem priorum Regum, exhibenda intermissa est. Famuli Monasterij squalore torquentur & frigore, nec possunt subuenire miseris, quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est, & copia vnde sustentabantur ablata. Siquidem intercedente gloriosa matre vestra, serenissi. pater vester Ludouicus Augustus ad remedium animæ suæ, ac salutem posteritatis, supplementum hoc Cœnobio nostro contulerat. Nec tamen cùm id haberemus, noxia diffluebamus abundantia, vt in delitias intemperanter solueremur: quia, quæ Regula concedit, integris facultatibus Monasterij vix poterant procurari. Nunc autem longè pauciora consecuti, abstinemus inuiti, algemus coacti: pueros, senes, atque infirmos propter inopiam non fouemus. In tanta calamitate patri & matri vestræ quotidianas preces & annuum officiũ persoluimus, quasi quod illi contulere possideamus. Fecerunt enim illi totum quod potuerunt, & donum suum robustissimè firmauerunt. Tangat itaque vos affectus eorum, per quos esse cœpistis. Instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenus intermissam, nec obliuiscamini nostri. Etenim vos iam eleemosyna indigetis. Tempus est vt Dei timor B
atque amor vestram compungat mentem, quia iam peruenit corpus ad virilem ætatem. Nec differatis quæso vlteriùs bonum, quod vos velle dicitis, quoniam cùm nesciatis quid superuentura pariat dies, tamen quia nobiscum quotidie ad eius iudicium tenditis, cui verissimè dicitur, *Tu reddes vnicuique secundum opera sua,* dubitare nequaquam potestis. Horribile est autem incidere in manus Dei viuentis. Nec verò dicere dignemini vos non posse. Siquidem, vt ait Apostolus, *Deus non irridetur.* Scit ille quantum potestatis contulit, qui non nisi quod iustum est exigit, nec trepidetis timore, vbi non est timor. Audete potiùs benefacere, si in hac vita prosperè, & in futura feliciter desideratis regnare. Cur enim non constanter audeatis immutare, quod nullus iustum esse possit ostendere? Consensu bonorum omnium iustum est quod poscimus, possibile regali potentiæ, necessarium nobis, vtile non tam nobis quàm vobis. Nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur vsum, vos autem accedentibus aliis bonis, præmium sempiternum. Flectant igitur pietatem vestram iustissimæ supplicationes, humillimæ preces, quas maxima extorquet egestas. Et vt nunc perficere dignemini, quod tunc firmissimè concessistis, cùm vobis Dauidicum illud seruandum proposui, *Fixum est quod loquutus sum.* Namque nec aliter decet vestram nobilitatem atque probitatem, quæ omnibus imitabilis esse debet, nec verò aliter conuenit vestræ saluti atque Reipub. paci. Nos autem nec in debito famulatu reddendo inueniemur segnes, & in placanda vobis quantum poterimus diuinitate curabimus esse feruentes. C

CVIDAM NECESSARIO. EPISTOLA XLVI.

IVSTA copiosáque suppetente materia, ne dubitetis tu & quos fideles iudicasti perfidi commenta subuertere, qui impudentia singulari & beneficiis meis vt in Monasterio nostro subsistens vtitur, & lacerare non desinit à quo fouetur: itaque opertus ignominia, & refertus inuidia, vnde se non valet expedire, me conatur propellere. Et quia fugit eum optata victoria, mirabili amentia ferere infamiam delectatur: illi similis, qui quod se nequaquam recuperaturum cognoscit, amoliri ab aliis non quiescit. Cur autem eum non constantissimè inuictis & insolubilibus argumentis opprimatis, quem iuxta fidem diuini oraculi anima Dei detestetur, quod humana diuináque iura permiscens, seminet inter eos discordias, quos vel natura protulit, vel religio fratres fecit? Tu verò nullis omninò maleficiis à loco nostro auellaris, quod ope diuina nec illud continget quod formidas, & eueniet citò quod optas, consequentérque securi studebimus. ita mihi iam explorata sunt omnia. Demosthenes noster ipso interdum caule indiget, & cibario nonnumquam pane

A pane altus fert modicè: desperatione quoque vini ad hoc perductus est, vt venali ceruisia delectetur, & vel in hoc Tullium superat, cùm quod ille dormiens, id iste vigilans patitur. Ita nec lateribus robur comparatur, nec vocis conseruandæ cura laborat. Rhetoricæ magis actionis immemor, retinendæ vitæ facultate contentus est. Verùm enimuerò auctor bonorum omnium nostram & vestram inopiam larga, vt credimus, opulentia abolebit.

EIDEM. EPISTOLA XLVII.

NON est quicquam quod metuas. Nam & domestici & extranei hostes, tametsi plurimùm sibi, nihil mihi oberunt: quod protegere meam paruitatem dignabitur, qui me tibi iussit & dedit confidere. Proinde irridenda omnis illorum molitio est, qui vel implacabili cruciantur inuidia, vel inexhausta cupiditate torquentur.

SAR. EPISTOLA XLVIII.

CONTENTIONIS obstinatione posita, & superandi peruicacia æquus æstimator necessitatum, vide vt affluens annonæ copia, quam tibi commisi, prosit
B vtilitatibus nostris. Namque sationi & animalium pabulo, & cuius ingentem te habere curam desiderò, iustæ hospitalitati adhibita diligentia, non dubito superfuturum quod præstare non mediocre commodum possit.

AD HINCMARVM EPISCOPVM. EPISTOLA XLIX.

SVSPICIENDO *Antistiti Hincmaro, Lupus omnimodam salutem.* ANGVSTIAM nostram, quæ temporis cùm prolixitas, tum etiam asperitas pepetit, nuncius à me directus vobis exposuit, nec aliud in paternitate vestra, quàm quod de ea præsumebam, inuenit. Sanè priores certauimus officio, nec tantum poposcimus quantum præstitimus, scilicet implendæ materiam charitatis. Itaque nobis omnium, quorum indiget vsus, penuriâ tamdiu laborantibus, magna properantia subuenite, vt promissionum beneuolentiam optatus largitatis consequatur effectus. Hospitamur autem in villa, quæ antiphrasticôs Viniacus vocatur, & ab Attiniaco in Africum plus minusve vno miliario distat. Hoc ideo vt etiam de vectura cogitet vestra insignis prudentia, quòd huius quoque rei nulla nobis facultas est, quò, & quanto, & quando vos ituri sitis; litteris per hunc latorem vicissim redditis pandere dignemini: vt interim & quando, & quid nobis agendum sit, valeamus prospicere.

C

CVIDAM FIDO. EPISTOLA L.

NON ignotas prolixi temporis laborem, quem recuperandæ Cellæ studio assumpsi, quo adhuc flagrans iussu Regis vita comite ad colloquium proficiscar, quod Reges ad Traiectum habituri sunt, pecunia nobis iam nulla est, quæ tanto spatio vix potuit sufficere. Proinde quia non videbatur consilium imperfectos conatus relinquere, donec euidenter appareat qui eos consequatur effectus: non vsquequaque inhonestum credidi, opem ab amicis petere, quorum fides mihi non fluxa in similibus inuenta est. Itaque maxima spe ad Dominum Rhodingum direxi, cui cum nostro nuntio, aut si commodiùs iudicaueris, separatim huius meæ necessitatis volo causam aperias, eámque quàm mollissimis precibus flectas, vt sicut semper nunc mihi subueniat, & continuò per hunc meum nuntium argento, quo in hoc vtar itinere, iuuet me liberaliter: vt & in Cœnobij nostri, pro qua satagimus, instauratione particeps existat, & me sibi deuotiorem, si id fieri possit, efficiat. Si quid etiam ab aliquo tibi datum habes, mihi mittere ingenti necessitate Arentalo * ne graueris. Quoniam nihil tam pretiosum aut paruum dirigere poteris, quod non patiamur pro victu expendere. * al. Aratto.

FRATRIBVS FERRARIENSIBVS. EPISTOLA LI. A

DILECTIS *Fratribus, quòd gaudium capiant de R.* Si forte vestrûm aliquis ambigit, repetat illud memoria quod auctoritas diuina, neque rapaces regnum Dei possessuros, affirmat, & vltra dubius esse non poterit. Præceptor verò eius ne se insolubile argumentum reperisse glorietur, accipiat omnium villarum nostrarum meum, inquam, esse regimen & laborem, vsum verò fructuum ipsum etiam secundum meam dispositionem fratrum esse communem. Ita nec secularem Religio minuit potestarem, nec potestas confundit Religionem. Interim prospicite nostris equis, ne à magistro aut à discipulo subtrahantur, & absque vllo in hac parte meo respectu, quidquid secundum leges valetis, contra violentiam peruasoris agere contendite. Industriam vestram hoc mihi gratiorem scientes futuram, quo maior & illustrior fuerit, mihi potiora molienti quod opportunitas hinc, imò Deus permiserit, curæ erit perficere. Ego quoniam cum Rege ad Traiectum, Deo volente, iturus sum, quo ei ad colloquium Fratres occurrent, & recipiendæ Cellæ bona mihi spes est, nec possum adesse vobis, vt vnusquisque vestrûm agat mecum quod solet & debet. Sicut superiore anno conuenit nobis, qui potest agere studeat, quousque rediens si aliquid sit immutandum cognoscam. Satio studiosissimè procuretur, & quod nostri boues post solemne debitum non suffecerunt, frequentes implcant corrogationes. Benè vos valere cupio, & diligentissimè orare pro nobis. B

PRÆPOSITO SALVTEM. EPISTOLA LII.

FRATER noster probabilia fecit quæcunque abs te gererentur, quod mihi cordi fuit: moneóque te, vt sicut cœpisti in officio sincera fide permaneas. Furiosum illum, super quo scripsisti, quia etiam pœnitens suspectus mihi est, & germana sanctitate vsque ad fastidium satiamur, vehementer me recusaturum cognosce. Ac si se iniecerit, ne tridui moras excedat, ceteris persuade: quia quod toleremus, non opus est nobis extrinsecus quærere.

AD REGEM CAROLVM. EPISTOLA LIII.

PRÆCELLENTISSIME Rex, licèt tacendo, loquendo, ac scribendo, nihil hactenus profecerim, tamen quia Dei causa est quam ago, quiescere non audeo. Pro vestra salute ac prosperitate vos admoneo, & supplex flagito, vt vosmetipsos liberetis periculo, méque deuotissimum vobis famulum, secundum frequentes vestras promissiones, asperrimo subleuetis labore. Quæ beatæ memoriæ pater vester, intercedente gloriosa matre, peregrinis, & Dei seruis largiti sunt, ob redemptionem animarum suarum; hæc afflicti variis necessitaribus, quatuor annorum spatio, quia omnes adesse non possunt, per me reposcunt à vobis, vt ipsa etiam eorum verba sciatis. Dicunt iniustum esse, vt à vobis fame torqueantur, & frigore; cùm assiduè pro vestra temporali & perpetua salute cogantur orare, nec vos omninò consecutuos felicitatem quam desideretis, donec cum paruulo nostro sancto Petro in gratiam amicitiæ redearis. Ac ne putetis eos iocari, seriò confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris à senibus esse traditum, quòd quicunque Monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi citò resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium. Ne igitur tali re aut similibus vestram impediatis prosperitatem, nec seruorum Dei penuriam contemnatis, nec salutem vestram dubiam faciatis, reddite potiùs Deo vota vestra, dum potestis, ad cuius iudicium nimis tremendum quotidiè properatis nobiscum, in quo absque respectu dignitatum, aut personarum, vnusquisque recipiet quod meretur. Vita hæc breuis, & incerta est, & iuniores vobis quotidie moriuntur. Ipse verò Deus promittit & minatur, *Qui glorificat me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me*, &c. Ad virilem ætatem perducti estis, ne timeatis iustitiã facere, vt per eam thronus vester firmetur. Domine mi Rex considera, quòd sicut nuper in exhortatione prudenter dictum est, iam pareres, & in magnis adhuc versaris laboribus: & talem te omnibus exhibe, vt boni te cupiant & optent videre fortunatum atque felicem auum, & post huius vitæ transitum, cœlestis patriæ possessorem. C

A NECESSARIQ. EPISTOLA LIV.

NON ignorabam haud aliter te quàm volebam, quámque oportebat facturum, & maleficia illius perditissimi maxima ingenti auctoritate præuenturum. Vnde & tibi gratulor, & omnipotenti Deo, si non dignas, certè quantas possum & ago & habeo gratias, qui sic me necessarius aliqua in parte destituit, vt tamen hoc dispendium fidissimi deuotione suppleret. Nec verò ille impudenter inimicus solùm cauendus & eludendus est, verùm & hi, quos nuper dubitando præfeci, tua semper industria confirmandi: vt dicto audientes existere contendant, nec sibi vlrà tenus reniti tutum arbitrentur. Vultus noster cùm redierit forsitan tibi metum detrahet, interim sine panere ingratos.

AD MARCVVARDVM ABBATEM PRVMIENSEM. EPISTOLA LV.

DESIDERABILI *maximáque veneratione suspiciendo Marcuuardo Abbati clarissimo Lupus præsentem & futuram salutem.* NITHARDI aduentus ad Siluacum, quò me Monasterij necessitas traxerat, vehementer me lætificauit, cuius præsentia factum est, vt hæ litteræ vestræ paternitati redderentur, cùm vos esse sospites, & B communem filium Eigilem ex validissima infirmitate, opitulante fauore diuino, reualuisse ostendit. Tantam siquidem expertus sum vestram beneuolentiam & liberalitatem, vt nemini, quàm vobis, me maiorem debere sentiam deuotionem. Verùm quamquam temporis malitia obstiterit, ne possem hactenus obsequiis pandere quod meritò concupisco, bonitate vestra præsisus, audeo supplicare, ne ad Regem nostrum venire grauemini, quia & res vestras forsitan recuperare poteritis, & nobis in recipienda Cella sancti Iudoci prodesse plurimum, super qua & vobis iam & mihi sæpissimè, & Ludouico nuperrimè tàm seriò promisit, vt si adesse dignemini, dilationis nullum possit inuenire perfugium. Ita & rei discrimine terrebitur, quòd & peregrinis nobísque Monachis à suo patre & matre relicta stipendia sustulit, & promissorum suorum serie constringetur, vt saltem tunc faciat, quod olim se facturum spopondit. Pridie Kal. Decemb. ad comitatum accessi, & ingentibus dispendiis atque laboribus cum Rege versor, assiduè spes meas differente, propter absentiam, vt fatetur, Odulfi, qui languere dicitur, nec tam periculosè vt vel admonitus corrigatur, quod optaremus; nec tàm grauiter vt moriatur, quod propter eius certissimam damnationem doleremus. Properate itaque, vt quoniam propiores aliquantulum facti sumus post tanta spacia desideratis refoueat alloquiis, & vestro annisu, auctore diuina gratia liberer angoribus vix ferendis. Tales quæso nostris estote pueris, quales non modò nostris, verùm etiam vulgo fuistis omnibus paternitatem vestram piè quærentibus. Exiguitatis meæ nomine charissimum C Eigilem, & reliquos omnes fratres dignamini salutare. Laboriosissimum difficillimo tempore negotium, præsertim nihil meritus vobis imponere haudquaquam præsumpsissem, nisi quòd Rex noster vos ad colloquium inuitaret compperissem. Adeò vt mihi quoque hoc tempore præceperit vt si fortè ad Monasterium nostrum accederetis, ad se vos deducendos curarem: vtque licentiam impetraturi inter alia commodè Imperatori suggerere possetis, à me fratribúsque nostris, qui pro eo semper oremus, vos precibus fatigari, vt quoniam de loco nostro siris, à quo vos corpore duntaxat Ecclesiastica vtilitas abduxerit; isque diminutione facultatum vehementer attenuetur, atque religioni paupertas impedimento sit, intercessionis opem instaurationi eius impensissimo studio conferatis. Vale Domine paterque charissime, Lupique tui semper benignè memineris.

RATBERTO ABBATI. EPISTOLA LVI.

BONIS *omnibus amplectendo Ratberto, Lupus in Domino salutem.* HABITA diligenter opportunitatis ratione, suggessi domino Regi, annitente Vulgefizo nostro super Fuone; id vos postulare, vt quoniam nec ad Monasterium remeasset, & verisimile esset eum quæ fuerit solitus iterare, si quando reuerti tentaret, ne in sui aliorúmque perniciem potestatis eius præsidio muniretur. Siquidem esset indignū

eius maiestate nisi resipiscentibus perueniri aperire accessum, nedum impunitatis A
indulgere securitatem. Ille quo solet vultu cùm gratiosus apparet, prius quædam alia iure se, ipsi Monachio deinceps negaturum auctoritatis aditum respondit, quo hactenus vti contempserit, atque hoc sit satius videri ne peteat, vt constringatur conuenienti custodia, priusquam societatis communionem recuperet. Nos verò tametsi offerret quæ sperare vix omninò possemus, idque vt par erat amplecteremur, vos nec citra decretum regulæ subsistere, nec vltra velle progredi constanter astruximus. De liberalitate vestra quid sentiam, nolui præcipiti declarare præconio, donec experirer in copia piscium quæ ventura erat, cùm maxima tum etiam vt opinabar optima, mei supergrederetur ingenioli facultatem.

EIDEM. EPISTOLA LVII.

DILECTISSIMO *Abbati Ratberto Lupus omnimodam salutem.* QVOD flagitastis exequi absque dilatione contendi, euolutisque ratiocinationibus multis, ad hanc virum compuli conditionem, vt non modò noceat nihil, verùm etiam prosit plurimum, si erga eius propinquum, qui tempore tumultus discessit, & instaurata pace reuerteretur, benigni extiteritis. Id vos & libenter facturos, & etiam in omnibus quæ iubere dignaretur obsequuturos, dum eius gratia frueremur, fiducialiter spopondi: atque eò vsque institi donec firmissimè promitteret, nihil se vobis B
effecturum, nisi priùs mecum causam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc fine terminaui, vt si quando rebelles eius fauore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgò adquiesceret, verùm res duntaxat dignas vestræ conscientiæ reseruaret. Quædam alia comperi tam cautè reuelanda, vt ea literis comprehendere tutum non putauerim, támque necessaria cognitu, vt quàm potestis celeriùs prætenta qualibet alia vtilitate, mihi ad colloquium occurrere debeatis. Ceterùm, nisi iam molestum sit, profecturo mihi cum Rege si Deus vult ad Siluacum nuncium dirigite, vt cum gratias agere cœpero, vberiùs dicendi copia frustra conantem plurima non destituat. Vt verò epistolam seriò claudam, obsecro ne sim vobis oneri, quòd nimiæ familiaritatis fiducia multa postulo: quia si vitam & prosperitatem Deus mihi concesserit, non sum nunc ad accipiendum paratior, quàm quondam ad largiendum esse curabo.

EIDEM. EPISTOLA LVIII.

QVOD petiistis nec dum Regi suggessi, quòd oportunitas defuit. Maturabo tamen vobis, cooperante Domino, morem gerere, communi honestate seruata. Benè valete.

AD MARCVVARDVM ABBATEM. EPISTOLA LIX. C

NON ignoratis, credo, Reges nostros apud Traiectum hebdomade secunda Quadragesimæ celebraturos colloquium, quò me trahit Ecclesiástica necessitas. Qua vrgente, vt vobis iam aliis expressi libens, cum Rege quartum ago mensem, ita vt ne die quidem à comitatu abfuerim. Præbeat igitur se mihi saltem illic desiderabilis vestra paternitas, vt nostra familiariter viua tandem voce valeamus cognoscere. Si quid prǽterea, vt passim soletis, omnibus nobis quoque facultas fuerit impendere, libenter nos accepturos cognoscite. Debent enim parentes thesaurizare filiis, vt fallere nescia diuini spiritus confirmat auctoritas. Benignè mei memores, cupio vos valere feliciter.

AD EVNDEM. EPISTOLA LX.

CHARISSIMO *patri Marcuuardo Lupus.* OFFICIOSA humanitas vestrâ vicit petitionẽ meam, quæ leuiter tetigit quod temporis poscebat necessitas. Proinde fuit ea gratior, quàm æstimare valeant ærumnarum experres. Molestissimè autem fero, quòd vobis non visis discedo: quanquam consolatur meam mœstitiam, quòd post Pascha nostram vos visitaturos pollicemini paruitatem. Commodè

A autem & me præsente id vos facturos puto, si secunda hebdomade mensis Maji iter ad nos arripiatis. Nam quinto decimo die post Pascha Synodus magna, vt aiunt, apud Attiniacum celebrabitur, cui me abesse nequaquam, vt credo, nostri Præsules patientur. De Cella nostra nihil aliud paternitati vestræ possum exprimere, nisi quòd promissionum vbertas spes nobis varias pene quotidiè pariat, & quòd sicut omnium propè malorum, illius quoque rei effectus incertus sit, Abbas Monasterij quod Germanicè *Saligstat* appellatur, cui nomen est Ratlegio, partem quandam euiusdam libri faciet mihi describi, eámque vestro mihi reddendam nuntio se traditurum promittit, atque obsecrat vt tabulas, quas Hilpius pictor beatis vouit Martyribus, hebdomada secunda post Pascha ipsi dirigere dignemini. Quod etiam causa petitionis meæ vos maturare cupio, vt cùm ad nos veneritis, præfatam partem ipsius libri nobis adferendam curetis. In pueris multum nobis præstiteritis, si quod cœpistis paterna pietate non grauemini consummare. Capitis autem dolorem nepoti meo parcitas potus forsitan detrahet, si eius appetentior fuerit deprehensus. Alioqui nostro curandus reseruabitur medico, qui omnes, quarum nullam non ignorat, depellere se posse confidit infirmitates. Integerrimè vos amans felicissimè valere desidero, & vt me semper apud Dominum præcipuè iuuare dignemini supplex efflagito.

B

AD GVIGMVNDVM EBORACENSEM EPISCOPVM. EPISTOLA LXI.

REVERENTISSIMO, *magnáque veneratione suspiciendo Guigmundo Eboracensis Ecclesiæ Antistiti, cunctísque sub eo Domino Deo famulantibus, Lupus Abbas, & vniuersa Cœnobij Ferrariensis congregatio in Domino salutem.* INGENS fluxit spatium temporis, per quod turbationibus variis crebrescentibus, societas, quæ à præcessoribus nostris, auctore Domino, inita est, nulla præter orationes protulit indicia charitatis. Nunc autem aperiente se gratia pacis, & recepta Cella sancti Iudoci, vnde & hæc scribimus, curauimus vt par fuit priores certare officio, vósque siue ad reperendam siue ad declarandam amicitiam prouocare. Ac primùm illud ante omnia supplíciter poscimus, vt & in priuatis & in publicis precibus nostri memores esse dignemini. Deinde volumus vt vicissim nobis præstare studeamus quidquid gratiosum fore literis vtrinque directis constiterit, & facultas permiserit. Maturate igitur vestram nobis pandere voluntatem, vt & ad morigerandum vobis continuò præparemur, & fructu dilectionis Dominus Deus noster glorificetur ac delectetur. Cupio vos valere feliciter, amantissimi Patres.

AD ALTISIGVM ABBATEM. EPISTOLA LXII.

C VENERABILI *Altisigo Abbati, Lupus Monasterij Bethlehemitici siue Ferrariensis Abbas in Domino salutem.* INGENTI clementia Dei nostri discordiæ peste mitigata, quæ totas Gallias Germaniámque hactenus vexauit atrociter, inter ipsa pacis exordia fœdus, quod inter nostram vestrámque olim fuit Ecclesiam, directis ad reuerendum Guigmundum Episcopum literis, studui renouare. Quia verò vos amore sapientiæ, cuius & ego sum auidus, flagrare comperi, vel secundum illud Tullij, *pares cum paribus facile congregantur.* Et iuxta receptæ Scripturæ assertionem; *Omne animal diligit sibi simile.* Sic omnis homo. Hac epistola meam offero & vestram expeto amicitiam, vt nobis vicissim cùm in sacris orationibus, tum etiam in quibuslibet aliis vtilitatibus prodesse curemus. Atque vt quod polliceor vos exequamini priores, obnixè flagito vt quæstiones beati Hieronymi, quas teste Cassiodoro in vetus & nouum Testamentum elaborauit, Bedæ quoque vestri similiter quæstiones in vtrumque Testamentum: item memorati Hieronymi libros Explanationum in Hieremiam, præter sex primos, qui apud nos reperiuntur, ceteros qui sequuntur: præterea Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libros xij. per certissimos nuntios mihi ad Cellam sancti Iudoci, quæ tandem aliquando nobis reddita est, dirigatis tradendos Lantrano, qui benè vobis notus est, ibique exscribendos, vobísque quàm potuerit fieri celeriùs remittendos. Quòd si omnes non potueritis, at aliquos ne grauemini destinare: recepturi à Deo præmium impletæ

charitatis, à nobis autem quamcunque possibilem duntaxat iusseritis vicem tanti A laboris. Valete, nósque mox vt se opportunitas obtulerit, exoptabili responso lætificate.

AD PRVDENTIVM EPISCOPVM. EPIST. LXIII.

CHARISSIMO *suo Prudentio Lupus in Domino salutem.* SEPTIMO Idus April. Hetiboldus Episcopus paulò antè regressus à Rege, mandauit mihi ex præcepto eiusdem Regis, vt quoniam se ipse Legationis functione absoluisset, eandem nos strenuè ac celeriter exequeremur, vt in Conuentu generali memoratus Rex de singulis locis posset certior fieri. Itaque quia & tempus appropinquat, nec sine difficultate, maximè propter equorum pabulum, colloqui possumus, nec verò ante copiam herbæ quod iubetur inchoare: & valetudinem vestram, & quid super hac re vobis placeat, continuò directis literis declarate. Vt autem hinc meam sententiam vobis aperiam, superuacuum iudico locorum statum, quem iam perspeximus, iterum adire, quando nulla sit correctio subsecuta, & in Aurelianensi ac Senonico, & vestro ac nostro pago restent quædam Cœnobia, in quibus tempus interim terere possumus: vt sicut in aliis locis, ita & in his etiam emendanda per nos Rex cognoscat, & ne in Legatis eius ipsius iussio contemnatur, si voluerit, sentiat. Quanti enim simus habiti, imò ipse qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit, & Monasteriorum instaurata religio. Proinde an requam Legationem adoriamur, Regi per me de his quæ videbuntur suggerere statui, & tractorias accipere, B & tunc fauente Dei gratia proficisci. Vicissim ergo sensum vestrum literis exprimite, vt optimum factu ex vtriusque ingenio colligatur. Illud autem non vos fugiat, quantumcunque in hac Legatione laborauerimus, nec nobis nec hominibus nostris aliquid remittendum, quin agamus quod ceteri, si motus his qui hactenus vexarunt extiterint similes.

EXHORTATIO AD REGEM CAROLVM. EPISTOLA LXIV.

VT pacificè felicitérque regnetis, obseruanda vobis fideli deuotione collegi. Creatori vestro Deo & iudici futuro gratias habere semper & agite, qui vos hactenus malis pluribus liberauit, & bonis multiplicibus exornauit. Vtque vobis initium, profectum, atque perseuerantiam in bonis actibus largiatur, quotidianis precibus flagitate. Cùm essetis paruuli, loquebamini vt paruuli, sapiebatis vt paruuli. Nunc autem ad virilem perducti ætatem, secundum eundem Apostolum, in quo euidentèr Dei spiritus loquebatur, euacuate quæ fuerunt paruuli. Scilicet stulta quoque atque inania declinantes, rationabilia præsenti & futuræ saluti profutura sectamini. Quæ agenda sunt prospicite diligenter, & retractate subtiliter, communicato consilio cum Dei vestrísque perfectè fidelibus: quia vt diuinum nos instruit eloquium, *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Nec vos cuilibet ita C subiiciatis, vt ad eius arbitrium omnia faciatis. Cur enim regium nomen prætenditis, si regnare nescitis? Vt pace cunctorum dixerim, non expedit vobis & populo vt aliquem vobis æquetis, nedum præponatis: quoniam Deus, qui scit quid sit in homine, præmonet, *Ne des potestatem filiis tuis in vita, quia melius est vt illi te deprecentur quàm tu illos.* Si filiis hoc non est concedendum, quantò minus aliis? Vicem vos gerere Dei quis ignorat? At ipse dicit, *Gloriam meam alteri non dabo.* Non admittantur ergo à vobis monitores, quos baiulos vulgus appellat, ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur, & meliorum amorem alienent à vobis imitatione Dei. Nolite personaliter iudicare, sed in eadem causa diues, mediocris, & pauper, eundem vos sentiant: vt sit quod potentes terreat, & quod mulceat non resistentes. Benè semel gesta numquam nisi in melius immutaueritis, vt fidem vestram atque constantiam cuncti mirentur. Fugite leuitatem, morum maturitatem apprehendite, vt vestra probitas cunctis possit prodesse subiectis. Vitate malorum societatem, quoniam vt scriptum recoliris, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Amplectimini bonorum Collegium, quoniam, *cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* &, *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et apud eundem Regem & Prophetam

A pulcherrimè dicitur, *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* &, *Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, & quos cùm vultis extenuare potestis.* Ne confidatis in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, sed transferte spem vestram ad eum, qui fecit cœlum & terram, qui custodit veritatem in seculum. Concipite honestam veritatem, vt quod vos non decet præstare, nemo scienter à vobis audeat postulare. Cogitate multa, nec dicatis omnia, quia vel iuxta diuinam Scripturam, qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam, vel iuxta secularem literarum * sententiam: *Quod occultum velis, nemini dixeris.* Quomodo namque poteris ab alio exigere silentium, quod tibi ipse non præstas? &, *Non potest vox missa reuerti.* Communem vtilitatem & oportunitatem omnium charissimam vobis omnes intelligant, vt certatim omnes sibi vos præferre contendant. Diuinas & humanas leges iustas duntaxat nemo sinatur contemnere, quia malorum impunitas, vitiorum semper peperit incrementum. Humilitas cuncta opera vestra venustet, quia scriptum est: *Quid superbit terra & cinis?* Et, *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et ipse redemptor noster admonet: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animi vestri.* Eleemosynis assiduis Deum vobis placate, secundum illud, *Miserere animæ tuæ placens Deo*, quia vt sacræ continent litteræ, eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Saluator quoque hanc ita commendat, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Glorificate

B Deum in omnibus, quoniam ipse testatur, *Qui glorificat me glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Rex etiam & Propheta eximius sic sibi Deum præponit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hæc studiosè custodientes, Deo, & bonis quibusque placebitis, rebelles, Deo vt credimus pro vobis pugnante, comprimetis atque vincetis, & post regnum temporale atque laboriosum, consequemini sempiternum & verè quietum.

* *al* litteraturam.

FRATRIBVS QVIBVS PRÆERAT. EPIST. LXV.

DILECTIS *Fratribus suis, Lupus Abbas in Domino salutem.* FLAGRANTE cupiditate hostes nostri multa quidem conati sunt, sed protegente nos Domino meritísque Sanctorum spe sua deiecti sunt: eodémque opitulante nunquam optatum sibi consequentur effectum. Quod vobis declarare studui, vt Deo & Sanctis eius dignæ gratiæ referantur, & recepta securitate mentes vestræ quietis gratia perfruantur.

AD REGINFRIDVM EPISCOPVM. EPIST. LXVI.

C REVERENTISSIMO *Præsuli Reginfrido Lupus in Domino salutem.* PROFECTVRIS Romam transitum nobis fore haud longè ab vrbe vestra didicimus, vbi vestram humanitatem quam animo percipimus reipsa cupimus experiri: maximéque cuius nobis penitus copia deest, Italicæ monetæ argento, quod solum vsui futurum est nobis, permutandi, id interrogati concorditer quique confirmant. Conspectum quoque vestrum, fauente Domino, nobis exhibebitis, vt officij beneficium hac vt decet gratia cumuletis. Sanè aduentus nostri certum tempus præfigere non præualeo, tamen hunc futurum aut præcipiti æstate, aut prima suspicor parte autumni. Benè vos valere cupio.

AD V. EPISTOLA LXVII.

VENERABILI *V. Lupus.* Nec opinanti mihi, optanti tamen videndi vos occasio sese obtulit, quod ab vrbe, quæ in vestra cura & patrocinio requiescit, Romam proficiscentibus, quò ipse tendo, iter patere cognoui. Facite itaque, vt positis aliis occupationibus, sinceræ charitatis fruamur alloquiis, de præsenti vtilitate & futura salute tractemus. Ociosum autem existimo præmonere, vt me iuuare his quæ vsus poposcerit studeatis, cùm nihil derogare debeam vestræ prudentiæ, & liberalitati confidere plurimum. Peritiam ergo regionis, in qua versamini, affectúmque patriæ, in qua orti sumus, præstare nobis concedite. Transibo verò, si Deus vult, per vos, vt opinor, aut extrema æstate, aut certè primo autumno. Cupio vos valere feliciter.

AD DOMINVM MARCVVARDVM ABBATEM. EPISTOLA LXVIII. A

CHARISSIMO *ac desiderantissimo patri Marcuuardo Lupus plurimam salutem.* ORATIONIS gratia, & quarundam Ecclesiasticarum studio causarum, quas, Deo volente, reuersus, cùm vos videro, paternitati vestræ aperiam, Romam proficiscor, & quoniam in conficiendis rebus Apostolici notitia indigebo, ea verò sine munerum intercessione iniri commodè non potest, velut ad paternum, imo ad maternum gremium, ad vos confugio: supplicans, vt sicùt nunquam mihi nulla necessitate defuistis, ita in hac adesse dignemini, mihíque, si vllo modo potestis, per præsentes nuncios duo saga veneti coloris, & totidem lintea, quæ Germanicè *glizza* vocantur, dirigaris, quæ illi comperi esse charissima. Horum si fuerit vobis integritas ardua, ne quicquam videbitur nobis ipsa medietas contemnenda. Namque ita seculari eruditione docti sumus, vt sperantes minora, maiora poscamus. Ac ne ingenio nostro latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tolutario, vel quolibet alio fortissimo, nostrum iter subleuaueritis, plurimum nobis collatum esse ducemus. Sane nihil me obtinuisse molestè non feram, si communicatis his literis cum communi filio Eigile, risum vterque vestrum tenuerit. Cupio vos valere feliciter, meique benignè memoriam gerere.

B

AD ANSBALDVM. EPISTOLA LXIX.

DILECTO *suo Ansbaldo Lupus salutem.* MOLESTE tuli quòd tanta opportunitate comperta, vt pareissimè dicam, nihil mihi & mandare & scribere voluisti. Tamen quanquam curam nostri tam facilè deposueris, quod in te reprehendo ipse nequaquam imitabor, sed me aspernantem pio complectar colloquio. Tullianas Epistolas, quas misisti, cum nostris conferri faciam, vt ex vtrisque si possit fieri veritas exculpatur. Tu autem huic nostro cursori trade, vt ex eo, quem me impetraturum credo, quæ deesse illi Egil noster aperuit, suppleantur. Benè vale, & tuis me semper orationibus protege.

AD MARCVVARDVM, EPISTOLA LXX.

DESIDERANTISSIMO *& integritate vitæ merito suspiciendo Marcuuardo Abbati Lupus perpetuam salutem.* DIGNAS vobis rependere gratias non valemus, sed non idcirco & verbis id tentare non debemus. Siquidem inter alia, quæ nobis iam plurima præstitistis, linguæ vestræ pueros nostros fecistis participes, cuius vsum hoc tempore pernecessarium nemo nisi nimis tardus ignorat. Itaque non istis gratam rem solùm, verùm etiam vtilissimam nobis omnibus contulistis. Dilectissimum fratrem Eigilem & ceteros IV. Non. Sept. lætus excepi. Sed vt congruum curationi tempus impenderent, iusto celeriùs dimisimus, ea conditione obstrictos, vt per nos dum redierint proficiscantur. Sumus enim de eorum sanitate & ipsorum & vestri causa vehementer solliciti. Ceterùm hunc nouicium cursorem nostrum vestræ sanctitati commendamus, omni genere conuersationis professioni suæ respondentem, nisi quòd adhuc credo propter timores nocturnos solus cubare non potest. Opto vos valere feliciter, meique semper paterno affectu meminisse. C

AD REGEM CAROLVM ANTE RECVPERATIONEM CELLÆ. EPISTOLA LXXI.

PRÆCELLENTISSIME Domine mi Rex, humiliter supplico, vt suggestionem tui deuotissimi famuli digneris prudenter cognoscere, & clementer tractare. Religiosissimus nuper LVDOVICVS vestræ nobilitatis auctor, ad petitionem gloriosissimæ memoriæ Iudith Augustæ matris vestræ, Cellam sancti Iudoci Monasterio Ferrariensi contulit, & suum donum Præcepto firmauit, vt & Monachi absque inopia in Monasterio Domino seruirent, & in præfata Cella hospitalitatem iuxta Domini timorem peregrinis impenderent, atque pro vtriusque salute

A & prosperitate Dominum delectabiliter exorarent. Eorum eleemosynam primò benignè concessistis, nouo etiam Præcepto firmastis. Sed postea ad persuasionem eorum, qui cum Dei offensione non timent ditescere, euacuata duplici eleemosyna, votum secularium de memorata Cella implere coacti estis. Quam ob causam nunc Domini serui, qui pro vobis assiduè orant, hoc triennio consueta vestimenta non accipiunt, & quæ efferre compelluntur, attrita & pleráque resarta sunt. Leguminibus emptitiis sustentantur. Piscium & casei consolationem rarissimè consequuntur. Famuli debita in Domnum tamen accipiunt, quæ omnia nobis ex prædicta Cella ministrabantur. In qua intermissam transmarinorum curam, aliorúmque pauperum & neglectam sui culturam, vtinam vobis Deus non imputet. Me præter communem necessitatem & singularem laborem grauissimus pudor onerat, quia id quod alij Abbates ad stabilitatem religionis munificentia imperiali consecuti sunt, ego quasi omnium vilissimus & inutilissimus, amisi. Tamen spem gerens recuperandi meo seruitio quod nulla in vos culpa, vt Deus testis est, perdidi, maximè cùm vestram promissionem inde teneam, quam fallere nefas est, imploro quod iustè reposcimus, ne vlteriùs differatis: sed continuò vobis nobísque dignemini consulere, vt & Deum faciatis vobis propitium, & nos vltimos famulos vestros reddatis ad intercedendum pro vobis omni tempore promptiores.

B AD DIDONEM EX PERSONA MARCVVARDI. EPISTOLA LXXII.

REVERENTISSIMO *& plurimorum præconiis celebrando Didoni Abbati, Marcuuardus plurimam salutem.* ARTIS nostræ singularis peritia multorum ore peruulgata, fratris Nithardi potissimum relatione nobis innotuit. Quo etiam referente comperimus, passim vos accessum indigentibus aperire, & sempiternam vsuram temporali ægrotantium remedio procurare. Vnde tametsi vobis adhuc sumus ignoti, non dubitauimus propter eiusdem Religionis vnitatem, cuius etiam vos obseruantissimos gratulamur, materiam præstandi nobis beneficij vltrò proponere, parati vestræ opinatissimæ liberalitati modis quibuscunque possumus respondere. Namque hi filij nostri, quos & vestros optamus, molestia corporis laborabant, quam aliquot adhibiti apud nos medici propulsare nequiuerunt. Hos Domino & vestræ charitati fidentes curandos vobis offerimus: vt per vos optatæ sanitatis solatia recuperantes, auctori eiusdem nobiscum gratias referant; & vestro labori illi quidem deuotionem, quam solam possunt, vtpote Monachi, repensent: nos autem dignum omninò seruitium persoluamus. Petitionem nostram diu verbis extendere noluimus, ne fortè de vestræ charitatis perfectione dubitare videremur, quæ non solùm ignotis, verùm etiam inimicis prodesse contendit. Et ideò, vt op-
C timè nostis, latum mandatum attestatione prophetica confirmatur. Optamus vos valere feliciter, & nos nunc postulantes quod . . . . quandoque præstare.

AD GVENILONEM. EPISTOLA LXXIII.

REVERENTISSIMO *Antistiti Gueniloni* . . . . cuius lectione vestro victus amore penè . . . . per communem propinquum nostrum ab ra - - - - - dirigite. Quem quantopere diligantur - - - - - - quòd eum præter vos nulli vnquam passus sim - - - - - - - - - autem Ecclesiæ nostræ quòd fanum appr - - - - - - æquissimum iam decreuistis, & - - - - - - quærere ipsi optimè intelligitis. Quamquam in proximo conuentu vobis gratias retulerim, putans penitus litem esse sopitam, noueritis nihil esse definitum, sed ad votum eorum, qui etiam iniustè non erubescunt, immò appetunt esse victores, occasione dilationis Presbytero vestro præparatum quod quæsiuit emolumentum, ac nostro quam fastidit iam spem inanem relictam. Proinde vestra insignis prudentia, quæ didicit ex Euangelio non personaliter iudicare; instructa etiam illo veteri præcepto: *Iustè iudica proximo tuo*, iudicij veritatem, vt cœpit, constanter & citò perficiat, ne, quod absit, abutantur vestra nobilitate, qui cupiditatis patrocinium susceperе. Nam & ipsa illis ad subuersionem Ecclesiæ nostræ Oratorium nouum commenta est, & ne veritati acquiescant, vnanimitatémque charitatis dissoluant, adhuc indefessa hortatur. Peto etiam vt ad supplicationem Gerohaldi Presbyteri Lan. Diaconum eius

propinquum, in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus...... frequenter non sufficit sacerdotale munus implere. Cete - - - - - - perfectione A quæso me fieri è vestigio certiorem - - - - - - digno tamen qualicumque paruitatis meæ discedatis - - - - - - valete feliciter.

AD EVNDEM. EPISTOLA LXXIV.

REVERENTISSIMO *Præsuli Gueniloni Lupus in Domino salutem*. T. Liuium per hunc.......... agite, quia illo non mediocriter indigemus. Benè - - - - - - tamen postulauimus, dignamini implere - - - - - - sanctos ordines largiemini participem eum - - - - - - insenum infirmitas illius promorione - - - - - - meum quòd elaboraui delibero at........ veritate precij quo redempti sumus ipse vobis elegi ostendere, quàm per quemlibet dirigere, vt otio nobis diuinitus collato, tantarum rerum vtilitatem faciliùs mecum possitis aduertere.

AD BERTOLDVM. EPISTOLA LXXV.

DILECTO *suo Bertoldo Lupus salutem*. IN hoc, quem nuper habuimus, Conuentu, quamquam voluissem, idque Episcopo vestro dixisse demiror contigisse, ne nos inuicem videremus. Præter alia verò quæ inter nos familiariter conferrentur, statueram vos precari quod nunc efflagito, vt in saltu apud Martiniacum B vestram largiamini nobis viginti arbores, earúmque commodetis aliquot cæsores, vt iuncti nostris nauiculam nobis componant meliorem, quam inuenire possimus venalem. Per hunc ergo nuncium quod vobis concedere placuerit remandate.

AD HINCMARVM. EPISTOLA LXXVI.

CLARISSIMO *Præsuli Hincmaro, Lupus perpetuam salutem*. COLLECTANEVM Bedæ in Apostolum ex operibus Augustini veritus sum dirigere, propterea quòd tantus est Liber, vt nec sinu celari, nec pera posset satis commodè contineri. Quamquam si alterutrum fieret formidanda esset obuia improborum rapacitas, quam profectò pulchritudo ipsius codicis accendisset. & ita forsitan & mihi, & vobis perisset. Proinde tutò vobis memoratum volumen ipse commodaturus sum, cùm primò, si Deus vult, aliquo nos contigerit sospites conuenire. Pineas autem nuces, quot cursor ferre potuit, hoc est decem, mittendas curaui: rescriptum vestrum, quo notarij vt scripsistis me priuauit impedimentum, cursor idem noster ad hoc directus, vt à vobis propositum est, accipiat, vt lectione illius & erudiat vel delectet. Benignè vos mei memores opto valere feliciter.

AD PARDVLVM LAVDVNENSEM. EPIST. LXXVII.

CARISSIMO *Pardulo Lupus plurimam salutem*. SECVNDVM quod statuistis direxi nuncium, qui super meis recentibus literis quid vobis visum fuerit, & C quæcunque cognitu necessaria iudicaueritis, comprehensa vestris apicibus reportaret. Peto itaque ne illum vacuum aut tardiùs remittatis. Cupio vos valere feliciter.

EIDEM. EPISTOLA LXXVIII.

VNICE *singulariterque dilecto Pardulo Episcopo, Lupus in Domino salutem*. SACRIS Domini Regis non sum euocatus, propterea ad Conuentum non veni. Literarum ipsarum exemplar dirigendum curaui, vt si fortè mentio de me inciderit, iustè me remansisse possitis ostendere. Ceterùm, quia me intra conseptum familiaritatis admisistis, quæso vt & nunc, & quotiescumque possibilitatem Dominus largitus fuerit, tutum vestra intercessione reddere curetis. Ego, vt nostis, hostem ferire, ac vitare non didici, nec verò cetera pedestris ac equestris militiæ officia exequi, nec rex noster solis bellatoribus indiget. Admonitu vestro, & si opus fuerit, si expeditio ingruerit obsecro doceatur: vt quoniam studia mea non magnificat,

A vel dignetur considerare propositum, & alia mihi iniungere, quæ ab illo penitus non abhorreant. Id, si me sincerè amatis, sic potestis efficere, vt non solùm offensæ contraham nihil, verùm etiam gratiæ consequar aliquid. Ita mihi comperta & probata est vestra prudentia. Itaque dum tempus & locum habetis, & mihi & quibuscumque valetis, quæso succurrite, certi & Dominum iustum retributorem futurum, & nos sinceram beneficiorum memoriam habituros. Literas quæ me lætificent remittite, & mei benignè semper memores benè valete.

AD ROTRANNVM MONACHVM. EPIST. LXXIX.

CARISSIMO *suo R. Lupus salutem.* QVONIAM ad Conuentum non euocatus, nolui me vltrò ingerere, venerabili Episcopo Hincmaro literas dirigens, inter alia Hilmeradi nostri causam apud eum studui commendare. Ex eisdem literis verba hic posui, vt eidem Hilmerado possitis ostendere, quàm velim rebus eius fauere. Hilmeradus, inquam, quem Rex Ambianensium esse Episcopum iussit, quadam mihi necessitudine coniunctus est, cui supplico prosit quod apud vos plurimùm valeo. Nam licèt desit ei fortitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse vtilis, cùm & vestræ doctrinæ parebit. Et si plenè non potest docere instituta diuina, poterit tamen facere vnde & ipse & eum sequentes efficiant salutis æternæ capaces. Hæc ad illum sic scripsi, vos quæso vt in cœpta semper amicitia maneatis,
B certi me nunquam ab officio recessurum. Benè valete.

AD VSVARDVM ABBATEM. EPISTOLA LXXX.

DILECTO *Vsuardo Abbati & Archidiacono, Lupus in Domino salutem.* NON estis obliti quemadmodum vobis præsentibus, maioribus Ecclesiæ vestræ constitutum Synodi, decrerúmque Metropolitani Amuli ostenderim super Presbytero Godelgario, terruerímque vos, nisi Præceptum Domini nostri Regis, confirmantis quòd sancta Synodus & Metropolitanus iussisset, impleretis, futurum vt iacturam grauis exilij pateremini. Verùm quia id hactenus distulistis, & memoratus Presbyter tam diuturnam calamitatem cupit effugere, Synodali & Metropolitani simúlque auctoritate Regia commoneo, vt quod pro me vobis iniunctum est sine dilatione perficiatis, ne fortè pro triplici contemptu multiplicem vindictam sustinere cogamini. Breues etiam, quos de facultate Monasterij vestri mittere debuistis, vt apud Sedelocum mihi reddantur absque vlla excusatione, procurate. Benè valete.

AD AMVLVM EPISCOPVM EX PARTE GVENILONIS ET GHERRARDI. EPISTOLA LXXXI.

C REVERENTISSIMO *& clarissimo Præsuli Amulo, Guenilo Episcopus & Gherrardus Comes plurimam salutem.* MVLTA & magna iussu Domini nostri Regis, ex eius parte familiarissimè vobis mandata reuelassemus, si quod ipse optauit, quod etiam suis vobis literis significauit, nos quoque plurimùm voluimus, ad Augustudunensem vrbem vacuum fuisset vobis expectationi nostræ occurrere. Sed quod nuncij vestri certissimas impossibilitatis vestræ causas nobis prodiderunt, quæ copiosè multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, sensuum veritate seruata, conati sumus vestræ sapientiæ compendiosis literis aperire. Præcepit itaque, vt eius vobis sermonibus diceremus, se fideliter tenere, quòd Rex regum, idémque Sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cœlum euexit, semper cum suis futurus diuinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes diuisit, & Reges: vt quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent & impleri facerent deuotissimi Reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestræ impendere reuerentiam, sicut ei quem sciat diuinitatis cultum integrè velle seruare: atque vicissim postulare, vt cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbicumque Ecclesiasticæ vtilitati in portione Regni diuinitus sibi collata vestræ auctoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, vnanimitate vestri consensus continuò adiuuetur. Et ne vos longis ambagibus diutiùs fatigemus, tacens incommodum Augustudunensis Ecclesiæ, &

prolixa perturbatio, flexit eius pietatem, vt sua largitate vestráque promotione ta- A lem ei præficiat, qui ruinas illius & spiritualiter & sæculariter strenuè sarcire sufficiat. Est autem, quem benignitati vestræ plurimùm commendat, propinquus eius Bernus, ab ætate memoriæ gloriosæ Imperatoris LVDOVICI tenerè educatus, & claris ornatus honoribus, quem & ipse hoc suo tempore multis experimentis inuenit idoneum, & opitulante gratia Dei tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum eius Consiliariorum acquiescit consensus. Idque vestræ prudentiæ Dominus noster nobis iussit, suggerere non esse nouicium aut temerarium; quòd ex Palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat Antistites. Nam Pipinus, à quo per maximum Carolum & religiosissimum Ludouicum Imperatores, duxit Rex noster originem, exposita necessitate huius regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit consensum, vt acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur: ne fortè simplicitate Pontificum posset contingere, quòd in hac Heduorum vrbe, cuius nos nunc curæ exercet, eueniat. Proinde vos petere, vt honorem à Papa Romano maioribus eius, & Regibus, & Imperatoribus concessum, & à Lugdunensis Ecclesiæ Metropolitanis, cui auctore Deo præsidetis, nunquam hactenus infirmatum, à vobis nulla vestra iniuria consequatur. Quòd si in hac parte spretus non fuerit, facturum sit vt in Regno eius vestrum ministerium debitam semper venerationem obtineat, & optatum exitum sortiatur. Cuius petitioni nostras nos supplices B iungimus preces, vt quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat, vt in obsequendo vobis non solùm nos, verùm etiam illos faciatis, quod optamus, cupidissimos debitores. Idque impetratum à vestra fidissima nobis familiaritate volumus, vt quod vobis Deus inspirauerit, nobis quàm celerrimè litteris ostendatis, vt per nos citiùs Dominus noster Rex, quod plurimum cupit, beneuolam in se vestram cognoscens voluntatem, dignas Deo referat gratias, & antequam necessitate Regni longiùs abducatur, damnosam Præsulis dilationem recipiat, vobísque fidissimum adiutorem dirigat ordinandum. Godelsadum * etiam, quem ex Palatio suo more prædecessorum Regum maiorum suorum, vt ante monstratum est, Cabilonensi præficit Ecclesiæ, flagitat idem Rex, in hac Quadragesima non grauemini ordinare. Quòd si per absentiam Theobaldi Episcopi visum fuerit impossibile, quocumque tempore constitueritis, congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum: vt quod prosit populo Christiano, absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

* Godescalum.

AD GVENILONEM METROPOLITANVM. EPISTOLA LXXXII.

REVERENTISSIMO *Præsuli Gueniloni Lupus salutem.* HIC Presbyter, cui nomen est Erlegaudus, ex Ecclesia sancti Petri & nostrá queritur pati se calumniam, & de suo gradu periclitari. Proindè vestram poscimus paternitatem, vt ei iustè ac rationabiliter adesse dignemini, ne quorumlibet insidiis opprimatur, qui forsitan diuini timoris obliti superare innoxium peruicaciter moliuntur. Prosit itaque huic & illis vestra prudentia, vt & hic si est innoxius liberetur, & illi, qui peccare in proximi læsione conantur, non inueniant facultatem. Quod donec inspirante Deo perficiatis, & Synodi tempus adueniat, si potest fieri, & vestræ sanctitati videtur exequendi officij, quæsumus recipiat libertatem: ne secundum inimicorum votum, quorum se testimonio purgare possit, innenire non valeat. Benè vos C valere cupimus.

AD LVDOVICVM, ANTE RECVPERATIONEM CELLÆ. EPISTOLA LXXXIII.

EXCELLENTISSIMO *bonisque omnibus charissimo Ludouico Abbati, Lupus plurimam salutem.* IVSSV Regis ad Palatium dirigens nuncium, ad vos eum iussi accedere, vt quæ mihi agenda sint per vos veraciter atque celeriter possim cognoscere. Proindè vestra insignis beneuolentia mihi necessaria cognitu litteris comprehendat, quibus certior factus rebus gerendis occurram. Vnum impensè flagitauerim,

A tauerim, vt si mollitiones, quæ occultè, vt fertur, cum Britannis exercentur, effe-ctum habituræ credantur, non aspernemini significare, quod frustra expertum infructuosum, periculosúmque laborem etiam strenuorum animi valde refugiunt, & compertum atque in literas relatum est, nequaquam inuitos ad bellum esse cogendos. De recuperanda Cella nostra si se locus obtulerit, quemadmodum in omnibus nos iuuare contendite, vt vestra industria & Rex maximo purgetur peccato, & nos tandem aliquando necessitate nimia liberemur. Ita semper, vt cupio, valeatis.

AD NOMENOIVM PRIOREM GENTIS BRITANNICÆ. EPISTOLA LXXXIV.

LANDRANNVS *Turonum Metropolitanus Episcopus, Dodo Andegauorum, Aldricus Cenomanorum Episcopus, Guenilo Senonum Metropol. Episcopus, Heriboldus Autissiodori Episcopus, Prudentius Tricassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum. Herimannus Niuernorum, Hincmarus Remorum Metropolitanus Episcopus, Immo Nouiomagi, Pardulus Lugduni, Rhothadus Suessionum, Hilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecti, Ermenfridus Bellouacorum, Paulus Rothomagi Metropolitanus Episcopus, Saxoboldus Saiorum Episcopus, Freculfus Lexouiorum, Valfridus Baiocensium,*
B *Nomenoio Priori Gentis Britannicæ salutem, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

DOMINVS quidem Deus occulto, iusto tamen iudicio, permisit esse te Rectorem gentis tuæ. In quo tamen regimine qualem te exhibueris, testis est conscientia tua, & amaræ querimoniæ diuersarum Ecclesiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexasti. Sed quia Christianum nomen non penitus abiecisti, & nos ex Apostolica successione debitores sumus omnibus, vt benè agentes ad perseuerantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate diuina prouocemus, vehementissimè tuis excessibus condolemus, & à tuo interitu paterna & Episcopali sollicitudine te cupimus reuocare.

Cupiditate tua vastata est terra Christianorum, templa Dei partim destructa, partim incensa, cum Sanctorum ossibus ceterisque reliquiis, possessiones Ecclesiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum illicitè in tuos vsus redacta. Hereditates nobilium ablatæ, & maxima multitudo hominum & interfecta & seruitute oppressa. Rapinæ crudelissimæ perpetratæ, adulteria & corruptiones virginum passim commissæ. Episcopi legitimi sedibus propriis expulsi, & vt mitiùs loquamur, quia dicere nolumus, fures & latrones mercenarij introducti. Patroni nostri beati Martini quondam diocesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata. Omnes postremo Ecclesiastici Ordines perturbati, quod nimis dolendo & compatiendo dicimus.

C Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Cùm enim eum postulasses vt in libro suo te scriberet, & pro te Dei clementiam exoraret, & ille directis literis se id facturum promisisset, si se monentem obedienter audires: non solùm nihil eorum quæ mandauerat fecisti, sed ne literas quidem ipsas recepisti, & quia nolebas à malo desinere, timuisti benè monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est princeps Petrus. Læsisti Episcopos, qui iam cum Deo regnant in cœlis, & miraculis coruscant in terris. Læsisti & nos, qui etsi non habeamus eorum meritum, idem tamen diuina gratia possidemus officium. Nuper etiam excipiens Lambertum, quem Ecclesia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea scilicet conditione, vt se corrigeret, & mala solita perfectè declinaret: fecisti te participem, imò auctorem perturbationis populi Christiani. Eum enim amator pacis dominus noster Rex etiam ad tuam suasionem remouerat à finibus tuis, & aliis honoribus decorauerat, & nunc eum rebellare conantem, velut in gremium recepisti, & vt in malo proficiat fouere non desinis. Iube afferri libros tuos, in eis comminantem Dominum audies, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris:* & non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus dignos esse morte inuenies.

Nec ignoras quòd certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerint, quos ipsi vindicauerunt sibi, & certi quos petentibus concesserunt Britannis. Quomodo ergo despicis legem Dei, quæ præcipit: *Ne transgrediaris terminos, quos posuere patres tui?* & terram Francorum iniustè tibi defendere conaris? nec formidas illud: *Maledictus qui transgressus fuerit terminos proximi sui!* O quid facturus es in die magni iudicij, cùm tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mensibus, horis, momentis? & hoc erit celeriter. Verum est enim quòd iuuenis possit citò mori, sed senex diu non possit viuere. Ante te prolixum fuit seculum, post te quoque Deo certum est quantum durabit. Pro hac vita breuissima noli tibi sempiternam miseriam comparare. A

Nisi deponas peruasionem alienorum, oppressiones omnium, societates perditorum, & recipias admonitionem Sedis Apostolicæ nostræque vnanimitatis, non tibi prodesset fides, nec quæcunque putas bona opera. quia Saluator dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Cogita quid mercatur qui scandalizauerit vnum de pusillis, & ita poteris colligere, quam in gentem sis perlaturus, nisi resipueris, damnationem, qui partem maximam populi Christiani grauissimè perturbasti. Quamobrem monemus, te obsecramus, obtestamur tuæ salutis cupidi, pone finem malis tuis, conuertere ad Dominum, cuius nemo nostrûm potest effugere iudicium. Fac fructus dignos pœnitentiæ, hoc est, quia granditer deliquisti, granditer bona exerce: vt non solùm non torquearis cum diabolo & reprobis in inferno, verùm etiam gaudeas cum Deo & electis eius in cœlo. Id quoque tibi pollicemur, quia si te Deo restitueris, apud eum intercessores pro peccaris tuis esse cupimus, & apud pium Principem nostrum, vt tibi tuæque posteritati benignè consulat, conabimur obtinere. Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd Epistolam Sedis Apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Sed quia exemplar eius venerabilis Papa dignatus est dirigere, notum tibi facimus nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat læsionem, & propterea parati sumus si vis secundò Legatum Sedis memoratæ cum scriptis toti mundo venerandis dirigere. Quòd si eum non receperis, nos qui monuimus excusabiles erimus: si autem receperis & auscultaueris, & Dominum & beatum Petrum propitios, & nos habebis in fide coniunctos, & intercessione proficuos. Si verò nos benignè monentes contempseris, certum tibi sit nunquam tibi futurum locum in cœlo, & citò non futurum in terra, quòd tua culpa separatus à Apostolica & nostra Societate, anathematis vltione locum habebis (quod auertat Deus) in tartaro. Hoc etiam per tuum ministerium denunciamus Lamberti hominibus, & quibuslibet gentis tuæ, quòd si communicauerint ipsi, & rebellioni eius consenserint, anathemate condemnabuntur, & traditi Satanæ sine fine peribunt. Conuersos autem recipimus, & in pace Christiana permanere optamus, atque pro eis parati sumus domini nostri Regis clementiam quantum possumus flectere. B

AD MARCVVARDVM. EPISTOLA LXXXV.

REVERENTISSIMO *& clarissimo patri Marcuuardo L. perpetuam salutem.* NVPER à magnificentissimis epulis reuersus, hoc est, à Britannica expeditione, vix resumpto spiritu per cursorem hunc prosperitatis vestræ veritatem discere cupio, vt quod propriis angoribus æstuo, saltem vestris secundis successibus requiescam. Dominus meus Rex, vester alumnus, cùm me deliciis, quas grauabat, liberaret, suo vos nomine salutari præcepit. quod quàm libenter faciam æstimare potestis. Charissimum nostrum, hoc est, communem filium Eigilem Presbyterum, Ausbertum, ceterósque Fratres, paruitatis meæ nomine dignamini salutare. Cuppas viarico aptas forma & qualitate preciosissimas, ligneas duntaxat, mihi cùm opportunum vobis fuerit curate dirigere: quia dum video preciosiores, quas aliis tribuistis, propemodum inuidiæ morbum incurro. Cupio vos valere feliciter. C

AD HATTONEM. EPISTOLA LXXXVI.

CHARISSIMO *suo Hattoni, Lupus in Domino salutem.* QVANQVAM occupationes ineuitabiles colloquium nostrum, quod frequens esse debuit, impe-

A diant, tamen eis paululùm perdilatis nosmetipsos consolari oportet, ne salutaria consilia, quibus inuicem auctore Deo iuuare possumus, ad nostrum detrimentum vlteriùs negligantur. Curate igitur hoc mense Octobri die quo significaueritis ad Arceias vestras mihi occurrere, vt loco vtrisque medio conuenientes, opportunè possimus de rebus necessariis consultare. Noueritis etiam Odacrum Abbatem & consanguineum nostrum, libram auri, quam nostis, instante Viuiano repetere, cuius humanitas nulla inhumanitate exasperanda est. Maturè cursorem hunc temittite, vt tempore quo significaueritis valeam vobis ad memoratum locum occurrere. Cùm iam emisissem cursorem, superuenit Rath. & causas vestras nuda veritate patefecit. Quibus cognitis, accelerandum colloquium multò mihi maximè visum est, vt rebus asperis demonstrante Deo per subtilem tractatum prudenter possimus occurrere. Interim quemadmodum idem Rath. qui nihil meritus impetum indignationis excepit, restituatur, elaborate, quia vehemens indignitas est, quòd propter rem ad se nihil pertinentem tam diuturni laboris præmio vacuatur.

AD HVGONEM ABBATEM, EPISTOLA LXXXVII.

FRATRES nostri, qui ad vos directi sunt, retulere nobis commotionem vestram, quæ occasione illius hominis accidit, qui cum aliis malefactoribus rapinam sectando, sibi vitam auferri coëgit. Cuius rei nos non fuisse conscios optimè
B nostis. Vnde cùm id venerabilis filius vester, nobísque familiaris Stephanus, non sicùt res erat, sed sicuti falsò relatum fuerat, narrasset, misimus Præpositum nostrum talium peritum, & vteius ætatem atque nobilitatem decet anxiè religiosum, qui secundum prudentiam, quam in seculo hauserat, causam cum vestro nuncio discerneret, & finiret. Verùm quia qui iustitiam quærebat, ipse implere nolebat, exitum res non potuit inuenire. Itaque has literas Celsitudini vestræ dirigendas curauimus, quibus placare cupimus animi vestri motum, quem nequaquam vlla nostra negligentia, aut peruicacia prouocauimus. Potentia enim culminis vestri nequaquam personis, sed iustis causis fauere debet. Nec vtilitatem nostram, sed diuinam maiestatem, cuius quamquam indigni serui sumus, & beati Petri reuerentiam attendere, nec nobis aliquid mali comminari aut inferre, qui sic iustitiam repetimus sicut reddere parati sumus. Hoc etiam prudentiam vestri culminis commonemus, ne propter defensionem perditorum hominum patrocinium beati Petri, & nostram antiquam familiaritatem aspernemini: sed cogitantes quod scriptum est, *Quia sperantes in Domino misericordia circundabit*: &, *Omnis qui se humiliat exaltabitur*, ita exortam controuersiam sopire dignemini, vt nec nos grauari patiamini, nec vestros impunè malè agere permittatis, ne fortè, quod absit, Dei vindicta in vos pro-
C pter iniquorum consensum redundet. Optamus vos benè valere, & sicut nobilitatem & sapientiam vestram decet, in omnibus agere.

AD HVGONEM ABBATEM, EPISTOLA LXXXVIII.

SVMMA *veneratione suspiciendo Hugoni Abbatum summo, Lupus præsentem & futuram salutem*. POSTQVAM vos nosse cœpi, diu in vestram venire notitiam fateor concupiui. Quod tandem vestra dignatione consecutus, plurimum vobis confidere audeo, dum & singularem in vobis nobilitatem, & conuenientem nobilitati sapientiam, frequenter considero. Qua causa cùm mihi quod nec timueram, nec vt opinor metueram, contigisset, vt dominus Rex Cellam Cœnobij nostri, vnde editum & ipsius, & patris eius domini LVDOVICI Serenissimi Augusti habemus, nobis ablatam Odulfo Comiti daret, eámque vt eum decebat, Deo inspirante, & amplissimo viro Adalh. cooperante, nobis restituisset, vos potissimum hortante ipso Adalh. credidi expetendos, qui & ipsius Odulfi periculosam auiditatem prudenter compesceretis, & nobis benignè memoratam Cellam restitueretis. Vestra igitur longè latéque bonitas peruulgata, nobis vehementer indigentibus pro Dei amore, secundùm literas regias, quam celerrimè fieri potest subueniat, vt & calamitatis nostræ commiseratio præmium vobis pariat sempiternum, & à nobis & à posteris nostris beneficij vestri memoria fideliter celebretur.

AD PARDVLVM EX PARTE REGINÆ. EPISTOLA LXXXIX. A

IN *nomine Dei solius & omnipotentis Irmindrudis diuina ordinante gratia Regina, venerando Pardulo Episcopo.* RES nouas, super quibus vos nihil posse scribere significastis, nisi quod per Rhotbertum iam mandaueratis, prosperas exuberãte Dei gratia prouenire cupimus & audire. Diem verò vestræ ordinationis, nostris & nostrorum precibus, vobis vtinam profuturis, solemnem facere studebimus. Præterea quæ misistis munera grata nobis fuêre, & stolæ cuius imposuistis laborem libenter experiri curabimus, & secundum vestram suggestionem, propitio Deo, qui nos fecit, & tantis bonis cumulauit, noxium studebimus otium euitare. Vestris tamen semper efficacibus iuuemur orarionibus, quia nihil vnquam nobis præstabitis, quod non de vestra probabili fidelitate præsumpserimus. Hoc à vestra benignitate impetratum volumus, vt pro his, qui in defensione patriæ suas posuerunt animas, Dei clementiam suppliciter flagitetis, & superstitibus eorum hominibus auxiliemini qnantumcumque vobis possibile fuerit.

AD ODACRVM ABBATEM. EPISTOLA XC.

TERTIO Non. Iulij Deo propitio ad Monasterium nostrum reuersus, primùm vt potui vestræ prudentiæ has literas dirigendas curaui, quibus totis affectibus vestræ beneuolentiæ gratias refero, quòd Fratres nostros & ceteros homines tantæ calamitatis angustiâ deprehensos, aperto caritatis gremio excepistis,& materna pietate fouistis. Quorum relatio adeo me lætificauit, vt epistolaris angustia vix valeat indicium meæ in vos voluntatis aperire, cùm & germanos meos singulari dilectione tractetis, & amplissima liberalitate nostris omnibus, quantam vix vnquam sperare potuerant, præbeatis. Proindè opto vt diuina gratia, cuius munere tales estis, exiguitati meæ largiri dignetur, vt quantulamcumque vicem rependere sufficiam, integra verè merces ab eo vobis restituatur, qui summam præceptorum suorum in solidirate charitatis constituit. B

AD MARCVVARDVM ABBATEM, EPISTOLA XCI.

IN Aquitanica congressione manifesta morte liberatus, post captiuitatis molestias solutus vtroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maximè præsidebam, & Sanctorum eius beneficio, præterea cuiusdam Turpionis, ereptus, integra valetudine ad Monasterium III. Nonas Iulij remeauimus. Vbi qnod vltrò sciebam, & fratrum meorum Hattonis & Ratharij relatu, & literarum vestrarum lectione certior factus sum, mea calamitate vos vehementer commoueri. Iámque mihi videre videor vos ingenti gaudio exultare, cùm me condolebatis aut captiuum aut mortuum, accipiatis incolumem in Monasterio residere. Ego vicissim Fratrésque omnes de vestra tam fructuosa reuersione maxima lætitia gratulamur,& Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quòd non solùm vestram excellentiam nobis restituit, verùm etiam vestro labore duplex patrocinium Sanctorum prouidit. Pro vestra quidem incolumitate & regressione quotidie Deo supplicabamus, Sanctorum autem per lectionem voto continentes vestris amabilibus Deo studiis, vt suspicaremur de vobis talia, facilè abducebamur. Nunc Deum in commune laudamus, qui supra quàm petere audebamus largitus est. Illud vnum ad cumulum gaudiorum restat, vt præsentiam vestram nobis exhibeatis. Quod vos haudquaquam posse literæ vestræ professæ sunt, nos hoc eas promisisse tenebimus. Quod si feceritis, cùm paruitati nostræ plurimùm, tum etiam vobis aliquid conferetis. Siquidem & nobis consolationem & virtutis incitamentum suggeretis, & Fratrum, qui vestrum post discessum decedentium suppleuere locum, notitiam & firmiorẽ si possit fieri lucrabimini charitatem. Quæso prætetea, vt ad sanctum Bonifacium solertem aliquem Monachum dirigatis, qui ex vestra parte Hattonem Abbatem deposcat, vt vobis Suetonium Tranquillum de vita Cæsaris, qui apud eos in duos nec magnos codices diuisus est, ad rescribendum dirigat; mihique eum aut ipsi, quod nimium C

A opto, afferatis, aut si hæc felicitas nostris differetur peccatis, per certissimum nuncium mittendum curetis. Námque in hac regione nusquam inuenitur, & credimus hoc quoque nos beneficium vestra liberalitate consecuturos. Filium Guasonis nepotem meum, vestrúmque propinquum, & cum eo duos alios puerulos nobiles, & quandoque si Deus vult, nostro Monasterio nostro seruitio profuturos, propter Germanicæ linguæ nanciscendam scientiam, vestræ sanctitati mittere cupio, qui tres duobus tantummodo pædagogis contenti sunt. Quod vtrum dignemini præstare, vt primùm se facultas obtulerit ne grauemini aperire. Sterilitatem vini superiore anno passi sumus, aliis rebus pro tempore abundamus, & largiente Dei gratiâ aliquantula pace fruimur, nisi quòd seculares quidam, qui vellent nostrum inuadere Monasterium, nobis moliuntur insidias. Vnde vobis est studiosè propter charitatis debitum persoluendum, Deus orandus vt quod nobis maximè conducit in corde Principum operetur.

AD LVDOVICVM. EPISTOLA XCII.

PRÆCELLENTISSIMO *atque clarissimo Abbatum summo Ludouico, Lupus plurimam salutem.* OCCVPATIONVM vestrarum considerationem habens, paucis vobis aperio magnum Adalh. cùm adhuc proficisceretur mihi serio promisisse,
B quòd nunc opportunitate se vltrò ingerente Cellam sancti Iudoci nobis recuperaturus esset, & ne quis apud Regem nobis aliquid nocere posset in omnibus prouisurus. Cùm autem ab Aquitania Dei seruatus clementia reuersus essem, & à tantis calamitatibus, quas pro Regis fidelitate passus fueram, vellem aliquantulum requiescere, fama dispersit datum nostrum Monasterium Egilberto. Itaque de vtroque memores amicitiæ nostræ, solito more me adiuuare contendite: præsertim cùm & meam fidem in Regem & seruitium cognoscatis, & fieri magnam indignitatem facilè comprehendatis, me cùm prędicto Egilberto conferri, nedum mihi eum pręferri. Quæ proponere in tali negotio debeatis, breuiter amplexus essem, nisi naturali prudentia & eruditionis copia vobis vltrò suggererentur. Cupio vos benè valere, & paruitatis meæ memores lætioribus in dies augeri successibus.

AD DOMINVM REGEM CAROLVM. EPISTOLA XCIII.

EXPLICARI facilè non potest, quàm cupiam, Domine mi Rex gloriose CAROLE, ego vltimus vester famulus, in omnibus vestràm prosperitatem & spiri-
C talem & secularem. Propterea aliquotiens & verbis & scriptis vltrò me ingessi, vt mea deuotio, opitulante Dei gratia, vestræ prodesset felicitati. Nunc etiam quod vtilissimum vobis & vestro Regno multa meditanti occurrit, paucis aperio. Obseruantia iustitiæ non solùm apud Dominum meritum vobis comparat, verùm etiam terrenam potestatem confirmat. Bonorum societas profectum vobis & laudem parit, ad exemplum beati Dauid, qui se imitandum proponens, ait: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Segregatio etiam peruersorum æquè laudabilis est, vt idem ipse Dauid instituit: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, nec direxit in conspectu oculorum meorum.* Quod autem fidissimus quisque debeat esse familiarissimus, illa sententiâ instruimur, Quæ pestis ad nocendum efficacior esse potest quàm familiaris inimicus? Quorum consilio Respublica, Domino faciente, de quo dicitur: *Fiat pax in virtute tua*, possit esse tuta & quieta, sanctæ literæ his verbis insinuant: *Multitudo sapientium sanitas est orbi terrarum.* Hi enim intelligunt quòd non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et in Dauidis consiliis: *Ab æquitatis tramite non recedunt.* Vnde & eadem consilia ab ipso Domino ad vtiles diriguntur effectus. Alibi etiam satis hinc apertè docemur, vbi legimus, *Consilium semper à sapiente perquire.* Sapientem hîc intelligimus, quem aut experientia docuit, aut lectio erudiuit, aut inspiratio diuina ceteris prætulit. Magnum aliquid facturi, quæso recolite memoria illud quod prudentissimè dictum est: *Antequam incipias consulto, & vbi consulueris maturè facto opus est.* Sic enim & præcipitatio vitabitur, & nocitura dilatio.

Romani orbis terrarum Domini quibus consiliariis vsi sunt, hac vna & breui sententia ad vestram nostrámque vtilitatem considerare dignamini. Fidum erat & altum Reipub. pectus Curia, silentique salubritate munitum & vallatum vndique, cuius limen intrantes abiecta priuata charitate, publicam induebant. Tales quæso, tales quærite, qui publicam dilectionem, hoc est totius populi, præferant priuatis commodis: & miserante Domino motus isti molestissimi conquiescent. Imperatorum gesta breuissimè comprehensa vestræ maiestati offerenda curaui, vt facilè in eis inspiciatis, quæ vobis vel imitanda sint, vel cauenda. Maximè autem Traianum & Theodosium suggero contemplandos, quia ex eorum actibus multa vtilissimè poteritis ad imitandum assumere. Ita diutissimè regneris, vt semper Deus regnet in vobis. A

AD MARCVVARDVM. EPISTOLA XCIV.

RELIGIOSISSIMO *Patri Marcuuardo Lupus in Domino salutem.* SI prudenter cogitemus quòd originalis peccati merito iustissima Dei vindicta exules facti sumus, cùm aduersæ nobis contingunt non mirabimur. Repulsi enim à lætitiæ patria, in vallem lachrimarum sumus deiecti. Domini potiùs ineffabilis clementia suspicienda, piéque laudanda est, quæ nos nec in ipsa ira deserit, & tristia blandis plerumque temperat: ne mœrore victi, in desperationis barathrum corruamus. Vnde culpanda quorundam temeritas est, qui gratiæ diuinæ continuis assuefacti beneficiis, dum aliquibus tanguntur incommodis, peccata querelis augent, quorum debita nec admoniti recognoscere debuerant. Credibile tamen est in numero fidelium aliquos esse sanctitate, quam diuinitus acceperint, egregios: quorum non tam delicta curentur aduersis, quàm merita augeantur. Neque enim soli beato Iob Deus munus hoc contulit, quem ad mirandum seruis suis in arce patientiæ collocauit. Qui vicit in illo, vincit in multis, eum quibus se futurum vsque in finem seculi pollicetur. Si cuius felicitatem nulla vnquam perturbatio interpeller, quam tardus est, nisi metum hinc concipiat, ne cum purpurato diuite quondam audiat: *Recepisti bona in vita tua.* Et quomodo non eum illa veridica terreat sententia: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt?* Ille verò qui vigili memoria repetat: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit*, si morbo grauetur, excessu necessitudinum temperetur, substantiæ imminutione vel amissione pulsetur: quomodo non ad affectum gratias agendi pio parenti exciretur, cuius cura se dignum correptionis priuilegiò ipso instituente præsumitur? Futuræ vitæ dulcedo segniùs appeteretur, nisi sæpiùs præsentis amaritudo sentiretur. Multi hac qualis est delectantur, nimirùm plures delectarentur, si assidua prosperitas vota omnium sequeretur. Proinde quis non videat incomprehensibili Dei pietate per molestam huius vitæ mutabilitatem impelli nos quodam modo ad capessendam alterius vitæ immutabilitatem, impelli nos pietate per molestam huius vitæ mutabilitatem? Dominus Iesus, qui cum Patre & Spiritu sancto beatitudo nostra erit, eos qui eius magisterio adhærebant ad toleranda aduersa suo exemplo sic informat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ne se diligi desperarent ab eo cùm variis quatetentur incommodis, quando dilectissimum patri filium per eadem transisse recolerent. Nec quid eis immineret occultans in mundo, *in quo pressuram habebitis*, sed, *confidite, ego vici mundum*, scilicet vt superandi vires in illo se habere cognoscerent, qui omnipotens esset. Sanctus Apostolus, in quo euidenter Dei spiritus loquebatur, sua tempora videns, nostra præuidens: *Qui volunt*, ait, *viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* Persecutionem autem hanc religiosis intelligimus inferri, vel ab immundis spiritibus, vel à prauis hominibus. Verùm siue Deus temperet, siue temperari permittat, ne muliebriter pauidi succumbamus, alibi nos his verbis confirmat, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quàm potestis, sed faciet cum tentatione exitum, vt possitis sustinere.* Nihil itaque importabile nobis euenisse causemur, quoniam qui certamen proponit, si postulerur fideliter vincendi copiam subministrat. Benedicamus ergo eum in omni tempore, qui & prosperis nos inuitat, & aduersis castigat, & sit semper laus eius in ore nostro: vt quod ipso largiente in secula seculorum facturi sumus beati, iam nunc meditemur deuoti. Hæc adeo per solationem strictim vitandi fastidij gratia comprehensa sanctitati vestræ dirigere studui, quæ vobis credo esse

A profieua, quia & ex charitatis fonte petita sunt, & ex eodem fonte manarunt. Mei benignè memores cupio vos valere feliciter.

AD HERIBOLDVM EX PARTE REGINÆ. EPISTOLA XCV.

IN *nomine Domini solius & omnipotentis Irmindrudis ipsius gratia ordinante Regina, Heriboldo venerabili Episcopo salutem.* QVONIAM diuturna infirmitas grarum nobis vestræ sanctitatis denegat colloquium, absenti scribimus quod præsenti libentius diceremus. Germanus vester destitutus honoribus ptopter homines qui ei famulari sunt, maximè anxius nostræ pietatis opem expetit, confidens post Dominum, nostra opera se calamitatis molestiam euasurum, quam solita mansuetudine miserantes, opportunitatem Domino præbente, cupimus adiuuare. Verùm vt in Palatio voluntatis nostræ præstolari possit effectum, suademus ne grauemini eius indigentiam collatis necessariis temperare. Cùm enim soleat vestra largitas ministrare postulata externis, etiam germano indigenti non sine spe diuinæ retributionis idem valet præstare. Quod facilè sacris monstraremus eloquiis, nisi vltrò ea vobis occurrere crederemus, & nostræ vestræque personæ haberemus considerationem. Impendite igitur debitum religioni & necessitudini affectum, & in orationibus nostri assiduè memores benè valete.

B

AD CAROLVM REGEM. EPISTOLA XCVI.

GLORIOSO *Domino præcellentissimo Regi Carolo integrè fidelis Lupus.* CVM à vestrâ Maiestate digrederer, præcepistis vt impendente Quadragesima quiddam vobis dirigerem, vnde caperetis fructum aliquem ædificationis. Sermonem itaque beati Augustini, in quo iurandi consuetudinem dissuadet, quàmque sit ferale periurium ostendit, vestræ prudentiæ destinaui: profuturum vobis plurimùm credens, si vobis admonentibus quidam assiduè iurare desistant, & quod rectè iurauerint non contemnant. Non adulandi vitio in gratiam vestram dico, sed desiderio salutis eorum, qui nobiscum in cœlum inuocant. Quicumque fidem vobis iureiurando firmauerunt, si ab ea saltem latenter deficiunt, iam sibi mortem animæ intulerunt: nec possunt esse filij Dei, qui nolunt esse pacifici. Admoneantur ergo nostra industria sui periculi, & saluberrima institutione tanti doctoris ad correctionis remedium inuitentur. Misi prætereà Celsitudini vestræ gemmas, quas dudum opifex noster exsculpendas, & poliendas acceperat, quarum formam atque nitorem, si approbaueritis, memorato artifici gratulabor. Opto & oro vt bene semper agatis, & propitio Deo felici successu diutissimè gaudeatis.

C

AD HILDVINVM. EPISTOLA XCVII.

PRÆCELLENTISSIMO *Abbati Hilduino, Lupus temporalem & perpetuam salutem.* RECORDANS nostri conuictus in vestra adolescentia, & initio meæ iuuentutis consuetudinem, & cogitans quòd vestra nobilitas morùmque probitas blandimentis fortunæ nullatenus valeat immutari, quemadmodum tunc familiariter loquebamur, ita nunc vobis simpliciter scribo. Omnibus, vt pluribus videtur, vestri propositi in largiendis opibus omnipotens vos Deus prætulit, & sine dubio cui tantùm contulit, plurimùm ab eo reposcet. Ipse enim dicit: *Qui glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Itaque non sit vobis oneri quod illaturus sum. Honorate illum timore ipsius, & amore, qui vos tam sublimiter honorauit, & dum nobis bona suppetunt in hoc seculo, curate illi qui hæc dedit indesinenter placere: nec vos decipiat transitoria felicitas mundi, cui perpetua promittitur beatitudo cœli. Exercete vbicumque potestis iustitiam, & quibuscumque sufficitis impendere misericordiam: quia qui vobis benè agendi facultatem largitus est, quamdiu id promissurus sit ignoratis. Ipsius vox est: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Nos etiam, qui vos vnicè diligimus, & per vos solatium aliquod habituros confidimus, aliquantulam diuturnitatem dignitatis vos possessuros credimus, si vos largitori bonorum omnium deuotè summiseritis, donec vos videre mereat absque fastidio. Hæc frequenter legite aut recolite, vt sicut de ve-

stra excellentia gloriamur, ita de probitate certiùs exultemus. Peto etiam, vt A propinquum meum Abbatem Cellæ vestræ quæ dicitur Cor. quia Deo, vt credimus, & bonis omnibus, vt palam est, pro sua probitate placet, honorificè suscipiatis, benignè tractetis: & quod sufficere credo, sicut vestram decet nobilitatem, & honestam eruditionem, ac bonæ famæ augmentum, sic dignemini consulere illi semper in omnibus, tantum semper, quantum cupiunt qui bene sciunt. In seculo & in Domino valeas.

AD GVENILONEM EIVSQVE SVFFRAGANEOS. EPISTOLA XCVIII.

RELIGIOSISSIMIS *Patribus, & Fratribus Gueniloni Metropolitano Senonicæ sedis Antistiti, & vniuerso Clero eius, & ceterarum Ecclesiarum Præsulibus, qua Diœcesi memorata Sedis censentur, cunctis in eis Domino famulantibus, Clerus matris Ecclesiæ Parisiorum, & Fratres Cœnobij sancti Dionysij, & sancti Germani, & beata Genouefæ, ac Fossatensis, diuersórumque Monasteriorum vnanimitas, præsentem & futuram salutem.* VENERABILEM Pastorem nostrum Ercanradum nuper decessisse cùm longè latéque vulgatum sit, tum sanctitatem vestram latere non potuit, nósque affici mœstitia de vocatione Patris defuncti, ac sollicitudine promoueri de electione successuri, prudentia vestra intelligit. Cùm enim principaliter se futurum Dominus Iesus pollicea- B tur cum his qui principes religionis existunt, non patimur diu carere Antistite, cuius doctrina ad salutem nostram instituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Eius, vtpote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura destitutos firmissimè credimus, dum ipse curas nostras sua clementia sustulit, & vota vltronea benignitate præuenit. Namque ipse, in cuius manu cor Regis est, gloriosi Domini nostri Caroli, quemadmodum plenè confidimus, menti infudit, vt eius nos regimini committeret, quem in diuinis & humanis rebus sui fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiã, & Regis nostri piam suspicientes prouidentiam, Æneam, cuius præconia præmisimus, concorditer omnes elegimus. Æneam Patrem, & Æneam Pontificem habere optamus. Quamuis enim tanta prudentia ac probitate præcellentissimus Rex noster polleat, vt solùm eius iudicium de viro memorato posset sufficere, tamen conditionis humanæ nescij, futurorum curiosi, Aulicorum nos ipsi propositum ac mores longè priùs inspeximus, & inter graues probabilésque personas & sanctitate feruentes, hunc, quem Antistitem habere cupimus, quotquot eum nosse potuimus, vt nùnc palam est absque errore annumerauimus. Proinde sancti Patres annitimini, ne diuini, & regij beneficij torqueamur, sed nobis suspensis, nobis desiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna super candelabrum: vt lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione Præsulis vestigia tenens, sempiternæ beatitudini præparetur. Professionem verò nostri consensus in Æneam, Deo annuente, per vestrum ministerium nobis futu- C rum Antistitem subscriptionibus nostris certatim roborauimus: vt nostra vnanimitate comperta, votum summa properantia compleatis.

RESCRIPTVM EPISCOPORVM AD IPSOS. EPISTOLA XCIX.

GVENILO *sanctæ Senonicæ Sedis Metropolitanus Episcopus, Heribertus Antissiodori Episcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricassiorum, Her. Niuernensium, Frotb. Carnutum, Hildeg. Meldorum, Clero matris Ecclesiæ Parisiorum, & cunctis in diuersis Cœnobiis sub ea Domino militantibus, salutem.* DE excessu reuerentissimi Coëpiscopi nostri Ercanradi non mediocriter anxij, vestrique mœroris participes, tandem iustissimæ dispositionis Dei memores consolationes recipimus, dum vos sub pastore bono agentes, qui summè bonus est, vicarium eius scilicet visibilem, ministerique nostri consortem absque dilatione expetere vestris literis tenentibus lineas rationis cognouimus. Præparatum enim à Domino ei bonum exitum credimus, cuius nunc re talem videmus patere ingressum: quamquã nobis futurus nunc socius olim fuit præcognitus, & meritò suæ probitatis amabilis. Quis enim vel leuiter tetigit Pa-

A latium, cui labor Æneæ non innotuit, & feruor in diuinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem vestram in eo factam Deo propitio libenter sequimur, vt eum profuturum populo eius, ad dignitatem Pontificatus promouendum concorditer decernamus. Sit igitur vobis pastor, qui pro suis in Deum meritis benè complacuit, & sequentes eius veracem doctrinam, & sancta opera imitantes, ad cœlestis regni pascua properate felices. Ordinationi autem eius subscripsimus concorditer vniuersi, vt securi ministerio potestatis eius fruamini.

ADMONITIO. EPISTOLA C.

DIVERSIS malis afflicti, causam eorumdem malorum debemus cognoscere, & cognitam, auxiliante Dei misericordia, euitare. Causam prosperitatis & aduersitatis Spiritus sanctus apertè demonstrat his verbis: *Iustitia eleuat gentem, miseros facit populos peccatum.* Peccatum, quo miseri efficimur, hoc esse credibile est, quod cùm simus fide Christiani, destruimus factis nostram professionem. & quia beatitudini sempiternæ felicitatem præponimus temporalem, & illam nisi resipiscamus perdimus, & hanc, quæ quantulacumque posset esse, si recti esse vellemus, non apprehendimus. Quia ergo vindicta Dei & in hac vita temporaliter incipit, & vsque ad alteram, quæ finem non habet, nisi conuersio subueniat, pertendit, & hîc sæpè bonos bona temporalia comitantur. Alibi autem eosdem bonos æterna
B bona coronant, siue prælatos siue subditos. Omnes deponamus excusationem, & cùm sibi vnusquisque nostrûm sit conscius, in quibus maximè Deum offendit, communiter eum & obedienter audiamus monentem, *Redite præuaricatores ad cor.* Itémque, *Lauamini, mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersè, discite benefacere.* vt per pœnitentiæ salubrem cursum, perueniamus ad indulgentiæ tutissimum portum. Ita enim valebimus non solùm effugere mala præsentia, verùm etiam bona sperare ventura. Dediscamus sola carnalia appetere. De consequendis spiritalibus aliquando cogitemus, & vt nostræ cupiditates temperentur, & modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus, quos in dignitatibus vidimus, nec obliuiscamur quòd eos quotidie sequimur. Ad mortem enim sine intermissione properamus. Repetamus mores, quibus hoc Regnum creuit, & viguit. Nullæ sint factiones, nullæ conspirationes inter nos, qui patrem inuocamus Dominum: quibus dicunt Pontifices, *Pax vobis*, & pro quibus omnes concorditer orant Sacerdotes: *Da propitius pacem in diebus nostris*, &, *pax Domini sit semper vobiscum*, & quibus polliceri Deus dignatur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Illa comminatio eius non videatur nobis contemptibilis: *Væ illi, per quem scandalum venit*: ne fortè, quod ipse auertat, sola vexatio det aliquando intellectum auditui, vt infelici experimento, quod nunc non credimus, aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus. Prędas & rapinas
C conuersationi Christianæ nimis contrarias, & à regno Dei miserrimos excludentes, penitus deponamus. Contra hos enim sic sermo Apostolicus fremit, *Neque rapaces regnum possidebunt.* Pro Dei timore atque amore lucra propria intermittamus, bono communi & publico certatim & vnanimiter consulamus: vt dum tranquillitatem fidelibus præstare nitimur, & vires resistendi infidelibus recuperemus, & ab eo, qui est omnipotens, vtriusque pacis, id est qualis nunc esse potest, & illius consummatæ quæ solis electis dabitur, gaudia consequamur. Illud autem neminem nostrûm fugiat, quibusque doctissimis vsque ad nostram ætatem probatum & creditum, quia per concordiam paruæ res crescunt, per discordiam verò maximæ dilabuntur: ne fortè dum cupimus nostra securiùs tenere, vel ad maiora capienda feliciùs conscendere, iusto Dei iudicio ruina nos Regni, quam nostris dissentionibus præparamus, inuoluat, & in perniciem animæ & corporis pertrahat.

AD EPISCOPOS DE PEREGRINORVM RECEPTIONE EX PARTE GVENILONIS. EPISTOLA CI.

REVERENTISSIMIS *Præsulibus Italiæ & Galliæ, ceterísque Dei fidelibus, Guenilo Senonum Metropolitanus Episcopus in Domino salutem.* QVOTIENS, iusta extante causa, sanctitatem vestram alloquimur, charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris

per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, id agendi tribuit fiduciam: præsertim A cùm gratuito negocio pietatis proueniat incrementum. Monachi Prouinciæ ac dioecesos nostræ ex Monasterio quod appellatur Bethleem, siue Ferrarias, nomine Aldulphus & Acaticus, Presbyterij gradu ornati, diuino vt credimus instinctu Romam proficisci orandi studio destinarunt, & nostra Abbatisque sui nobis admodum dilecti Lupi accepta licentia propositum exequuntur, quos vestræ paternitati de more commendamus: implorantes, vt quia laborem peregrinationis pro æterna remuneratione susceperunt, consolationem in vobis in eundo ac redeundo eam inueniant, qua deuoti à religiosis fouentur. Eritis enim mercedis eorum participes, si laboris fueritis beneuoli adiutores. Cupimus vos valere feliciter.

ITEM EX PARTE ABBATIS. EPISTOLA CII.

PLVRIMA *veneratione suspiciendis Episcopis Italiæ ac Galliæ, reliquisque Christiana religione pollentibus, Lupus Abbas ex Monasterio quod dicitur Bethleem siue Ferrarias, situm in dioecesi Senonica vrbis, cui præest reuerentissimus Guenilo, præsentem & futuram salutem.* QVAMVIS vergente in occasum mundo, non dubito in electorum corde feruere charitatem, quæ meritò in sacris eloquiis latum appellatur mandatum: ac propterea non erubesco postulare ab illis aliquid, quibus nihil præstiterim, & quos penitus facie nesciam, ea bonis vsitatissima charitate; Deus qui nos facit vnanimes B habitare in domo perpetuis bonis transeuntia mutare, lucrum esse maximum instruit. Proinde suggero sanctæ paternitati vestræ, Monachos & Presbyteros, quorum alter vocatur Aldulfus, alter Acaticus ex nostro collegio Romam supplicatum proficisci statuisse, & Antistitis memorati, ac nostro permissu, quod exoptauerant, adimplere. Vestra ergo beneuolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere, quia & sufficiens viaticum tanto itinere ferre fuit eis impossibile, & mercedis eorum vos credimus fore consortes, si expetiti fuerint laboris sui pro Dei nomine cooperatores.

AD DOMINVM APOSTOLICVM. EPISTOLA CIII.

DOMINO *præcellentissimo, & omnibus Christianis vnicè singulariterque venerando vniuersali Papæ Benedicto, vltimus Abbatum Lupus ex Monasterio Galliæ, quod vocatur Bethleem siue Ferrariæ, præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem.* TEMPORE decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis, functus Legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis & ab eodem Antistite exceptus benignè atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declarauit, nec tantùm potestatis beatissimi Petri participes, verùm etiam humilitatis quam in allocutione Cornelij vulgauit heredes, vera morum vestrorum expensio certa ratione perdocuit: ausus sum ego C tantillus cognitioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, meamque exiguitatem & fratrum meorum Monachorum vnanimitatem eximietati vestræ committere; vt vestris sanctis orationibus mereamur à Deo & in præsenti vita consolationem, & in futura communionem salutis feliciter consequi. Fratres præterea & compresbyteros nostros Aldulphum & Acaricum, qui spontaneam peregrinationem pro nomine Domini susceperunt, & quamquam laboriosissimè ad memoriam beatissimorum Apostolorum, ceterorúmque Sanctorum tandem aliquando peruenerunt, specialiter vestræ mansuetudini commendamus, vt eos pietate competenti fouere dignemini, & consuetudinibus Ecclesiasticis, quæ variè in diuersis locis tenentur, diligenter instruere: vt per eos ad nos, & ad ceteros quosque talia piè quærentes, institutio Romana perueniat. Siquidem in quibuscumque ad religionem & honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas, vt optima quæque eniteant, illuc sollicita inuestigatione credimus recurrendum, vnde vbique fidei manauit exordium. Ceterùm, quia parentes thesaurizare debent filiis, vt Doctor Gentium manifestat, nósque vobis obsequentissimi filij esse cupimus, Commentarios beati Hieronymi in Hieremiam post sextum Librum vsque in finem prædicti Prophetæ, per eosdem Fratres nobis mitti deposcimus in codice reuerendæ veritatis: vestræ sanctitati, si id obtinuerimus, postquam celeriter exscriptus fuerit, sine dubio remittendos. Nam in nostris regionibus nusquam vllus post sex-

A tum commentarium potuit inueniri,& optamus in vobis recuperare quicquid paruitati nostræ deesse sentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, & xij. libros Institutionum Oratoriarum Quintiliani, qui vno nec ingenti volumine continentur, quorum vtriusque Auctorum partes habemus, verùm plenitudinem per vos desideramus obtinere. Pari intentione Donati Commentum in Terentium flagitamus. Quæ Auctorum Opera si vestra liberalitas nobis largita fuerit, Deo annuente, cum memorato sancti Hieronymi codice, fideliter omnino restituenda curabimus. Sanctitatem vestram ad totius Ecclesiæ vtilitatem diuina clementia diuturnis temporibus conseruare dignetur.

AD REGIMBERTVM. EPISTOLA CIV.

CHARISSIMO *suo Regimberto Lupus in Domino salutem.* DESIDERAMVS quidem aduentum vestrum, vt dignum est, quem iam certæ litteræ spoponderunt: sed suademus vigilantissima cautione tutum iter eligendum, propterea quòd in Regno CAROLI Regis nostri nouis exortis rebus, impunè lattocinia committuntur, & nihil securiùs atque constantiùs, quàm rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur est commeantium quærenda societas, quorum numero atque virtute improborum factio euitetur, aut si necesse fuerit repellatur. Catilinarium & Iugurthinum Sallustij librósque Verrinarum, & si quos alios vel corru-
B ptos nos habere, vel penitus non habere cognoscitis, nobis afferre dignemini, vt vestro beneficio & vitiosi corrigantur, & non habiti nunquámque nisi per vos habendi, hoc gratiùs quo insperatiùs acquirantur. Cupio vos valere feliciter.

AD MARCVVARDVM. EPISTOLA CV.

CHARISSIMIS *suis Marcuuardo & Egili, Lupus plurimam salutem.* OCTAVO Idus Augusti literas vestras accepi, cùm essem in Fatæ Monasterio proficiscens ad generale Placitum quod Rex noster indixerat futurum VI. Id. prædicti mensis. Quia itaque quatuor mecum tantummodò Fratres habebam, & ceterorum voluntatem plenè scire non poteram, & mira nimium res contigerat, quòd scilicet in Monasterio nostro educatus, postquam diuinam admonitionem assiduè audierat, nullam persecutionem passus, matura ætate non heremum expetierat: sed proprio relicto habitu, dignitatem secularem, quod diu meditatus & confessus plurimis fuerat, luctaturus abierat, similibus paria facturis felix iter paraturus, & nunc ad suggestionem vestram proposito mutato, ad Dominum reuerti velle scribebatur à vobis: sanctitati vestræ notum facio, veræ illius conuersioni, si contigerit, me valde gratulaturum, & quæcumque in me commisit pœnitenti ex animo dimissurum. Vos, dum à Placito regredior, quod propter Dominum cœpistis, instanter
C elaborate perficere, videlicet vt integrè ad domum reuertatur, & suam culpam in alium deinceps transfundere non nitatur. Temperantiæ studeat, conspirationes non repetat, murmurum auctor nec particeps existat: seditiones nec faciat, nec foueat. Sed quietem & ipse habeat, & alios habere permittat, & generaliter iuxta Dei præceptum, declinet à malo, & faciat bonum, & in diebus nostris in loco nostro nihil patietur vnde iustè queratur. Mox autem vt rediero, fauente Dei gratia, vt vestræ suggestioni Fratres pateant elaborare contendam, illorúmque consensum sanctitati vestræ literis exprimam, & domino Imperatori, cui propter singularem, & vbique diuulgatam pietatem deuotissimi sumus, digno rescripto satisfacere curabimus. Benignè memorem nostri sanctitatem vestram felicissimè optamus, vnicè singularitérque nobis Patres dilecti.

DE RECEPTIONE PEREGRINORVM. EPIST. CVI.

OMNIBVS *Dei omnipotentis fidelibus, Guenilo Senonum Metropolitanus Episcopus salutem.* MONACHVS quidam nostræ Diocefeos nomine D. ex Monasterio quod appellatur Ferrariense, diuino vt credimus instinctu (est enim valde religiosus) laborem peregrinationis assumpsit, vt pro se fratribúsque suis Monachis, ac pro nobis apud beatissimos Apostolos Petrum & Paulum, ceterósque sanctos, Dei

misericordiam imploraret, & quod suis non posset eorum orationibus obtineret. A
Hunc vestræ committimus charitati, obsecrantes vt pro amore Dei, sicut seruum eum excipiatis, tractetis, atque dimittatis siue euntem siue redeuntem. Decet enim vt vbicunque religionem suam, hoc est Christianam, inuenerit, suam quoque patriam recognoscat, & inter ceteros hunc quoque faciatis amicum, qui suos in æterna tabernacula recepturus est.

ITEM VNDE SVPRA. EPISTOLA CVII.

DOMINIS *reuerentissimis Christiana Religione pollentibus, Lupus Abbas ex Monasterio Galliæ, quod appellatur Bethleem, siue Ferrariense, plurimam salutem.* MONACHVS noster, cui nomen est Doliualdus, magna simplicitate ac laudabili deuotione vir, spiritu Dei, vt omninò credimus, accensus, cum venerabilis Metropolitani Episcopi nostri G. ac nostra benedictione pro se ac pro nobis Deum & sanctos Apostolos Petrum & Paulum precaturus Romam proficiscitur: quo maiorem laborem assumpsit, hoc certiùs se exaudiendum confidens. Hunc vestræ sanctitati, probitati eius testimonium perhibentes, commendamus. Nec dubitetis huic impendere quod bono cuique indigenti præbendum est, quoniam licèt sit expers literarum, mandata Dei, quæ non legit in codice, demonstrat in opere, omniúmque inter quos versatur non amorem solùm, verùm etiam venerationem breui meretur. Vos itaque sic eum quæsumus vel euntem vel reuertentem tractare dignemini, vt ab illo, cuius verus est cultor, securi perenne præmium expectetis. B

AD DOMINVM LOTHARIVM. EPISTOLA CVIII.

PRÆCELLENTISSIMO *Domino Lothario glorioso Augusto, vltimus Abbatum Lupus, & omnis Monastery Ferrariensis vnanimitas præsentem felicitatem & futuram beatitudinem.* QVAMQVAM inter administrationem terreni Regni, de cœlestis acquisitione vos cogitare magnam spem vestræ salutis tribuat his qui sincerè vos diligunt, quòd sempiternum præmium bonis operibus comparatis: tamen hoc eos maximè lætificat, vt absque fuco adulationis quod sentimus simpliciter eloquamur, quòd potestatem culminis vestri gratissima Deo & hominibus pietate ornatis. In hac enim perseuerantes, inter eos annumerabimini quibus promittere dignatur Saluator, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nos deuotissimi famuli vestri specialiter Maiestati vestræ gratias agimus, quia fratrem nostrum G. ideo fratrem, quia audimus conuersum à suo proposito deuium, & auctoritate reuocastis, & mira dignatione, etiam intercessione, quæ vim iussionis meritò obtinet, ad nostrum collegium reduxistis. Debemus igitur vobis assignare post Deum nos eius correctionem, ille suam salutem. Nam quod scripta vestra significabant, vt resumpto habitu in officio condendarum epistolarum perseueraret, nec C
vos decebat, & nobis consentire erat impossibile: quoniam propositum nostrum vix mediocriter intra claustra Monasterij custoditur, nedum inter tumultus mundanos à quolibet, præsertim si non satis cautè valeat adimpleri. Dominus & Saluator noster ad tutelam & pacem populi Christiani, quem redemit, diuturna sospitate in hac vos vita contineat, & in futura gloria sempiterna coronet.

AD MARCVVARDVM ET EGILEM. EPIST. CIX.

CHARISSIMIS *suis Marcuuardo & Egili, Lupus omnísque Ferrariensis Cœnoby societas præsentem & futuram salutem.* TANDEM à Placito me reuerso ad Monasterium, Fratribúsque vestra diligentia conuersione G. exposita, ab omnibus talium capacibus sanctitati vestræ relatæ sunt dignæ gratiæ. Illi autem congratulatum, quod audiebant depositam certæ perditionis temeritatem, & resumptam obtinendæ salutis intentionem. Redeat itaque securus, si ex animo est vt optamus conuersus, quia vnde Angeli totius ex parte spectati gaudium habent, crudele est nos non exultare, qui in multis offendimus omnes. Siquidem quacumque occasione quis ad Dominum recurrat, gaudendum esse nobis, luxuriosus ille filius misericordiâ patris receptus informat: cui apud eundem patrem non fuit egestas opprobrio, quam

A quam gratis reformata dignitas aboleuit. Litteras domino Imperatori vobis legendas, ac sigillo munitas Maiestati eius per vos honorificè offerendas direximus, vt voluntatem nostram etiam in eis rectam inspiceretis. Folchricum & Mauricinum cupimus cum fratre memorato redire, vt piratio, quo vnicè delectantur (nam hoc anno penuria vini timetur) nobiscum fruantur. Raritas tamen fructuum idipsum defuturum, vt prodamus veritatem, minatur: ceruisiam verò sterilis annonæ prouentus. Tutò igitur naturali potu, quo salubritas animæ corporisque nonnunquam acquiritur, omnes vtemur: non hausta lutulenta cisterna, sed puteali perspicuitate, aut vitrei riui decursu. Optamus vos valere feliciter, & paruitatis nostræ benignè in omnibus meminisse.

AD HILDVINVM. EPISTOLA CX.

NOBILITATIS, *dignitatis & moderationis apice conspicuo Hilduino Ecclesiasticorum Magistro, Lupus præsentem & futuram prosperitatem.* NON est mirandum amplitudinem vestram putasse tutò committi nobis thesauri custodiam, propterea quòd Monasterij nostri situs vobis non erat compertus. Hunc enim si cognouissetis, non modo diuturno conseruandum, sed ne tridui quidem spatio habendum eum nobis direxissetis. Namque tametsi piratarum huc difficilis videtur accessus, quibus iam
B peccatis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est propinquum, nihil arduum est inuium: tamen infirmitas nostri loci, & exiguitas hominum, qui sine idonei resistere, accendit rapacium auiditatem: præsertim cùm siluis tecti possunt aduolare nulla munitione, nulla hominum obstante frequentia, & vicinia saltuum recepti, sic diuersi diffugere, vt ipsi pecunia securi potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Hæc ita esse & homines vestri nuper inspexerunt, & hic Iuo, qui diu nobiscum versatus est, poterit approbare. Proinde vestra meritò laudata, & laudanda prudentia, prospiciat nostræ formidini, & suæ rei ac preciosæ pericula aliò transferenda procuret, ne si quod veremur contigerit, vos sera pœnitudine torqueamini: nos verò quam non meremur incurramus offensionem. Eximietatem vestram cupio valere feliciter.

AD ODONEM. ABBATEM EPISTOLA CXI.

CHARISSIMO *suo Odoni Abbatum clarissimo, Lupus plurimam salutem.* MAGNIS & innumeris vestræ liberalitatis affectus beneficiis, si quas animo retineo gratias verbis explicare conarer, non Epistolæ solùm, verùm etiam voluminis modum excederem. Amplitudo vestra nostram exiguitatem non despexit, egestatem vbertate nimia subleuauit, nec tale quid me suspicari audentem, vtpote longè imparem, fidissima sibi amicitia coæquauit. Cuius ego suauissimis fructibus perfruens,
C tametsi facultate destituor, non desino anxius meditari saltem affectum mei animi declarare. Omnium siquidem amicorum, quos ab ineunte ætate diuina mihi pietas contulit, firmissimè vos teneo principem, nec cuiusquam alterius vt vestra dignatione & largissima humanitate me sentio obligatum: adeo vt cùm hæc repeto, roboris molestiam haudquaquam valeam euitare. Atque vnum ac singulare fessus reperio solatium, quod diuina gratia, quæ me nihil huiusmodi merentem in tantum culmen societatis euexit, collatura sit, ne in perpetuum erubescam. Quæso ne putetis sic me delinimentis fallacibus vobis illudere, quandoquidem tam sint apud me quę leuiter tango seria, vt in eis dignè explicandis quęsita laboret oratio. Ceterùm, vtinam fallax fama vulgauerit, in procinctu contra barbaros quosdam vestrorum grauiter sauciatos, in quibus admodū dilectum nobis G. lethalibus confossum vulneribus vix euasurum hinc vehementi dolore afflictus, opémque intercessionis cum fratribus meis continuās, super statu eorū cupio vestris litteris maturè fieri certior. Ingenti quoque vestri cura sollicitor, cùm vos inermes incautè in media discrimina prorumpere solitos recogito, inque iuuenilem agilitatem vincendi rapit auiditas. Proinde benigna deuotione suadeo, vt sola dispositione contenti, quæ tantùmmodo vestro proposito congruit, armatos exequi permittatis quod instrumentis bellicis profitetur. Denique multū proficit, qui prudētibus consiliis cōpetenter sibi & aliis prospicit. Quare seruate vos vestro loco, seruate vos amicis, seruate bonis omnibus,

nec committatis quod mecum plurimi lugeant. Emptionem ferri, quòd propter messem erat difficillima, distulimus, paraturi nauem quam ædificamus vos recipere, nisi naulum recusetis auferre. Dirigite impēdenti Septembri, si priùs non fuerit opportunum, quemadmodum nobis conuenit, Fratres qui saltus partem assignent. Infaustum etiam faustum efferant, & responsa de omnibus quæ mandaueritis fideliter referant. Persica, quæ pollicitus sum, per cursorem, quem iam benè cognoscitis, misi. Ea si vt vereor vorauerit, vel vi sibi erepta questus fuerit, extorquete precibus, vt vel ossa tradat, nisi tamen & ipsa consumpserit, vt iucundissimorum persicorum sitis quandoque participes. A

ITEM AD EVNDEM. EPISTOLA CXII.

CHARISSIMO *Odoni Lupus perpetuam salutem.* NVPER mihi litteras redditas si possem diuinare, à vobis ipsis quàm ab alio compositas, conueniens forsitan reperissem responsum. Nunc ambiguo deterritus, quibus verbis vti valeam, quibúsve sententiis, anxiè quæro: ne apud vos metas moderationis excedam, quandoquidem vestræ personæ singulariter mihi consideratio iugiter sit habenda. Quis enim me ferendum iudicaret, si vos, quibus præter gratias plurima, immo omnia debeo, sinistræ suspicionis arguerem? Nam si alium scirem Epistolæ auctorem, cohibito dolore doceri flagitarem, quibus tandem modis fidei studium aperiri præciperet, qui litteras, vt ita dixerim, calamo in veritate tincto perscriptas, suspectas tam inuerecundè fecisset. Ego enim nihil vnquam de humanis rebus homini locutus sum verius, nihil amico reuelaui purius, nihil retinere decreui constantius. B In rebus aliis libenter exercendi, aut delectandi gratia admitto ridicula. Porrò in professione amicitiæ contemplandæ, tanti támque diuini muneris seria sola complector. Hinc quiddam acutè de persicorum numero inuentum approbarem, si sic commendaretur sublimitas virginalis, vt non sperneretur humilitas coniugalis. Denique virginis filius non modò non damnauit coniugium, verùm etiam eius initium, nuptias videlicet, primo miraculo illustrauit. Placet itaque ac vehementissimè virginalis integritas, sed non despicitur ne ab ipso quidem Domino coniugalis societas. Iam illud quàm lepidum est, quòd recipi mecum in nauem imponendæ vobis mercedis taxatione refugitis. Sed si vos necessitatis articulus, quod futurum arbitror, constrinxerit, quem offerentem tam insolenter repellitis, iustè recusantem prospicite, ne impudenter implorare cogamini. Verùm vt grauitatem stilus tepeat, strenuè profligatos barbaros, & ad internecionem cæsos, vestra, immò Dei virtute gaudeo, vósque ipsos & vestros ineffabiliter exulto discrimine liberatos: nec minus partim admonitos, partim expertos, tandem vos credere non temerè fortunam, nec sæpè tentādam. Pro G. reliquisque in defensionem patriæ sauciatis, non cessabimus preces fundere, quousque vestra relatio paruitatem nostram sanitate illis restituta lætificet. Faustum dirigi postulaui, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in Decretis Gelasius. Vinum vobis mercandi curam deposueram, propterea quod desperabatis possibile vobis futurum ad nos destinare, nostrorum discordia & barbarorum impediente audacia. Quoniam verò recenti me sollicitastis admonitione, quanquam vindemiæ apud nos non est quantus iactabatur C prouentus, vincere sterilitatem anni labore contendam, si consilium, quod vobis nuncius meus exponet, placuerit. Illud autem quod pollicitus sum cùm direxero, cognoscetis quanta proprietate intelligam indulgentiam Apostoli, qua se auidiores vini tuentur: *Modico vino vtere.* Circumsepti enim conditionis necessitate, non aliud quàm à me missum bibendi modum dedisse nomine medici me sentire animaduertetis, licèt minaciter Epistolam terminauerim. Cupio vos valere feliciter.

AD LVDOVICVM ABBATEM. EPISTOLA CXIII.

CLARISSIMO *Abbatum Ludouico præsentem & futuram salutem.* NON dubito vbertate diuinæ gratiæ factum, vt vestra sublimitas meæ humilitati dignaretur condescendere, & me in qualicumque amicorum ordine numerare. Per vos enim & sæpè alias, & proximè, intolerabili me incommodo diuina pietas liberauit, cùm molesta nimis & diuturna statio imponeretur. Vestris itaque innumeris &

A assiduis beneficiis me impatem credens, & confitens respondere, omnipotentem imploro, cuius munere tantam & in me, & in omnes opis egentes estis beneuolentiam consecuti. Ceterùm homines mei frequentibus exhausti expeditionibus, audita profectione domini Regis Britanniam versus, & denuntiati olim Placiti aliquam sperantes dilationem, poposcerunt vt vos consulerem, vbi & quando vobis iungi deberem. Proinde vestra indulgentissima moderatio nostras metiens difficultates, dignetur nobis litteris exprimere, quamdiu post præstitutum Placiti diem tutò morari possimus: ita vt nec desimus Placito, & aliquid spatij vestro nos consilio regente lucremur. Illud etiam ne fastidiatis subiungere, si absque periculo piratarum nauis nostra expensam vehens possit tenere cursum per Sequanam, & inde per Confluentem Isaræ vsque ad Credilium progredi. De vestra exoptabili sospitate super omnia paruitatem meam lætificate, meique benignè memores, benè semper valete.

AD EVNDEM. EPISTOLA CXIV.

CLARISSIMO *Abbatum Ludouico Lupus plurimam salutem.* VESTRIS frequentibus, immò assiduis beneficiis obligatus, doleo rebus me non posse rependere gratias. Propterea id proximè conatus sum litteris agere, nec ruboris mei angu-
B stias amplitudinis vestræ dignatio fastiduit. Vnde quod solum possum ingenuè fateor, artiori paruitatem meam debiti vinculo deuinxistis. Hæc tam ingens vestra beneuolentia, & in me, & in omnes, à quo sole infunditur, ab eo credo remunerabitur. Nos, qui vestri post Deum indigemus continuis petitionibus, æternæ illius retributionis augmenta præbemus. Positus in itinere comperi dominum Regem, ne tunc quidem quando constituerat, ad vos reuersum. Proinde dilationem flagitantibus hominibus meis, vt soleo, ad præsidium consilij vestri confugio. Quod sic quæso moderamini, quæ mihi agenda sint præscribentes, vt & ab offensa tutus esse valeam, & si in retundendis aut opprimendis Barbaris, inspirante Deo, efficax molitio statuitur, pro viribus meæ tenuitatis adiutor existam. Quantum cupio in perpetuum valeatis.

AD ERCANR. EX GV. ET ALIORVM PERSONIS. EPISTOLA CXV.

REVERENTISSIMO *Præsuli Ercanrado, G. H. & Ag. Episcopi, & vniuersa Synodus apud Murittum in Dei nomine congregata perpetuam salutem.* SANCTITATI vestræ gratias agimus, quòd quamquam tardiusculè, tamen vestrum vicarium direxistis, qui pondera delibetationum nostrarum nobiscum exciperet, definiendisque rebus necessarium conamen adhiberet. Sed persona vestra apud simplices
C quosque tantum amplius contulisset auctoritatis, quantum præcedit apice dignitatis. Proinde quia peccatis nostris merentibus turbulentissimum tempus est, & tot sibi succedentibus annis exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi Conuentum, ac Regis cor Deus ita molliuit, vt nobis aliquam correctionis largiatur opportunitatem, momenta verò vitæ nostræ nullam sui transitus dilationem recipiunt: causam ipsius Dei nostri haudquaquam segniter debemus curare, nec nos ab executione officij, quod indigni suscepimus, vlla nisi impossibilitatis necessitate subtrahere. quoniam vt scriptum est, *Homo videt in facie, Deus autem in corde*, qui *redditurus est*, vt alibi verissimè dicitur, *vnicuique secundum opera sua.* Atque vtinam super erogaremus aliquid, vt ipse rediens optata mercede cumularet. Charitatis igitur nostra detrimenta, vbi aliquot discipuli benè iam instituti immatura morte decesserunt, compensare illorum eruditione, qui vel in profectu positi suæ profectionis augmenta desiderant, vel eorum qui felicibus indiciis spem sui profectus plurimi, id nobis cupientibus, iam dederunt, nimirum crederem me totius boni auctorem tam fructuoso promereri labore. Vt ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cui iustè consulitis, si licentiam & litteras sui habet Episcopi, perducatur ad nos à dilectissimo Remigio IV. Kal. Iul. & gratia Dei opitulante conabimur cum aliis illi quoque prodesse.

FRATRIBVS EX COENOBIO SANCTI GERMANI ALTISSIODORENSIS. EPISTOLA CXVI. A

SANCTIS *Patribus in Monasterio beati Germani Domino excellenter militantibus, Lupus cum socia congregatione Ferrariensi copiosam in Domino salutem.* SEMPER quidem in Cœnobiorum nostrorum habitatoribus vera charitas viguit, sed nunquam tamen certis indiciis, vt nostro tempore, sui magnitudinem declarauit. Ac in nobis si quid præter solitum exercuisset, supprimendum videretur, ne immemores beneficij exprobrationem nos formare aliquis æstimaret. De vobis liberum nobis est præsertim vera narrare, ad diuinæ laudis augmentum. Et quoniam confidentiùs experta asserimus, quàm audita, à memetipso inchoandum decreui, fidem propositioni facturus. Cùm proximo autumno insignis Rex noster Carolus Autissiodorum venisset, & comitatus eius proxima loca penè omnia occupasset, egentes hospitij, vos potissimum adeundos credidimus. Nec spe nostra falsi officiosè sumus excepti, & publicum vestrum conuictum regio famulatu nobis penitus adimente, quacunque hora elabi potuimus, nequaquam sensimus importunitatem nostram vobis oneri extitisse. Postquam per charissimum propinquum Remigium, & gratissimum auditorem meum Fridilonem, sanctitati vestrę satis fecimus, ostendentes votum nostrum, quibus reniti non valebamus, mandata Regis aliò quàm vellemus auertere, discessuri ne gratias quidem in Conuentu referendi copiam habuimus, quoniam moras omnes differendæ Legationis impossibilitas auferebat. Vnde in hac parte memoratos amantissimos Fratres vicem nostram implere obsecrauimus, B donec per nos id ipsum exequi Diuinitas largiretur. Ad hæc quæ suprà retulimus terrente prædonum improbitate, ornamenta Ecclesiæ nostræ occultanda curastis, nec ad id præstandum inuenti estis difficiles. Quæ secum reputans dilectissimus Frater noster S. & eum sibi tum etiam pluribus aliis nostrûm multa benignè collata recensens, impendente, vt metuebamus, ruina nostri loci, quam & nostra peccata, & piratarum vicinia minabantur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium nostri loci contubernium possideret. Verùm id etiam alij postulauerunt, optantes, licet diuersis in Monasteriis consistere, quàm cum maiorum suorum parte in villa versari. Quanquam igitur Deus incertus vtrum sua pietate in perpetuum subuersionem nostri Monasterij remouerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit, tamen prædictus frater, quod obtinendum conceperat, perseuerauit flagitare. Quod vtinam vobis annuentibus consequatur, ne simili causa coactus, vlteriora compellatur sectari. Supplicamúsque vt eum apud vos consistentem piè foueatis, quia meorum laborum diu particeps fuit, & pro sua probitate ac strenuitate semper gratus omnibus, & vniuersaliter vtilis est iudicatus. Præterea vestræ sanctitati plurimum confisi, misimus Fratrem Bernegaudum rudem adhuc Monachum, roganti vestræ paternitati obsecuturum, & in suo proposito perfectiorum exemplis atque doctrina studiosiùs confirmandùm. Exiguitatis nostræ benignè memores optamus vos valere feliciter.

C

AD ANSBOLDVM. EPISTOLA CXVII.

REVERENTISSIMO *A. Abbati, & vniuersis Fratribus, Lupus & omnis Ferrariensis Cœnobij societas in Domino salutem.* ASPERRIMIS difficultatibus euictis, gaudemus vos tandem aliquando gratia diuina loco proprio restitutos, nec illud non libenter accipimus, quòd nostram in vos pronam voluntatem pio affectu, iucundisque sermonibus prosequimini: quamquam longè plura atque maiora vobis præstita cuperemus. Tribulationes nostras partim dolenter audistis, partim anxij aspexistis, sed eas temperante vel penitus auferente Domino Deo nostro, cum vestro commodo vobis vestrísque, qui nos adierint, desideramus vsui esse ac sincerissimæ voluptati. Vt igitur familiaritas olim inita vberiori proficiat incremento, in occidua plaga recuperatæ facultates fuerint adiumento, dum excursus & recursus per nos quæ vtrimque gerantur aperiet. Cupimus vos nostri benignè memores semper valere feliciter.

A AD HERARDVM EPISCOPVM. EPISTOLA CXVIII.

REVERENTISSIMO *Turonicæ Ecclesiæ Antistiti Herardo Lupus, & Bethlehemitici Cœnobij vnanimitas plurimam in Domino salutem.* QVEMADMODVM scribere dignati estis, diuinitus cum exiguitate nostra familiaritatis fœdera sociastis. Charitas enim, vt scribit Apostolus, à Domino est, quæ maximè in his eminet qui sincera amicitia fœderantur. Vtinam autem vel orando spiritaliter, vel obsequendo seculariter, aliquid vobis conferre possemus: Profectò nostram in vos voluntatem fideliter aperiremus, quod in charissimo nobis fratre T. declaramus, quem secundum petitionem vestram ad regendos Monachos in Cella Roclena concedimus. Qui cuius momenti apud nos sit, ex officio quod laboriosissimè gessit facilè est æstimare. Supplicamus autem sanctitatem vestram, vt eum assidua pietate foueatis, sentiátque paternum in vobis affectum, cuius dulcedine semper inter mundi amarissimas molestias recreetur.

AD ÆNEAM EPISCOPVM. EPISTOLA CXIX.

B CHARISSIMO *suo Aeneæ Lupus æternam salutem.* DOCTRINÆ studiosissimo Regi nostro, quemadmodum vobis post alia intentionem meam aperui, quòd liberalium disciplinarum laborem recolendo, & alios instituendo, fauente totius boni auctore Deo, vellem repetere si otium ipse habiturus præmij communionem sua indulgentia concessisset; quod votum meum, sereno vultu, sermonibúsque blandis amplexus, vt ad effectum valerem perducere, se curaturum promisit: Id vobis continuò significandum credidi, ne oblata occasione nescireris, ad tantæ rei adnisum quibus esset inuitandus alloquiis. Me verò Monasterium ingredientem tristis excepit nuncius, ostendens Hildegarium vestrum, qui neptem meam habebat in coniugium, decessisse. Vnde proprio affectu, & propinquorum vtriusque lineæ impulsu asserentium, me apud vos plurimum posse, sanctitati vestræ has literas destinaui: supplicans, vt filio ipsius, super quo postulauit, concedere dignemini beneficium. Tutorem verò, qui & moribus vestris congruat, & militare obsequium exigat, laudabili prudentia statuatis. Relictæ memorati viri, eiúsque propinqui, decenter vos si obtinuero venerari studebunt. Deus autem aliis etiam bonis suffragantibus meritis, in eorum collegium aggregabit, quibus pollicetur, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Cupio vos valere feliciter.

AD ARBRICEN. EPISCOPVM. EPISTOLA CXX.

C DESIDERABILI *Pontifici A. Lupus & Fratres eius Monachi sempiternam salutem.* SVSPENSI ad benignissimas promissiones vestras tempus frustra fluere dolemus, cùm infestationes prædonum non possumus habere suspectas. Proinde vt vestrum acceleretur votum, nostrúmque depellatur periculum, suppliciter imploramus, vt propter cœlestem retributionem ipsi dignemini ad aliquem locum fatigari, quo non sit mihi & quibusdam fratribus impossibilis accessus, vt & vos nobis exponentibus nostram necessitatem, & nos vobis aperientibus, vestram voluntatem plenè valeamus cognoscere. Cum loco autem diem mensis exprimite, ne dubietate aliqua confundamur.

AD VVLFADVM ABBATEM. EPISTOLA CXXI.

VNANIMI *suo Vulfado Lupus omnimodam salutem.* FAMA vulgauit aduentum Regis aliter futurum, quàm fuerat ab eo dispositum. Causas igitur huius immutationis, & quo tandem tempore venturus sit, aut vbi interim moraturus, familiaribus literis aperite: vt ex eis quid mihi agendum sit, inspirante Dei fauore, valeat æstimare. Relatio enim cursoris fidem non inuenit, quoniam frequenter euidenti mendacio maculatur. Valete.

AD GERHARDVM. EPISTOLA CXXII. A

PRAECELLENTISSIMO *Duci G. & clarißimæ coniugi eius B. Lupus præsentem & futuram salutem.* SEMPER insignis fama de probitate vestra bonos quosque lætificauit, sed nunc in omnium notitia vberiùs effloruit, cùm eandem probitatem vestram successu profuturo Christianis omnibus diuinitas comprobauit. Illi laudes, illi gratiæ, illi exquisita præconia, quo auctore hostes molestissimos partim fugastis. Cùm verò quæ primo polliceri, postea promittere dignati estis, largiti fueritis, conabimur gratias cumulare. Ceterùm, quod diligenter scrutamini, noueritis Monachum & discipulum meum nonnumquam à nostro Monasterio aufugisse, sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcuuardi Abbatis ex Prumia, aut perperam à nobis eum honestè directum, & cum illo aliquandiu conuersatum, quorundam inuidiosorum vitasse insidias, & inde discendi studio, & quietis amore, in vrbe Lugdunensium constitisse. Reuerentissimis autem viris Remigio memoratæ vrbis Metropolitano, & H. Gratianopolitano instanter postulantibus, & conuersationem memorati fratris laudantibus, quamquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiam regulares literas accepisse, quæ prolatæ quid de eo sentiam, fideli relatione fatebuntur. Literas etiam eum Ecclesiasticas habere à venerabili Episcopo nostro G. certissimè scio, nec impedire aliquid, si Deus eum vocat, quo iustè eius infirmari possit electio. Benè apud nos conuersatus est, quo plurimum indiget Ecclesia. Idoneus est ad docendum, Regalibus & Pontificalibus fultus est Epistolis, progenitorum nobilitate ornatur. In secundo proposito iudicio prædictorum Antistitum, inter quos elegit, deuotè perdurat. Quid restat, nisi vt quod sanctis Præsulibus Deus inspirauerit fiat? Quid autem mirum, si aliquando asperiùs aliquid super eo locutus sum? Illud culpa fuit inimicorum eius impudenter falsa vulgantium. Istud quod nunc literis alligo meum est iudicium, constanter prima visa, & postea comperta narrantis. Cupio vos valere feliciter. B

AD ANSBOLDVM. EPISTOLA CXXIII.

CHARISSIMO *suo Ansboldo Lupus indeficientem salutem.* VEHEMENS ac generalis necessitas, vt comperistis, abduxerat, ac propterea nequiuimus, quemadmodum vterque nostrûm cupiebat, dum reuerteremini, fido recreari colloquio. Erit autem diuinæ gratiæ istud quandoque compensare dispendium. Interim sinceritate amoris probabiliter delectemur. Ceterùm redditæ sunt nobis dudum literæ diem ingressus vestri in Monasterium ostendentes. Quibus in Conuentu recitatis, & ab omnibus meritò collaudatis, rescripsimus quæ nobis consequentia videbantur. His autem recentibus inspectis, intelleximus illas nec dum vobis fuisse perlatas. Nunc verò idem Nonis Martij vos easdem habere opinamur: atque ideò quæ continentur eisdem otiosum esse repetere. Fratres omnes affabiliter salutate, & vt pro nobis, vtpote sibi deuotissimis, orare dignentur, suppliciter obtinete. Optimè vos valere optamus.

AD GVENILONEM EPISCOPVM. EPIST. CXXIV. C

REVERENTISSIMO *Gueniloni Pontifici Lupus præsentem & futuram salutem.* NON est mirum, si vos tamdiu Metropolitanus Episcopus mendacio fefellit, quando Dauid nequam seruus verisimili figmento ad horam decepit. Prædiorum, quibus donatus fuerat, medietate seruus ille multatus est. Episcopo verò timendum est, ne promissionum cœlestium integritate priuetur, cùm teste sapientissimo Salomone, eum detestetur anima Dei, qui seminat inter fratres discordias, & hoc & omnia quæ ab imprudentibus velut tædio & impossibilitate contemnenda ducuntur, facillimè iudicij exitum sortientur. Cum tanta euidentia in memoriam cuncta reuocabuntur, vt nec auctores malorũ purgare obiecta, immò declarata conentur, nec vlla rationalis creatura inde dubitare præualeat quæ Creatoris æquitas omnibus proposuerit cognoscenda. Ibi, nisi satisfecerit, eum trepidare frustra videbitis, quem vera referre vt homo falsi credidistis. Quomodo enim tantæ possem effici prauitatis, vt depositionem eius cuperem, cuius acceperam diuinitus conse-

A crationem? Testem eum securus facio, cuius experiemur vtrumque iudicium: quoniam postquam præesse cœpistis, & dignati estis me in familiaritatem assumere, semper optaui vos & in sanctitate proficere, & dignitate augeri. Et si meis rebus integris sinistrum aliquid, quod Deus auertat, vobis contigisset, paratus fui opem ferre pro viribus, & me amicissimum modis omnibus euidentissimè comprobare. Quòd si me perfidiam incurrisse reeolerem, tantum scelus negatione non tegerem, sed confessione supplici veniam obtinere conarer. Nam cui vel parum sacras intuenti literas non vltrò ac sæpissimè occurrat: *Qui parat foueam proximo suo, incidet in eam?* Hæc quàm vera sint, vtinam aperiat in præsenti, qui omni ambiguitate remota patefaciet in futuro, ac me in hac parte penitus innocentem insolubilem familiaritatem vestram ad vtilitatem vtriusque tribuat obtinere. Quod aliunde compereram, vósque dignati estis mandare, si Deus annuerit, DominusRex fiet nobis vicinus. Post cuius digressum, si vobis placet, vt primò fieri potuerit, desiderio congruo vtrique loco vos adire, & sequestra spiritualiter gratia recuperare amicitiam, quam spiritus maligni maleuolentia aliquantulum perturbauit. Tunc etiam referre potero, quid super fratre Bernegaudo sancti Germani Monacho annuerint, quidque solum absque nostro damno præstare valeamus fugitiuo nostro, qui nuper clementiam vestram precibus inquietauit. Exiguitatis meæ memores, semper cupio vos valere feliciter.

B AD FOLCRICVM. EPISTOLA CXXV.

REVERENTISSIMO *Præsuli Folcrico, Lupus temporalem & æternam salutem.* AFFLVENTIAM gratiæ diuino munere vobis indultam, literis comprehendere placuit, ad laudem illius qui dedit, & ad condemnationem auaritiæ, commendationémque inuictissimæ charitatis. Nam cùm aliquam insulam Sequanæ pagani crudelissimi piratæ applicuissent, quæsita est sub Meleduni oppido ab aliis recens exusto, & eorum vicinam nobis, vt erat, periculosissimam, nisi Dei miseratio subueniret, duceremus, nec in Monasterio consistere audebamus, nec quò migrare possemus depressi ærumna tantæ calamitatis inueniebamus. Inter hæc cùm me grauiter ægrotantem visitatum venissetis, ac nos ingenti exterritos metu offendissetis, illico absque vllo deliberationis tædio nostrum exonerastis pudorem, & præuenientes nostram supplicationem, obtulistis prædium Aquense, dominationis vestræ præcipuum, in quo tutius malitiam temporis vitaremus, tenendæ nostræ professionis opportunitate non penitus destituti. Præterea largissimam humanitatem vos præbituros vix credibili beniuolentia ostendistis, hic incomparabili consolatione per vos vltrò nobis diuinitus oblata, præsertim in tam immani discrimine quid faceremus, conati sumus, vt par erat, Deo, & vobis saltem gratias referre. Sed succumbente ingenio nequiuimus eas dignè mente concipere, nedum ore pro-
C ferre. Ergo attoniti, abundante vbique iniquitate, & refrigescente charitate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum, qui cum tanto rei familiaris detrimento, & imminutione, indigentibus subueniret. Nimirum hoc fuit à Fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit Episcopaliter compati, hoc postremò charitatem implere. Verùm quoniam exuberans Dei nostri clementia, tegens indulgentia innumeras maximásque culpas nostras, minas prædonum, quibus vastatis longè latéque celeberrimis locis etiam sedem negotiatorum Cappas se petiturum iactabat, subuertitur, ac eos à nobis, quod vtinam ab omnibus Christianis faciat, auertit. Nec hac vice auulsi à nostro Cœnobio cogemur peregrinari. Optamus omnes quasi concesso nobis vsi beneficio, vt sit vobis tam copiosi boni salua merces, repræsentanda Deo cùm cœperit electos glorificare, & gratiam pro gratia reddere. Paruitas autem nostra penè inaudita vestra liberalitate obligata, numquam erit vobis ingrata - - - ad obsequendum paratissimam quibuscunque valuerit indiciis confirmabit. Sit tamen Aquensis fundus tempore prælationis vestræ, quod Deus diuturnum esse concedat, nostro refugio, si infelicitas similis acciderit, destinatus: contineantur ædificia, hortus etiam diligentiùs excolatur, quod rectè facere disposuistis. Agri ad hoc apti viribus conserantur, aceruí frugum iusti laboris industria multiplicentur, vt & vobis suppetat quod de more quotannis domesticis tribuatis, & quod opem quærentibus miseri-

corditer largiamini. Et si illò nos, quod admodum formidamus, peccatis nostris id exigentibus, vltima necessitas traxerit, latibuli nostri asperitas memoratis subsidiis leniatur. Quid autem velimus super his, quæ à nobis dignati estis accipere, cùr quæritis? Quare non aspicitis quota portio sit nostræ seruitutis, si vestro maximo beneficio conferatur? Ac ne huiusmodi, quam non ferimus, dissimulatione nos callidè ampliora suspicemini elicere, meditari quæ cogitamus absque obscuritate exprimimus. Comperistis, quamquam locus noster Bethleem, hoc est, domus panis appelletur, panis nos penuriam citò passuros, nisi vestra aliorúmque amicorum benignitas suffragetur. Proinde pollicitationis vestræ memores, potestis nos clientes vestros mense gratis alere dimidio, non sine vsura quasi ex debito sustentare. Ac ne nos impudentiæ, imò stultitiæ arguatis, recolite Rhetoricæ à nobis non improbari peritiam, quæ instituit vt cùm minora impetrare disponimus, maiora poscamus. Cupimus vos valere feliciter, & vestræ dignitatis eminentiam honestis iugiter moribus & sanctis actibus exornare. A

AD GVENILONEM. EPISTOLA CXXVI.

REVERENTISSIMO *Pontifici Guenilon, Lupus præsentem & futuram salutem.* SANCTITATIS vestræ litteris alacriter paruissem, nisi votum meum molestia corporis impedisset. Nam cùm per diuturnas & asperas huius anni ægritudines benè reualescerem, subitò tussim incurri, quæ meatus obstruens, pene totam mihi spirandi facultatem adimebat. Hinc factum est, vt multum sanguinis detraherem, maximámque imbecillitatem contraherem. Proinde nusquam audeo progredi, donec quietis ac medicamentorum, immò diuinitatis ope mihi quantulacumque sospitas reformetur. Vnanimis tantùm vobis in omnibus supplicabo, & ad idem agendum Fratres meos hortabor, vt Deus inspiret vobis consilium, quo generaliter prositis omnibus Christianis: ne peccatum iniustitiæ, quæ nos iam miseros fecit, in damnationem pertrahat sempiternam. In diebus Pontificatus vestri ad tantam libertatem vitia proruperũt, vt vindicata impunitate apertis quibusque nec Deus, nec Rex, nec Episcopus timeatur. Quid moramini? quid vltra expectatis? Aut Deus vestra industria & auctoritate ad æquitatem reducet res humanas, aut hæc malorum incrementa post inauditas contumelias penè omnes, qui pauci remanserunt, opprimment. Innocentes videtis, quia secundum beatum Esaiam, *Qui recedit à malo prædæ patuit*, nec tutus quisquam contra violentiam raptorum est, nisi qui viribus præualet, aut in eorum concessit collegium. Cupio vos valere feliciter, & paruitatis meæ memoriam habere benignam atque continuam. B

AD ODONEM PRÆSVLEM. EPISTOLA CXXVII.

VNICE' *singulariterque dilecto Præsuli Odoni, Lupus plurimam salutem.* MAXIMIS pluribúsque beneficiis adiutus securus ad vos decurro, his etiam vsuris quæ per nuncios meos vos præbiturum esse mandastis. Verùm quia non misistis equum, nec idoneum qui me ex luto inferret habebam, naui ad vos si Deus vult cursum tenebo. Ergò vestra indulgentissima pietas, quæ me gratis & vltrò fouendum recepit naui egressum, ne patiatur durioris equi succussatura vexari. Locum vbi tendamus vobis vicinum, & congrua equis pabula cum vestris, sicut mandare dignati estis, vos procuraturum non dubito. Cursor noster, donec veniamus, quod opinor futurum suffragante Dei clementia Kal. Iunij, paupertis apud vos locum implebit: & si permissus fuerit, obseruabit fragmenta ne pereant, pocula etiam ne gratiam amittant humore siccabit. C



A



EPISTOLÆ GERBERTI REMORVM PRIMO, DEINDE RAVENNATVM ARCHIEPISCOPI, ET TANDEM ROMANI PONTIFICIS SILVESTRI SECVNDI.

B *Ex editione Ioannis Baptistæ Massoni Papirij fratris, quæ Ms. Codicis ope mendis quamplurimis, quibus scatebat, est repurgata.*

OTHONI CÆSARI.
EPISTOLA I.



DOMINO *suo Othoni Cæsari semper Augusto, Gerbertus quondam liber.* DVM Regnorum publica perpendo negotia, serenissimi Domini mei aures propriis occupare expauesco. Loquatur Dominus meus seruo suo propriis Epistolis solito more, vt eius seruitutis fiat exhibitio, tollatur ambiguitas Epistolarum, quæ Cæsaris nostri grauitatem sæpè nobis comperram agentibus, cognitam non repræsentant. Denique signum erit nobis vos velle, aut nolle, sententia prolata benè aut non benè. Quantum enim in nobis est, quod possibile est esse, consequens est nos perficere, si vestrum cognouerimus velle. O! dicat dominus Geteberrus Episcopus sententiam nostræ innocentiæ super Brouingo, & Isimbardo: dicant Litefredus & Gerardus, cur eorum beneficium perceperit Rodulfus. Non dicatur maiestatis reus, cui pro Cæsare stare semper fuit gloria, contra Cæsarem ignominia.

C

Ad eundem Cæsarem. EPISTOLA II.

SERENISSIMIS auribus Domini mei mallem referre læta, quàm tristia. Sed cùm videam Monachos meos attenuari fame, premi nuditate, tacere quomodo potero? Tolerabile quidem hoc malum, si non etiam simul melior spes foret ablata. Nescio quibus codicibus, quos libellos vocant, totum Sanctuarium Domini venundatum est. Collecta pecunia nusquam reperitur, apothecæ & horrea exhausta sunt, sed in marsupiis nihil est. Quid ergo peccator hîc facio? si cum gratia Domini mei fieri posset, satius esset me solum apud Gallos egere, quàm cum tot egentibus mendicare apud Italos. Rainerius Francigena nobis intimus, vestrique honoris cupidus, de statu Imperij vestri meæ fidei multa commisit vobis referenda, non autem Legato credenda, sed nec chartis inferenda, nisi vestro consultu.

Gereberto Episcopo Terdonensi. EPISTOLA III.

O NOSTRI spes consilij, præsentis mali statum stultum est dissimulare, loqui inuidiosum, ne odio personatum agi videamur. Si licet Abbati quibuscumque personis tradere immobilia Monasterij libellario nomine, mobilia obtentu

eleemosynæ, nec relinquere si qua fortè residua sunt, eorum heredem fieri Monachum, specialiter quò spectat noui Abbatis ordinatio? Petroaldi dicuntur fuisse omnia, Abbatis nulla: & ita esse constat, quoniam nihil nobis relictum est præter tecta & communem vsum simplicium elementorum. Epistola Domini mei iubet Petroaldum coli, tenete quod tenuit: duplicatur pondus parentibus positis in eadem trutina. Vires negotij perpendite, considerate quid amiserim, quid secutus sim, præter gratiam Domini mei, suscipite onus amici consilio & auxilio, & quid sit faciendum rescribite. A

Gerbertus Bosoni in Christo salutem. EPISTOLA IV.

RECEDANT multa verba, & sequamur facta. Sanctuarium Domini mei nec pecunia nec amicitia vobis damus, nec si datum est ab aliquo, consentimus. Fœnum quod vestri tulerunt beato Columbano restituite, si experiri non vultis quid possumus cum gratia Domini nostri Cæsaris, amicorum consilio & auxilio his conditionibus leges amicitiæ non refutamus.

Petro Episcopo Papiensi. EPISTOLA V.

QVOD Abbatiam sancti Columbani habere videmur, Italorum nulli gratias agimus. Si ante Dominum nostrum à vobis laudati sumus, non indebitas vobis reddidimus laudes. Mutua exposcitis colloquia, & à rapinis nostræ Ecclesiæ non cessatis. Nostra velut propria militibus diuiditis, qui diuersa in integrum reuocare debuistis. Rapite, prædamini, vires Italiæ contra nos concutite. Opportunum tempus nacti estis. Dominus noster bellorum certamine occupatur, nos nec manus paratas eum iuuare detinebimus, nec quod eius officij est temerè vsurpabimus. Si pace vti poterimus, seruitio nostri Cæsaris operam dabimus, cùm præsentes tùm absentes. Sin, eius tantùm præsentia nostram solabitur inopiam, & quoniam (vt ait Poëta) nusquam tuta fides, & quia finguntur nec visa, nec audita, voluntatem nostram vobis non nisi scriptis aperimus, nec vestram aliter recipiemus. B

Dominæ suæ Adelaidi semper Augustæ, Gerbertus. EPISTOLA VI.

DE beneficiis, & libellariis, ex parte, nostrum velle ex voto Domini nostri Cæsaris executi sumus. Recordetur Domina mea, quòd innuerit seruo suo se oraturam pro pluribus, aliter quàm fieri possit. Ex quo à vobis discessimus, nec Griphonem, nec eius nuntium vidimus. Terram, quam nostris fidelibus heri concessimus, cras quomodo auferemus? At si omnia quæ omnes iubent fiunt, quid hic facimus? & si totum damus, quid tenebimus? Griphoni vbi possimus beneficium nullum concedimus. C

Gerbertus quondam Scholasticus, Airardo suo salutem. EPISTOLA VII.

PETITIONIBVS tuis annuimus, nostra vt exequatis negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur: qui Orbacis & apud sanctum Basolum sunt, perscribantur. Fac quod oramus, vt faciamus quod oras.

Ad Adalberonem Remorum Archiepiscopum. EPISTOLA VIII.

MANTVÆ quid egerim super negotiis vestris, præsens melius explicabo verbis, quàm absens scriptis. Claues librorum quas mitterem ignoraui, propter communem vsum similium ferarum. Historiam Iulij Cæsaris à domino Azone Abbate Deruensi ad rescribendum nobis acquirite, vt vos, penes quos nos habemus, habeatis, & quod reperimus speretis, id est octo volumina Boëtij de Astrologia, præclarissima quoque figurarum Geometriæ, aliaque non minus admiranda. Fortunam nostram sola vestra conturbat absentia noctésque diésque.

A

Gisilberto Abbati. EPISTOLA IX.

SI benè valetis gaudemus. Indigentiam vestram putamus nostram: quam patimur, vt releuetis rogamus. De morbis ac remediis oculorum Demosthenes Philosophus librum edidit: qui inscribitur Ophthalmicus. eius principium si habetis, habemus, simúlque finem Ciceronis pro Rege Deiotaro. Valete.

Ad Cæsarem. EPISTOLA X.

PRINCIPIANI Monasterij duo fratres, velut exules & peregrini, à nobis recepti sunt, qui desolationem sui loci à Laudensi Episcopo, Neophitóque Abbate factam, molestissimè ferunt: simúlque referunt se alicui Ecclesiæ minimè subiacere debere. Erit ergo vestræ prudentiæ ac pietatis, vt nec Laudensis Ecclesia debito priuetur honore odio Pastoris, nec Monasterium subiaceat tyrannidi deuastatoris.

Idem ad eundem. EPISTOLA XI.

QVID ota caudæque vulpium blandiuntur hîc Domino meo? Aut exeant de Palatio, aut suos repræsentent satellites qui edicta Cæsaris contemnunt, qui
B Legatos eius interficere moliuntur, qui ipsum asino coæquant. Taceo de me, quem nouo locutionis genere equum emissarium susurrant, vxorem & filios habentem, propter partem familiæ meæ de Francia recollectam. Victis abest pudor. O tempora! ô mores! vbinam gentium viuo? Si patriam sequor, sanctissimam fidem relinquo: si non sequor, exulo. Sed potiùs licet cum fide in Palatio exulare, quàm sine fide in Latio regnare.

Hugoni suo Gerbertus quondam Scholasticus. EPISTOLA XII.

SECVNDVM amplitudinem mei animi amplissimis honoribus ditauit me Dominus meus. Nam quæ pars Italiæ possessiones beati Columbani non continet? Hoc quidem ita ex largitate & beneuolentia nostri Cæsaris, fortuna verò aliter instituit. Secundum amplitudinem quippe amici mei amplissimis me onerauit hostibus. Nam quæ pars Italiæ meos non habet hostes? Vires meæ impares sunt viribus Italiæ. Conditio pacis hæc est, si spoliatus seruio ferire desinent, vestitum districtis persequentur gladiis: vbi gladio ferire nequibunt, iaculis verborum appetent. Contemnetur Imperialis maiestas, cùm in me, tùm in seipsa in diuisione Sanctuarij Domini secundum libellarias leges facta: quia consentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus cognominor. Ipse Cæsar omnium hominum excellentissimus, à furciferis
C asino coæquatur. O amicorum fidissime, ne deseras amicum consilio & auxilio. Recordare quòd te orauerim, me malle esse militem in Cæsarianis castris, quàm Regem in extraneis.

Ad Ecbertum Archiepiscopum Treuirensem. EPISTOLA XIII.

VESTRAM felicitatem, gloriam existimamus esse nostram. Incommoditatem si quam sustinetis, simul patimur. Domini nostri Cæsaris magnanimitatem, intentionem, appetitum bonorum virorum supereminentem cognouistis. Proinde si deliberatis an Scholasticos in Italiam ad nos vsque dirigatis, consilium nostrum in aperto est. quod laudabitis laudabimus, quod feretis feremus.

Papæ Ioanni. EPISTOLA XIV.

BEATISSIMO *Papæ Ioanni Gerbertus solo nomine officij Bobiensis Cœnobij Abbas.*
QVO me vertam? proh pudor! Sedem Apostolicam si appello, irrideor, nec ad vos propter hostes est veniendi facultas, nec de Italia egrediendi libera potestas. Morari difficile, quando nec in Monasterio nec extra quicquam nobis relictum est, præter virgam pastoralem & Apostolicam benedictionem Dominam imitam, quia vos diligit, diligimus. Per eam nobis & nuntiis & Epistolis significabitis, quicquid

nos facere voletis: simúlque nos per eam vobis quicquid de statu & molimine Regnorum cognouerimus, vestra interesse. Valete. A

Petroaldo Monacho. EPISTOLA XV.

MAGNAM intelligentiam tuam, Frater, ne turbent fluitantia. Qui te quondam florentem Dominum clamabant & patrem, nunc conseruum habere dedignantur & parem. Sors omnia versat. In dandis & accipiendis, vt Monachum decet, & nosti, nostra licentia vtere. Ne negligas quod condiximus, vt tui memoriam frequentiorem habeamus.

Geraldo Abbati Auriliacensi. EPISTOLA XVI.

OCCIDIT, occidit, mi Pater, status Ecclesiarum Domini. Respub. periit, Sanctuarium Domini peruaditur, populus præda fit hostium. Consule, Pater, quò me conuertam. Milites quidem mei arma sumere, castra munire parati. Sed quæ spes sine rectore patriæ, cùm fidem, mores, animos, quorumdam Italorum pernoscamus? Cessimus ergo fortunæ, studiáque nostra tempore intermissa, animo retenta repetimus, quibus si placet magistrum quondam nostrum Raimundum interesse cupimus, interim dum Cal. Decembribus Romam iter intendamus. B

Ad eundem. EPISTOLA XVII.

PATER meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vos benè valere cupit, & quia vestram præsentiam non adiit, conturbatio Regnorum fecit, specialisque contra suam Ecclesiam commotio Heriberti Tricassini, & Ottonis Comitis filij Tedbaldi. Qui status Regnorum penes vos sit scire cupit, & an Hugo, quem vestra lingua Abbacomitem dicitis, vxorem duxerit. Quæ sua sunt nostra putate, & ne vestra gratis appetat, quid sui vobis placeat significate. Hoc signo, sagum lineum operosum vobis mittit, sicut olim per vestrum Airardum alterum miserat, sed planum. De multiplicatione & diuisione numerorum libellum à Ioseph Hispano editum Abbas Guarnerius penes vos reliquit, eius exemplar in commune rogamus. Si limina beatorum Remigij & Dionysij datur vobis copia videndi, nuntio præmisso vestris alloquiis poterimus condelectari.

Fratribus Bobiensibus. EPISTOLA XVIII.

SCRIPTVRA sancta dicit, *Qui fictè Dominum quærunt, nunquam inuenire mereantur.* Qui regulam sancti Benedicti professi estis, & Pastorem deserendo abiecistis, colla tyrannis sponte subdidistis. Non de omnibus dico tyrannis vestris Ducibus. C Ante tribunal Christi quomodo apparere vultis? hæc quidem non causa retinendi honoris scribo, sed loquenda loquens, cura pastorali animam meam crimine libero, non audientes implico. Apostolica priuilegia reuoluite, anathemata quæ mihi ostenditis ad memoriam reducite, insuper intelligite quod sacri Canones dicunt: *Qui excommunicatis quolibet modo se iunxerit, excommunicatus sit.* Videte in quanto periculo res vestræ sitæ sint. Supernus Iudex faciat vos sua præcepta cognoscere, & ea opere implere.

Rainaudo Monacho. EPISTOLA XIX.

RECTE quidem, Frater, conquereris super Abbatis tui priuatione. Oues in conuallibus ante ora luporum absque pastore, Monachi in Monasterio absque Abbate. Secundum scire tuum & posse, bene te velle & facere adhortor, & moneo. Vnius anni tria diuersa imperia super te docent quæ vides, fallacia & inconstantia. Futuram desolationem, non tantùm parietum, quantùm animarum, ingemisce, & de Domini misericordia noli desperare.

Adelaidi

A

Adelaidi Imperatrici. EPISTOLA XX.

MVLTA quidem peccata mea ante Deum, sed contra Dominam meam, qui vt à seruitio repellar, fidem promissam nunquam violaui, commissa non prodidi, pietatem sine auaritia exercere me putaui. Si erraui circa voluntatem vestram quid modicum, fecit hoc improuidentia, non deliberatio: sintque vobis satis continuatæ iam in pœnitentia quadragesimæ. quod certè sic confido esse. Præualuit ad tempus quorumdam nobilium pauperum cæca cupiditas, nunc præualeat vestra quæ semper fuit circa iustitiam pietas. Fauet ad hoc diuinitas, Regna vobis concilians, & Reges potentes vestro Imperio subdens. Mea sententia hæc est. Quam fidem filio Dominæ meæ A. seruaui, eam matri seruabo. Si nequeo præsens, saltem absens benè loquendo, benè optando, benè otando.

Ecemanno Palatino Monacho. EPISTOLA XXI.

BENEVOLENTIAM tuam circa me sentiens, mi Frater, tanti hominis gratulor amicitiæ. Eum verè te constantem in fide cùm in me rùm in his qui se tibi crediderunt, liquidò deprehensum *. Neque enim domus admirabilis feminæ te aliter eharum haberet. Suscipies igitur onus amici, bona verba suggeres, Epistolas meas benignè interpretaberis, mea negotia tua putabis.

B

Dominæ Imizæ. EPISTOLA XXII.

FELICEM me iudico tantæ feminæ agnitione & amicitia, cuius fidem firmam, constantiam longæuam admirari non sufficiunt Galli mei. Et quamuis vestra prudentia non egeat ammonitione, tamen quia vos conlaborantes & condolentes nostro infortunio sentimus, Dominum Papam conueniri nuntiis & Epistolis vestris volumus, ac nostris: & si quos & specialiter & in communi habemus fautores & adiutores, vt qui simul tristamur propitia diuinitate gaudeamus. Dominam meam Theophaniam Imperatricem nomine meo conuenite. Reges Francorum filio suo fauere dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici Regem se facere volentis sub nomine Aduocationis, velle destruere.

Domino Ioanni Papæ. EPISTOLA XXIII.

GRAVITER & iniquo animo fero, peruadi, diripi Sanctuarium Domini creditum mihi à sancta Romana & Apostolica Ecclesia. Porrò, quid deinceps stabilietur, si id dissoluitur quod actum est consensu Principis, Episcoporum electione, Cleri & populi voluntate, postremò omnium hominum excellentissimi Papæ consecratione? si præcepta violantur, priuilegia contemnuntur, diuinæ & humanæ leges sustolluntur. Qua spe vos adeundi periculum faciam, ne dedignemini sacris apicibus significare. Alioquin ne miremini si his castris me applico, vbi maxima portio legis humanæ, nulla diuinæ: humanitas quippe prima in actiuis, diuinitas secunda in speculatiuis. Fiet hoc mea pusillanimitate, vestra cessante magnanimitate.

C

Lupito Barchinonensi. EPISTOLA XXIV.

LICET apud te nulla mea sint merita, nobilitas tamen ac affabilitas tua me adducit in te confidere, de te præsumere. Itaque librum de Astrologia translatum à te, mihi petenti dirige, & si quid mei voles in recompensationem indubitatè reposce.

Bonifilio Gerundensi Episcopo. EPISTOLA XXV.

MVLTA quidem auctoritas vestri nominis me mouet, cùm ad videndum & alloquendum, tum etiam ad obtemperandum: & hoc diu negatum distulit negata libertas ea cum dolore concessa. Domino meo Ottone Cæsare iam non superstite, fas & amicis loqui, & eorum imperiis obsequi. Si qua nobis significare

voletis, vsque ad Calendas Nouembris Remis, viij. Cal. Ianuar. Romæ erimus, A si pace vti poterimus. De multiplicatione & diuisione numerorum Ioseph sapiens sententias quasdam edidit, eas pater meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vestro studio habere cupit.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis.

EPISTOLA XXVI.

LABEFACTARI Rempublicam vestram quorumdam ignauia cùm perhorrescimus, tum erubescimus, & priuilegio amoris nostri circa vos, & communi patriæ cognatione. Pauci-ne creati sunt Reges, qui nouum filio Domini vestri præponere vultis? Forte quia Græcus est, vt dicitis, more Græcorum conregnantem instituere vultis. Quò recessit sanctissima fides? Exciderunt ne animo beneficia Ottonum vobis conlata? Magnam intelligentiam vestram reuocate, generositatem perpendite, ne perpetuò dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadiutores in talibus negotiis fore, confidite. In perturbatione & confusione omnium rerum, quis alterius leuabit onus? Postremò si salua dignitate vestri nominis vrbem Treuirorum tutari non valetis, Remorum vtrique nostrûm sit satis: ditioré sque erimus quàm Eucharius quondam, & Sixtus. Id vobis tamen ignominiam auferet, iritum nos liberos efficiet. B

Villegiso Moguntino Archiepiscopo ex persona eiusdem. EPIST. XXVII.

MAGNA, Pater, constantia conlaborandum pro habenda ratione pacis atque otij. Regnorum perturbatio aliud quid est quàm Ecclesiarum desolatio? Nos quidem pietas & multa circa nos Ottonum beneficia filio Cæsaris aduersari non sinunt. Denique res nostras ad auxilium promouimus. Vtriúsque partis pactum, si placet, communi consensu in sempiternum stabiliemus. Nihil à vobis nisi salua fidelitate Domini nostri perquiremus. Hæc Domino teste loquimur, & plena fide vestræ prudentiæ committimus. Qui duos Ottones conatus est extinguere, tertium volet superesse. Mementote illius Tulliani, *Stultum est ab eis fidem exigere, à quibus multoties deceptus sis.* Simúlque etiam quod non frustra diuinitas contulit vobis nosse ac posse, quid super his approberis, & his contraria senriatis, quive faueant & à vobis diffideant, tutis significate rescriptis. Altitudo vestri consilij prouideat rebus beati Remigij vobis vicinis, ne aut prædo rapax eas rapiat, & ne Otto, qui debet esse tutor, sit deuastator. In his quoque vestrum velle liceat cognoscere.

Ex persona Hierusalem deuastatæ, vniuersali Ecclesiæ. C

EPISTOLA XXVIII.

EA quæ est Hierosolimis, vniuersali Ecclesiæ sceptris Regnorum imperanti. Cùm benè vigeas immaculata sponsa Domini, cuius membrum esse me fateor, spes mihi maxima per te caput attollendi iam penè attritum. An quicquam diffiderem de te, rerum Domina, si me recognoscis tuam? Quisquam ne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minimè pertinere, vtque rerum infima abhorrere? Et quamuis nunc deiecta, tamen habuit me Orbis terrarum optimam sui partem. Penes me Prophetarum oracula, Patriarcharum insignia. Hinc clara lumina mundi Apostoli prodierunt, hinc Christi fidem reperit Orbis terrarum, apud me Redemptorem suum inuenit. Etenim quamuis vbique sit diuinitate, tamen hîc humanitate natus, passus, sepultus, hinc ad cœlos elatus. Sed cùm Prophera dixerit, *Erit sepulchrum eius gloriosum*, paganis loca sancta subuertentibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo miles Christi, esto signifer & compugnator, & quod armis nequis, consilij & opum auxilio subueni. Quid est quod das, aut cui das? nempe ex multo modicum, & ei qui omne quod habet gratis dedit, nec tam ingratis recepit, & hic eum multiplicat, & in futuro remunerat. Per me benedicit tibi, vt largiendo crescat & peccata relaxet, vt secum regnando viuas.

A *Ex persona Adalberonis Archiepiscopi, Vualoni eiúsque pertinacibus.*

EPISTOLA XXIX.

HACTENVS stultitiam vestram patienter tulimus, nunc quia Synodalia decreta parui penditis, vocati contemnitis, humana diuinis præfertis, ad conuentum nostrorum fratrum apud Gualdonis cortem habendum in Cal. Iulius, vos iterum audiendos vocamus. Ibi autem venite aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, vestris consautoribus expectate.

Ex persona Adalberonis Notegario Episcopo Leodicensi EPIST. XXX.

NE malè mereri quæso, mi Pater, de nostra existimetis amicitia fratrem meum Godefridum non ex condicto Regem adiisse, & ex condicto quò voluistis non venisse. Bona quippe deliberatió rapuit, sed occasione læsi pedis fortuna retardauit. Sit ergo vestræ prudentiæ amici causam agere, pro se stare, de eo vt nostis, & vt æquum est, ex fide promittere. Nos quidem rem herilis vestri pueri iuxta quod statuistis effecimus, & si in melius commutaueritis, diuinitate propitia in
B melius compensabimus. Vestra negotia vt nostra compensabimus. Is quem nostis nobis intimus, vobisque fidissimus, interpres apud Regiam maiestatem vt decuit fuit, quod expetistis firmiter obtentum sine inimicorum respectu. Et quia totum non est credendum chartis; indictum Conuentum vos adire volumus, vestrámque præsentiam vsque in iij. Kal. Iunias præstolari faciemus. Opportuno tempori occurrendum, ne cùm te subtraxeris fiat inportuum.

Controuersia Diederici Episcopi Metensis, contra Carolum. EPIST. XXXI.

DIEDERICVS *seruus seruorum Domini, Imperatorum amator, prolisque tutissimus tutor, Carolo sanguine nepoti, sed fidei impudentissimo violatori.* FIDEM à nemine vnquam bonorum violatam, vt nosti, præsente venerando Notegario Episcopo, téque licèt non nobilioribus, tamen veritate excellentioribus præsentibus, ante beati Ioannis aram, in sacra verba datam, leuissime transfuga, nec in hanc nec in illam partem fidem habens, cæcus te amor regnandi debilitatum negligere coëgit. Et quid mirum si in nepotem pestem tui sordidissimi cordis euomis, qui cruenta manu & ad omne scelus semper promptissima cum latronum grege & furum manipulo, dum fratri tuo nobili Francorum Regi Laudunum ciuitatem suam, inquam suam, numquam vtique tuam; dolo malo surriperes, eúmque Regno fraudares, & Imperatoriam sororem, Regnique sui consortem infamares, tuisque mendatiis commaculares? Nihil vnquam pensi habuistis, dilatate; incrassate, impin-
C guate, qui non secutus patrum tuorum vestigia, dereliquisti Dominum factorem tuum. Recordare, os tuum impudens quoties digito compescuerim, dum turpia in Remensem Archiepiscopum, turpiora in Reginam dementiendo serpentino sibilo effudisti. Quid in Laudunensem Episcopum feceris ipse nosti melius, breui tu Lotharienfium Regni angulo latitans, vanissimóque supercilio té toti præesse iactitans. Quid neptis vtriusque nostrûm femina, te te viro melior, cùm nobilis indolis filio: quid Apostolorum vicarij Ecclesiæ sanctæ ouilis pastores, quos tu canino dente noctu & interdiu rodere conaris: quid alij præterea Principes, qui nihil tuo iuri debent, eiusdem habeant Dominóque auctore possideant reminiscere: & ita tandem inania excutiens somnia, frontémque falsissimo poculo debriatam expurgans, poteris metiri nil esse quod agis ad nil diuino nutu deueniendum quod moliris. Quorum ergo haud pro merito ascriptus numero, ligandi soluendique donatus honore, mihi indigno pastorali virga commissam defensurus Ecclesiam: Ecclesiam dico, non aliam quàm summi Pastoris sanguine redemptam, quam tu, diuinum ius contemnens, cum tuis complicibus lacerare, atque dilaniare pro posse tuo contendis: horribilem spernens illam Dominicam vocem, qua tonatur, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, & aliam qua eodem modo dicitur, *Qui vos spernit me spernit.* Tua hactenus vulnera curare studens, infudi oleum & vinum, idem mitia secretò per familiares nostros asperis publicè miscens. Abhinc nisi resipiscas

Spiritus sancti gladio, qui mihi commissus est, cum tibi computribilibus membris rescindam, atque igni tradam inextinguibili: vt sicut fides tua, si non contemneres, esset cum superis, ita contenenti sit perpetuò cum inferis. Quando iam confirmatis vectibus & cœlestis Hierusalem clausis portis à Virginis filio ipsius ciuitatis sponso dicetur reprobis, *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo & Angelis eius*, sicut scriptum est, *Vae qui praedaris! nonne & ipse praedaberis?* Caue ne in ea praeda inueniaris, in qua qui inuenitur ab aeterna hereditate extorris redditur. A

Infatuet Dominus consilium Architofel.

Gerbertus ex persona Caroli.

EPISTOLA XXXII.

CAROLVS *sola Dei gratia si quid est, Diederico hypocritarum idea, Imperatorum infidissime, prolisque parricidae ac in commune hosti Reip.* GRAVITATIS siquidem meae fuerat, maledicta tua taciturnitate premere, nec pensi habere quod petulantia magis tyranni, quàm iudicium protulit Sacerdotis. Sed ne silentium tuis coniuratis videatur facere confessionem, summam tuorum scelerum paucis attingam, & de maximis minima referam. Consilij quoque mei nonnulla praetermittam, vt qui velut inanis vter spiritu intumuisti, meo vt tu desipis incrassati, impinguati, dilatati, pressus pondere detumescas. Cur domnam Ducem Beatricem cum filio Regnique Primatibus à nobis praetendis delusam? Te miser non sentis, nec quemquam pene fore tuae coniurationis participem. Non solus, nec in angulo fidem integerrimam filio nostri Caesaris astruo, vt tu nocturno mero eructas. Adsunt mecum Galliae Principes, Reges Francorum, velis nolis praeclarissimi Lotharienses fide deuoti. His est curae filius Caesaris, hi nec Regnum quaerunt eripere, vt tu, nec conregnantem instituere. Tu diuina & humana confudisti iura, déque legibus oscitans vt limax in suo conclaui cornupeta tibi videris. Cur pastorali officio minas intendis? Quasi verò tu Pastor, & non lupus rapax, & potiùs alter Iudas, si Iudas Apostolus, qui Dominum suum xxx. prodidit argenteis, & tu Episcopus qui Dominum tuum Regem heredem Regni Regno priuasti, spe famosissimi quaestus. Paruum tibi hoc, poenas de eo quantum ad re sine carentes velut de hoste sumpsisti. Siccine Ottonum prometuerunt beneficia? Denique nunquam ad eos fidem habuisse, non solius filij causa conuinceris. An cùm Lotharium Regem Francorum, quem gloriosum vocas, cùm maximè oderis, hunc inquam cùm Regno pellebas, méque regnare cogebas, fidémne ei & mihi promissam seruabas? Mihi promissam dico ante aram, quam impudenter nominas. Profectò intelligis quid feceris. Contra fratrem meum, ac sororem Domini tui, me arma parare impellebas, vt omne genus nostrum regium mutuis vulneribus confoderes, tyrannos nomine Regum substitueres, cum quibus contempto Sacerdotio vacuis aulis incubare posses. Laedere me putas, si eos laesisse dicas, quorum gloria glorior, auersa opinione affligor. Verum aliter est, immanitas scelerum tuorum occultare te propria non patitur flagitia. Et quamuis purgatione vti velis, per emotionem in personam tuam pallor subindè, ac subindè rubor, silentium in loquendo subitū, verba subita prioribus non cohaerentia, etiam non quaerentibus ingens tormentum conscientiae produnt. Erubesce miser, & quod te solum scire putasti, ad omnium notitiam peruenisse cognosce. Peccatis tuis innoxios noli commaculare, & vitia tua turpissima aliorum metiri manibus toties periurio pollutis. Cessa sacrosancta violare, & qui nobis indicis prior remedium poenitentiae, quaere publicum. Periurium peregisti, vrbem propriam rapinis exhausisti, depopulatus es Ecclesiam tibi (vt ais) crediram. Acquiesco, redde ergo eo quòd abusus es custodia Dominae tuae quam humiliasti, erepta libertate, imposita seruitute. Et qui pupilla Domini scriberis, pupilli & viduae lachrimis mensam tuam luxu Euangelici diuitis extruxisti, eiusmodi miseriis montes aureos coaceruasti. Super his infelix ingemisce priuatim & publicè, alioquin audi quid tibi intenditur, *Quoniam venient dies in te, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, eo quod non cognouisti tempus visitationis tuae.*

A *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo.*

Purgatio Gerberti ob controuersiam à se descriptam.

Epistola XXXIII.

DOMINO & *reuerentissimo Præsuli Diederico G. fidelis Cæsaris.* O decus Romani Imperij! tantum-ne rationis patri quondam Reipub. deperisse dicemus, vt populus cum pastore velut ignauum pecus præda sit hostium? Generositatem, magnanimitatem, prudentiam vestram, tanquam tres fortissimas Legiones pro domo Israël opponite, ducem his diuinitatem præficite: ne qui felicitatem vestram, gloriam existimauimus nostram, si decus Imperij amittimus, proinde inglorij reddamur. Et nos quidem hæc dicimus, non vt amonitione egeatis, sed vt mentem nostram pro vobis sollicitam interpretemur. Quo genere interpretationis nuper vsi sumus, in controuersia acerrimi hostis, vestram maiestatem exacerbantis, vbi culpam infidi interpretis subisse veremur, dum motibus animorum eius orationem non æquauimus. At si hæc intentio placet, deinceps elaborabimus, & amicorum at-
B que inimicorum affectus diligentiùs exprimemus, vt quid sequi, quid vitare debeatis, per nos plena fide pernoscatis. Qua in re vobis lucem, hosti tenebras offudisse gaudemus. Valete.

Vuilligiso Maguntino Archiepiscopo. Epistola XXXIV.

MVLTA chartis non credimus, quæ legatis committimus, vt huic Abbati Aitardo sibi intimo Pater meus Adalbero Remorum Archiepiscopus, vobis per omnia fidus, multa commisit, de statu & pace Regnorum vobiscum habenda. Insuper ea quæ per Epistolam vobis significauit, sic se habere Dominum testem inuocat. Vt sibi sic legato credite, & quæ vobis placeant, si non est aptum scriptis, ei viuis rependite verbis. Sed ô mi Pater 1 mœrens simili de causa mœrentem quibus affabor verbis? Cæsare destituti, præda hostium sumus. Cæsarem in filio superesse putauimus. O quis prodidit 1 quis nobis alteram lucem eripuit? Agnum matri, non lupo committi oportuit. Me quidem doloris immanitas mihi consulere non patitur, nune fertur animus præceps in hostes Italos, qui mea funditus diripiunt: nunc quasi meliora deliberans, terrarum longinqua petit. Sed dum redit Otto, dúmque hærent infixi pectore vultus, dum Socraticæ disputationes ipsius frequentes occurrunt, refringitur impetus, & peregrinationis meæ tædium apud Gallos vtcumque releuatur. Consule Pater, etsi ergà maiestatem vestram nulla mea sunt merita, tamen nec defuit, nec defectus aberit, si fortuna
C vt quondam riserit. Cùm tempus opportunum nacti eritis, & eum Imperatricibus, & cum his ad quos referre putabitis, me seruum fidelem Cæsaris ab exilio reuocabitis, qui nihil deliqui nisi quod Cæsari fidelis extiti. Vos ergo soli onus meum fertis, quod nec amicis Principibus communicare curaui, donec experiter quid per eum quem potissimum iudico fieri posset.

Geraldo Abbati Auriliacensi. Epistola XXXV.

QVANTIS occupationibus Reipub. detineatur noster, vt ita dicamus, fiduciarius Pater Adalbero Remorum Archiepiscopus, & tarditas huius legati indicat, & præsens ab vrbe Remensi absentia. Causa negotium continens, status Regnorum est. Nam dum à Lotharienfis Regni Primatibus obsides accipit, dum filio Imperatoris patere cogit sub Regis Francorum clientela, dúmque Henricum in Gallia regnare prohibet, vestro nomini conuenientia, quæ mitteret non habuit. At si vobis gratum fore senserit, vestem auro textam, quam verecundè veterem misit, nouâ immutabit, quod breuitas temporis non habuit: stola insuper Phrygij operis adiuncta, cum ceteris eiusdem generis. Statum Regni nostri, quidue agat & moliatur ille Hugo Raimundi, per vos scire cupit. In commune hoc sentimus, quod vobis ratum, nobis præstantissimum.

Ex persona Adalberonis Vuidoni Abbati Gandauensi Gerbertus. A

EPISTOLA XXXVI.

FRVSTRA sibi atcem Religionis attribuunt, qui præcipuas Religionis partes euertunt. Qui charitatem non habet, qui fidem promissam negligit, is-ne Religionem tuetur? Si fraterna colloquia nobis exhibuistis, & qualibuscumque nuntiis lætari fecistis, tanto temporum interuallo (conscientia testis est) arctius sua retinent, quàm aliena concupiscunt. Ex vestris Fratribus quendam adoptauimus, sed [illegible]ter qui redire debuit retentus est. Rescribite ergo saltem quid ex his animo sederit, & si qui nostrorum puerorum penes vos instituti possint, & si est, quando id fieri debeat.

Roberto Palatino. EPISTOLA XXXVII.

PLVRIMVM te mei meminisse puto, quem dies noctésque priuatis curis interfero. Itaque & Dominam meam Theuphanu * mei recordari facies, quam semper cupio benè valere, & cum filio feliciter imperare. Cuius memoriam vt æquum est frequentem habeo, ad cuius auxilium me quàm plurimos declamatores, vt nosti, exacuisse Gallia testis est. Ergo tui officij erit rescire & rescribere, an in Francia velut miles succenturiatus pro castris Cæsaris remaneam, an paratus omne periculum subire vos adeam, an potiùs ad iter quod tu & Domina mea benè nouisti, me præparem, vt Papiæ in Palatio dispositum est: simúlque non taeebis, B vbi, & quando, & quid tu de hac re sentias. Hoc quoque te nosse velim, quæcumque in eodem Palatio tutis auribus commisi de fide, pietate, stabilitate illius famosi Adalberonis Archiepiscopi erga herilem nostri Cæsaris filium, & fidenter, sic se habere iuxta eius scire & posse.

* Theophaniam.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis.

EPISTOLA XXXVIII.

PERICVLOSA tempora non omnia committunt chartis, quæ fidissimis creduntur legatis. Ea quæ per nostrum G. nobis significastis, lætitiæ & iucunditatis plena fuerunt, de statu Ecclesiarum Dei atque Regnorum, & per quem virum hæc fieri possent. Quem si vt tyrannum timui, sed nunc plenum fidei & sapientiæ miramur. Quæ circa nos de eo spopondistis efficite. Quæ à nobis de eo vobis exposcitis stabilita sunt, & cum maximo silentio vestrorum secretorum, & cum maxima fide nostrorum factorum.

Notegario Episcopo Leodiensi. EPISTOLA XXXIX.

VIGILAS ne P P. famosissimæ quondam fidei pro castris Cæsaris, an cæca premente fortuna, & temporis ignorantia, diuina & humana iura pessundari simul non cernis? Ecce palam destituitur, cui ob paterna merita fidem deuouisti, C deuotam seruare debuisti. Germanum Brisaca Rhenani littoris, Francorum Reges clam nunc adeunt. Henricus Reip. hostis dictus Cal. Febr. occurrit. Consule mi Pater, modis omnibus resistendum, ne conueniant aduersus Dominum & aduersus Christum tuum. Turba regnans, Regnorum perturbatio. Si totam difficile est excludere partem, delige potiorem. Ego quidem, cui ob beneficia Ottonis est multa fides, circa herilem filium sic protinus delibero. Nouimus Henrici alta consilia, Francorum impetum. Sed quem finem habeat non ignoramus. Ne consortem Regni facias, quem semel admissum repellere nequeas.

Stephano Romanæ Ecclesiæ Diacono. EPISTOLA XL.

DVBIA Reip. tempora, mi Frater, Gallias me repetere coegerunt. Tota Italia Roma mihi visa est, Romanorum mores mundus perhorrescit. In quo nunc statu Roma est, qui Pontifices & Domini rerum sunt: quos exitus habuit ille meus, specialiter, inquam meus, cui te commisi. Hæc & quæ circa te sint tibi læta

A obstantibus significare non dubites. Mihi quidem ac nostro A. Archiepiscopo Suetonios Tranquillos, Quintósque Aurelios, cum ceteris, quos nosti, per Guidonem Suessonicum Comitem discretè ac sine lite, quis cuius sit, remittes, & quæ nomini tuo conuenientia paremus edisces. Ea quoque, quæ de Græcorum Imperio, Francorum Regno, Italorum molimine, certa cognoueris, nos tibi amicos celare non debebis. Quod non habet verborum copia, continent sententiarum pondera.

Adalberoni Episcopo Virdunensi. EPISTOLA XLI.

NVMERVM linearum Epistolæ huius ne spectetis. In paucis multa perpendite. Tempora periculosa libertatem tulerunt dicendi quæ velis dilucidè. Cúmque fortuna Franciæ proficiat actu & opere, rapta occasione ex tempore fidelissimis conuenimus Legatis. Pro parte vitorum Godefridi, fœdus quod quondam inter se ac inter Ottonem nostrum Cæsarem conuenerat, vos velle innouare promisimus: adiuncto in fœdere filio, quo vnico gaudet. Hoc ipsum Cæsarem morientem expetisse persuasimus per dilectissimum sibi filium Godefridi. Hæc itaque res in commune visa est solis nobis & filio Cæsaris. Quam cœptam si prouehere vultis, vel destituere, ociùs rescribetis. An simus in hoc negotio quamuis alicui periculoso, & in tuto otio, quæ molimina, quive impetus hac ratione conquieuerint, non facilè est dictu.

B

Ex persona Adalberonis Notegario Episcopo Leodiensi. EPIST. XLII.

EX condicto quidem legarum, sed præsentis negotij omni scientia vacuum, frater meus vobis dirigit, ne aut mendatio aut inertia denotetur. xv. Cal. Ianuar. Treuirensem Archiepiscopum allocuturi, quod pleniùs pernoscemus, pleniùs prudentiæ vestræ quamproximè significare curabimus.

Eidem ex persona Godefridi. EPISTOLA XLIII.

SECVNDVM promissa Treuerensis Archiepiscopi, ordinationem A. nostri iij. Non. Ianuar. inspecturi, vbi adhuc decreuerit ducem itineris vestri V. Cal. præmittemus, & quæ certiora cognouerimus denunciabimus. Eò fratrem nostrum venturum dubium habemus.

Ecberto Abbati Turonensi. EPISTOLA XLIV.

C CVM mei memoriam frequentem habeatis, inter honesta vti plurimis accepi legatis, magnámque affinitatis iure amicitiam efferatis, existimatione vestra beatum me fore puto, si sum is qui iudicio tanti viri inueniar dignus amari. Sed quia non is sum qui cum Panetio interdum ab vtili seiungam honestum, sed potiùs cum Tullio omni vtili admisceam: has honestissimas atque sanctissimas amicitias nulla ex parte suo cuique vtili vacare volo. Cúmque ratio morum dicendique ratio à Philosophia non separentur, cum studio benè viuendi semper coniunxi studium benè dicendi. Quamuis solum benè viuere præstantius sit eo quod est benè dicere: curísque regiminis absoluto, alterum satis sit sine altero. At nobis in Repub. occupatis vtraque necessaria. Nam & appositè dicere ad persuadendum, & animos furentium suaui oratione ab impetu retinere, summa vtilitas. Cui rei præparandæ Bibliothecam assiduè comparo, & sicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica Scriptores, Auctorúmque exemplaria multitudine nummorum redemi, adiutus beneuolentia ac studio amicorum comprouincialium. Sic identidem apud vos per vos fieri finite, vt exorem. Quos scribi velimus, in fine Epistolæ designabimus. Scribenti membranam sumptúsque necessarios ad vestrum imperium dirigemus, vestri insuper beneficij non immemores. Denique ne plura locuti legibus Epistolæ abutamur, causa tanti laboris contemptus malè fidæ fortunæ, quem contemptum nobis non parit sola natura vt multis, sed elaborata doctrina. Proinde in otio, in negotio, & docemus quod scimus, & addiscimus quod nescimus.

Raimundo Monacho Auriliacensi. EPISTOLA XLV. A

QVANTO amore vestri teneamur, nouerunt Latini, ac barbari, qui sunt participes fructus nostri laboris. Eorum votum vestram expetit præsentiam. Quippe cùm in propatulo sit nos curarum plenos, non ob alterius causam studij loco immoraturos. His curis sola Philosophia vnicum repertum est remedium, cuius quidem ex studiis multa persæpè commoda suscepimus, velut hoc turbulento tempore motum fortunæ refregimus, cùm in alios, tum in nos grauiter sæuientis. Etenim cùm is status Reipub. in Italia esset, vt sub iuga tyrannorum turpiter esset eundum, si profiteremur innocentiam, vel si niti viribus tentaremus: clientelæ vndique forent procurandæ, castra muniendæ, rapinæ, incendia, homicidia exercenda. Delegimus certum otium studiorum, quàm incertum negotium bellorum. Et quoniam vestigia Philosophiæ dum sequimur non consequimur, impetus tumultuantis animi non omnes repressimus, modò recurrimus ad ea quæ reliquimus, nunc Hispaniæ Principes adimus familiaris nostri Abbatis Guarini adhortatione commoti, hunc sacris litteris Dominæ nostræ Theuphanu Imperatricis semper Augustæ, semperamandæ, semper colendæ, prioribus diuellemur cœptis. In tanta rerum inconstantia, doloris metus, gaudij appetitus, fidissimi patris Geraldi, quem hæc non tangunt, specialis filius Gerbertus sequendorum deposcit sententiam. B Vale, valeat pater Geraldus, valeat frater Airaldus, valeat sanctissimus ordo, meus altor & informator, meique sit memor in sanctis petitionibus, ac Patris A. Archiepiscopi Remorum sibi per omnia deuoti.

Geraldo Abbati. EPISTOLA XLVI.

AN quicquam melius amicis Diuinitas mortalibus concesserit nescio, si modo ij sunt qui dignè expetiti dignéque videantur habiti. Felix dies, felix hora, qua licuit nouisse virum, cuius nominis recordatio omnes à nobis molestias detorserit. Eius si præsentia vel interdum fruerer, beatiorem me non frustra putarem. Quod vt fieret, sedes mihi non ignobiles in Italia collocaueram. Sed inuoluit mundum cæca fortuna, quæ premit caligine, an præcipiter, an dirigat me modò tendentem hac, modò illac. Adhærent vultus amici infixi pectore, cum dico, qui est Dominus & Pater meus Geraldus, cuius deliberatio nostra fiet executio.

Adalberoni vocato Episcopo Verdunensi & Hermanno fratribus.

EPISTOLA XLVII.

FELICES quibus paterna virtus exemplar sit imitabile. Vester genitor hoc petit. Repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem quam promisistis inuiolatam seruate, omnia castra ab hostibus tuemini, denique nec Scarponnam, C nec Haidonis castellum, nec quidlibet eorum quæ vobis reliquit, Francis reliqueritis: illecti aut vana spe suæ liberationis, aut terrore sui cruciatus, aut filij Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filiis dedit. Sentiant in vobis hostes non se totum cepisse Godefridum, auxilia vndique comparate, liberatores patriæ, vos similes patri in omnibus repræsentate. XVII. Calen. Aprilis me interpretem fieri voluit sibi suique fidissimum.

Innominato. EPISTOLA XLVIII.

OBSCVRAM Epistolam & sine nomine paucis absoluimus. Lotharius Rex Franciæ prælatus est solo nomine, Hugo verò non nomine, sed actu & opere. Eius amicitiam, si in commune expetissetis, filiúmque ipsius cum filio Cæsaris colligassetis, iamdudum Reges Francorum hostes non sentiretis.

Notegario Episcopo Leodicensi. EPISTOLA XLIX.

SPECTABILE faciunt nomen vestrum præsentia tempora, quibus paucorum laudatur probitas, multorum prædicatur improbitas. Speculatur nunc amicus vester Godefridus, qui amicorum se potius quàm sua amauerint, qui vxori ac li-

A beris fidem laturi forent, si se vltima rapuisset dies. Et quia tantus vir de vobis optimè sentit, hoc solùm indicio esse potest, quanta in vobis eniteat virtus. Qui se amant, quique sui sunt, hortatur & ammonet vt Dominæ suæ Teuphanu, filióque eius fidem habeant, minimè viribus hostium sint infracti, nullo terreantur casu. Aderit læta dies, quæ patriæ proditores & liberatores verè suppliciis & præmiis distinguat, disgreget. Fidissimum vobis Adalberonem Remorum Archiepiscopum nullo modo harum rerum conscium facietis, qui quanta prematur tyrannide, testantur Epistolæ ad Archiepiscopos vestros directæ, in quibus nihil eorum quæ voluerint scripsit, sed quæ tyrannus extorserit oscitanti.

Mathildi Comitissæ. EPISTOLA L.

DEPONAT Domina mea Mathildis omnem querimoniam, clarissimus vester coniunx Godefridus inter pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis, hoc præcepit. Exhilarate mentem, quia spiritus tristis exsiccat ossa, consilia turbat. Dominæ Teuphanu Imperatrici semper Augustæ ac filio eius semper Augusto cum filiis vestris fidem purissimam seruate. Pactum cum Francis hostibus nullum facite, Francorum Reges auersamini. Castra omnia sic tenete, sic defendite, vt nullam in his habeant partem aduersarij vestri, scilicet neque pro spe liberationis mariti, neque pro terrore peremptionis eius, aut filij Friderici. Hæc XI. Cal.
B Aprilis ad flumen Matronam meæ fidei commisit, quæ vobis plena fide retuli.

Sigifredo Comitis filio, Gerbertus. EPISTOLA LI.

NIMIVM amorem circa parentes vestros, qui nunc exules sunt habentes, eos ad flumen Matronam XI. Cal. Aprilis allocuti sumus. Et quæ Dominam nostram Teuphanu de sua fidelitate scire voluerunt, per Epistolam mandamus. Et quia cum beneuolentia Ottonis & Heriberti, quorum custodiâ seruantur, eos alloqui valemus, quæcumque & vos & Domina nostra eis mandare volet, litteris nos habere facietis. Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia si Hugonem vobis in amicitiam colligaueritis, omnes impetus Francorum facilè deuitare valebitis.

Dominæ Theuphanu Imperatrici. EPISTOLA LII.

CVPIENTI mihi vos adire secundum imperium vestrum, non frustra renisa est Diuinitas. Nam XI. Cal. Aprilis captos Comites allocutus, Godefridum, patruúmque eius Sigifridum, inter hostium cuneos solus repertus sum vestrarum partium, cui fidenter de statu Imperij vestri suas sententias concrederent. Scripsi
C itaque exhortatorias Epistolas secundum intellectum eorum, coniugibus, liberis, amicis: vt in fide vestra perstent, nullo hostium incursu terreantur, eorúmque exemplo, si fortuna tulerit, exilium potiùs eligant pro fide vobis seruanda, quàm patriæ solum cum perfidia. Hos ego viros imprimis carissimos habeo, quibus grauius est quòd vestra negotia non valent exequi, quàm quòd captiuitati hostium videntur addicti. Sed quia Principum dissentio interitus Regnorum est, Principum vestrorum concordia remedium tantorum malorum nobis fore videtur. Funiculus quippe triplex difficile rumpitur. Noueritis etiam Reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quòd de vestra fidelitate eis contraria sentiamus, simúlque quòd multa familiaritate fruamur Adalberonis Archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidissimum sibi putant. In his omnibus quid nos velitis facere, & si inter hostes via patuerit vlla, quò & quando vestram præsentiam possumus adire certiùs significate nobis, paratis per omnia vobis obtemperare. Res eò processit, vt iam non de sua expulsione agatur, quod malum tolerabile esset, sed de vita & sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios incitanti. Moles denique oppressionis tanta est, vestrique nominis tanta inuidia, vt suas miserias nullis audeat vobis significare rescriptis. Sed hæc tyrannis si inualuerit, locúsque ad vos profugiendi patuerit sibi, non frustra de vobis meliora senserit, spem certam habuerit, qui vobis ac filio vestro in quo valuit suffragium meditatus est.

A

Ex persona Adalberonis Lothario Regi. EPISTOLA LIII.

EPISTOLA vestri nominis impressione ignota, signis incognitis, tantummodo per certum nuntium perlata, nobis mœrorem pertulit. Iubet enim ambitum Monasterij sancti Pauli penitus auelli, quasi hostilis munitionis castrum. Vnde Sacerdoti iniungendum non est, quod cuiuis etiam tyranno formidabile esse potest: maximéque cùm plurimi sint qui talibus gaudeant, si id efficiendi tanta inest voluptas. Porrò hunc locum non esse aptum hostibus ea res probat, quòd natura circa vrbem plures fabricauit aptiores, atque si ita hostibus placuerit, ad muniendum expeditiores. Noueritis autem nos vestræ saluti ac fidelitati & semper velle prospicere, & semper velle obtemperare, diuino respectu ante prælato. Sed quod de vrbium custodia prolonganda imperastis, milites audire non sufferunt, suique eos promissi pœnitet, egestate & inopia omnia conficiente.

Treuirensi Archiepiscopo ex persona Adalberonis. EPISTOLA LIV.

PRIOREM Epistolam pro solo imperio Domini mei, me vestræ paternitati misisse minimè celare volo, cui omnia debeo. Et quoniam quam fidem Domino meo promisistis, eam nepos meus promittere & seruare paratus fuit, eam à nobis obtinuit licentiam, quam maiorum promulgauit auctoritas. Sed quonam pacto eius sorduerit fidelitas, nostram intelligentiam latet. Hunc ergo Adalberonem quomodo aut vocabimus, aut excommunicabimus: aut vt idem faciant alios orabimus? Ergo quia id legibus non valemus, nec ipsi facimus, nec alios vt faciant, hortamur: ne aut nos, aut de nobis benè meritos in præcipitium trahere videamur. Et quia Rex cœlestis dicit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*, nostris legibus puram fidem, purum seruitutis obsequium semper impendemus, in nullo deuiabimus, Domini tamen partes priores faciemus. Sed quoniam quæ Domini sunt hoc tempore pauci prouidetur, si quando legem Domini zelamus, aut perfidia aut alio quolibet vitio denotamur: eóque fit, vt (ita dicam) inter malleum & incudem positis sine iactura animæ & corporis spes euadendi sit difficilis. Si qua ergo vobis sunt viscera pietatis, si semper vos vt fratrem, ac potiùs vt patrem coluimus, suscipite onus amici consilio & auxilio, vt qui in prosperis de vobis benè sperauimus, in aduersis ne desperemus. At ea quæ dicimus, non homini, sed fidei magni sacerdotis celanda confitemur, Dominum testem adhibemus, terribilem vltorem dupliciter inclamantes his proditis in nostri læsionem. B

Idem eidem. EPISTOLA LV.

CVM litteris vestris multitudine curarum absoluamur, aliis rursus inuoluimur. Ecce enim de constantia vestri amoris, de fide & pietate circa nos gratulamur. Sed quis vestram intelligentiam eò detorsit, vt quæcumque nostri affines sentiunt eadem putares nos sentire? Dominum Henricum cùm oderim nescio, cur diligam scio. Sed eius dilectionis nunc quis fructus exterior? aliis quippe rebus Diuinitas necessitatem imponit, aliis cæca fortuna interstrepit. Denique tanta mole rerum pressi non poëticè, sed sapienter dictum putamus, Leuius fit patiëtia quicquid corrigere nefas: & si non potest fieri quod vis, id saltem velis quod possis. In votis hoc habemus, brachia peccatorum conterantur, confirmet autem id Deus. Vnum est enodationis indigens, qui vestræ matris ac Reginæ olim eram fidissimus interpres, cur hoc negotio priuor, potiùsque per alios quàm per vos plurima rescisco? & quoniam, vt professus sum ac profiteor, omnia vobis debeo, vt mihi sic vobis timeo. Diuerso quippe modo in commune nobis dicitur, Qui stat videat ne cadat. In commune itaque consulendum, quod vt fieri possit omnium me participem faciatis, qui vestrorum conuentus adinuenit Diusburch. Id quoque quod Regalis potestas à Duce Beatrice ac vestris Primatibus exigit, si vestram intelligentiam laret, vt tumor est, diligenter inuestigatum significate, quidue animi vobis in eo sit. Ceterùm de vobis, vt cœpimus, optimè sentimus, & qua fide vobis nostra committimus, eadem vestra suscipimus. C

A *Idem eidem.* EPISTOLA LVI.

GOZBERTVM Monachum ſicut numquàm contra veſtrum velle tenere tentauimus, ſic ex noſtra ſententia prima die Rogationum vſque Moſomum reducemus. Et quia tanto tempore eo vſi ſumus, non erimus apud vos tanti immemores beneficij. Si ergo non placet eum diutiùs fore nobiſcum, illic à veſtris ſuſcipiatur, quoniam noſtris longiùs progrediendi facultas non datur, cùm propter hoſtium copiam, tum propter zelum callidè nobis aduerſantium.

Obiectio in Adalberonem. EPISTOLA LVII.

PERFIDIÆ ac infidelitatis crimine in regiam Maieſtatem arguor detineri, eò quòd nepotem meum, Clericum videlicet meæ Eccleſiæ, licentiâ donauerim, quia & Palatium adierit, & dono alterius Regis Epiſcopatum acceperit, eius Regni quod Senior Lotharius Rex in proprium ius reuocauerat, quódque gradus Eccleſiaſticos ei poſtmodum contulerim, abſque licentia & auctoritate Senioris mei.

Purgatio. EPISTOLA LVIII.

B CVM Senior meus Rex Lotharius Lotharienſe Regnum non haberet, nec reuocaret fratris mei filium, vix tandem ſic obtinui fide interpoſita, vt ſi vſus aliquando expoſceret, ſibi ſuiſque abſque pertinatia redderem. At cùm ageretur vt Senior meus filio Imperatoris aduocatus foret, eâque de cauſa dati obſides eſſent, fratris mei crebris Legatis filium repetiuit, me ſegniter accipientem, fidei violatorem increpitans, rem ſuam à multis interturbari, eum ſe ſtatum prodere dicit, terribilem iudicem extremi iudicij vltorem ſpretæ fidei ac conſanguinitatis proclamat. Ergo quia Senior meus de reuocatione Regni nihil mihi dixerit, ſed de ſola aduocatione, nec dandi licentiam Clerico interdixerat, ſed inſuper beneuolè conſenſerat, vt à Legatis meis intellexi, ſi ea facere vellet quæ pater ſuis ſpoponderat, & proficiſcentem abſolui, & vt id pro quo obſides dati erant ſinceriſſimè conſeruaret, fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc vt credimus offert. Gradum Diaconatus ac Preſbyteratus ei contuli, ne à nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, & ne Eccleſia noſtra inuidiæ pateret, Subdiacono ex ſe ad Epiſcopalem apicem aſſumpto, ſimúlque quod hi gradus, nec Prouincias, nec Ciuitates, nec villas quæ Regnorum ſunt conferunt, ſed quæ potiùs cœleſtis ſunt regni: id eſt aduerſari vitiis, coli virtutes. In quo mihi crimen perfidiæ ac infidelitatis protendebatur, oſtendi, vt arbitror, & me fidem maximè habuiſſe, & fidelitatem Seniori meo imprimis conſeruaſſe.

C *Domino Metenſi Epiſcopo Diederico.* EPISTOLA LIX.

QVI actus vel diſpoſitio regia in præſenti ſit, dubitatio Legati Henrici Idibus Maij patefecit, cuius in reditu curioſitas ſciſcitandi, & plurima perquirendi, aliud vultu prætendere, aliud mente gerere ſignificauit. Dux Hugo ad ſexcentos milites collegiſſe dicitur. Ea fama Conuentum Francorum Compendiaco Palatio habitum V. Idus Maias ſubitò diſſoluit ac liquefecit. Interfuerunt de veſtris quidem Dux Carolus, Comes Reinharius, de noſtris Herbertus Trecaſſinus, ſed Otto acriori cura excluſus, adfuit etiam Gibeuulnus. Epiſcopus Laudunenſis Adalbero frater Gocilonis, obſide pacis filio fratris Bardæ dato, ea conditione euaſit, vt quod Sigifridus ac Godefridus facturi ſint, faciant. Quid hoc ſit, Francis ſpes mera, nobis res certa. Tantum ſupereſt, quam patriam in manibus conſilio & auxilio & viribus tenetis, hoſtibus conſilio & auxilio deſtitutis tradere ne velitis. Vrbem Virdunenſium à paucis prædonibus quietè tueri, inquieto & iniquo animo fero, niſi fortè hoc maiori differtur conſilio, vt vnde non ſperant præcipiti excidio tabeſcant.

Gerbertus Innominato. EPISTOLA LX. A

RES celanda multis committi non vult. Quod diuerso stilo nobis scribitur, aduersis tractari non iniuria putatur. Silentium amici vestri Adalberonis proprium statum, simúlque Ecclesiarum Domini, ac Palatij Francorum indicat. Quod vt potero breuiter accingam. Ego fidelium Cæsaris non immemor. Coniuratio in filium Cæsaris ac in vos & acta est & agitur, non solùm à Principibus, inter quos Carolus Dux iam non in occulto est: sed etiam à militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo XIV. Calendas Iulij Regem ac Reginam osculatus est tandem astutiâ quorumdam, vt in coniuratione tanti viri nomen fore putaretur. quod minime est, nec fore putamus hac tempestate. Sigifridus Comes ad sua rediit, Godefridus Comes, si Castrilucium eum Hainao Reniero redderet, seque filiúmque suum Comitat[illegible] ac Episcopatu priuaret Virdunensi: de reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret. Finis Theoderici Ducis Hugonem Ducem respicit, Ottonem Heribertus. Fidum vobis Adalberonem Archiepiscopum pax sequestra nunc tandem conciliat, eo pacto, vt interim instituatur perpetua. Qua in re vestrum, suorúmque, pro quorum nomine anteferertur, nec fieri potest vt quicquam instituatur, quod vestræ suorúmque saluti obsistere possit. Latens ac furtiua expeditio nescio quibus vestrorum subitò intenditur. Quid trans Rhenum gesseritis, nos de vestra salute lætantes non celabitis.

Adalberoni Archiepiscopo Gerbertus. EPISTOLA LXI. B

VT voluistis consultum est, mora vestra vsque ad determinatum colloquium in commune laudata. Amicitia Hugonis non segniter expetenda, sed omninò conandum ne benè cœpta malè abutamur. Nam quidem intelligentia hæc est, sed nescio quonam pacto frater vester Godefridus atque Rainherius, Gobthero meo, quem Turonium miseram, dixerunt, vos præsto adfore, vt si quem nuncium Odo vobis mitteret, & alloqui possetis, & quæ significaret opere adimpleretis. Ceterùm Dux Hugo nacta occasione ex dissentione Episcopi Parisiensis & Abbatis Gual. Abbatem nostrum Airardum inter ceteros ad se venire orat. Id vt peragat persuasum iri posse confidimus. Colloquio soluto moras omnes soluite, vrbique ac vestris vos restituite.

Beatrici Duci ex persona Adalberonis. EPISTOLA LXII.

SVPER his quæ certiùs vobis significari quæritis, nil amplius nouimus quàm aut præsentes diximus, aut legatione nostra accepistis. Ceterùm vobis liberis amicis ad votum prosperari saluo honore regio & optamus, & si fit congratulamur. Nostra negotia vestra putate. Apud Ducem Hugonem de vestra mente pura, fide constanti absque hæsitatione præsumite. Denique quod à vobis exigimus, suo [illegible]pore vestro obsequio impendemus. Imprimis quoque gratias habemus, quòd de plurimis à vobis certiores existimus. Meing. Monachum expetitione Abbatis Rai diu perquisitum Corbeiam liquisse, Rothomagum adisse audiuimus. In quo, si dabitur facultas, vestrum velle in omnibus exequi conabimur. C

Eidem. EPISTOLA LXIII.

REBVS vobis ad votum cedentibus non immeritò congratulamur. Et quia ignorata frequenter per vos addiscimus, vestrúmque affectum circa nos sincerum experimur, inter præcipua ponimus. Sed quæ res institutum colloquium Dominarum sic commutauit, vt solus Dux veniat Henricus? Id an dolo alterius partis agatur, & qui Principum eò venturi sunt si nouistis, orantibus nobis plena fide perorabitis.

Idem Duci Beatrici. EPISTOLA LXIV.

EXCELLENTIAM acuminis vestri videor videre, pace inter Principes stabilita, Repub. benè disposita, ac per vos in melius commutata. Vnum tantum est

A est quod plurimos mouet, Trenirensem Archiepiscopum tanto molimine ordinationem differentem, aut se cum Duce ac Lothariensi Regno manibus Francorum velle tradere, vósque celare quod colloquium Virduni habendum verisimile facit, aut his maiora velle machinari, iubetur amico vestro A. ordinationem nepotis destruat. Num Rex aut Primas est Treuerensium? factionem Archiepiscopi hoc negotium undecumque continere videtur. Inuigilet ergo vestra prudentia, & quo se tantarum rerum pondera vergant, perquirite, & an Dux Henricus fidem vobis seruaturus sit prouidete.

Nithardo Abbati Medelecensi. EPISTOLA LXV.

SEMPER quidem plurimorum vtilitati prospiciendum, priuatisque commodis publica præferenda. Fratrem Gaut. subito cum re omni familiari parata ac paranda redire cogitis, nulla temporis ratione habita. Soli-ne tantos motus ciuilis belli non sensistis? qui Domini rerum ac Principes esse videmur, itinere frequenti equis attritis comites rariores habemus. Tædio Monasterij eum nolle redire dixistis, id ne verum sit quoquo modo reducem tenetis. Consequitur ergo vt in hoc B experiamur paucorum-ne commodum, an multorum, sit vobis pretiosius.

Ex persona Adalberonis Notegario Episcopo Leodicensi. EPIST. LXVI.

COLLECTIONEM Episcoporum propter quæ significatum est, non esse factam, tarditati perlatæ Epistolæ imputandum. Disputabitur autem de his in aduentu vestro, & si ita visum fuerit, amplius postmodum priuatim & in commune deliberabitur. Ceterùm, qui frater meus se suáque ad vos pertinere putat, multúm que spei suæ salutis vobis attribuit, Gualterum militem à peruasione prædiorum sui Vuazonis cohibere debetis: eóque facto & sinistrum rumorem vitabitis, & proprio officio non defuisse videbimini.

Eidem ex persona eiusdem. EPISTOLA LXVII.

EI qui cum sapiente rationem instituerit non multa oratione inlaborandum. Quod vestris vi ereptum est restituetur. Fidei spondentis amici credite. Si id satis non est, obses accipiatur ab his, quibus sua rursus restitui orauimus, nec differendum propter instantis fori necessitatem, & quia de vobis optimè præsumimus. Dum hæc dictauimus, obsides ab obsesso castro, vt in crastinum reddendo, nos accepisse significamus. Metis colloquium Dominorum habendum est, vos C quàm plurimum interesse optamus. Si relictum vt institutum est, caûsam effectricem per vos nosse laboramus. Quid priuatim vos scire oportebit, priuata docebunt tempora.

Abbati Rainero. EPISTOLA LXVIII.

QVAMVIS intelligentiam vestram non lateat artem artium regimen esse animarum, tamen tam occupatis in Repub. suggessisse non inutile visum est. Fratrem Menig. quem suaui eloquio, affabilitate paterna transmarina mutare cogistis, hærentem ac dubium quibus valuimus sententiis vestram mansuetudinem sibi notam experiri persuasimus. Erit ergo docti viri, more boni medici, mellita proferre, ne primo gustu amaris ingestis antidotis, salutem suam formidabundus incipiat expauescere. Hac conditione si placet suscipite, si displicet, ne forte proditoris fungamur officio, quò velit redire æquo animo ferte.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi. EPISTOLA LXIX.

NON exsecutum esse quod ab vrbe Virdunensi de reditu fratris G. mandauimus, acrior cura præsentium tempore effecit, dum & quod nolumus necessitas infert, & quod volumus aufert. Nunc tandem ne benè meritis appareamus ingrati, clementiæ vestræ vt possumus remittimus: hoc vnum à solita beneuolentia

vestra expetentes, vt experiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationem, & si pace vestra fieri potest, ne careat studiis quibus impensiùs operam dare disposuit. A

Abbati Maiolo Cluniacensi. EPISTOLA LXX.

ETSI vigilanti cura super vestro grege assiduè occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis Cœnobij propter reuerentiam Patris Benedicti summum locum penes Monachos, vt aiunt, peruasor occupauit. Si vos tacetis, quis loquetur? Hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo diuini amoris dicimus, & vt nostro examine si probus est recipiatur, si improbus omnium Abbatum ac Monastici Ordinis societate, ad pœnam suæ damnationis priuetur. Quod vobis ratum litteris vestris nobis fiet acceptissimum.

Abbati Geraldo Auriliacensi. EPISTOLA LXXI.

O NIMIVM dilecte Deo, ardere bellis Orbem terrarum vides, & ad Omnipotentem manus pro statu Ecclesiarum Domini non erigis. Salutiferum quidem iter charitatisque plenum ad limina beati Geraldi nos habere cupitis. Cui voto vtinam faueat Diuinitas! Sed id quàm difficile factu sit facilè intelligitur, nisi vestra obtineant merita. De Rege Ludouico quis habeatur consulitis, & an exercitus Francorum auxilium Borello laturus sit. Horum primum à nobis minimè quæri oportet, quoniam, vt ait Salustius, omnes homines qui de rebus dubiis consulunt oportet esse remotos ab ira, odio, misericordia. Alterum suapte natura adesse, & non esse æqualiter vergens, nostra intelligentia magis videtur tendere ad non esse. Organa porro, & quæ vobis dirigi præcepistis, in Italia conseruantur, pace Regnorum facta vestris obtutibus repræsentanda. Quæ hosti iuris sunt, vt vestra spectate. Desiderabilem præsentiam pij Patris, vel causa beati Remigij Francorum Apostoli desiderantibus filiis exhibete, vt nostrum impossibile vestro soluatur possibili. B

Stephano Diacono, data VI. *Non. Martias.* EPISTOLA LXXII.

EXEQVIIS domini Lotharij Regis occupati, multa tibi quærenti pauca rescripsimus. Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter Comitem Godefridum, de quo in breui meliora sperantur. Quæ penes te tuósque agantur rescribe, atque per hunc Legatum libros tua industria nobis rescriptos, consummata charitate remitte.

Nithardo Abbati Medelecensi. EPISTOLA LXXIII. C

QVOD vestra præsentia interdum non perfruimur, turbulentæ Reipub. imputatur. Vos solùm grauia pati putatis, quæque asperrima ceteris sint ignoratis. Sed cùm agantur homines dubia sorte, mihíque, non nostris, incerto certa quæratur sedes, cur tamdiu penes me deposita malè fidæ fortunæ thesaurizatis? Et quia, vt potè fidissimus fidissimo loquor, maturate iter. Nam aut Imperialis citò me colliget Aula, aut quantociùs omissa diu repetet Hiberia.

Ecberto Archiepiscopo ex persona Adalberonis. EPISTOLA LXXIV.

QVAMVIS sciam ex voto meo nulla beneficia vestris meritis respondere posse, æstuat tamen animus, & quod re nequit, sequitur affectu. Priuilegium vestri amoris circa nos sæpenumerò litteris, sæpenumerò nuntiis, sæpenumerò rebus ipsis experti sumus. Et quoniam sanctas petitiones pro nobis Domino obtulistis, quàm non inaniter eas effuderitis, testis est beneuolentia Dominæ Augustæ nobis reddita VI. Nonas Martias. Qua die gloriosissimus Rex Lotharius, Francorum clarissimum sidus, mundo subtractus est. Is, quem caruisse regali gratia putastis, nulla familiaritate seclusus est.

A *Ex persona Hemmæ Reginæ ad matrem.* EPISTOLA LXXV.

DOMINÆ *Adelaidi Imperatrici semper Augustæ Hemma quondam Regina, nunc lumine Francorum orbata.* ELAPSA sunt tempora meatum deliciarum tempora decoris mei, ô mi Domina, & ô dulcis mater: dum is quo florente florebam, quo regnante regnabam, coniugem in perpetuum viduam fecit. O amara dies VI. Nonarum Martiarum, quæ mihi virum eripuit, quæ me in has miserias præcipitauit! Intelligat pia mater gemitum & angustias filiæ doloribus plenæ. Non esse me penitus præoptarem, nisi Diuinitas solatio reliquisset mihi matrem. O quando videbo, quando alloquar! Nostri quidem vestræ præsentiæ, ac Regis Conr. in vicinia Romatici montis, vbi confinium Regnorum est, XV. Calend. Iunij, me ac filium meum occurrere volunt. Sed hæc mora mille annorum mihi est. Noueritis interim Francorum Principes mihi ac filio simul fidem sacramento firmasse. In hoc, & in reliquis, quæ sequenda, quæ vitanda sint, vestro iudicio vtemur. Vt non solum H. Reginæ, sed omnium dicamini mater Regnorum. Recordamini præterea verborum vestrorum, quòd virum meum præ me dilexeritis, quódque ipse præ me vos amauerit. Prosint animæ eius hi dulces affectus, & quod tempora-
B liter exhibere non valetis, spiritualiter recompensetis per sanctos Patres, id est Episcopos, Abbates, Monachos, ac per seruos Domini quosque religiosissimos.

Epitaphium Regis Francorum Lotharij. LXXVI.

CVIVS ad obsequium coiere Duces, bonus omnis
Quem coluit, sate Cæsaribus, monimenta doloris
Cæsar Lothari prætendis luce secunda,
Terrifici Martis quod eras conspectus in astro.

Epitaphium Ducis Friderici. LXXVII.

FRANCORVM placito nomen tulit hic Friderici:
Quem proaui fudêre Duces à sanguine Regum,
Officio meritisque patem sopor vltimus hausit.
Mercurij quum cella domus tibi Phœbe pateret.

Epitaphium Adalberti Scholastici. LXXVIII.

EDITE nobilibus studium rationis adepte,
C Dicit Adalbertum te Belgica flore iuuentæ;
State diu non passa, tulit fortuna recursus,
Bis senas Februi cùm produxisset Apollo.

Epitaphium Ottonis Imperatoris LXXIX.

CVIVS ad impetium tremuere duces, tulit hostis
Quem Dominum, populique suum nouere parentem,
Otto decus Diuûm Cæsar charissime nobis,
Immeritis rapuit te lux septena Decembris.

Inuectiua in Virdunensium Ecclesiam. LXXX.

QVOD remedium morbis tuis inueniemus, Virdunensium execrata ciuitas? Vnitatem sanctæ Domini Ecclesiæ scidisti, sanctissimam societatem humani generis abrupisti. Quid enim aliud egeris, cùm Pastorem tuum voluntate hereditatij Regis, consensu & fauore comprouincialium Episcoporum electum, ac insuper Episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minimè recognoscis? téque velut membrum mutilum ac deforme, sine vnitate corporis, ex olea in oleastrum inserere tentas? Ideo Pastorem non recognoscis, quia Regem tuum Regno

priuare moliris. Non est tui iuris creare nouos Reges ac Principes, id est sub insolita transire iuga. Grauissimum est peccatum tuum, impia ciuitas. Non confregit aries muros tuos, non fame infecti millres, nullo telorum genere peruasi sunt. Sanctuarium Domini corrupisti, Sanctuarium Domini peruasisti, ac possides. Spelunca latronum facta es. Hostes humani generis amici tui obliti virginum, sanctique thori consanguinitatis & muneris, & iam in sacris diebus & in sacris locis horrendum lupanar fecerunt te. Altaria Domini calcibus allisa ac ligonibus effossa sunt. Opes Religiosorum & pauperum rapinæ & incendiis patuerunt. Reuertere, reuertere ad pacem Ecclesiarum, & ad vnitatem Regnorum, ciuitas virtutum expultrix, ac vitiorum receptrix. Et vos si qui estis, Domini pars melior, redite & separamini velut oues ab hœdis. Nouimus antesignanos pollutæ ciuitatis, nouimus satellites manipulares, quos diuino gladio feriendos hactenus patientiâ tulimus. Nunc cæcitate mentis pressos & caligine mortis consopitos, sententia damnationis ex diuinis legibus promulgata, communi omnium bonorum consultu percutimus. A

* *Inf. Eurardo & Ebrardo.*

*Ecberdo * Abbati Turonensi.* EPISTOLA LXXXI.

VBI summa religionis norma esse debuit, summum esse illapsum crimen non immerito nos permouit & exterruit. Sed quis erit auctor huius correctionis, tacentibus cunctis Primatibus vestri ordinis? Nos quidem venerabili Abbati Maiolo super his pauca præscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere scimus. Huic tanto negorio, & vt veriùs fateamur tantæ audaciæ vlciscendæ à nobis Dux designatus est. Eius sententiam qui prior nostrûm nouerit, alteri sine mora significabit. B

Adsoni Abbati Deruensi. EPISTOLA LXXXII.

RVMPE moras omnes mi pater, & III. & ij. Cal. Iul. egredere de Vr Chaldeorum. Obtemperandum vereranis amicis ac in fide diu probatis. Noster Adalbero pater patriæ, quondam vobis fidus, & nunc fidissimus, morarum impatiens, vestram expetit præsentiam. Nefas absenti significare ea quæ volumus præsenti dicere. Charissima vobis ac nobis librorum volumina vestrum iter sunt comitata. Hoc tantùm dixisse sufficiat.

Bobiensibus, EPISTOLA LXXXIII.

GERBERTVS *gratia Domini siquid est plurimam salutem dicit dilectissimis sibi filiis Bobiensibus vtriusque ordinis.* REM dignam vestróque nomini conuenientem penitus egistis, Patrem quærendo, Patrem visitando, quia iure vos veros filios esse docuistis. Ergo & pro vestra diligentia, & pro fide constanti circa me, nunc absens grates habeo, & mox propitia diuinitate præsens debitas exhibebo. Ego quidem etsi iam propemodum in portu constiti, vos tamen malignis fluctibus iactari iniquo animo fero. Sed scimus Dominum omnia posse, eúmque motum prece pauperum confidimus afflictis opem ilicò laturum fore. C

Hugoni Marchioni. EPISTOLA LXXXIV.

NON immeritò vos plurimi facio, & vos & vestra votis & laudibus effero, qui tam occupari mei meminisse dignamini. Inter honesta hoc, itáque inter præcipua ponimus, ac proinde ad vos fidem plurimam habemus: & vt nostri memoria non excidat propensiûs oramus, & vt fessis iam rebus beati Columbani subueniatis, preces quas valemus absentes effundimus.

Cononi Italico Marchioni. EPISTOLA LXXXV.

QVAMVIS nullis officiorum meritis vestram promereamur gratiam, virtus tamen ac nobilitas vestri generis, ac propria, adducit nos de vobis benè sentire,

A meliora sperare. Quòd si à paruis maxima iuuari possunt, honori vestro studia nostra non deerunt in loco & tempore. Consultando, bona verba suggerenda, vt dum vobis fortuna riserit, sub vestris alis nostra mediocritas requiescere possit.

Ex persona Adalberonis Theophaniæ Imperatrici.

EPISTOLA LXXXVI.

ETSI hactenus vos ob merita vestri viri excellentissimi Augusti sempérque memorandi, vt Dominam colui: specialia tamen nunc beneficia vestra, vestrique filij, & præteritam continent dilectionem, & fidem nostram ad vos ac vestros plurimam augent. Fouet nostra Ecclesia inter præcipuos thesauros pignus vestræ amicitiæ circa nos. Sentiat ergo beatus Remigius tantæ Dominæ fauorem, si fieri potest, in recipiendis rebus amissis, cùm propter sui merita, tum propter nostra si qua placebunt exhibenda seruitia. Sentiamus & nos gratiam iam benè fundaram, scilicet vt Legato, & meliùs scriptis, de pace, & pacis conditione cum nostro Rege habenda dignemini significare nobis, per omnia paratis, quantum fas est fidem sincerissimam exhibere. Sicque saluti vestræ ac nostræ in commune melius poterimus consulere.

Constantino Scolastico Floriacensi. EPISTOLA LXXXVII.

B SAPIENTER & peritè ille vir Domini peruasorem improbandum esse censuit, sed rem ad se minus spectare significauit. Ipsum ante insignia honoris infamem, fautores in religiosos augendam infamiam, si sanctorum priuetur consortio, cautè prudenrérque disseruit. Matura ergo iter, & xvj. Cal. Septemb. nos reuise, vt in his omnibus per te pleniùs instruamur, simúlque læteris animaduersione nostra in peruasorem, & qui te cœnum nostris putauit in naribus, de se dictum existimet, téque tymiama vaporatum redolere perhorrescat. Comitentur iter tuum Tulliana opuscula, & de Repub. & in Verrem, & quæ pro defensione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conscripsit.

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi Abbati Maiolo Cluniacensi.

EPISTOLA LXXXVIII.

PRÆCLARA quidem exhortatio vestra in peruasorem. Sed cùm scriptum sit, *Quæ cœpit Iesus facere & docere*, cur diuersa imperia, diuersa cœli climata prætendiris, vt ei, quem reum statuistis, aliis non communicantibus communicetis? Restiterunt sancti Patres hæresibus, nec putauerunt ad se non pertinere, quicquid alicubi malè gestum audiere. Vna est quippe Ecclesia Catholica toto terrarum Orbe diffusa. Verba vestra sunt, imò per vos sancti Spiritus. Nec erit Christi fidelis, cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Detestamini ergo peruasorem, sentiat vos sibi non fauere, non sibi communicare, ac per vos non solùm quosque Religiosos
C vestri ordinis, sed etiam si fieri potest Romani Pontificis se maledictis vrgeri. Et quomodo rem vt erat cognouistis, cognitam secundum dignitatem vestri nominis diiudicastis: nos nostrique omnes velut fidissimi comites tantum ducem sequemur, nec vnquam huic peruasori ac tam probo improbo adprobato, vestro sine iussu communicabimus.

Idem Abbati Ecberdo * *Turonensi.* EPISTOLA LXXXIX.

* Ebrardo & Euurardo.

QVÆ morum grauitas vobis insit, quàm integer vitæ actus, quàm purum eloquium, litteræ vestræ palam fecerunt. Itaque studium pietatis ac seueritatis vestræ mouit nos ire in vestram sententiam, virque ille Deo plenus, ad quem multam fidem habemus. Summouebimus ergo illum perfidum à societate nostra nostrorúmque iudicio tantorum Patrum, isque nobis habebitur hostis, qui in sententiam reuerendi Patris Maioli, colendi Patris Ecberdi dicere non dicenda attentabit. Quòd si diuinitate propitia fauorem Principum obtinebimus, ad hęc vtilia maiora iungemus.

Ad Imperatricem Theophaniam, & ad filium Ottonem, ex persona Adalberonis. A

EPISTOLA XC.

IN quem cumulum ira furórque Regis in nos procruperit, testis est impetus eius repentinus & inopinatus, vixque sine multa cæde partium repulsus. Qui fidi internuntij erant, castra diruere, quæ sub vestro regimine sunt, nobis imperabant: offerre iusiurandum secundum eorum libidinem, aut vrbe Regnóque excedere. Interserebant antiquam beneuolentiam diui Augusti O. circa nos, nostrúmque familiare obsequium. Hæc & his similia propriæ saluti in præsentiarum obstitere. Ferte ergo certum solatium tempore incerto, nec dubia spe deludamur, qui in conseruanda vobis fide numquam dubitauimus, vj. Cal. April. Conuentus Francorum indictus est, ibíque crimine infidelitatis pulsabimur, quòd Episcopum Virdunensem licentia donauerimus, quódque in Presbyterij honorem promouerimus, & vt res fiat impossibilis à nobis idem reperendus. Si hæc ita se habuerint, vestri nostrique fideles Gerbertus ac Renierus, secundum quod voluistis, Nouiomago vobis minimè occurrere poterunt. Sed vestra clementia Coloniæ, quò post venturi sunt, tanto ducem aptum itineri eis prouideat. II. Cal. Mart. Ottonem & Heribertum Comites alloquemur, iterúmque datis obsidibus quos recepimus, fratrem meum vestræ seruituti remittere attentabimus. Quibus angustiis ob fidem vobis seruatam sempérque seruandam prematur, paucis expressimus. Salutare vestrum auxilium vestra ex parte constanti animo expectamus, & vt hoc ipsum hostes lateat obsecramus, ne acrior eorum in nos exardescat ira. B

Distichon in Calice.

Hinc sitis atque fames fugiunt, properate fideles.
Diuidit in populos has Præsul Adalbero gazas.

In Donariis.

Virgo Maria tuus tibi Præsul Adalbero munus.

Raimundo Aureliacensi Abbati. EPISTOLA XCI.

CLARISSIMO patre Geraldo orbatus, non totus superesse visus sum. Sed re desiderantissimo secundum vota mea in Patrem creato, denuò totus in filium renascor. Nec solus vestro honore gaudeo, gaudet Pater Adalbero, se suáque vobis ex animo conferens, tantò arctiùs, quantò amplius luce religionis ac scientiæ conlucetis: cuius ob meritum amorem, ferè continuum triennium in Francia consumpsi. Ibi dum iras Regum, tumultus populorum, Regnorúmque dissidentium æstus perfero, tanto tædio affectus sum, vt curam pastoralitatis suscepisse penè me pœniteret. At quoniam Domina mea Theophania Imperatrix semper Augusta, VIII. Cal. April. proficisci me secum in Saxoniam iubet, eóque quosdam ex meis Monachis ac militibus ab Italia conuenire iussi, nunc non habeam quod certum scribam super organis in Italia positis, ac Monacho dirigendo qui ea conducat, præsertim cùm sine præsentia Dominæ meæ Theophaniæ credere me non ausim fidei meorum militum quia Itali sunt. Nec satis sciam vtrum exercitum ante autumnum in Italiam deducam, an in Germania demoremur, vt quam plurimas copias contra Ludouicum Regem Francorum, nisi quieuerit, comparemus, qui amicis inquietissimus, pernitiosissimis hostibus non multum inquietus, quis sit, quidque de eo intelligi oporteat, velox exitus comprobabit. Clara indoles diuæ memoriæ Ottonis Cæsaris, pace inter Duces ac Principes redintegrata, proxima æstate legiones militum duxit in Sarmatas, quos ea lingua Guinidos dicunt, ibique vr. & xl. vrbes munitissimas sua præsentia ac militum robore cepit, diruit, atque vastauit. Salutat vos, & Airardum, Adalbero Remorum Archiepiscopus, simúlque omne collegium Aureliacensis Cœnobij, me adiuncto per omnia vobis deuotissimo. Iterum iterúmque valete. C

A

Bernardo Monacho. EPISTOLA XCII.

QVÆRIS, dulcissime frater, quæ & qualia gerantur à me, & an ea sint commoda & incommoda. Huic petitioni an satisfacere paucis possim addubito, quod altiùs ea rimanti nulla esse videantur: aut si quolibet modo sunt, maximam partem incommodorum secum trahunt. Primùm quòd in publicis causis versari nunc temeritatis est, quippe vbi diuina & humana confunduntur iura, propter immensam auaritiam perditissimorum hominum, idque solum ius fore statuitur, quod libido ac vis more ferarum extorserit. Ast in priuatis id præ me fero, quòd amicos in aduersis nulla oppressus calamitate destitui. Sed an memoria dignum sit aliorum iudicio derelinquo, & quod Italia excessi, ne cum hostibus Domini ac filij Senioris mei D. M. Ottonis quolibet modo cogerer pacisci, & quòd interdum nobilissimis scholasticis disciplinarum liberalium suauis fructus ad vescendum offero. Quorum ob amorem & in exacto autumno quandam figuram edidi artis Rhetoricæ depositam in VI. & XX. membranis sibi inuicem connexis & concatenatis in modum ante longioris numeri, qui fit ex bis XIII. Opus sane expertibus mirabile, studiosis vtile, ad res Rhetorum fugaces & caliginosissimas comprehendendas, atque in animo collocandas. Ergo si quisquam vestrûm cura talium rerum permouetur, & in Musica perdiscenda, & in his quę fiunt ex organis, quod per me adimplere nequeo, si cognouero certum velle domini Abbatis Raimundi, cui omnia debeo, per Constantium Floriacensem supplere curabo. Est enim nobilis. Scholasticus adprimè eruditus, mihique in amicitia coniunctissimus. Vale, dulcissime Frater, meáque semper dilectione mutuo fruere, nostráque bona putato esse communia.

B

Adalberoni Archiepiscopo. EPISTOLA XCIII.

CORRVPTISSIMI temporis est, non posse decerni secundum popularem opinionem, quid sit magis vtile. Vtile est quod agitis sententia multorum, vtilius cùm plures iudicant in vrbe sederę, paucam & ignauissimam prædonum deterrere manum, cùm præsentia vestra tùm militum numerositate. Vestrum fratrem vos debere alloqui censent, audite quæ velint Otto & Heribertus, mutua subitò exposcentes colloquia. Quibus etsi nulla in est fides, tamen pro fortuna eis vtendum. Certè eùm in metu sunt, periculum ipsorum ab eis exiget, quod propria non exegerit fides.

Ad eundem. EPISTOLA XCIV.

C OCTAVO Cal. Octob. Reinherius à responsis Remos rediit, vestra negotia executurus. Eius sententia hæc est, si de fratris fortuna certum finem cognoscere vultis, ac nulli mortalium indicanda nisi vobis, IV. Cal. ad Altouillare fratri ac Comitibus occurrere, nepotem vestrum Hecilonem, ac primos vestri generis consanguineos iterum nusquam finatis abire. Magna res seriò agitur. Mosomum & Macerias multitudine militum communite. Dux Cono pro suo Ottone insidias molitur, sed facilè remedium penes nos reperietur. Laudunensis Episcopus consilio Ottonis & Heriberti sibi fauentium Ducem adiit, eo loci quem dicunt Dordingum. Redite, mora sit nulla.

Ex persona Remensium Abbatum Fratribus Floriacensibus.
EPISTOLA XCV.

NON immeritò nos vnius collegij esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimámque amicitiam quorumdam fœdat ambitio lasciua, detestabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur Pater, quem verissimi non metuant damnare Patres. Et quomodo vna est Ecclesia Catholica, cunctorúmque fidelium vna societas, à sententiis eorum non deuiare decreuimus, qui in Ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima stella reuerendus Pater Maiolus? an non præfulgidum

*Ebrardus. fidus Pater Ecberdus *: alter in Epistola, quam Patri nostro venerabili Adalberoni A Archiepiscopo nuper direxit (quærebatur enim eius sententia de prælatura Pa- » tris vestri) inter cetera sic dicit: Persona quidem vobis iam olim infami conuetsa- » tione erat famosa, sed huiusmodi arbitratu præter spem habita. Item in eadem post » aliquanta, Quantum ergo nostra interest vicinos & contribules adhortari studui- » mus, si hoc nefas eliminare nequeunt, sanctorum consortio priuandum infama- » bunt, nec erit Christi fidelis cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Facta » laudare non possumus, quid futurũ sit nescimus. Clamat alter, simúlque nos deno- » tans, inquit: Nec minus nos grauat quòd Magistratus ille Cœnobialis, quem stare » credimus in vertice Religionis, dum vobis submilitat, à vobis discors, nos erroneos » iudicare audet. Et quis enim fraudulenta ambitione elatum audeat adprobare, » cum Pater Benedictus dicat, omnem exaltationem genus esse superbiæ? Item in fi- » ne eiusdem Epistolæ: Etsi vobis non videtur fatuum, æterna clausura eius ad nos » damnabimus aditum. Faciant, iudicent Primates vt liber, nos pauperes Christi fa- » uor aut timor secularium ab hac sententia non flectet. Attendite ad hæc, ô socij & commilitones, secernite vos oues Christi ab eo qui non est pastor, sed lupus ouium depopulator. Prætendat sibi Reges, Duces seculi, Principes, qui se fauore solummodò eorum Monachorum Principem fecit, nec erubuit se ingerere qui ex humilitate debuerat refugere. Hactenus ignorantia nos deuiasse sufficiat, careat nostro consortio, qui talium Patrum damnatur iudicio. Tunc nobis tantum vniatur, cùm B eorum sententia fuerit reconciliatus, quorum iudicio nostro est nunc consortio priuatus.

Fratribus Blandiniacensibus. EPISTOLA XCVI.

QVI me vobis Fratrem adoptastis, orbitatem vestram vt sentiremus magnopere effecistis: virque ille venerabilis memoriæ nos sui memores in æternum honestis obtinuit officiis. Ergo agite, Patrem vobis dignum citiùs exquirite, ne grex Dominicus fluctuet sine pastore. Nostra ope si indigeris vtimini, & consilio, & auxilio iuxta vires ac scientiam. Libros nostros festinantiùs remittite, & si is qui per Claudianum rescribi debuit, insuper mittetur, erit res dignissima vobis ac vestra charitate.

Ex persona Hemmæ Reginæ ad matrem. EPISTOLA XCVII.

AGGRAVATVS est dolor meus, ô mi Domina, ô dulce matris nomen, dum coniugem perdidi. Spes in filio fuit, is hostis factus est. A me recesserunt dulcissimi quondam mei amici ad ignominiam meam, ac totius generis mei. Nefandissima in Laudunensem confinxerunt Episcopum. Persequuntur eum, propriόque spoliare contendunt honore, vt inuratur mihi ignominia sempiterna, quæ sit C quasi iustissima causa amittendi honoris mei. Adesto pia mater filiæ doloribus plenæ. Gloriantur hostes mei non superesse mihi fratrem, propinquum, amicum, qui auxilium ferre possit. Intendat ad hæc pia Domina, redeat vestra nurus in gratiam. Sit mihi per vos exorabilis, liceátque suum mihi diligere filium, quem meum patior vt inimicum. Astringite mihi Principes vestri Regni, proderit eis mea coniunctio. Otto & Heribertus Comites potentissimi mecum in vestro consilio erunt. Si fieri potest, absoluite nos curis, vt mutuis fruamur colloquiis. Sin, antiquam sapientiam vestram vndique colligite, Francis vnde non sperant contraria parate, vt in nos grauiter sæuiens eorum refundatur impetus. Et interim quid vobis sit faciendum, & scriptis significare, & nuntio fidissimo.

Ex persona Laudunensis Episcopi ad Episcopos. EPISTOLA XCVIII.

QVAMVIS regia potestate per quorumdam hominum factionem à propria sede sum ad præsens exclusus, Episcopali tamen officio minimè sum priuatus: nec damnant crimina falsò illata, quem innocens in hac parte non remordet conscientia. Sentiat ergo grex pastoris absentiam, sentiam & ego vos meam dolere vicem. Itaque moneo, rogo, oro, obsecro, ac pro nomine terribilis semper viuentis Domini obtestor, me Ecclesiæ meæ quolibet modo, per quamlibet personam, san-

ctum crisma tribuatis, nec Episcopalem benedictionem, & Missarum solemnia in
A mea parrochia peragatis, quia scriptum est, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. At si diuina & humana contemnitis iura, nec nostris monitis adquiescitis: quamquam diuina vltione sitis feriendi, tamen ad maiorem audientiam Ecclesiasticæ legis vos prouocatum iri pernoscatis.

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi ad Bellouacensem. EPIST. XCIX.

RESPONDERE scriptis vestris necessarium ad præsens non duximus, cùm ad indictum colloquium de singulis pro modulo nostro accuratiùs vobis satisfacere possimus. Et quoniam nostrum ob amorem priuata posthabetis negotia, nostrisque sedulo operam datis, inter præcipua ponimus, memori animo recondimus, præstitis non minora recompensaturi beneficia, si se infida retorserit fortuna.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi. EPISTOLA C.

QVANTVM vtilitatis Reipub. contulerit, quantúmue collatura sit pax inter Reges nostros benè fundata, testis est ciuitas Virdunensium sine cæde & sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis in integrum Imperio vestro restituta. Testis erit Colonia, rebus sibi diu subtractis in integrum restituendis. Quod vtique maturiùs foret, nisi acrior cura Regnorum nuper in conficienda pace longiùs nos de-
B tinuisset, propter inuersos mores quorundam nostrorum. Nunc itaque rempus opportunum nacti, obsequio vestro adsumus. Monemus vti Dudo ac Gesilbertus Comes rerum Ecclesiæ vestræ peruasores sine dilatione excommunicentur. Moneatur frater, ne amicus vester Adalbero Remorum Archiepiscopus super Dudone, Guido Suessonicus Episcopus super Gesilberto, ne filios suæ Ecclesiæ impunè vos lædere sinant: sed excommunicatos à vobis excommunicent, donec consequantur à vobis veniam digna satisfactione, qui conati sunt Sanctuarium Domini hæreditate possidere. Quid Domina nostra Theophania Imperatrix semper Augusta insequenti tempore rerum publicarum sit actura, quibúsue in locis demoratura, & an Saxonum exercitus victor à consueto hoste redierit, significatum iri nobis plena fide oramus: vestra vestrorúmque auersa tristi vultu accepturi, prospera iucundissimo animo laturi ac perlaturi.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi. EPISTOLA CI.

MVLTITVDINE curarum festinatæ Legationis, simúlque viarum prolixitate pressi, desiderabili colloquio vestro magna cum mœstitia priuati sumus. Sed refecit nos præsentia spectabilis viri Folmari, in quo vestra virtus intellecta est, dum eo vtimini ministro, qui voluntatem Domini etiam non monitus laudabiliter expleat. Addicti ergo sumus vestræ seruituti, cùm hac re, tum etiam
C plurima dilectione Senioris nostri Adalberonis circa nos, qui earum rerum quas fecimus participes vos fore per omnia voluit. IV. Cal. April. Domina Dux Beatrix apud Palatium Compendiacum hoc effecerat, vt VIII. Cal. Iunij ad Montem Falconis Dominæ Adelaidi Imperatrici, Duci Carolo, Rex Ludouicus, Regina Hemma, Dux Henricus, causa conficiendæ pacis occurrerent. Sed quoniam per ignorantiam Dominæ Theophaniæ Imperatricis semper Augustæ hoc fiebat, dolum subesse intelligentes, vti per se potiùs pax fieret, consuluimus, vtque priùs per vos quæ conditio pacis foret experiretur. Quod laudatum est, vestríque itineris socij denominati XV. Cal. Iunij Francorum colloquio nobis occurrendum. Ibique si pacem cum Rege Senior noster confecerit, pro pace Regnorum plurimum elaborabit. Magnæ intelligentiæ vestræ pauca suggessisse satis est. Ceterùm de terra, quæ in nostris partibus vi vobis eripitur, monemus ad præsens tacere, postmodum demonstraturi quid exindè facere debeatis.

Adalberoni Archiepiscopo. EPISTOLA CII.

QVA fiducia, quáve cautela colloquia Ottonis & Heriberti expetenda vobis sint prouidete, ne fortè propter præsentem obsidionem Caprimontis noua

in vos nouis dolis vndecumque comparentur consilia. Mementote fortis Guifridi*, & Virdunensis Episcopi, ob peruasionem castri Lucilburgi. A

* Godefridi.

Dominæ Theophaniæ Imperatrici ex persona Adalberonis Archiepiscopi.

EPISTOLA CIII.

XVI. Cal. Iunij fratre meo de inferni tenebris liberato, quædam lux vestri honoris oriri visa est. Sed eam lucem ne cœco igne cupiditatis Otto & Herbertus Comites corrumpant, summoperè elaborandum. Itaque iustas & honestas petitiones fratris mei clementer audietis, cùm pro sui merito, tum pro vestra beneuolentia in me: iniustas autem, & quas tyrannus irrationabiliter extorsit, in destructionem Ecclesiarum Domini, ac in dedecus vestri generis, prudenti consilio deuiabitis. Num villas Virdunensis Episcopi, quas pro redemptione sua, vnà cum filio Adalberone Episcopo inuitus donat Godefridus Comes, iureiurando in perpetuum ab Ecclesia alienabitis? Num castra in eisdem ad eorum votum extruere patiemini, qui nunc furtiuas delectorum militum contrahunt copias, vt in vos si apud Caprimontem estis impetum faciant? Nam quia Dux Theodoricus Satanacam villam peruasit, quasi in vltionem Reginæ, Iuueniacum oppidum se inuadere simulant, scelus facturi si vobiscum paucam persenserint manum. Hæc dixi, mentem pro vobis omnino sollicitam habens, & plena fide executurus quæcumque per G. vobis fidissimum significastis, qui hoc sibi donari petit, vt vestræ partis fuerit verissimus interpres. B

Ecberto Treuirensi Archiepiscopo, ex persona Adalberonis Archiepiscopi.

EPISTOLA CIV.

DESTINATO operi designatas mittimus species, admirabilem formam, & quæ mentem & oculos pascat, frater efficier fratri, soror sorori. Exiguam materiam nostram, magnum ac celebre ingenium vestrum nobilitabit, cùm adiectione vitri, tùm compositione artificis elegantis.

Fratribus Blandiniacensibus, ex persona Adalberonis. EPISTOLA CV.

QVOVSQVE abutemini patientiâ fidissimi quondam, vt putabatur, amici? Caritatem verborum prætenditis, rapinam exercere parati. Cur sanctissimam societatem abrumpitis? Quosdam codices nobis vestra sponte obtulistis, sed nostri iuris nostræque Ecclesiæ contra diuinas humanásque leges retinetis. Aut librorum restitutione cum adiuncto char:tas redintegrabitur, aut depositum malè retentum benè merito supplicio condemnabitur.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi EPISTOLA CVI.

QVIA diu optato consilio vestro non perfruimur, non satis patienti animo toleramus, instamus, easúsque interstrepentes reuincere laboramus. Synodus in partibus Rheni, vt fama est, indicta: nostrorúmque Episcoporum cùm validiores morbi, tùm etiam regia negotia, quam vna voluimus interturbant Synodum. Sed ne interim otio torpeamus, beati Ottonis suffragia ad præsens expetere in animo est, vnde per vos reditum habere disponimus, vt prolixam disiunctionem nostram ea coniunctione castigemus. Et quoniam per Verdunum iter nobis est; eò crucem vestra scientia vt speramus elaboratam, si fieri potest, Cal. Nouembris dirigite, sitque hoc pignus amicitiæ. Ita opus placens dum oculis crebriùs ingeretur, indissolubilis amor in dies augmentabitur. C

Ex persona Regis Hugonis, Siguino Archiepiscopo Senonensi. EPIST. CVII.

REGALI potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia Reipub. in consultatione & sententia fidelium nostrorum disponimus, vósque eorum participes fore dignissimos indicamus. Itaque honestè ac benigno affectu vos monemus, vt ante Kalend. Nouembris, eam fidem, quam ceteri nobis firmauerunt, confir-

A metis ob pacem & concordiam sanctæ Domini Ecclesiæ, totiúsque populi Christiani: ne si fortè, quod non optamus, persuasione quorumdam prauorum diligenter vobis exequenda minus audiatis, sententiam Domini Papæ & comprouincialium Episcoporum duriorem perferatis, nostráque omnibus nota mansuetudo iustissimum correctionis assumat zelum regali potentia.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi, ex persona Adalberonis. EPIST. CVIII.

ETsi beneficiis vestris in animo est suo tempore respondere, tamen vti hæc eadem accumulentur, sancta societas præsumit. Sit ergo nostro obtentu Hidilo fratris mei Presbyter nexu excommunicationis liber, donec in proximo Conuentu causa eius discussa aut innocentem reddat, aut nos ab iniusta petitione absoluat. Sit etiam is qui relator nostrorum librorum esse debet, Sacramentalis auro decentissimè insigniti lator. Quippe nonnulla quæ placuerint quàm citissimè rescribemus, ac per eundem latorem volumen nullo genere inferius deponemus.

Eidem. EPISTOLA CIX.

OMNI difficultate rerum à cœpto itinere interclusi, expetendum censuimus portùm salutis. Nam decliuium montium torrentes continui intercipiunt, campestria sic iuges aquæ vestiunt, vt villis cum habitatoribus sublatis, armentis
B enectis, terrorem ingerant diluuij renouandi: spe melioris autæ à Physicis sublata. Refugimus itaque ad vos tamquam ad arcam Noe, Treuerimque inuisere totis viribus conamur: beati Ottonis per vim extorta obsequia in beati Petri Apostolorum Principis deuotionem relaturi.

Ad Comprouinciales. EPISTOLA CX.

MVLTA super statu Ecclesiarum Domini, multa super publicis priuatísque negotiis ratiocinaturi, cum nostræ Dioeceseos confratribus charissimo vos inuitamus affectu, non tantùm nostri, quantùm vestri causa honoris ac vtilitatis. Locus loquendi, Mons sanctæ Mariæ Terdonensis, tempus III. Iduum Decemb. Valete.

Basilio & Constantino Imperatoribus orthodoxis, Hugo gratia Domini Rex Francorum. EPISTOLA CXI.

CVM nobilitas vestri generis, tùm etiam gloria magnorum actuum, ad amorem vestrum nos hortatur & cogit. Hi quippe esse videmini, quorum amicitia nihil dignius in humanis rebus possit existimari. Hanc sanctissimam amicitiam, iustissimámque societatem sic expetimus, vt nec Regna nec opes vestras in ea re-
C quiramus. Sed hæc conditio quæ nostri iuris sunt vestra efficit, magnóque vsui si placet hæc nostra coniunctio erit, magnósque fructus efferet. Etenim nobis obstantibus nec Gallus, nec Germanus fines lacesset Romani Imperij. Ergo vt hæc bona fiant perpetua, quoniam est nobis vnicus filius & ipse Rex, nec ei parem in matrimonio aptare possumus, propter affinitatem vicinorum Regum, filiam sancti Imperij præcipuo affectu quærimus. Quòd si hæc petita serenissimis auribus vestris placuerint, aut scriptis Imperialibus, aut nunciis fidis nos certos reddite: vt per nostros Legatos vestra maiestate dignos quę sonuerint chartis, compleantur in rebus.

Ex persona Regis Hugonis Borello Marchioni. EPISTOLA CXII.

QVIA misericordia Domini præueniens, Regnum Francorum quietissimum nobis contulit, vestræ inquietudini quamprimum subuenire statuimus, consilio & auxilio nostrorum omnium fidelium. Si ergo fidem totiens nobis nostrísque antecessoribus per internuntios oblatam conseruare vultis, ne fortè vestras partes adeuntes vana spe vestri solatij deludamur, mox vt exercitum nostrum per Aquitaniam diffusum cognoueritis, cum paucis ad nos vsque properate, vt & fidem promissam confirmetis, & vias exercitui necessarias doceatis. Qua in parte si fore

mauultis, nobisque potiùs obedire delegistis, quàm Ismaelitis, Legatos ad nos vsque in Pascha dirigite, qui & nos de vestra fidelitate lætificent, & vos de nostro aduentu certissimos reddant. A

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi, Rhotardo Cameracensi.

EPISTOLA CXIII.

HIs litteris acceptis Balduinum, quem nuper excommunicauimus, excommunicate, ob suam vxorem malè derelictam: & quod negligentiâ diutiùs est dilatum, obedientiâ corrigatur. Nihilque sibi profuerit Romam adisse, Dominum Papam mendaciis delusisse, cùm Paulus dicat, *Si quis vobis aliud annunciauerit præterquam accepistis, etiam Angelus, anathema sit.* Estote ergo nobiscum diuinarum legum defensores, qui sacerdotalis dignitatis gaudetis esse participes.

Ex persona Adalberonis. EPISTOLA CXIV.

MOLESTIA vestra deiecti releuatione releuati sumus, addidimus, etiam & addemus supplicationes quas poterimus, & si quid ars medicinæ labori nostro suggeret, quàm proximè dirigemus. Permouemur autem aliquantulum, quòd tam serò quæ circa vos essent nobis significastis, & maximè super causa fratris ac nepotis nostri. Mòx quippe vt vestra legimus, ac nostrum Legatum à Palatio accepimus, qui omnia, quæ fuissent, Ar. filium eius regio dono accepisse firmaret. In quo aliud solatium non babemus, nisi quod milites plurimum ab eo dissentire scimus. Porro & in hoc elaborabimus, in quibus vestrum velle cognoscemus. B

Carolo Duci. EPISTOLA CXV.

SI quid Excellentiæ vestræ nostra seruitus conferre potest, in hoc plurimum gaudemus. Et quia nunc ad vos secundum imperium vestrum non venimus, militum vestrorum hac illácque discurrentium terror effecit. Porrò autem, si de nostra præsentia curatis, eos mittite quorum fidei nos credere audeamus, quósque duces itineris cum securitate habere possimus. Et vt intelligatis hæc dici cum magna fide, recordamini consilij nostri, & collocutionis in Palatio Ingelheim, & videte si quod promisi vobis de pace inter Reges diu quæsita peractum est. Interim fideliter ammoneo, vt Reginam ac Episcopum secundum dignitatem vestram lenissimè tractetis, & ne vos concludi inter mœnia vllatenus patiamini.

Abbati Romulfo Senonensi. EPISTOLA CXVI.

DIVINITATE propicia benè valentes, vt ampliùs valeatis optamus. Gratia & beneuolentia Principum, vti semper vsi sumus, vtimur, spem bonam in rem conuersam iri, suo tempore expectantes. Vbinam potissimum moraturi sequenti tempore, incertum propter incerta tempora. Operi nostro, quod non paruæ quantitatis fore scripsistis, quia mensuram voluminis ignorauimus, solidos duos per clericum quem misistis misimus, idémque si insinuetis faciemus, donec completo opere dicatis, Sufficit. C

Dominæ Theophaniæ, mittenda pro Episcopatu. EPISTOLA CXVII.

SEMPER quidem vtilitati vestræ prospicere volumus, ac prospiciendo gaudemus. Quippe qui nos nostráque omnia vestræ seruituti deuouerimus. Ex tanto ergo affectu, tantóque amore, à vestra munificentia præsumimus petere quod scimus per fidissimos nuntios olim nobis concessum esse: id est si in Regnorum confinio quolibet Ecclesia vacaret pastore, in ea non alium constituendum, nisi quem vestræ vtilitati omnimodè aptum sano iudicio delegerimus. Et quia omnibus prouincialibus notum Italia expulsum, sed in fide non ficta perstantem habemus Abbatem Gerbertum, hunc Ecclesiæ præfici modis quibus possumus oramus. Qui nobis quidem est verus filius, vobis verò per omnia obsequentissimus seruus. Cuius

absentia

A absentia etsi nimium grauamur, tamen ob communia beneficia priuata posthabemus. Super his vestrum velle experiri quantociùs sacris rescriptis obnixè efflagitamus.

Clero & populo mittenda. EPISTOLA CXVIII.

MVLTVM mœroris, multùmque anxietatis intulit nobis acerba mors vestri patris, nostrique dilectissimi fratris. Nunc itaque Deus totis pulsandus medullis, vt vobis patrem, ac nobis idoneum restituat fratrem. Sit interim vestra peruigil cura, vt secundum diuinas & humanas leges res defuncti Episcopi tàm mobiles quàm immobiles futuro reseruentur Episcepo: ne si, quod absit, malè cautum fuerit, in negligentes cùm regalis censura, tùm etiam grauior adhibeatur diuina sententia.

Hemma quondam Regina Dominæ Augustæ Theophaniæ.
EPISTOLA CXIX.

PIETAS vestri hominis subueniat afflictæ, & à prædonibus captiuatæ. Et mihi
B quondam fuit & genus, & dignitas, ac Regium nomen. Nunc quasi sine genere, sine dignitate, omnibus afficior contumeliis, ancilla captiua crudelissimorum hostium facta. Et quomodo ille impius Carolus vocem meam audiret, qui vestram audire contempsit? & vos quidem me vestra memoria dignam habuistis, quæ fieri circa me velletis imperastis, hicque regiam vrbem occupauit. Parere alicui non putat suo nomini conuenire. Nolo ei spiritum explicare, quo sibi Regna inaniter promittit. Hoc tantùm oro, ne in me feminam illidatur, dum in mares retunditur.

Dominæ Augustæ Theophaniæ, nomine Hugonis Regis. V. I. D. K. V. A. Z.
EPISTOLA CXX.

BENEVOLENTIAM ac affabilitatem vestram circa nos sentientes, obsides à Carolo accipere, & obsidionem soluere secundum voluntatem vestram voluimus, fidissimam societatem ac sanctam amicitiam conseruare cupientes. Porro hic Carolus Legatos & imperium vestrum contemnens, nec super his acquiescit, nec Reginam relinquit, nec ab Episcopo vllos obsides accipit. Et hic quidem viderit, quid sua sibi prosit pertinacia. Vestram autem amicitiam ad nos in perpetuum confirmare cupientes, sociam ac participem nostri regni A. decreuimus vobis occurrere ad villam Satanicum xj. Cal. Sept. Ea quæ inter vos de bono & æquo sanxeritis, inter nos ac filium vestrum sine dolo & fraude in perpetuum
C conseruaturi.

Treuerensi V. V. D. K. A. EPISTOLA CXXI.

NON temerè esse credendum rumoribus cùm sæpè sitis experti, nunc experimini. Diuina quippe gratia præueniente, ac precum vestrarum instantia suffragante, omnibus Episcopij rebus potimur, vt antè: nec quicquam ex tanta fama aliud fuit, nisi quod post meridiem occupatis militibus regiis vino & somno, oppidani totis viribus eruptionem fecerunt, nostrisque resistentibus ac eos repellentibus, à mendicis cremata sunt castra. quo incendio omnis apparatus obsidionis absumptus est Quæ damna VIII. Cal Sept multipliciùs restauranda sunt. Inmensas porrò vobis rependimus grates, quòd tam præcipuo affectu nostri geritis curam. Quod continuari cum sanctis peritionibus & optamus & oramus, eadem voto ac desiderio vsque in finem protensuri.

Adalbero Archiepiscopus Remensis Carolo Duci. EPISTOLA CXXII.

QVOMODO à me consilium quæritis, qui me inter infidissimos hostes deputatis? Quomodo patrem nominaris, cui vitam extorquere vultis? Denique non sic promerui, sed perditorum hominum dolosa consilia semper fugi, ac fugio, non de vobis dico. Recordamini, quia dicitis vt recorder, quid vobiscum contulerim

de vestra salute, cùm primùm nos adistis, quid consilij dederim super adeundis Regni Primatibus. Nam quis eram, vt solus Regem imponerem Francis? Publica sunt hæc negotia, non priuata. Odisse me putatis regium genus? Testor Redemptorem meum, quia non odi. Quid potissimum vobis sit faciendum quæritis. Hoc cùm difficile dictu sit, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam exposcitis? Vtinam adsit ea dies, qua honestè liceat vestris interesse obsequiis. Quamuis enim Sanctuarium Domini peruaseritis, Reginam, cui quæ nouimus iurastis, comprehenderitis, Episcopum Laudunensem carceri mancipaueritis, Episcoporum anathema neglexeritis, taceo de Seniore meo, contra quem vltra vires negotium suscepistis: tamen beneficij, quo erga me vsi estis cum telis hostium, quæ subduxistis, immemor esse non possum. Plura dicerem, & quòd vestri fautores imprimis sint deceptores, ac suorum negociorum per vos, vt experiemini, effectores. Sed non est huius temporis. Nam metus est hæc eadem dixisse, ac prioribus scriptis vestris non respondisse. Idem est in causa, quoniam cautè tenemus scriptum, Nusquam tuta fides. Rationes harum rerum tractare, conferre, communicare quolibet modo liceret, si R.K.I.G.H.H.T.Z.V. datis obsidibus ad nos vsque peruenire posset, cui talia credere fas est, sine quo nihil talium agere possumus & debemus. A

Thietmaro Maguntino. EPISTOLA CXXIII. B

LABORE obsidionis in Carolum defatigatus, ac vi febrium grauiter exagitatus, sincerum affectum meum circa te, dulcissime frater, explicare non satis valeo. Hoc tantum significo, impera, obsequemur, sitque nostra amicitia eadem velle atque eadem nolle. Et quia inter graues æstus curarum sola Philosophia quasi quoddam remedium esse potest, vbicumque partes eius imperfectas habemus, suppleat industria vestra. Ad præsens autem rescribite tantùm quod deest nobis in primo volumine secundæ editionis Boëtij in libro peri hermenias, hoc est ab eo loco vbi scriptum est. *Non currit verò & non laborat. Non verbum dico cùm significat quidem tempus*, vsque ad eum locum vbi dicitur, *ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt, & significant aliquid hic præceptis*, idem parte deficientis commentarij. Beneficij vestri non erimus immemores, fidem mente conceptam non deseremus, quod voletis pro viribus exequemur.

A.H.C.H.J.V.B.Z. EPISTOLA CXXIV.

ANTIQVIS Palatiis meis vsque ad fundamenta dirutis, etiam renascens Palatium, quod mihi ædificare instituistis, diluuio vestri pene absorbtum est. Instamus, ac propriis sumptibus fabricam tanti operis nouis artificibus insignimus, ne vestro superuentu ad suburbana cogamur demigrare cubilia. Huic tam ingenti negotio adhuc dierum xv. spatium attribuite, vestrûmque architectum A. remittite, qui cœpta perficiat non meis sumptibus, sicque nos ad perstringendam * arcem montémque ab ipsis radicibus conuellendum cum totis copiis, si ea voluptas in animo est, expectate. C

* al. perstringêdam.

Incerto. EPISTOLA CXXV.

CVM multos nobis natura affinitate iungat, multos affectione, nullius amicitiæ fructus suauior est, quàm is qui fundamento nititur charitatis. Nam cuius obsequia aliquando sensimus aut elegantiora vestris aut iucundiora? Denique in tanta perturbatione nostræ Reipub. cùm perfidiã militum assiduè patimur, assiduo oculos ad vos reducimus, vt spes certa est, non frustra solatium relaturi. Et quoniam vos & grauari & defatigari nisi in summa rerum necessitudine nolumus, Z.Z.Q.M.B. & si sic iudicatis quemuis alium tantum cum militum robore, subsidio & V.Q.O.V.E.X.11. Kal. Octo. vt & nostri refugæ perterriti redeant, & hostes nouis ac insperatis copiis intabescant.

A

Incerto. EPISTOLA CXXVI.

QUIA aduersa valetudine releuati estis, non immerito longum mœrorem nobis diminuis. Gaudemus quippe si gaudetis, tristamur si tristamini. Sic sancta societas vnum & idem sentiens manet: nec nos soli dulcem affectum vestrum circa nos sentimus, sentiunt & illi qui admirabile opus crucis à vobis nostro nomini elaboratæ non sine magna oblectatione conspiciunt, in quo pignus amicitiæ æternitatem sibi affectat.

Incerto. EPISTOLA CXXVII.

MOLIMVR, conamur, quod volumus agimus, quod nolumus nequimus. Ecce Rai. atque G. quos missum iri ad vos vsque innuistis, alter solita valetudine fatigarur, alter insolita quidem, sed cum tædio sui finita imperium vestrum exequi minimè potuerunt. Exequetur autem R. quàm proximè in melius commutatus, cuius obsequiis * Hermannum Comitem adfore iamdudum in animo est. Et quia quanto silentio quantáque fide nostra secreta commiserimus nouistis, vices nostras nostrique Legati apud Comitem Heribertum vos agere rogamus: facturi quidquid prudentiori consilio decernetis. Finiróque foro, vti audira, relata, inuenta, conferre nobiscum dignemini, obsecramus, vestro per omnia vsuri consilio sapienti.

* *al.* olim sequentis.

B

Adelaidi Matri Regnorum. EPISTOLA CXXVIII.

QVIBVS angustiis Domina quondam Hemma afficiatur, quantóque prematur angore, testis est Epistola ipsius ad D. Q. V. M. H. E. iamdudum directa, cuius exemplar vobis misimus, vt & quid actum sit sciretis, & quàm nihil sibi profuerit, & vt causam doli, si tamen dolus est, inuestigetis. Certè clarissimam Dominam & Matrem Regnorum vos hactenus fuisse manifestum est, nostris periculis, si qua ingruerint, credidimus velle succurrere, nedum filiæ quondam dilectæ, siue potestas erepta est siue non est, filiæ non subuenire, in mœstitia est. Hortamur tamen vos explorare apud Carolum per valentes Legatos, vtrum velit eam vobis reddere, aut creditam commendare. Videtur quippe ideo illam sic obstinato animo retinere, ne videatur sine causa cepisse.

V.V.D.A.H.G.I.D.V.I.D. EPISTOLA CXXIX.

QVAMVIS vos in propriis causis nouerim satis occupari, tamen commune periculum magis sollicitos reddere debet. Scitis quas conuentiones cum Odone & Heriberto Comitibus habuerimus, & cur obsides donauerimus. Instant, & promissam amicitiam requirunt. Itaque nunciis eorum respondere debeo de mea ac vestra voluntate III. Non. Sept. Mores, studia, dolos, fraudes eorum, inter quos
C habito, scitis. Redite ergo vsque Bublionem, vti vobiscum loqui possim de his quæ mandare non possum. Sunt enim rès grandes, & ad vos multùm pertinentes, & quia ciuitatem sine forti periculo dimittere non possum, si placet, manus Comitis * veniet vobis obuiam, quæ vos omni securitate ad nos vsque perducat. Valete, & quæ vobis cordi, velociùs remandate.

* Manaci Comes.

Rainaudo Monacho. EPISTOLA CXXX.

NON existimes, dulcissime Frater, vitio meo fieri, quòd tandiu fratrum meorum præsentia careo. Postquam à te digressus sum, crebris itineribus causam patris mei Columbani pro viribus executus sum. Regnorum ambitio, dira & miseranda tempora fas verterunt in nefas. nulli iure redditur sua fides. Ego tamen, cùm sciam omnia ex Domini pendere sententia, quæ simul corda & regna filiorum hominum permutat, exitum rerum patienter expecto. Idem quoque facere te & moneo & hortor. Vnum autem interim plurimùm exposco, quod & sine periculo ac detrimento tui fiat, & me tibi quàm maximè in amicitia constringat. Nosti

quanto studio librorum exemplaria vndique conquiram, nosti quot Scriptores in vrbibus aut in agris Italiæ passim habeantur. Age ergo, & te solo conscio ex tuis sumptibus fac vt mihi scribantur M. Manilius de Astrologia, Victorinus de Rhetorica, Demosthenis Ophtalmicus. Spondeo tibi frater, & certum teneo, quia obsequium hoc fidele, & hanc laudabilem obedientiam sub sancto silentio habeo, & quicquid erogaueris cumulatum remittam, secundum tua scripta, & quo tempore iusseris. Tantùm significa, cui & tua munera & nostra porrigamus scripta, frequentiúsque nos tuis literis lætifica. Nec sit metus ad quorumlibet notitiam peruenire, quæ sub nostra deposueris fide. A

EPISTOLA CXXXI.

QVOD beneuolentia vestra secundum dignitatem vestri nominis assiduè perfruimur, plurimum congaudemus, cùm nostri vtilitate, tum vestri honoris prouectione. Lætamur nunc præsentia nepotis Adalberonis Verdunensium Episcopi, qui vos habita ratione loci & temporis cum copiis adfore pollicitus est. Itaque ei non dissimilem, quantum ad affectionem animi spectat, magnitudinem vestram vrbi Remorum exhibebitis XII. Cal. Octob. Quod & Monachum latorem Epistolæ celabitis, & rem tuto silentio tegetis, vti occultus ac improuisus ad nos possit esse vester aduentus. B

EPISTOLA CXXXII.

QVANTVM consilij quantúmque rationis prouida in mente versetis, cùm aliis innotuerit, tum exitus viarum Caroli manifestiùs prodiderunt. Sed si eum à Prouincia vestra velut hostem propulsare nisi estis, amicorum vestrorum, Hemmæ Reginæ, & Episcopi Adalberonis meminisse debuistis, & si velit amicum in Regnum sublimare, nihilominus eorum obliuisci non oportuit, simúlque apud infidos maleficia beneficiis non superari. Significate ergo si quid harum rerum in melius per vos commutari possit, & cur indictum colloquium pro pace inter Reges neglectum sit, & si saltem futura quies inter eos constat. Interea si quicquam beneuolentia promeruimus, multum petimus, multúmque oramus, ne militi nostro VVe. pro Ber. præiudicium fiat. Est quippe eis commune prædium in lite cum Ecclesia, vúltque B. sibi cedi in partem ex noui operis Capella, quòd non possit iure haberi nisi ex æquo facta diuisione. Benè valete, ac nostrum codicem, si placet, per fidum nuncium resignate.

Z.R.B.I. EPISTOLA CXXXIII. C

ANXTE quidem iamdudum vestrâ præsentiâ frustramur, multa vestris consiliis disponenda reseruamus. Nostis quàm paucorum fidei Reipub. negotia sunt committenda. Itaque optamus, monemus, oramus omni affectu charitatis adfore vos Remis x. Cal. Octob. cùm pro summis rationibus, quas vobis tantùm credere fas est, tum etiam pro habenda ordinatione O. Siluanectensis Episcopi designati.

Remigio Monacho Treuirensi. EPISTOLA CXXXIV.

BENE quidem intellexistis de numero D. quomodo se ipsum metiatur. Semel namque vnus, vnus est, sed non idcirco omnis numerus seipsum metitur, vt scripsisti, qui sibi æquus est. Nam cùm semel IV. fiat IV. non ideo IV. metiuntur IV. sed potiùs duo: bis enim bini, IV. sunt. Porro I. littera quam sub figura X. adnotatam reperisti, X. significat vnitates, quæ in sex & IV. distributæ sequalteram efficiunt proportionem. Idem quoque in VI. & duobus perspici licet, vbi vnitas est differentia. Sphæram tibi nullam misimus, nec ad præsens vllam habemus, nec est res parui laboris tam occupatis in ciuilibus causis. Si ergo te cura tantarum detinet rerum, volumen Achilleidos Statij diligenter compositum nobis dirige, vt Sphæram, quam gratis propter difficultatem sui non potetitis habere, tuo munere valeas extorquere.

A

Archiepiscopo. EPISTOLA CXXXV.

SICVT audita peregrinatio vestra mœrorem nobis intulit, ita permutatus rumor dilati itineris quasi fructum lætitiæ importauit. Anxiabamur quippè cùm vestri absentia, tùm quòd tantæ personæ meritis non respondebant honores. Elaboramus ergo, & quod breuitas temporis non habuit spacio temporis attribuimus, ac munera iuxta vires paramus. Vires dicimus, quia nostis inter quos habitemus, quanta perfidia quorumdam exagitemur, quia etiam obsidio Laudunensis vrbis præterita pace sequestra intermissa est, x. Cal Nouemb. repetenda. Quamobrem sicut monuimus, monemus, & pro solatio militùm si indiguerimus, & pro auxilio capti confratris nostri A. vtque B. & G. vestra exhortatione digniores se repræsentent germanos, in tanto discrimine rerum.

EPISTOLA CXXXVI.

NE grauiter & iniquo animo feras iustissimam correctionem Domini, dulcissime frater. Diuinitas quippe non dignatur impios suo flagello, æternis cruciatibus reseruans puniendos. Disce constantiam seruare in aduersis. Et si Iob & nostri ordinis antiquos Sacerdotes non vales imitari, saltem nostri temporis laicum
B hominem, tibique affinem, exemplar habeto, Comitem Godefridum Nos quidem tuæ salutis immemores non erimus, nec quicquam eorum quæ pro te fieri oporteat intentatum relinquemus. Nouerit ergo I. V. Q. omnia quæ circa te sunt, vt legatum nostrum Parisius in festo beati Dionysij certissimum in omnibus reddere possit, vt si obsidio futura est, & non est, alia atque alia refringantur consilia. Vale feliciter, & hoc vnum attende, ne te præcipitem dederis, vt satiùs fuerit alio modo periisse, quàm per interitum tibi tuisque posteris æternum oprobrium reliquisse. Iterum vale, & à I. V. I. Q. Z. H. Z. A. plurimùm caue, vt à perfido & impostore.

EPISTOLA CXXXVII.

ABSENTIA militum nostrorum res quam petistis plenum non habuit effectum, est tamen in voto, & in eorum reditu quod poterimus exequemur. Sed si perpetuam pacem rusticis Asineti optatis veniam Com. Cen. & vt ad nos vsque quàm proximè, vt & in merita comparentur consilia, & vestra militaris manus digna nobis conferat solatia, iuxta quod per eum significabimus. Hæc tutis auribus committimus propter hostium multiplices insidias.

EPISTOLA CXXXVIII.

C GRATVLAMVR meliori habitudine corporis instaurata in vobis, simúlque quòd nostram scire voluistis. Nos quidem Domino propitio & bene valemus, & optima quæque votis optamus, nec cœptam amicitiam scienter violare molimur, nec acceptam à nostris iniuriam propulsare, sed à Cal. Ianu. vsque ad initium Quadragesimæ, in confinio nostræ Franciæ, Burgundiæ, ac Lotharienfis Regni occurrere vobis parati sumus, sicut designabitis diem certum, & locum suo nomine descriptum: vt pax & concordia Regnorum, & Ecclesiarum Domini, nostro vitio non destituatur.

EPISTOLA CXXXIX.

ERVDITO homini, atque puram fidem, quæ hodie paucorum est, constanter tenenti, duo verba Christi, & nostrum consilium aperiemus, & propositæ quæstioni satisfaciemus. Dicimus autem, ***Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. &c, Sine mortuos sepelire mortuos suos.*** His animaduersis, legitimè iniuncta ab Episcopo honestè prosequimini. Contra fas porro à quolibet prolata deuitabitis. Non inhonestè vtantur suo tempore filij tenebrarum, filij Belial: nos filij lucis, filij pacis, qui spem in homine velut fœnum arescente, non ponimus. Cum patientia expectemus illud Prophetę, ***Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani, transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.***

EPISTOLA CXL. A

BENEFICIIS liberatoris nostri grates persoluere dignas non sufficimus: etiam membra nostra, quæ infernus absorbuisse in vobis visus est, ab eius faucibus erepta, victore Christo lætamur. Verùm quod huius temporis est monemus, vti nostro colloquio perdiscatis quæ appetenda, quæ vitanda vobis sint, priusquam nostri Regni Principum Conuentibus misceamini. Simul etiam aut litteris aut fido nuncio significate, vtrum tuta videatur vobis ad præsens profectio A.H. atque Ra. ad Comitem Ottonem, & quò conueniant.

EPISTOLA CXLI.

DIVTIVS consultando nihil tutius in commune repertum est, quàm à colloquio vestri Senioris ad præsens abstinere, si fieri potest honeste. Si autem non potestis maiorum causarum summas attingere, nihil nisi euidenter vtile definire bonum est. Porro omnium bonorum fide Ra. feria V. vestrum legatum Silnanectis præstolabitur, vel Carnotim profecturus si laudabitis, & Compendiacum reuersurus si sic annuetis.

Adalbero Episcopus R. & Scholaris Abbas, Constantino suo.

EPISTOLA CXLII. B

CONGRATVLAMVR tibi, dulcissime Frater, peruasore atque hoste Monasticæ Religionis, ad multorum salutem humanis rebus exempto. Insta ergo, & si iam Patrem tua ac Fratrum dilectione dignum habes, habeamus eum & nos præsentem tua opera proximè in festo beati Remigij, vt affectus noster à Floriacensibus te faciente paululum abalienatus, te faciente fit plurimum reconciliatus. Quòd si hæc omnia fieri minus possint, liceat nobis & tua tantùm perfrui præsentia, si quid vnquam præstitimus quod placuerit, & si dignaris præstare quod placere possit.

EPISTOLA CXLIII.

SI eam, quam in maximis rebus beneuolentiam fine affectu contulistis, nunc in minimis causis præstatis, non paruam laudem nec minimum fructum sperare debetis. Laborastis qnippe vt liberaremur ab hoste, sed contempti estis modò, quia liberauit nos Dominus de ore leonis. Solitam operam impendite, vt imperio Senioris ac Dominæ vestræ ille violentus prædo saltim supellectilem nostrã reddere cogatur. Non aurum quærimus, nec massas argẽnti, sed quibus carere dédecus est. Dicimus autem aulæa, tapetia, & iis similia, simúlque petimus nostram fidem, non ex eius fide perpendi, qui nihil vnquam spopondit, quod ratum fore decreuerit.

EPISTOLA CXLIV. C

SICVT Epistola regij nominis, quam vobis misimus, continet, monemus, rogamus, obsecramus, vt exequi curetis, cùm pro vestra beneuolentia circa nos, tùm propter pacem Ecclesiæ Domini pace Principum prouenturam, nisi fortè desiderabili præsentia vestra frustramur, apud fidos infidi ac suspecti habemur.

Parisiensi Episcopo Gerbertus. EPISTOLA CXLV.

ETSI omnis Ecclesia Catholica vna atqne eadem est, singulis tamen Sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quò se extendere, vbi terminos debeant collocare. Itaque in causa Rotberti Abbatis, ob eam quam seruamus ac semper vobis seruare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus. Primum, non esse nostri iuris falcem in aliena messe ponere: in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore. Secundum, sancti Dionysij Cœnobium eius esse reuerentiæ ac dignitatis, vt nullius ibi magistratus debeat deponi aut imponi sine comprouincialium, quorum interest, consensu ac fauore solemni. Tertium

proponimus, si rem in dilatione ponitis, vestræ mansuetudini suggerendum, qui-
A quid honestius & vtilius cum religiosissimis & amplissimis viris inueniemus.

Epistola CXLVI.

Decimo Cal. Ianuar. à Rege acceptam Epistolam fraternitati vestræ dire-
ximus per R. æquiuocum patri, in qua vester ac fratris mei aduentus in vrbe
Remorum expetebatur, v. Cal. Ianuar. regiis Legatis obuiam occursuri, qui ex
condicto quidem venerunt, sed vos non inuenerunt. Porro exemplar prioris Epi-
stolæ nostræ nunc mittimus, postulantes datum iri subitum responsum voluntatis
propriæ simul & actionis.

Hemma quondam Regina Francorum. Epistola CXLVII.

Acerba sunt hæc tempora, Sacerdos Domini, quibus sanctissima fides vs-
quequaque rarescit. Sed mementote illius quam semper promisistis, quám-
que à vobis conseruandam credere malim. Moueat vos mea captiuitas, prædonum
manus. Apud scientem loquor, ego illa Hemma quondam Francorum Regina,
quæ tot milibus imperaui, nunc nec vernaculos comites habeo, quibus saltim sti-
pata conuentus adeam tanti Ducis Henrici, nec desiderabili præsentia vestra frui
licet causa captandæ salutis atque consilij. Adsitis ergo nostræ causæ differendæ,
B non determinandæ vsque ad mutua verba. De castro Q.G.R. dicimus, nec patia-
mini fratrem vestrum dici proditorem, quem hactenus probauimus in fide non fi-
cta permanentem. Interea, quoniam rerum nostrarum, vt scitis, procurator nec
rediit, nec quid ei obuenerit audiuimus, ne vacua manu redeatis. Diu expectatam
pecuniam in loculis vestris referte, mercedem ac gratiam ob merita beneficia re-
laturi cùm ex hoc, tùm ex aliis sæpenumerò collatis.

Gerbertus Scholaris Abbas Remigio Monacho Treuirensi. Epist. CXLVIII.

Prægravat affectus tuus, amantissime Frater, opus Achilleidos, quod
benè quidem incœpisti, sed defecisti dum exemplar defecit. Itaque & nos be-
neficij non immemores, difficillimi operis incœpimus Sphæram, quæ & torno iam
sit expolita, & artificiosè equino corio obuoluta. Sed si nimia cura fatigaris haben-
di simplici fuco interstinctam, circa Martias Cal. eam expecta, nisi fortè cum ori-
zonte ac diuersorum colorum pulchritudine insignitam præstoleris, annuum per-
horrescas laborem. Ceterùm de dato & accepto inter nostros clientes sic iure con-
stitit, vt nihil redderet qui nihil deberet.

Epistola CXLIX.

Satis quidem molestè absentiam vestram ferimus, sed maiori cura premimur
C ob ignorantiam earum rerum quæ circa vos geruntur. Nam cuius affectuum
sumus participes, eius certè progressus & exitus viarum ignorare minimè debe-
mus. Festinate ergo & litteris planum facere quid communium negotiorum ac
priuatorum postmodum egeritis, agatis, mox agere disponatis, simúlque signifi-
cate quid nos facere velitis. In electione Episcopi I I. Iduum Februar. habenda,
qua die & potiùs pridie vestra præstolabimur responsa, & quid Ansel. apud Comi-
tes egerit, & cur eius nuncium adhuc minimè viderimus, & vtrum Regem ac Co-
mites priùs conuenire debeamus, & si iter ad iniunctum colloquium Calæ differre
debeamus, & si eò venietis, & cuius fauore hæc & his similia, plenissimam fidem
ad vos habentibus plena fide deponite.

Epistola CL.

Gratvitæ beneuolentiæ vestræ nullis respondemus meritis. Quid enim
contulimus aliquando dignum legatione Roderici? Hoc solum superest vt
intelligamus, quomodo dictum sit, ne cuiuspiam Regis vel Episcopi commoda
vestris ac Senioris vestri commodis anteferamus. Non satis quippe patet, vtrum
relictis omnibus quæ possidemus, iubeatis sequi vos ac vestra: an quodam genere

loquendi spe consolatoria tantùm nos releuare velitis ab impetu sæuientis fortunæ. Rex Hugo ac vicini Episcopi, & qui Sedem Remorum ambiunt, plurima offerunt. Sed nulla à nobis adhuc recepta sunt, nec sine vestro consultu quicquam agere molimur. Ea gratia Regem adire distulimus, ne forte ab eo rapti vestra imperia refugisse videremur, ob dulcissimum affectum cari patris mei Adalberonis omnibus mortalibus anteponenda, quæ in vobis quodammodo intueri desiderabile est. Cetera, quæ in nobis mentis essent, & quæ fieri circa vos vellemus, Roderico diligenter exequenda commisimus. A

Gerbertus salutem sibi scribenti sub nomine reuerendi patris Adalberonis Verdunensis Episcopi. EPISTOLA CLI.

SI de meo statu quæris, bona sententia quicumque familiaritatem prætendis, liceat respondere, tua pace me positum in aduersis, virum fortem sequi, non consequi. Ceterum Reipub. causas non significo, quoniam quid scribam nescio. Specialia tamen fratris morbo calculi laborantis pleniùs exequerer, si inuenta à prioribus intueri liceret. Nunc particula antidoti philoanttropos ac eius scriptura contentus, tuo vitio imputa si quod paratum est ad salutem, non seruando dietam, vetteris in perniciem. Nec me auctore quæ medicorum sunt tractare velis, præsertim cùm scientiam eorum tantùm affectauerim, officium semper fugerim. B

Remigio fratri, Gerbertus. EPISTOLA CLII.

ID momentum ac ea vis erat Domini mei & Patris mei Adalberonis in causis pendentibus ex æterno, vt eo in rerum principia resoluto in primordiale chaos putaretur mundus relabi. In tanta igitur perturbatione, & vt ita dicam confusione mortalium officiorum immemor, quid optares, quid peteres, incautiùs perspexisti. Num in eius modo discrimine Republica derelicta demigrandum fuit ad philosophorum commenta, interdum non necessaria? Taceo de me, cui nullæ mortes intendebantur: & quòd Pater Adalbero me successorem sibi designauerat, cum totius Cleri, & omnium Episcoporum, ac quorumdam militum fauore, & quòd omnium rerum, quæ displicerent, me auctorem fuisse contenderent. Nam amici, qui familiaritate beati Patris Adalberonis mecum vsi fuerunt, mecùmque laborabant, ob tornatile lignum deserendi erant. Patere ergo patienter moras necessitate impositas, ac meliora tempora expecta, quibus valeant resuscitari studia iampridem in nobis emortua.

* al. Imperator Otto Gerberto Magistro suo.

G. Philosophorum peritissimo, atque tribus Philosophiæ partibus laureato, Otto quod sibi *. EPISTOLA CLIII. C

AMANTISSIMÆ vestræ dilectionis omnibus venerandam nobis adiungi volumus excellentiam, & tanti patroni sempiternam nobiscum stabilitatem adoptamus, quia vestræ doctrinæ disciplinara proceritas nostræ simplicitati semper fuit haud fastidiens auctoritas. Attamen vt omni ambage dimota ad vos nudæ veritatis fruamur loquela, iudicauimus, & firmum disposuimus, vt vobis manifestet hoc nostræ voluntatis Epistola, quòd in hac re summa nostræ adoptionis & singularitas est petitionis, quatenus nobis indoctis, & malè disciplinatis, vestra solers prouidentia in scriptis, nec non & dictis, non præter solitum adhibeat studium correctionis, & in Republ. consilium summæ fidelitatis *. Huius ergo nostræ voluntatis in non neganda insinuatione, volumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed Græciscam nostram subtilitatem ad id studij magis vos prouocare: quoniam si est qui suscitet illam, apud nos inuenietur Græcorum industriæ aliqua scintilla. Cuius rei gratia, huic nostro igniculo vestræ scientiæ flamma abundanter apposita, humili prece deposcimus, vt Græcorum viuax ingenium Deo adiutore suscitetis, & nos Arithmeticæ librum edoceatis, vt pleniter eius instructi documentis aliquid priorum intelligamus subtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quidue displiceat, vestra paternitas litteris nobis nuntiare non differat.

* al. felicitatis.

A Valete. Versus nunquam composui, nec in studio habui, dum in vsu habuero, & in eis viguero*, quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina. * al. fouero.

Gerbertus Othoni Cæsari. EPISTOLA CLIV.

DOMINO *& glorioso Othoni Cæsari semper Augusto Gerbertus gratia Dei Remorum Episcopus, quicquid tanto Imperatore dignum.* SVPEREMINENTI beneuolentiæ vestræ, qua in sempiternum digni vestro iudicamur obsequio, forrasse votis, sed respondere non valemus meritis. Si quo enim renui scientiæ igniculo accendimur, totum hoc gloria vestra peperit, patris virtus aluit, aui magnificentia comparauit. Quid ergo? Thesauris vestris non inferimus proprios, sed resignamus acceptos, quos partim assecutos, partim vos quamproximè assecuturos indicio est, honesta & vtilitas ac vestra maiestate digna petitio. Nisi enim firmum teneretis ac fixum, vim numerorum vel in se omnium rerum continere primordia, vel ex sese profundere, non eorum plenam perfectámque notitiam tanto festinaretis studio: & nisi moralis Philosophiæ grauitatem amplecteremini, non ita verbis vestris custos omnium virtutum impressa esset humilitas. Non tamen animi sibi benè conscij tacita est subtilitas, cùm eius vt ita dicam oratoriam facultatem & à se & à Græcorum fonte profluentem oratoriè docuistis. Vbi nescio quid diuinum exprimitur, cùm homo genere Græcus, imperio Romanus, quasi hereditario iure thesauros sibi Græcæ ac Romanæ repetit sapientiæ. Paremus ergo, Cæsar, Imperialibus edictis, rum in hoc, rum in omnibus quæcumque diuina maiestas vestra decreuerit. Non enim deesse possumus obsequio, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro Imperio.

B

*Otho Augustus Imperator reuerentissimo Papæ Gerberto**. EPISTOLA CLV.

* al. Reuerentissimo Papæ Gerberto Otto Dei Gratiâ Imp. Augustus.

QVIA diuinitate propicia non solùm sanguinis linea, verùm etiam inter cunctos mortales quadam sui generis eminentiâ connectimur affectu, qualitate circa Domini cultum non dispares esse debemus. Ideóque nostro animo vestrum metuentes ingenium, hunc Abbatem Petrum vestro commendamus Apostolatui, vt quæ honesta & vtilia circa suum Monasterium fore agenda, & à se & à nostro legato cognoueritis, cum omni diligentia exequi studeatis: vt dum Martyrum memorias in commune honoramus, eorum beneficia in commune sentiamus. Valete.

Otho gratia Domini Imperator Augustus R. Comiti salutem. EPISTOLA CLVI.

C DIVERSA Regni negotia interdum cogunt nos incidere diuersa imperia. Hinc est, quòd Abbatiam sancti Vincentij Capuæ sitam ob quarundam rerum necessitudines nuper Iohanni Monacho donauimus, Rothfrido Abbate nec adiudicato, nec deposito. Proinde respectu misericordiæ eidem Abbati Rothfrido concedimus Cellam sanctæ Mariæ, cum omnibus ad se pertinentibus, in Marsi Comitatu, in eo loco qui dicitur Apininici, cum reliquis rebus sancti Vincentij in eodem Comitatu positis. Cellam quoque sanctæ Mariæ in partibus Beneuenti, vbi dicitur Sanus-locus, cum omnibus sancti Vincentij rebus in terra Beneuentana sitis. Vnde tibi & Beneuentano Principi præcipimus, vt sicut res vobis vicinæ sunt, ita ob nostram fidelitatem Rothfridum Abbatem eius res tenere iuuetis sine vlla contradictione.

Dominæ Adelaidi Imp. semper Augustæ Otto gratia Domini Imperator Augustus. EPISTOLA CLVII.

QVIA secundum vota & desideria vestra diuinitas nobis iura Imperij contulit felici successu, diuinitatem quidem adoramus, vobis verò grates rependimus. Scimus enim & intelligimus maternum affectum, & studia pietatis, quibus

rebus obsequio vestro deesse non possumus. Proindè quia, dum promouemur, vester honor attollitur, Rempub. per vos promoueri, ac promotam feliciter in suo statu regi multum oramus & optamus. Valete. A

Reuerentissimo Papæ Gerberto Otho gratia Dei Imperator Augustus.

EPISTOLA CLVIII.

QVIA temporis difficultate adstrictus vestris votis satisfacere nequeo, vehementi mœrore afficior. Moueor enim pietatis affectu circa vos, sed naturæ necessitas suo iure omnia constringens, qualitates Italici aëris qualitatibus mei corporis quadam sui generis contrarietate opponit. Mutamur ergo solùm corpore, vobiscum mansuri mente, vestróque solatio atque subsidio primores Italiæ relinquimus. Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. Comitem Spoletinis & Camerinis præfectum, cui octo Comitatus, qui sub lite sunt, vestrum ob amorem contulimus, nostrúmque Legatum eis ad præsens præfecimus, vt populi rectorem habeant, & vobis eius opera debita seruitia adhibeant.

Adelaidi Reginæ. EPISTOLA CLIX.

DOMINÆ *& gloriosæ Adelaidi Reginæ semper Augustæ Gerbertus gratia Domini Remorum Episcopus, & omnibus suis confratribus & Coepiscopis Remorum Dioeceseos, benè valere in Christo.* EPISTOLA vestri nominis læta principia pertulit, monita salubria habuit, sed tristi fine conclusa est. Suauem quippe animi vestri affectum circa me ostendit, ad propriam Sedem reditum maturare admonuit. Sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet: Cognoscite quia si modò huiusce monita parui penderitis, vtemur nostrorum & rebus & consiliis absque crimine vestri. Me vrbi Remorum præsidente, quando non licuit, licet, vel licebit vestris vti consiliis, & rebus mihi commissis? An melius licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolo & fraude abstulit, ego contra multorum dolos & fraudes vobis eam multis vigiliis multóque labore conseruaui. Mirum nimis est vestrorum hostium vos non sentire insidias. Qui enim Arnulfum ad vestri Regni confusionem suæ Sedi restituere quærunt, non sibi hoc tutum fore putant, nisi me prius qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse duplici capimus argumento, quia me Remis nuper posito eum absoluere decreuistis: & quia Leo Romanus Abbas vt absoluatur obtinuit, ob confirmandum Senioris mei Regis Roberti nouum coniugium, vt mihi à Remensibus per litteras significatum est. Accedit ad hoc discrimen fides à præsentibus Corte-Calmiciaca à Gibuino Gibuini nepote peruasa. Infinitus, credo, erat villatum numerus, nec ad possidendum sufficere poterant Remenses, nisi ad colonias obtinendas inuitarentur Cathalaunenses. Quid ergo? Si Arnulfus absoluendus est, vel si Guibinus, vel alius quilibet in sede mea intronizandus est, reditum meum sine capitis mei periculo intelligere non est. Quod ita esse, sed vos minus animaduertere, dubitare non debeo. Noui enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda, noui animi vestri dulcissimos affectus circa me. Quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quocirca vt mea vobis minus ingeram, déque me omnino taceam, quem diuina gratia à periculorum immensitate liberat, & in quantum ad me solum attinet, in omni felicitate disponit & consetuat, per terribile nomen omnipotentis Dei oro & deprecor, vt Remensi Ecclesiæ desolatæ & attritæ si quolibet modo valetis subueniatis. Quæ quoniam Regni Francorum caput est, si deperierit, vt membra sequantur necesse est. At quomodo non deperit, quæ sub nomine duorum quasi inter malleum & incudem, disposita, dum eorum neutrum Rectorem approbat, velut inter vndas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tertius sine iudicio Ecclesiæ ad numerum accesserit? Neque verò hæc loquor, tanquam augur aut diuinus. Memini etiam meos conspirasse non solùm milites, sed & Clericos, vt nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate & contemptu, nihil dico de grauissimis iniuriis sæpè mihi à pluribus illatis. Ad hæc vt redeam prouocatis, & vt grauiora patiar, minas superaddit Epistola. Quid est, ô diuina Majestas? adeóne me infatuatum, vel à te abalienatum putant, vt vel

A gladios imminentes non videam, vel Ecclesiam tuam scismate confundam? Ego verò improborum versutias acutè conspicio, & contra omnia scismata vnitatem Ecclesiæ, si sic decretum est, morte mea defendo. Peto ergo, ô Domina mea semper Augusta, item à fratribus meis Coëpiscopis, qui pro causa traditoris Arnulphi, siue iustè siue iniustè sub anathemate positi sunt, vt me iudicium Ecclesiæ expectantem patienter ferant. Neque enim Ecclesiam, quam Episcoporum iudicio regendam accepi, sine Episcoporum iudicio relinquere volo. Nec rursus contra Episcoporum iudicium, vbi maior auctoritas adsit, eam quasi per vim retinere dispono. Quæ iudicia dum expecto, exilium, quod à multis felix putatur, non sine multo dolore tolero.

EPISTOLA CLX.

OCCVRRIT mihi Senioris mei Regis ROTBERTI clara facies, lætus aspectus, vsitata colloquia, sermones vestri sapientiâ & grauitate pleni, tum Principum & Episcoporum grata affabilitas; quæ mihi dum eripitur, ipsa quodammodo vita onerosa est. Sola mihi solatio est clari Cęsaris Othonis pietas, beniuolentia, liberalitas, qui tanto amore vos vestráque diligit, vt dies noctésque mecum sermonem conferat, vbi & quando vos familiariter videre possit: coæuum sibi & studiis consimilem Seniorem meum Regem Rotbertum alloqui & complexari. Si ergo B Romanum iter, quod causa plurimum Synodi me detinet, hoc tempore dilatum fuerit, circa Nouembr. Kal. me expectabitis, & harum rerum interpretem fidissimum, & per omnia vobis obedientem.

Constantino suo Gerbertus Scholasticus. EPISTOLA CLXI.

VIs amicitiæ penè impossibilia redigit ad possibilia. Nam quomodo rationes numerorum abaci explicare contenderemus, nisi te adhortante, ô mi dulce solamen laborum Constantine? Itaque quum aliquot lustra iam transierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quædam eisdem sententiis. Nec putet Philosophus sine literis hæc alicui arti vel sibi esse contraria. Quid enim dicet esse digitos, articulos, minuta, qui auditor maiorum fore dedignatur? Vult tamen videri solus scire, quod mecum ignorat, vt ait Flaccus. Quid cùm idem numerus modò simplex, modò compositus: nunc digitus, nunc constituatur vt articulus? Habes ergo (talium diligens inuestigator) viam rationis, breuem quidem verbis, sed prolixam sententiis, & ad collectionem interuallorum & distributionem in actualibus geometrici radij secundum inclinationem, & erectionem in speculationibus & actualibus simul dimensiones cœli & terræ plena fide comparatam.




A

EPISTOLÆ ALIÆ GERBERTI.

Nunc primùm ex Ms. Exemplari Iacobi Sirmondi Societ. IESV *in lucem edita.*

ELECTIO ARNVLFI Remorum Archiepiſcopi à GIRBERTO edita.

EPISTOLA I.



SANCTÆ *ac vniuerſali Eccleſiæ Catholicæ ſalutem dicunt filij Remorum Metropolis.* DVÆ memoriæ patre noſtro A. ſenſus corporeos relinquente, clarum lumen Paſtoris amiſimus, prædà hoſtium facti ſumus. Itaque dum molimur, conamur tanti viri reſarcire ruinas. B Elapſa ſunt canonica tempora, violatæ ſunt leges, quibus cauetur nullam Sedem ampliùs triginta dierum ſpacio vacare licere. Núncque tandem pulſantibus diuina lux ſe apparuit, & quò ſequeremur oſtendit, depulſo antichriſto, ſimoniaca hæreſi damnata. Nos, inquam, qui dicimur Epiſcopi dioceſeos Remorum Metropolis, cum omni Clero, diuerſi ordinis populo acclamante, orthodoxis Regibus noſtris conſentientibus, eligimus nobis in Præſulem virum pietate præſtantem, fide inſignem, conſtantiâ mirabilem, in conſiliis prouidum, rebus gerendis aptum. In quo hæ virtutes, quæ ſic clarè relucent, indicio ſunt ceteras abeſſe non poſſe. ARNVLPHVM dicimus Regis Lotharij filium. Quem etſi altus ſanguis vitio temporis ſub anathemate poſitus aliquo inficit contagio; ſed tamen hunc mater Eccleſia purificans myſticis abluit ſacramentis: hunc, inquam, dicimus Laudunenſis Eccleſiæ filium, & vt veriùs fateamur Remenſis. Ea quippe ciuitas Remenſe territorium, Remenſis parochia eſt: nec ſic à beato Remigio diuiſa, vt fieret aliena. Nimirum ille vir Deo plenus, vnitatem appetens, non ſciſſionem affectans, ſic ſcidit vt cohæreret velut pars in toto. Et quis & quantus futurus eſſet intelligens, natale ſolum beauit ſacerdotij dignitate. Eligimus ergo hunc ARNVLPHVM hinc ortum, hîc educatum, ſimoniacæ hæreſis expertem, à factione tyrannica remotum, ſua cuique debita iura reddentem, Sanctuarium Dei non diſſipantem. Sint procul ab electione noſtra dolus C &...... nec putent eam ad ſe pertinere filij Belial, filij pacis & concordiæ ſtabilem & ſolidam in perpetuum faciant confirmando, corroborando, ſubſcribendo.

Ex perſona Arnulphi Remenſis Epiſcopi. EPISTOLA II.

ETsi adhuc neque in re publica, neque in priuata, nulla merita nobis ſint, his tamen animus minimè deeſt, ſpecialiúſque quodammodo inardeſcimus ad comparandos ac retinendos veſtros affectus. Ob id itaque Geratdum antiquum militem veſtrum vim inferentem, ac beneficium noſtri fidelis Guenirici peruadentem patientiâ ferimus, vtque eum quieſcere iubeatis oramus. Et ſi fortè diſſimulauerit, vtrumque monitorem experiatur ſui iuſtiſſimum hoſtem.

E. Epiſcopo Treuerenſi ex perſona eiuſdem. EPISTOLA III.

SCIENS beneuolentiam, vel potiùs pietatem veſtram, qua ſemper vſi eſtis circa beatæ recordationis prædeceſſorem meum, feliciorem me iudico, ſi eam ſic accipio vti acceptam terminus neſciat. Itaque ex abundanti charitate à vobis facto principio congaudemus, ac mutua dilectione frui indiſſolubiliter optamus. Et

quia

A quia tumultus diffidentium Regnorum, ac nouitas nostræ ordinationis decernere ac perficere, qui animosè impediunt actuum nostrorum moderamina, consolidatæ prudentiæ vestræ delegamus: simul quoque oramus si fieri potest definitè præscribi, vbi & quando post reditum vestrum à Palatio conuenire possimus, simúsque ad præsens certi, si quid rerum nouarum didiceritis, post pleniùs instruendi quod planiùs pernoscetis. Magnum argumentum est in sanctissima amicitia, ac firma societate nos in æternum mansuros, cùm eisdem vtamur auctoribus, quibus apud prædecessorem meum in otio & negotio semper vsi estis interpretibus.

EPISTOLA IV.

PLVRIMVM intelligo vos intelligere motus animi mei, eóque ampliùs vos accuratè diligo, & amplector. Recordor quippe honestissimæ ammonitionis, qua me satis diu à communione quorumdam Principum suspendistis, quid velletis significastis. Oro ergo per venerabile nomen patris mei, & per inuiolatam fidem, qua se suósque semper colui, ne cogar eorum hominum obliuisci, quos ob eius amorem meis commodis neglectis præcipuè semper dilexi. Dominæ meæ Theophanæ seruata fides circa se suúmque filium, ne sinat me fore gloriam suorum hostium, quos propter se si quando valui abduxi in obprobrium & contemptum. Iterum in commune oro, & obsecro ne eius vobis displiceat seruitus, cui vestrum Imperium, honor, potestas, hactenus placuerunt. Facite vestra liberalitate ne absentia
B honestaris, fuga optimarum artium, efficiar sectator Catilinæ, qui in ocio & negocio præceptorum Marci Tullij diligens fui executor.

EPISTOLA V.

NON alienum est à vestra humanitate, & à sacrosancto sacerdotio, quærentibus consilium consilium dare. Nulli mortalium aliquando iusiurandum præbui, nisi D.M Othoni. Id ad dominam meam Th. ac filium eius Oth. Aug. permanasse ratus sum. quippè cùm in tribus vnum quidem quodammodo intellexerim. Quoúsque ergo hanc fidem seruandam censetis? Dico equidem quòd spoliatus amplissimis rebus Imperiali dono collatis, Apostolica benedictione confirmatis, nec vna saltim villulâ ob fidem retentam vel retinendam donatus sum. Dico quòd inter grauissimos hostes vestros positus, nullis eorum beneficiis quamuis ingentibus oblatis inflexus sum. Quoúsque ergo id genus amicitiæ exercebo? Consulite, ac solatium imploranti præbete, etsi non ob mea merita, sed tamen & propter vestra erga omnes semper laudata beneficia.

EPISTOLA VI.

C CONCEPTAM lætitiam Romani itineris, quo vester comitatus ac dominæ Theophanæ semper Augustæ futurum alloquium ampliorem fecerat, Senioris mei prohibitio conturbat. Vices ergo meas velut amicus amici obtinete. Et vt pallium à domino Papa per vos consequamur, & gratiam dominæ nostræ per vos cœptam retineamus. Cuius obsequio, Deo annuente, in Pascha erimus, nec quisquam erit qui vos ab eius ac filij sui fidelitate ac seruitio prohibere possit.

Rainardo Monacho Bobiensi. EPISTOLA VII.

QVIDAM Tetbaldus, vt ipse ferebat, Monachus Bobiensis præterita æstate ad nos venit, per quem nostra scripta tibi direximus, quibus tuæ litteræ non satis respondent. Itaque & exemplar prioris Epistolæ remittimus, & tuæ petitioni hoc modo consulimus. Si sub Regula Patris Benedicti ac spirituali Abbate tibi militare delectat in alio Monasterio, mea licentiâ vtere. nec obsit tibi transitus causa religionis, & imperio Abbatis tui factus. Ceterùm in dando & accipiendo frena licentiæ relaxamus partim, partim restringimus: hoc modo seruata discretione, vt quod iure & sine offensione diuinarum legum dandum ac recipiendum est, des ac recipias. Nec putes ad meam licentiam pertinere, si quid tyranno aut impio spontè tribueris, vel ab eis acceperis.

Remigio Monacho Treuerensi. EPISTOLA VIII. A

PETITIO tua, dulcissime Frater, totiens repetita, quibus iactemur fluctibus satis ostendit. Nescis, nescis quæ naufragia pertulerimus, postquàm à te digressi sumus. Grauissimis quippe laboribus æstiuis & continuis eos contraximus morbos, quibus pestilens autumnus penè vitam extorsit. Accessit ad hæc violenta fortuna, cuncta quæ dederat repetens per eos prædones, qui vrbem Remorum depopulati sunt. Nunc amicorum captiuitatem deflemus, & an sedes nobis sint permutandæ peruigili cura deliberamus. Eo in luctu, eóque in mœrore nostra patria est. Timor & tremor muros circumdant, inopia ciues premit. Clerus vtriusque ordinis propter futuram vastitatem ingemit. Ergo sit tui muneris manus leuare ad omnipotentem pro nobis. Et si diuinitas pœnam alleuiauerit peccati, erimus non immemores tui per omnia beneficij.

Gerbertus Raimundo. EPISTOLA IX.

NOSTRO reuerentissimo Patri Raimundo Du. Filius. QVO in portu agam nauim gubernatore amisso, scite vos, dulcissime Pater, & quinam sit status in Francorum R. p.* Ego cùm statuissem non discedere à clientela & consilio Patris mei beati Ad. repentè sic eo priuatus sum, vt me superesse expauescerem. Quippè cùm esset nobis cor vnum, & anima vna, nec hostes eius eum putarent translatum, cùm me superesse viderent, me ad inuidiam KAROLI nostram patriam tunc & nunc vexantis digito notabant, qui Reges deponerem, Regésque ordinarem. Et qui R. p. permixtus eram, cum R. p. periclitabar, velut in perditionem nostræ vrbis pars prædæ maxima fui. Eáque res iter meum in Italiam penitus distulit, vbi & organa etiam seruantur, & optima portio meæ supellectilis. Non enim potuimus obsistere præcipiti fortunæ, nec Diuinitas declarauit adhuc quonam in portu me sistere velit. Igitur de me & de meis fortunis grauisuri, expectant exitum instantis fortunæ. Dabo operam pro viribus, nec quicquam eorum quæ fieri oporteat intermittam, donec optatis perfruar sedibus, reddámque Deo vota mea in Sion. Vale amantissime Pater, valeat frater Ariardus, valeat sanctissimum Collegium tibi subiectum, meíque sitis memores in contemplatiuis cum Patre meo Adal. B

* Republica.

Venerabili adhuc Episcopo A. Gerbertus. EPISTOLA X.

ITANE socordiæ atque dubiis casibus credidisti, vt gladios cuerici imminentes non videas? arietes ac vineas ilia tua pulsantes non sentias? Recordare quæso quid actum sit, ô felix quondam & dulcis amice sub imperio Patris mei Adalberonis. Diui Aug. Lothatij germanus frater heres Regni Regno expulsus est. Eius æmuli, vt opinio multorum est, inter Reges creati sunt. Quo iure legitimus heres exheredatus est quo iure Regno priuatus est, & quò in paternam domum rediit? Quę decreta Romanorum Pontificum infantes baptizari vetuerunt? Qui sacri Canones innocentes Presbyteros ab altaribus remouerunt? Agit Abraham cum Deo causam, vtrum in Sodomis debeat perdere iustum cum impio: Et tu Pastor non dubitas addicere pœnæ noxium simul & innoxium? Sed quid ego hæc minima, cùm sciam accusationem tuam à Sacerdotibus Dei descriptam, & plenam criminibus, grauidam sceleribus? Electi sunt Iudices, quorum iudicio si defueris, de absentia nihil lucraberis. Et si adfueris, Episcopus esse cessabis. Inuentus est qui tuas vices sortiatur. Curre ergo dum aliquid otij superest, neque spem tuam ponas in Ligeri & Sequana, nihil profuturus. Ego quidem factionum, conspirationum, Iurisconsulti ac consulentium conscius, ob fidele silentium hæc tibi causâ veteris amicitiæ habui dicere, vt te lethargo alleuiarem. Tuum sit plenius remedium quærere, qui etiam in comitialem morbum videris decidisse. Vale. C

A

EPISTOLA XI.

IMMENSÆ beneuolentiæ ac potiùs pietati vestræ circa nos immensas rependimus grates. Quanti nos habeatis compassione vestra profectò declarastis. Declaramus ergo & nos quid in futurum moliamur, non solùm ex his quæ cum paucissimis pernoctamus, sed etiam ex anathemate in prædones Remensis vrbis iam promulgato. Cuius exemplar vobis mittimus, vt ex eo pernoscatis cuius animi simus, simúlque nos maiora aggressuros, quæ suo tempori reseruamus. Omnia enim tempus habent. Dicimus tacenda, tacemus dicenda. Agimus quod nolumus; quod volumus nequimus. Ita sunt omnia plena perturbationis, ac potiùs confusionis: nec se sic ingerunt expetenda, quemadmodum deuitanda. Nam si oblata esset rationabilis facultas, iamdudum vestra colloquia expetissemus. Regium nomen, quod apud Francos pene emortuum est, magnis consiliis, magnis viribus resuscitassemus: sed propter impia tempora, propter perditissimorum iniqua commenta, clàm agimus quod palam non possumus. Veniet, veniet, inquam, dies, & prope est, in qua vniuscuiusque nostrûm probentur & cogitata, & dicta & facta. Interim præscriptas vobis metas recognoscite, nec maiora Regni negocia velitis definire sine Metropolitani conscientia, nec sententiam in his præcipitate quæ B quo animo fiant ignoratis. Prudentiam robúrque vestrum reseruate, tunc fortissima pectora hostibus pro nobis exposituri, cùm videritis victricia signa nobis ductoribus anteferri.

EPISTOLA XII.

MARE fluctuans ingressi naufragamur & ingemiscimus. nusquam tuta littora, nusquam portus occurrit. In vobis quietem quærimus. In vobis certè est, quod cùm dederitis non desit, accipienti supersit. Petimus ergo omni affectu charitatis vos affore Remis 11. Kal. Aprilis, si iure amicitiæ quicquam promerui mus, aut promereri posse putamus.

Romulfo Abbati Senonensi. EPISTOLA XIII.

OFFICIA dantis & accipientis muneribus vestris executi estis. Nihil enim nobis antiquius in humanis rebus clarissimorum hominum scientia, quæ vtique multiplicibus librorum voluminibus explicatur. Agite ergo vt cœpistis, & fluenta M. Tullij sitienti præbete. M. Tullius mediis se ingerat curis, quibus post vrbis nostræ perditionem sic implicamur, vt ante oculos hominum felices, nostro iudicio habeamur infelices. Quæ mundi sunt quærimus, inuenimus, perficimus, & vt C ita dicam principes sceleris facti sumus. Fer opem, Pater, vt diuinitas, quæ multitudine peccatorum excluditur, tuis precibus inflexa redeat, nos visitet, & nobiscum habitet, tuáque præsentia, si fieri potest, lætemur, qui beati Patris Ad. absentiâ tristamur.

E. Archiepiscopo Treuerensi. EPISTOLA XIV.

PERVENIT, beatissime Pater, gladius vsque ad animam: gladiis hostium vndique perstringimur. Hinc fide promissa Regibus Francorum vrgemur. Hinc potestati Principis KAROLI Regnum ad se reuocantis addicti, permutare dominos, aut exules fieri cogimur. Hoc solùm spei superest, quòd vos præscia diuinitas germanitate quadam nobis deuinxit, & vt inuicem onera portemus effecit. Ad vos itaque confugimus tanquam ad rectum præsidium, tanquam ad aram prudentiæ, tanquam ad diuinarum atque humanarum legum interpretes. Erúntque per clara consulta filiis vestris cœlestia oracula.

G. sal. dicit R. sibi dilecto. EPISTOLA XV.

GRANDIA quidem poscis, dulcissime frater, sed tuis meritis non indebita. Nam quid est tam optabile, quod beneuolentia tua non promereatur? quid

tam humile quod conferri amicis hæc tempora sinant? Itaque cùm tibi desit artifex medendi, nobis remediorum materia, super sedimus describere ea quæ medicorum peritissimi vtilia iudicauerint vitiato iecori. Quem morbum tu corruptè postuma, nostri apostema, Celsus Cornelius à Græcis ηπατικὸν dicit appellari. A

Romulfo Abbati Senonensi. EPISTOLA XVI.

MAGNO curarum pondere in momento temporis alleuiatum iri existimamus deliberationibus nostris ad vtile & honestum æquè inflexis. Quod vtrique puris affectibus vestris in diuina speculatione vt cœptum, ita consummandum est. Sicque aptiori loco mutua perfruendum caritate.

Brunoni Episcopo Lingonensi. EPISTOLA XVII.

SERENISSIMI Augusti domini nostri desiderabilem præsentiam vestram eausa consultandi iamdudum exoptant. Moneo ergo vos atque rogo causâ salutis totius Reipublicæ, quamprimum maturare iter. Et quia vos apud Roceium audiui pro mea salute, merear nunc Siluanectis audiri pro omnium bonorum liberatione.

Ecberto Archiepiscopo Treuerensi. EPISTOLA XVIII. B

ETSI prudentiam vestram in multis expertus sim, nuper tamen plurimum intellexi, cùm querimoniam, quam ex persona Ar. Archiepiscopi subornaueram, subtili responso perstrinxistis. Veritus itaque sum famulante conscientia, ne in oculis vestris displicerem, qui mihimetipsi displicere iam cœperam: eo quòd non socius viciorum, sed princeps diiudicarer maximorum scelerum. Ille ego, qui sub Imperio beatæ memoriæ patris mei Ad. militaueram in schola omnium virtutum, nunc ego regiam incolo Aulam, cum Sacerdotibus Dei verba vitæ conferens. Nec ob amorem Karoli vel Arnulfi passus sum diutiùs fieri organum diaboli, pro mendacio contra veritatem declamando. Oro itaque antiqua beneuolentia vestra dignus inueniri. Quippe existimatione vestra conscientiam meam detexi, vt ex me pernoscatis, quid de perditione Remorum intelligere debeatis.

Adalberoni Episcopo Verdunensi. EPISTOLA XIX.

OMNIVM consiliorum meorum participi ac conscio non multa verba facturus sum. Satis enim post patris mei beati Ad. ad Dominum discessum cur tanto tempore Remis commoratus sum, quò ante perditionem vrbis & post perditionem abire contenderim. Sæpiùs quoque illud Terentianum recepistis, Si non potest fieri quod vis, id velis quod possis. Et nunc quidem beneficiorum ac pietatis vestræ circa me non immemor, conceptum amorem erga vos vestrósque conseruo, eóque me beatiorem fieri iudico. Quomodo enim non diligam diligentes me? Sentio quippe vos condelectari, quòd sceleratorum hominum conciliabula effugerim, quòd communioni Ecclesiasticæ restitutus sim. Agite ergo causam amici solito more, id est vt Lelius ab Eluetiis vel Sueuis redeat, Aquilæ dilecto diligendus conquiratur par, vt operum nostrorum sit finis consummata caritas. C

EPISTOLA XX.

PRÆCIPVAM ac singularem amicitiam vestram dum artiùs amplectimur, multorum hominum inuidiam toleramus, maximéque eorum qui senioris vestri contra nos consilia conturbant. Crescit malum indies. Multiplicantur inimici nostri, maiorémque sumunt audaciam spe diffidentium Regnorum. Si ergo ea in vobis est virtus quam credimus & optamus, sentiamus non nobis obesse quòd vestrum amorem amori Regis O. præposuimus. Sentiant inimici nostri per vos stabilem esse Regnorum concordiam, quam sine suo consultu posse fieri negant. Et quia credibilibus Legatis inter hostes difficilis est via, vos Legatorũ nostrorum vi-

A cesexplete. quod honestum iudicabitis pro nobis spondere. Sic de nobis absentibus præsumite tanquam de præsentibus: & si quid salutare repetietis, quamprimùm literis vel nunciis significate, vt ignorantibus nostris æmulis per fidissimos internuncios vtriusque partis cœpta amicitia corroboretur. Hoc ideò dicimus, quia maioris auctoritatis legatos cum sui magno periculo sine certa causa mittere noluimus: & quia conuentus Regum laboriosus est, & hoc tempore per omnia inutilis propter maliuolos vtriusque partis. Quòd si prauorum hominum consilia conualuisse senseritis, nec honestam & vtilem posse fieri amicitiam, imprimis quod maximum est consilium simul & auxilium à vobis imploramus. neque nos deludi vana expectatione sinatis, quos omni genere amicitiarum & affinitatis dignos hactenus duxistis.

Epistola XXI.

Felicitas vestra gloriam simul nobis parit & solatium. Vbi enim est vna caro, & vnus sanguis, ibi & vnus affectus. Abiit illa dies, nec tedeat vmquam, in qua vester mœror ineluctabilem nobis parit dolorem. Et nunc quidem in pace, sicut & tunc in angustia, nos nostráque vestro condonamus obsequio, vt si quid magnum vestráque dignum memoria vel vi vel ingenio aggredi conamini, nostra
B vtamini opera, diligentia, consilio, ingenio, viribus. Quòd si quieti & silentio studetis, & ad præsens & in æternum liceat nobis gaudere vobis cum pace & quiete. Nec glorientur æmuli vestri nominis plus sese obesse, quàm vos prodesse. Sit si fieri potest inter nos ac Seniorem vestrum honestus habitus amicitiarum. Præscribite sequenda & vitanda, nec patiamini dolis & fraudibus nos circumscribi, qui nullorum hominum amicitiam contra vos decreuimus sequi.

Episcopi Remorum dioceseos salutem dicunt reuerentissimo Patri R.

Epistola XXII.

Qvoniam frater & coepiscopus noster A. infra suam Ecclesiam captus, propter vim hostium, vt fertur, non satis quæ sui iuris sunt exequi valet: nos nostri officij non immemores, quod olim in famosissimos prædones suo consilio feceramus, repetiuimus. Hoc addito, quòd in cibo & potu contra diuinum ac humanum ius nulla misericordia abusi sumus, vt ipse; sed insuper Duces & Comites, & conscios totius factionis anathemate damnauimus, eámque Ecclesiam à diuino officio suspendimus. Ceteris Christianis fidelibus sufficere posse iudicantes. Itaque decreti atque anathematis exemplar vobis mittimus, nostræque sententiæ vos fauere, atque idem facere hortamur, monemus, oramus.

C *Garinberto Abbati.* Epistola XXIII.

Qvod nostri curam geritis, nostrísque læramini commodis, debitas rependimus grates. Nec sic locis disparamur remotis, nec ea vtimur fortuna, diuinitate propitia, vt antiquas non valeamus exercere amicitias. Procurabo igitur quod iussistis, & quoad potero persuasione vel gratiâ Augustorum vti, à vicinia Remorum procul dimouebo exercitum, donec in vrbe recondatis, si quid residui habetis in agris. Procurate itaque & vos filium meum Aquilam, donec per fidissimos mihi remittatis amicos. Et ne ignoretis quæ Synodus Episcoporum nostræ dioceseos decreuerit, exemplar rerum gestarum vobis nostrísque mitto sociis, vt exindè pernoscatis quid sequi, quid vitare debeatis.

Libellus repudij Gerberti Arnulpho Archiepiscopo. Epistola XXIV.

Diu multúmque mihi in animo replicanti infelicem statũ nostræ vrbis, nec exitum malorum sine strage bonorum reperienti, ea tandem sententia placuit, quæ & præsentibus mederetur incommodis, & in futurum præcaueret amicis; Permutamus itaque solum solo, dominium dominio, vestráque beneficia emancipati vobis nostrísque æmulis ad inuidiam relinquimus, ne fidelitatis promissæ hinc arguamur, inde genere amicitiarum ad pactuum vestrum quodammodò

se habentium perstringamur. Nihil enim alteri debetur eo quo viuimus pacto, fide A
in alteram partem prætenta. Nam si vos saluos esse volumus, quomodo patruo vestro præsumus? Item si patruo vestro præsumus, quomodo vos esse saluos volumus? Hanc litem sic ditimimus, ad alios demigrando; nec vobis nec illi quicquam præter beneuolentiam debeamus gratuitam. Eam si amplectimini, domos, quas proprio labore multis sumptibus exædificauimus, mihi meisque cum sua supellectili reseruate. Ecclesias quoque, quas solemnibus ac legitimis donationibus iuxta morem Prouinciæ consecuti sumus, nullis præiudiciis attingi oramus, de reliquo non multùm deprecaturi. Hoc facto me olim libera colla gerentem ad obsequia vestra honestè inuitabitis. Nec dubium erit, si hos terminos prætergrediemini, quin omnia quæ possidebamus vt à multis accepimus, æmulis nostris sacramento contuleritis, tunc cùm secundum affectum vestrum acutissima pro vobis dictaremus consilia. Nec præteritorum malorum poterimus obliuisci, cùm præsentibus ammonebimur iudiciis.

Electio Gerberti Remorum Archiepiscopi. EPISTOLA XXV.

SEMPER quidem, dilectissimi fratres, iudicia Dei iusta sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem beatæ memoriæ Patris A. quendam ex B
regio semine prodeuntem nobis Ecclesiæque Remensi præfecimus, & clamore multitudinis impulsi, Scriptura dicente, *Vox populi vox Dei*, & sanctorum Canonum institutis desiderium ac vota Cleri ac populi in electione Episcopi perquirentium: caligauit acies mentis nostræ litteram incautè sequendo, concordem sententiam diuinarum scripturarum parum inuestigando. Non erat quippe vox Dei vox populi clamantis, *Crucifige, crucifige*. Ergo non omnis vox populi vox Dei est; nec omnis Cleri & populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt: sed tantùm simplicis & incorrupti, id est spe quæstus minimè electi. Sententiæ Patrum exponendæ. Non liceat, inquit, turbis electionem facere eorum qui ad Sacerdotium prouocantur, sed iudicium sit Episcoporum, vt eum ipsi qui ordinandus est probent, si in sermone, & in fide, & in Episcopali vita edoctus est. Nos igitur Episcopi Remorum dioceseos secundum has constitutiones Patrum, fauore & conniuentia vtriusque Principis nostri domni VGONIS Augusti, & excellentissimi Regis ROBERTI, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem GERBERTVM ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem. nec præferimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omnia temerè ministrantem: immò nec talibus subiugari patienter auditu perferimus, quorum sapientia & consilio Ecclesiastica ac ciuilia iura amministrari non posse scimus. Cúmque in vnoquoque Episcopo sit hoc speculandum, maximè tamen in eo qui ceteris præest Metropolitano. Eligimus itaque hunc Gitbertum, qui *** fuit. Huius vitam ac mores à C
puero nouimus, studium in diuinis ac humanis rebus experti sumus. Huius consiliis ac magisterio informari quærimus. Eius electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consultu.

Professio fidei Gerberti Remorum Archiepiscopi. XXVI.

EGO GERBERTVS gratiâ Dei præueniente mox futurus Archiepiscopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum Deum esse confirmo, totámque in Trinitate deitatem coessentialem & consubstantialem & coæternalem & omnipotentem prædico. Singulam quamque in Trinitate personam verum Deum, & totas tres personas vnum Deum profiteor. Incarnationem diuinam non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantùm credo: vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine matris filius, Deus verus ex patre, homo verus ex matre. Carnem ex matris visceribus habentem, & animam humanam rationalem simul in eo vtriusque naturæ, id est hominem & Deum, vnam personam, vnum filium, vnum Christum, vnum Dominum, creaturarum omnium quæ sunt & auctorem, & dominum, & rectorem cum Patre & Spiritu sancto confiteor. Passum esse vera car-

A nis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ * resurrectione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos, * assero. Noui & veteris Testamēti vnum eundémque credo auctorem & dominum & Deum. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium factum esse malum. Credo huius, quam gestamus, & non alterius, carnis resurrectionem. Credo iudicium futurum, & recepturos singulos pro his quæ gesserunt vel pœnas vel præmia. Nuptias non prohibeo, secunda matrimonia non damno. Carnium perceptionem non culpo. Pœnitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quàm ea quæ voluntariè admissa sunt, dimitti credo. Et extra Ecclesiam Catholicam nullum saluari confiteor. Sanctas Synodos quatuor, quas vniuersalis mater Ecclesia confirmat, confirmo.

Gerbertus Ottoni Cæsari. EPISTOLA XXVII.

DOMINO *glorioso Ottoni Cæsari semper Augusto Romanorum Imperatori Gerbertus Episcopus debile seruitutis obsequium.* ABSENTIAM vestram longitudine terrarum disiuncti omninò molestè ferimus. Et quod fama nimium deuia rerum
B præclarè quidem à vobis gestarum, vt semper, nec vllam vobis scintillam attulit. De vita & moribus Harmandi Comitis hoc tempore à me alienum est, ita gemitus & suspiria fratris & significare mea vobis plurimum refert. Conqueritur quippe ille nobilis vir fratrem suum apud Gorziam fame necari contra suam suorúmque natalium dignitatem, ignominiæque ducit hoc sempiternæ. Quod si verum est, quid sibi volunt tam dira supplicia? quod genus mortis acerbius fame? Omnia pœnarum genera sola fames exuperat. mortem ipsam contemnit, ac eam contra naturæ vsum in se prouocat. Remouete quæso tam immane nefas, & petenti fratri fratrem adhuc vt dicit spirantem reddite. Eorum conditiones tantùm memento te qui capiunt & capiuntur, ne capti post libertatem aut per se aut per suos capientes, vel amicos capientium pro causa captionis lædere valeant.

Gerbertus Ottoni. EPISTOLA XXVIII.

DOMINO *excellentissimo Ottoni Cæsari semper Augusto, suorum Episcoporum minimus semper & vbique debitæ seruitutis obsequia.* CVM inter humanas res nihil dulcius vestro aspiciamus Imperio, sollicitis pro vobis nihil dulcius significare potuistis, quàm vestri Imperij summam gloriam, summam cum dignitate constantiam. Et quænam certè maior in Principe gloria? quæ laudabilior in summo Duce constantia, quàm legiones cogere, in hostilem terram irrumpere, hostium impetum
C sua præsentia sustinere, seipsum pro patria, pro religione, pro suorum reique publicæ salute maximis periculis opponere? Quæ facta quàm felices exitus habuerunt. Minori sumus affecti cura ob legationem Leonis Abbatis vobis directam super illo Arnulfo. sed neque animo insedit ea Legatio, quæ omninò falsa est. sed quæ Leo Abbas à meis Gallis promissa exegit, vera fore putauit. Aut si ita est, noui ingenitam vobis beniuolentiam, talibus ausis & velle & posse obsistere. Et quoniam noster Leo iter suum ad vos intenderit volando, vt ipse scripsit, vi. Id. Sept. quando primùm allata venit Epistola, iniquis vt credo memorata ventis, nihil super Arnulfo consultum est. Sed fert secum alia vt magnis inuenta ingeniis, ita magnis finienda consiliis. Æternum vale vobis vester G. Et quia vt magnifices magnificè magnificum Sasbach contulistis, æterno Imperio vestro æternum se dedicat vester Gerbertus. Et quia R.S.V.D. æterno obsequio vestro se mancipat G. vester. Hinc à vobis liberaliter collara, sed à quodam nescio cur ablata, restitui sibi petiit vester G. Extremus numerorum abaci vestrum definiat.

EPISTOLA XXIX.

DOMINO *& reuerentissimo Patri ill. G. filius.* SANCTISSIMAS amicitias firmissimásque societates luculenta oratione quàm dulces, quámue vtiles essent expressistis, méque tanto fructu diuinitatis participem sociúmque esse & fore dignati estis. Quid enim est aliud vera amicitia, nisi diuinitatis præcipuum

munus? Hac igitur amicitia vestra fretus, déque ea benè præsumens, atque imposterum meliora sperans, Arnulfi reditum ad vrbem Remorum non expauesco, sed si ita peruenerit, vt Hungerius qui voluit retulit. ob quam causam de Hur Caldeorum liberari confido, vestrísque obsequiis non deesse. Quódque semper volui, semper optaui, hæc causa comitem indiuiduum efficiet, eique solemne imperium appellamus. Quare quid dulcius, quid præstantius? Non ergo suspirandum pro causa amici vobis fuit, vel erit, cùm ex toto, cùm ex communi voto & deliberatione cuncta prouenerint, sintque prouentura diuinitate propitia, vobis consulentibus, amicis iuuantibus, imperio vestro omnia feliciter exequente, & procurante. Valete, & ob res nostri Cæsaris benè gestas, benè se habentes mecum gaudete. Iterum & numerosiùs valete. A

Ottoni Cæsari & Augusto Imperatori quoque Romano Gerbertus.

EPISTOLA XXX.

DOMINO *& glorioso semper Augusto Ottoni Cæsari Gerbertus.* SCIO me diuinitatem in multis offendisse, & offendere. sed vos vel vestros in quo offendisse redarguor nescio, & vt mea seruitus sic repentè displicuerit. Vtinam à vestra munificentia cum gloria tanta collata aut non licuisset suscipere, aut susceptra cum tanta confusione perdere. Quid hoc esse putem? quod vtique dedistis, aut dare potuistis, aut non potuistis. Si non potuistis, cur posse simulastis? si autem potuistis, quis ignotus & sine nomine Imperator Imperatori nostro notissimo, & per orbem terrarum famosissimo imperat? In quibus tenebris ille fureifer latitat? In lucem veniat, & crucifigatur, vt nostro Cæsari liberè imperare liceat. A multis creditum est, me apud vestram pietatem posse opitulari multis. Nunc operæ precium est habere patronos, quos olim defendendos suscepi, maiórque fides hostibus meis habenda, quàm amicis. Amici quippe salubria cuncta, prospera omnia docuerunt. Hostes nec præcepta, nec beneficia mihi profutura, dulcia principia amaros exitus habitura, seu prophetico, seu fanatico spiritu prædixerunt. Quæquidem mihi plus quàm velim tristia, sed Imperiali personæ minùs conuenientia. Tribus, vt ita dicam, seculi ætatibus, vobis, patri, auo, inter hostes & tela fi em purissimam exhibui, meam quantulamquamque personam Regibus furentibus, populis insanientibus pro vestra salute opposui. Per inuia & solitudines, per incursus & occursus prædonum, fame & siti, vi frigoris & æstus excruciatus, infractus inter tot tempestates extiti; vt mortem potiùs præoptarem, quàm filium Cæsaris tunc captiuum Imperantem non viderem. Vidi & gauisus sum, & vtinam liceat vsque in finem gaudere, & vobiscum dies meos in pace finire. B

Adalberto Archiepiscopo, Abbati Maioris Monasterij. EPIST. XXXI. C

SERVAT natura vices, terráque bona, non suo iudicio diu infœcunda, mirandos flores fructúsque parturit. Ecce enim beati Martini Cellula Monachorum agmina iamdudum emortua resuscitat. Martini virtus in suis discipulis dinoscitur. E quibus beatæ conuersationis alumnam tanquam exemplar vitæ & morum accepisse Osulphum gaudemus. Huius sanctissimos affectus vestris affectibus consociandos offerimus, vt qui se singulari certamine antiquo hosti opposuit, precum vestrarum clypeo victor euadat. Alleuiemur ergo nos vestris meritis, qui nostris prægrauamur offensis.

Gerbertus Arnulpho Aurelianensi Episcopo. EPISTOLA XXXII.

MVLTVM mortalibus diuinitas largita est, ô mei animi custos, quibus fidem contulit, & scientiam non negauit. Hinc Petrus Christum Dei filium agnoscit, & agnitum fideliter confitetur. Hinc est quòd iustus ex fide viuit. Huic fidei ideò scientiam copulamus, quia stulti fidem non habere dicuntur. Hanc vos habere fidem illa generosi animi præclara scientia indicat: hoc vestræ orationis series manifestat, qua eam inter nos æternari cupitis. Habeo igitur & rependo gratias tantorum munerum largitori, & quòd mihi in nullo à me dissentientem ami-

A eum reseruauerit, & quòd æmulis nostris verisimilia non tamen vera narrantibus minus credidit. Hoc tui muneris esse, bone Iesu, qui facis vnanimes habitare in domo: hoc ego Sacerdos tuus coram te confiteor venerabilem artificem * tuum A. me colere, diligere, amare; cunctisque mei ordinis quos hodie nouerim corde & ore proferre. Procul ergo esto omnis fraus & dolus, pax & fraternitas hic adesto, vt qui alterum lædit vtrumque læserit. Me Christi potentia protegente non vis tyrannica ab hoc deterrebit incœpto; non minæ Regum, quas in hoc Paschali festo pertulimus graues. Accusabamur quippe Monachos sancti Dionysij iniustè damnasse. Vrgebamur coram damnatis diuina obsequia celebrare, nec priuilegiis Romanæ Ecclesiæ Monasterio beati Dionysij factis contraire debere. Ad hoc opponebatur nobis, priuilegiis Canonum auctoritate promulgatis nos assensum præbituros: nec si quid contra leges Ecclesiasticas decretum sit pro lege recepturos. Sed cùm in me specialiter pondus causæ retorqueretur, mei iuris illum non esse aiebam, nec me in meorum dominorum prosilire iniuriam, vt insimulabar, ipsorum interesse cuius culpâ eadem profetant, videre. Cùm sententia secularium Monachorum obtinuisset parti...... Hoc itaque se habere filius vestræ beatitudinis testis est FVLCO, qui mei animi amaritudinem non sine lacrymarum effusione cognouit. Dolebam quippe, ac multum doleo...... vos insuper nescio à quo delatore insimulatum esse quasi regij honoris insidiatorem, & qui...... Non
B ergò, vt vobis relatum est, mea valentia in vos sæuit, nec elocutio dura absenti amico detraxit. Sed dum vos excusare nisus sum, me penè accusatum Palatinis canibus obieci. Sit itaque inter nos, vt vultis, est tantùm, non autem est & non: sit auxilium in commune & consilium. Quod etiam in sacris per data verba, si vestræ sublimitati placet, confirmandum fore censeo, vt amoto motu omnium suspicionum sit nobis cor vnum & anima vna.

Gerbertus Constantino Miciacensi Abbati. EPISTOLA XXXIII.

SATIS super venerabilis A. legatione miratus sum. Referebat quippe *. Hæc autem omnia non dolores, sed initia dolorum sunt. Maius est quod quæritur, & quòd appetitur, quàm ego humilis & paruus, verùmque prouerbium est, Tua res agitur paries cùm proximus ardet. Et diuinus sermo: *A sanctuario meo incipite*, id est à regni fundamento, & ab arce. Hoc factum qui doli comitentur, in aperto est. Hoc enim concesso, dignitas vel potiùs grauitas confunditur sacerdotalis, status Regni periclitatur. Quòd si hoc inconsultis Episcopis agitur, Episcoporum potestas, grauitas, dignitas adnullatur. Qui Episcopum quamuis scœleratum sacerdotio priuare nec potuerunt, nec debuerunt. Si verò consultis, ipsi suæ damnationis testes sunt, qui à se non iudicandum iudicauerunt. Et qui contra professionem suam & subscriptionem suam in libello abdicationis à seipsis factam venire
C præsumpserunt. Reducetur ad memoriam eius captio, carcer prolixus, alterius in eius sedem ordinatio, ordinatores, ordinatus, atque ab eo ordinati calumniæ subiacebunt. Ipsi quoque Reges in peccatis singulis peccatores apparebunt. Nec sibi quisquam blandiatur, quolibet conquassato, se incolomi, nec falso nomine sponsionis decipiatur. cùm res & facta non ex indulgentia Iudicum, sed ex stabilitate pendeant causarum.

Leodicensi Episcopo Nocherio. EPISTOLA XXXIV.

LICET non ignoremus, ex quo fonte motus animi vestri in nos profluxerint, tamen ex officio nostro præstare debemus, sine graui lite, quantum vestra interest. vt hic fons arescat, & hic motus conquiescat. Igitur ad petitionem venerabilis VV. Argentinæ ciuitatis Episcopi nudiustertius descripsi materiam malorum nostri temporis; & quid inter partes conueniret vel disconueniret, aperui, vobis tanquam probatis Iudicibus direxi. Et nunc ad votum meorum hostium, quia ex toto orbe fieri non potest, saltem ex toto nostrorum Principum regimine, vt vniuersale cogatur Concilium, modis quibus valeo elaboro. Eò conueniendi & disceptandi non solùm curiosis, sed etiam hostibus libera datur facultas. Tantùm quippe à nobis abest maleficium, tantúmque in innocentia confidimus, vt regulare

iudicium non solùm non deuitemus, sed etiam quasi toto orbe fugiens prosequamur. Ecce nunc tertiò moniti si præsentiam suam exhibere noluerint, & appellatio & litis retractatio lege peremptoria sopientur. In qua re vestrum est animaduertere, cui ira Domini comminatur dicentis: *Væ illi per quem scandalum venit!* Cùm enim Paulus Apostolus dicat, *Nos quidem prædicamus Christum* IESVM, *Iudæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam.* Non itaque Paulo est væ, sed his, væ ait Propheta, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Nouit Dominus qui sunt eius, nouit qui sui permoueantur zelo. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Oro ergo & deprecor per eam, si qua est in vobis pietas, vt non plus meis hostibus, quàm vobis de me credatis. Experimini an sim qui fuerim, scilicet vobis per omnia deuotus & obsequens, in commune fidus amicis, æqui & veri amantissimus, sine dolo & superbia, vestra vestrorúmque vsus amicitia, qui non meo vicio perditum à vestra virtute reposco: ea negata multum doliturus, itémque recepta multum gauisurus. A

G. Abbati S. Geraldi, & Fratribus. EPISTOLA XXXV.

PRO mei loci atque ordinis officio magnorum negociorum occupationibus ad plurima distractus, nec legatis nec litteris quæ circa me geruntur hactenus vobis significare volui. Nunc quoniam frater . . . . . . sicut per antiquiorem . . . gerulum scripseram, dum vrbem Remorum causa Dei fugio, vrbi Remorum gratiâ Dei prælatus sum. Quæ res gentes & populos in mei excitauit inuidiam. Et quia viribus nequeunt, legibus vlcisci quærunt. Estque tolerabilior armorum colluctatio, quàm legum disceptatio. Et quamuis æmulis meis dicendi arte, & legum prolixa interpretatione, quantum mea interest, satisfecerim, non tamen adhuc semel cœpta deposuerunt odia. Adeste ergo reuerendi Patres, vestróque alumno fusis ad Deum precibus opem ferte. Discipuli victoria, magistri est gloria. In commune quidem omnibus vobis pro mei institutione grates rependo, sed specialiùs patri R. Cui, si quid scientiæ in me est, post Deum inter omnes mortales gratias rependo. Nunc . . . . . . valeat sanctum Collegium vestrum . . . . . . valeant quondam mei noti vel affinitate coniuncti, si qui supersunt, quorum tantùm speciem nec omnia satis noui: non eorum aliquo fastu oblitus, sed barbarorum feritate maceratus, totúsque, vt ita dicam, alteratus. Quæ adulescens didici, iuuenis amisi: & quæ iuuenis concupiui, senex contempsi. Tales fructus affero mihi. O voluptas! talia mundi honores pariunt gaudia. Credite ergo mihi experto. In quantum Principes exteriùs attollit gloria, in tantum cruciatus angit interiùs. B

EPISTOLA XXXVI.

CONSVLVISTIS, vtrum is qui sororem suæ coniugis adulterio polluit, post peractam pœnitentiam ad priorem copulam redire debeat, an alteram sortiri. Et alterum quidem permittitur, alterum penitus inhibetur. In Conciliis Africanis titulo XLIX. placuit vt secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant vt sibimet reconsilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Quòd si mulier duxerit alterum, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit de seculo exierit: nisi fortè necessitas infirmitatis dare compulerit. Agat ergo hic ad vltimum pœnitentiam lege eorum qui se incesto polluerunt, sed scilicet decennalem. Femina quoque nihilominus cognata, & si fieri potest, castitatem professa, quod calore iuuentutis vrgetur: timendúmque ne à Sathana tentetur. Nihil indè melius nouimus, quàm quod Leo Papa de similibus dicit. Adulescens, inquit, si continens esse non potest, vxoris remedio potest sustineri. Ad hunc modum dici potest, vt si hæc adultera se continere non potest, nubat, vt ait Apostolus, tantùm in Domino. C

Gerbertus Leoni Pontifici. EPISTOLA XXXVII.

SCIENS magnam beneuolentiam vestram erga me, tanti viri amicitia felicem me iudico. Enimuero quia nostra seruitus minus vobis obsecundata est quæ

A oportuerit, non maliuolentiæ adscribendum est, sed necessitati. Inter varios quippe tumultus, quibus assiduè quatimur, vix aliquis idoneus reperitur, cui tutò secreta pectoris referentur. Ita sibi virtutis arcem dolus & fraus, simulatio & dissimulatio, vicissim occupauerunt. Hinc est quòd postquàm à me digressi estis, nulla literarum mutua perfunctione vsi sumus, nisi ea quæ vobis sub triplicatæ crucis signo direximus. Itaque nos & nostra sub vestra dispositione ita constituimus; vt qui fortè nos læserit, domno Leoni Pontifici iniuriam inrogasse visus sit. Nec erit deinceps nostri iuris quid, quantum, quibus, & quando placitura parentur: sed domno Leoni diligens aderit obsequium ministri. Saluto domnum Episcopum amicum per omnia reuerendum: multū de eius sapientia & eloquentia præsumens, & singulari morum probitate, ac per hoc obsequio eius me obnoxium reddens.

Gerbertus Iohanni Papæ. EPISTOLA XXXVIII.

SANCTISSIMO vestro Apostolatui potuisse subripi me cuiuspiam peruasionis reum videri, dolore vehementi afficior, & totis visceribus ingemisco. Eo quippe animo in Ecclesia Dei hactenus versatus sum, vt multis profuerim, neminem læserim. Non ergo Arnulfi peccata prodidi, sed publicè peccantem reliqui: non spe, vt mei æmuli dicunt, capessendi eius honoris, testis est Deus, & qui me nouerunt, sed ne communicarem peccatis alienis.

B

EPISTOLA XXXIX.

QVIA vestris Interdum non vtimur alloquiis, non satis æquo animo ferimus. Per hæc enim mutua manet caritas, dissociata coeunt, aspera mitescunt, simultates intereunt, multáque præsentium comparantur commoda. At dum ista motu temporum minus assequitur, vt epistolaris breuitas inter nos affectus explicet, petimus beniuolentiam vestram pro fratre........ vt profit ei apud vos nostra intercessio, plúsque sibi nostra obtineat Epistola, quàm fortuitu cuiuspiam oblata munera. Temporum difficultatibus addicti regulariter conuenire, & quæ Dei sunt quærere, hactenus non satis valuimus. Nunc quia Deo miserante respirare datur, censemus, vósque interesse omni euitabili excusatione postposita monemus & oramus. Licèt omnibus Sacerdotibus disciplinæ forma æqualiter proponatur, & cognoscendi & obseruandi sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentiâ consecratos; nobis tamen artiùs indicitur quod in exemplar morum & vitæ à pastoribus acceptum in subditum gregem gratiosiùs propagetur. Cùm ergo pecuniam in facie anteponimus, cur sanctarum legum iura illicita cupiditate calcamus? Et hæc quidem Dominus, & clamores quos assiduè patimur, non sicut tyrannus tyrannorum præiudicio, sed sicut Sacerdos Sacerdotum iudicio, pensetis, discernatis, diiudicetis. Hos motus compescite, has querelas

C sopite; morum grauitate, annorum teneritudine superate. Lectio continua, & interrogatio assidua mentem vestram exacuat. Cur iudicium........ nos latuit? Cur ad maiorem audientiam prouocans suis rebus priuatus est? Quòd si non prouocans, sed tacens spoliatus, quare in eum prolatum iudicium ad nos non est relatum? Si hæc itaque scienter egistis, lex in contumaces est: si ignoranter, vtique venia danda hoc pacto, vt inlegaliter ablata Presbytero restituantur legaliter: postquam, si ita videbitur, iudicium legibus innouetur, ne si existimetis filium meum R. suæ diffidere causæ, quia nunc ex condicto non occurrit. Pluribus enim occupati negociis, eum examini vestro dirigere vsque in xv. Kal. nequimus. Quas moras sibi non obfuturas pro summa beneuolentia vestra circa nos omnimodis deprecamur. Quòd si hæc mansuetè feceritis, & in eius iudicio sine personarum acceptione iudicaueritis, plurima nos debere obsequio vestro facietis.

Gerbertus & omnes Episcopi dioeceseos Remensium, peruasoribus eiusdem. EPISTOLA XL.

GIRBERTVS gratiâ Dei Remorum Episcopus, Guido Suessonicus, Adalbero Laudunensis, R. Nouiomensis, Rot. Cametacensis, O. Siluanectensis, F. Am-

bianensis, B. Moriensis, Her. Belluacensis, per gratiam sancti Spiritus Episcopi, vobis Girberto & his qui subscripti sunt peruasoribus, carnificibus, atque tyrannis. Diu modestia Sacerdotum furoris vestri rabiem sustinuit, & adhuc patienter expectat. Quousque ergo insania vestra sanis intellectibus nostris obsistet? Quousque dissimulatio prauorum simplicium quietem turbabit? Cædes Clero infertis A Cleri, Monachorum, & pauperũ rapinis non cessatis. Conuenimus ergo conscientiam vestram omnes Episcopi Remorum dioeceseos, & ad satisfactionem inuitamus, spaciúmque pœnitentiæ vsque in proximis Kalendis attribuimus: tunc vos aut infertiles Ecclesiæ palmites recogniturí, aut tanquam inutile lignum ab agro Dei gladio sancti Spiritus excisuri. A

Eruco Beluagorum Episcopo. EPISTOLA XLI.

QVOD tanto tempore dilectum nobis D. retinuimus, non maliuolentiæ causa, sed summæ vtilitatis vestræ, & vobis honestum & vtile parere possit. Et nunc quidem illum patriam parentésque, sed & omne amicorum genus nostrum ob amorem derelinquentem vestræ caritati, vt petitis, dirigimus. Quem velut thesaurum inæstimabilem è sinu nostro in vestri iura transfundimus. Suscipite ergo illum in disciplinis liberalibus eruditum, in opificum magisterio edoctum, à multis multa mercede expetitum, sed à nobis obtentum. Quem sic tractari & custodiri volumus, vt dolorem ei patrum ex nostra absentia vestra subleuet indulgentia. Eáque munificentia & liberalitate illum habetote, quæ deceat G. Remorum Archiepiscopum dantem, & Bellouagorum Episcopum accipientem. B

EPISTOLA XLII.

OPORTEBAT te virginem spectabilẽ patris pacta & constituta laudare & corroborare. Sed quoniam ea dissoluisti, & quæ insuper egisti pernegare contendis, inuitamus te ad tui peccati recognitionem. Te quoque R. à direptione rerum ...... cessare iubemus, & malè peruasa restituere. Nec te ...... prætereundum existimes, te inquàm tonsurâ Clericum, sed vita & moribus * triennium cum tuo complice N. Vos, inquam, omnes aut dignos pœnitentiæ fructus Ecclesiæ Catholicæ ostendetis, aut velut ethnici & publicani ab Ecclesia Catholica gladio sancti Spiritus propulsabimini.

EPISTOLA XLIII.

SVSCEPTA querimonia, reuerende Pater, scripsimus cum fratribus & Coepiscopis nostris pro eadem causa. contemptoribus quoque vestris commonitorias misimus litteras. Erit ergo vestræ prudentiæ propter pacis caritatísque custodiam, si resipuerint, eos velut exorbitantes filios blandè suscipere. Quòd si, quod absit, in malitia perseuerauerint, tunc in celebri Ecclesiæ loco nostræ vocationis scripta ad legendum proponi iubemus. Deinde excommunicationem rationabiliter conscriptam, & à vobis solemniter celebratam celebri affigi loco, eiúsque exemplar nobis dirigi, vt idem in nostris fiat Ecclesiis. Et quoniam eruditum vobis Clericum mitti orastis, qui in his & in aliis adiumento esse posset, cùm tedierit meus D. dabimus operam vt vestris deseruiat obsequiis. C

EPISTOLA XLIV.

QVANTO moderamine salus animarum tractanda sit, & vestra fraternitas nouit, summopere pensandum est, vt ne quid nimis. Ecce enim dum iudicij seueritatem in Ecclesiam S. exercetis, modum à patribus constitutum transcendistis. Nam quæ Concilia vel decreta paruulos baptizati, vel fideles in cimiteriis sepeliri vetuerunt? Quòd si is locus interdicto vestro, & vt solemniter dicamus, vestro banno iure tenetur adstrictus, liceret innocentibus parœchianis ad alia transmigrare loca, suísque legaliter vti sacris. Moneo igitur paternitatem vestram modum iudicij temperare, totúmque negocium ita pertractare, vt antè oculos diuinæ Majestatis placere possitis, & Coepiscoporum iudicio non displiceatis. Varios mali tempo-

A ris diu iam sufferens motus, ad vestrum solarium tanquam ad tutissimum confugio porrò. Alioquin, aut vestra solabimur ope, aut peregrina nobis expetenda subsidia.

Gerbertus Adhelaidi Imperatrici. EPISTOLA XLV.

SÆPENVMERO mecum reputans vbinam fides, veritas, pietas, & iustitia, domicilium sibi fecerint, vestra solùm pietas & maiestas occurrere potuit, qua virtus multiplex semper inhabitauit, atque possedit. Ad vos ergo tanquam speciale templum misericordiæ supplex confugio, vestrúmque semper salubre consilium & auxilium reposco. Quia enim...... in me vnum acerba fremunt, vitámque cum sanguine poscunt. Additur ad malorum cumulum...... sæuit & ipsa quæ solario debuit esse Roma. Oro ergo & deprecor vestra vestro imperio mitescant Regna. Ego quippe totus vbique vester vestrum expecto examen & leuamen. Idque solum certum esse nosse qui velle, quod vobis constiterit placuisse.

EPISTOLA XLVI.

HVMANAS res æterno regi consilio cùm semper diuinitas ostenderit, tum præcipuè vestro tempore consiliorum suorum vos esse materiam voluit. Exaltauit enim vos & humiliauit, cámque humilitatem sua bonitate modificans, extenuans, atque cùm summa multorum populorum prosequente fauore, vestræ Sedi restituit, & tanquam aurum in fornace probarum in sua domo clariùs relucere iussit. Laudo igitur & glorifico misericordias & miserationes eius cum in vobis; tum in me, quem peregrinum, totóque, vt ita dicam, Orbe profugum quandoque requiescere iussit, certáque consistere terra. Dirigo vobis multum dilectum, quem à sacro fonte me suscipere voluistis. Sed vtrum nobis erudiendum mittere debeatis, non est nostri iudicij. Si enim recusamus, ingrati fortasse apparemus: & si laudamus, quiddam est sinistrum puero. Quod temporum difficultas intulerit, nostro imputabitur vitio.

B

Gerbertus Fulconi Episcopo Ambianensi. EPISTOLA XLVII.

INTER varias magnarum rerum occupationes nulla molestiâ magis afficimur, quàm vestrorum excessuum crebra relatione. Etsi enim totius Metropolis Remorum cura nobis iniuncta est, sed vestri potissimum, qui & amorum teneritudine, & morum leuitate pondus Sacerdotale necdum ferre didicistis. Cur ergo contra pactum in commune statutum vsque ad tempus Concilij peruasionem in propria parœchia fecistis? Nec in hoc enim alleuiamini, si res Ecclesiæ sunt quas diripuistis, cùm hoc nisi legibus fieri non liceat. Accessit ad hoc inlicitum armorum præsumptio, Ecclesiæ violatio, quasi Sacerdoti omnia in Ecclesiis liceant. Sed, ait Apostolus, *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt.* Licent per liberum arbitrium, quo malè vsi estis; sed non expediunt per iura diuina, quæ contempsistis. Monemus itaque fraternitatem vestram errata corrigere, & nobis quos offendistis si placet satisfacere: vt horum excessuum recognitio, multorum peccatorũ possit esse abolitio.

C

Gerbertus Archembaldo Archiepiscopo Turonensi. EPIST. XLVIII.

QVERELAM vestram non sine fraterna compassione suscepimus. Vnde consilium & auxilium, quantum nostrâ interest, non differimus. Quia enim Clerus, vt dicitis, beati Martini benedictionem vestram tenuit; fiat vt scriptum est: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Pro accepta verò iniuria repulsionis, puluerem calciamenti excutiendum esse contra illos Dominus docet.

Adelaidi Imperatrici Gerbertus. EPISTOLA XLIX.

INCREDIBILI penè & nimium scelerata relatione tanto dolore affectus sum, vt lumen oculorum propè plorando amiserim. Sed quia iubetis vt vos adeam, consolationémque impendam, rem quidem bonam, sed impossibilem imperatis. Transierunt enim dies mei, ô dulcis Domina & gloriosa, senectus mea mihi diem minatur vltimum. Latera pleuresis occupat, tinniunt aures, distillant oculi, to-

tímque corpus continuis pungitur stimulis. Totus hic annus me in lecto à doloribus decumbentem vidit, & nunc vix resurgentem recidiui dolores alternis præcipitant diebus. Quòd si quid requiei à doloribus dabitur, vestri beneficij immemor esse non potero. Licèt sufficere posse videatur quod Synodus Nicæna de communione priuatis definit, vt hi qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur, omni iussioni vestræ paremus tum in his, tum in quibuslibet honestis & competentibus negociis. Sed quia cum magno moderamine salus animarum tractanda est, nec quisquam præproperè à corpore & sanguine Filij Dei summouendus, per quod mysterium vera viuitur vita, & quo iustè priuatus viuens mortuus est: dignum ducimus militarem virum nostra primum ammonitione conueniendum, si fortè resipiscat, & vestræ reuerentiæ satisfaciat. Et nos quidem illum iamdudum pro his próque aliis excessibus, à liminibus tantùm Ecclesiæ cum aliis quibusdam summouimus, pòst separaturi à corpore Domini, ac deinde à fidelium communione: vt his quibusdam gradibus suæ salutis ammoneatur: & vnius contagio pro huius temporis malô necessaria sub nomine militari cohabitatione, populus Dei minus inficiatur, solúsque suam interim portet malitiam, ignominiam, & ruinam. A

Canonicis Sancti Martini ex persona Episcoporum. EPISTOLA L.

OMNES *Episcopi qui ad Concilium venerant in Ecclesia sancti Pauli, omnibus Clericis de Monasterio sancti Martini.* Audita famâ vestræ rebellionis contra fratrem nostrum Turonicæ ciuitatis Episcopum, has litteras dereximus, in commune decernentes, quatenus aut cum vestro Episcopo redeatis in gratiam, aut ad placitum Chelæ habendum veniatis pro discordia diu retenta rationem redditurì VII. Id. Maij. Quòd si non feceritis, sciatis vos percelli censura canonicæ districtionis. B

Gerbertus Arnulfo Aurelianensi Episcopo. EPISTOLA LI.

NVLLO genere locutionis affectum animi nostri erga vos explicare valeô, quippe qui omni simulatione mei capitis periclitarer. Quæ mihi vitanda essent, quæue sequenda docuistis, monuistis, præscripsistis. Et nunc quidem omni conamine, omnique nisu secundum meum scire & posse grates quas valeo rependo, vestræque clientelæ & dispositioni me meáque omnia committo; non dubiam spem pro me gerens præclara principia felices habitura. Et quoniam Synodum.... ..... vnde obnixè precor ne ingentes curæ, quæ me ad præsens totum sibi vindicant, Ecclesiæ nostræ officiant. Dum enim post paululum diuinitate propitia respirare licebit, & de his & de aliis in vestra præsentia vestrâ expectabimus sententiam.

Gerbertus Metensi Episcopo. EPISTOLA LII. C

LICET ea quæ in nobis est virtus multis antè innotuerit modis, nunc tamen ex superabundanti verbis & sententiis affectum sui explicans vel super candelabrum effulsit. Quia enim Apostolus ait, *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*, me à fratrum meorum indebita persecutione liberatum læto animo accepistis, vósque meis periculis nunc interfuisse doluistis. Quapropter & absens grates rependo, & præsens seruitutis pensum si libet excipio. Ceterùm.......... alia memoratu digna non satis adhuc comperta habemus.

Gerbertus Verdunensi Episcopo. EPISTOLA LIII.

COMMVNES filij R. & D. lætificauerunt nos ex dulci rerum commutatione. Quia enim, vt ait Apostolus, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, nec vos simplicitate gaudentes quorumdam Gallorum affectus varios & perplexos dulces in ore, amaros in corde subitò deprehendere potuistis, ad nulla eorum commentitia stuporis plena non immeritò mutati estis. Sed quia ingenita vobis prudentia diutiùs illudi non potuit, eorum simulationem ac dissimulationem vos ad plenum intellexisse gaudemus. Vnde filium nostrum D. quem in multa rerum scientia eruditum interpretem fidum omniû quæ in commune placeant habere poterimus. Vale.

A

Azelino Episcopo Laudunensi. EPISTOLA LIV.

SILVESTER *Episcopus seruus seruorum Dei, Azelino Episcopo Laudunensi.* SUPER salute & Apostolica benedictione, nihil est quod admirari possis, quoniam sub Pontificali nomine homo etiam moribus esse desisti. Si fides mortalem Deo sociat, perfidia nihilominus rationabilem brutis animalibus æquat. Cùm hoc totum te sapere constet, vehementer admiramur natiuam te conditionem reliquisse, & noua & inaudita scelera inhumaniùs perpetrasse. Epistola Regis ROBERTI & suorum Pontificum, Apostolicis & Imperialibus oblata est manibus, quæ te coram vniuerso Clero ac populo his publicis accusat criminibus. Ad Synodum habitam Compendio cùm à Remensi & Turonensi Archiepiscopis, ceterisque confratribus inuitatus fueris; acceptis à quibusdam eorum & aliorum sacramentis, pro vitæ & membrorum, atque captionis securitate, tandem venisse diceris. Synodalem seueritatem cùm tibimet ipsi conscius meritò perhorrescere, ad misericordiæ preces eadem Epistola teste venisti. Legibus te non posse obiectis respondere manifestasti. Dominum tuum Regem offendisse te non negasti. Indulgentiam tantummodò postulans per vniuersam Synodum, Regis gratiam innouatis periuriis obtinuisti. Datis obsidibus, Archidiacono scilicet tuo, & altero milite, turres Lauduni te redB diturum promisisti. Magistrum tuum Remensem Archiepiscopum pro accipiendis turribus sub Iudæ specie tecum ducens, capere voluisti. Carcer quippe ceterorùm fraudis in eum conceptæ detegit dolum. O Iuda magistri proditionem innouans, & Pontificalem gloriam nostris temporibus deturpans! Cùm Magistrum Archiepiscopum tradere velis, Domino Regi non parceres, si posses. In carcere tenes traditos milites, & fefellisse non vereris Regem. Ex orationum Epistolis, quoties te monuimus, & ab his periculis eruere te desudamus! Sed quoniam irruentibus peccatorum cumulis te coercere nequiuimus, in hac proxima Paschali ebdomada Romæ te adesse præcipimus, & generaliter ibi habendæ Synodo repræsentare te monemus. Huius ergo inuitationis nostræ nulla occasione sis transgressor, vel suspensor, quoniam nisi adfueris, Synodicæ auctoritati in eodem Concilio subiacebis, & de absentia nihil lucraberis. Viarum excusatio nulla te premat, quoniam in Lothariensi Regno nullæ te manent insidiæ, Italia verò nullam prætendit formidinem. Nisi corporis molestia occupatus fueris, aliter excusatio nulla esse poterit. Sed testes mittendi sunt, qui & tuum languorem confirment, & accusatoribus tuis respondeant, & legibus te expurgent.

Arnulpho Archiepiscopo Remensi. EPISTOLA LV.

SILVESTER *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto in Christo filio* ARNULFO *sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo.* APOSTOLICI culminis est non solùm pec- *Ex Codice Ms. S. Remigij Remensis.*
C cantibus consulere, verumetiam lapsos erigere, & propriis priuatos gradibus, reparatæ dignitatis insignibus informare; vt & Petro soluendi libera sit potestas, & Romanæ gloriæ vbique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi Archiepiscopo quibusdam excessibus pontificali honore priuato subuenire dignum duximus, vt quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per huius priuilegij nostri statuta, tibi baculo & anulo redditis, Archiepiscopali officio fungi, & omnibus insignibus quæcumque ad sanctæ metropolim Remensis Ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis vtaris, benedictionem Regum Francorum & tibi subiectorum Episcoporum obtineas, & omne magisterium quod tui antecessores habuisse visi sunt, nostra auctoritate Apostolica geras. Præcipimus etiam vt nullus mortalium in Synodo, aut in quacumque parte abdicationis tuæ crimen tibi quoquomodo opponere præsumat, vel hac occasione in improperij contra te verba exardescat; sed nostra te vbique auctoritas muniat, etiamsi conscientiæ reatus accurrat. Confirmamus insuper tibi & concedimus Archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus Episcopatibus sibi subiectis, seu cum omnibus Monasteriis, plebibus, titulis & Capellis, atque cortibus, castellis, villis, ca-

falibus, & cum omnibus rebus ad Ecclesiam Remensem pertinentibus, saluo & A inuiolabili testamento beati Remigij Francorum Apostoli. Statuentes Apostolica censurâ sub diuini iudicij obtestatione, & anathematis interdictione, vt nulli vnquam nostrorum successorum Pontificum, vel aliæ qualiber magnæ paruæque personæ hoc nostrum priuilegium infringere liceat. Si quis verò, quod absit, hoc Romanum decretum violare tentauerit, anathema sit.

ASSONIS MONACHI AD GERBERGAM R. *De Antichristo.*

EPISTOLA.

EXCELLENTISSIMÆ *Reginæ, ac regali dignitate pollenti, Deo dilectæ, omnibúsque Sanctis amabili, Monachorum matri, & Sanctorum Duci, Dominæ Reginæ Gerbergæ, Frater Asso suorum omnium seruorum vltimus gloriam & pacem sempiternam.* Ex quo, Domina mater misericordiæ vestræ germen promerui, semper vobis in omnibus fidelis fui, tanquam proprius seruus. Vnde, quamuis indignæ sint apud Dominum preces orationis meæ, tam pro vobis & pro Seniore vestro domno Rege, necnon & pro filiorum vestrorum incolumitate, Dei nostri misericordiã exoro, vt vobis & cul- B men imperij in hac vita dignetur conseruare, & vos faciat in cœlis post hanc vitam secum feliciter regnare. Igitur, quia pium studium habetis scripturas audire, & frequenter loqui de nostro Redemptore, siue etiam scire de Antichristi impietate & persecutione, necnon & potestate eius & generatione, sicut mihi seruo vestro dignata estis præcipere, volui aliquando vobis scribere, & de Antichristo ex parte certam reddere. Quamuis non indigeatis à me hoc audire, quæ apud vos habetis prudentissimum Pastorem domnum Roriconem, clarissimum speculum totius sapientiæ atque eloquentiæ hac valde nostra ætate, &c.

FINIS.

A

ANNALIVM EGINHARDI
EMENDATIONES.

Ex Ms. Exemplari illustrissimi quondam Georgij Cardinalis de Armaniaco, quod Vir Cl. ac Nobil. Nicolaus Fabricius Peirescius, Regius in suprema Aquensi Curia Senator, post eorumdem Annalium impressionem iam completam Lutetiam misit.

Pag. 233.

Linea 32. Hochsigburg. *leg.* Hocseburg.
lin.36. post Theodoricum, *add.* iterum.
B *lin. penult.* vacabat, *leg.* laborabat.

Pag. 234.

lin.14. Schaninge. *leg.* Skahningi.
lin.31. post, melius esse illum, *add.* vocari.
lin.51. post, apud fratrem, *add.* suum.

Pag. 235.

lin.5. propter erepta Romanæ Ecclesiæ per Regem Langobardorum dominia Italiam manu valida ingr. *leg.* propter iustitiam beati Petri Apostoli à Rege Langobardorum exigendam, Italiam cum valida manu ingreditur.
lin.11. pro restituendis quæ Romanæ Eccl. ablata fuerant, *leg.* prò reddenda sanctæ Romanæ Ecclesiæ iustitia.
lin.21. & ad reddendum ea, quæ Rom. Ecclesiæ abstulerat, *leg.* & de reddenda sanctæ Romanæ Ecclesiæ iustitia.

Pag. 236.

lin.5. commemorantem, *leg.* commonentem.
lin.7. se res Ecclesiarum bello exacturum, *leg.* bello se res & iustitias Ecclesiarum exacturum.
lin.13. qui ad finem, *leg.* qui ad fidem.
lin.26. Limouicam, *leg.* Lemouecas.
lin.29. peruenit, *leg.* conuersa est.
C *lin.33.* Toarcis, *leg.* Thoarcij.
lin.50. sanctum Pascha, *leg.* Paschalis festi solemne.

Pag. 237.

lin.5. Salmoniaci, *leg.* Salmonciaci.
lin.13. Gauuldensem, *leg.* Gauuldanum.
lin.20. moratus, *leg.* confidens.
lin.27.28. Ebervvicus cum alia prædicti Ducis sorore, *leg.* Ebrouuicus cum alia, quàm prædictâ, Ducis sorore.
lin.39. Nouiamago, *leg.* Nouiomo.
lin.40. KAROLVS Aquasgrani, *leg.* Karolúsque, qui maior natu erat, Aquasgrani.
lin vlt. ea conditione, vt nisi dicto obediens esset, *leg.* ea conditione mandata, si dicto audiens sibi non fuisset.

Pag. 238.

lin.4. Dornoniam, *leg.* Dordonam.
lin.40. & sanctum Pascha, *leg.* & sanctam Paschalis festi solemnitatem.
lin.42. post Langobardorum, *add.* oppressionem.
lin.52. Gebennam, *leg.* Geneuam.

Pag. 239.

lin.46. occurrens, leg. accurrens.
lin.50. Rotgaudum, *leg.* Hruodgaudum.

lin. vlt. post Sigiburgum, *add.* aliud castellum.

Pag. 240. A

lin. 1. *post* fuerant, *add.* constituti.
lin. 4. *post* Lippiam vsque, *add.* fluuium.
lin. 6. petere statuit: contractisque copiis, *leg.* sine mora statuit exercitu esse petendam: contractisque ingentibus copiis.
lin. 17. *post* profectus, *add.* est.
lin. 22. fallaciter, *leg.* feliciter.
lin. 48. *post* locorum, *add.* statim.
lin. vlt. hiemaret, *leg.* hiemare constituerat.

Pag. 241.

lin. 14. Rhenum traiecit, & vsque *&c. leg.* Rhenum in eo loco, qui Lipehan vocatur, cum exercitu traiecit.
lin. 17. *post* VViseram *add.* fluuium.
lin. 18. Angeri, *leg.* Angarij.
lin. 25. omnium, *leg.* omnes.
lin. 34. mansit, *leg.* manendo compleuit.
lin. 38. *post*, vnxitque, *add.* eum.
lin. 41. Episcopus, *leg.* Archiepiscopus.
lin. 45. 46. vt eis subiectus esset ac obediens, *leg.* scilicet vt subiectus & obediens eis esse deberet. B
lin. 48. commemorato Duci, *leg.* cum memorato Duce.
lin. 56. *post*, & Pascha, *add.* eodem in loco.

Pag. 242.

lin. 6. audiuit & soluit, *leg.* & absoluit.
lin. 10. Euringorum, *leg.* Thuringorum.
lin. 12. Cubiculario Geillone, *leg.* Camerario Gillone.
lin. 15. quàm celerrimè, *leg.* quanta possent celeritate.
lin. 18. *post* audierant, *add.* esse.
lin. 31. 32. ad fugientem contendunt, *&c. leg.* ad fugientium terga insequenda, spoliaque diripienda, prout quemque velocitas equi sui tulerat, qua Saxones pro castris in acie stabant, vnusquisque eorum summa festinatione contendit. Quò cùm esset malè peruentum.
lin. 44. eo quòd re, *leg.* eo quòd is re.
lin. 52. *post* defectione, *add.* ad eum.
lin. 55. disposuerat, *leg.* dispositum habebat. *ibid.* Thietmelle, *leg.* Theotmelli.

Pag. 243.

lin. 8. *post* Orientem, *add.* iter.
lin. 23. subsistere, *leg.* sedere.
lin. 25. Schaninge, *leg.* Seahningi. C
lin. 27. Draigni iuxta Lippiam fluuium occurrisset exer. *leg.* Draigiu iuxta Lippiam fluuium Saxonum occur. exerc.
lin. 29. exteris, *leg.* ceteris.
lin. 32. quod Dekidroburg, *leg.* quod dicitur Schidirbrug. *Ibid.* in qua VVisuta & VVagarna, *leg.* in quo VVisuta & VVarharna.
lin. 46. nomine Bardengau, *leg.* vocabulo Bardengoo.
lin. 47. Albionem, *leg.* Abbionem.
lin. vlt. immodica, *leg.* non modica.

Pag. 244.

lin. 3. exilij pœna, *leg.* deportatione.
lin. 14. in qua Beneuentum situm est, *leg.* quæ nunc Beneuentus vocatur.
lin. 19. eum maxima celeritate, *leg.* quanta potuit celeritate.
lin. 26. *post* accessit, *add.* ibique castris positis consedit.
lin. 27. propositum, *leg.* intentionem.
lin. 32. obsidis loco, *leg.* obsidatus gratiâ.
lin. 35. obstringerent, *leg.* firmarent.
lin. 37. sanctum Pascha, *leg.* Paschale festum.
lin. 39. Romæ esset, *leg.* Romæ ageret.

A *lin* 40. Hunrichum, *leg.* Henricum.
lin. 42. sedula admodum instantiâ, *leg.* quanta potuit instantiâ.
lin. 46. quando huius pacis firmitatem, *leg.* quam huius pacationis firm.
lin. ult. de promissa fide præstare vellet, *leg.* de promissa sibi fidelitate facere vellet.

Pag. 245.

lin. 4. Pferinga, *leg.* Pfettringa.
lin. 17. *post* eodem, *add.* Conuentu.
lin. 20. Luitburga, *leg.* Liutberga.
lin. 29. libens, *leg.* libenter.
lin. 31. perhibebantur, *leg.* reperti sunt.

Pag. 246.

lin. 3. in sua, *leg.* & sua.
lin. 6. *post* senectutis, *add.* longè.
lin. 16. nulla expeditio, *leg.* nullum iter exercitale.
lin. 21. Salz, *leg.* Saltz.
lin. 23. aqua in VVormaciam, *del.* in.
lin. 24. conuersabatur, *leg.* versabatur.
lin. 27. Transacto vere, *leg.* Transacta verni tempestate.
B *lin.* 29. quàm primùm posset, *leg.* quantò celeriùs posset.
lin. 30. *post*, commeatibus, *add.* congregatis.
lin. 31. Cubiculario, *leg.* Camerario.
lin. 44. ad locum, quo is, *leg.* ad locum, in quo is.
lin. 49. Behemannos, *leg.* Beheimos.

Pag. 247.

lin 5. 6. opinionis, *leg.* intentionis.
lin. 10. hæresim confessus est, *leg.* hæresim suam damnauit.
lin. 14. Ardulfum, *leg.* Fordulfum, *al.* Fardulfum.
lin. 23. decreuisset, *leg.* disposuisset.
lin. 24. *post* VVisiram, *add.* fluuium.
lin. 26. 27. Persuasum tunc Regi erat *&c. leg.* Et cùm ei persuasum esset à quibusdam, qui sibi compertum esse dicebant, quòd si inter Radantiam & Alomonum fluuios eiusmodi fossa duceretur, quæ esset nauium capax, posse commodè à Danubio in Rhenum nauigari, quia horum fluuiorum alter Danubio, alter Mœno miscetur: confestim cum omni comitatu suo ad locum venit, ac magna hominum multitudine congregata, totum *&c.*
lin. 33. imbutam, cœptum opus, *leg.* infectam, opus quod fiebat.
lin. 44. Rex ad condemnandam hæresim Felicianam, *leg.* Rex propter condemnationem hæresis Felicianæ.
C *lin.* 47. Legati Romani Pontificis, *leg.* Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Pag. 248.

lin. 1. Sintfelt, *leg.* Sinotfeldus.
lin. 16. VViltzan, *leg.* Vitzinum.
lin. 24. anno priori, *leg.* anno superiore.
lin. 32. Ericus, *leg.* Henricus.
lin. 45. fide, *leg.* fidelitate.
lin. 46. *post* Rex, *add.* verò.
lin. 47. *post* Pascha, *add.* more solito.
lin. 50. subiiciebatur, *leg.* subiacebat.
lin. 53. submisit, *leg.* permisit.

Pag. 249.

lin. 4. *post*, Sumpto igitur, *add.* secum.
lin. 10. Asturicæ atque Galetiæ, *leg.* Asturiæ atque Galleciæ.
lin. 17. Ver accederet, *leg.* Ver appeteret.
lin. 24. Munda nomen, *leg.* Minda nomen.
lin. 29. *post* proficiscuntur. *add.* Nam Abodriti Auxiliares Francorum semper fuerunt, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt. Quorum Dux Thasco *&c.*
lin. 45. Mauros videlicet septem, *leg.* octo.
lin. 55. à Romanis positas, *leg.* dispositas.

Pag. 250.

lin. 15. Gerholti, *leg.* Geroldi. A

lin. 26. se traditurum, *leg.* dediturum.

lin. 41. Obiit autem prid. Non. *leg.* Obiit autem diem 11. Non.

lin. 46. de Rauenna cum filio, *leg.* de Rauenna simul cum filio suo.

Pag. 251.

lin. 1. inuocatoque Trinitatis, *leg.* sanctæ Trinitatis.

lin. 17. sec. legem Romanorum, vt crimine læsæ Maiestatis rei, *leg.* sec. legem Romanam, vt Maiestatis rei.

lin. 20. damnati, *leg.* deportati.

lin. 28. concutiebatur, *leg.* concussa est. *ibid.* diui, *leg.* sancti.

lin. 34. 35. Hipporhediam, *leg.* Eporediam.

lin. 42. subuehi possent. *leg.* subueherentur.

lin. 46. Reate, *leg.* Teate.

lin. 50. 51. propter niues Alpinas illuc transitum habere non poterat, *leg.* propter niues Alpes traiicere non poterat.

lin. 55. pacis confirmandæ gratiâ, *leg.* propter pacem confirmandam. *ibid.* *post* vicissim, *add.* propter ipsum.

lin. vlt. post Aquisgrani, *add.* Palatio.

Pag. 252. B

lin. 2. ciuitatis Italiæ, *leg.* ciuitas in Italia.

lin. 3. Nuceria, *leg.* Luceria.

lin. 5. misso exercitu, *leg.* misso Saxonum exercitu.

lin. 17. Sels, & conditionem, *leg.* Salrz, & pactum.

lin. 18. Imperatoris Romam, *leg.* Imperatoris Romani.

lin. 32. Arduennam venit, *leg.* Ard. petit.

lin. 33. nuncium est, *leg.* allatum est.

lin. 40. *post* Mantua, *add.* ciuitate.

lin. penult. post ritum, *add.* Caganum.

lin. vlt. Behemanni, *leg.* Behaimi.

Pag. 253.

lin. 1. Lechonem, *al.* Bethonem.

lin. 2. Vogesum siluam, *leg.* Vosego silua.

lin. 4. Vogesum, *leg.* Vosegum.

lin. 6. Ibi ambo, *leg.* Ibique ambo.

lin. 9. V Vilharius, *leg.* V Villeri.

lin. 16. partem regere, *leg.* partem tueri & regere.

lin. 23. ibique Quadragesimale, *leg.* ibique sanctum Quadragesimale.

lin. 41. sæuiente, *leg.* senriente.

lin. 45. Hoc autem 11. Kal. *leg.* Hoc anno pridie Kal. C

lin. 50. XVI. Kal. *leg.* XIII. Kal.

Pag. 254.

lin. 3. Erant omnia, *leg.* Erant enim omnia.

lin. 17. misit Corsicam, *leg.* misit in Corsicam.

lin. 18. illuc venire constituerant, *leg.* illuc prædatum venire consueuerant.

lin. 20. multis suorum cæsis, *leg.* multis suorum amissis.

lin. 27. 28. in Venetia se continebat, *leg.* sedebat in Venetia.

lin. 30. Aquis, *leg.* Aquisgrani.

lin. 33. ibi Quadragesimali ieiunio celebrato, ac sancto Paschate, *leg.* transacto ibi Quadragesimali Ieiunio, celebrato etiam sancto Paschate.

lin. 39. Thrasiconem, *leg.* Drasconem.

lin. 46. Hilinones, *leg.* Linones. *Ibid.* ad Godefridum defec. *leg.* ad Godefridum Regem.

lin. 51. ipsoque domum reuer. *leg.* ipsoque in Regnum suum reuer.

Pag. 255.

lin. 3. carpenta, *leg.* carra.

lin. 5. Nordhumbrorum, *leg.* Nordanhumbrorum. *Ibid.* Ardulf, *leg.* Eardulf.

lin. 9. ea tempestate, *leg.* tunc temporis.

A *lin.*10. *post* Britannia, *add.* natione sua.
*lin.*11. sancto Othmaro, *leg.* sancto Audomaro.
*lin.*14. & Pascha celebrauit, *leg.* & sanctum Pascha ibidem celebrauit.
*lin.*22. omnes conatus, *al.* omnes inchoatus.
*lin.*23. regionibus, *leg.* partibus.
*lin.*25. vbi eam, *leg.* postquam eam.
*lin.*27. Nordhumbrorum, *leg.* Nordanhumbrorum.
*lin.*35. significauit, *leg.* mandauit.
*lin.*36. Imperatorem sibi infensum, ob id. *leg.* quòd Imperator ei fuisset iratus, pro eo quòd.
*lin.*38. ab illis priùs, *leg.* ab illo imprimis.
*lin.*52. Bernhardus, *leg.* Bernharius.
lin. penult. trans Albim, *leg.* trans Albiam fluuium.

Pag. 256.

*lin.*8. in confinio, *leg.* comereio.
*lin.*10. præsidia disposuit, *leg.* præsidia imposuit.
*lin.*11. se cum omnibus suis eius obsequio traditurum, *leg.* sese, cum omnibus quæ habebat, in deditionem illi venire velle promisit.
*lin.*12. Eclypsis Lunæ facta est, *leg.* contigit.
B *lin.*16. cum omnibus, *leg.* cum eius omnibus.
*lin.*17. interuenienribus causis mansit, *leg.* imminentibus causis remansit.
*lin.*21. Subactáque, *leg.* Subiectáque.
*lin.*25. Id. Iun. *leg.* Id. Ianuarias.
*lin.*29. terrenáque prœlia, *leg.* ternáque prœlia.
*lin.*31. Regem verò domi, *leg.* Regem verò Godefridum domi.
*lin.*34. primò classi, *leg.* primò quidem classi. *Ibid. post* Rheno *add.* flumine.
*lin.*36. Rex Persarum, *al.* Rex Sarraecenorum.
*lin.*37. Congregatis tandem copiis, celerrimè, *leg.* Congregatísque tandem copiis, quanta potuit celeritate.
*lin.*40. confligere, *leg.* congredi.
*lin.*45. Et Pipinum Regem, *leg.* Et Pipinum filium eius Regem.
*lin.*48. nunciatur, *leg.* narratur.
*lin.*52. in illius generis animalia mortalitas, *leg.* illius generis animalium mortalitas.
*lin.*54. Rege Saracenorum, *al.* Rege Hispaniæ.
lin. penult. Sol VIII. Id. Iul. *leg.* Sol VII. Id Iunij. *ibid.* XVIII. Kal. *leg.* XIX. Kal.

Pag. 257.

*lin.*5. Arsaphio, *leg.* Arsafio.
*lin.*7. Hatto, *al.* Haydo.
C *lin.*12. Indicta, *leg.* Condicta.
*lin.*17. XI r. primoribus, *leg.* X. primoribus.
*lin.*19. VValach filius Bernhardi, Burchardus, Vnrochus, *&c. leg.* VValach Comes filius Bernhardi, Burchardus Comes, Vnrocus Comes, Vodo Comes, Bernardus Comes, Egbertus Comes, Theotericus Comes, Abbo Comes, Ostdag Comes, VVigman Comes.
*lin.*21. Hancvvine, *leg.* Ancum.
*lin.*22. Osfred cognomento *&c. leg.* Osfrid cognomento Tutdimalo, & Oarstein, & Suomi, & Vrm, & alius Osfrid filius Heilige, & Osfrid de Schenaouue, & Hebbi, & Aouuin.
*lin.*25. Regni totidem, *leg.* Regni sui totidem.
*lin.*30. Ipse autem propter, *leg.* ipse autem interea propter.
*lin.*32. farúmque ibi, *leg.* turrimque ibi.
*lin.*38. venêre Cani, Zauci, Principes Auarum *&c. leg.* venêre Canizauci Princeps Auarum, & Thudum, & alij primores ac Duces.
*lin.*46. neque vterque regnare potuisset: *leg.* neque inter eos, vter regnare deberet, conuenire potuissent.
*lin.*54. Theognistum, *leg.* Theognostum.
*lin.*56. in Epistola, *leg.* in Ecclesia.
lin. vlt. reuersi Romam, in Basilica, *leg.* reuertendo Romam, venientes in Basilica,

Pag. 258. A

lin. 4. Italiam venit, *leg.* Ital. ventura dicebatur.
lin. 5. quousque, *leg.* quoad vsque.
lin. 6. quæ in Sardiniam venerat, *leg.* quæ ad Sardiniam est delata.
lin. 16. incipiente verno tempore, *leg.* verni temperie.
lin. 24. nepotem suum ex Pipino filio, *leg.* filium Pipini filij sui.
lin. 29. in supradictis ciuitatibus, *leg.* in supradictis quinque ciuit.
lin. 34. *post* Danorum, *add.* in loco eis deputato.
lin. 38. Cuius Princeps, *&c. leg.* Cuius Principes ac populus eis subiici.
lin. 41. vndique, *leg.* vndecumque.
lin. 46. & eo amplius captiuos, *leg.* & eo amplius Corsos captiuos.
lin. 48. commissóque bello cum eis, *leg.* commissóque cum Sardis prœlio.
lin. 51. Leo Papdæ Patricij, *leg.* Bardæ Patricij.
lin. 52. Crumas Rex, *leg.* Crunas Rex.
lin. 54. *post* accessit, *add.* & iuxta portam ciuitatis castra posuit.

Pag. 259.

lin. 3. Regni autem XLVII. *leg.* regni autem XLVIII. subactæque Italiæ XLIV.
lin. 11. missa, *leg.* directa.
lin. 17. Richuvinum Pictauensem, *leg.* Richoinum Pictauinum. B
lin. 19. misit, *leg.* direxit.
lin. 20. fines misit, *leg.* partes dimisit.
lin 31. quemadmodum, *leg.* sicut.
lin. 41. VII. tandem die in littore, *leg.* septimo tandem die in loco qui dicitur...... in litore.
lin. 48. Priusquàm tamen illuc veniret, *leg.* Sed antequam illuc veniret, id est, cùm adhuc domi esset.
lin. 54 & ipse secum, *leg.* & ipse cum eo.
lin. penult. nunciauit, *leg.* mandauit.

Pag. 260.

lin. 12. ditionibus, *leg.* territoriis.
lin. 15. seditionem illam, *leg.* seditionem illorum.
lin. 16. per Legatos Imperatori nunciauit, *leg.* per Legatos suos Imperatori te.. ciauit.
lin. 22. quieuit, *leg.* conquieuit, *Ibid.* Pyreneum habitant, *leg.* Pyrenæum montem hab.
lin. 23. Siguvinum, *al.* Siginum.
lin. 28. à seculo migrauit, *leg.* de corpore migrauit.
lin. 33. magno eum honore suscepit, *leg.* eum magno eum ibidem honore susc.
lin. 36. opimè, *leg.* opiparè.
lin. 37. fortissimo robore, *leg.* firmissimo. C
lin. 44. Aquasgrani, *leg.* ad Aquasgrani.
lin. 52. Cadolach, *leg.* Cadolanc.
lin. 53. Albigarius, *leg.* Abgarius.

Pag. 261.

lin. 6. impositum, *leg.* impactum.
lin. 14. depressit, *leg.* deposuit.
lin. 15. quàm quod, *leg.* præter quod.
lin. 18. opera medicorum, *leg.* instantiâ medicorum.
lin. 29. & Sclaomiri, *leg.* & Sclauorum.
lin. 34. post hæc, *leg.* posthac.
lin. 36. imperauit, *leg.* impertauit.
lin 41. Vogeso, *leg.* Vosego.
lin. 47. ad Italiam festinasset, *leg.* Italiam intrare festinasset.
lin. 49. Quem secuti sunt alij, & non solùm, *leg.* Quem ceteri secuti, non solùm.
lin. 52. Cubicularius, *leg.* Camerarius. *Ibid.* Meginharij, *al.* Reginharij.

Pag. 262.

lin. 4. post Pascha, *leg.* post sanctum Pascha.
lin. 5. & Bernhardum Regem, *leg.* simul & Bernhardum.

lin.8. exilio proscribi, *leg.* exilio deporta ri.
A lin.13. *post* ab exercitu, *add.* Imperatoris.
lin.18. v. Non. Octob. *leg.* VI. Nonas.
lin.22. accusantes, *leg.* excusantes.
lin.24. ad fines nostros, *leg.* & ad fines nostros.
lin 53. vicinas gentes, *leg.* vicinas iuxta se gentes.
lin.55. ditioni eius se permittere *&c.* *leg.* ditioni eius semper inniti gestiebat, ne hoc efficeret curare cœpit, ac falsis *&c.*

Pag. 263.

lin.3. iuxta, *leg.* circa.
lin.7. Dragomosus, *leg.* Dragamosus.
lin.11. respiceret, *leg.* conspiceret.
lin.13. vbicumque poterat, *leg.* quacumque potuit.
lin.14. regione coegit, *leg.* regione sua coegit.
lin.33. Bero Comes, *al.* Bera Comes.
lin.36. proscriptus, *leg.* deportatus.
lin.54.55. qui Carcasauum fluuium habitant, *leg.* qui circa Sauum fluuium hab.
lin. penult. Saracenorum, *leg.* Hispaniæ.

Pag. 264.

B lin.7. discesserunt, *leg.* recesserunt.
lin.17. vernum tempus, *leg.* verni temperiem. *Ibid.* VIII. Kal. *leg.* IX. Kal.
lin.18. post actum, *leg.* post peractum.
lin.35. Vogesi, *leg.* Vosegi.
lin.39. Michaelis Comitis, domesticorum insidiis, *leg.* Michaelis Comitis Domesticorum, insidiis *&c.*
lin.51. in quo Lotharius, *leg.* in quo dominus Lotharius.
lin.53. Romani Pontificis, *leg.* Romanæ Ecclesiæ.
lin.54. Florus cum magnis, *leg.* Florus super Istri cum magnis.

Pag. 265.

lin.4. euocatum, *leg.* reuocatum.
lin.5. & Bernarium, *leg.* eum quo & Bernhardum.
lin.17. maximi amnes, Rhenus videlicet, *&c.* *leg.* maximi ac famosissimi amnes, Rhenus videlicet ac Danubius, Albisque.
lin.20. pontibus vincta, *leg.* pontibus iuncta.
lin.30. sustulit, *leg.* subrexit.
lin.33. Brixiæ Comes, *leg.* Brixiæ ciuitatis Comes.
lin.42. Sisciа ciuitate, *leg.* sua ciuitate.
lin.47. Delbende, *leg.* Delbendo.
C lin.51. regressi sunt, *leg.* reuersi sunt.

Pag. 266.

lin.1. Eum tamen, *leg.* Quem tamen.
lin.3. regiones, *leg.* partes.
lin. 4. hiematum ad Franconofurt, *leg.* ad hiemandum in loco, qui Franconofurd [appellatur.
lin.5. finium, *leg.* partium.
lin.8. Behemannorum, *leg.* Behaimorum.
lin.12. ædificiis nouis, quemadmodum secum statuerat, *leg.* opere nouo ædificiis, sicut dispositum habuerat.
lin.15. ibidem, *leg.* in eodem loco.
lin.20.21. Meligastus & Celeadragus. Erant enim, *leg.* Milegatus & Cealadragus. Erant iidem.
lin.23. tortius Regni summa, *leg.* citiùs Regni summa.
lin.24. VVilsi filium eius, *leg.* populus VVltzorum. *Ibid.* qui maior erat, *leg.* quia maior natu erat.
lin.32. fideliter, *leg.* fidelem.
lin.38.39. Regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen, *leg.* & Regni coronam, & Imperatoris Augusti nomen.
lin.49. Liudemullum, *leg.* Liudemulsum.
lin.51. Romanæ Ecclesiæ, *leg.* sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Pag. 267.

lin. 5. Ipse reliquum, *leg.* ipse verò reliquum. A
lin. 8. rei certitudinem, *leg.* rei gestæ certitudinem.
lin. 10. purgauit: & interfectores prædictorum, *leg.* purificauit: & interf. præd. hominum.
lin. 23. ire permissus est, *leg.* redire permissus est.
lin. 28. regionibus, *leg.* partibus.
lin. 35. Frihsazi, *al.* Ternsazi.

Pag. 268.

lin. 5. Ille ad hæc, *leg.* Et ille quidem ad hæc.
lin. 7. instigauerat, *leg.* parauerat.
lin. 14. ad XV. Cal. *leg.* ad XII. Cal.
lin. 15. *post* Imperatoris, *add.* qui ad eum mittebantur. *Ibid. post* Gradensis, *add.* Veneticorum.
lin. 22. Romam ire iussit, vt à Pontifice examinaretur, *leg.* ad examinandum eum Romano Pontifici direxit.
lin. 24. venisser, *leg.* peruenisser.
lin. 25. ipsos vsque, *leg.* ipsos quidem vsque.
lin. 26. manere præcepit, *leg.* fecit opperiri.
lin. 29 à Bulgaris iniquè infestari se quererentur. *leg.* de Bulgarorum iniqua infestatione quererentur. B
lin. 32. qui minor vocabatur, *leg.* qui iunior vocab.
lin. 37. in ipso Pyrenæo, *leg.* in ipso Pyrenæi iugo.
lin. 38. secum habuere, *leg.* secum duxerant.
lin. 40. qua consanguineus, *leg.* quasi qui consanguineus.
lin. 41. præceptum, *leg.* mandatum.
lin. 52. verno tempore, *leg.* verna temperie.
lin. penult. habiturum, *leg.* habere velle.

Pag. 269.

lin. 1. in eo Conuentu, *leg.* in eodem Conuentu.
lin. 2. VVihormachus, *leg.* VVihomarchus.
lin. 12. Vogesum ad Rumerici arcem, *leg.* Vosegum ad Rumeriei montem.
lin. 16. Regionibus, *leg.* partibus.
lin. 18. fecit. Completis itaque. *leg.* iussit. Completisque.
lin. 25. Christiano more susceperat, *leg.* Christiano more sumendo perceperat.
lin. 27. integrum, *leg.* plenum.
lin. 34. vt sine mora, *leg.* vt sine moratum interpositione.
lin. 37. Illo verò, *leg.* Illóque.
lin. 43. Aquasgrani, nam ibi, *&c. leg.* Aquisgranum, vbi.
lin. 44. Cum quibus vbi, *leg.* Cum quibus cum.
lin. 45. & conclusum, *leg.* atque dispositum. C
lin. 46. ibidem totam sequentem æstatem transegit, *leg.* æstatem in deputato sibi loco transegit.
lin. 47. medio Maio, *leg.* medio mense Maio.
lin. 50 Romani Pontificis, *leg.* sanctæ Sedis Apostolicæ, Romanæ videlicet Ecclesiæ.
lin. 51. regionibus, *leg.* partibus.
lin. 53. missi, *leg.* directi. *Ibid.* principes, *leg.* primores.

Pag. 270.

lin. 5. *&* 6. Affuerunt & in eodem Conuentu Baldericus, &c. *leg.* Baldricus verò & Geroldus Comites, ac Pannonici limitis Præfecti, in eodem Conuentu adfuêre: & adhuc *&c.*
lin. 17. minuisser, *leg.* comminuit.
lin. 18. *post*, quod petebat, *add.* iussu eiusdem Regis.
lin. 30. optimos tamen ac præstantissimos, *leg.* meliores tamen ac præstantiores.
lin. 35. Suessoniam, *leg.* Suessionem.
lin. 42. quo idem passus est, *leg.* quo idem beatissimus Martyr passus esse dinoscitur.

lin. 5. filius Beronis, *al.* filius Berani. *Ibid.* & alij complures, *leg.* necnon & alij complures.
lin. 51. *post.* Saracenis, *add.* ac Mauris.

Pag. 271.

lin. 3. persuasione, *leg.* persuasionibus.
lin. 13. Nouiomagum, *leg.* Niumagum.
lin. 22 eis rectores, *leg.* super eos rectores.
lin. 24. vix mensem, *add.* vix vnum mensem.
lin. 25. Presbyter sancti Marci, *leg.* Presbyter tituli sancti Marci.
lin. 26. populi, examinaret, *leg.* populi, qualis esset examinauit.
lin. 28. Quos Imperator benignè, *leg.* Quos ille ibi benignè.
lin. 34. ratio esset habita, *del.* esset.
lin. 35. *post.* culpabiles, *del.* fuissent.
lin. 36. Baderieus etiam Dux, *leg.* Similiter & Baldericus Dux.
lin. 37. 38. honoribus priuatus, & Marca inter quatuor, *leg.* honoribus quos habebat, priuatus, & Marca, quam solus tenebat, inter quatuor, *&c.*
lin. 43. Legatos, *leg.* Missos.
lin. 47. Lotharium filium, *leg.* Lotharium filium suum.

Pag. 272.

lin. 4. facerent exposuerunt se tamen, *leg.* facerent exposuêre, & tamen.
lin. 12. aliquot, *leg.* aliquantis.
lin. 14. Cal. Iun. *leg.* Cal. Iul.
lin. 16. solemnitatem S. Martini, *leg.* Missam S. Martini.
lin. 17. diuersis Conuentibus, *leg.* in diuersis.
lin. 20. in ipso Quadragesimali, *leg.* in ipso sancto Quadragesimali.
lin. 24. Imperator diuersis, *leg.* Imperator verò in diuersis.
lin. 29. regiones, *leg.* partes.
lin. 30. multitudo, *leg.* generalitas.
lin. 31. Medio Iulio, *leg.* medio circiter Iulio. *Ibid.* sed vbi vanam esse comperetat, *&c. leg.* sed vbi vana esse comperit, quæ de Nordmannis fama dispersferat, sicut priùs dispositum habebat, medio Augusto, *&c.*
lin. 33. post annua dona, *add.* solemni more.
lin. 35. regionibus venerant, *leg.* terris ad eam venerant. *Ibid.* Lotharium quoque filium, *leg.* Lotharium quoque filium suum finito illo Conuentu in Italiam direxit.
lin. 41. reuersus, ibidem sancti Martini, *leg.* reuersus est, vbi & Missam sancti Martini, ac festiuitatem beati Andreæ.

FINIS.

BONIFACII MOGVNTINENSIS ARCHIEPICOPI, EPISTOLÆ III.

Addenda illis, quæ iam edita sunt supra pag. 661.

AD ANDHVNVM ABBATEM, EPIST. I.

Inter editas Epist. XLII.

DILECTISSIMO *in Christo charitatis vinculo nodato Patri Andhuno visceralem salutem.* QVARE non transmisisti vestimenta, quæ debuisti mittere de Fresarum Prouincia? Nunc, per Deum omnipotentem, extemplo fac vt veniant. Indica nobis aliquid de Episcopo nostro, an ad Synodum Ducis Occidentalium Prouinciarum perrexisset, an ad filiũ CARLOMANNI: & per Epistolam nobis rescribe, & hunc pergentem nuncium iterùm citò reuerte nomine Hartleih. Quæso te Domine, vt facias eum illic manentem sine labore, & huc pergentem. Valete, ô flores Ecclesiæ, & orate pro nobis, & nos pro vobis, vt pax Christi maneat in nobis. Amen.

AD CEORLVM * REGEM FRANCORVM, EPIST. II.

CAROLVM.

Inter edit. LXXXI.

DOMINO *gloriosissimo atque precellentissimo* CEORLO *Regi Francorum, Eanvvulf humilis Abbas optabilem sospitatem.* PROPTER hæc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Francorum Gente factum cognouimus, cui vestra gloria ideircò est præposita, vt per bona, quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis Genti superna beneficia præstarentur. Et ideò, gloriose Rex, eam quam accepisti diuinitus gratiam solicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina. Zelum rectitudinis ruæ in eorum conuersione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia euerte. Subditorum mores, & magna vitæ munditiâ exhortando, terrendo, blandiendo, & boni operis exemplo monstrando ædifica: vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quæritis, & seruatis in gẽtibus. Præterea scire vestram gloriam volumus, quia nos obnixè & indesinenter deprecaturi supernam pietatem pro incolumitate tua, & gentis tuæ. Propterea sublimitatem tuam humiliter deprecantes, vt nostri memor esse, hósque loco amicorum suscipere digneris: vt qui te in orationibus crebris Domino commendare satagimus, ipsi te protectorem habere valeamus & patronum. Omnipotens itaq; Deus in vobis gratiam suam, quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram & hîc per multorum annorum curricula extendat, & post longa tempora in cælestis vos patriæ congregatione recipiat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat, Domine dilectissime. Scripta Indict. XI. VIII. Kal. Iunias.

ALHREDI REGIS ANGLORVM AD LVLLVM, EPIST. III.

Inter edit. XC.

ALHREDVS *Rex & Osgeofa Regina Lullo venerabili Episcopo nobis perpetuali amicitiâ copulato in Christo salutem.* SCRIPTA beatitudinis tuæ simul cum muneribus literis assignatis debita gratulationis reuerentiâ suscepimus, maximásque omnipotenti Deo egimus gratias, quòd te in tam longa peregrinatione desudantem, & in Christi agonibus decertantem optatæ conseruauit sospitati. Et ideò reuerentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Episcopatus tuus studium ac votum suum circa salutem nostram dignetur impendere. Nos quoque simul cum nominibus nostrorum amicorum, & propinquorum, quæ hic subscripta sunt, litterarum custodiâ facias contineri, orationibúsque & Missarum celebrationibus, perpetuis Dei patrociniis commendemur. &c. Illúdque pietati nostræ satis placuisse cognosce, quòd sanctimonia tua de Ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est. quæ etiam vt fierent, Dei aliquo dispensationis consilio credimus esse prouisâ. Nostris quoque, dilectissime frater, Legationibus ad Dominum vestrum, gloriosissimum Regem CARL, obsecramus consulendo subuenias: vt pax & amicitia, quæ omnibus conueniunt, facias stabiliter inter nos confirmari.

FINIS.



INDEX RERVM AC VERBORVM QVÆ IN TOMO II. CONTINENTVR.

A

B 4

Caro-

 DDdd ij

F

G

H

I

L

M

N

Q

R

Robertus

S

T

Z

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 6. *lin.* 4. Lintburga, *leg.* Liutburga.
Pag. 13. *lin.* 14. ad Lattiniacum, *leg.* ad Attiniacum.
Pag. 14. *lin.* 5. Presburg, *leg.* Eresburg.
Pag. 20. *lin.* 40. per Eiardum, *leg.* per Einhardum.
Pag. 21. *lin.* 21. tentoria attulit varij colore, *leg.* tentoria attij vario colore.
Pag. 36. *lin.* 16. Tragonito, *leg.* Tragouiro. *lin.* 26. Labola, *leg.* Albola.
Pag. 41. *lin.* 55. Paschalisnomine Dator, *leg.* Paschalia Nomenclator.
Pag. 43. *lin.* 33. qui vocatur, *leg.* qui vocantur. *lin.* 34. in Vosogo, *leg.* in Vosago.
Pag. 46. *lin.* 34. Episcopus Cormaricensis, *leg.* Episcopus VVormaciensis.
Pag. 47. *lin.* 5. Celasamæ præfectus, *leg.* Cesalaniæ Præfectus.
Pag 62. *lig.* 18. 19. ad Taruisiam portus, *leg.* ad Taruisiani portus.
Pag. 64. *lin.* 26. Bernharius Episcopus, Arrius Episcopus VVarmaciensis, *leg.* Bernharius Episcopus VVarmaciensis, *ceteris deletis. & in margine pro* Coloniensis, *repone* VVarmaciensis.
Pag. 88. *lin.* 44. Bernarius Episcopus Cormaricensis, & Arrius Episcopus VVarmaciæ. *Sic habet Ms. Codex, sed malè. Nam legendum, vt Pag.* 255. Bernarius Episcopus VVormaciensis.
Pag. 220. *lin.* 33. anno Natiu. Domini DCCXVI. *leg.* anno Natiu. Domini DCCXCVI.
Pag. 221. *lin.* 8. ipse Aruon, *leg.* ipse Arnon.
Pag. 223. *lin.* 32. valle Segusiana, *leg.* valle Segusiua.
Pag. 242. *lin.* 10. in fines Euringorum, *leg.* in fines Thuringorum.
Pag. 255. *lin.* 52. Bernhardus Episc. *leg.* Bernharius Episc.
Pag. 263. *lin.* 54. Carcasauum, *leg.* circa Sauum.
Pag. 264. *lin.* 39. Michaelis Comitis, Domesticorum insidiis. *sic distingu.* Michaelis Comitis Domesticorum insidiis. &c.
Pag. 338. *lin. antepen. in inscript. add.* De exilio Iudith Imperatricis Ludouici Pij coniugis.
Pag. 388. *lin.* 55. ISABARDVS, *leg.* ISAMBARDVS.
Pag. 389. *lin.* 4. INDVONIS & MICIONIS *, *add. in marg.* Sic est. in Cod. Ms. fort. legendum, INOVONIS, (seu INIOONIS) & SANCIONIS.
Pag. 398. *lin.* 5. vxorem Bosonius, *leg.* vxorem Bosonis.
Pag. 443. *lin.* 16. nos noster Hlotharius, *leg.* nepos noster,
Pag. 456. *lin.* 18. Regni, Primores, *dele virgulam.*
Pag. 487. *lin.* 5. post noui Regis, *add.* Carlomanni.
Pag. 497. *lin.* 31. Et dediuisione, *leg.* Et de Diuisione.
Pag. 508. *lin.* 14. pedentim, *leg.* pedetentim.
Pag. 525. *lin.* 22. sancti Bauoris, *leg.* sancti Bauonis.
Pag. 652. *lin.* 7. in ipse Regis Palatio, *leg.* in ipso. *Item lin.* 23. de Adelhardo Comite Palatij postea Abbate, *leg.* de Adelhardo Abbate.
Pag. 560. *lin.* 31. Colonam, *leg.* Coloniam.
Pag. 660. *lin.* 2. in Nantuaciensi, *leg.* in Nantuacensi.
Pag. 893. *in margine* Epist. v. *leg.* Lib. v. Epist. v.

